




ANNALES
ECCLESIASTICI
FRANCORUM,

Auctore CAROLO LE COINTE Trecensi, Congreg. Oratorii D. N. JESU CHRISTI Presbytero.

TOMUS OCTAVUS.






PARISIIS,
E TYPOGRAPHIA REGIA.

M. DC. LXXXIII.







CHRISTIANISSIMO
LUDOVICO XIV
FRANCORUM
NAVARRÆQUE
REGI.

DIU multúmque dubitavi, REX CHRISTIANISSIME, *an hoc opus posthumum offerrem Majestati tuæ, etsi auctor moriens mihi hoc inprimis commendaverat, ut quem vitæ studiorúmque cur-*

sum instituerat, eundem se tuis confecisse auspiciis ex eo intelligeres. Quid quod pergratum honorificentissimúmque videbatur, vel hoc qualicumque officio fidem & obsequium Maximo Principi testificari. Hæsitavi tamen, haud diffiteor: toto enim fermè opere continentur infausta Ludovici Pii tempora, ubi impietas & audacia prævalent, ubi pristina Francorum virtus otio & situ corrumpi cœpta, subditorum rebellionem, & militum defectionem excitavit. Haccine imperii dedecora ausim ego oculis Majestatis tuæ retegere, & hac felicitate Principatûs tui infandam illorum temporum rememorare perniciem? Verùm quæcumque ea sint, nihil contra

meum officium, nihil infra magnitudinem nominis tui me facturum esse existimo, si ultimæ amici voluntati obsequar, cui detrahere aliquid religio est: si ex turbidis Ludovici Pii temporibus lucentes tui Imperii annos ostendero, tantúmque regni Francorum opes auctas sub LUDOVICO MAGNO, *quantùm scimus sub Ludovico Pio decrescere cœpisse. Erant sanè huic Imperatori dotes haud contemnendæ; pietas juxtà & religio, æqui justíque amor, quibus cùm immodica animi mansuetudo vires & nervos sustulisset, contemptui suis, exteris probro cœpit esse. Tum corruit vis illa Legum & Capitulariorum, quæ patres ejus tulerant, aut*

quæ ipse sanxerat, tum populi nova moliri, intestinísque odiis distrahi Imperium cœpit, hæreditásque & victoria Caroli Magni discerpi in partes, & barbarici furoris præda & spolium fieri. Ea verò quantùm distant à magnitudine rerum gestarum Majestatis tuæ, & regni tui gloriâ differunt! Tù scilicet cùm his quas modò memoravi aliísque præstantissimis sis ornatus virtutibus, has regiâ autoritate & imperio, si opus est, ita munire soles, ut Te tui colant, Te diligant & vereantur populi, exteri Te admirentur & metuant. Tu fidem & religionem à Majoribus tuis traditam, & plus mille ducentósque annos non interrupto tenore castè &

incorruptè custoditam, sanctè & fideliter retines & tueris. Tu hæresim, quæ Patrum nostrorum ætate adversus regiam Majestatem sacrilega erexerat vexilla, quæ sacra profanáque polluerat, vindicibus edictis domitam subjicere imperio aggressus es. Tu illam, quæ olim nostris superba stragibus popularem inter nos agebat, quæ vi & armis nomen civitatis adeptam se intolerantiùs jactabat, nunc non modò ut antiquæ Patrum religioni alienam in Galliis haberi, sed etiam amissis honoribus ut abjectam & despectam jacere voluisti. Illam ex Regiâ expulisti: illi fori & militiæ munera denegasti: conventicula, aut quæ sola impietas erexerat, aut in

quibus contra ſacras Majeſtatis tuæ conſtitutiones peccatum fuerat, dirui juſſiſti. Sic lenibus remediis ſanare malum inſtituis quod Majores tui enſe & ferro recidere fruſtrà moliti ſunt. Te hortatore multa hominum millia inſaniam quam priùs ſequebantur execrari inſtituerunt; & quod magnificum eſt, cùm olim multas urbes ceperis, multas hæreticas civitates expugnaveris, nullam niſi prælatis Romanæ Eccleſiæ inſignibus Te ingredi contigit. Conſtat, REX INVICTISSIME, *Te victorem hoſtium, Te populorum provinciarumque domitorem: haud tamen quis diſcernere valeat, an plures de hoſte, an de hæreſi retuleris victorias, an*

plus debeat tuis armis Respublica, an Religio. Quid alia referam quæ sapienter & sanctè fuerunt à Te constituta? Quid impia in Deum probra & contumeliosè dicta in ejus sanctum nomen tuis edictis vindicata? Quid memorabo severitate legum coercitam Monomachiæ & duelli vesaniam? Jamdiu malum hoc apud nobiles invaluerat, ut suam quisque offensam vindicare vellet, & poscere vindictam injuriæ non quomodo jus & ratio suadebant, sed ut quemque iræ impetus ferebat; atque ita ad condictum diem & locum alter alterius petere jugulum solebant. Sæpè hæc labes orbaverat matresfamilias, sæpè Respublica desideraverat

viros fortes & strenuos quos singularis certaminis æstus sustulerat. Placuit tuæ Majestati ex regno convellere grassantem hanc pestem. Æquas leges contra nobilium injuriam tulisti; eorum famæ cautum esse voluisti, & pariter auctoritate publicâ malum perimere quod anteriora Regum edicta non potuerant: Te edicente, REX CHRISTIANISSIME, *statim furor conquievit. Intellexerunt nobiles tam ferox atque immane esse in morem ferarum adversùm se invicem sævire, quàm pulchrum est & gloriosum pro principe & pro patriâ vitam periculis objicere. Longum est omnia referre in quibus & veræ religionis & summæ auctorita-*

tis argumenta ſunt. Vetera ſunt quæ olim feciſti cùm pacem tuis legibus imperares, cùm juberes reddi ſociis provincias quas amiſerant, cùm tuis provinciis novas adjiceres provincias: recentius eſt quod nuper potentiſſimam civitatem ſolâ tui nominis famâ, & amplitudine gloriæ tuæ expugnatam vidimus. Vidimus & ad conſpectum navium noſtrarum pavidas Cyclades inſulas, Ægeum mare terrefactum, & Tripolitanum Piratam pacis leges accipere coactum. Vidimus Algerianum prædonem pulſum ex mari, & in ſuis ambuſtum propugnaculis, caſtigatámque læti ſuſpeximus ejus audaciam. Sed quod præſentis Dei & propitii Numinis

& tuæ felicitatis haud vanum est testimonium, aucta est novâ sobole tua familia. Te, REX CHRISTIANISSIME, *festinatis temporibus & viridi ætate jam avum cernimus, & admiramur Te florentibus annis præmia & honores præripere senectutis. Auspicatò tibi natum Serenissimum Nepotem, & jam quidem tuis refulgentem honoribus; & maximâ olim circumdatum iri gloriâ, probat natalis dies quo Filium Dei in sancto monte fulgidum lumine inclaruisse accepimus; probat & acta toto orbe Christiano, majore quo nusquam aliàs apparatu, hujus felicis ortûs celebritas. Sanè lætissimus ubique gentium dies fuit. Ubi per orbem volitavit fama nati*

Pueri principis, repentina illicò exultatio animos omnium invasit. Itum est ad Basilicas, actæ solemnibus hymnis Deo immortali gratiæ, indictum per urbes Justitium, clausæ tabernæ, data populis congiaria, sparsum per plateas multitudini merum, celebratæ per domos comessationes & epulæ, cælum festivis illuxit ignibus, lætis fragoribus terra insonuit, super profluentem amnium edita spectacula: quocumque genere gaudiorum & lætitiæ felicissimo LUDOVICI MAGNI NEPOTI *applausum est. Quanta verò Serenissimo Duci Burgundiæ ex tua Majestate augurari licet! Tu Illi nascenti sydus prosperum es, Tu felix auspicium, Tu benignum,*

Tu ingens Illi fatum es. Tu Illum jam à pueris monſtra ſuffocare, Tu Adoleſcentem certam virtutis viam ſequi docebis, Tu Illi rebus arduis exequendis facem præferes. Virtutem quidem verúmque laborem, ſed etiam Fortunam non ex aliis quàm ex Te puer diſcet. Te magiſtro ſciet caſtra locare, ordinare acies, frangere hoſtem, urbes vel vi vel deditione capere, hieme & æſtate durare ſub pellibus, tranare flumina, & nullo, ſi vincendum eſt, obice retardari. Ille autem aliquandò cum patre Sereniſſimo Principe Tibi grandævo ſupponet humeros; neque Is ſicuti olim Caroli Magni nepotes diſſipari ſinet Imperium, ſed tuo benè inſtitutus Magiſterio parta

partis addet, victorias cumulabit victoriis, amplissimámque LUDOVICI MAGNI *hæreditatem, si per tuam liceat fortunam, novis augmentis amplificabit. Hæc tua virtus Illi spondet, hæc tua felicitas Illi pollicetur. Patere,* REX CHRISTIANISSIME, *me inter orbis applausus hanc levem de meo publicæ gratulationi corollam attexere, & tuæ pariter Majestati certum hoc summæ venerationis & singularis observantiæ testimonium significare. Hæc*

TUÆ MAJESTATIS CHRISTIANISSIMÆ

Devotissimus ac fidelissimus Cliens & Subditus, GERARDUS DUBOIS, Congregationis Oratorii D. N. JESU CHRISTI Presbyter, & in insigni Ecclesia Sancti Martini Turonensis Præpositus de Sodobrio.

In Domo Oratorii Parisiensis 4. Non. Januarii, anno 1683.

PRÆFATIO.

ETSI Auctor nullam Præfationem suis operibus præfixam voluit, me tamen hîc paucis præfari oportet, non quidem tam de hoc volumine, quàm de Auctore ipso quem mors acerba in medio studiorum cursu rapuit. Neque puto gravabitur Lector scire quis fuerit Scriptor horum Annalium, quam studiorum habuerit rationem, quod vitæ genus egerit, & quibus ornamentis instruxerit animum: de his aliisque ejus gestis breviter disserere institui. Carolus Cointius ex piis honestisque parentibus, patre Claudio, matre Annâ Petitpied Trecis natus est anno MDCXI. pridie Nonas Novembris, quo die celebris est in Ecclesia memoria Sancti Caroli Mediolanensium Archiepiscopi. Cùm multas à puero ingenii dotes ostenderet, hunc inprimis pater educare liberaliter, atque inter plures quos habebat filios seligere quem disciplinis imbuendum traderet. Ita Carolus Cointius prima studiorum rudimenta Trecis sub Professoribus publicis posuit. Tum, quoniam Remis florebant studia litterarum in Collegio PP. Societatis Jesu, quod ante aliquot annos Nicolaus Brulartus Abbas Vallis Regiæ fundaverat, eò à patre missus est, ut industriâ Professorum, & æmulatione discipulorum magis proficeret. Brevi Cointius conciliare sibi amicitiam Magistrorum ingenio, operâ, labore, aliisque bonis artibus cœpit; nam studiis animum seriò adjungere, honoribus scholæ præire cæteros, præripere aliis palmam, publicas laudes mereri, & in ludis solemnibus præmiolis, quæ cotes ingeniorum sunt, palàm affici. In his autem quæ juvenis gessit diu immorari alienum ab instituto esse puto. Non possum tamen silere eum tunc temporis usum familiariter consuetudine Illustrissimi Principis Henrici à Lotharingia Ducis Guisii, qui in eodem Collegio operam studiis ponebat; cúmque is Clericum ageret, Ecclesiasticisque abundaret reditibus, sæpè Cointium rogavit ut suam sibi addictus sequeretur fortunam. Verùm illi Deus saniora persuasit consilia: nam cùm posteà varia Guisii fuisset fortuna, multis suam vitam objecisset periculis.

Ante aliquot annos erat in honore Congregatio Presbyterorum Oratorii Domini Jesu, auctore Petro Berullio, quem singularis virtus & summa vitæ sanctimonia ad Cardinalis dignitatem evexerant. Horum numero ascribi Cointius petiit: cúmque ingenio & moribus polleret, haud dubitavit Berullius eum suo annumerare Collegio; atque ita Domum Oratorii Parisiensis Cointius ingressus est. Eodem anno Berullium ante aras & in ipsis Sacris mori contigit: tum Cointius sacrorum minister aderat, quod sæpè solebat commemorare postquàm Berullius è vita decessit. Cointius benè & piè peracto anno probationis, seu, ut vocant, institutionis, Vindocinum missus est, ut in minoribus Grammatices scholis Professorem ageret. Sequentibus annis humaniores disciplinas docuit: septem deinde annos continuos Rhetoricam Condomi, Namnetis, & Andicavis. Hoc toto fermè spatio temporis Historiæ tum profanæ tum Ecclesiasticæ vacabat; & quoniam Chronologiam & Geographiam sciebat esse duo lumina Historiæ, his addiscendis curam inprimis adhibuit, unde posteà severus temporum & locorum exactor extitit. In Historia porrò excolenda, his maximè operam collocavit, quæ patriæ usui essent. Jura itaque Regni & Regum Francorum investigare cœpit, quas rationes & causas in vicinas aliásque provincias tam ex possessione quàm ex jure Reges Christianissimi haberent. Et quoniam necesse fuit res & negotia externarum nationum expendere, id magnis laboribus comparare studuit. Sunt inter manus meas de his rebus Commentarii ex quibus nescio an diligentiam potiùs, an ejus laborem æstimem. Dum Rhetoricam Andicavis ageret annis MDCXL. & XLI. duas habuit orationes quæ extant, ex quibus intelligere licet Cointium in his quæ modò memoravi versatissimum fuisse.

Eo tempore Europa omnis bello deflagrabat: Sueci primùm, tum Franci in Germaniam irruperant; iidémque Franci cum Batavis premebant Belgium; aliísque in partibus perstrepebat vis ingens armorum. Posteà, multis cladibus illatis, agi de pace placuit. Locus agendæ paci delectus Monasterium Westphalorum cum Osnabrugo: Venetus pacis conciliator fuit, cui & adjunctus est Summi Pontificis Nuncius. Eò missi sunt à Regibus & Principibus Legati, qui contentiones regum nomine cum plenaria potestate componerent. Alter è Christianissimi Regis Legatis fuit vir Illustrissimus Abel Servienus: is casu ma-

gis quàm consultò Cointium itineris & Legationis suæ socium habuit. Nam cùm à Francisco Burguineo tum Congregationis Oratorii Præposito Generali petiisset Presbyterum, qui in Legatione conscientiam uxoris regeret, vir acutæ mentis Cointium magnis idoneum negotiis Parisios advocat, agitque cum illo quasi non uxor modò sed Servienus ipse in ea legatione ejus consiliis opus haberet: ita illi locutus profectionem facilè persuasit. Cœpta est anno MDCXLIII. XIII. Calend. Novemb. cùm Servienus eum rerum nostrarum peritissimum esse nesciret. Primò in Belgium fœderatum itum est. In itinere Servienus sæpè sermones serere de legatione suâ; de rebus & commodis regni & provinciarum juribus: dum quisque, ut fit, de his colloqui ardet, & Cointius suam dare symbolam, facta rememorare, conventa pactáque nationum, Regum & Principum fœdera referre, annorare præsertim quæ Francis usui sint, eaque omnia ex monumentis actísque publicis approbare, annum diémque observare diligenter, dum de his haud dubitanter disserit, omnes eum admirari, & Servienus ipse eum deinceps non modò ut pium bonúmque virum, sed ut eruditissimum maximo in honore habere cœpit, atque deinceps in magnis dubiísque rebus consulere. Legatus aliquot menses in Belgio fœderato permansit, & cum eo Cointius. Hagam Comitis venerunt IX. Calend. Novemb. anno MDCXLIII. & anno sequenti Nonis Aprilis Monasterium Westphaliæ cum honorifico comitatu ingressi sunt. Quamdiu Cointius egerit Monasterii haud certò dicam: legi aliquando Ephemeridem in quam referre solebat quæ ad iter Monasteriense & quæ ad negotia hujusce Legationis pertinebant; in ea verò de ejus reditu nihil scriptum reperi. Sed ex ea manifestum est cum Cointio communicatas fuisse res gravissimas, neque enim aliter tot litteras, tot acta, tot rerum consultationes arcanáque consilia aut omninò in eam conjicere, aut fragmenta excerptáque exscribere, qualia quantáque in ejus Ephemeride me legere aliquando memini; & aliunde scimus Servienum de his quæ Cointius sibi præstitit fuisse honorificè locutum. Non pauca certè negotia ad Cointium ex Legati mandatis delata, & ab ipso pertractata sunt, quæ postquam cognovisset & examinasset cum iis quorum interesset, ad Servienum referebat. Quod Cointio honorificum fuit cum Optimatibus & Primoribus de rebus Principum & Provinciarum sermonem habere, eas cum

partibus discutere, & sub ejus fide & relatione sæpè pronunciatum esse, id posteà magnam illi cum his consuetudinem & amicitiam peperit. Magna inprimis illi cum Fabio Chisio familiaritas intercessit; hunc sæpiùs convenire, cum illo sæpiùs colloqui solebat. Is primùm missus est ab Urbano VIII. ad Colonienses, ut Nuncium Apostolicum ageret, tum ab eodem delegatus Monasterium, ut inter Imperatorem, Regem Francorum, cæterósque Reges & Principes de pace concilianda tractaret: posteà cùm post mortem Innocentii PP. X. renunciatus fuisset Summus Pontifex, sæpè ad eum Cointius misit litteras, & Alexander PP. VII. eo enim nomine posteà vocari voluit, vicissim eum suis litteris honorare dignatus est.

Postquàm Cointius Monasterii Westphalorum duos tresve annos permansisset, & Servienum re & operâ plurimùm adjuvisset, nondum pacis negotio peracto, rebus tamen & omnium animis in pacem inclinatis, cùm se opportunitas obtulisset, Parisios rediit. Paulò pòst Vindocinum missus est, ubi versabatur Celsissimus Princeps Dux Mercorius, qui posteà Vindocinensis fuit, ac demùm S. R. E. Cardinalis. Is statim ejus alloquiis delectari cœpit, sæpè cum illo miscere sermonem, sæpè ab eo sciscitari de potentia Principum Europæ, de rebus Germanicis, de institutis provinciarum, de belli pacísque rationibus. Hæc & alia eum rogare quæ maximè Principem scire convenit, & quorum Cointium apprimè gnarum esse noverat. Tum fortè in Collegio Vindocinensi erat adolescens nobilis, cui ingenium supra coætaneos, judicium supra ætatem fuit. Is ut peramans litterarum erat, sub disciplina Cointii res patriæ & populorum Historiam addiscere voluit, receptúsque ab eo adeò profecit, ut in his etiam doctiores vel æquaret, vel anteiret. Magnifica de eo solebat Cointius prædicere: præsagium eventus comprobavit; nam posteà eum summos togæ & urbis Magistratus ex Regis sapientissimi judicio adeptum, atque iis muneribus præclarè perfunctum esse vidimus, & quotidie admiramur.

Paulò pòst Parisios revocatus est, exinde Ædes Sammaglorianas habitare cœpit, & seriò de condendis Annalibus Ecclesiasticis rerum Francicarum cogitare: hoc consilium jamdiu conceperat animo. Legi epistolam quam ad Alexandrum VII. PP. misit simul cum uno ex Tomis Annalium, aiebat mittere se

hoc ipsum opus de quo illi anteà Monasterii Westphalorum locutus fuerat. Jam inde cùm Rhetoricam doceret, secum expendere cœpit quàm magnificæ essent res Francorum, quàm præclara tam in Ecclesia Gallicana, quàm in Ecclesiis ditioni Francicæ subjectis gesta essent; tum reputans neminem singulari volumine scripsisse quidquam de iis, Annales edere constituit. Post iter Monasteriense cùm Vindocini versaretur, ordinare materiam primùm cœpit, tum seriò scribendo in domo Sammagloriana appellere animum, exorsus Annales ab origine Regni Francorum in Galliis. Aliqui eum criminari sunt, quòd ab iis temporibus fecisset initium, omissis originibus Ecclesiarum. Verùm cùm vir illustrissimus Franciscus Bosquetus, tum Prætor Narbonensis, ac deinde Episcopus Montispessulani hanc materiam pertractasset, & se collectis compluribus actis retractaturum promitteret; haud mirum est, cur Cointius actum agere noluerit, & rem doctè pertractatam iterùm recudere. Adde quòd Annales condere instituerat in honorem Francicæ gentis. Cùm variis temporibus variæ Francis fuissent provinciæ, si se Galliarum finibus continuisset, omittenda fuissent quæcumque gesta sunt in Germania & in Italia à nostratibus & populis qui Francorum Imperio parere cœperant, & multa adjicienda, quæ nostratium non erant, sed ad Burgundiones & Gothos pertinebant. Demùm animadvertebat Cointius obscuras esse nostrarum Ecclesiarum origines, pluribus involutas traditionibus aut dubiis aut falsis, ex quibus expedire se haud erat facile sine offensa & Ecclesiarum & populorum, qui jam diu his imbuti opinionibus, pro iis tanquam pro aris & focis certare non dubitant. His aliisque impulsus rationibus ab anno CDXVII. Annales suos incœptos esse voluit, quo anno arbitratus est cœptum à Faramundo Regnum Francorum in Galliis; eos autem continuavit ad annum DCCCXLV. quo tempore regnabant filii Ludovici Pii Lotharius Augustus, Ludovicus Bojoariæ Rex, & Carolus Rex Aquitaniæ, qui Calvus posteà dictus est. Historiam quadringentorum annorum & ampliùs octo Tomis comprehendit, longiúsque continuasset Annales, si longior illi vita contigisset. Multi sæpè conquesti sunt quòd in longum nimis opus protraxisset. Mallem sanè in pauciores Tomos contractum. Si quis tamen rem attentiùs consideret; si multitudinem rerum, si Regum nostrorum acta, si Ecclesiarum & Monasteriorum fundationes & antiqua monumen-

ta, si Episcoporum & Abbatum gesta, si Synodos & Concilia, si quod cuique magnificum accidit, si Auctores quos emendavit, litteras veterésque chartas quas aut approbavit aut rejecit, si quæstiones quas pertractatas & in modum dissertationum scriptas esse oportuit, & alia infinita ejusmodi inspicier; is facilè Cointium excusabit, imò & laudare incipiet, quòd ad summam singularémque diligentiam nihil reliqui fecerit. Horum Annalium occasione aliquot cum viris doctis concertationes habuit, quarum unam aut alteram paucis hic referam.

Prima concertatio fuit cum viris doctissimis Ordinis Sancti Benedicti. Cùm enim D. Dacherius & D. Mabillonius legerent apud Cointium Regulam quidem Sancti Columbani diversam fuisse à Regula Sancti Benedicti, neque ante octavum sæculum permisceri conjungíque cœpisse, ægrè id tulerunt, quoniam eo modo Cointius ex actis Sanctorum sui Ordinis expungeret multorum Sanctorum memoriam, quos existimabant docti illi Asceta fuisse Ordinis Sancti Benedicti, factâ, ut credebant, conjunctione Ordinum Sancti Benedicti & Sancti Columbani statim post Matisconense Concilium, id est statim post annum DCXXV. Ne igitur egregia suæ familiæ decora sibi impunè auferri finerent, scripserunt adversùs Cointium in Præfatione secundi sæculi Sanctorum sui Ordinis. Cúmque Cointius quarto Tomo Annalium his doctissimè respondisset, iterùm Cointium refellere moliti sunt in Præfatione secundæ partis tertii sæculi, quo tempore novus accessit his commilito D. Philippus Bastidius, qui adversùs Cointium longo sermone de propagatione sui Ordinis disseruit. Cointius relictis duobus adversariis quos refutatos quarto Tomo credidit, adversus novum integrúmque adversarium omnia tela intendit, & Tomo quinto egregiè eum refellere instituit: posteà pugna conquievit, relicto posteris de victoria judicio. Sanè Cointius Benedictino Ordini æquior fuit quàm Henschenius, aut Pappebrochius, qui in actis Sanctorum Monasteria Sancti Benedicti & Sancti Columbani coaluisse non censent nisi post Synodum Aquisgranensem, anno scilicet DCCCXVII. Cointius enim, cùm legeret in Synodis Germanicâ & Leptinensi annis DCCXLIII. & DCCXLIV. de ea conjunctione actum fuisse & in quibusdam Monasteriis Sancti Columbani jam anteà susceptam Sancti Benedicti Regulam, ex æquo rem æstimans circa initia sæculi octavi

cœptam fuisse Ordinum conjunctionem asserere haud dubitavit. Cæterùm hæc controversia amicè peracta est, adeò ut Dacherius & Mabillonius studio quidem Ordinis & veritatis, Cointius solo amore veritatis, & utraque pars sine obtrectatione decertasse videatur.

Altera disputatio Cointio contigit cum Francisco Chifletio Societatis Jesu, viro annis & eruditione insigni. Controversia fuit de annis Dagoberti Regis. Scriptores antiqui sedecim annorum regnum ejus fuisse scribunt; sed an initium sumi debeat à tempore quo à patre Clotario II. Regno Austrasiæ donatus est, an ab ipso patris obitu quo regere Imperium Francorum solus cœpit, id verò inter doctos disputatur. Alii enim Dagobertum asserunt obiisse anno DCXXXVIII. alii sexennio pòst anno DCXLIV. atque adeò de sex annis certamen est. Ante Hadrianum Valesium vulgò creditum est sedecim annorum exordium sumi debere à morte Clotarii: ita censuerunt viri docti Sirmondus, Bucherius, Petavius, & alii. Hadrianus verò Valesius, cùm hujus Chronologiæ singula momenta in Historia Francorum expendisset, in Hermanni Contracti sententiam ire cœpit, & cum eo scribere initium annorum sedecim Dagoberti, non à morte Clotarii, sed ab Austrasiano ejus Regno fuisse. Eamdem deinde opinionem defendere, & novis fulcire argumentis aggressus est Cointius in Annalibus Ecclesiasticis Francorum. Henschenius in Actis Sanctorum, Dacherius & Mabillonius novis modis eam stabilire in Præfatione sæculi II. Sanctorum Ordinis Benedictini. Res in eo statu erant, cùm Franciscus Chiffletius ea de re Cointium aggredi instituit, & in sententiam, cujus Cointius cum aliis doctissimis viris assertor non auctor fuerat, dissertationem scribere. Ea res cùm deinde relata fuisset ad Illustrissimum Parisiensem Archiepiscopum, ille pro sua summa humanitate quæ cum singulari doctrina conjuncta est, & cui inter ingentes Pastoralis Officii curas instar oblectamenti est doctorum hominum sedare contentiones, hanc litem componere statuit. Jussit itaque utrumque adesse, ut auditis rationibus causam ex æquo judicaret: eo modo utrique dies dictus est, habitáque collatio coram Illustrissimo Parisiensi Archiepiscopo, mense Februario, anno MDCLXXV. Aderant Reverendus admodùm P. de la Chaize Societatis Jesu, Regi à Confessionibus, & Reverendus P. Ignatius de Saillant, Præpositus Ora-

torii Parisiensis, qui modò Trecorensis est Episcopus. Quæstio moderatè & doctè ex utraque parte agitata est. Mirabantur inprimis firmum utrisque cum felicissima memoria judicium: neuter enim in actis recensendis, in computandis temporibus & adducendis rationibus vel leviter vacillavit. Demùm cùm Fredegarii & Jonæ Monachi æqualis illorum temporum testimonio præsertim se Cointius tueretur, & nodum hunc Chiffletius eluderet, non solveret, potiores partes etiam ex judicio sapientissimi Pontificis Cointius habere visus est. Haud tamen Chiffletius ab opinione tuenda destitit: etenim post obitum Cointii dissertationem, omissâ collationis mentione, de eodem argumento edidit, cui haud dubiè respondisset Cointius, si fuisset superstes. Extant in Tomo tertio Analectorum duæ D. Mabillonii dissertationes eruditissimæ, ubi validissimis argumentis Valesii & Cointii sententiam approbat, & explodit opinionem à Chiffletio defensam. Ea omnia Lector consulat si lubet: neque enim mihi cursim res Cointii delibanti de iis in longum differere propositum est; sed tantummodò annotare, ut fit in Elogio, quæ Cointio feliciter acciderunt. Cointius octo Tomos Annalium scripsit, ex quibus septem integros ipse edidit; octavus sub prelo calebat, & usque ad quadringentesimam paginam & ampliùs perductus erat, cùm mors ejus studia interrupit. Unus ex amicis rem perfecit. Cùm & ipsum mala valetudo affecisset, alter illi suffectus est qui Indicem posteriorem ex Tomis Cointianis descripsit. Demùm cùm toto anno Cointius malâ fuisset usus valetudine, & vis morbi ingravescere cœpisset, condito testamento, & Deo piè persolutis quæ pietatis & Religionis erant Christianæ, diem obiit anno MDCLXXXI. XV. Calend. Februarii.

Carolo Cointio dotes bonæ fuerunt, mores optimi, eximiáque animi ornamenta. Annis juvenilibus quibus alii ludis futilibus, aut sæpè voluptatibus perdere ætatem solent, studiis ipse aliisque bonis artibus occupare. Certè quamdiu egit in Congregatione Oratorii bonis rebus instruere animum solebat, singulis diebus aliquid è scripturâ legere, preces diurnas attentiùs recitare, & ut decet Presbyterum statis horis quotidie Sacrum peragere, & pias suæ institutionis exercitationes exequi diligenter, adeò ut & in his exemplo aliis esse posset, nemini nocere, benefacere omnibus. Cùm moriturum coram omnibus Præpositus hortaretur, ut veniam generatim

neratim posceret, si quem fortè læsisset: *Posco, inquit, si quem tamen læsi, sed nemo, quod sciam, consultò & de industria à me offensam recepit. Sodales nostræ Congregationis ut fratres semper dilexi, Congregationem ut matrem carissimam in honore maximo semper habui.* Sanè Bibliothecæ libros benè multos intulit, & suam quam habebat Bibliothecam, post mortem unius ex amicis cui utendam reliquit, Congregationi legavit; edixítque supremâ suâ voluntate, ut quadripartitâ suâ hæreditate unam portionem haberet Domus Parisiensis, justum esse reputans, dum facultas erat, rependere beneficium Congregationi quæ diutiùs ipsum aluerat, quod suo scriptum esse voluit testamento. Si quis ad ipsum adiret, aut consulendi gratiâ, aut aliquem ex libris mutuò petendi, ille illicò, omissis studiis, neque libros suos, neque obsequium denegabat. Pauperes clanculùm juvabat: iis magnam pro facultatum ratione pecuniarum summam ex testamento reliquit. Præter tempus quod rebus pietatis impendit, reliquum studiis collocabat. Fugiebat quidem nocturnas lucubrationes tanquam inimicas studiis, & valetudini noxias, sed tota die non cessabat à legendo aut scribendo aliquid. Rarò abibat domo, aut si fortè exiret, nusquam sine comite: aliquando quidem officii, sed ferè nusquam relaxandi animi gratiâ, sæpissimè aut doctos homines, aut libros Manuscriptos consulendi. Hunc vitæ & studiorum tenorem semper servavit, si unum aut alterum annum ex postremis vitæ excipias, cùm non domo solùm, sed ex urbe sæpiùs pedem efferret, ut cælum salubrius captaret, & morbo venienti occurreret. Mirum est eo modo quantum scripserit. Octo grandiores Tomos sine amanuensium opera manu suâ descripsit. Præter alios Commentarios qui illos Tomos propè adæquant, Ephemeridem itineris Monasteriensis magno volumine composuit. Gregorium Turonicum integrum exscripsit ex codicibus ob vetustatem reverendis, vulgatum recognovit, interpolationes accuratè annotavit, variásque adjecit lectiones ex melioris notæ Manuscriptis, daturúsque erat in lucem, si notas addere licuisset. Manuscriptum hunc paulò ante obitum uni ex amicis donavit, quem, uti sperare licet, brevi editurus est. Amicitias multorum sibi conciliavit: viri & nobilitate & dignitate illustres eum suâ honorare benevolentiâ dignati sunt. Paucos ex pluribus nominabo. Trimoliæ Duci in æstimatione fuit: is sæpè ad Cointium scri-

psit, seu dum Monasterii Westphalorum versaretur, seu Parisiis degeret. Cùm Vindocini commoraretur, familiariter usus est Duce Vindocinensi, quem tum vivo patre Mercorium appellabant. Sæpè ejus mensæ assidebat, sæpè ab eo invisebatur. Quanto in pretio fuerit Illustrissimo viro Abeli Servieno suprà memoratum est. Illustrissimi viri de Pomereu, pater Magni Consilii Præses, ejúsque filius Consistorianus Comes, & in urbe Parisiensi dignissimus Præpositus Mercatorum eum amicorum numero adscribere dignati sunt. Sæpè dum Justitium erat, pater eum rus ducebat, ut amotus à turba ejus colloquiis liberiùs perfrueretur. Multorum quoque Episcoporum aliorúmque illustrium virorum amicitias comparavit: quin & Illustrissimus Parisiensis Archiepiscopus, cujus tam exquisitum judicium, quàm magna auctoritas est, eum magni faciebat, auditáque ejus morte dicebat & Ecclesiam & publicam rem jacturam fecisse. Docti viri eum mortuum luxerunt, ut vivum anteà laudaverant. Henschenius, Dacherius, Mabillonius, Baluzius, & doctissimus ipse Cardinalis Bona de eo præclaram in operibus suis mentionem fecerunt. Omnes dicere longum est. Non prætereibo tamen virum illustrissimum Joannem Baptistam Colbertum, Regi ab intimis Consiliis & secretioribus Mandatis, cui inter maxima Regni munera & negotia Litteræ & Artes curæ sunt. Hunc Cointius ut honoratissimum Mecænatem excolere solebat, & ille vicissim Cointium suâ honorare amicitiâ: sed & ejus labores remunerare primus cœpit. Illius enim beneficium est, quòd Eminentissimus Cardinalis Mazarinus illi annuum penderet, quod etiam ex ejus testamento post obitum quotannis tributum est. Alterum, ídque insigne summi Viri beneficium est, quòd innotuerit Regi Maximo, qui paulò pòst Cointium beneficentiâ regiâ cohonestare dignatus est & ejus Annales typis Regiis excudi jussit. Cointius septem gravissimis Epistolis celebrare Magnitudinem potentissimi Regis, qui, in his quibus refulget ornamentis, in tanta rerum felicitate tantísque victoriis, si is non fuisset qui in Cointium fuit, ab eo tamen ornari debuisset.

Ut demùm hoc Elogium breviter absolvam, Cointius justâ fuit corporis staturâ, sparso per faciem rubore: oculis erat cæruleis, latâ fronte, & naso ab imo paulò dilatiore, vultu læto & hilari, capite benè composito, quod ingenium ostenderet. Memoria illi felix, neque minùs judicii fuit. Bonâ va-

lerudine, nisi ultimo vitæ anno, usus est: postremis annis, venter paulò obesior; pes alter ex debilitate semper infirmior fuit, adeò ut propè claudicanti similis incederet. Amabat cum amicis confabulari: urbanitate & sæpè fabellis sermones solebat condire, adeò ut de rebus gravissimis graviter quidem & doctè, sed nihilominùs jucundè loqueretur. Inter tædia studiorum tranquillè vixit, ita pariter tranquillè è vita septuagenarius decessit.

Hoc Elogium amico de se benè merenti fecit Gerardus Dubois, Aurelianensis, Presbyter Congregationis Oratorii Domini nostri Jesu Christi, & in insigni Ecclesia Sancti Martini Turonensis Præpositus de Sodobrio.



ANNALES



ANNALES ECCLESIASTICI FRANCORUM.



OCTAVUS hic Annalium Tomus, quem ab Aquiſgranenſi Placito inchoamus, auguſtius initium ſortiri nequit. Franciæ latè victricis creſcentem in dies gloriam ab Oceano mari ad Adriaticum, à Mediterraneo ad Balticum, à Rubricato fluvio ad Egidoram, ab oſtiis fluminum Hiſpaniam inter ac Daniam in Oceanum influentium ad amnes uſque, Silarum, Cerbalum, Timachum, Tibiſcum ac Viſtulam, hilaribus oculis intueri non poſſunt hoſtes circùm poſiti. Horum alii lapſi ſunt in hæreſim, alii vel Mahumetis deliria ſectantur, vel idolis nuncium nondum remiſerunt. Omnes, quamvis inter ſe cultu Religionis valdè diſpares, nomen averſantur Francorum, qui Chriſtianam Orthodoxámque Fidem profitentur tuentúrque. Calipha Cordubenſis Marcam laceſſit Hiſpanicam, ortum eſt Francos inter ac Danos jurgium non leve, Bulgari Superiorem Pannoniam vaſtarunt, pro pace Francos inter ac Græcos firmanda Legationes intercurrunt eventu proſperi ſucceſſûs adhuc dubio. Ludovicus, ut famæ ſuæ Regnóque conſulat, non ſatis eſſe ducit, quòd exercitus in Hiſpaniam, in Pannoniam, atque in Saxoniam direxerit, Oratoréſque miſerit in Græciam & in Daniam ſpe quadam renovandi fœderis affulgente, ſed & I.

Placitum habet apud Aquisgranum exeunte anno Redemptoris octingentesimo duodetricesimo, ibique Caroli patris exemplum secutus edit Capitulare pro Conciliis celebrandis in quatuor locis, Missisque per universum Regnum delegandis. Hujus Capitularis quinque sunt partes, de quibus sigillatim agemus, anni prædicti titulo, qui prioris Tomi postremus fuit, iterum repetito, ne Chronologia vacillare videatur.

II. Porrò cùm in singulis annorum apicibus, præter Eram Christianam, adnotare soleamus annum Monarchæ qui toti Franciæ dominatur, aut annos Regum qui Franciam in plura Regna separatam gubernant, nec omittamus peculiares eorum epochas qui Regiæ dignitati nomen Imperatorium adjungunt, operæ pretium videtur partes omnes subsequentis tituli paucis explicare.

III. Ludovici Senioris quinque constituuntur epochæ; Imperiales duæ, tres Regiæ. Ambæ Imperiales in unam penè recidunt, quia prior exeunte anno DCCCXIII, posterior proximo mense Januario cœpta est. Regiæ petuntur ab anno DCCLXXXI quo Ludovicus in Festo Paschatis à patre Rex Aquitaniæ dictus est, ab anno DCCCVI quo tertiam Franciæ partem sortitus est ex voluntate patris, & ab anno DCCCXVIII quo Franciæ Monarchiam obtinuit.

IV. Lotharii quatuor ponuntur epochæ; duæ Imperatoriæ, Regiæ totidem. Imperatoriæ sumuntur ab anno DCCCXVII quo consors Imperatorii Nominis à patre factus est, & ab anno DCCCXXIII quo coronatus est Imperator à Paschale Papa in Solemnitate Paschali; Regiæ ab anno DCCCXIV quo renuntiatus est à patre Rex Bojoariæ, & ab anno DCCCXXII quo Rex Longobardiæ.

V. Pippini Regis duæ notantur epochæ, ab anno videlicet DCCCXIV quo vocatus est à patre Rex Aquitaniæ, & ab anno DCCCXVII quo confirmatus est in eodem Regno.

VI. Ludovici Junioris duæ ducuntur epochæ, ab anno DCCCXVII quo Bojoariæ Rex à patre nuncupatus est, & ab anno DCCCXXV quo missus est in Bojoariam.

VII. Denique ab anno DCCC, quo Nomen Imperatoris & Augusti Carolus Francorum Rex accepit, apposuimus Indictionis notam, quâ soli tunc Imperatores in publicis instrumentis uti consueverant.

AN. CH. 828. LUDOV. IMP. 15. LOTHAR. IMP. 12. PIPPINI R. 14. LUDOV. R. 12.

ANNUS				
CHRISTI		828.		
LUDOVICI	IMP.	15.		
	REG.	48.	23.	11.
LOTHARII	IMP.	12.	6.	
	REG.	14.	6.	
PIPPINI III.	REG.	14.	12.	
LUDOVICI	REG.	12.	3.	
INDICTIO		6.		

QUOD in secundo Gallicanorum Conciliorum Tomo commendatur tertium Ludovici Pii Capitulare, decem in capita seu decem in partes distingui solet. Conflatum est ex duobus Capitularibus, quorum unum ad annum Redemptoris octingentesimum duodetricesimum & ad Placitum Aquisgranense, alterum ad annum sequentem & ad Synodum Wormatiensem pertinet. Jacobus Sirmondus ita jam censuit in suis notis, & priori Capitulari quinque capita, posteriori totidem tribuit. Illam distinctionem sequemur. I.

Exeunte igitur anno Redemptoris octingentesimo vicesimo-octavo Ludovicus Augustus in Aquisgranensi Placito, *quando & Concilia Episcoporum quatuor in locis fieri jussit, & Missos Dominicos per universum Regnum delegavit,* Capitulare promulgavit in quinque divisum capita, quorum Indicem accipe. Primum declarat *qualiter Conventus Episcoporum fieri debeat.* Secundum *Capitula* complectitur *ab Episcopis in eisdem Conciliis tractanda.* Tertium exhibet Ludovici & Lotharii Augustorum epistolam, *quæ generaliter populo est legenda.* Quartum *Capitula* continet *ad instructionem Missorum.* Quintum repræsentat Capitula, quæ prædicti volunt Imperatores, *ut* Missi *diligenter inquirant.* De singulis capitibus per ordinem differemus. II. CAPITULARE LUDOVICI AUG. EDITUM IN PLACITO AQUISGR.

Anno sexto-decimo, regnante Domno nostro Hludowico, sive anno proximo, Redemptoris octingentesimo vicesimo-nono, *Conventus Episcoporum debet fieri in quatuor locis. Id est, in Moguntiaco, in quo isti Archiepiscopi cum eorum Suffraganeis convenire debent, Autgarius, Hadebaldus, Hetti, Bernuinus. In Parisio, Ebbo, Ragnoardus, Lantrannus, Archiepiscopus Senonis qui fuerit, cum eorum Suffraganeis. In Lugduno, Agobardus, Bernardus, Andreas, Benedictus, Agericus, cum eorum Suffraganeis. In Tolosa Notho, Bartolomaus, Adalelmius, Aiulfus, cum eorum Suffraganeis. In quibus Conventibus tractare, quærere, & cum Dei adjutorio invenire debent, de causis ad Religionem Christianam & eorum curam pertinentibus, & quid à Principibus vel reliquo populo, vel ita ut divina auctoritas docet, aut aliter teneatur, vel quid inde ex parte vel ex toto dimissum sit ut non teneatur. Deinde quid in ipsorum, qui Pastores populi constituti sunt, moribus, conversatione, & actibus inveniri possit, quod divinæ regulæ atque auctoritati non concordet, simúlque invenire qua occasiones in utroque ordine id ef-* III. QUATUOR INDICUNTUR CONCILIA.

AN. CH. 828. *fecerint, ut à recto tramite deviassent. Et quicquid ab eis de his causis inventum fuerit, tam solerti curâ custodiatur, ut nullatenus ad aliorum notitiam pervenire permittant ante tempus constitutum. Et ideo unus Notarius inter omnes eligatur, qui quod ipsi invenerint subtiliter describat, & sub juramento constrictus fideliter conservet.* Quarum Sedium Archiepiscopi fuerint, qui nominantur in hoc primo capite, dicemus infrà.

IV. CAPITULA IN CONCILIIS TRACTANDA. In secundo capite septem hæc proponuntur Capitula, in eisdem Conciliis ab Episcopis tractanda. *I. De decimis quæ ad Capellas Dominicas dantur, & hominibus qui eas habent & in suos usus convertunt. II. De fœminis, quæ in quibusdam locis irrationabiliter velamen sibi sanctum imponunt. III. Similiter de Monasteriolis puellarum in Legatione Autgarii, in quibus nullus ordo bonæ conversationis tenetur. IV. De Monasteriolis etiam diversis in Missatico Alberici. V. De judicio aquæ frigidæ. VI. De his, qui usuris inserviunt. VII. Volumus atque jubemus, ut Missi nostri diligenter inquirant, quanti homines liberi in singulis Comitatibus maneant, qui per se possint expeditionem facere, vel quanti de his quibus unus alium adjuvet, quanti etiam de his qui à duobus tertius adjuvetur & præparetur, necnon de his qui à tribus quartus adjuvetur & præparetur, sive de his qui à quatuor quintus adjuvetur & præparetur, ut eamdem expeditionem exercitalem facere possint, & eorum summam ad nostram notitiam deferant.* Ut meliùs noscas, quid in hoc capite per Legationem Autgarii, quid per Missaticum Alberici debeas intelligere, consule Tomo superiore [a] ad secundum Ludovici Augusti Capitulare, quæ dicta sunt de Missis Dominicis Legationem obituris per undecim provincias Galliarum, per utramque videlicet Germanicam, per utramque Belgicam, per quinque Lugdunenses, per Viennensem primam, & per Darantasiensem. *In Mogontia* sive in provincia Moguntina Missi Dominici constituuntur *Heistulphus Archiepiscopus* Moguntiacensis *& Ruotbertus Comes;* per provincias Lugdunensem primam, Darantasiensem & primam Viennensem, quas primariæ civitates, *Lugdunum, Tarentasia & Vienna* designant, Legationem obituri sunt *Albericus Episcopus* Lingonensis *& Richardus Comes.* Id anno Redemptoris octingentesimo vicesimo-quinto promulgatum est in Aquisgranensi Placito. Heistulphus sive Haistulpus sub finem anni proximè sequentis obiit, successit in Archiepiscopatum & Missaticum seu Legationem Autgarius sive Otgarius cujus mentio fit in capite suprà descripto. Albericus, qui Lingonensem Episcopatum obtinebat, & Lugdunensi Metropolitæ subetat, Legatione functus est per provinciam Lugdunensem primam, per provinciam Darantasiensem & per provinciam Viennensem primam, quia illarum provinciarum Archiepiscopi, Agobardus Lugdunensis, Andreas Darantasiensis & Barnardus Viennensis, talibus negotiis vacare non poterant. Hoc anno Ludovici Augusti decimo-quinto, florent Otgarius Archiepiscopus Moguntiacensis & Albericus Lingonensis Episcopus. Inter Archiepiscopos, qui Moguntiæ Concilium anno proximo celebraturi sunt, à Ludovico Augusto primus numeratur *Autgarius.* Et in Chronico Besuensi, *anno quinto-decimo Imperii Hludovici Domnus Albericus Lingonensis Episcopus emit terram de quadam fœmina, nomine Adda, & Laburdo, & Albuino, & Laibulfo, quæ sita est in loco, qui dicitur Bustellus.*

[a] Ad an. 825. n. 31.

V. In tertio capite nihil occurrit præter hanc Ludovici ac Lotharii Augustorum epistolam, *quæ generaliter populo est legenda,* ut editus præfert titulus. *In nomine Domini Dei & Salvatoris nostri Jesu Christi, Hludowicus & Hlotharius * divinâ ordinante providentiâ Imperatores Augusti, omnibus fidelibus Sanctæ Dei Ecclesiæ, & nostris. Recordari vos credimus, qualiter hoc anno consilio Sacerdotum & aliorum fidelium nostrorum generale jejunium per totum Regnum nostrum celebrare jussimus, Deùmque totâ devotione deposcere, ut nobis * propitiari & in quibus illum maximè offenderimus * nobis manifestare, & ut ad correctionem nostram necessariam tranquillum tempus nobis tribuere dignaretur.*

* Lotharius.

* nobis propitiaret in quibus

* offensum haberemus

Volueramus siquidem tempore congruo Placitum nostrum generale habere, & in eodem de communi correctione agere; & ita Deo miserante fieret, nisi commotio inimicorum sicut nostis præpedisset. Sed quia tunc fieri non potuit juxta voluntatem nostram, visum nobis fuit præsens Placitum cum aliquibus ex fidelibus nostris habere, & in eo de his, quæ propter prædictum impedimentum remanserunt, qualiter ad effectum pervenirent, Domino adjuvante considerare. Quapropter nosse volumus solertiam vestram, quòd in isto præsenti Placito cum fidelibus nostris consideravimus, ut primò omnium Archiepiscopi cum suis suffraganeis in locis congruis tempore opportuno convenirent, & ibi tam de sua quàm de omnium nostrûm correctione & emendatione secundùm divinam auctoritatem quærendo invenirent, & nobis atque fidelibus nostris secundùm ministerium sibi commissum adnuntiarent. Item consideravimus, ut Missos nostros per universum Regnum mitteremus, qui de omnibus causis, quæ ad correctionem pertinere viderentur, quanto potuissent studio decertarent, & quicquid possibile invenirent, per semetipsos nostrâ auctoritate corrigerent, &, si aliqua difficultas in qualibet re eis obsisteret, ad nostram notitiam deferre curarent. Quapropter volumus, ut vos omnes, propter communem salutem & Regni honorem ac populi utilitatem, obedientes & adjutores Missis nostris in omnibus pro viribus esse non negligatis, simúlque sciatis ob hanc causam nos velle per singulas hebdomadas, uno die in Palatio nostro ad causas audiendas sedere, ut per hunc aut illum Comitem & providentia Missorum & obedientia populi manifestius appareat. Et ut hæc omnia successum habeant, volumus ut generale triduanum jejunium secundâ feriâ post octavas Pentecostes celebrandum indicatur, & generaliter ab omnibus cum summa devotione observetur. Et quia undique inimicos Sanctæ Dei Ecclesiæ commoveri, & Regnum à Deo nobis commissum infestare velle cognoscimus, præcipimus atque jubemus, ut omnes homines per totum Regnum nostrum, qui exercitalis itineris debitores sunt, benè sint præparati cum equis, armis, instrumentis, carris, & victualibus, ut quocumque tempore eis à nobis denuntiatum fuerit, sine ulla mora exire, & in quamcumque partem necessitas postulaverit, pergere possint, & tamdiu ibi esse, quamdiu necessitas postulaverit. Ex hac epistola liquet Placitum, de quo nunc agimus, ut à generali distinguatur, rectè *privatum* nuncupari, quòd à Ludovico & Lothario *cum aliquibus* duntaxat ex eorum *fidelibus* habeatur. Et ex Annalista Laureshamensi colligimus à Meridie Saracenos, à Septentrione Danos, impedimento fuisse, ne Placitum generale Francorum hoc anno fieret. Nec dubium, quin Imperatores per *inimicos Sanctæ Dei Ecclesiæ*, quos *undique commoveri, & Regnum infestare velle* dicunt, eosdem Saracenos ac Danos intelligant, illos Mahumetanos, hos idololatras, necnon & fortè Bulgaros ac Græcos, illi enim serviunt idolis, & anno præterito superiorem Pannoniam Francicæ dominationis provinciam vastarunt, hi verò sunt Iconoclastæ, nec firmâ cum Francis pace gaudent intercurrentium Legationum exitu nondum certo. Denique Ludovicus & Lotharius non Imperii sed Regni vocabulo suas non semel designant ditiones, eas enim, quantæcumque sunt, ut Reges obtinent, ut Imperatores autem & Augusti ne vico quidem potiuntur.

AN. CH. 828. LUDOV. IMP. 15. LOTHAR. IMP. 12. PIPPINI R. 14. LUDOV. R. 12.

EPISTOLA LUDOVICI ET LOTHARII AUGG. UNIVERSO POPULO LEGENDA.

PLACITUM AQUISGR. CUR DICTUM PRIVATUM.

VI. CAPITULA AD INSTRUCTIONEM MISSORUM.

Caput quartum est de Capitulis ad instructionem Missorum. *Dicendum est illis*, inquiunt Imperatores, *quia necesse est, ut intelligamus omnes communiter, quale periculum nobis immineat, in eo maximè, quòd in nostra negligentia tanta & talia, per quæ Deus offendi potuit, & honor & honestas Regni decrescere, adhuc autem etiam aliam intellectam habemus negligentiam ex priori occasione natam, id est, quòd ipsa Legatio non ita peracta fuit, sicut ipsa necessitas deposcebat, quamquam ex parte vos dicatis nos materiam in eo dedisse, quòd non per omnia ad hanc necessitatem inquirendam plenam vobis dedissemus jussionem. Ideo summoperè tractandum est, quomodo Domino adjuvante & in præsenti de his quæ per negligentiam & incuriam depravata sunt corrigantur, & ne ultrà talia fiant sollicitè caveatur. Post hæc socii denominandi sunt, & tunc qualis de-*

AN. CH. 828. LUDOV. IMP. 15. LOTHAR. IMP. 12. PIPPINI R. 14. LUDOV. R. 12.

beat esse Legatio injungenda est. Primò injungendum est Missis, ut hoc omnimodis caveant, ne populo in eorum profectione oneri sint, ne fortè, quibus subvenire debuerint, adflictionem inferant. Ut primò nostram populo voluntatem & studium, & quâ intentione à nobis sint directi, per nostrum scriptum nuntient. Instruendi sunt etiam quid inquirant. In primis hoc maximè inquirant, quomodo hi, qui populum regere debent, unusquisque in suo ministerio se custoditum habeat, ut quâ benefaciendo gratiarum actione digni sunt cognoscamus; qui verò correctionem & increpationem pro eorum negligentiis merentur, omnimodis nobis manifesti fiant. Inquisitio autem hoc modo fiat. Eligantur per singulos Comitatus, qui meliores & veraciores sunt; &, si aliquis inventus fuerit de ipsis, qui fidelitatem promissam adhuc nobis non habeat, promittat. Et tunc instruendi sunt qualiter ipsam fidem erga nos salvare debeant. Id est, ut quicumque ex his talem causam scit in illis Rectoribus & diversis Ministris, qui populum regere & salvare debent, de quibus interrogati fuerint, qua ad populi damnum & detrimentum pertineat, & propter hoc nobis periculum animæ evenire possit & inhonoratio, omnino si salvam voluerit suam fidem & promissionem habere, manifestum faciat; &, si post talem admonitionem & contestationem, aliter quàm se veritas habeat, dixisse aliquis deprehensus fuerit, sciat se inter infideles esse reputandum. Legatio, cujus mentio fit in hoc capite, nôn alia videtur ab ea, quæ libro secundo [a] Capitularium inserta reperitur, & à nobis Tomo superiore laudata est ad annum Redemptoris octingentesimum vicesimumquintum.

[a] Capit. 25.

VII. CAPITULA DILIGENTER A MISSIS INQUIRENDA.

Ultimum caput Capitula complectitur, quæ diligenter à Missis inquiri sic ipsi volunt Imperatores. *Primò de Episcopis, quomodo suum Ministerium expleant, & qualis sit illorum conversatio, vel quomodo Ecclesias & Clerum sibi commissum ordinatum habeant atque dispositum, vel in quibus rebus maximè studeant, in spiritalibus videlicet aut in secularibus negotiis. Deinde quales sint adjutores Ministerii eorum, id est, Chorepiscopi, Archipresbyteri, Archidiaconi, & Vicedomini, & Presbyteri per Parrochias eorum, quale scilicet studium habeant in doctrina, vel qualem famam habeant secundùm veritatem in populo. Similiter de omnibus Monasteriis inquirant juxta uniuscujusque qualitatem & professionem. Similiter & de ceteris Ecclesiis nostrâ auctoritate in beneficio datis. Utrùm Episcopi in circumeundo Parrochias suas ceteras Ecclesias minores gravent, aut populo oneri sint, & si ab ipsis, aut à Ministris eorum, indebita exenia à Presbyteris exigantur. Simili modo de Comitibus inquirant, quale studium de suo habeant Ministerio, ut qui benè exinde facit cognoscamus. Si aliter facit, & hoc nosse omnino volumus. Id est, si populus per suam negligentiam & desidiam justitiâ & pace careat, aut si ipse sciens aliquid injustè factum habeat. Deinde ergo quales Ministros habeat ad regendum populum missos, utrùm justè in ipsis Ministeriis agant, aut consentiente vel negligente Comite à veritate & justitia declinent. Qua persona, vel de quibus causis culpabiles ad præsentiam nostram venire debeant, discernendum est. Exceptis Episcopis, Abbatibus, Comitibus, qui ad Placita nostra semper venire debent, isti venient, si in talibus culpis & criminibus deprehensi fuerint, quales inferiùs adnotata sunt.*

VIII. EPISTOLA ENCYCLICA LUDOVICI ET LOTHARII AUGG. PRO CELEBRATIONE QUATUOR CONCILIORUM.

Præterea ex eodem Aquisgranensi Placito à Ludovico & Lothario Augustis encyclica per Regnum directa est epistola, quæ Synodo Parisiensi anno proximo pòst celebratæ præfixa legitur, inscribitúrque de Conciliis Episcoporum habendis in quatuor civitatibus Galliarum, Moguntiaci, Parisiis, Lugduni, & Tolosæ. Ex capitibus suprà descriptis, primo & tertio, concinnata præcipuè videtur. *In Nomine Domini* &c. ut capite tertio usque ad illa verba, *secundùm Ministerium sibi commissum annuntiarent*, quibus hæc subjiciuntur. *Quis enim non sentiat Deum nostris pravissimis actibus esse offensum, & ad iracundiam provocatum, cùm videat tot annis multifariis flagellis iram illius in Regno nobis ab eo commisso desævire? videlicet in fame continua, in mortalitate animalium, in pestilentia hominum, in sterilitate penè*

AN. CH. 828.
LUDOV. IMP. 15.
LOTHAR. IMP. 12.
PIPPINI R. 14.
LUDOV. R. 12.

omnium frugum, &, ut ita dixerim, diversissimis morborum cladibus atque ingentibus penuriis populum istius Regni miserabiliter vexatum & afflictum, atque omni abundantiâ rerum quodammodo exinanitum. Nec illud etiam dubitamus ex justa vindicta illius evenire, quòd sæpè scandala per tyrannos in hoc Regno exsurgunt, qui pacem populi Christiani & unitatem Imperii suâ pravitate nituntur scindere. Nam & illud nihilominùs peccatis nostris deputandum est, quòd inimici Christi nominis præterito anno in hoc Regnum ingressi, depradationes, incendia Ecclesiarum, & captivationes Christianorum, & interfectiones servorum Dei, audenter & impunè, imò crudeliter fecerunt. Agitur siquidem justo judicio, ut qui in cunctis delinquimus, interiùs simul & exteriùs flagellemur. Beneficiis quippe Dei evidenter existimus ingrati, quoniam his non ad voluntatem Dei sed ad libitum nostrum carnalem uti invenimur, & idcircò meritò creatura Dei nobis divinitus concessa, pro Deo contra nos ingratos pugnant juxta illud, [pugnabit pro eo orbis terrarum contra insensatos.] Verùm quia tot modis vexamur, atque percutimur, ad eum, à quo percutimur, toto corde dignum necessariúmque est ut revertamur, quatenus illud Propheticum in nobis impleatur, quo dicitur, [sola vexatio intellectum dabit auditui.] Sed quia pius & clemens Dominus sic ipsum flagellum moderatur, ut non ad interitum sed potiùs ad correctionem nostram inferre videatur, debemus in conspectu ejus veraciter humiliari, & faciem illius in confessione prævenire, ejúsque pietatem pronis mentibus exorare, ut qui fecit nos justissimâ dispensatione flagella sentire, faciat nobis peccata nostra, pro quibus & iram illius provocavimus, manifestiùs intelligere, ut pòst eo miserante, prava deserendo & corrigendo, bona etiam sectando, & tota cum devotione exequendo, valeamus per spiritum humilitatis & animam contritam sacrificium Deo debitum offerre, irámque illius indignationis evadere, & per dignam congruámque correctionem, & bonorum operum exhibitionem, gratiam ejus propitiationis, licèt indigni, promereri. At quia nos magis in hoc peccasse cognoscimus, qui forma salutis omnibus esse debuimus, & omnium curam gerere, & per auctoritatem Imperialem pravorum acta, ne tantùm adolescerent, corrigere, cupimus Domino nobis propitio, in conspectu pietatis illius, per dignam satisfactionem veniam adipisci, & per saluberrimam correctionem, vel per bonum studium, quod nostrâ desidiâ & ignorantiâ hactenus neglectum est, consultu fidelium tempore opportuno, quantùm in nobis est, studiosissimè emendare, & nostram in hoc voluntatem omnibus manifestam facere. Quapropter statuimus atque decrevimus, cum consultu Sacerdotum ceterorúmque fidelium nostrorum, hujus rei gratiâ, ob placandum scilicet contra nos nobísque subjectos Domini furorem, conventus eorumdem Episcoporum in quatuor Imperii nostri locis congruentissimè fieri. Primò scilicet in Moguntiacensi urbe, ubi conveniant Metropolitani, Autgarius, Hadabaldus, Hethi, Bernuinus, cum suffraganeis suis. Secundò quoque in Parisiorum urbe, ubi futurus Antistes Senonicus, & Ebbo, Raguoardus, & Landrannus, Metropolitani cum Suffraganeis suis conveniant. Tertiò verò apud Lugdunum, ubi Agobardus, Bernardus, Andreas, Benedictus, Agericas, cum suffraganeis suis similiter conveniant. Quartò etiam apud Tolosam urbem, quò simul conveniant, Notho, Bartolomaus, Adalelmus, Agiulfus, cum suffraganeis suis. In quibus conventibus &c. ut capite primo, usque ad has voces, *quod ipsi invenerint, describat*, quibus hæ subnectuntur, *& ipse sub juramento ea quæ inventa & digesta fuerint, diligenter fideliterque conservet.* Imperatores in hac epistola per *tyrannos* Aizonem designant, cujus defectionem anno priore non reticuimus, & per *inimicos Christi nominis* qui *præterito anno* in Regnum ingressi sunt, significant cùm Saracenos quibus Aizo se junxit in Hispania, tum Bulgaros qui Pannoniam superiorem eodem anno devastarunt. Lege ad illum annum Annalistam Laureshamensem & Astronomum in vita Ludovici Pii. Quas autem clades & quibus de causis ab aliquot annis passi sunt Franci, non tantùm Imperatores in sua recitarunt epistola, sed & diabolus inter exorcismos hoc ipso anno per os obsessæ puellæ publicavit. Ac primùm de damnis illatis Re-

AN. CH. 828. LUDOV. IMP. 15. LOTHAR. IMP. 12. PIPPINI R. 14. LUDOV. R. 12.

gno Francorum sic locutus est. *Per annos aliquot cum sociis meis undecim Regnum Francorum vastavi; frumentum & vinum, & omnes alias fruges, quæ ad usum hominum de terra nascuntur, juxta quod jussi eramus, enecando delevimus; pecora morbis interfecimus; luem ac pestilentiam in ipsos homines immisimus; omnes quoque adversitates, & cuncta mala, quæ jamdiu pro meritis suis patiuntur, nobis facientibus atque ingerentibus, eis acciderunt.* Deinde interrogatus à Presbytero, quanam ei de causa fuisset hujusmodi potestas concessa, *propter malitiam*, inquit, *populi hujus, & multimodas iniquitates eorum, qui super eum constituti sunt, qui munera & non justitiam diligunt, qui plùs hominem quàm Deum metuunt, qui pauperes apprimunt, viduas & pupillos ad se vociferantes exaudire nolunt, nulli justitiam nisi mercanti faciunt. Præter hæc sunt & alia multa ac penè innumerabilia, quæ tam ab ipso populo quàm à Rectoribus ejus quotidie committuntur; ut sunt perjuria, ebrietates, adulteria, homicidia, furta, rapinæ, quæ nemo fieri prohibet, & cùm facta fuerint non est qui vindicet. Potentiares quique turpibus lucris inserviunt, & loco superiore, quem propter regendos inferiores acceperunt, ad superbiam & inanem gloriam abutuntur; odium & invidiam non tam inter extraneos quàm inter propinquos & affinitate conjunctos exercent; amicus amico non credit, frater fratrem odit, pater filium non diligit. Rari sunt qui fideliter ac devotè decimas dent, rariores qui eleemosynas faciunt. Et hoc ideo, quia quicquid Deo vel pauperibus dare jubentur, id sibi perire arbitrantur. Iniquas mensuras & injusta pondera contra Dei præceptum habere non verentur, fraude se alterutrum circumveniunt, falsa testimonia dicere non erubescunt. Dies Dominicos ac feriatos non custodiunt, sed in his, ac si in ceteris, prout voluntas eorum tulerit, operantur. Propter hæc & alia multa, quæ Deus aut præcepit hominibus ut facerent, aut prohibuit ne facerent, quia populus hic per contumaciam mandatis ejus inobediens effectus est, permissi imò jussi sumus ea facere in rebus humanis, quæ superiùs enumeravi, ut perfidia sua pœnas luant. Sunt enim perfidi atque mendaces, cùm hoc servare non curant, quod in Baptismo promiserunt.* Hæc Eginhardus in libro tertio [a] de Translatione Sanctorum Marcellini ac Petri Martyrum.

[a] Cap. 13.

IX. QUINAM EPISCOPI VOCATI AD CONCILIUM MOGUNTINUM.

In Ludovici Lothariique literis suprà descriptis, quatuor numerantur Archiepiscopi, qui Concilium Moguntiæ cum Suffraganeis suis anno proximo celebraturi sunt, *Autgarius, Hadabaldus, Hethi, Bernuinus.* Diœceses regunt, Moguntinam Autgarius sive Otgarius, Coloniensem Hadabaldus sive Hadebaldus aut Hagebaldus, Trevirensem Hethi sive Hettius, Vesontionem Bernuinus. De singulis actum suprà non semel.

X. AD PARISIENSE.

In iisdem Imperatorum literis, quatuor alii designantur Archiepiscopi, qui Concilium Parisiis anno proximo cum Suffraganeis suis habituri sunt, nempe is, qui Senonis Archiepiscopus fuerit, *& Ebbo, Ragnoardus, & Landranus.* Vacat Archiepiscopatus Senonensis. Id in Præfatione Ludoviciani Capitularis hoc anno conditi & in præcitatis Augustorum literis hæ docent locutiones, *Archiepiscopus Senonis qui fuerit*, & *futurus Antistes Senonicus.* Hoc igitur anno mortuus est Hieremias Senonensis Archiepiscopus, de quo sic Odorannus in suo Chronico. *Anno* DCCCXXVIII *obiit Hieremias Senonum Archiepiscopus.* Emendandi qui secus sentiunt, ut Tavellus qui notat annum Redemptoris octingentesimum vicesimum-nonum & Auctor [b] manuscriptus in Bibliotheca Thuanea qui scribit annum Redemptoris octingentesimum tricesimum. Quòd autem hi diem addunt, VII *Id. Decembr.* haud arguendi videntur, suas enim literas Imperatores sub ejusdem mensis finem, cùm Sedes Senonensis vacabat, ex Aquisgranensi Placito per Regnum dirigere potuerunt. Qui recensentur in iisdem literis, *Ebbo, Ragnoardus & Landranus*, Archiepiscopi sedent, Remis Ebbo sive Ebo, Rotomagi Ragnoardus, Turonis Landranus seu Landrannus aut Lantrannus. De Ebone & Landranno sæpè locuti sumus. Hîc prima fit Ragnoardi mentio, quia Willeberto nuper in Archiepiscopatum hoc ipso

[b] Cod. 165.

ipſo anno ſucceſſit. In Bibliotheca [a] enim Labbeana Chronicon Rotoma- AN. CH.
genſe ad hunc eundem annum ſic habet. *Anno Chriſti 828 Ragoardus Epiſcopatum Roth. accepit.* Willeberti ſeu Guilleberti Metropolitæ Rotomagenſis, qui Ragnoardum anteceſſit, hæc videntur eſſe Capitula, quæ Stephanus Baluzius in Appendice veterum [b] Actorum poſt ſuas ad Capitularia Notas ex Codice Thuaneo publicavit. I. *Ut unuſquiſque rectè ſuos Pſalmos decantare poſſit.* II. *Ut Epiſtolas Pauli & Evangelium ſeu Miſſalem benè & diſtinctè perlegat & intelligat.* III. *Ut in proxima Synodo unuſquiſque ſuos Canones habeat & intelligat, quia nulli Sacerdotum licet ignorare Canones.* IIII. *Ut unuſquiſque Baptiſterium ſuum habeat, & rectè baptizare poſſit.* V. *Ut Orationem Dominicam & Symbolum & Credo in unum Deum benè intelligat, & alios docere ſtudeat, etiam parvulos.* VI. *Ut Viſitationes infirmorum & agenda mortuorum rectè habeat, & intelligat.* VII. *Ut de compoto Kalendas & Lunam & terminos adinvenire poſſit.* VIII. *Ut unuſquiſque Martyrologium ſuum habeat.* VIIII. *Ut Dominicas & Feſtivitates præcipuas excolere per Gradalem ſuum & nocturnalem Canticum non ignoret.* Item hæc alia Capitula de interdictis. I. *Ut non alterius Eccleſiæ ordinatus in noſtra Parrochia miniſtrare ſine formata audeat.* II. *Ut qui proprium titulum non habet, præter illos qui in Monaſteriis converſantur, in noſtra Parrochia vel extra licentiam miniſtrare non præſumat, nec ampliùs quàm unam Eccleſiam habeat, niſi ſubjecta fuerit ſua Eccleſia.* III. *Ut in Capellis, quæ ſine dote & ſine Parrochia ſunt, nullus licentiam miniſtrandi habeat.* IIII. *Ut nullus convivium occaſione acceptâ pro mortuis adire præſumat.* V. *Ut nullus in domo ſua pro aliqua occaſione fœminam teneat, præter eam quæ Eccleſiæ deſervierit, juxta Eccleſiam collocare ſtudeat* ...... *ab Eccleſia ei domum provideat, & non per ſe ſed per Miniſtros ſuos neceſſaria præbeat.* V. *Ut vel abſque uno Clerico, nullus eſſe præſumat, neque Miſſam ſolus cantet, quia admirandum eſt qualiter poſſit dicere, Dominus vobiſcum, Surſum corda, & cetera. Neque Miſſa ullo modo celebrari poteſt abſque perceptione Corporis & Sanguinis Domini. Quiſquis hoc fecerit, conſideret qualiter poſſit dicere; Sacramenta quæ ſumpſimus, Domine, & cetera.* VII. *Ut nullus Presbyter infra unam* .... *extra Eccleſiam ſuam derelinquat, niſi acciderit aliquod inevitabile periculum.* VIII. *Ut unuſquiſque ſub* .... *aut per ſe aut per* ...... *Presbyt* .... *faciat ad populum.* VIIII. *Ut unuſquiſque in hoſpitalitate hilarem ſe præbeat &* ......
Cetera obliterata ſunt.

828. Ludov. Imp. 15. Lothar. Imp. 12. Pippini R. 14. Ludov. R. 12.

[a] Tom. 2.
[b] Act. 7.

Præter Archiepiſcopos octo, quos ſuprà recenſuimus, ab Imperatoribus alii quinque nominantur, *Agobardus, Bernardus, Andreas, Benedictus, Agericus,* Concilium Lugduni cum Suffraganeis ſuis anno proximo celebraturi. Gerunt Infulas, Agobardus Lugdunenſes, Viennenſes Bernardus, Andreas Darantaſienſes, Aquenſes Benedictus, Agericus Ebredunenſes. XI. AD LUGDUNENSE.

Denique ab iiſdem Imperatoribus Archiepiſcopi quatuor recenſentur, *Notho, Bartolomæus, Adalelmus, Agiulfus,* anno proximo Concilium cum ſuis Suffraganeis acturi Toloſæ. Notho Diœceſim regit Arelatenſem, Narbonenſem Bartholomæus, Adalelmus Burdigalenſem, Bituricenſem Aigulfus ſive Agiulfus. De Nothone & Aigulfo jam locuti ſumus. Bartholomæus in Narbonenſium Archiepiſcoporum Catalogis ponitur poſt Nifridium ſeu Nibridium, cujus mentionem ad annum Redemptoris octingenteſimum viceſimum-primum fecimus. Ad hunc Bartholomæum extat Agobardi Metropolitæ Lugdunenſis epiſtola *de quorumdam inluſione ſignorum.* Adalelmus Burdigalenſis Archiepiſcopus ab Hieronymo *Lopez* in Hiſtoria Burdigalenſis Eccleſiæ memoratur, ſucceſſit Sichario, videtúrque idem eſſe cum illo Adalelmo, qui jubente Ludovico Pio formulam Canonicæ Inſtitutionis ad eundem Sicharium tunc Archiepiſcopum anno Redemptoris octingenteſimo decimo-ſeptimo detulit. XII. AD TOLOSANUM.

Regnante Pippino, Caroli Magni patre, poſtquàm provincia Narbonenſis ad Francorum dominationem acceſſit, obſervavimus intra Gallias, XIII.

AN. CH. 828. LUDOV. IMP. 15. LOTHAR. IMP. 12. PIPPINI R. 14. LUDOV. R. 12.

quæ tunc integræ Francis parere cœperunt, octodecim esse Metropoles. Ludovicus & Lotharius septemdecim in suis literis complectuntur, cur duodevicesimam omittant, manet inquirendum. Universam Galliam quatuor distinguunt in partes, ut anno postero totidem Concilia celebrentur, unum Moguntiaci, Parisiis alterum, tertium Lugduni, quartum Tolosæ. Vocant ad Concilium Moguntiacense quatuor Archiepiscopos, Moguntinum, Coloniensem, Trevirensem, ac Vesontionensem; ad Parisiense quatuor pariter Archiepiscopos, Senonensem, Remensem, Rotomagensem, ac Turonensem; ad Lugdunense verò quinque, Lugdunensem, Viennensem, Darantasiensem, Ebredunensem, & Aquensem; denique ad Tolosanum quatuor, Arelatensem, Narbonensem, Burdigalensem, & Bituricensem. Nullam provinciæ Novempopulanæ sivæ Elusanæ vel Aquitaniæ tertiæ mentionem faciunt, quia Metropolis Elusa jacet diruta, vicinóque Metropolitæ Burdigalensi subest cum reliqua Novempopulania.

XIV. LOTHARIUS ELNONENSIS ÆDITUUS OBIT. a Die 6. Febr.

In manuscripto Codice Blandiniensi post vitam Sancti Amandi legitur Elnonensis Monasterii breve Chronicon, quod ab anno Christi septingentesimo quadragesimo-primo ad nongentesimum undecimum perducitur. Joannes Bollandus [a] Historiæ Translationis & Elevationis corporis Sancti Amandi brevissimum subjecit supradicti Chronici fragmentum ad annum usque Redemptoris octingentesimum quinquagesimum-quintum. In illo fragmento hæc notantur: DCCCXXVIII *Lotharius Custos obiit.* Hic Elnonensis Monasterii Custos sive Æditulus corpus elevavit Sancti Amandi; sed quonam anno, manet incertum.

XV. CHRONOLOGIA MILONIS ELNONENSIS MONACHI REFELLITUR.

Milo in Sermone de prædicta Elevatione Monachum se profitetur Elnonensem, & ea quæ narrat ait se audivisse *à Patribus qui his interfuerunt & adhuc numerosi supersunt.* Deinde annum Dominicæ Incarnationis octingentesimum quinquagesimum-quintum cum anno centesimo nonagesimo-quinto post obitum Sancti Amandi & quadragesimo-septimo post corporis Elevationem sic componit. *Ab Incarnatione Domini octingentesimo quinquagesimo-quinto, à transitu verò Beatissimi Amandi centesimo nonagesimo-quinto, atque ab Elevatione corporis ipsius quadragesimo-septimo, die vigesimo mensis Septembris, celebritas anniversaria sæpedicta Elevationis illius imminebat.* In eodem quoque Sermone prædictam Elevationem consignat *anno Verbi carnem-facti, scilicet filii Dei pro salute ac redemptione humani generis incarnati, octingentesimo nono, qui erat annus à transitu viri Dei Amandi centesimus quinquagesimus.* Super Elevationis anno non dissentit Auctor Elnonensis Chronici; DCCCIX *elevatum est corpus S. Amandi.* Sed Milonis auctoritas, quâ Chronographus Elnonensis aliique recentiores nituntur, in multis peccat. Beatus Amandus ex hac vita discessit anno Christi sexcentesimo septuagesimo-nono. Si corpus ejus elevatum est anno pòst centesimo quinquagesimo, facta est Elevatio vel hoc anno, Redemptoris octingentesimo duodetricesimo, si Milonis textus de annis incompletis accipi debet, vel anno sequenti, si Milo de annis completis loquitur, deinde in eadem computatione annus post illam Elevationem quadragesimus-septimus cum anno Redemptoris octingentesimo septuagesimo-quarto, vel cum uno è duobus proximè sequentibus coincidit. Prætereà corrigendus est Milo, cùm ait Sanctum Eligium *adhuc humanis rebus* superfuisse, quando Reliquiæ Beati Amandi post *sexdecim annos* ab ejus obitu translatæ sunt in novam Basilicam tum dedicatam.

XVI.

Si conjecturis agere licet, Elevatio Sancti Amandi vel anno Christi septingentesimo nonagesimo-tertio facta est, vel in annum Redemptoris octingentesimum vicesimum rejici debet. Utroque illorum annorum juges per autumnum pluviæ fuerunt. Lege Tomo sexto, quæ dicta sunt ad annum Christi septingentesimum nonagesimum-tertium. Fossa, quæ tunc *inter Radantiam & Alomonum fluvios* à Carolo Rege ducebatur, *propter ju-*

ges pluvias perfici non potuit. Et ad annum Redemptoris octingentesimum vicesimum Annalista Laureshamensis ita scribit. *Hoc anno propter ingentes pluvias & aerem humore nimio resolutum, magna incommoda contigerunt. Nam & hominum & boum pestilentia tam immaniter longè latèque grassata est, ut vix ulla pars totius Regni Francorum ab hac peste immunis & intacta posset inveniri. Frumenta quoque & legumina imbrium assiduitate corrupta vel colligi non poterant, vel collecta computrescebant. Vinum etiam, cujus parvus proventus eodem anno fuit, propter caloris inopiam acerbum & insuave fiebat. In quibusdam verò locis ex inundatione fluminum aquis in plano stagnantibus autumnalis satio ita impedita est, ut penitus nil frugum ante verni temperiem seminaretur.* Fortè Milonem ad alterutram inundationem respicere non temerè dices. *Plurima*, inquit, *ultra solitum aquarum inundatio facta, multis in locis metas suas excesserat, atque circumjacentes fluminibus agros damnosâ segetum vacuatione nudaverat. Quod periculi malum adeò usque excreverat, ut etiam incolæ fluminibus proximi habitacula avita cogerentur deserere, & in sublimioribus colliculis, donec decrescerent, mutatis tabernaculis habitare. Hac verà excrescentium aquarum copia de die in diem, augmento imbrium intumescens, etiam oras fluvii vocabulo Scarp nimietate suâ impleverat, qui Beatissimi Patroni nostri Amandi tumulo penè contiguus non amplius ab eo quàm viginti passibus distabat. Qui quotidiano cremento superaffluens in tantùm excrevit, ut ad sacrosanctam sacratissimi corporis sepulturam accederet, atque omne illud Ædiculæ ipsius spatium, quod circa pedes adjacet, superfusis aquis impleret, siccúmque pergentibus ibi gradiendi iter negaret. Hujus itaque incommoditatis tristis eventus, Monachorum animis mœrorem non modicum intulit, præcipuè verò venerabilem Lotharium, sacri Templi illo in tempore Ædituum non mediocriter perculit. Cujus sagacis animi industriam, operúmque efficaciam, & copia librorum nostro Archivo indita, ac totius Cœnobii in meliùs augmentata, etiamsi humana lingua taceat, fabricæ structura clamat. Hic igitur insoliti permotus novitate diluvii secum cœpit pertractare mente sagaci, quibus modis imminenti succurreret periculo, aut tali ac tanta perniciei quali obsisteret suffragio. Sollicitus enim erat, ne usque ad pretiosissimi thesauri depositum, sacri videlicet Patris corpusculum, eadem aquarum affluentia penetraret, atque ipsum circumfluâ humectatione & improbo ausu contingendo violaret. Tandem ergo ancipiti dubietate submotâ ad hoc se salubre consilium sustulit, divino, ut credi decet, instinctu animatus, quatenus ipsam sacri corpusculi urnam de inferioribus ad altiora subrigeret, eamdémque deinceps ab omni hac alluvione tutissimam, limosáque palude secretissimam, suâ provisione redderet.*

AN. CH. 828. LUDOV. IMP. 15. LOTHAR. IMP. 12. PIPPINI R. 14. LUDOV. R. 12.

XVII. Si propter stupendam inundationem, quam ad annum Redemptoris octingentesimum vicesimum Annalista Lauresbamensis, & post eum Fuldensis, Bertinianus, Metensis, aliique recentiores observarunt, Elevationem Sancti Amandi credis illo anno consignandam esse, Chronologicos Characteres Milonis in hunc modum emenda. Milo Sancti Amandi felicem ad Deum transitum multis annis antevertit, videtúrque usus rotundo numero, cùm annum Elevationis centesimum quinquagesimum ab ejus obitu numeravit. In nostra sententia restituendus est annus centesimus quadragesimus-primus. Quod attinet ad annum post factam Elevationem quadragesimum-septimum, quem Milo cum anno Redemptoris octingentesimo quinquagesimo-quinto componit, anni quadragesimi-septimi loco reponendum censemus annum tricesimum-quintum. Certè Milo, cùm in Festo Elevationis Miraculum enarrat anno Redemptoris octingentesimo quinquagesimo-quinto patratum, nec illa de re tanquam nupera loquitur, Sermonem, quem examinamus, habuisse non videtur ante annum Redemptoris octingentesimum sexagesimum, id est, secundùm nostros calculos ante annum quadragesimum post Elevationem Sancti Amandi. Talis autem intercapedo temporis non malè convenit cum hac Milonis periodo jam allegata. *Hæc nos cùm à Patribus, qui his interfuere, & adhuc*

AN.CH. 828. *numerosi supersunt, audissemus frequenti sermone narrantibus, silentio nequaquam infructuose tegere permissi sumus.*

XVIII. At prædictam Elevationem in annum Redemptoris octingentesimum vicesimum rejici non sinit hoc Alcuini Carmen.

Dum sacra præsentis pervadit limina Templi,
Sæpiùs accrescens cumulatur gurgite flumen.
Non tulit Arnonus fœdari Templa Sacerdos.
Jusserat in melius renovari hæc omnia Præsul,
Latior ut fieret crypta, & sublimior istâ,
Supponens tectis firmatos ter quater arcus,
Mysticus ut totam firmaret calculus aulam.
Parvula præcelso consecrans tecta Ministro
Michaëli, cœli Christi qui adsistis in arce,
Atque preces offert Sanctorum Rege polorum.
Hlotharius Custos fecit mundante Magistro.
Semper in æternum Christus conservet utrosque.
Qui legit hos Versus, dicat, rogo, pectore puro;
Alcuino veniam scelerum da, Christe, precamur.

XIX. In dubium vocare non licet, quin hi Versus exponant Elevationem Sancti Amandi, de qua nobis hîc sermo. In hanc sententiam conspirant inundatio Scarpi fluminis, & Lotharii Custodis sive Æditui nomen. Deinde in præcitato Carmine, quod numero est quinquagesimum-quartum, Elnonensem Ecclesiam designari vel ex eo liquet, quòd epigrammata quæ præcedunt subsequuntúrque, à quinquagesimo-primo ad sexagesimum-quintum, tota spectant ad Elnonense Monasterium. Ex Carmine sexagesimo-quarto placet duos duntaxat Versus exscribere, qui manifestissimè testantur Alcuinum non de alia Basilica quàm de Elnonensi locutum esse.

Antistes humilis Domini devotus honore
Arnonus Sancti tumbam renovavit Amandi.

XX. Joannes Mabillonius Alcuinum, cujus obitum anno Redemptoris octingentesimo quarto sub initium superioris Tomi consignavimus, anno Redemptoris octingentesimo nono, quo factam Elevationem Sancti Amandi contendit, in vivis superstitem asseruit, imò ad annum Redemptoris octingentesimum decimum-quintum pervenisse, vel octingentesimum decimum saltem excessisse scripsit in prima parte Seculi quarti Benedictini. Sed re diligentiùs examinatâ mutavit opinionem, & ad calcem istius partis inter additiones & correctiones mentem suam sic explicuit. *Quæ hactenus retuli de anno, quo Alcuinus vitâ functus est, difficultatem habent quidem: at præferenda est vita ejus auctoritas ab homine æquali profecta, maximè cùm ei suffragentur veteres Annales, non solùm rerum Francicarum sed etiam Germanicarum. In his plurimùm apud me valent Annales Fuldenses veterrimi, quos novos appellat Lambecius in Tomo 2. Bibliothecæ Cæsareæ, ubi typis excusi sunt. Porrò Alcuini obitum ad Caroli Magni annum Regni* XXXVI, *qui Christiano* DCCCIV *respondet, ita referunt isti Annales.* XXXVI. *Alcuinus* XIIII *Kal. Maii obiit. Hoc proinde anno ejus obitus indubitanter collocandus est.* Tria produxerat argumenta, quibus opinionem suam tueretur, ita tamen, ut primo dumtaxat videretur inniti, quia cetera propositis objectionibus penè diluerat, ut Lector facilè judicabit. Quod autem primo loco protulerat, illud sumpserat ex Elevatione Sancti Amandi, quam ad annum Redemptoris octingentesimum nonum ex Milonis Elnonensis Monachi scriptis & ex Elnonensi Chronico satis confirmatam arbitrabatur. At Alcuinus non dicendus est vitam ad annum usque Redemptoris octingentesimum nonum produxisse, quia prædictæ meminit Elevationis, sed eadem Elevatio, quia laudata reperitur ab Alcuino, facta censeri debet ante annum

AN. CH. 828.

Redemptoris octingentesimum quartum quo decessit. Auctores, quos super obitu Alcuini consuluimus, Miloni præstant, qui Chronographum Elnonensem aliósque recentiores Elnonensium rerum Scriptores fefellit.

XXI. ELNONENSIUM ABBATUM CATALOGUS ET CHRONOLOGIA.

In Chronico Elnonensi post Gilbertum, cujus mentionem sub Pippino Rege fecimus, hi sequuntur Abbates, Agelfredus, Arno, Adalricus, Rotfridus, & Adaleodus. In dissertatione de secunda Elevatione Sancti Amandi, quam Mabillonius quarto Seculo Benedictino nuper inseruit, Agelfredus Monachus Elnonensis, dein Bavonianus Abbas, pòst Elnonensis decimus-quintus, ac demum Leodiensis Episcopus prædicatur. Tum de proximis successoribus hic Elnonensis Chronographi textus subjicitur. *Successit Arno Elnonensis Monachus, vir bonus, & exemplo multos ad virtutem provocavit, qui pòst in Archiepiscopum electus est. Ejus tempore floruit venerabilis Lotharius Æditus Ecclesiæ, qui propter aquarum abundantiam corpus beati Amandi anno circiter* CL *à depositione ipsius, anno verò Incarnationis* DCCCX, XII *Kal. Octob. elevavit. Obiit autem venerabilis Arno Archipræsul anno* DCCCXXI, *& in Ecclesia Sancti Petri sepelitur. Quo Episcopo consecrato fit Abbas Adalricus. Quo defuncto, anno* DCCCXIX *successit Rotfridus. Quo sancto fine defuncto, anno circiter nono administrationis suæ, Dominicæ Incartionis* DCCCXXVII, *anno scilicet quo Corpus Sancti Sebastiani de Roma Suessionis transfertur, successit Adaleodus venerabilis memoriæ.* Hæc distinctiùs examinanda. Chronographus enim Elnonensis in rebus, quæ vel ad finem octavi seculi vel ad initium sequentis pertinent, validæ non est auctoritatis, quia vivebat seculo decimo-tertio, suámque lucubrationem ad annum usque Christi millesimum ducentesimum tricesimum perduxit.

XXII.

Agelfredus sive Agilfridus Episcopatum Leodiensem anno Christi septingentesimo duodeseptuagesimo post Folerici mortem suscepit. Factus est etiam Bavonianus seu Gandensis Abbas Carolo & Carolomanno Regibus. Utrumque munus ad obitum usque, sive ad annum usque Christi septingentesimum octogesimum-quartum gessit. Lege Tomis quinto & sexto, quæ scripta sunt de illo ad annos octavi seculi, sexagesimum-octavum [a], septuagesimum [b], & octogesimum-quartum [c]. Quod ad Elnonem attinet, Gilbertus seu Gilebertus Noviomensis ac Tornacensis Episcopus & Elnonensis Abbas obiit anno Christi septingentesimo octogesimo-secundo, ut Tomo sexto [d] ad illum annum probavimus. Successit in Episcopatum Pleon seu Pileon aut Plereon, in munus Abbatiale qui Leodiensis Episcopus & Bavonianus seu Gandensis Abbas jam erat Agilfridus, fuit igitur hic Elnonensis Abbas postremo tantùm vitæ suæ biennio, id est, ab anno Christi septingentesimo octogesimo secundo, ad septingentesimum octogesimum-quartum, quo desiit in vivis esse.

[a] Num. 49.
[b] Num. 17.
[c] Num. 24.
[d] Ad an. 782 n. 14.

XXIII.

Arno, Alcuino Arnonus, qui post Agilfridum Elnonensis Abbas fuit, in Elnonensi Chronico perperam cum Arnone Salisburgiensi Archiepiscopo confunditur. Anno Christi septingentesimo octogesimo-primo, cùm Gilbertus Abbas, Agilfridi decessor, Elnonensi Monasterio præerat, obiit Bertricus Salisburgiensis Episcopus & Sancti Petri apud Salisburgum Abbas. In utramque dignitatem successit Arno. Hic ex Episcopo factus est Archiepiscopus Salisburgiensis seu Bojoariæ Metropolitanus Episcopus anno Christi septingentesimo nonagesimo-octavo, munus Abbatiale posteà dimisit, incertum quo anno, vitámque clausit anno Redemptoris octingentesimo vicesimo-secundo. Hæc suis locis [e] accuratè probata sunt. Ab hoc igitur Arnone Metropolitano Salisburgiensi distinguendus est Arnonus Elnonensis Abbas, qui regimen Monasterii post Agilfridi mortem anno Christi septingentesimo octogesimo-quarto suscepit, eodémque floruit tempore, quo corpus Sancti Amandi, propter inundationem Scarpi, Lotharius Æditus elevavit. Joannes Mabillonius, cùm agit de hac Elevatione, laudat Chronicon Elnonense, creditque [f] *Arnonem*

[e] Tomis 6. 7.
[f] Sec. 4. Benedict. part. 1. pag. 64.

AN. CH. 828. LODOV. IMP. 15. LOTHAR. IMP. 12. PIPPINI R. 14. LUDOV. R. 12.

Abbatem Elnonensem *perseverasse usque ad annum* DCCCIX, *quo ejus curâ & jussu Lotharius Æditiuus Corpus Sancti Amandi ex humiliori tumulo in altiorem extulit.* Sed hoc eidem Chronographo refragatur asserenti, quòd, Arnone in Episcopum consecrato, statim Abbas Elnonensis factus est Adalricus. *Quo*, inquit, *Episcopo consecrato fit Abbas Adalricus.* Deinde Mabillonius paulò pòst [a] ad Diploma, quod Adaleodus Elnonensis Abbas III *Kal. Julii, anno* VIIII *Imperii Domni Hludovici Piissimi Augusti, Indictione* XV, sive anno Redemptoris octingentesimo vicesimo-secundo pro Monachis Elnonensibus obtinuit, observat eundem Adaleodum *jam istius Monasterii Abbatem fuisse contrà quàm legitur in Chronico Elnonensi.* Chronographus enim Elnonensis Adalricum & Rotfridum, qui post Arnonum Elnonenses Abbates exstiterunt, mortuos affirmat, illum anno Redemptoris octingentesimo undevicesimo, hunc anno Redemptoris octingentesimo vicesimo-septimo. Tum subjicit Adaleodum. De tribus his Abbatibus nobis hic distinctiùs agendum, quia vitam clausit Adalricus ante annum Redemptoris octingentesimum decimum-nonum, mortuus est quoque Rotfridus ante annum Redemptoris octingentesimum vicesimum-septimum, & Adaleodus ante illos curam Monasterii suscepit.

[a] Ibid. pag. 67.

XXIV. Adalricus Abbas ad annum Redemptoris octingentesimum decimum-nonum haud pervenit. Rotfridus enim ejus successor Abbatiale munus ineunte anno Redemptoris octingentesimo nono jam gerebat, ut mox probaturi sumus. Hic tantùm observa quàm graviter aberrent à recta Chronologia, qui prædictam Sancti Amandi Elevationem anno Redemptoris octingentesimo nono factam contendunt sub Arnono Abbate Adalrici decessore.

XXV. Rotfridus in Elnonensi Chronico superiùs allegato fit Abbas post Adalrici mortem anno Redemptoris octingentesimo decimo-nono, moritúrque anno circiter nono administrationis suæ, Dominicæ autem Incarnationis octingentesimo vicesimo-septimo. Sed longè aliter instituenda est Chronologia. Ineunte anno Redemptoris octingentesimo nono Eardulfum Nordanhumbrorum Regem, qui superiore anno patriâ Regnóque pulsus fuerat, in Regnum reduxerunt Legati cùm Leonis Papæ Tertii tum Caroli Magni. Duo missi sunt Abbates à Carolo. *Rex Nordanhumbrorum*, inquit Annalista Loiselianus, *de Brittannia Insula*, nomine Eardulfus, *Regno & patriâ pulsus, ad Imperatorem, dum adhuc Noviomagi moraretur, venit, & patefacto adventûs sui negocio Romam proficiscitur. Romáque rediens, per Legatos Romani Pontificis & Domni Imperatoris, in Regnum suum reducitur. Præerat tunc temporis Ecclesiæ Romanæ Leo tertius, cujus Legatus ad Brittanniam directus est Addulfus Diaconus de ipsa Brittannia natione Saxo, & cum eo ab Imperatore missi Abbates duo.* Hæc quamvis à veteribus Annalistis & Biographis ad annum Redemptoris octingentesimum octavum referantur, pertinent tamen partim ad illum annum, partim ad sequentem, ut probavimus ad annum Redemptoris octingentesimum nonum. Nec aliter censet Annalista Fuldensis. Ad annum enim Redemptoris octingentesimum octavum sic habet. *Eardulfus Nordanimbrorum Regno & patriâ pulsus, ad Imperatorem venit, & patefacto adventûs sui negotio Romam proficiscitur.* Deinde ad annum Redemptoris octingentesimum nonum, sic. *Eardulfus Rex Nordanimbrorum in Regnum reductus est per Legatos Imperatoris & Leonis Papæ.* Abbates, quos Carolus in Britanniam direxit, ab Annalista Metensi vocantur *Rotfridus & Nantharius*, id est, Rotfridus Elnonensis & Nantharius Sitivensis seu Bertinianus. Hic est Nantharius Secundus, qui Sitivense Monasterium per annos quatuordecim ab anno Redemptoris octingentesimo quarto ad octingentesimum duodevicesimum gubernavit, & ab antiquis Auctoribus Abbas *de Sancto Otmaro* sive *Othmaro* vel *Odmaro*, & *de Cœnobio Sancti Bertini* dictus inveni-

tur. Rotfridus verò, quem alii Rothfridum, Rutfridum, Rucfridum, & Hruotfridum vocant, non alius est à Rorfrido, quem Elnonensis Chronographus Abbatem Elnonensem; Adalrici successorem, & Adaleodi decessorem agnoscit. Erat igitur Rotfridus Abbas Elnonensis anno Redemptoris octingentesimo nono, nec ad annum Redemptoris octingentesimum vicesimum-septimum pervenit, Præfecturam enim annis duntaxat octo completis gessit. AN. CH. 828. LUDOV. IMP. 15. LOTHAR. IMP. 12. PIPPINI R. 14. LUDOV. R. 12.

Adaleodus in Elnonensi Chronico fit Abbas anno Redemptoris octingentesimo vicesimo-septimo. Sed cum multò citiùs Abbatem fuisse cùm ex Diplomate Ludovici Augusti jam citato tum ex annis Rotfridi colligimus. In Ludoviciano Diplomate, quod tertio Kalendas Julias, anno Ludovici Augusti nono, Indictione decimâ-quintâ, sive anno Redemptoris octingentesimo vicesimo-secundo datum legitur, mentio fit Adaleodi jam Abbatis. Imò Rotfridus ejusdem Adaleodi decessor non excessit annum Redemptoris octingentesimum decimum-septimum, erat enim Abbas ineunte anno Redemptoris octinginresimo nono cùm profectus est in Britanniam, & Monasterium annis duntaxat octo completis administravit, ut dictum suprà. Ergo Adaleodi promotio ad Abbatialem Dignitatem post annum Redemptoris octingentesimum decimum-septimum rejici nequit, potest autem citiùs admitti, quia non liquet quotus Rotfridi Abbatis fuerit annus Redemptoris octingentesimmus nonus. XXVI.

Si prædictam Elevationem Sancti Amandi revocaveris ad annum Christi septingentesimum nonagesimum-tertium, quo Alcuinus relictâ Britanniâ in Franciam ad Carolum Regem venit, cetera nullam patientur difficultatem. Alcuinus, qui vitam ad annum usque Redemptoris octingentesimum quartum produxit, Elevationem Sancti Amandi suis commendabit Carminibus. Arnonus Abbas, qui Monasterium Elnonis anno Christi septingentesimo octogesimo-quarto regendum suscepit, post annum suæ Præfecturæ nonum, Christi septingentesimum nonagesimum-tertium, superstes asseretur. Adalricus Arnono post annum Christi septingentesimum nonagesimum-tertium succedet. Rotfridus curam Cœnobii geret anno Redemptoris octingentesimo nono, vitâmque claudet anno sui regiminis nono vix inchoato. Denique Adaleodus Elnonensi Monasterio præerit annis noni seculi decimo-septimo & vicesimo-secundo. XXVII.

Quamvis ex ratiocinatione Chronologica, quam præmisimus, Elevatio Sancti Amandi non temerè videatur anno Christi septingentesimo nonagesimo-tertio consignanda, tamen ne plùs soli tribuamus conjecturæ quàm par est, unum duntaxat indubitanter ac constanter asserimus, illam videlicet Elevationem ante obitum Alcuini sive ante annum Redemptoris octingentesimum quartum factam fuisse, Arnono Elnonensi tunc Abbate, cui, post Agilfridi mortem, regimen Monasterii commissum est ab anno Christi septingentesimo octogesimo-quarto. Quot annis hic Cœnobium gubernarit, nemo prodit. Sepultus fuit *in Ecclesia Sancti Petri*, ut Elnonensis Chronographus testatur in textu jam allegato. Quatuor olim in Elnonensi Monasterio fuerunt Ecclesiæ, Sancti Martini, Sancti Petri, Sancti Andreæ, &, Sancti Stephani, de quibus Alcuinus in suis Carminibus apud Mabillonium in Observationibus ad Elevationem Sancti Amandi. Quòd autem Arnonus Elnonensis Abbas in Elnonensi Monasterio conditus sit, inde rursum conclude illum esse distinguendum ab Arnone Archiepiscopo Salisburgiensi, qui jacet apud Salisburgum, *tumulatus*, ut Hundius scribit, *in summo Templo ante Altare D. Mariæ Magdalenæ.* XXVIII. ECCLESIÆ MONASTERII ELNONENSIS.

Ceterùm ut Elevationem Sancti Amandi, quam plerique Scriptores anno Redemptoris octingentesimo nono consignant, ad illum annum consultò prætermisimus, quia Milonis Chronologiam, quâ niti- XXIX.

AN. CH. 828.
LUDOV. IMP. 15.
LOTHAR. IMP. 12.
PIPPINI R. 14.
LUDOV. R. 12.

tur hæc opinio, laudare non possumus, ita nec ullam ejusdem Elevationis mentionem ad annum Christi seu septingentesimum nonagesimum-tertium seu quempiam alium fecimus, quia causam nostram conjecturâ tantùm tuemur, quam Lectoris judicio probandam vel improbandam relinquimus. In hunc autem annum, quo Lotharius Elnonensis Æditmus obiit, controversiam rejecimus examinandam, quia Elevationis author fuit idem Lotharius, de quo sic Milo. *Die constitutâ, Clericorum catervâ ad tantum opus congregatâ fossores necessarios adhibuit, atque sarcophago elevando plurimam diligentiam impendit. Quod summâ cautelâ, ut dignum erat, levatum in sinistra parte deponi fecit, ac festivâ celebritate, per ampla Ædis spatia lychnis relucentibus, Missarum solennia pro tanti Præsulis honore devotissimè exorsus super eundem tumulum implevit. Et quamvis in circuitu ipsius sepulchri aquatilis humor extrinsecus fuerit, non tamen intrinsecus lutulentis sordibus seu aqua guttulis introitus patuit. Nec immeritò credibile est Deum, qui omnium creaturarum naturas pro suo arbitrio in quascumque vult rerum species transformat, ac tumescentia maria proprio nutu arenis quasi habenis fortissimis frænat, etiam dilecti sui cadaveri tanti honoris beneficium præstare potuisse, ut intra ipsius urnæ vasculum, quo pretiosum tenebatur depositum, nihil intraret sordium, ut cunctis fieret ejusdem venerandi Pontificis meritum manifestum. Expletis igitur Missarum solenniis, paucis secum, quos voluit, ex Monachis retentis, ceteros abscedere fecit, ac non tam temerario ausu quàm fidelis animi devotione fervens explorare diligentiùs amicâ curiositate duxit congruum, quid sub oculis positum intra uterum suum teneret vasis receptaculum, simúlque æstimans necessarium, ut ad devotionem honorandam quærentium de pulvere carnis, sive de ossibus illius tolleret aliquantam portiunculam reliquiarum. Intereà omni dubietate submotâ, idem Archicustos ad tumulum jam in superficie pavimenti positum humiliter accessit, atque operculo lapidis quo tegebatur remoto diligentiùs introspexit. Et ecce obtulit se obtutibus illius vir cano capite reverendus, abstinentia ac jejuniorum macore quibus comitibus vixerat pallidus, sanctitate morum meritorúmque præcipuus, incorruptione quoque membrorum suave fragrantium quasi aromaticus, ac toto corpore incontaminatus, hoc solo quòd in sepulchro jacebat dormienti simillimus, vestimentis Pontificalibus honestâ pulchritudine adornatus. Res raritate sui valdè mirabilis, atque pro sui magnitudine humano sermone vix explicabilis. Qui enim putaverat se putrefactæ carnis, uti in mortuis fieri assolet, reliquias inventurum, reperit ultra æstimationem inviolati corporis memorabile prodigium. Quali hæc visio digna Miraculo, quámque immenso stupori proxima fuerit, eloquentia humani ingenii effari nequit, quin minùs ariditas nostri sermonis hæc explicare, ut decet, tenuissimis valeat verbis. Stupefactus igitur, ut par erat, tam inopinati visione portenti, Omnipotenti Deo debitis laudibus benedixit. Congaudens etiam tanti inventione thesauri non modico iterum cœpit sollicitudinis angore cruciari, multa animo volvens, quid ex ipso ad commemorationem sequentium pro munere deberet auferri. Ubi verò fluctuantem animum anchorâ consilii stabilivit, casulam quâ erat indutus à sacratissimo ejus collo abstulit, eumdémque in latus utrumque versans, cannas arundinum fluviales, quæ sub ipso olim posita fuerant propter humorem aquatilem, subduxit. Idque suis desideriis minus esse perpendens, nisi etiam ex corpore aliquam tolleret inviolatorum portionem membrorum, vertit audaces, ut ita dicam, ad cadaver venerabile manus, unguésque spiritualis vituli cornua producentis & ungulas secuit. Quæ post obitum illius contra naturam ita excreverant, ut etiam manicas manuum ejus cremento suo penetrarent. Necnon & barbam Pontificis, nostri scilicet Aaronis, post sepulturam ipsius recrescentem totondit. Hæc verò omnia sibi summo devotionis obsequio recondens, nec sibi tamen suísque desideriis sufficere credens, ad os sacratissimum, per quod divina pietati crebræ orationum preces fuerant fusæ, ac variis populis frequentes prædicationes directæ, ausus est manum mittere, atque si aliquem de dentibus illius posset eximere, studuit pertentare.*

AN. CH. 828.
LUDOV. IMP 15.
LOTHAR. IMP 12.
PIPPINI R. 14.
LUDOV. R. 12.

tentare. Sed & cùm hoc pro eorumdem firmitate nequiret perficere, fabrili instrumento, tenaci videlicet forcipe, usu de gingivis pulcherrimi oris duos dentes eduxit, rubiendo ebore, ut credi decet, ac antiquo sapphiro pretiosiores. Mirum dictu, fidelem quærens auditorem, quod contra naturam est, mortui cadaveris de dentibus eductis stilla fluxerunt cruoris, hujúsque monimenti usque in diem hodiernum testimonium acerra præbet eborea, adhuc eodem quo infusa fuerat sanguine, cùm ibi servandi mitterentur, mirabile dictu, cruentata. Et paulò pòst. *Ablatas de corpore viri Dei Amandi supramemoratas Reliquias congruo loco debito honore deposuit, lapidum etiam cæsores necnon & cæmentarios adhibuit, aliáque perplura, quæ ad hoc opus apta videbantur, exquisivit. Corpus verò venerabile à die duodecimo Calendarum Octobrium quibus elevatum est, usque ad decimum Calendarum Novembrium quibus restitutum est, per triginta-duos dies supra terram manere permisit, ac die eodem, magno Cleri populique Conventu congregato, in loco præparato recollocavit, urnámque sepulchri non ut anteà fuerat in profundioribus posuit, sed in superioribus, ita ut fundamentum illius videri & lumen sub illo accendi posset, collocavit, atque in eo illum Psalmi Versiculum [hæc requies mea in seculum seculi, hîc habitabo quoniam elegi eam] suprascripsit. Utramque verò, Elevationem videlicet corporis atque Restitutionem, celebrem esse fecit, suis etiam successoribus honorabilem in perpetuo fore sanxit. Quod hactenus nos devotissimè hodiernâ celebritate colimus, ac nostros ut ea maneat cura posteros monemus.* Huc usque Milo.

XXX.

Joannes Bollandus in prolegomenis ad vitam Sancti Amandi multos observat dies quibus publicè colitur, atque inter hos vicesimum Septembris & vicesimum-tertium Octobris, quorum ille dies est Elevationis, hic verò Restitutionis quando corpus sacræ sepulturæ restitutum est. In Martyrologiis Elnonensi & Tornacensi Sancti Martini, necnon & apud Molanum in Auctario Usuardi, apud Wionem & apud Menardum, *duodecimo Calendas Octobris Elnone* consignatur *Elevatio corporis Sancti Amandi Episcopi & Confessoris.* In eodem Martyrologio Elnonensi, & apud prælaudatos, Molanum, Wionem, ac Menardum, *decimo Calendas Novembris* memoratur *Helnone Restitutio corporis Sancti Amandi Episcopi & Confessoris.* In quodam Florario manuscripto, quod etiam à Bollando citatur, Elevatio Sancti Amandi refertur decimo-tertio Kalendas Octobris, dicitúrque *facta à Lothario Custode anno Salutis* DCCCXII, *à depositione ejus anno circiter* CLII. Atque inde observa non defuisse superioribus seculis, qui Miloni refragarentur.

XXXI.
APOLLINARIS ABB. CASINENSIS OBIT.

Camillus Peregrinius in Serie Casinensium Abbatum, Apollinarem quinto Kalendas Decembris hoc anno mortuum scribit. Annos igitur undecim, quos Auctor Chronici Casinensis in Abbatiali munere tribuit, vel ordire ab anno Redemptoris octingentesimo decimo-septimo cum Peregrinio, vel incompletos nobiscum interpretare. *De hoc sanctissimo viro* Apollinare *celebris fama est, & seniorum nostrorum attestatione firmata, quia cùm quadam die, necessitate cogente, ad Monasterii possessiones visendas esset egressus, necesse illi fuit Lirim fluvium transvadare, sed cùm navis deesset, quâ transire potuisset, vir Dei fide repletus, salutifera Crucis se signaculo munivit, & ad fluminis oram accedens, ita ut erat indutus, & calciatus, in eum intravit, sícque ad ulteriorem ripam miro modo, Apostoli Petri exemplo, siccis pedibus est advectus, ut non super aquas ambulasse sed super aridam terram crederetur.* Eo Abbate, *vir nobilis, Arnipertus nomine, natione Campanus; Clericus quidam, Daniel nomine, natione Tarentinus, nobilis ex genere; Danchaldus quidam, Capuanus genere; Rodegarius Gastaldeus Beneventanus; Trasemundus Beneventanus nobilis;* & *Dagobertus Capuanus; Sancto Benedicto*, seu Monasterio Casinensi multas obtulerunt Donationes, quibus supersedemus. *Obiit autem* Apollinaris V *Cal. Decembris, & sepultus est prope Ecclesiam Sancti Benedicti, juxta gradus porticûs, quâ tunc pergebatur ad Ecclesiam Sancti Martini.* Successit

SUCCEDIT DEUSDEDIT.

AN. CH. 828.

Deusdedit quintus-decimus Abbas. Lege Leonem Ostiensem libro primo Chronici, capitibus vicesimo-primo, vicesimo-tertio, & vicesimo-quarto veteris editionis; decimo-octavo, decimo-nono, & vicesimo-primo editionis novæ.

XXXII. Ex Bibliotheca Floriacensi publicatus est à Joanne Boscio liber de Sancti Genulphi Miraculis, in quo Pippinus Aquitaniæ Rex Ludovici Pii filius, idcircò potissimùm commendatur, quòd *hæc ædificavit Cœnobia, Ingeriacum videlicet, atque Brantosmum, & apud Pictavos Monasterium Sancti Cypriani.* Ademarus eadem scribit in suo Chronico, sic. *Hic*, nempe Pippinus, *jussu patris* fecit *Monasterium Sancti Joannis Baptistæ Angeriaco, Monasterium Sancti Cypriani Pictavis, Monasterium Brantosmense.* Et Chronographus Sancti Maxentii, vulgò Malleacensis dictus. *Jussu patris* fecit *Monasterium Sancti Joannis Baptistæ Angeliaco;* & paulò pòst, *construxit idem Rex Monasterium Sancti Cypriani quod est in prospectu Pictavis, Monasterium Brantomense.* Egimus de Brantosmæ conditu Tomo superiore ad annum Redemptoris octingentesimum decimum-sextum [a]. De Angeriaco sermonem ad annum Redemptoris octingentesimum tricesimum-septimum faciemus infrà. Huic autem anno suas origines debet Cœnobium Sancti Cypriani, de cujus erectione sic Claudius Robertus in Gallia Christiana. *Monasterium Sancti Cypriani O. B. in agro suburbano Pictaviensi construitur circa A. C. 928.* Sed *scribere fortè voluit 828*, ut Bollandus [b] observavit ad textum ex vita Sancti Genulphi superiùs allegatum de Monasteriis à Pippino Rege conditis, qui florebat anno Redemptoris octingentesimo duodetricesimo, nequaquam autem centesimo pòst anno, Incarnationis Dominicæ nongentesimo vicesimo-octavo.

MON. S. CYPRIANI CONDITUR.

[a] Nu. 24. & seqq.

[b] D. 17. Jan.

XXXIII. Quæres quis ille fuerit Cyprianus, cujus nomen inditum novo Monasterio. *Fuit hic Cyprianus Sancti Savini frater.* Ita monet Robertus. Celebrantur autem in Gallia cum Sanctitatis titulo duo Savini, Martyr unus, alter Eremita. Cyprianus Savini Martyris frater extitit. Ambo fratres, iidémque milites, Brixiæ in Italia nati sunt; relictâ patriâ, cùm ab idololatris multa jam tormenta constantissimè pro Religione Christiana pertulissent, venerunt in Gallias, & ad Wartimpam * fluvium cum Presbyteris Asclepio & Valerio consederunt. Uterque capitis abscissione Martyrium consummavit, Savinus in Insula Wartimpæ contra prædium cui nomen Psellis *, Cyprianus in Antiniaco * vico ad ripam Wartimpæ. Sancti Savini corpus à prædictis Præsbyteris delatum est in montem, qui dicebatur ad tres cypressos, hodie mons Sancti Savini, sepultúmque quinto Idus Julias in Ecclesia Sancti Vincentii Martyris, quæ nunc etiam Parochialis est Ecclesia, parúmque distat ab oppido ac Monasterio Sancti Savini ad Wartimpam. Cyprianus Martyrio coronatus est pridie Idus Julii, sepultúsque jacuit in fraterno sepulchro, donec ab Aquitaniæ Rege Pippino conditum est in suburbano Pictavensi Monasterium, quod & ejus Reliquiis & nomine decoratum fuit. Savinus Patria Barcinonensis in Galliam quoque profectus est, & in Levitania *, quæ pars est Diœcesis Vigorritanæ seu Bigorritanæ, vitam duxit Eremiticam, ibique septimo Idus Octobris colitur in Monasterio sui nominis. Lege Tomo secundo Bibliothecæ Labbeanæ Passionem Sanctorum Saviani & Cypriani Martyrum, & Vitam Sancti Savini Eremitæ. De Monasterio Sancti Savini Martyris in Diœcesi Pictavensi & de Monasterio Sancti Savini Eremitæ in Diœcesi Bigorritana consule quæ Tomo superiore dicta sunt ad annos Redemptoris octingentesimum duodecimum & octingentesimum decimum-septimum. Monasterio Sancti Cypriani primus Abbas præpositus fuit Martinus, cujus meminerunt Ademarus & Chronographus Sancti Maxentii seu Malleacensis. Eidem Martino synchronus vixit Odo seu Dodo Abbas Sancti Savini ad Wartimpam in Episcopatu Pictavensi.

* *La Gartempe.*

* *Seaux.*

* *Antigny.*

* *Le Lavedan.*

MARTINUS FIT PRIMUS ABB.

Quis autem Monasterio Sancti Savini tunc præfuerit in Diœcesi Bigorritana, nos latet. AN. CH. 828.

Amalarius, cujus mentionem Tomo superiore [a] non semel fecimus, hoc anno Romam profectus videtur. Alteram enim Præfationem, quam operi suo de Ecclesiasticis Officiis præfigi voluit, sic inchoavit. *Postquam scripsi libellum, qui à parvitate mea vocatur de Ecclesiastico Officio, veni Romam, interrogavique Ministros Ecclesiæ Sancti Petri, quot orationes soliti essent celebrare ante Epistolam Missæ per dies festos, in quibus duas Solemnitates celebramus; sicuti est in Nativitate Domini ad Missam secundam de nocte, in qua continetur duplex Officium in Sacramentario, id est, unum de eadem Nativitate Domini, & alterum de Sancta Anastasia; & in Dominicis diebus, in quibus frequenter recolimus Solemnitates plurimorum Sanctorum. Responsum est mihi; unam tantùm. Hoc sciscitato, quia vidi apud plerosque diverso modo eumdem Ordinem agere, id est, aliquos tres orationes, aliquos duas, juxta affectum uniuscujusque animi non me piguit scribere inquisitum meum super hac re à Romanis, & in fronte ponere memorati libelli, meorum devotorum ad notitiam.* Per illum libellum intellige totum opus de Ecclesiasticis Officiis, quod Amalarius quatuor in libros distinxit, & Imperatori Ludovico dicavit anno Redemptoris octingentesimo vicesimo-septimo, ut ad illum annum observavimus. Bis igitur Romam se contulit Amalarius; semel anno Redemptoris octingentesimo duodetricesimo, ut colligimus ex præcitata Præfatione, quâ testatur scriptum priùs à se *libellum de Ecclesiastico Officio*; iterum anno Redemptoris octingentesimo tricesimo-septimo, priusquàm librum ederet *de Ordine Antiphonarii*, ut suo loco dicturi sumus.

XXXIV. [a] An. 817. n. 87. a 827. nu. 1. 3

AMALARIUS IT ROMAM, ET MINISTROS ECCLESIÆ S. PETRI INTERROGAT DE ECCLESIASTICIS OFFICIIS.

XXXV. Hic Amalarius cum Diaconi titulo citari solet, quia cùm Diaconus esset, Institutionis seu Regulæ Canonicorum, quam Synodus Aquisgranensis anno Redemptoris octingentesimo decimo-septimo promulgavit, priorem partem, quæ capitibus centum ac tredecim constat, magno studio collegit ex scriptis Patrum & ex Codice Canonum ad usum Ecclesiarum Occidentalium tunc recepto. Non permansit ad senium in Diaconatûs gradu, fuit enim Abbas & Chorepiscopus, priusquàm libros de Ecclesiasticis Officiis conscriberet. Abbas vocatur in manuscripto Codice Petri Marnæsii Senatoris Gratianopolitani, liber enim Agobardi sic inscriptus ibi reperitur. *Incipit liber Venerabilis Agobardi Archiepiscopi Lugdunensis contra libros quatuor Amalarii Abbatis.* Istum librum Stephanus Baluzius publici juris primus fecit, & in notis Abbatialem Dignitatem Amalario bis ex Codice Thuaneo confirmavit. Semel sic. *Thomus Amallarii Abbatis de divinis Officiis.* Iterum sic. *Continentia secutura causa Amalharii Abbatis scriptionis de divinis officiis incipit.* In iisdem adjecit adnotationibus Amalarium Chorepiscopum quoque dici in Codice Epternacensi, ex quo Alexander Wilthemius hæc descripsit, atque ad Philippum Labbeum consodalem suum Parisios transmisit. *Incipit liber officialis Amalarii Corepiscopi, id est, de ecclesiastico ordine ceterisque officiis, quatuor libri, ad Hluduvicum Imperatorem.* Tomo superiore [b] duo distinximus genera Chorepiscoporum, quorum alii verè fuerunt Episcopi, alii tantùm Presbyteri. Primi generis Chorepiscopus extitit Amalarius, Chorepiscopus videlicet Metensis, in prologo enim, quem libro de Ordine Antiphonarii præfixit, Metensis Ecclesiæ Ministrum se non obscurè professus est hac periodo. *Ubi ordinabiliùs visum est mihi scriptum haberi in Antiphonario Romano, quam in nostro, ibi scripsi, R, propter nomen Urbis Roma, & ubi in nostro, M, propter Metensem civitatem.* Anno Redemptoris octingentesimo vicesimo-sexto, sub initium mensis Julii, cùm apud Ingelheimium Conventus agebatur, Metenses, qui tunc Episcopo carebant, Episcopum sibi dari postularunt impetrarúntque Drogonem Ludovici Augusti fratrem, annos natum duntaxat novemdecim. Hunc usum Chorepiscopo seu Vicario facilè

ABBAS EST, ET CHOREPISC. METENSIS.

[b] Ad an 813. nn. 345. 346.

AN. CH. 828. LUDOV. IMP. 15. LOTHAR. IMP. 12. PIPPINI R. 14. LUDOV. R. 12.

persuadent, ætas junior, genus Regium, Sedes insignis. Nec alium quàm Amalarium, qui tali functus sit officio, textus insinuat proximè recitatus, quo se Metensis Ecclesiæ Ministrum ipsemet Amalarius ostendit. Drogonem antecessit in Episcopatu Metensi Gundulfus, qui Pontificatum iniit mense Januario, anno Redemptoris octingentesimo decimo-nono, vitámque clausit septimo Idus Septembris, anno Redemptoris octingentesimo vicesimo-quinto. Suspicamur Amalarium sub hoc Gundulfo consecratum fuisse Chorepiscopum, quoniam altero mense post obitum ejusdem Gundulfi, seu mense Novembri, anno Redemptoris octingentesimo vicesimo-quinto sedit in Conventu Parisiensi, & proximo Decembri Collectionem Sententiarum in causa Imaginum Parisiis factam Aquisgranum ad Ludovicum Augustum detulit, de illo enim locutus videtur idem Imperator initio sui Commonitorii. *Venerunt*, inquit, *ad præsentiam nostram Halitgarius & Amalarius Episcopi* VIII *Idus Decembris, deferentes Collectiones de libris Sanctorum Patrum, quas in Conventu apud Parisios habito simul positi collegistis.* Erat Halitgarius Episcopus Cameracensis, de quo sermo rursum ut & de Amalario recurret.

XXXVI. CUR EXORTUS AGOBARDO ARCHIEP. LUGDUN.

Inter Amalarium Chorepiscopum Metensem & Agobardum Lugdunensem Archiepiscopum contentio non levis intercessit. Scripsit Agobardus contra libros Amalarii de Ecclesiasticis Officiis. Haud desunt, qui censeant Agobardum in Amalarium etiam invectum esse initio libri sui de Divina Psalmodia. Hac de re nos infrà. Quod enim dissidium inter Agobardum & Amalarium fuit, seriùs exortum videtur, postquàm à Ludovico patre filii rebelles defecerunt. Ut enim Drogo Metensis Episcopus, sic & ejus Vicarius seu Chorepiscopus Amalarius à partibus Ludovici Augusti semper stetit, filiorum verò tumultuantium perfidiam laudavit ac fovit Agobardus.

XXXVII. AGOBARDI SCRIPTA DE BAPTISMO MANCIPIORUM JUDAICORUM.

Sub hunc autem annum, cùm Hilduinus & Wala, ille Archicapellanus Ludovici Imperatoris, hic Corbeïensis Abbas, in flagrantissima essent amicitia ejusdem Augusti, atque in Palatio versarentur, ille semper, hic frequentissimè, scripsit ad eos idem Agobardus epistolam *contra præceptum impium de Baptismo Judaicorum mancipiorum.* Initium literarum tale est. *Dominis & Sanctissimis, Beatissimis, Viris Illustribus, Hilduino Sacri Palatii Antistiti, & Walæ Abbati, Agobardus servulus. Noverit mansuetudo vestra prudentissima idcircò me ad utrumque præsumpsisse quæ sequuntur scribere, quoniam absque ambiguo vos novi præcipuos & penè solos in via Dei esse adjutores Christianissimi Imperatoris, & proptereà in Palatio esse unum semper, & alterum frequenter, ut in operibus pietatis, quæ absque omni errore quærenda, invenienda, tenenda sunt, vos illi prudentissimis vestris suggestionibus sitis exhortatores, &, ut dixi, adjutores.*

XXXVIII. Causa scriptionis hæc fuit. *Scripsi*, inquit Agobardus, *sinceritati vestræ singulos breves indiculos, significans vobis quandam fœminam ex Judaïsmo ad Christianismum gratiâ Christi translatam, graves persecutiones sustinere propter fidem quam suscepit Christi, quas per ipsius fœmina breviculum potestis cognoscere, in qua re tam excellens eleemosyna vobis manet, ut de nulla alia possis esse major. Nunc autem causam hujus persecutionis, quæ & fomes impii erroris esse potest, me vobis significante cognoscere dignamini. Quoddam Præceptum Judæi circumferunt, quod sibi datum ab Imperatore gloriantur, in quo continetur, ut mancipium Judaïcum absque voluntate domini sui nemo baptizet. Quod à nobis omnino non creditur, ut a facie Christianissimi & Piissimi Imperatoris tam contraria Ecclesiæ Regulæ sit egressa sententia.*

XXXIX. Multa subinde cùm ex Evangelio, tum ex Epistolis Beati Pauli profert explicátque testimonia, quibus egregiè probat Ecclesiasticæ Regulæ contrariam esse quam Judæi circumferunt Imperatoris Præceptionem, quia Christus in Evangelio apud Matthæum [a] absque ulla discretione per-

[a] Cap. 28.

AN. CH. 828.
LUDOV. IMP. 15.
LOTHAR. IMP. 12.
PIPPINI R. 14.
LUDOV. R. 12.

ſonarum aut conditionum exceptione generaliter Apoſtolis dixit. *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris & Filii & Spiritûs Sancti.* Item apud Marcum [a]. *Euntes in mundum univerſum, prædicate Evangelium omni creaturæ. Qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſalvus erit.* Et Doctor Gentium in priore ad Timotheum epiſtola [b] ſervos Chriſtianos duas in claſſes diſtinguit, alii enim dominis infidelibus ſerviunt, alii fidelibus. *Quicunque ſunt ſub jugo ſervi, dominos ſuos omni honore dignos arbitrentur, ne nomen Domini & doctrina blaſphemetur. Qui autem fideles habent dominos, non contemnant, quia fratres ſunt; ſed magis ſerviant, quia fideles ſunt.* Hæc ex longè pluribus ſufficiant, ut oſtendatur *Eccleſiaſticæ Regulæ* contrarium eſſe Præceptum, in quo contineatur, *ut mancipium Judaicum abſque voluntate Domini ſui nemo baptizet.* Inde autem rectè Agobardus infert tale Præceptum non eſſe Ludovici Imperatoris, cujus pietati atque erga Chriſtianam Religionem zelo tantoperè refragatur.

XL. Denique ſic epiſtolam ſuam claudit. *Si Præceptum illud obſervamus neglectis Eccleſiaſticis Regulis, Deum offendimus; ſi has ſequimur, Imperatoris indignationem veremur, maximè cum Magiſter infidelium Judæorum inceſſanter nobis comminetur ſe Miſſos de Palatio adducturum, qui pro iſtiuſmodi rebus nos judicent & diſtringant. Quæ res non ſolùm perturbationem affert, verùm etiam eis, qui ad fidem facilè converti poterant, quantum ingerat impedimentum, veſtræ eſt prudentiæ æſtimare. Unde, Sanctiſſimi Patres, ac Deo amantiſſimi, hæc noſtra pericula quaſi veſtra piis animis perpendentes intercedite apud Chriſtianiſſimum & Clementiſſimum Imperatorem, ut hujuſmodi impedimentum de Sancta Eccleſia auferatur, & inter multa & maxima quæ piiſſimè & juſtiſſimè in tradito & conſervato ſibi à Chriſto diſponit Imperio, etiam huic rei propter amorem ipſius Chriſti miſericordiſſimâ & ſolitâ bonitate ſuccurrat, ne animæ, ex quibus grex fidelium augeri poterat, & pro quarum ſalute in diebus Paſſionis Dominicæ ab univerſali Eccleſia Deo publicè ſupplicatur, obſiſtente infidelium & Deo adverſantium duritiâ, etiam dicti præcepti occaſione diaboli laqueis remaneant implicatæ. Certè in Sacris Canonibus conſtitutum, ut ſi qui ex eis ad Baptiſmum venerint, ſi voluerit Epiſcopus vel quilibet fidelium redimendi eos habeat poteſtatem. Quod nos libentiſſimè facere cupimus, hoc tantummodo poſtulantes, ut eis veniendi ad fidem facultas libera tribuatur. Nec hoc dicimus, quòd eis filios vel ſervos eorum violenter auferendos eſſe ſentiamus, ſed ut venientibus ad fidem, ab infidelibus licentia non negetur.* In hoc textu Magiſtrum Judæorum interpretare Magiſtratum, cui tutela Judæorum committitur. Hujus Magiſtri meminit Agobardus in tribus aliis epiſtolis ad Proceres Palatii, ad Nibridium Narbonenſem Archiepiſcopum & ad Ludovicum Imperatorem.

XLI. In ſuis ad Proceres Palatii litteris, Adalardum, Walam, & Heliſacharum rogat, ut conſilium ſibi ſuper Baptiſmo Judaicorum mancipiorum præbeant. *Summoperè*, inquit, *mihi neceſſe eſt ſcire, &, ut exiſtimo, etiam omnibus, ut dare dignemini conſilium, quod divino congruit operi, quid faciendum ſit de mancipiis Judæorum ethnicis, quæ illi comparaverunt, & nutriti apud illos, inter nos diſcunt linguam noſtram. Audiunt de fide, vident celebrationes Solemnitatum; & per hæc compunguntur ad amorem Chriſtianitatis, & deſiderant fieri in corpore Eccleſiæ membra Chriſti, & confugiunt ad Eccleſiam Baptiſmum poſtulantes, utrùm videlicet debeamus illis hoc abnegare, an dare ubi poſſumus.* Et paulò pòſt ab exemplo cùm Apoſtolorum tum virorum Apoſtolicorum, quid faciendum cenſeat, ſic declarat. *Omnes Sancti Prædicatores, ſocii Apoſtolorum, docentes omnes gentes, & baptizantes, non expectaverunt dominorum carnalium licentiam, ut ſervos baptizarent; quaſi non eos oporteret baptizari, niſi eis permittentibus; ſed ſcientes & prædicantes, quòd ſervi & domini unum habeant Dominum Deum in cælis, omnes baptizaverunt, omnes in uno corpore redegerunt, omnéſque fratres & filios Dei eſſe docuerunt, ita tamen ut unuſquiſ-*

[a] Cap. 16.
[b] Cap. 6.

AN. CH. 828. LUDOV. IMP. 15. LOTHAR. IMP. 12. PIPPINI R. 14. LUDOV. R. 12.

que in quo vocatus est, in hoc permaneret, non studio sed necessitate, sed & si qui possent liberi fieri, magis uterentur. Tum queritur de Magistro Judæorum. *Hæc sunt*, inquit, *de quibus precamur vestrum consilium aut jussionem per vos Domini Imperatoris. Quod utique necesse non esset, si ille, qui Magister est Judæorum ita attenderet, ut vos ei faciendum dixistis. Nam si secundùm vestram jussionem ille consideraret fideliter Ministerium nostrum, sicut nos ei honorem exhibere volumus in Ministerio suo, nulla esset necessitas injuriam facere interrogando, nisi propter augmentum doctrinæ. Ceterùm de causis Judæorum non esset ulla contentio, aut discordia, si ille rationabiliter agere voluisset.* Hæc epistola Chronologicis quidem Characteribus destituitur, tamen quia scribitur *Reverendissimis ac Beatissimis Dominis & Dominis & Patribus Sanctis, Adalardo, Walæ, & Helisacharo*, id est, Adalardo Abbati Corbeiensi ad Somonam, Walæ illius fratri tunc ejusdem loci Monacho, & Helisacharo Sancti Maximini apud Treviros Abbati, necesse est exarata credatur intra quinquennium, quod post Adalardi reditum ab exilio ad ejus obitum sive ab anno Redemptoris octingentesimo vicesimo-primo ad octingentesimum vicesimum-sextum effluxit. Reticet nomen illius, qui Judæorum Magister erat. Evrardum nominant aliæ ad Nibridium literæ, quæ paulò pòst datæ sunt anno circiter post natum Christum octingentesimo vicesimo-quarto.

XLII. In illis literis, *quæ de cavendo convictu & societate Judaica* inscribuntur, hæc habet ad Nibridium Narbonensem Archiepiscopum. *Studuimus pro viribus lapsis manum porrigere, & errantes animos ad veritatis lineam revocare, æquum credentes, ut quomodo ipsis quondam lex Dei præcipiebat, ne cum Gentibus matrimonium copularent, neve cum eis commune convivium celebrarent, ne videlicet per consortia nuptiarum & communionem ciborum à divino quidem cultu deficerent, idololatriæ autem jugo libertatem animi inclinarent, ita nunc & noster populus inhibeatur, ne cum Judæis infidelibus vescendi participium, consortium bibendi, habitandi contubernium habere præsumant, ne sub prætextu societatis hujus à simplicitate quidem Christianæ fidei exorbitent, Judaicis verò fabulis adtendentes inextricabilibus errorum laqueis implicentur; cùmque nos neminem illorum humanitate tantâ & benignitate, quâ erga eos utimur, ad spiritalem fidei nostræ virtutem valeamus adducere, pars aliqua ex nostris, dum libenter carnalibus eorum victibus communicat, spiritalibus epulis capiatur. Hanc etenim divinæ legis providentiam Patres nostri Institutis Canonicis videntur esse secuti, quorum nos præceptis, in quantùm potuimus, devotis animis obsequuti sumus; periculum scilicet animarum quæ nobis commissa sunt pertimescentes, & earum sanguinem de nostris manibus in divino exquirendum judicio formidantes. Tentaverunt autem quidam Missi, & Evrardus maximè, qui Judæorum nunc Magister est, religiosum hoc opus nostrum destruere, ac sub obtentu Edictorum Imperialium labefactare. Quibus nos neque ad horam cessimus, ut divinæ legis veritas, & Sanctorum Patrum constitutio veneranda, immobili apud nos atque inconvulsâ observatione perduret. Nec verò tam feralibus jussis ausi sumus adquiescere, aut religiosissimum ac Deo dignum Principem quippiam divinæ Legi contrarium, sacris Canonibus adversum, saluti Ecclesiæ periculosum, credere potuimus præcepisse, cujus ad hoc semper invigilat fidelis industria & pietas admiranda, ut Lex Dei ubique servetur, ut Canonica Instituta perpetuâ vigeant firmitate, ut salus ac virtus Ecclesiæ toto terrarum Orbe gloriosiùs in dies singulos convalescat.*

XLIII. Agobardus, ut ex prædictis constat, hoc anno, qui Synodum Lugdunensem præcessit, similia scripsit *Dominis & Sanctissimis, Beatissimis, viris Illustribus, Hilduino Sacri Palatii Antistiti & Walæ Abbati*, graviterque questus est *inter duo se pericula* versari, quia vel Deum offenderet, si neglectis Ecclesiasticis Regulis observaret Præceptum, quod à Judæis quasi ex auctoritate proferebatur Imperiali, vel si Regulas Ecclesiasticas sequeretur, indignationem metueret Imperatoris, maximè cùm Magister infide-

sium Judæorum incessanter comminaretur se Missos adducturum de Palatio, qui pro istiusmodi rebus & judicium & districtionem facerent. Atque hæc multùm lucis afferent epistolæ, quam, de insolentia Judæorum, *Christianissimo, & verè Piissimo, & in Christo victori ac triumphatori Hludovico Imperatori felicissimo* scripturus est Agobardus anno proximo, quo Concilium Lugdunense cum aliis Episcopis celebrabit. Hic tantùm observa per antecessum quòd in illis ad Ludovicum Augustum literis mentio fit cùm Evrardi Magistri Judæorum, tum Gerrici & Frederici Missorum Imperatoris. *Venerunt Gerricus & Fredericus, quos præcurrit Evrardus, Missi quidem vestri, non tamen per omnia vestra agentes, sed ex parte alterius, & ostenderunt se Christianis terribiles, & Judæis mites.* AN. CH. 828. LUDOV. IMP. 15. LOTHAR. IMP. 12. PIPPINI R. 14. LUDOV. R. 12.

XLIV. Tomo superiore ad annum Redemptoris octingentesimum vicesimumtertium [a] meminimus Abbonis Abbatis, qui Monasterio Sancti Maxentii tunc præerat in Diœcesi Pictavensi. Joannes Mabillonius primo Seculo Benedictino in notis ad Sancti Maxentii vitam mentionem facit ejusdem Abbonis hoc anno, Chartâque Pippini Regis allegatâ testatur prædicti Cœnobii Monachos apud eundem Pippinum Aquitaniæ Regem questos esse, quòd *in laicalium manus* locus Domino sacratus pervenisset, nec haberent *Abbatem Monachum, qui hanc Abbatiam secundùm Regulam Sancti Benedicti haberet traditam*, sed *Abbatem Abbonem nomine, qui nullo modo videbatur Abbas, quia non habuit hunc locum sic traditum, veluti Sanctus Benedictus Abbates Regulares jussit instituere.* Addit Pippinum expostulationibus Monachorum fecisse satis. Inde colligimus istius Monasterii sortem eandem fuisse ac aliorum complurium, quibus dati sunt Abbates non Monachi, licèt tota Monachorum Congregatio vel ejus pars in illis locis regulariter ut anteà subsisteret.

[a] Num. 56. ABBO ABB. MON. S. MAXENTII.

XLV. Tomo quoque superiori Rixfridum Ultrajectensem Episcopum ad annum Redemptoris octingentesimum vicesimum-quartum, Ludovici Augusti undecimum, ex ejusdem Imperatoris Diplomate pro Ecclesia Ultrajectina seu *veteris Trajecti* dato commemoravimus. Quot autem annos posteà superstes vixerit, haud patet. Ei datus est successor Fredericus seu Fridericus, cujus Martyrium in annum Redemptoris octingentesimum duodequadragesimum incidit. Sedente Frederico *Gerowaldus filius Landnardi donavit eidem Ecclesiæ* Ultrajectensi *quicquid hereditatis sibi accesserat in villa Longhate Hellewigh, Aladna, Wassefelde, Humelle, Theoden Hesin, Asuen cum suis adjacentiis*, ut Wilhelmus Heda in encomio ipsius Frederici testatur allegato Donationis instrumento cum hac subscriptione. *Actum publicè in villa Embrici, anno* XV *Imperii Ludovici, Incarnationis Dominicæ anno* DCCCXXVIII, *die* VII *Id. Februarii.* Dies ille septimus ante Idus Februarias, qui pertinet ad annum Imperii Ludoviciani decimum-quintum, convenit etiam cum anno Dominicæ Incarnationis octingentesimo duodetricesimo, videtur tamen hic Character expungendus, quia tunc publicis instrumentis annus Incarnationis Dominicæ nondum apponi consueverat. Annus autem Ludovici Augusti decimus-quintus absque alia probatione nos adigit, ut Fredericum hoc anno, Redemptoris octingentesimo duodetricesimo, Ultrajectensem Episcopum agnoscamus. Post quinquennium occurret alterius Donationis exemplar, quo palàm fiet Fredericum Ultrajectensem Episcopum fuisse VII *Kal. Januarii, Indictione* XII & *anno Ludovici Imp. Aug.* XXI jam inchoatis, id est, exeunte secundùm nostram computationem anno Redemptoris octingentesimo tricesimo-tertio. Unde corrigas eos, qui vel biennio circumscribunt Episcopatum Frederici, vel Episcopales Infulas eidem Frederico delatas volunt longè post annum Redemptoris octingentesimum tricesimum. Certè cùm Rixfridus Episcopus Ultrajectensis anno Redemptoris octingentesimo vicesimo-quarto superstes fuerit in vivis, & Fredericus ejus successor Episcopatum anno Redemptoris octingentesimo duodetricesimo gesserit, necesse est ut ex tri-

GEROWALDUS MUNIFICUS ERGA ECCLESIAM ULTRAJECT.

AN. CH. 828.
LUDOV. IMP. 15.
LOTHAR. IMP. 12.
PIPPINI R. 14.
LUDOV. R. 15.

bus intermediis annis unum eligas, quo Rixfridi mortem & subrogationem Frederici consignare possis. Atque inde etiam apud Ubbonem Emmium [a] in rebus Frisicis eos corrige, qui Fridericum ordinatum Episcopum volunt *anno salutis nostræ* DCCCXXI.

XLVI. EPISCOPORUM ULTRAJECTENSIUM CHRONOLOGIA EXAMINATUR.

Circa Chronologiam Ultrajectensium Episcoporum tota penè difficultas in eo versatur, quòd Harmokaro, cui Rixfridus proximè successit, alii annos in Episcopatu septemdecim, alii annos septem ac viginti tribuunt. Utramque opinionem breviter in Harmokaro Wilhelmus Heda sic attingit. *Legitur obiisse quinto Kalend. Septemb. & sedisse annos* XXVII, *aut potiùs* XVII. Albricus Ultrajectensis Episcopus obiit anno Christi septingentesimo octogesimo-quarto. Certa hæc est epocha, confirmatúrque cùm ex Appendice ad Chronicon scriptum jussu Nibelungi Comitis, tum ex Chronico Moissiacensi quod in anno Redemptoris octingentesimo duodevicesimo desinit. Inter Albricum & Fredericum medii sederunt, Theotardus, Harmokarus, & Rixfridus. Unanimi consensu Cratepolius, Heda, Bockenbergius, Robertus, Sammarthani, Bucelinus, aliique Theotardum anno sui Pontificatûs sexto mortuum asserunt. Cratepolius annum interpretatur Dominicæ Incarnationis octingentesimum, quia mortem Albrici in annum Christi septingentesimum nonagesimum-quartum rejecit. Plerique Cratepolium secuti sunt. Nos ejus errorem Tomo sexto cavimus ad annum Christi septingentesimum nonagesimum [b], quo Theotardum ex hac vita sublatum diximus. Post Theotardum sedit Harmokarus, utrùm annis septemdecim, an septem ac viginti, quæstio est. Cratepolius ejúsque asseclæ, qui magno sunt numero, Pontificatum Harmokari per annos viginti-septem ab anno Redemptoris octingentesimo ad octingentesimum vicesimum-septimum perducunt. At hæc opinio stare non potest, quia Rixfridus Harmokari successor, ut Tomo septimo probatum est, Præceptum obtinuit datum *Aquisgrani Palatio Regio*, XVII *Kalend. Aprilis, anno* XI, *Christo propitio, Imperii Domini Ludovici Piissimi Augusti, Indictione secundâ*, id est, anno Redemptoris octingentesimo vicesimo-quarto. Fortè satis consultum Chronologiæ putabis, si decem annos apud Cratepolium ademeris Harmokaro, & hujus Episcopi mortem retuleris ad annum Redemptoris octingentesimum decimum-septimum. Sed hæc admitti non potest emendatio, Rixfridus enim teste Hedâ Pontificales Infulas eo gerebat tempore, quo *Stephanus Papa descendens in Franciam coronavit Ludovicum Pium & Ermingardam civitate Remis*, anno videlicet Redemptoris octingentesimo decimo-sexto; quin & *impetravit à Carolo Magno*, cujus obitus anno Redemptoris octingentesimo decimoquarto consignatur, *omnes decimas de mancipiis & terris sua Diœceseos; necnon Telonium de quocunque negotio, unde fiscus Regius in ditione Trajectensi Telonium accipere & exigere consuevit, necnon Dorestatum ipsum, urbem magnam cum mansionibus ejus perpetuò possidendam.* Hæ nos rationes impulerunt, ut Harmokari Pontificatum intra spatium septemdecim annorum coarctaremus, & initium ejusdem Episcopatûs secundùm Chronologiam, priùs stabilitam repeteremus ab anno Christi septingentesimo nonagesimo. Vitam igitur Harmokarus clausit anno Redemptoris octingentesimo septimo, & qui successit Rixfridus, is Episcopatum, ut ex prædictis patet, tenuit partim sub Carolo Magno, qui rebus exemptus est humanis anno Redemptoris octingentesimo decimo-quarto, partim sub Ludovico Pio à quo Præceptum obtinuit anno Redemptoris octingentesimo vicesimo-quarto. Longiori non opus est examine, ut refellas Cratepolium, Robertum, & Bucelinum, qui Rixfridi Pontificatum ultra novem annos haud prorogant. Error vix commodiùs faciliúsve potest auferri, quàm si 9 annorum loco restituas annos 19, eósque numeres ab anno Redemptoris octingentesimo septimo ad annum Redemptoris octingentesimum vicesimum-sextum.

[a] Lib. 5.

[b] Num. 18.

Hac

AN. CH. 828.
LUDOV. IMP. 15.
LOTHAR. IMP. 12.
PIPPINI R. 14.
LUDOV. R. 12.
XLVII.

Hac adhibitâ correctione Rixfridus Episcopales Infulas annis septem ante Caroli Magni obitum annísque pòst duodecim Imperatore Ludovico Pio gerit, nihílque vetat, quominùs ab utroque Augusto Præceptiones impetret, à Carolo post annum Redemptoris octingentesimum septimum, à Ludovico sub finem anni post Christum natum octingentesimi vicesimi quarti.

In Actis [a] Sancti Friderici, qui post Rixfridum in Ultrajectensi Cathedra sedit leguntur multa, quæ spectant ad eundem Rixfridum, cui Fridericus puer à matre commendatus est, & à quo, postquàm per ætatem licuit, ordinatus est cùm Subdiaconus, tum Diaconus, necnon & Presbyter. *Sanctus Fridericus natione Friso, nobilis quidem fuit genere, sed nobilior sanctitate. Is in primis ætatis initiis & teneris annis Angelicam potiùs quàm humanam in terris visus est vitam degere. Libenter enim se adjungebat ad viros Deum timentes, & ludos pueriles prorsus respuebat: ad Ecclesiam promptâ animi alacritate properabat, & quicquid ibi lectum aut cantatum esset, intentis auribus accipiebat, domúmque reversus matri suæ, si quid intellexisset, referebat. Ea res lætitiam matri attulit, adeò ut invito patre eum Patribus quibusdam commendarit literis imbuendum, quos etiam tum muneribus tum precibus sollicitans obsecrabat, ut eum sanctæ Religionis semitam & peccati devitandi rationem docerent. Intereà nocturnâ quadam eâque cælesti visione sibi admoneri visa est, ut puerum inde ablatum, Sancto Ricfrido Trajectensis Ecclesiæ Antistiti commendaret, & mox ingenti perfusa gaudio, quòd Deo puerum curæ esse videret, licèt reluctante patre, eum Trajectum adduxit, & memorato Præsuli commendavit. Is verò spiritu prospiciens, illum se post decessum suum habiturum in Cathedra successorem, ceu filium & hæredem liberalibus pariter & Ecclesiasticis curavit disciplinis accuratè instituendum.* In Hoc textu *Trajectum* interpretare Ultrajectum seu Trajectum Inferius, quod adjacet Rheno, distinguitúrque à Trajecto Superiori quod alluitur Mosâ. Deinde in eodem textu observa Fridericum vocari *puerum*, quando Ricfrido seu Rixfrido Ultrajectensi Episcopo commendatur. In iisdem Actis sequitur enumeratio virtutum, quæ refulserunt in Friderico ante & post susceptum Subdiaconatum, necnon & post ejus promotionem ad gradum Diaconatûs. *Cernens autem Ricfridus Episcopus tot eum virtutibus instructum, ingenti afficiebatur gaudio, quòd talem esset habiturus successorem, jussítque eum secundum à se locum obtinere, Sacerdotio eum initians, quamvis invitum. Mox autem nomen ejus, divinâ id agente providentiâ, per omnem terram adeò divulgatum est, ut etiam Regias penetraret aures, & ab omnibus ceu vir Apostolicus honoratus sit. Porrò Ricfridus Antistes, vir omni bonitate conspicuus, leni correptus febre, jam multâ ætate gravis, terræ reddidit corpus, cælo spiritum, Angelorum legionibus stipatum. Eóque humato honorificè, Clerus & populus instinctu Sancti Spiritûs permoti, nullum alium se aiunt eligere aut velle Episcopum, nisi Fridericum, hominem multâ veneratione dignum.* Hæc opinionem nostram prævalidè confirmant. Quis enim sibi persuadeat Episcopum novem duntaxat annis fuisse Ricfridum, qui jam factus Episcopus Fridericum puerum liberalibus disciplinis instituendum suscepit, & in vivis adhuc superstes eundem Presbyterum à se ordinatum ac multâ veneratione dignum conspexit? Cratepolio & ejus asseclis multò graviùs peccat Heda, qui ne quidem annos in Episcopatu novem sed annos tantùm *sex* Rixfrido tribuit, ideóque Bernardus Furmerius, qui publicavit Hedam, in margine hanc rectè apposuit notatiunculam. *Error in calculo.* Rixfridi senectutem, obitum ac sepulturam paucis ita complectitur Joannes de Beka. *Rixfridus Pontifex multùm annosus, Deo charus, febre quassatus, III Nonarum Octobris discessit ab hac vita, tumulatus cum anterioribus Episcopis in Ecclesia supradicta*, id est, in Ecclesia Sancti Salvatoris. Et Wilhelmus Heda, sic. *Decessit 3. Nonas Octobris ex febricula grandævus; sepultus in Ecclesia S. Salvatoris.* Ricfridus à

[a] Ap. Sur. d. 18. Jul.

AN. CH. 828. LODOV. IMP. 15. LOTHAR. IMP. 12. PIPPINI R. 14. LUDOV. R. 12.

Cratepolio Sanctus appellatur. Ejus memoria celebratur in Martyrologio Benedictino, sic. *Tertio Nonas Octobris, Ultrajecti in Hollandia, S. Rixfridi Episcopi & Confessoris.* Et in Supplemento Martyrologii Gallicani, sic. *Tertio Nonas Octobris, Ultrajecti Sancti Rixfridi Episcopi, qui septimus ordine, septemplici Spiritûs charismate inunctus, in domo Dei sicut candelabrum lucens & flammans viva fidei & perfecta charitatis splendore emicuit, multósque in vias pacis & justitia cùm deduxisset, animam lucis filiam ad patrem aeterni luminis glorificandam transmisit.* Quaeres cur ejus nomen Tabulis Benedictinis adscribatur, nec Ordinis Benedictini mentio fiat in praecitato Martyrologii Gallicani Supplemento. Si Gabrieli Bucelino Monacho Benedictino fides est in Ultrajectensium Episcoporum & Archiepiscoporum Catalogo; Sancti Rixfridus & Fridericus, priusquàm Episcopi fierent, Ultrajecti Monasticam vitam duxerunt. *S. Rixfridus vir Apostolicus, Monachus Traject. obiit 836. 5 Octob. S. Fridericus obiit 15 Cal. Aug. A. C. 838 Martyrio coronatus., Fuit & hic Monachus Traject.* Sed quae supersunt de utroque monumenta, neutrum Monachum, utrumque verò Clericum seu Canonicum ante Episcopatum palàm ostendunt. In hanc sententiam ivisse jam videntur eruditissimi clarissimique Sodales ejusdem Ordinis Benedictini Lucas Dacherius & Joannes Mabillonius Tomo primo Seculi quarti Benedictini, quem absque ulla vel Sancti Rixfridi vel Sancti Friderici mentione perduxerunt ad annum usque Redemptoris octingentesimum quinquagesimum-quintum, hoc est longè post annos octingentesimum tricesimum-sextum & octingentesimum duodequadragesimum, quorum priore Bucelinus obitum Sancti Rixfridi juxta Cratepolii Chronologiam, posteriore Martyrium Sancti Friderici consignavit ex ejus Actis, à quibus nec Cratepolius recessit.

XLVIII. In iisdem Actis [a], Ludovicus Imperator eo tempore, quo Rixfridus Episcopus obiit, prope Rhenum cum Juditha Augusta degit. Id anno Redemptoris octingentesimo vicesimo-sexto rectè convenit, nequaquam autem octingentesimo vicesimo-quinto, vel octingentesimo vicesimo-septimo. Hanc assertionem probamus ex Annalista Laureshamensi Scriptore coaetaneo, qui diversa loca, in quibus Imperator illo triennio moratus est, accuratissimè sic distinguit. *Anno* DCCCXXV. *Sacro Paschali Festo solenniter Aquisgrani celebrato, arridente jam vernâ temperie, Imperator venandi gratiâ Noviomagum profectus, Legatos Bulgarorum circa medium Maium Aquasgrani venire praecepit. Nam tunc illo reverti statuit habiturus ibidem Conventum, quem de Britannia regressus eo se tempore ibidem habiturum Optimatibus indicaverat .... Dimissóque Conventu in Vosegum ad Rumerici montem venandi gratiâ profectus, filium suum Lotharium ex Italia regressum, ibíque ad se venientem suscepit, ac peractâ venatione Aquasgrani rediens generalem populi sui Conventum more solenni mense Augusto habuit....... Completísque omnibus negotiis, qua ad illius Conventûs rationem pertinere videbantur, Noviomagum cum filio majore secessit, minorem verò Ludovicum in Bajoariam direxit. Ipse autumnali venatione completâ, circa hyemis initium Aquasgrani reversus est ......* *Anno* DCCCXXVI. *Imperator medio Maio Aquisgrano egressus, circa Cal. Jun. ad Ingelheim venit, habitóque ibi Conventu non modico multas ex diversarum terrarum partibus missas Legationes & audivit & absolvit .... Condictóque ac pronunciato ad medium Octobris generali Conventu, ceteris omnibus more solenni absolutis, ipse trans Rhenum ad villam, qua Sels vocatur, cum comitatu suo profectus est....... Transactâque venatione autumnali, circa Cal. Octob. per Moenum fluvium usque ad Franconofurt secundâ aquâ navigavit. Inde ad Ingelheim medio Octobri veniens, generalem ibi, ut indictum erat, populi sui Conventum habuit....... Ipse autem Aquasgrani, ubi hyemare constituerat, profectus est ....* *Anno* DCCCXXVII. *Imperator duobus Conventibus habitis, uno apud Noviomagum ..., altero apud Compendium ... inter*

[a] Cap. 4.

Compendium & Carisiacum ceteráque iis vicina Palatia usque ad hybernal temporis initium conversatus est. Hæc enumeratio tot locorum, in quibus Imperator illo triennio moras fecit, apertè docet mortem Rixfridi, quæ tertio Nonas Octobris contigit, & ad aures Imperatoris in Palatio tunc ad Rhenum degentis ocyssimè perlata est, procul dubio consignandam esse anno Redemptoris octingentesimo vicesimo-sexto, quo Ludovicus Augustus duos apud Ingelheimium ad Rhenum Conventus habuit, unum mense Junio, alterum medio mense Octobri. Liquet igitur ex prædictis Sanctum Rixfridum coli tertio Nonas Octobris qui dies obitûs fuit, cúmque post annum Redemptoris octingentesimum vicesimum-quartum ad Deum migrasse, anno Redemptoris, ut censemus, octingentesimo vicesimo-sexto. Liquet & ei successisse Fridericum, quem erudierat à puero, sibique successorem in Episcopatu fore prænoverat. Liquet & eundem Fridericum septimo Idus Februarias, hoc anno, Redemptoris octingentesimo duodetricesimo Episcopum jam fuisse, nec annis sedisse tantùm duobus, ut Cratepolius ab anno Redemptoris octingentesimo tricesimo-sexto ad octingentesimum duodequadragesimum contendit, sed *secundùm alios*, ut Heda testatur, *annis multò pluribus*, id est, annis, ut arbitramur, duodecim, quos ab anno Redemptoris octingentesimo vicesimo-sexto ad octingentesimum duodequadragesimum numeramus.

AN. CH. 828. LUDOV. IMP. 15. LOTHAR. IMP. 12. PIPPINI R. 14. LUDOV. R. 12.

XLIX. Idem Fredericus hoc laudandus anno videtur, quòd in Walacriam se contulerit, ut incolas illius Insulæ suis hortationibus ab infami lascivia revocaret. Auctor Actorum [a] nostram opinionem satis validè confirmat præmissâ narratione rerum, quæ potuerunt intra biennium post susceptum Pontificatum ab hoc Episcopo geri, priusquàm in Walacriam proficisceretur. *Imperator beatum virum vocavit ad prandium, ac deinde cum summo honore à se Trajectum dimisit. Cúmque ad Rhenum ventum esset, ejus regionis Clerus & populus, qui domi remanserat, in unum collectus, illi ruit obviam, Déoque pro optato Pastore gratias agens immensas, ad Castrum eum cum dignis laudibus deduxit, atque in Templo beatissimæ matris Dei, ubi cum sociis conditus est Martyr Bonifacius, in Episcopi Sede eum collocavit. At ille suo more ad singulas Sanctorum aras precaturus accessit, & eodem die sacrificium offerens, cùm ad populum concionatus, & ei benè precatus esset, peracto ministerio domum abire permisit. Mansit autem in eodem Castello diu satis, populum docens, ita ut quicquid illic vetusti erroris relictum erat, divinis eloquiis extirparit. Non efferebatur animus ejus Pontificiâ dignitate, sed convenienter Scripturæ divinæ, quantò erat major, tantò se magis humiliabat in omnibus. In præstandis eleemosynis æquè, ut anteà, fuit largus, ad suscipiendos peregrinos semper paratus, captivis & compeditis liberandis deditissimus. Visitabat infirmos, nudos vestiebat, cunctis se affabilem & amabilem exhibebat, vigiliis & orationibus delectabatur, cum Propheta septies in die laudem Domino dicebat. Semper uno & eodem erat animo, odii & ira planè expers, pacis verò & concordiæ studiosus, morum integritate nulli secundus. Quicquid in muris Templi, Fratrum domiciliis, & in parietibus Castri collapsum fuerat, instauravit, & religiosioribus quibusdam Clericis & laicis, ne quid erroris aut perturbationis existeret, asservandum commendavit. Deinde Diœcesim suam visitare cupiens, ad Insulam supradictam studio evangelizandi primùm iter intendit suum.*

[a] Ap. Sur. d. 18. Jul.

FREDERICUS EP. ULTRAJECTENSIS

L. Causa itineris hæc fuit. Ludovicus Augustus apud Fridericum Ultrajectensem Episcopum questus est de incolis Walacriæ adeò infamibus, ut in illa Insula *non solùm frater sorori, verùm etiam filius sua propria genitrici concumbere diceretur.* Plerique Scriptores, quos suprà jam redarguimus, Episcopatum Frederici biennem ab anno Redemptoris octingentesimo tricesimo-sexto ad octingentesimum duodequadragesimum constituunt. Inde fit, ut Ludovicus Imperator auribus Frederici proximo post ejus ordinationem die sermonem de itinere in Walacriam suscipiendo ingessisse

AN. CH. 828.

perhibeatur. Audi Joannem de Beka [a]. *Peractâ benedictione solemni, Cæsar imperavit festivam celebrari Curiam, cunctísque discumbentibus magnam ferculorum ostendit opulentiam, crastinâ verò exhinc ortâ luce cùm Solare jubar matutinum illustraret hemisphærium, Imperator placabilibus verbis in hunc modum Fredericum allocutus est Episcopum. Elegit te, charissime fili, Clerus Trajectensis in Pastorem providum, ut tuâ sacrâ prædicatione debeas ubique prophanum castigare populum. Est autem Walachria tua Diœcesis Insula multùm infamis, ubi, proh dolor, concumbere dicitur non solùm frater sorori, verùm etiam filius suæ propriæ genitrici. Quapropter te adjuramus propter Omnipotentem Dominum, quatenus tales abominandos homines Synodali correctione punire non formides, aut certè si opus fuerit execrare non omittas.* Eadem leguntur apud Surium in Actis Friderici [b]. *Dominus te*, inquit ad Fridericum coram Episcopis Imperator, *in Sacerdotem magnum elegit, charissime, tanto muneri idoneum te sciens. Oro igitur, ut perseveret in te studium adhortandi & verbum Dei prædicandi apud feroces maritimas gentes. Est sanè Insula Walacrana, tibi, ut reor, satis cognita, in qua, proh dolor, quod nuper ad nostras pervenit aures, passim sibi matrimonio jungunt neptes suas, aut etiam, quod est deterius, sorores, vel ipsas quoque matres suas. In illa autem Insula, uti satis constat, antecessores tui strenuè laborarunt: quod verò ipsi excolere non potuere, tibi procul dubio absolvendum reliquerunt. Adjuro igitur te per Deum vivum & verum, ut si quis, sive nobilis, sive ignobilis, sive dominus, sive servus, dives vel inops, à Christiana Religione aberrans, ejusmodi se facinoribus contaminarit, ubi primùm id resciveris, corrigas illum. Quòd si reprehensus abs te, non se ad meliorem frugem receperit, & te vel Ecclesiam non audierit, à communione fidelium authoritate tibi traditâ illum separes, sitque ceu ethnicus & publicanus, donec verâ pœnitentiâ convertatur ad Dominum, qui semper paratus est misereri.* Quæ sequitur Frederici responsio, commentitia est; omittitur hic à nobis, quia commodiùs examinabitur cum causa Martyrii, quod Fredericus anno Redemptoris octingentesimo duodequadragesimo subiit.

[a] In Ep. Ultraject. 8.

MONITUS A LUDOVICO IMP.

[b] Die 18. Jul.

LI.

ERUDIT WALACHRIENSES.

Quonam exitu Walacrienses erudierit Fredericus, idem Auctor sic exponit. *Prospero cursu ad Walachranam appulit. Egressus autem in terram, ad Ecclesiam se contulit, jubens interim in aprici gramine campi suum figi tentorium. Eum verò ut ejus Insulæ habitatores conspexere, multi, quibus sanior erat mens, undique ad eum confluere, & eo quo par fuit honore eum excipere cœperunt. Porrò complures iis, quæ ante diximus, polluti flagitiis, jam arma sua adversùs eum expediebant, tanquam prælium inituri, aiebántque se, si quid ipsis molestiæ attulisset, illum planè trucidaturos. Id ubi Sanctus Episcopus accepit, Sanctam omnibus Synodum indixit, excommunicationis sententiam intentans illis, qui nollent ei interesse. Illi verò minas ejus floccipendentes, in sua perversitate permanserunt. Porrò soli seniores ad Sanctam venere Synodum, & eam, quam decebat, in omnibus obedientiam declararunt. Beatus autem Antistes ut vidit illorum obstinatos animos, séque illis convertendis frustrà navare operam, cum lachrymis obsecrabat senes omnes illic præsentes, ut ad destruenda incesta illa connubia pro sua virili opem ferrent, Dominóque talenta duplicata referre curarent. Non recusarunt illi, sed rogarunt refractarios illos, ne tam barbaros se exhiberent, sed ab Episcopo, cujus curæ essent commendati, veniam peterent, suámque culpam faterentur & agnoscerent, ne, si secus facerent, Dominus totam Insulam vel peste, vel fame, vel hostili incursu perderet, quòd Pastorem ipsis præpositum despicere viderentur. Interim Episcopus cum Clericis in Ecclesia Deum rogabat gemitibus inenarrabilibus, ut illorum cordibus adspiraret sanam mentem & voluntatem agendi pœnitentiam, & in operibus bonis eis præstaret constantiam, ne post susceptam emendationem rursus instar canum redirent ad vomitum. Non despexit Deus preces servi sui. Proximâ enim luce, illo cum Clericis de Scripturis divinis colloquia miscente, ex pagis undique ad eum accurrere permulti, ex animo petentes veniam, & dignam se acturos pœnitentiam pollicentes. Tum vir Sanctus miri-*

AN. CH. 828. LUDOV. IMP. 15. LOTHAR. IMP. 12. PIPPINI R. 14. LUDOV. R. 12.

ficè exhilaratus, in Sanctum ingressus est Conventum, dixitque eis non posse illos dignam agere pœnitentiam, nisi fœda priùs connubia discinderent & execrarentur, juramentóque confirmarent se ea nunquam repetituros. Id postquàm omnes devotis animis fecere, agendámque pœnitentiam suscepere, vir Dei aliquot dies mansit illic, docens illos ea quæ Dei sunt. Cùm autem inde esset abiturus, magnæ sanctitatis Presbyteros apud illos reliquit, qui plebem in officio retinerent, atque ita cunctis valefaciens inter eundum suas visitavit parœcias, cunctísque rectè constitutis Trajectum venit, & aliquandiu illic moratus est.

LII. Friderico Trajectensi Episcopo synchronus vixit Odulphus Presbyter, cujus primordia pridie Idus Junii, partim apud Surium, partim apud Molanum, retexuntur. *Odulphus parentum nobilitate non infimâ, nec suo tempore obscurâ, progenitus intra Leodiensis Episcopii Diœcesim, provinciâ Tessandriâ, oppido cui nomen est Orescor, extitit oriundus.* Hoc est initium vitæ manuscriptæ, quod suis in notis allegavit Molanus cum hac observatione. *Legendum videtur Oreschot. Natus est enim Ooreschoti in campestri Brabantia, ubi in parentum prædio extat Ecclesia in ejus honorem.* Hanc emendationem suadet Auctor à Surio publicatus, qui laudes Odulphi sic prosequitur. *In cunctis virtutibus proficiens, etiam Ecclesiasticorum Ordinum gradus ascendit, & Presbyterii est benedictionem adeptus, Regis altissimi Sacerdos effectus. Tum verò mox apud se decrevit studio piæ conversationis ad quoddam sacræ Religionis Monasterium se conferre. At parentes eum dehortabantur, ne id faceret, sed potiùs ad ipsorum se voluntatem accommodans, Ecclesiam Oreschattanam administrandam susciperet. Illic enim & natus & educatus erat. Victus tandem precibus illorum, morem eis gessit ea in re, quamvis invitus. Sed non diu pòst visum est ei adire summa reverentia locum Trajectum, antiquitus Wittenburg dictum, idque eâ mente & consilio, ut illic cum ceteris Dei famulis, Christo ibidem militantibus, quoad viveret, præpotenti Deo fideliter serviret. Memoriâ ergo retinens, quod in Evangelio Salvator ait; [qui non renunciat omnibus, quæ possidet, non potest meus esse discipulus] posthabito patre, neglectis propinquis, contemptis agris, familiâ, rebus & facultatibus omnibus, ad locum illum Christo duce profectus est, rebus quidem pauper sed meritis dives. Nihil jam in hoc mundo habere volebat, ut à Domino juxta illius promissionem centuplum acciperet, & vitæ æternæ hæres esse mereretur. Erat per id tempus Trajecti Episcopus eximiâ sanctitate, Fridericus nomine, qui virum Dei cum multo gaudio & honore excepit. Fecerunt idem omnes servi Dei, qui illic erant adunati, ex animo sibi gratulantes tam sanctum támque religiosum ad ipsos Dei famulum accessisse. Nec potuit diu illos celare, quod oculos Divinæ Majestatis non latuit, sed cùm aliquantisper apud illos moratus esset, omnibus ardens cælesti lumine lucerna resplenduit. Erat enim in vigiliis strenuus, in jejuniis potens, in oratione sedulus, in sacra lectione studiosus, in eleemosynis largus, in curandis pauperibus celebris, in hospitalitate fervens, in rebus Ecclesiasticis distribuendis prudens. Denique quibus post Antistitem præfectus erat, eos omnes mirum in modum antecedebat. Neque aliter vel ab omnibus illis, vel ab ipso etiam Præsule, quàm Monasterii pater vocabatur, atque ab ejus ore omnes cupiebant accipere consilium. Omnibus enim omnia factus erat cum Apostolo, ut omnes Christo lucrifaceret.* In Actis [a] Sancti Frederici Ultrajectensis Episcopi, Angelus Odulphum Sacerdotem *in Oreschot* commorantem *per visum* admonet, ut *ad Trajectense Castrum* sive Ultrajectum properet, *mansurus illic cum ceteris famulis Christi, & beato Friderico Episcopo strenuam navaturus operam in habendis ad populum concionibus, ubicunque illi visum fuerit.* Quo de munere post biennium fusiùs agemus. Interim observa Odulphum Angelicæ monitioni adeò diligenter paruisse, ut Ultrajectum *post triduum* pervenerit.

ODULPHUM PRESBYTERUM SUSCIPIT.

[a] Ap. Sur. d. 18. Jul.

LIII. Domnus Joannes Mabillonius in Præfatione [b], quam primo Tomo Seculi quarti Benedictini præposuit, à Dungalo Recluso librum contra blasphemas Claudii Taurinensis Episcopi nænias editum vult *biennio post*

[b] Num. 25.

AN. CH. 828.

LUDOV. IMP. 15. LOTHAR. IMP. 12. PIPPINI R. 14. LUDOV. R. 12.

CLAUDIUS EP. TAURINENSIS IMPUGNAT CULTUM IMAGINUM.

Synodum Parisiensem, id est, anno Redemptoris octingentesimo vicesimo-septimo. Sub operis initium duo leguntur Characteres Chronologici, sed neuter annum determinatè notat. Unus sic occurrit. *Qualis & quanta est insana elatio & vana temeritas, ut quod à primævo tempore Christianitatis per annos fermè* DCCCXX *aut eo amplius à sanctis ac benignissimis Patribus & religiosissimis postmodum Principibus ad gloriam & laudem Dei in Ecclesiis & in quibuslibet Christianorum domibus fieri concessum, constitutum, & jussum est, unus homo blasphemare, reprehendere, conculcare, projicere, ac sufflare præsumat?* Auctor his vocibus, *aut eo ampliùs*, nullum speciatim annum designat, sed annorum decadem vagè complectitur ab anno Redemptoris octingentesimo vicesimo ad octingentesimum tricesimum. Alter Character sic exhibetur. *De hac imaginum pictarum ratione, de qua iste in exordio suæ proponit epistolæ, inquisitio diligentiùs ante, ut reor, biennium, apud Gloriosissimos & Religiosissimos Principes habita est in Palatio, ubi Divina Scriptura, sanctorúmque librorum, & probatissimorum, qui eos scripserunt, virorum exemplis atque auctoritate, cum quanta & quali moderatione ac discretione sint habendæ inventum, confirmatum, satisque evidenter diffinitum est.* Mabillonius hanc inquisitionem Synodum seu Collationem interpretatur, quæ mense Novembri Parisiis habita est anno Redemptoris octingentesimo vicesimo-quinto, atque inde concludit Dungalum scripsisse anno Redemptoris octingentesimo vicesimo-septimo. Valdè probabilis hæc opinio. Scrupulum tamen movet Dungalus, quia inquisitionem, de qua loquitur, *apud Gloriosissimos & Religiosissimos Principes* habitam ait *in Palatio*, idque minimè convenit Synodo seu Collationi Parisiensi, quæ facta est procul à Ludovici & Lotharii Augustorum præsentia. Literæ Conventûs Parisiensis ad Ludovicum Imperatorem Aquisgrani commorantem sic inchoantur. *Nos servi ac fidelissimi Oratores vestri, qualiter proximis Kalendis Novembris apud Parisiorum urbem juxta Præceptum vestræ Magnitudinis in unum convenimus, qualitérque de negotio à vestra Pietate nobis injuncto de causa videlicet Imaginum egerimus, ad memoriam vestræ Celsitudinis reducimus.* Qui Collectionem Aquisgranum detulerunt, ii se Ludovico stiterunt octavo Idus Decembris, sic enim idem Imperator suum Commonitorium orditur. *Venerunt ad præsentiam nostram Halitgarius & Amalarius Episcopi* VIII *Idus Decembris, deferentes Collectiones de libris Sanctorum Patrum, quas in Conventu apud Parisios habito simul positi collegistis.* Erat Lotharius in comitatu Ludovici patris, ut ad illum annum ex Annalista Laureshamensi probavimus. Ambo Romam Eugenio Papæ collectas à Conventu Parisiensi Sententias Patrum in causa Imaginum transmiserunt. Porrò cùm procul abfuerint ab illo Conventu, si quid posteà in eorum præsentia Regióque Palatio statutum est ab Episcopis, id actum videtur anno Redemptoris octingentesimo vicesimo-sexto, postquàm Romà reversi sunt, qui Romano Pontifici Collationem Parisiensem exhibuerunt Episcopi. Vetus Charta, quam suo loco recitavimus [a], Ludovicum & Lotharium Augustos duodecimo Kalendas Julias, anno Redemptoris octingentesimo vicesimo-sexto, in Ingelheimiensi Palatio simul commoratos ostendit. Hæc quisquis attentè legerit, nobis fortè non succensebit, quòd hoc anno Redemptoris octingentesimo duodetricesimo librum Dungali scriptum arbitremur. Hæc autem fuit scriptionis causa. Claudius Taurinensis Episcopus, cujus mentionem priore Tomo frequenter fecimus, auctoritate, quâ multùm apud Ludovicum Augustum pollebat, nimis elatus, Imagines & Cruces in sua Diœcesi delevit, evertit ac confregit. Ea re compertâ, Theodemirus Abbas eum per literas redarguit. Claudius Apologeticum, ut vocat, advetsùs Theodemirum scripsit. Theodemiri defensionem suscepit Dungalus Diaconus.

[a] An. 826. n. 24.

LIV. Theodemirus Abbas fuit, non quidem in Hispania ut nonnulli ex ejus nomine & ex Calagurritanorum Præsulum Catalogo suspicati sunt, sed

AN. CH. 828. LUDOV. IMP. 15. LOTHAR. IMP. 12. PIPPINI R. 14. LUDOV. R. 12.

in Gallia, atque, ut opinamur, in Septimania. Sic enim ad eum Claudius in suo Apologetico. *Denuntias te esse turbatum, eò quòd rumor abierit ex Italia de me per omnes Gallias usque ad fines Hispaniæ, quasi ego sectam quandam novam prædicaverim contra Regulam fidei Catholicæ.* Id est, ex Italia, ubi Taurinum, usque ad Septimaniam ubi Monasterium cui Theodemirus præest in finibus Hispaniæ. Jonas Aurelianensis Episcopus, qui seriùs tres adversùs Claudium libros composuit, Theodemirum Gallicanis Abbatibus videtur annumerasse, cùm de eodem Claudio hunc in modum locutus est [a]. *Fertur intereà in sugillationem ejusdem Abbatis totiúsque Gallicanæ Ecclesiæ, tantæ prolixitatis evomuisse libellum, ut* &c. Theodemirus Monachis centum & quadraginta præerat, idque testatur Claudius in sua responsione. *Dicis*, inquit, *te habere catervam Monachorum centum quadraginta, qui omnes pœnitentiæ causâ ad te venerunt, & se Monasterio tradiderunt.* Jonas Theodemirum & illius ad Claudium literas sic commendat. *Quidam sanè sanctæ Religionis proposito venerandus, & honestate vitæ imitandus, debitóque honore nominandus Theodemirus Pater Monachorum, nunc jam rebus humanis exemptus, cùm jam longè latéque famâ crebrescente ab eodem Claudio talia geri & prædicari contra auctoritatem Ecclesiasticam didicisset, charitatis officio ductus, & unicæ gentis amore provocatus, eidem Claudio, ut ab his se, quæ reprehensibiliter agebat & docebat, compesceret, literis charitate refertis mandari curavit.* Inter Theodemirum & Claudium singularis intercesserat amicitia. Claudius, hortatu Theodemiri, Commentarios edidit, in Genesim anno Redemptoris octingentesimo decimo-quinto, in Exodum anno Redemptoris octingentesimo vicesimo-primo, in Leviticum anno Redemptoris octingentesimo vicesimo-tertio. Testis ejus Prefatio in libros super Leviticum ad ipsum Theodemirum. *Cogis & compellis, carissime frater Theodemire Abba, atque, ut ita dicam, stomachanti animo me reprehendis diu siluisse, nec paruisse jussioni tuæ in expositione Levitici. Biennium est quòd tibi direxi expositionum atque informationum litteræ & spiritûs in Exodo libros quatuor; quibus principium est [post expositionem libri Geneseos] unde ante hos octo annos ex dictis Sanctorum Patrum de littera & spiritu tres edidi libros. E contrario tu respondes evenisse tibi quod provenit Jacob, qui pro Rachel servivit, & in nocte Liam accepit, ita & tu petisti expositionem libri Levitici, & accepisti Exodi. Nec in hoc facto re verâ me agnosco satis errasse. Quia sicut illis non erat consuetudo ut minores priùs traderentur ad nuptias quàm majores, ita nec mihi visum rectum fuit, ut priùs exponeretur sacrificii ritus quàm sacrificiorum ministri vel locus. Quòd verò jussioni tuæ hactenus parere nequivi, non fuit pigritia vel torporis negligentia, sed rei publicæ infestatio dira, & malorum hominum nimia perversitas. Quæ duæ res me in tantum cruciant, ut mihi jam sit tædium vivere, debilitatúsque pennis virtutum non valeo in solitudinem fugere, ubi aliquantulùm requiescam,* &c. Scribebat hæc Claudius, ut in ejusdem Præfationis fine testatur, *anno Incarnationis* DCCCXXIII *Salvatoris Jesu Christi Domini nostri.* Erat jam Taurinensis Episcopus, & in operis fine non dissimulavit se propter suam doctrinam in contemptum apud multos venisse. *Hanc*, inquit, *adstruendo & defendendo veritatem, opprobrium factus sum vicinis meis, & timor notis meis, in tantùm ut qui videbant nos, non solùm deridebant, sed etiam digito unus alteri ostendebant.* Inde colligimus Claudium, quamvis errores suos citiùs disseminare cœperit, nondum apud Theodemirum Abbatem malè audiisse, cùm hic suos Commentarios in Leviticum scriberet. At res paulò pòst per Galliam cunctis innotuit. Theodemirus enim suas ad Claudium literas direxit anno Redemptoris octingentesimo vicesimo-quarto, cùm in Septimania nuntius nondum acceptus esset de morte Paschalis Papæ, cujus obitus illo anno, pridie Idus Maias, Indictione secundâ contigit. Claudius in Apologetico contra Theodemirum de Paschale jam mortuo sic loquitur. *Displicere tibi*

[a] Lib. 1.

AN. CH. 828.

LUDOV. IMP. 15.
LOTHAR. IMP. 12.
PIPPINI R. 14.
LUDOV. R. 12.

dicis, eò quòd Dominus Apostolicus indignatus sit mihi. Hoc dixisti de Paschali Ecclesiæ Romanæ Episcopo, qui præsenti jam corruit vitâ. Taurinenses Infulas ante annum Redemptoris octingentesimum vicesimum-primum adeptus est Claudius. Id probatum Tomo superiore. Quamvis autem annus nullibi determinatè notatus inveniatur, deprehendi tamen potest ex ejusdem Claudii Præfatione ad Ludovicum Augustum in expositionem Epistolarum ad Ephesios & ad Philippenses, si res attentè perpendatur. Anno Redemptoris octingentesimo decimo-sexto Claudius, ut suo loco [a] probavimus, Commentarium edidit in Epistolam ad Galatas, & Dructeranno seu Ductramno Abbati Solemniacensi lucubrationem illam tres in libros distinctam inscripsit. Anno postero factus est Episcopus, & Commentarios in Epistolas ad Ephesios & Philippenses Imperatori Ludovico dedicavit. Utrumque testatur in operis Præfatione. De suo in Epistolam ad Galatas Commentario sic scribit. *Epistolam sanè Apostoli ad Galatas, in qua anno præterito, in quantùm valui, studiosissimè laboravi, nihil in ea nuper auxi, sed ita, ut anteà à me comprehensa est, huic verò operi juxta ordinem suum in capite sociavi.* In illo textu per has voces, *anno præterito*, Præfationem in expositionem Epistolarum ad Ephesios & ad Philippenses à se scriptam docet anno proximo, postquàm Commentarium in Epistolam ad Galatas ediderat. Hunc autem Commentarium scripsit anno Redemptoris octingentesimo decimo-sexto, Præfationem igitur in expositionem Epistolarum ad Ephesios & ad Philippenses exaravit anno Redemptoris octingentesimo decimo-septimo. Utrumque opus Ludovico Augusto transmisit, hunc enim Imperatorem in eadem Præfatione sic alloquitur. *Epistolas Beati Apostoli Pauli ad Ephesios atque ad Philippenses, non tam ex majorum tractatibus, quàm ex diversorum tractatuum sententiis, veluti mendicus non habens propriam segetem, sed post terga metentium ex aliorum segete congregat sibi victum, ne hyemis tempore fame periclitetur, ita & ego ex aliorum dictis has brevi stylo comprehendi Epistolas. Quam expositionem si aptam ad legendum judicaverit Serenitas vestra, ad auctorem referite Christum, quia hoc ipsum, ut præfatus sum, donante Domino vestrum est.* Et paulò pòst, ut textus jam citatus probat, ait *Epistolam Apostoli ad Galatas*, in cujus expositione *anno præterito studiosissimè* laboraverat, à se *huic operi juxta ordinem suum in capite* sociatam esse, ita ut Imperatori Commentarios offerat in tres Epistolas Beati Pauli, nempe ad Galatas, ad Ephesios, & ad Philippenses, juxta ordinem, quo referri solent inter Epistolas ejusdem Apostoli. Ut omnes Beati Pauli Epistolas exponeret, urgebatur ab Imperatore, nec id initio suæ Præfationis dissimulat. *Proprio Domino meo Inclyto atque Glorioso, mihi speciali cultu affectúque præ cunctis mortalibus diligendo, gratiâ Dei patri patriæ potiùs quàm Imperatori, cujus Imperii dignitas ex fonte orta est pietatis, Sanctæ Dei Ecclesiæ Catholicæ filio Hlodobico, Claudius peccator. Cùm nostris temporibus tepescentibus studiis rarus quisque inveniatur cotidianâ intentione promptissimus, non solùm ad disserendum quæ indiscussa sunt, sed etiam ad legendum quæ jam à majoribus disserta sunt, mirum à me opus tanta ac tam sublimis vestra exigit Imperialis potestas, cùm Epistolas Magistri gentium Apostoli Pauli ex tractatibus majorum nostrorum disserere jubet, qui nos inluminantes è Christo in studio hujus operis affatim scientiâ & tempore præcesserunt.* Et infrà, cur expositionem trium duntaxat Epistolarum transmittat, nec tam citò Commentarios in ceteras possit absolvere, rationem sic reddit haud obscurè petitam ab Episcopatûs onere sibi nuper imposito. *De ceteris verò Epistolis, licèt plurima penes me teneantur excerpta, multa tamen adhuc supersunt perquirenda. Sed quia me anno præsenti, præpedientibus peccatis meis, graviter obligastis, & nimiis anxietatibus deditus, mihi vivere non libet, neque Scripturas perscrutari licet. Unde obsecro Clementiam vestram, ut non mihi sitis molestus exactor, quia, si me adjuverit pietas divina, ego ad reddendum devotus sum debitor.* Ad Infulas igitur

[a] Ad an. 816. n. 28.

tur Episcopales assumptus est anno Redemptoris octingentesimo decimo-septimo, eodémque anno Commentarios in Epistolas ad Galatas, ad Ephesios & ad Philippenses obtulit Imperatori; an ceteris etiam exponendis operam navarit, inquiremus inferiùs ad annum Redemptoris octingentesimum undequadragesimum. Factus Episcopus animum ostendit ab hæresi prorsus alienum, nec alio consilio hæc prælaudatæ inseruit Præfationi. *Funestum atque detestabile Pelagii dogma, qui ingratus divinæ gratiæ exstitit prædicator, per cælestis gratiæ gratissimum præconem beatissimum Augustinum de hac Epistola, quantùm potui, funditus abdicavi. Sed & illorum, qui ex hac ad Ephesios Epistola fulciri moliti sunt hæresem suam, ubi ait,* [*sicut elegit nos ante mundi constitutionem,*] *animas hominum ante mundi principium fuisse & coæternas Deo Creatori senserunt, sive etiam in Epistola ad Philippenses Deum Patrem potiorem Filio crediderunt. Hæc omnia, velut mortale præcipitium aut lethale virus, Catholicis auribus denuncio fugienda.* Depositâ pòst larvâ, qualis esset mente, factis comprobavit, variisque prætextibus in sua Diœcesi Sacras Imagines Sanctorum evertit ac confregit. Plerisque mox contemptui fuit ob suam doctrinam, idque non dissimulavit in literis, quas ad Abbatem Theodemirum anno Redemptoris octingentesimo vicesimo-tertio direxit. Alia non occurrunt, quæ distinctiùs notent vel annum quo suscepit Episcopatum, vel tempus quo cœpit Iconoclastarum hæresim publicè profiteri.

LV. Hispani [a] Theodemirum, qui Claudium Iconoclastam scriptis redarguit, Episcopum Calagurritanum ex Abbate Benedictino factum volunt, illúmque scribunt ad annum Redemptoris octingentesimum quadragesimum aut etiam ad octingentesimum quadragesimum-quartum pervenisse. Nos eum Gallum extitisse jam probavimus, lubentérque assentimur iis qui negant Episcopum fuisse, mortuúmque affirmant anno Christi circiter octingentesimo tricesimo. Perierunt literæ, quas Claudio scripsit anno Redemptoris octingentesimo vicesimo-quarto. Quid autem continerent, ex Apologetico Claudii, seu potiùs ex illius Apologetici fragmentis, quæ supersunt, satis innotescit. Claudius lectis hisce literis, impatiens admonitionis fraternæ, turbidâque indignatione permotus, non solùm in Theodemirum à quo justè redarguebatur, sed etiam in alios quosque syncerissimos Ecclesiæ Catholicæ cultores invectus est, *eósque*, ut ait Jonas [b], *& idololatriæ abominatione, & falsæ religionis superstitione, & innumeris aliis sceleribus irretitos, sicut textus suarum literarum demonstrat, appellare non erubuit.* Suum quoque Apologeticum sic exorsus est adversùs Theodemirum. *Epistolam tuam cum adjunctis subter capitulis plenam garrulitate atque stoliditate per quendam accepi rusticum portitorem, in quibus capitulis denuntias te esse turbatum, eò quòd rumor abierit ex Italia de me per omnes Gallias usque ad fines Hispaniæ, quasi ego sectam quandam novam prædicaverim contra regulam fidei Catholicæ, quod omnino falsissimum est. Nec mirum est, si de me ista dixerunt diaboli membra, qui ipsum caput nostrum & seductorem & dæmoniacum proclamaverunt. Ego enim non sectam doceo, qui unitatem teneo & veritatem proclamo. Sed sectas, & schismata, & superstitiones, atque hæreses, in quantum valui, compressi, contrivi, pugnavi, & expugnavi, & expugnare, in quantum valeo, prorsus Deo adjuvante non cesso. Hoc autem idcircò provenit, quia postquàm coactus suscepi sarcinam Pastoralis officii missus à Pio Principe Sanctæ Domini Ecclesiæ Catholicæ filio Hludovico, & veni in Italiam civitatem Taurinis, inveni omnes Basilicas contra ordinem veritatis, sordibus anathematum, & imaginibus plenas, & quia quod omnes colebant, ego destruere solus cœpi, idcircò aperuerunt omnes ora sua ad blasphemandum me, & nisi Dominus adjuvisset me, forsitan vivum deglutissent me.* Apologeticus hic liber *tantæ prolixitatis* fuit teste Jona [c], *ut magnitudine suâ quinquagenis Psalmis Davidicum superaverit Psalterium.* Non extat integer, supersunt tantùm frag-

SCRIPTO CONTRA THEODEMIRUM ABB. LIBRO,

[a] Martyrol. Hispan. d. 30. Jul.

[b] Lib. 1.

[c] Lib. 1.

AN. CH. 828. menta, quæ Dungalus in suis Responsis, & post eum Jonas tribus refutavit libris.

LUDOV. IMP. 15. LOTHAR. IMP. 12. PIPPINI R. 14. LUDOV. R. 12.

Adversùs illam Apologiam aliquot annis ante Jonam Dungalus librum edidit cum hoc Præfationis initio. *Hunc libellum responsiones ex auctoritate ac doctrina Sanctorum Patrum defloratas & excerptas continentem, & sub nomine & honore Gloriosissimorum Principum, Christianissimorum Sanctæ Ecclesiæ Rectorum, Domini Hludowici Maximi ac Serenissimi Imperatoris, ejusque filii Nobilissimi Augusti Hlotharii, ego Dungalus in Dei & eorum obsequio esse dicandum componendúmque devovi contra insanas blasphemásque Claudii Taurinensis Episcopi nenias.* De tempore, quo Dungalus scripsit, disputatum suprà.

LVI. REFUTATUR A DUNGALO.

Fuit autem *Dungalus Reclusus Monasterii*, ut Mabillonius [a] existimat, *Dionysiani in agro Parisiensi.* Non inanes sunt conjecturæ, quibus hæc opinio nititur. Anno Redemptoris octingentesimo decimo *Sol & Luna bis* apud Annalistam Laureshamensem deficiunt. De duplici Solis eclipsi, quæ per illum annum contigit, literas ad Carolum Magnum misit Dungalus *interventu Waldonis Abbatis, cui ejus rei gratiâ Carolus direxerat epistolam, ut per illam ipse ex Caroli verbis Dungalum interrogaret de ratione defectûs Solis.* Waldo seu Walto tunc Abbas erat Monasterii Dionysiani, cujus administrationem, ut Tomo priore probavimus, ab anno Redemptoris octingentesimo sexto ad octingentesimum decimum-quartum gessit. Deinde Judicio Papyrii Massoni, qui primus librum Dungali contra Claudium publicavit, idem *liber videtur scriptus in prædicto Monasterio Beati Dionysii ad Sequanam flumen, ubi in manibus Velii Benedictini Ordinis, & Bibliothecarii, nobilis & docti viri, à multis visus est.* Cujas extiterit Dungalus, haud patet. Exterum se, non Gallum prodit in operis sui Prologo; Diaconus est Bellarmino & Labbeo, Reclusus Mabillonio.

[a] In Præfat. Tom. 1. Sec. 4. Benedict. n. 39.

LVII. Quas Claudius quæstiones in suo moverit Apologetico, Dungalus paucis ita complectitur. *De tribus præcipuè causis ille impudens calumniator in sua disputavit epistola; hoc est, primò de Imaginibus confringendis ac projiciendis; secundò de Cruce non honoranda ampliùs, quàm asinus quilibet aut spinosa rubus; novissimè & tertio loco, Memorias Sanctorum, & specialiter Ecclesiam Sancti Petri orandi causâ prohibet adiri, dicens hunc laborem vanum esse & inutilem sine aliquo profectu, vocánsque eos, qui illum arripiunt, cæcos, insipientes, & stultos; adfirmat enim Reliquias, id est, ossa hominum quamlibet Sanctorum, ossibus pecorum vel veriùs lignis & lapidibus aliáve quapiam terrâ non esse reverentiora.* Hos errores Claudii refutavit Dungalus auctoritate Sanctissimorum Patrum, Gregorii Nysseni, Ambrosii, Joannis Chrysostomi, Hieronymi, Augustini, Paulini, Gregorii Magni, & Fortunati, necnon & Prudentii ac Sedulii Christianorum Poëtarum.

LVIII. Claudius contra cultores Imaginum sic ratiocinabatur. *Dicunt isti contra quos Dei Ecclesiam defendendam suscepimus. Non putamus Imagini, quam adoramus, aliquid inesse divinum, sed tantummodo pro honore ejus, cujus effigies est, tali eam veneratione adoramus. Cui respondemus, quia si Sanctorum Imagines hi, qui dæmonum cultum reliquerunt, venerantur, non idola reliquerunt, sed nomina mutaverunt. Si enim scribas in pariete, vel pingas Imagines Petri & Pauli, Jovis & Saturni sive Mercurii, nec isti dii sunt, nec illi Apostoli; nec isti, nec illi homines; ac per hoc nomen mutatur, error tamen & tunc & nunc idem ipse permanet semper. Certè si adorandi fuissent homines, vivi potiùs quàm mortui adorandi esse debuerunt, id est, ubi similitudinem Dei habent, non ubi pecorum, vel, quod veriùs est, lapidum, vel lignorum, vitâ, sensu & ratione carentem.* Hæc ille.

LIX. Ad quæ Dungalus primùm respondit ex Gregorio Magno & ex aliis Patribus, quod sæpè superioribus Tomis inculcavimus, Imagines Sanctorum nec frangendas esse, nec adorandas cultu latriæ qui Deo soli debetur. Deinde sermonem ad explicandos Ecclesiæ Catholicæ ritus ita con-

AN. CH. 828.
LUDOV. IMP. 15.
LOTHAR. IMP. 12.
PIPPINI R. 14.
LUDOV. R. 12.

vertit. *Eunomius & Vigilantius haretici, eorúmque sectatores*, qualis est Claudius, *solent Catholicos blasphemare, vocantes eos idololatras & mortuorum hominum cultores, sicut & pagani extiterunt, eò quòd Reliquias Martyrum pro Christo patientium venerantur. Quibus nos econtrà respondemus, quia neque Sanctorum Imagines in parietibus pictas, neque eorum corpora in sepulchris condita sicut Deum adoramus, neque eis sacrificia ponimus, quod est adeò abominabile, sicut scriptum est [sacrificans diis eradicabitur nisi Domino soli.] sed tantùm eos, quorum effigies vel corpora sunt, in Deo veneramur, & per eorum intercessiones divinum nobis postulamus adesse subsidium. Unde Augustinus in libro octavo de Civitate Dei .... Nec tamen nos eisdem Martyribus Templa, Sacerdotia, sacra & sacrificia constituimus, quoniam non ipsi, sed Deus eorum nobis est Deus. Honoramus sanè Memorias eorum tanquam Sanctorum hominum Dei, qui usque ad mortem corporum suorum pro veritate certarunt, ut innotesceret vera Religio falsis fictísque convictis. Quis autem audivit aliquando fidelium stantem Sacerdotem ad Altare, & jam super Sanctum Corpus Martyris ad Dei honorem cultúmque constructum, dicere in precibus, offero tibi sacrificium, Petre, vel Paule, vel Cypriane, cùm apud eorum Memorias offeratur Deo, qui eos & homines & Martyres fecit, & Sanctis Angelis calesti honore sociavit. Ut eâ celebritate & Deo vero de illorum victoriis gratias agamus, & nos ad imitationem talium coronarum atque palmarum eodem invocato in auxilium ex illorum memoria renovatione adhortemur. Quacumque igitur adhibentur religiosorum obsequia in Martyrum locis, ornamenta sunt Memoriarum, non sacra vel sacrificia mortuorum tanquam deorum. Unde Hieronymus ad Riparium Presbyterum scribens contra Vigilantium .... Ais Vigilantium os fætidum rursus aperire, & putorem spurcissimum contra Sanctorum Martyrum proferre Reliquias, & nos, qui eas suscepimus, appellare cinerarios & idololatras, qui mortuorum hominum ossa veneramur. O infelicem hominem & omni lachrymarum fonte plangendum, qui hac dicens non se intelligit esse Samaritanum & Judaum, qui corpora mortuorum pro immundis habent, & etiam vasa, qua in eadem domo fuerint, pollui suspicantur, sequentes occidentem literam & non spiritum vivificantem. Nos autem, non dico Martyrum Reliquias, sed ne Solem quidem & Lunam, non Angelos, non Archangelos, non Seraphim, non Cherubim, & omne nomen, quod nominatur & in prasenti seculo & in futuro, colimus & adoramus, ne serviamus creatura potiùs quàm Creatori qui est benedictus in secula. Honoramus autem Reliquias Martyrum, ut eum, cujus sunt Martyres, adoremus. Honoramus servos, ut vel honor servorum redundet ad Dominum qui ait, [qui vos suscipit, me suscipit.]* Et inferiùs. *O profundam, rabidam, insanámque stultitiam, & dementissimam ebrietatem, vanissimámque prasumptionem, Corpora Beatorum Christi Apostolorum ac Sanctorum Martyrum, cadaveribus pecorum, lignis lapidibúsque ea aquare & comparare, per qua divina verba pradicationis quasi per sacra organa mundo intonuerunt, in quibus usque ad gloriosissimam Martyrii mortem & palmas triumphales contra diabolum ejúsque partem pro Christo totis dimicaverunt viribus, unde viva Hostia & placidissima acceptabilissimáque Deo sacrificia esse meruerunt. &c. Si ita viles & despecta sunt Reliquia Martyrum habenda, ut in nullo à cadaveribus & ossibus brutorum distent animalium, Christiani Imperatores, & omnes Episcopi, cunctíque Ecclesiarum populi, tam stultè & sacrilegè convincentur egisse, quantùm eas aliquando cum majori ambitione reverentioríque dignitate transtulisse atque honorasse videntur. Hinc Sanctus Hieronymus contra Vigilantium. Ergo sacrilegus fuit Constantinus Imperator, qui Sanctas Reliquias Andrea, Luca, & Timothei, transtulit Constantinopolim, apud quas damones rugiunt, & habitatores Vigilantii illorum se sentire prasentiam confitentur. Sacrilegus dicendus & nunc Augustus Arcadius, qui ossa beati Samuelis longo pòst tempore de Judaa transtulit Thraciam. Omnes Episcopi non solùm sacrilegi sed & fatui judicandi, qui rem vilissimam & cineres dissolutos in serico & vase aureo portaverunt. Stulti omnium Ecclesiarum populi, qui occurrerunt Sanctis Reliquiis, & tantâ latitiâ, quasi prasentem vi-*

AN. CH. 828. LUDOV. IMP. 15. LOTHAR. IMP. 12. PIPPINI R. 14. LUDOV. R. 12.

venientemque cernerent, susceperunt, ut de Palestina usque Chalcedonem jungerentur populorum examina, & in Christi laudes una voce resonarent ....

Altera Claudii quæstio fuit de Cruce. Dicunt, inquiebat, isti falsæ religionis atque superstitionis cultores. Nos ob recordationem Salvatoris nostri Crucem pictam atque in ejus honorem imaginatam colimus, veneramur atque adoramus. Quibus nihil aliud placet in Salvatore nostro, nisi quod & impiis placuit opprobrium passionis & irrisio mortis. Hoc de illo credunt, quod & impii homines, sive Judæi, sive pagani, qui eum resurrexisse diffidunt, & non noverunt de illo aliud cogitare, nisi eum tortum & mortuum, & semper in passione positum in corde suo credunt & retinent, & non attendunt neque intelligunt, quod ait Apostolus. [Et si noveramus secundùm carnem Christum, sed nunc jam non novimus.]

LX. Item. Contra quos respondendum est, quia si omne lignum schemate Crucis factum volunt adorare pro eo quòd Christus in Cruce pependit, & alia multa illis convenit quæ Christus egit per carnem. Vix enim sex horis in Cruce pependit, & tamen novem mensibus Lunaribus, & supra undecim dies in utero virginis fuit ..... Adorentur ergo puellæ virgines, quia virgo peperit Christum. Adorentur & præsepia, quia mox est ut natus in præsepio est reclinatus. Adorentur & veteres panni, quia continuò cùm natus est, pannis veteribus est involutus. Adorentur & naves, quia frequenter in navibus navigavit, & de navicula turbas docuit, & in navi dormivit, & de navi ventis imperavit, & in dextera navigii rete mittere jussit, quando prophetica illa magna captura piscium facta est. Adorentur asini, quia asellum sedendo ad Jerusalem usque pervenit. Adorentur agni, quia de illo scriptum est; ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi. Sed isti perversorum dogmatum cultores agnos vivos volunt vorare, & in pariete pictos adorare. Adorentur & leones, quia de illo scriptum est; vicit leo de tribu Juda radix David. Adorentur & petræ, quia quando de Cruce est depositus in saxeo sepulchro est positus, & de illo Apostolus ait, petra autem erat Christus. Sed Christus petra, agnus, & leo tropicè non propriè est dictus, per significantiam non per substantiam. Adorentur & spinæ ruborum, quia oxinde spinea corona tempore passionis capiti ejus imposita est. Adorentur & arundines, quia ab eis colaphis à militibus caput ejus cæsum est. Postremò adorentur & lanceæ, quia unus militum in Cruce lanceâ latus ejus aperuit, unde fluxit sanguis & aqua, sacramenta unde formatur Ecclesia. Ridiculosa ista omnia sunt & lugenda potius quàm scribenda. Cogimúrque contra stultos stulta proponere, & contra lapidea corda, non verbi sagittas vel sententias sed lapideos projicere ictus. Redite prævaricatores ad cor, qui recessistis à veritate, & diligitis vanitatem, & estis vani facti, qui rursum crucifigitis filium Dei, & ostentui habetis, & per hoc catervatim animas miserorum socias factas dæmonum habetis. Alienando eas per nefanda sacrilegia simulacrorum à creatore suo, habetis eas dejectas & projectas in damnationem perpetuam.

LXI. Ad hæc Dungalus sic respondit. Crucis veneratores falsæ religionis atque superstitionis cultores exprobrat olido cænosoque ructans hiatu, garriénsque nil sanctæ Cruci cujuslibet honoris vel dignitatis inesse, nisi tantummodo opprobrium passionis & irrisionem mortis. Et quasi ad hoc firmandum adsumit exemplum de Apostolo, [& si noveramus secundùm carnem Christum, sed jam nunc non novimus,] incongruè certè & inconvenienter velut ille, qui non intelligit abutens Scripturâ, vel si intelligit de industria velit eam depravare. Apostolus quippe, ut ait Augustinus in libro contra Faustum, suo more vitam nostram futuram, quæ jam in ipso homine mediatore Christo Jesu capite nostro resurgente completa est, ita spe certâ meditatur tanquam jam sit præsens quæ teneatur, quæ utique vita non erit secundùm carnem, sicut jam Christi vita non est secundùm carnem, carnem namque hoc loco non ipsam corporis nostri substantiam, quam Dominus etiam post resurrectionem suam carnem appellat dicens, [palpate & videte, quia spiritus ossa & carnem non habet, sicut me videtis habere,] sed corruptionem mortalitatémque carnis vult intelligi, quæ tunc non erit in nobis, sicut jam in Christo non est. Hanc

AN. CH. 828.
LUDOV. IMP. 15.
LOTHAR. IMP. 12.
PIPPINI R. 14.
LUDOV. R. 12.

enim propriè carnem nominabat, etiam cùm de ipsa resurrectione satis evidenter loqueretur & diceret, [caro & sanguis regnum Dei possidere non possunt, neque corruptio incorruptionem possidebit.] Noveramus ergo Christum secundùm carnem, id est, secundùm carnis mortalitatem, antequam resurgeret, sed nunc jam non novimus, quia sicut dicit idem Apostolus, [Christus resurgens à mortuis jam non moritur, & mors ei ultrà non dominabitur.] Nam si ita Apostolus, sicut ei iste falsidicus calumniatur, malè, sicut solent hæretici, ejus interpretando sermonem, nihil dignitatis alicujúsve virtutis esse in Cruce Christi arbitratur, nisi tantummodo opprobrium passionis & irrisionem mortis, & si ob hoc non vult eam à quopiam honorari vel etiam sciri aut memorari, cur è diverso in alio dicit loco? [Mihi autem absit gloriari nisi in Cruce Domini nostri Jesu Christi, per quem mihi mundus crucifixus est, & ego mundo.] Sciendum est autem quòd omnis gloriatio Apostoli in Cruce sit, & quicquid dignum in virtutibus perpetratur, hoc fieri ob Domini passionem. Noluit enim Dominus suam Crucem vel passionem à suis nesciri aut abscondi fidelibus, quasi propter contumeliam & ignominiam suæ mortis eam vellet esse velatam. Nam si ita foret, consequenter etiam sui discipuli pro eo pati vel mori erubescerent, sed magis è contrario suam quotidie in Ecclesia passionem commemorari & celebrari præcepit. Et inferiùs. *Ille*, nempe Claudius, *pro idololatria reputat Crucem Domini a quoquam adorari vel coli, sicut nec sunt adorandæ puellæ qualibet innuptæ, præsepia, veteres panni, naves, asini, agni, leones, petra, spinæ ruborum, arundines, lancea, quia his omnibus pro tempore usus est Christus. Quasi præ illis nullum Dominicæ Cruci adhibendum esset privilegium.* Et paulò pòst. *Nulli ergo dubium, quin spiritus fallax malignúsque per os hujus insani calumniatoris eructat & inspirat ad ingerenda atque exprobranda fidelibus infidelium crimina, prævaricatores eos apostatásque à veritate & amatores vanitatis appellando, divinam autem Crucem nefandum ac sacrilegum simulacrum cunctam præteriti excedens temporis blasphemiam nominat. Ex quo evidentissimè perversissimus Catholicæ dissipator atque eversor fidei esse convincitur. Nos autem è diverso quibus has tam multas & tam probrosas infert calumnias, contra falsa ipsius testimonia, divinâ opitulante gratiâ toto corde credimus & ore confitemur humiliati animo & corporis habitu substrati, quòd Deus solus sit adorandus & colendus, prout Dominum & creatorem omnium à sua decet adorari creatura & coli, dum in eum solum credimus & speramus, eique quotidie sacrificamus. Creaturam etiam Dei sanctam & bonam, hoc est, Angelum sanctum vel hominem sanctum, aut sanctam Crucem pro diversitate dignitatum adoramus & colimus, hoc est, humiliter honoramus, diligimus, & amplectimur propter Deum & in Deo, longè dispari modo, quàm illum colimus & adoramus; hoc autem calumniatur nesciens, sciréque renuens rabit, & indignando sæviendóque furit ac bacchatur, audiens, in Ecclesia sæpiùs cantari; [Crucem tuam adoramus, Domine, & sanctam Resurrectionem tuam laudamus & glorificamus]* &c. Addit idem Dungalus varias significationes, in quibus sumi solent hæc verba, *adoro* & *colo*.

Tertio loco Claudius de peregrinationibus ad Memorias Sanctorum ac LXII.
potissimùm ad Ecclesiam Beati Petri disputavit, in suis enim literis hæc ad Theodemirum Abbatem scripsit. *Quòd verò ais, quod ego prohibeam homines pœnitentiæ causâ pergere Romam, falsum tu loqueris. Ego enim iter illud nec adprobo, nec improbo, quia scio, quòd non omnibus obest, nec omnibus prodest; nec omnibus proficit, nec omnibus officit. Teipsum primum interrogare volo. Si pœnitentiam agere Romam pergere nosti, cur tu tanto tempore tantas animas perdidisti, quas in Monasterio retinuisti, & pœnitentiæ causâ in Monasterium recepisti, & non eas Romam misisti, sed potiùs tibi servire fecisti? Dicit enim te habere catervam Monachorum centum quadraginta, qui omnes pœnitentiæ causâ ad te venerunt, & se Monasterio tradiderunt, ex quibus neminem Romam ire permisisti. Si hæc ita se habent, ut tu dicis, pœnitentiam agere, Romam pergere est, quid acturus es de sententia illâ, quam Dominus dicit? [Qui scandalizaverit*

AN. CH. 828.
Ludov. Imp. 15.
Lothar. Imp. 12.
Pippini R. 14.
Ludov. R. 12.

unum de pusillis istis qui in me credunt, expedit ei, ut suspendatur mola asinaria in collo ejus, & demergatur in profundum, quàm ut scandalizet unum de pusillis istis qui in me credunt.] Nullum scandalum majus est, quàm hominem illam prohibere pergere viam, per quam possit ad gaudia pergere sempiterna. Scimus enim, quod non intellecta Evangelista verba Domini Salvatoris, ubi ait Beato Apostolo Petro. [Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam; & tibi dabo claves Regni cælorum.] Propter ista jam dicta Domini verba imperitum hominum genus pro adquirenda vita æterna, postpositâ omni spiritali intelligentiâ volunt pergere Romam .... Si proprietatem verborum Domini subtiliter consideramus, non est ei dictum. Quodcumque solveris in cælo, erit solutum & in terra, & quodcumque ligaveris in cælo, erit ligatum super terram. Ac per hoc sciendum est, quòd tamdiù Antistitibus Ecclesiæ illud ministerium concessum est, usquedum ipsi peregrinantur in hoc mortali corpore, cùm verò debitum mortis reddiderint, alii succedunt loco ipsorum, qui eandem obtinent judiciariam potestatem, sicut scriptum est. [Pro patribus tuis nati sunt tibi filii, constitues eos principes super omnem terram. Ad hæc Dungalus, sic. *Ille impudens calumniator novissimè, id est, tertio loco, Memorias Sanctorum & specialiter Ecclesiam Sancti Petri, orandi causâ, prohibet adiri, dicens hunc laborem vanum esse & inutilem sine aliquo profectu. Adfirmat enim Reliquias, id est, ossa hominum quamlibet Sanctorum, ossibus pecorum, vel veriùs lignis, & lapidibus aliâve quapiam terrâ non esse reverentiora. Cujus hæreseos Eunomius primus extitit auctor. Deinde Vigilantius* &c. *Contra quam hæresim Sanctus scripsit Hieronymus, & Orthodoxâ eam sanctæ auctoritate Scripturæ pleniter superavit & confudit. Quod autem ille Sanctorum omnium Basilicas, maximéque Sancti Petri, orandi causâ, visitari abhorret, dum eam numerosior populus quàm alias appetit Ecclesias, propter excellentiam scilicet Apostolorum & innumerabilium Martyrum ibidem requiescentium, invidia ut arbitror & cupiditatis stimulis agitatus hoc facit, quòd votiva illuc plurima confluunt donaria ..... Hoc teterrimo infectus livore prorumpit dicens hunc inde inolevisse errorem, quòd imperitum hominum genus non intelligens Domini verba, quibus ait Petro, tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam; & tibi dabo claves Regni cælorum, & reliqua, consuetudinem adsumpsit adire Romanam, quasi ibi plus quàm alibi possit proficere, cùm Petrus nihil inde sciat, nec valeat succurrere neque adjuvare. Et quia non dixerit Dominus Petro, quodcumque solveris in cælo, erit solutum & in terra; & quodcumque ligaveris in cælo, erit ligatum super terram, ob hoc Petrus de terra migrans ad cælum reliquit illud ministerium, quod ei, quamdiu in terra habitaverat, concessum est, & aliis succedentibus est traditum. Sed ista excogitata expositio tota perversa, tota est vana. Omnia enim in ea contraria insinuantur, scilicet ut scabellum pedum Dei judicum judiciis sua esse sedes decuisset, & hominum terrigenarum propria habitatio cælum haberi, ut ibi judiciario utentes jure ligent reos, & solvant emendatos, & hoc Dominus quasi in terra inferiùs subsidens assentiendo & perdonando confirmet. Sed hæc ita esse non debere neque convenire omnibus rectè sapientibus & intelligentibus patet. Ipsius ergo potiùs ac suorum parium hanc esse potestatem solvendi ac ligandi intercedendíque pro aliis, quamdiu peregrinantur in hoc mortali corpore, pronunciat.* Et paucis interjectis. *Secundùm illum calumniatorem Apostoli, quasi longinqui ac detenti, utpote mortui, supplices suas appetentes Memorias, scire vel audire, vel pro eis intervenire nequeunt, cùm è contrario legitur in Evangelio. [Deus Abraham, Deus Isaac, & Deus Jacob, non est Deus mortuorum, sed vivorum.] De quibus dicitur. [Sequuntur agnum, quocumque vadit.] Unde Hieronymus. Si agnus ubique, ergo & hi, qui cum agno sunt, ubique esse credendi sunt, & cùm diabolus & dæmones toto vagentur orbe, & celeritate nimiâ ubique præsentes sint, Martyres post effusionem sanguinis sui, quadam custodiâ operiuntur inclusi, & inde exire non poterunt?*

LXIII. Etsi Dungalus totam Claudii & Theodemiri disputationem ad tria reduxerit capita, de quibus suprà, tamen Claudius in suis ad Theodemirum

AN. CH. 828. LUDOV. IMP. 15. LOTHAR. IMP. 12. PIPPINI R. 14. LUDOV. R. 12.

literis hunc ad quintam usque interrogationem progressum sic ostendit. *Quinta tua in me objectio est, & displicere tibi dicis eà quòd Dominus Apostolicus indignatus sit mihi.* Inde colligimus, quod Dungalo tertium est disputationis caput, in duo distinguendum esse, quorum posterius specialiter ad cultum Beato Petro exhiberi solitum & ad postulandam ejus intercessionem spectet.

LXIV. Quarto igitur loco Claudius contra Catholicos hæc scripsit. *Audite & hoc insipientes in populo, & stulti aliquando sapite, qui intercessionem Apostoli Romam pergendo quæritis, quid contra vos dicat idem sæpè dictus Beatissimus Augustinus, in libro enim de Trinitate octavo inter cetera sic dicit. Redi ergo mecum & consideremus cur diligamus Apostolum, nunquidnam propter humanam speciem, quam notissimam habemus, eò quòd credimus eum hominem fuisse? non utique, alioquin nunc non est quem diligamus, quandoquidem homo ille jam non est, anima enim ejus à corpore separata est, sed id, quod in illo amamus, etiam nunc vivere credimus.*

LXV. Respondit Dungalus Claudium non intellexisse, *quo sensu Augustinus dixerit Apostolum non propter humanam speciem, neque ob hoc quòd homo aliquando fuerit, esse diligendum. Nemo enim aut propter pulchritudinem, aut propter carnalis affectum cognationis voluptatisve appetitum vel aliam quamlibet causam, hominem debet diligere, nisi tantummodo propter Deum, in quo & ob quem totus homo, qui ex duabus substantiis anima & corpore constat, est diligendus eo modo, & mensurâ quâ utramque convenit diligere.* Citavit in eam rem varios Sancti Augustini textus ex primo libro de Doctrina Christiana. Deinde hæc de eodem Sancto Augustino subjecit. *Si Augustinus Sanctorum Memorias orationis causâ non esse censuisset appetendas, ob hoc videlicet quòd nulla ibidem copiosiùs vel præsentiùs eorum meritis à Deo suffragia supplicantibus præstarentur, mirum videtur cur tantus & talis auctor tam doctus & verax in ceteris suis libris omnia sibimet contraria docere & confirmare non erubuerit, dicit enim in libro de cura pro mortuis gerenda, ad Paulinum Episcopum. Alii sunt humanarum limites rerum, alii divinarum signa virtutum. Alia sunt quæ naturaliter, alia quæ mirabiliter fiunt. Quamvis & naturæ Deus adsit, & miraculis natura non desit. Non igitur ideo putandum est vivorum quibuslibet interesse posse defunctos, quoniam quibusdam sanandis vel adjuvandis Martyres adsunt. Sed ideo potiùs intelligendum est, quòd per divinam potentiam Martyres vivorum rebus intersunt, quoniam defuncti per naturam propriam vivorum rebus interesse non possunt, quanquam ista quæstio vires intelligentiæ meæ vincit, quemadmodum opitulentur Martyres his, quos per eos certum est adjuvari, utrùm ipsi per seipsos adsint, uno tempore tam deversis locis & tantâ inter se longinquitate discretis, sive ubi sunt eorum Memoriæ, sive præter suas Memorias ubicumque adesse sentiuntur; an ipsis in loco suis meritis congruo, ab omni mortalium conversatione semotis, & tamen Deus Omnipotens, qui est ubique præsens, nec concretus nobis, nec remotus à nobis, exaudiens Martyrum preces, per Angelica ministeria usquequaque diffusa, præbeat hominibus ista solatia, quibus in hujus vitæ miseria judicat esse præbenda, & suorum merita Martyrum ubi vult, quando vult, quomodo vult, maximéque per eorum Memorias, quoniam hoc novit expedire nobis, ad ædificandam fidem Christi, pro cujus illi confessione sunt passi, mirabili atque ineffabili potestate ac bonitate commendata, res est hæc altior, quàm ut à me possit attingi, & abstrusior quàm ut à me valeat perscrutari. Et ideò quid horum duorum sit, an verò fortassis utrumque sit, ut aliquando ista fiant per ipsam præsentiam Martyrum, aliquando per Angelos suscipientes personam Martyrum, definire non audeo, mallem à scientibus ista perquirere. Neque enim nemo est qui hæc sciat, ne quis sibi scire videatur & nesciat. Dona enim Dei sunt his alia & illis alia largientis secundùm Apostolum, qui dicit unicuique dari manifestationem spiritûs ad utilitatem.* Et paulò pòst. *Quàm ergo magna & penè innumerabilia Miraculorum signa, & inexhausta corporum animarumque remedia ad Memorias Martyrum, divinâ per eorum oratio-*

AN. CH. 828. LUDOV. IMP. 15. LOTHAR. IMP. 12. PIPPINI R. 14. LUDOV. R. 12.

nes operante manu, quotidie fiunt, ex paucis quæ Sanctus Augustinus in XXII *libro de civitate Dei refert, satis apparet, dum ejus Claudius suam auctoritate sectam æstimet posse esse suffultam, cujus verba sunt hæc. Vir Tribunitius Hesperius apud nos est*, &c. Longum esset recitare Miracula, quæ narrantur à Sancto Augustino. Locum illum adi. Ipsum quoque, si lubet, Dungalum consule, qui præter Sanctum Augustinum alios Ecclesiæ Catholicæ Doctores allegavit, & ex eorum scriptis eruit, *impios & prævaricatores perdurantes in sceleribus suis, nullo modo per aliorum quorumlibet sanctorum intercessiones sine sua propria solertia & labore à tormentis posse liberari; pœnitentes autem & conversos affligentes se in fletu & planctu, & eleemosynis sua redimentes peccata, & inducentes Presbyteros, & Memorias Sanctorum adeuntes, omnique diligentiâ satisfactioni insistentes, à Domino per suam ineffabilem misericordiam & per hac exercitia posse liberari.*

LXVI. Quinto loco Claudius, audito quòd sibi Romanus Pontifex indignatus esset, salubre super ea re monitum Theodemiri sprevit, &, ut hæreticis familiare semper fuit, Sedem Romanam Summósque Pontifices sic conatus est in contemptum vocare. *Quinta tua in me objectio est, & displicere tibi dicis, eò quòd Dominus Apostolicus indignatus sit mihi. Hoc dixisti de Paschali Ecclesiæ Romanæ Episcopo, qui præsente jam caruit vitâ. Apostolicus autem dicitur quasi Apostoli custos, aut Apostoli fungens officium. Certè non ille dicendus est Apostolicus, qui in Cathedra sedet Apostoli, sed qui Apostolicum implet officium. De illis enim, qui eum locum tenent, & non implent officium, Dominus dixit. Super Cathedra Moysi sederunt Scribæ & Pharisæi. Omnia ergo, quæcumque dixerint vobis, servate & facite, secundùm opera verò eorum nolite facere, dicunt enim & non faciunt.*

LXVII. De his Dungalus non magnoperè curavit, tamen ad caput secundum, quod fuit de Cruce, postquàm varias exposuit significationes horum verborum, *adoro* & *colo*, pauca subjecit de verbo, *Apostolicus*, atque ut in illis ita & in hoc Claudium errasse sic asseruit. *Sicut ergo in his verbis* (adoro videlicet & colo) *erravit, unde, ut arbitror, sua cæpit origo perversitatis, ita jam in hoc nomine, quod est Apostolicus, licèt minori periculo, simili tamen est deceptus imperitiâ. Juxta etenim artis professionem Grammaticæ de eo tractare conatus antiquorum more Doctorum, qui cùm omnibus sapientiæ studiis eruditi forent, quando in libris vel eorum expositionibus alicujus de illis causa ratióve reperiri contigisset, pleniter eam intimari atque enodare; ita & iste eorum imitator aut etiam prælator, hujus nominis, quod est Apostolicus, sensum rationémque nitens exprimere, ac si illud ex integro & corrupto est compositum, quasi Apostoli custos, non verè nec rationabiliter sed præsumptuosè audactérque incognita adfirmans, & de incertis certa diffiniens, Apostolicus enim simplex nomen est, & derivativum à nomine, quod est Apostolus, additâ cus ejus genitivo, & non habet illum sensum, quem iste imperitè excogitavit. Non enim dicitur Italicus Italiæ custos, Gallicus Galliæ custos, Germanicus custos Germaniæ, sed hæc nomina ad sensum suorum pertinent originalium.*

LXVIII. Quot annos Dungalus post editum librum vixerit haud patet. Huic diu superstites extiterunt Claudius & Jonas, de quibus sermo non semel recurret. Interim audi quibus verbis Dungalus in operis sui Prologo Christianissimos Imperatores Ludovicum ac Lotharium adhortetur, ut exemplum Caroli Magni sequentes in extirpandis hæresibus officio suo ritè defungantur. *Rogamus verò suppliciter nostros Dominos Christianissimos ac Religiosissimos, ut zelo Dei commoti suæ sanctæ matri Ecclesiæ gementi & periclitanti opportunè dignentur succurrere, eámque diris serpentum morsibus diutiùs non sinant laniari. Cùm enim Dominus beatissimæ memoriæ Carolus ferventissimus vigilantissimúsque Catholicæ fidei tutor & propugnator, nequissimæ caput viperæ in magistro hujus erroris Felice, contra sibilantis unitatem Ecclesiæ, Apostolicæ auctoritatis prævalidâ ferreâque confregerit virgâ, rectum quidem est quin ab ejus*

benedicta

AN. CH. 828.
LUDOV. IMP. 15.
LOTHAR. IMP. 12.
PIPPINI R. 14.
LUDOV. R. 12.

benedicta generatione supradictæ caudæ bestiæ diro cuncta suo inficiens nidore, eodem contundatur hastili, eáque ad nocendum in quantum viget maligno se verbere movens, tamdiu terendo & cædendo comprimatur, quamdiu consumptis viribus desinat palpitare, ut quia perversus discipulus perversum pestiferúmque magistrum non solùm æquiparare, verùm etiam depravando & blasphemando excellere contenderit, sicut scriptum est, de radice colubri egredietur regulus, validiori etiam castigatione, quam suus anteà auctor fuerat, corripiatur, quò ceteri timorem habeant, ne ampliùs malignissimo superbiæ spiritu inflati talem audentes excogitare pravitatem, sponsam Christi Ecclesiam, cujus vos Deus Provisores Defensorésque constituit, diffamare violaréque præsumant, ut ait Augustinus in expositione Evangelii secundùm Joannem. Si ergo quando vult Deus concitare potestates adversùs hæreticos, adversùs schismaticos, adversùs dissipatores Ecclesiæ, adversùs exsufflatores Christi, adversùs blasphematores Sanctorum ejus, non mirentur quia Deus concitet, ut à Sara verberetur Agar, cognoscat se Agar, ponat cervicem suam. Mirantur autem quia commoventur potestates Christianæ adversùs detestandos dissipatores Ecclesiæ. Si ergo non moverentur, quomodo redderent rationem de Imperio suo Deo? Intendat caritas vestra quid dicam, quia pertinet hoc ad Reges seculi Christianos, ut temporibus suis pacatam velint matrem suam Ecclesiam, unde spiraliter nati sunt, reddere.

LXIX. Ad hæc quoque tempora referendum videtur, quod in libro de Translatione Sancti Sebastiani narratur de Ostroldo Laudunensi Episcopo. Reliquiæ Sancti Sebastiani Romà Suessionem translatæ sunt anno Redemptoris octingentesimo vicesimo-sexto, collocatæque sunt in Monasterio Sancti Medardi quinto Idus Decembris, qui dies isti Translationi sacer apud posteros fuit. Locus ille quamplurimis statim Miraculis enituit, quæ tribus capitibus in editione Bollandiana [a], decimo videlicet, undecimo ac duodecimo, commemorantur, & à nobis vitandæ prolixitatis ergò prætermittuntur. Capite autem decimo-tertio sic æmulorum ac potissimùm Episcopi Laudunensis obtrectatio reprimitur. *Omne bonum semper è vicino invidia comitatur. Cœperunt plurimi Sacerdotum zeli rubigine uri, prohibentes plebes sibi commissas ad ejus toto Orbe crebriùs experta Patrocinia properare, suáque ad ejus præclara pignora vota proferre. Aiebant námque rectiùs fore, ut Ecclesiæ, in quibus Baptismi fideíque munus perceperant, ex his ditarentur stipendiis, & earum alerentur viduæ ac populi, nec esse bonum se egere & alios ditescere; se expoliare & alios induere. Hujus livoris rubigo adeò excrevit, ut etiam quorumdam Episcoporum corda inficeret. Ex quibus Ostroldus, qui eâ tempestate Lugduni,* id est, Lauduni, quod & Lugdunum Clavatum appellatur, *præsidebat, dum sermonem de hac re habiturus ad populum pulpitum conscendisset, postquàm diutino tractatu ad populum concionatus est, ita infit: quid, inquiens, Suessionis pervagando quæritis, quasi Sebastianum Martyrem illic reperturi? Noveritis sanè quia Romæ dudum post sui delibationem sepultus, hactenus ibi jacet à nemine motus. Habetis hîc venerabile Dei Genitricis Templum, hoc frequentate, in eo vota vestra vovete, & reddite. Non est opus vobis aliorsum vagari, & externa auxilia expetere. Per eam, quæ fideliter poscitis, omnia donabuntur à Domino. Postquàm affatim populum allocutus est, redierunt quique in sua, ipse diei ducens gaudia vicinâ mæstitiâ præproperè deturbanda. Diem illam fine tenus nox superveniens clausit. Episcopus pransus cubitum pergit, membra sopore resoluta, cùm jam conticinii tempus incumberet, ecce vir quidam ephebus eurythmiam* sive elegantem formam *Domni Sebastiani prætendens, ante stratum ejus constitit, duobus secum dextrâ levâque assistentibus, similique fulgore rutilantibus, Infulis tamen Pontificalibus redimitis, ipse verò militari chlamyde amiciebatur, virgam auream manu ferens. Quâ pulsato Episcopo, vocatóque ex nomine, his eum verbis increpando affatur. Ego, inquit, sum Sebastianus Defensor Ecclesiæ, qui Romæ olim pro amore Christi oppetiì, quâ & corpore hactenus sepultus jacui; nunc verò, Dei prædestinatione, ob amorem Medardi Noviomagensis Episcopi, quem ad lævam stare*

[a] D. 20 Jan.

OSTROLDUS EP. LAUDUN. PEREGRINATIONEM AD S. SEBASTIANUM DISSUADET,

PERCUSSUS RESIPISCIT,

AN. CH. 828.
LUDOV. IMP. 15.
LOTHAR. IMP. 12.
PIPPINI R. 14.
LUDOV. R. 12.

vides, ego & hic dexterior Gregorius Romanæ Urbis Papa, Suessionis missi sumus, ut locum illum & ejus incolas nostro patrocinio custodiamus, & custodiendo foveamus. Tu verò livore ductus procaciter egisti hesterno adversùm me, avertens plebem tibi commissam, ne ad confessionem nominis mei euntes vota sua in obsequium mei deferrent. Insuper falsò perhibuisti mea humana illic penitus non haberi. Ut autem omnis scrupulositas ex hoc ab animo tuo pellatur, his verberibus disce me illic, sicut nunc cernis, absque ulla corporis diminutione olim depositum juxta Confessoris Christi Medardi quiescere tumulum. Hæc fatus, virgâ, quam manu gestabat, cecidit eum verberibus plurimis, præcipiens ita. Vade Suessionis, pedibus nudis incedens, & stigmata verberum, quæ tibi irrogavi, palàm cunctis ostenta, ut norint omnes me illic fore præsentiâ corporali, virtute quoque spirituali præesse & prodesse, non solùm loci illius incolis, sed & omnibus Galliarum populis, Regi meo & Domino meo fideliter adhærentibus, mihi quoque meisque consortibus, illius videlicet loci patronis, dignis obsequiis famulatum impendentibus. His dictis, cælestia reposcit cum suis consortibus gaudia. Episcopus dolore verberum & confusione insomnis, ut festinato cursu lux diurna redeat, anhelus expectat. Quâ mortalibus redditâ, ascitis consecretalibus & necessariis amicis visionem pandit, ictus verberum tumentes ac lividos detegit. Illi verò anxii plurimùmque turbati, operis executione quod imperatum divinitus fuerat, maturandum quantocyùs commonent. Denique instruitur iter, parantur & munera inclyto Martyri deferenda. Pedestrem ducem hymnis canora turma lentè subsequitur; quousque ventum est ad locum, in quo ingens frequentia populorum excubabat ante Martyris tumulum. Omni deposito supercilio, dejectisque in terram profundo pudore luminibus, ruit prostratus in faciem tantâ humilitate, quantâ & divinâ correptus fuerat severitate. Oratio in longum protenditur. Gemitus & suspiria ex profundo pectoris proferuntur. Explicitâ oratione, capitulo competenti à loci ipsius primatibus ejus commendatur supplicatio, dehinc placabilia dona proferuntur; exinde nobilis fratrum concio advocatur, fit delicti confessio, ostenditur divina censura subsecuta correptio: spondetur per omne vitæ suæ tempus ferventior erga beatissimum Martyrem permansura devotio. Itaque vir Dei verbere divino jam eruditior factus, mente syncerior, corpore vegetior, Lugdunensis Cathedræ sublimia gratanter repetit fastigia. Hujus rei exitus tantò tunc notior omnibus extitit, quantò & personæ dignitas famosior fuit, & situ loci in edito posito res in sole gesta occuli sub modio minimè potuit. Venerabilis ergo vir jam dictus Ostroldus Episcopus ab optimo didascalo doctè docilis factus cæpit liberè privatim publicéque docere, nequaquam fore quempiam à divinis verberibus immunem, neque cuiquam impunè, qui Sebastiani Martyris contemptui duxerit Memoriam excolere. Sic cessit plurimorum invidia, Martyris virtutibus victa.

S. MARTYREM VENERATUR.

LXX. Quatuor proximis capitibus fusè narrantur quorumdam Magnilocensium Monachorum fraudes, unde nata pòst occasio, ut pars lintei, quo Reliquiæ prædicti Martyris involutæ fuerant, Suessione ad Magnum-locum * deferrentur. Rei gestæ dabimus epitomen. Magnus-locus in Arvernia nomen traxit à Magno in eadem regione Presbytero, qui cùm æger esset, Romam ad tumulum Sancti Sebastiani perrexit, recuperatâque sanitate pulverem, qui circa sepulchrum erat, cum summa fidei devotione collegit, atque pro summo thesauro in patriam perlatum appendit fortè arboris ramusculo sub cujus umbraculo discubuerat, nec inde potuit auferre quibuscumque posteà modis adniteretur. Ibi facta statim Miracula non pauca. Quapropter erecta primùm Cella, deinde insigne Monasterium sub nuncupatione Sancti Sebastiani. Conditor istius Cœnobii fuit Sanctus Genesius Arvernorum Episcopus, qui florebat anno Christi sexcentesimo quinquagesimo-sexto, ut Tomo tertio probavimus. Procedente tempore fugerunt inde duo pseudo-Monachi, qui diu per Gallias vagati Romam tandem ire decreverunt. Priùs autem quàm Urbi succederent, statuerunt alicujus Sancti Reliquias mercari, quarum evectione non indul-

* *Manlien.*

PARS LINTEI, QUO RELIQUIÆ OBVOLUTÆ, DEFERTUR AD MAGNUM-LOCUM.

gentiam modò sed & gratiam apud suos mererentur. Optabant sibi potissimùm dari Corpus Sancti Sebastiani. Nefariè delusi sunt ab eis, quibus suam numerarunt pecuniam, accepto enim ethnici Cæsaris cadavere, quod in sarcophago multis aromatibus referto delitescebat, iter in Arverniam telegerunt. At Deus fraudem detexit, nec passus est Magnilocensium fratrum congregationem decipi. Crescebat in dies singularis apud eos erga Sanctum Sebastianum cultus, & Abbas illius loci, postquàm rescivit hujus Martyris Reliquias allatas fuisse Suessionem ibique crebra fieri Miracula, misit illuc nonnullos è suis Monachis, qui narrarent imposturam quâ circumventi fuerant, & aliquas Sancti Sebastiani Reliquias postularent. Suessionenses obtulerunt linteum quo Reliquiæ fuerant involutæ; respuerunt Magnilocenses, posteà verò cùm illud enixè peterent, partem tantùm impetrarunt, ad quam innumera Deus operari dignatus est Miracula.

LXXI. LUDOVICI ET JUDITHÆ AUGG. PIETAS ERGA S. SEBASTIANUM.

Cùm post beati Sebastiani susceptionem tot Suessione prodigia fierent, Ludovicus Augustus *Regali exutus purpurâ, calceamentísque tertio fermè lapide rejectis, cum conjuge nudis ad Monasterium, quo jam locatus fuerat, processit plantis. Et quia aliquos flagitiosos audierat Imperatrix Judith, vi quadam impræfocabili, in Conventu publico crimina sua detexisse, & odii livore interiùs perustos, palàm exteriùs metuendo nimis examine ignibus atrocibus concremari, pro eo quòd priusquàm loco devenirent, suorum criminum appetitus dignis confessionum ac pœnitentiæ remediis coërcere neglexissent, anxietatis nimiæ procellis elisa, cùm præcognovisset illuc Cæsarem iter disponere, nec se ab eo absque sui rubore dirimi posse, totam se ad propitiam Redemptoris contulit omnipotentiam, agénsque cum Venerabilibus Sacerdotibus culparum suarum secreti Mysterii munus cum Psalmista orabat, ut ab occultis suis mundari & ab alienis mereretur absolvi. Eleemosynarum intereà impendiis, cæterorúmque bonorum operum exhibitionibus, per spatium interjecti temporis quod præscierat incunctanter operam dedit. Sócque demum religiosâ Majestati votiva comes effecta, ad Sancti Martyris limina præclaris meritis præcipua properavit. Cúmque Abbas Reverendissimus Hilduinus & fratrum ornata cohors tantæ Celsitudini assurgens, festivo apparatu utriusque eorum præ foribus servans adventum veniret, & tandem susceptos ad tumbam Martyris canoris vocibus concrepando deduceret, in humili quo erant habitu solo tenus cum multa nobilium phalange substratis comminùs sibi palliis, antequàm margines adtingerent Altaris, extemplo in faciem ruentes, gemebundas ac lacrymarum rore madidas preces, militis ipsius merita recolentes, piúmque intercessorem invocantes, universali Domino protractis suspiriis effudère. Inde ab oratione surgentes, versu congruo, omnium assistentium voto eorum commendatur oratio. Igitur aulam tantæ sublimitati provisam introgressi, Imperialia & ea quæ tunc cultiora fuere ornamenta reinduti, & diademate compti, Missarum sollemnia Cæsar, consistorium scandens, in honore Martyris fecit decantari. Qui, cùm ad Evangelium ventum est, Calicem aureum cum patena patris sui Magni Caroli monogrammate insignita, manibus propriis, inter legendum, ponderis ingentis tenuit, & cum oblatione sacranda eidem dicavit. Post expletionem quoque celebrem, ad vestigia ejus cum conjuge accessit. Ubi cùm sese prolixâ oratione Deo per Sanctum commendavissent complexivâ & omni ævo reminiscendâ devotione, singillatim à stemmate usque subuculam cultu Regali exuti uterque Martyri inibi reposuere. Textum deinceps Sacrorum Evangeliorum aureis characteribus exaratum, laminísque metalli ejusdem absque admixtione cujusque materiei inclusum, thymiamateriúmque quadraginta & octo siclorum ejusdem speciei, & vastam olei amphoram ad luminaria concinnanda, mente promptissimâ obtulit. Monetam etiam publicam cum incudibus & trapezeta * perpetuo famulatu sacris ipsius deservitura subdidit. Abbatiam quoque protomartyris Stephani Canciacum, quæ septingentarum familiarum esse perhibetur, ad Templi fabricam spatiandam dedit, & Præcepto Regiæ auctoritatis, ne à quolibet temerario abripere-*

* Bolland. Trapezetam.

AN. CH. 828. LUDOV. IMP. 15. LOTHAR. IMP. 12. PIPPINI R. 14. LUDOV. R. 12.

tur, cum obtestatione & anathematis innodatione, annuli sui impressione signato roboravit. Hæc in editione Bollandiana leguntur capite decimo-nono, nec dubium quin gesta fuerint antequàm Ludovicus à filiis captivus detineretur.

Gabriel Bucelinus parte secundâ Germaniæ Sacræ non omisit Herivordiam, puellare Monasterium in Westphalia. *Herwerden*, inquit, *nobile virginum Christo sacrarum sub Regula S. P. Benedicti Diœceseos Paderbornensis Cœnobium, quod sub A. C. 810. fundavit & dotavit Biso quartus Paderbornensium Pontifex.* At istius Monasterii multò vetustiora fuerunt incunabula, *siquidem*, teste apud Browerum Anonymo in vita Sancti Meinwerci, *Ecclesia Herivordensis, sicut Ecclesia Corbeiensis, in Episcopatu Paderbornensi sita, à Ludovico filio Caroli Magni constructa, & à Beato Badurado Paderbornensi Episcopo dedicata* prædicatur. Nec aliter censuit, qui Sanctæ Pusinnæ Translationem anno Redemptoris octingentesimo factam conscripsit, & ex manuscripto Codice Monasterii Bodecensis ad diem vicesimam-tertiam Aprilis ita publicatus est ab Henschenio. *Fundata igitur duo nobilissima Cœnobia sunt tempore augustæ memoriæ Ludovici Imperatoris, quorum unum nominatur Corbeia, alterum Heriford vocatur; unum Domino militantibus Monachis, alterum sanctis Virginibus Deo consecratis.* Tomo primo Seculi quarti Benedictini vulgatum est Ludovici Regis, cognomento Germanici, Diploma, quo nihil ad assertionis nostræ confirmationem validius excogitari potest. Initium Præcepti tale est. *In Nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis Hludowicus divinâ favente gratiâ Rex. Si petitiones servorum Dei justas & rationabiles ad effectum perduxerimus, & ad humanam vitam feliciter transigendam, & perpetuam feliciùs promerendam procul dubio nobis profuturum speramus. Quapropter notum esse volumus, quomodo Venerabilis Abbas Warinus adiit Excellentiam nostram, suppliciter orans, ut nostrâ munificentiâ proficeremus Monasteriis illi commissis, quorum unum est Monachorum, nova Corbeia nominatum, ubi & ille primùm Regulari electione Abbas exstitit, & alterum est Sanctimonialium, Heriford dictum, & propriæ Abbatissæ, cujus nomen Addila, subjectum. Sed juxta consuetudinem, quòd ancillarum Dei Congregationibus procurari solent Præpositi ex Ecclesiastico ordine, jam dicto Abbati commendavimus, ut tam in disciplina Abbatissam juvaret, quàm in cunctis negotiis, quæ famulæ Christi pro sexu & professione sua exequi non possent, ipsarum provisor & patronus existeret. Is ergo petiit Celsitudinem nostram recordari, quòd piæ memoriæ genitor noster Hludowicus Imperator ambo hæc Monasteria exstrui jussit, ad normam videlicet præcipuorum in Gallia Monasteriorum, novam utique Corbeiam ad similitudinem antiquæ Corbeiæ, Herifordensè verò Cœnobium ad exemplum Monasterii Sanctimonialium in Suessionis civitate exsistentium. Et ut in eleemosynam suam ac totius generis sui institutionem eorumdem perfectio expleretur, Cellam juris sui, quæ vocatur Meppia, cum decimis & possessionibus undique ad eam pertinentibus, & Ecclesiam Eresburg, quam avus noster Karolus primò exstruens in Saxonia decimis dotavit circumquaque habitantium per duas Saxonicas rostas* seu per duo milliaria Saxonica, *præfatus noster genitor ad novam Corbeiam tradidit. Ad Herifordensis autem Monasterii adjumentum dedit in Episcopatu Asnabruggensi Ecclesiam Bruginithi cum subjectis sibi Ecclesiis, in Parochia verò Mimigernefordensi Ecclesiam Reni cum his quæ ad eam pertinent Ecclesiis, ita sanè ut decimarum aliorúmque redituum proventiones præfatis cederent Monasteriis, & ab ipsis vicissim procurentur subjectæ plebes in Baptismate, in Eucharistia, in sepulturis, in confessione peccatorum audienda, & Presbyteri, qui principales ex his Ecclesias tenerent, Archipresbyterorum officio fungerentur ad agenda omnia, quæ solent fieri ab Archipresbyteris Episcoporum.*

LXXII. ECCLESIA HERIVORDIÆ DEDICATUR.

LXXIII. Tomo superiore non semel actum de nova Corbeia. Istius Monasterii primam originem anno Redemptoris octingentesimo vicesimo-secundo

AN. CH. 828.

LUDOV. IMP. 15. LOTHAR. IMP. 12. PIPPINI R. 14. LUDOV. R. 12.

consignavimus. Antiquissimos laudavimus Abbates Adelhardum & Warinum. Adelhardi mortem retulimus postridie Kalendas Januarias, anno Redemptoris octingentesimo vicesimo-sexto. Nec omisimus eodem anno Diploma datum decimo Kalendas Julias, quo Ludovicus Augustus prædicto Cœnobio partem contulit possessionum, quas posteà Ludovicus Rex, ejus filius, enumeravit in Præcepto proximè citato. Nobis non licuit adeò distinctè loqui de Herivordia, desunt enim Auctores, qui puellaris hujusce Monasterii vel exordia certo figant anno, vel Abbatissarum Catalogum exhibeant. In vita Walæ [a], quæ Tomo primo Seculi quarti Benedictini publicata est, Adelhardus & idem Wala germani fratres ita commendantur. *Erat sic proprium in eis quod erat uni, ut commune probares esse ambobus, ita tenus ut verè iste dimidius alterius diceretur, sicut & ille integritas istius putabatur. Hinc est, quòd in Saxonia tam unanimes támque devoti nova plantationis germina plantaverunt, & utriusque sexûs à fundamento Cœnobia favente Domino construxerunt.* Hæc *utriusque sexus* Monasteria Joannes Mabillonius in suis notis interpretatur *virorum quidem Corbeiam novam, Virginum autem Herefordiense.* Mutuatus hanc interpretationem videtur ab Anonymo, qui Translationem Sanctæ Pusinnæ Virginis in literas retulit, & sub illius lucubrationis initium ædificationem supradictorum Monasteriorum institutam affirmat *à Reverendissimis viris & summâ laude celebrandis, Adalhardo videlicet ejúsque fratre Wala.* Id improbare non audemus, quia certiora non habemus monumenta. Cœnobium igitur Herivordiense recentius est Corbeiensi Saxonico, suáque primordia repetit ab illo triennio, quod à prima inchoatione Corbeiæ Saxonicæ ad obitum Adelhardi Abbatis effluxit. Eidem enim Adelhardo, qui præfuerat utrique Corbeiæ, duo successerunt Abbates, Wala frater in Corbeiam Gallicanam, in Saxonicam Warinus, nec deinceps Corbeiæ novæ negotiis immiscuit se Wala. Quapropter existimamus à recta nos Chronologia vix aberraturos, si Basilicam Herivordiensem ab Episcopo Paderbornensi Badurado dedicatam hoc anno, Redemptoris octingentesimo duodetricesimo, censuerimus.

[a] Lib. 1. c. 11.

LXXIV. TETTA PRIMA ABBATISSA.

In præviis observationibus, quas primâ parte Seculi quarti Benedictini Joannes Mabillonius Translationi Sancti Viti Martyris præmisit, Herivordienses aliquot Abbatissæ recensentur, quas ex antiquis Diplomatibus eruit Adolphus Overhamus Werthinensis in Archiepiscopatu Coloniensi Monachus. Tetta primo loco ponitur ad annum Redemptoris octingentesimum duodequadragesimum, Ludovico Pio tunc Imperatore. Creditur è Monasterio Suessionensi cum aliis evocata Monialibus, & Herivordiensium Abbatissarum antiquissima perhibetur. Utrumque certè multùm probabile. Chronologia non repugnat, quominùs Herivordiæ regimen ab ipso Monasterii conditu susceperit, vixeritque post annum Redemptoris octingentesimum tricesimum-octavum adhuc superstes. Et, ut Ludovicus Rex in præcitato Diplomate testatur, *Hludowicus Imperator ambo hæc Monasteria exstrui jussit, ad normam videlicet præcipuorum in Gallia Monasteriorum, novam utique Corbeiam ad similitudinem antiquæ Corbeiæ, Heriforderise verò Cœnobium ad exemplum Monasterii Sanctimonialium in Suessionis civitate exsistentium.* Quemadmodum autem instar coloniæ ex antiqua Corbeia missi sunt in novam Monachi, sic è Suessionensi Monasterio directæ videntur in Herivordiense Sanctimoniales, hac tamen intercedente differentiâ quòd Adelhardus Abbas, qui Corbeiæ Gallicanæ præerat, in Corbeia quoque Saxonica munus Abbatiale gessit, Theodrada verò Suessionensis Abbatissa permansit, & Tetta ex Monacha Suessionensi facta est Herivordiensis Abbatissa.

LXXV.

Quando conditum fuit Herivordiense Monasterium, florebant apud Francos, Ludovicus Imperator ac totius Franciæ Monarcha, trésque filii

AN. CH. 828.
LUDOV. IMP. 15.
LOTHAR. IMP. 12.
PIPPINI R. 14.
LUDOV. R. 12.

An subdita Abb. Corbeiæ novæ tanquam Procuratori.

in consortium Imperatoriæ vel Regiæ Dignitatis ab eo priùs adsciti, Lotharius renunciatus Imperator & Longobardiæ Rex, Pippinus Rex Aquitaniæ dictus, & Ludovicus vocatus Rex Bojoariæ. Illis temporibus Ludovico Regi nihil juris in Herivordiam attribuebatur. Idem Ludovicus posteà, cùm latissimè per universam Germaniam regnaret, unde Germanici cognomen apud posteros obtinuit, Præceptum, cujus initium suprà recitavimus, emisit undecimo Kalendas Junias, Indictione primâ, sive anno Redemptoris octingentesimo quinquagesimo-tertio, ibique de Warino Abbate novæ Corbeiæ ac provisore & patrono Herivordiæ sic scripsit. *Venerabilis Abbas Warinus adiit Excellentiam nostram, suppliciter orans, ut nostrâ munificentiâ prospiceremus Monasteriis illi commissis, quorum unum est Monachorum, nova Corbeia nominatum, ubi & ille primùm Regulari electione Abbas exstitit, & alterum est Sanctimonialium, Heriford dictum, & propria Abbatissa, cujus nomen Addila, subjectum. Sed juxta consuetudinem, quòd ancillarum Dei Congregationibus procurari solent Præpositi ex Ecclesiastico ordine, jam dicto Abbati commendavimus, ut tam in disciplina Abbatissam juvaret, quàm in cunctis negotiis, quæ famula Christi pro sexu & possessione sua exsequi non possent, ipsarum provisor & patronus existeret.* Porò, cùm idem Rex in suo Præcepto multa subjiciat, quibus egregiè Ludovici Pii parentis sui munificentiam & studium erga Monasteria novæ Corbeiæ & Herivordiæ comprobet, Abbati tamen Corbeiensi procurationem Herivordiensis Ecclesiæ nullomodo tribuat, arbitramur jus illud procurationis Abbati Corbeiæ Saxonicæ nequaquam concessum à primo conditu Herivordiensis Abbatiæ, sed tantùm post obitum Ludovici Pii, imò postquàm paternum Regnum Lotharius Ludovicus & Carolus fratres inter se diviserunt, omnésque provinciæ transrhenanæ cesserunt Ludovico.

AN. CH. 829.
LUDOV. IMP. 16.
LOTHAR. IMP. 13.
PIPPINI R. 15.
LUDOV. R. 13.

ANNUS

CHRISTI		829.		
LUDOVICI	IMP.	16.		
	REG.	49.	24.	12.
LOTHARII	IMP.	13.	7.	
	REG.	15.	7.	
PIPPINI III.	REG.	15.	13.	
LUDOVICI	REG.	13.	4.	
INDICTIO		7.		

I. QUI Continuatorem Aimoinianum interpolavit, is Hilduinum Sacri Palatii Archicapellanum, & duorum insignium Monasteriorum, San-Dionysiani videlicet in agro Parisiensi & Sam-Medardini prope muros Suessionenses, Abbatem Irminoni quoque Abbati Sancti Germani in suburbano Parisiensi successisse bis observavit, semel libro quarto in fine capitis centesimi decimi-quarti, sic. *Simili modo prædictus Abbas* Hilduinus

post decessum Irminonis regebat locum Sancti Vincentii Levitæ & Martyris in suburbano urbis Parrhisiacæ, ubi pretiosus Christi Confessor Germanus requiescit. Iterum capite decimo libri quinti, sic. *Defuncto quoque Irminone, Hilduinus Beati Germani Ecclesiæ Abbas præficitur.* Et in ejusdem capitis fine recitat quod à Ludovico & Lothario Augustis, Idibus Januariis, Indictione septimà, sive anno Redemptoris octingentesimo vicesimo-nono pró Monasterio Sancti Germani datum est hoc Aquisgrani Diploma. *In Nomine Domini Dei & Salvatoris nostri Jesu Christi, Hludovicus & Hlotharius Divinà ordinante providentià Imperatores Augusti. Si ea quæ fideles Imperii nostri pro statu & utilitate Ecclesiarum & servorum Dei fideliter ac devotè ob Dei amorem in locis sibi commissis statuerunt, nostris confirmamus Edictis, hoc nobis procul dubio ad æternam beatitudinem & totius Regni à Deo nobis commissi tutelam, mansurum esse credimus, & retributorem Dominum in futuro habere confidimus. Igitur notum sit omnibus fidelibus Sanctæ Dei-Ecclesiæ ac nostris, præsentibus scilicet & futuris, quia Vir Venerabilis Hilduynus Monasterii Sancti Vincentii ac Sancti Germani Abba, necnon & sacri Palatii nostri Archicapellanus, nostræ suggessit Serenitati, quòd pro Dei Omnipotentis amore & futuro ejusdem Congregationis cavendo periculo, ne aliquâ successorum suorum negligentiâ ac parcitate, ordo in ea futuris temporibus perturbaretur, stipendia eorum, quæ annuatim in cibo & potu accipere debebant, necnon & quasdam villas specialiter necessitatibus illorum deserviendas constituisset ac deputasset, atque per literarum seriem, & largitionis suæ Chartam, suâ aliorúmque bonorum hominum manibus roboratam eis concessisset ac delegasset, quatinus nullâ occasione, nec rei publicæ servitio quisquam ex successoribus suis impedimentum in futuro inferre possit, pro quo à via rectitudinis & observatione regulari oberrare necesse esset; sed deputatis sibi rebus & stipendiis contenti, absque necessitate & inopia regularem normam tenere, & sine prævaricatione (quantùm humana sinit fragilitas) observare quivissent. Unde humiliter petiit ac postulavit Celsitudinem nostram, ut pro rei firmitate super eandem constitutionem auctoritatis Præceptum nostræ, pro divino intuitu ac ipsorum Sanctorum reverentia fieri juberemus, per quod deinceps stabilis & inviolata permaneret. Nos verò petitioni illius (quia necessaria & rationabilis erat) aurem accommodantes, & quâ voluntate ac ratione talia Clementiæ nostræ suggereret, perspicuè intelligentes, veluti postulaverit fieri adjudicavimus. Quapropter statuimus atque jubemus (secundùm quod in illius ordinatione continetur) ut dentur eis annis singulis de tritico puro modii mille quadringenti & quadraginta, & in susceptionem hospitum, modii centum octoginta, quod sunt simul modii mille sexcenti viginti. De vino, modiorum duo millia. De legumine, modii centum octoginta. De caseo, pensas centum sexaginta. De pinguedine, aut modii viginti, aut porci quinquaginta, quales meliores invenire possunt. De butyro, modii quatuor. De melle, carrada una ex modiis octo, vel sicut ex censu de villa Lucarias persolvitur. Et mensalem de duodecim villis melle & cerâ, id est, unoquoque mense sextaria quatuor & ceræ libras duas. De sale, modii centum. Volatilia cum ovis de duobus Festis, id est, Pascha, & Natalis Domini. Ad vestimenta etiam vel omnes eorum necessitates, secundùm Regularem institutionem procurandas, constituimus illis easdem villas, quas ipse per suam concessionem eis visus est condonasse. Id est, Antoniacum * cum ipsa Capella, vel quicquid ad suum opus præsentialiter habuit, vel quicquid inde homines per precarias tenent, vel quicquid per beneficium illius aliqui adhuc habent, & illic pertinere videtur. Alteram, cui vocabulum est Cella * quæ dicitur Villaris, cum omnibus appenditiis suis, quantùm ipse præsenti tempore ad suum opus illic habuit, vel quicquid homines per precarias tenent, vel quicquid per beneficia illius tenent, & illic pertinere videtur. Tertiam, quæ vocatur Matriolas *, cum omni integritate sua. Quartam, quæ vocatur Caticantus *. Quintam, cujus vocabulum est Novigentus *, cum omni integritate. Sextam, cujus vocabulum est Spinogilum *, cum ipsâ Capella, vel quicquid ad suum opus habuit. Septimam, Locellum quæ vocatur Valedronis. Octavam, quæ*

AN. CH. 829.
LUDOV. IMP. 16.
LOTHAR. IMP. 13.
PIPPINI R. 15.
LUDOV. R. 13.
PRÆCEPTUM PRO MONAST S. GERMANI

* *Antogny.*
* *La Celle pré Suresnes.*
* *Maroles. prés Montereau.*
* *Cachant.*
* *Nogent l'Artaud.*
* *Espinay.*

AN. CH. 829. LUDOV. IMP. 16. LOTHAR. IMP. 13. PIPPINI R. 15. LUDOV. R. 13.

*dicitur Agmantus *, una cum ipsâ sylva quæ vocatur Usta *. Has ergo villas cum appenditiis & redditibus suis (ut diximus) ad omnes ejusdem Congregationis tam infirmorum quàm senum necessitates faciendas, & sustentacula mortalis vitæ ministranda, Imperiali auctoritate & indulgentiâ, per hoc Præceptum confirmationis nostræ (sicut prædictus Venerabilis Abba in sua confirmavit Constitutione) stabili jure eis concedimus & confirmamus. Præcipientes ut nullus Abba per successiones quod salubri egit consilio subtrahere aut minuere audeat, aut ad suos usus retorqueat, aut alicui in beneficio tribuat, sed neque servitia ex eis exactet, neque parvaredos, aut expensas ad hospitum susceptiones recipiat. Neque ullas in aliqua re exactiones inde exigat, absque inevitabili necessitate, præter mensuras in principali Ecclesia Beati Germani, & in ponte Parisius longo à tempore dispositas. Et, si augeri adjudicaverit, & numerum Monachorum in majus augeri, amplificari pecuniâ majori licentiam habeat. Hæc enim (ut putamus) ad usus centum viginti Monachorum sufficiunt. Distrahendi autem aut minuendi eas res, quas pro Dei statuimus amore, nequaquam præsumat. Sed, si facere præsumpserit, & post discessum nostrum hanc nostram confirmationem, quam supradicti Venerabilis Viri Hilduyni constitutionem fecimus, violare voluerit, querela ad successores nostros, qui tunc temporis nobis superstites fuerint, devenerit, ipsique agnitâ auctoritate nostrâ statuta nostra defendant, & sua auctoritatis Præcepto confirment, qualiter futuris temporibus fratres in Cœnobio supradicto Regulam Beati Benedicti servantes, absque perturbatione liberè Deo deservire queant, nobisque merces exinde in perpetua recompensetur æternitate. Et ut hæc auctoritas, quam ob amorem Dei & animæ nostræ remedium statuimus, firmiorem obtineat vigorem, & deinceps inconvulsa valeat perdurare, manûs nostræ subscriptione eam subter firmavimus, & annulo nostro sigillari jussimus. Dat. Id. Januarii, anno, Christo propitio, XVI Imperii Domni Hludovici Serenissimi Augusti, Indictione septimâ. Actum Aquisgrani Palatio Regio, in Dei Nomine feliciter.* Jacobus Breulius ad oram istius Diplomatis notavit *ann. 830*, ratus Chronologicos Characteres, quibus hoc Præceptum munitur, Idus scilicet Januarias & annum Imperii Ludoviciani decimum-sextum à die sumi, quo Carolus Magnus ex hac vita migravit, id est, à die quinto ante Kalendas Februarias anni post Christum natum octingentesimi decimi-quarti, sed isti computo refragatur Indictio septima, cujus Idus Januariæ illigantur anno Redemptoris octingentesimo vicesimo-nono, Ludovici Imperatoris decimo-quinto post Caroli patris obitum adhuc currenti. Totam difficultatem adimit altera Imperii Ludoviciani epocha, quæ petitur à die, quo Ludovicus in consortium Imperatorii Nominis à Carolo vocatus est, exeunte tunc anno Redemptoris octingentesimo decimo-tertio. Habitâ enim ratione hujus epochæ, Idus Januariæ, quæ per Indictionem septimam cum anno Redemptoris octingentesimo vicesimo-nono conveniunt, cum anno Imperii Ludoviciani decimo-sexto per eandem Indictionem septimam rectè quoque quadrant. In Diplomate suprà descripto, quæ corruptè vocatur Usta sylva, nuncupari debet Utta, vel, ut recentioribus placet, Otta, vitiosè Orta. Pago latè cognomini Senonas inter ac Trecas nomen dedit. Id liquet ex variorum locorum cognominibus, putà Sedanti * in Utta, Aquarum * in Utta, & aliorum, de quibus nonnumquam nobis erit sermo. Carolus Rex anno Redemptoris octingentesimo quadragesimo-primo *Senonicam adiit urbem*, atque, ut Nithardus [a] subjungit, & ad illum annum repetituri sumus, *hinc per Uttam iter faciens Tricassinorum civitatem adiit.*

* Esmans.
* Leg. Vno
* Seant en Otte.
* Aix en Otte.
[a] Lib. 2.

II. In Galliis hoc anno post Christum natum octingentesimo vicesimo-nono celebrata sunt quatuor Concilia, Moguntinum, Parisiense, Lugdunense, ac Tolosanum. Quibus è provinciis habita singula, docent encyclicæ Ludovici ac Lotharii Augustorum literæ, quarum mentionem anno priori fecimus. Ad Moguntiacense cum suis Suffraganeis vocati sunt,

AN. CH. 829. LUDOV. IMP. 16. LOTHAR. IMP. 13. PIPPINI R. 15. LUDOV. R. 13.

CONCILIUM MOGUNTINUM.

Orgarius Moguntiacensis Archiepiscopus, Hadabaldus Archiepiscopus Coloniensis, Hettius Trevirensis Archiepiscopus, & Bernuinus Vesontionensis Archiepiscopus. Omissum fuit hoc Concilium à Nicolao Serario, qui Moguntiacensium Conciliorum Indicem texuit [a], & primum illorum ad annum Redemptoris octingentesimum decimum-tertium sub Richolphi Pontificatu; secundum, tertium, & quartum, ad annos Redemptoris, octingentesimum quadragesimum-septimum, octingentesimum duodequinquagesimum, & octingentesimum quinquagesimum-secundum, sub Rabani Pontificatu retulit. Istius omissionis hæc una ratio proferri potest, quòd Canonum in illo Concilio conditorum Collectio non extet. Regino Prumiensis quondam Abbas duos de disciplinis Ecclesiasticis & Religione Christiana libros ex diversis Sanctorum Patrum Conciliis ac Romanorum Pontificum Decretis jussu Rathbodi Trevirensis Archiepiscopi collegit. Hos in Germania jam editos Stephanus Baluzius ad Codicem nostræ Bibliothecæ vetustissimum atque à Joanne Morino nostræ Congregationis Presbytero laudatum emendavit. In utroque libro multi leguntur Canones ex Conciliis excerpti Moguntiacensibus, potiórque pars deprehenditur ex illis transcripta, quæ sub Archiepiscopis, Richolpho, Rabano, & Luitberto, celebrata sunt, atque in Conciliorum Collectionibus integra reperiuntur. Ex hac autem observatione suspicamur ceteros ad Concilium præcipuè pertinere, quod hoc anno habitum est Orgario Archiepiscopatum gerente. I.

Quibus licentia uxores ducendi non est, alienarum nuptiarum evitent convivia. Hunc Canonem ex Moguntiacensi Concilio citat Regino, libro primo, Capitulo trecentesimo vicesimo-sexto. III.

Si servus absente aut nesciente domino, Episcopo autem sciente, Diaconus aut Presbyter fuerit ordinatus, ipse in Clericatûs officio permaneat, Episcopus autem eum duplici satisfactione Domino persolvat. Si verò Episcopus servum eum esse nescierit, qui testimonium de illo perhibent, aut eum postulant ordinari, simili recompensatione teneantur obnoxii. Hunc quoque Canonem ex Moguntiacensi Concilio allegat Regino, libro primo, Capitulo trecentesimo nonagesimo-secundo. Clarior est in eadem materia Canon octavus Synodi Aurelianensis primæ, quem Tomo primo [b] jam recitavimus. *Si servus absente aut nesciente Domino, & Episcopo sciente quòd servus sit, aut Diaconus aut Presbyter fuerit ordinatus, ipso in Clericatûs officio permanente, Episcopus eum Domino duplici satisfactione compenset. Sin verò Episcopus eum servum esse nescierit, qui testimonium perhibent, aut eum supplicaverint ordinari, simili redhibitione teneantur obnoxii.* IV.

Apud Reginonem Capitulum vicesimum-septimum libri secundi sic habetur ex Concilio Moguntiacensi. *Statuimus ut parricidæ & fratricidæ per unius anni circulum ante fores Basilicæ orantes Domini clementiam perseverent. Completo anni circulo, introducantur in Ecclesiam; tamen inter audientes, usquedum unius anni spatium finiatur, stent. His ita peractis, si pœnitentiæ fructus in eis conspicitur, Corporis & Sanguinis Domini participes fiant, ut non obdurentur desperatione. Carnem non manducent omnibus diebus vitæ illorum. Jejunent autem usque ad nonam diei horam cotidie, exceptis Festis diebus atque Dominicis. Abstineant autem à vino, medone, atque mellita cervisia, tres dies per hebdomadam. Arma portare non audeant nisi contra paganos, &, ubicumque ire maluerint, nullo vehiculo deducantur, sed pedibus propriis pergant. Tempus autem hujus pœnitentiæ in Episcoporum ponimus arbitrio, ut secundùm conversationem illorum aut extendere vel minuere valeant. Ab uxoribus, si habuerint, non separentur. Si autem non habuerint, & se continere non valuerint, legitimas accipiant in conjugio fœminas, ne in fornicationis voraginem incidere videantur. Si autem antequàm duorum prædictorum annorum finiantur curricula, finis vitæ illorum pervenerit, viaticum illis non denegetur.* Hoc Capitulum, V.

[a] Lib. 1. rer. Mogunt. c. 35.

[b] Ad ann. 511. n. 13.

AN. CH. 829. LUDOV. IMP. 16. LOTHAR. IMP. 13. PIPPINI R. 15. LUDOV. R. 13.

quod Burchardus ex Concilio Triburiensi retulit in quo non extat, pugnat cum undeducentesimo. Atque ex hac discrepantia colligimus Moguntinos hodie Canones desiderari non unius tantum Concilii, quod hoc anno Moguntiæ celebratum est Ludovico Pio Imperatore.

VI. In eodem Reginonis libro Capitulum quinquagesimum-quintum, quod de membrorum truncationibus inscribitur, ex Moguntiacensi Concilio sic effertur. *His, à quibus Domini Sacramenta tractantur, judicium sanguinis tractare non licet. Et ideo magno opere talis excessus prohibendus est, ne indiscreta præsumptionis motibus agitati, aut, quod morte plectendum est, sententiâ propriâ judicare præsumant, aut truncationes quibuslibet personis aut per se inferant aut inferendas præcipiant. Quòd si quisquam horum immemor præceptorum, aut in Ecclesiæ suæ familiis, aut in quibuslibet personis tale aliquid fecerit, & concessi ordinis honore privetur & loco, sub perpetua damnationis religatus ergastulo, cui tamen communio exeunti ex hac vita non neganda est propter Domini misericordiam.*

VII. Capitulum sexagesimum de oppressione infantium ex eodem Moguntiacensi Concilio sic refertur. *Si quis infantem suum incautè oppresserit, aut vestimentorum pondere suffocaverit, & hoc post Baptismum factum fuerit, quadraginta dies pœniteat in pane & aqua, oleribus, atque leguminibus, & à conjuge se abstineat. Posteà tres annos pœniteat per legitimas ferias, & tres in anno Quadragesimas observet. Quòd si ante Baptismum infans oppressus fuerit, proximos quadraginta dies ut suprà pœniteat. Posteà verò quinquennium expleat.*

VIII. Capitulum septuagesimum-quartum de viris qui suas conjuges & de conjugibus quæ viros suos occidunt, ex Moguntiacensi Concilio sic describitur. *Si maritus uxorem, aut uxor maritum interfecerit, æquum judicium sit super eos, dicente Domino. [Non consideres personam pauperis, nec honores vultum potentis.] Et post pauca. Ita, inquit, parvum audietis ut magnum, nec accipietis cujusquam personam, quia Dei judicium est. Idcircò uterque eorum hujuscemodi criminis accusatione, si negaverit, pari judicio examinetur.*

IX. Capitula, nonagesimum-quintum, triàque subsequentia sunt de homicidiis, & ex eodem Moguntiacensi Concilio sic recitantur. . XCV. *Qui odii meditatione, vel propter cupiditatem, Judæum vel paganum occiderit, quia non leve vitium committitur, ut homicidam convenit pœnitere, quandoquidem nec exteris gentibus, nisi oblatam pacem respuerint, bellum est populo antiquo penitus inferre præceptum.* XCVI. *Si quis insaniens aliquem occiderit, si ad sanam mentem pervenerit, levior ei pœnitentia imponenda est, quàm ei qui sanâ mente tale quid commiserit. Cui quamvis pœnitentia sit imponenda, quia ipsa infirmitas causa peccati, licèt fortassis occulta contigisse creditur, tantò tamen sit levior quàm ei qui sanus aliquem occiderit, quantùm inter sanum & insanum, inrationabile à rationabili, constat esse discriminis.* XCVII. *Si quatuor aut quinque homines seu etiam plures contra unum hominem rixati fuerint, & ab his vulneratus mortuus fuerit, quicunque eorum plagam imposuit, secundùm statuta Canonum ut homicida judicetur.* XCVIII. *Ubi manifestari potest quemlibet hominem perpetrasse homicidium, secundùm Canonicam auctoritatem condignum pœnitentia judicium illi ingeratur. Si autem manifestis indiciis non potest probari eum homicidam esse, nec ipse vult confiteri, Omnipotentis Dei judicio, cui omnia occulta manifesta sunt, reservetur. Et tamen indicetur, quòd communione Ecclesiasticâ indignus sit, donec perpetratum crimen confiteatur, & per confessionem & pœnitentiam condignam ab hoc crimine se absolvere certet.*

X. Capitulum undeducentesimum de incestis & eorum pœnitentia sic exhibetur ex Concilio Moguntiacensi. *Si quis fornicatus fuerit cum duabus sororibus, vel cum noverca sua, vel cum amita sua, vel cum matre sua, vel cum filia patrui sui & avunculi sui, vel cum filia amitæ suæ sive materteræ suæ, vel cum nepte sua, vel cum commatre, aut filiola sua, sive quem de fonte susce-*

AN. CH. 829. Ludov. Imp. 16. Lothar. Imp. 13. Pippini R. 15. Ludov. R. 13.

pit, vel ante Episcopum tenuerit, & si qua mulier simili modo fornicata fuerit, abstineat se ab ingressu domûs Dei annum unum; & eodem anno, nisi Dominicis & Festis diebus, solummodo pane & aquâ & sale utatur, arma non ferat, osculum nulli præbeat, sacrificium nisi pro viatico minimè sumat. Sex deinde annis ingrediatur quidem domum Dei, sed carnibus & vino & sicerâ minimè utatur nisi Festis diebus. De armis verò vel osculo sive sacrificio, sicut suprà dictum est. Postea verò duobus annis, quando carne vescitur, à potu omni, qui inebriare potest, se contineat; &, si potum biberit, minimè carne vescatur absque præcipuis Festis diebus. De armis vel osculo & sacrificio modum teneat jam dictum. Inde usque ad obitum suum, nisi prædictis Festis diebus, à carne se abstineat tres legitimas ferias in omni hebdomada, & tres Quadragesimas in anno legitimè custodiat. De armis verò ut suprà dictum est. Et nunquam aliquando conjugio copuletur. Hæc eadem pœnitentia imponenda est parricidis vel fratricidis vel consanguineis, necnon & qui sponte per fraudem & avaritiam hominem innoxium occidunt, quod morchidum vocant.

XI. Concilium Parisiense.

Plura de Moguntiacensi Concilio dicenda non habemus. Sequitur Parisiense tres in libros, sive in capitula quatuor ac nonaginta distributum, in cujus Præfatione sic Episcopi loquuntur. *Cùm liquidò pateat Ecclesiam, quam Christus, qui eam suo proprio sanguine redemit, suis Orthodoxis famulis Hludowico & Hlothario Gloriosis Augustis regendam tuendámque committere occultâ suâ dispensatione voluit, diversorum morborum generibus affici, multifariis cladibus conteri, divinum contra se mucronem interiùs exteriúsque meritis exigentibus grassari, plagásque, quas Dominus suis jussis obedire nolentibus sed potiùs ad mala quæ vetuit labentibus interminatus est, incessanter experiri; iidem Deo pleni Principes cælitus inspirati, consultò ad Deum congruam dignámque conversionem judicaverunt esse faciendam.* Et paulò pòst. *Totius Ecclesiæ sibi commissæ generalitati consulere cupientes, tantæque necessitatis negotium justæ discretionis trutinâ præponderantes, idque sui officii non esse humiliter dyudicantes, consultu Sacerdotum & Optimatum ceterorumque fidelium suorum, idem negotium super placando furore Dei his dignè censuerunt esse committendum; per quos homines de infidelitatis tenebris liberantur, & in lucem fidei transferuntur, & de filiis iræ filii adoptionis efficiuntur. Per quos etiam homines de his, quæ post Baptisma committunt, pœnitentia satisfactione peractâ, Deo reconciliari merentur. Ad quorum imperium, secundùm Sanctæ Legis Decretum, qui lepra immunditiâ sordebant, emaculabantur, ceteráque eorum judicio in legalibus institutis prorogabantur. Quibus & in Evangelio à Domino tanta confertur potestas, ut quæ statuerint in terra, statuta sint & in cælo; & quæ solverint in terra, soluta sint & in cælis; & quorum remiserint peccata, remittantur eis. Hos quippe constat Vicarios esse Apostolorum & Luminaria mundi. Per hos igitur, eorúmque doctrinam, tales tantíque Piissimi Principes sibi suísque fideliter crediderunt misericordiam propitiari divinam.* Deinde inferiùs. *Non abs re duxerunt super suis populíque sibi subjecti erratibus Sacerdotes Legem Domini scientes consulendos. Quapropter statuerunt in quatuor congruentissimis Imperii sui locis Conventus Episcoporum uno eodémque tempore fieri debere. In quibus Conventibus, Domino inspirante, diligenter studerent quærere & investigare de causis ad Religionem Christianam eorúmque curam pertinentibus, quid à Principibus & reliquo populo, vel ita ut divina auctoritas docet aut aliter teneretur. Deinde quid in ipsorum, qui Pastores populi constituti sunt, conversatione & actibus inveniri posset, quod divina regula atque auctoritati non concordaret; simúlque invenirent quæ occasiones in utroque ordine id effecerint, ut à recto tramite deviossent. Et quicquid de his causis inventum fuisset, correctionis gratiâ, juxta ministerium sibi injunctum patenter denuntiarent.* Postremò sub finem. *Anno Incarnationis Domini DCCCXXIX, imperantibus eisdem Præcellentissimis ac Gloriosissimis Deóque dilectis Augustis, Hludowico videlicet filioque ejus Hlothario, sub die VIII Iduum Juniarum, nos indigni Episcopi, ex Diœcesi scilicet Durocortorum, necnon & Diœcesi Senonica, & Turonica, atque Rotomagica,*

AN. CH. 829. LUDOV. IMP. 16. LOTHAR. IMP. 13. PIPPINI R. 15. LUDOV. R. 13.

apud Parisiorum urbem convenimus, & qualiter de paulò superiùs præmissis causis, juxta admonitionem eorumdem Principum, egerimus vel tractaverimus atque statuerimus, in subsequentibus breviter capitulatim adnotare curavimus, non ausu temerario Sanctorum Patrum terminos transgredientes, sed potiùs his diligenter perpensis atque perspectis, per eos nostram ceterorúmque fidelium vitam corrigere & in meliùs informare cupientes. Singulorum Capitulorum, quia pleraque sunt valdè prolixa, solos sæpè titulos aut fragmenta quædam recitabimus brevitatis causâ.

XII. Primo Capitulo Synodus docet, quid propriè ad Religionem Christianam pertineat. *Constat, quòd fundamentum Christianæ Religionis fides sit Catholica, hoc est, credere in Patrem & Filium & Spiritum Sanctum, unum Deum & verum Deum, trinum in personis, & unum in substantia. Credere etiam, quòd sola persona Filii pro salute nostra carnem assumpserit, in qua & passus est, & resurrexit, & in cælos ascendit, cum qua etiam ad juditium venturus est. Et credere quòd per Spiritum Sanctum remissio peccatorum in Baptismate conferatur, & quòd fidelibus in Ecclesia Christi, ejusdem Sancti Spiritûs dona, per ministerium Sacerdotale, & per pænitentiam, remissio peccatorum indubitanter attribuatur. Et quòd generalis omnium in vera carne in adventu Christi resurrectio futura sit. Et quòd nosse unumquemque fidelem oporteat, quia hæc fides vera & fructuosa esse non potest, nisi bonis operibus exornetur, id est, fide, spe, caritate, humilitate, castitate, continentiâ, sobrietate, unanimitate, contardiâ, justitiâ, pietate, misericordiâ, innocentiâ, & simplicitate, & ceteris his similibus, quæ omnia in dilectiane Dei & proximi consistunt. Sine his enim nemo potest Deo placere, nec salvus esse, quia teste Apostolo fides sine operibus mortua est in semetipsa.* Et inferiùs. *Inter cetera mala, quæ fidem commaculant, quatuor nobis vitia spiritalia meritò exaggeranda videntur, quæ quantò occultiora sunt, tantò perniciosiora; id est, superbia per quam Angelus diabolus effectus de cælo ejectus est; invidia per quam idem diabolus hominem de paradiso ejecit; odium & discordia, quæ caritatem inter proximos extinguunt, & non sinunt proximos in mutua dilectione consistere, nec quietam tranquillámque, ut decuerat Christianos, vitam degere.*

XIII. Secundo Capitulo Synodus probat ex epistolis Beati Pauli, *quòd universalis Sancta Dei Ecclesia unum corpus, ejusque caput Christus sit.* Deinde peccatores ad pœnitentiam hac hortatur conclusione. *Quisquis ergo per aliqua illicita ex membro Christi se fecit membrum diaboli, noverit se non in corpore Christi sed in corpore esse diaboli. Proinde necesse est, ut corpori Christi, à quo astu diabolico separatus est, se incunctanter, dum tempus pænitentiæ in promptu habetur, restituere non negligat.*

XIV. Tertio Capitulo Synodus corpus Ecclesiæ duas in personas eximias principaliter dividit, nititúrque scriptis Sanctorum, Gelasii Papæ & Fulgentii Ruspensis Episcopi. *Principaliter itaque totius Sanctæ Dei Ecclesiæ corpus in duas eximias personas, in Sacerdotalem videlicet & Regalem, sicut à Sanctis Patribus traditum accepimus, divisum esse novimus. De qua re Gelasius Romanæ Sedis Venerabilis Episcopus ad Anastasium Imperatorem ita scribit. Duo sunt quippe, inquit, Imperator Auguste, quibus principaliter mundus hic regitur, auctoritas sacrata Pontificum & Regalis potestas, in quibus tantò gravius pondus est Sacerdotum, quantò etiam pro ipsis Regibus hominum in divino reddituri sunt examine rationem. Fulgentius quoque in libro de veritate prædestinationis & gratiæ ita scribit. Quantum pertinet, inquit, ad hujus temporis vitam, in Ecclesia nemo Pontifice potior, & in seculo Christiano Imperatori nemo celsior invenitur.* Hic definit, quod in veteri Capitularium editione Capitulum est centesimum sexagesimum-septimum libri quinti, in nova trecentesimum undevicesimum. Pergit autem Synodus, & prædictum Capitulum hac claudit partitione. *Cùm hæc quippe ita se habeant, primùm de Sacerdotali, post de Regali persona dicendum statuimus.* Ad Sacerdotalem personam cetera primi libri Capitula pertinent, ad Regalem præcipua libri secundi. Porrò diffi-

mulare non debemus præcitatum Gelasii Papæ textum in Capitularibus sic inchoari; *duæ sunt quippe Imperatrices Augusta, quibus principaliter mundus hic regitur;* in epistolis verò Gelasii Papæ & in omnibus editionibus Concilii Parisiensis, *duo sunt quippe, Imperator Auguste, quibus principaliter mundus hic regitur.* Hanc lectionem alteri præferendam arbitramur. AN. CH. 829. LUDOV. IMP. 16. LOTHAR. IMP. 13. PIPPINI R. 15. LUDOV. R. 13.

Quarto Capitulo Synodus ostendit, *quòd in successoribus Apostolorum Religio Christiana vigere, & salvatio subditorum debeat consistere.* Probationes affert ex libro Pastorali Sancti Gregorii & ex libro de vita contemplativa qui Prospero perperam tribui solet, ut dictum suprà. Inter alia insignem hanc habet admonitionem, quæ spectat ad Sacerdotes. *Quando vita Sacerdotum cum doctrina non concordat, & auditoribus infirmis scandalum, & animarum provenire periculum, non est dubium. Proinde summoperè cavendum est Sacerdotibus, ne offendiculum fiant his quibus præsunt. Tunc enim offendiculum fiunt illis, quando quod verbis prædicant, moribus impugnant.* XV.

Quintum Capitulum sic inchoatur. *Statuimus pari voto parique consensu, ut unusquisque nostrûm dictis & exemplis plebes Parrochiæ suæ attentiùs ad meliora incitare studeat, easque, ut se à malis cohibeant & ad Dominum ex toto corde convertant, sollicitè admoneat, Deúmque, quem peccando iratum sibi fecerant, dignâ pœnitentiæ satisfactione & eleemosynarum largitione sibi placabilem facere satagant. Necnon & pro vita Piissimi Deóque amabilis Ludovici Imperatoris, conjugis, prolisque ejus incolumitate, Imperiique sibi commissi stabilitate, Dei immensam misericordiam cernuis precibus implorent. Simúlque eis ostendendum, quoniam quamdiu quis malis operibus deditus est, nec sibi nec aliis Deum propitiari meretur. Et quòd unusquisque eleemosynam & cetera bona opera à semetipso incipere debeat.* In eodem Capitulo citatur liber de vita contemplativa, quo prædicatores monentur, ut assiduè suo fungantur officio, ne pœnarum participes fiant cum impiis. *Ille, cui dispensatio verbi commissa est, etiamsi sanctè vivat, & tamen perditè viventes arguere aut erubescat aut metuat, cum omnibus, qui eo tacente perierint, perit; & quid ei proderit non puniri suo, qui puniendus est alieno peccato?* XVI.

Sextum Capitulum, quod est de Baptismo, sic inchoatur. *In primordio Sancta Dei Ecclesia, nemo ad perceptionem sacrosancti Baptismatis admittebatur, nisi priùs & fidei & Baptismatis sacramento fuisset instructus.* Ita verò clauditur. *Verùm quoniam fides Christi ubique pollet, & parvuli de Christianis parentibus nati, antequàm ad intelligibilem ætatem veniant, Baptismatis sacramenta percipiunt, necesse est, ut quod imbecillis ætas nequivit, intelligibilis discere satagat. Quod quia ab usu Christianæ Religionis propter quorumdam incuriam recessit, quanta sit negligentia quantóque discriminis, satis dici non potest.* XVII.

Septimum Capitulum est de tempore Baptismatis & de patrinis ac matrinis. *Sanè à quibusdam, quamvis fides Christi inhianter expetatur, aliter tamen agitur, quàm divina auctoritas testetur. Præfixa tempora Canonum super celebratione Baptismatis à multis, partim ignorantiâ, partim præsumptione violantur. Secundò, quia illi qui in sua sponsione aliquos de sacrosancto fonte suscipiunt, nec fidei nec Baptismatis sacramento sunt instructi. Et idcircò eos, quos suscipiunt, & secundùm Sanctorum Patrum documenta docere debuerant, erudire nequeunt. Quod ad negligentiam Sacerdotum necnon & auditorum pertinere dubium non est.* In hoc Capitulo, præter mortis periculum, duo Baptismatis tempora, Pascha videlicet & Pentecoste, de quibus sæpè disseruimus, auctoritate Sanctissimorum Pontificum Gelasii ac Leonis confirmantur. Citatur & hic textus, quo Beatus Augustinus docet, qualiter hi, qui de sacro fonte suscipiunt alios, debeant eos instruere. *Quicumque viri, quæcumque mulieres de sacro fonte filios spiritualiter susceperunt, cognoscant se pro eis fidejussores extitisse apud Deum. Et ideo necesse est, ut semper illis sollicitudinem veræ caritatis impendant, admoneant, & castigent, atque corripiant, ut castitatem custodiant, virginitatem usque ad nuptias servent, & ceteris bonis operibus dediti sint.* XVIII.

AN. CH. 829. LUDOV. IMP. 16. LOTHAR. IMP. 13. PIPPINI R. 15. LUDOV. R. 13.

Octavo Capitulo Synodus probat ex Concilio Neocæsariensi eos qui extra statuta tempora Canonum baptizantur, ad gradus Ecclesiasticos provehi non debere. Ex hoc autem Capitulo & ex præcedenti breviter à Benedicto Levita concinnatum est secundum Additionis secundæ ad Capitularia, sic. *Ut extra statuta tempora Canonum Baptismata non celebrentur, quia sacri Canones hoc modis omnibus, nisi aliquod periculum institerit, fieri prohibent, in tantùm, ut etiam eos, qui alio tempore baptizantur, à gradibus Ecclesiasticis arceant.*

XIX. XX. Nonum Capitulum est de pacto, quod fideles in Baptismate cum Deo faciunt. *Pactum, quod cum Deo in Baptismate fit, à multis ex toto, à multis ex parte transgreditur. Ex toto quippe transgreditur, quando quis post acceptam Baptismatis gratiam, aut ad infidelitatem, aut ad hæresim, aut certè ad schisma prolabitur. Ex parte verò, quando quis aut ad superbiam, aut ad invidiam, aut ad cetera vitia spiritalia, quæ ex radice superbiæ prodeunt, labitur.* Et infrà. *Constat unumquemque fidelem Deo in Baptismate duarum pactionum nexibus se obligare; alterâ, quâ abrenuntiare diabolo, & omnibus operibus ejus, & omnibus pompis ejus; alterâ verò, quâ se in Patrem & Filium & Spiritum Sanctum credere profitetur. Unde etiam sub ejusdem Sanctæ Trinitatis invocatione Baptismatis gratiam consequitur. Cùm ergo post hujuscemodi abrenuntiationem, quibuslibet illecebris vitiorum illectus, ad ea, quibus renuntiavit, redit; necnon & post tanta fidei perceptionem, in apostasiam aut infidelitatis aut hæreticæ pravitatis aut fraterni schismatis prolabitur, procul dubio utriusque pactionis trangressor efficitur. Quarum altera, quia Baptismi iteratione nequit, pœnitentiæ lamentis, eleemosynarum largitionibus ceterisque bonorum operum exhibitionibus dilui potest. Altera verò, quæ prædicta contagionis leprâ commaculata fuerit, nisi hæc primùm per Christi caruerit gratiam, & ad unitatem Ecclesiæ redierit, mundari, & pristinæ fidei colorem sanitatisque vigorem recuperare non poterit.*

XXI. Decimo Capitulo Synodus docet quid sit abrenuntiare diabolo, operibus ejus, & pompis ejus. *Abrenuntiare diabolo est, penitus eum respuere, spernere, rejicere, eique contradicere, seque unumquemque ab eo alienare, sive aliud quid, quod hoc verbo in hoc sensu exprimi potest. Opera ejus sunt, quæ utique operibus Salvatoris contraria existunt. Primùm superbia, cujus ille auctor est, & quæ eum ex Angelo dæmonem fecit, quæ est etiam initium omnis peccati, & cetera vitia, quæ ex radice prodeunt superbiæ. Pompa diaboli hæc est quæ pompa mundi, id est, ambitio, arrogantia, vana gloria, omnisque cujuslibet rei superfluitas in humanis usibus; unde crescit elatio, quæ multotiens honestati solet adscribi, & cetera hujusmodi, quæ de fonte superbiæ procedere noscuntur. Hæc & his similia sunt, quæ unusquisque fidelis tempore Baptismatis à se rejecit, Christóque se mancipavit, pactúmque cum Deo fecit, ne penitus ad ea, quibus abrenuntiavit, rediret.*

XXII. Undecimo Capitulo Synodus damnat Simoniam. *Providendum ac summoperè cavendum est, ut hi, per quos & Religio Christiana constare, & ceteri ab offensione debent salvari, tales posthabitâ Simoniacâ peste eligantur, quales & Apostolicus sermo, & Canonicus ordo, & Beati Gregorii Pastoralis Regula docet, scilicet ut nullius terrenæ rei gratiâ nisi Dei solius eligantur. Quoniam si pro aliquo munere præsentis futuræque retributionis, vel pro qualibet alia re, quæ contraria esse possit veritati divinæque auctoritati, eligitur, liquet profectò quòd ex toto aliter agitur, quàm divina auctoritas testatur, & quòd in hujuscemodi facto Deus offendatur, & taliter electo, & his quibus præficitur, quin scandalum generetur dubium non est. Proinde oportet ut in electione & ordinatione Sacerdotis, valdè execranda Simoniaca hæresis, quæ propter quorumdam avaritiam & ambitionem modernis temporibus dignitatem Sacerdotalem fuscare comprobatur, nihil sui detestandi juris habeat, quæ in primordio Sanctæ Dei Ecclesiæ à Beato Petro Principe Apostolorum cum auctore suo damnata est.* Sequuntur varii textus, ex Actibus Apostolorum, ex Concilio Calchedonensi, atque ex beatis Gregoriis Nazianzeno & Magno, quos consule si lubet.

Duodecimo Capitulo Synodus pleniſſimè docet, *qualiter ad culmen re-* AN. CH.
giminis veniendum, qualiter in eo vivendum, qualitèrque docendum, vel qua- 829.
liter quotidie propriæ infirmitatis conſideratio Sacerdoti ante oculos ſit ponenda. Ludov.
Nititur Sacrâ Scripturâ teſtimoniiſque Sancti Hieronymi & utriuſque Imp. 16.
Gregorii.

Decimo-tertio Capitulo monet Sacerdotes, ut avaritiam cavere ſtu- Lothar.
deant, & in eam rem complures textus congerit ex Sacta Scriptura, ex Imp. 13.
Beda, & ex libro de vita contemplativa. Pippini

Decimo-quarto Capitulo Sacerdotes exhortando admonet & admo- R. 15.
nendo exhortatur, ut hoſpitalitatem ſectati meminerint, eámque com- Ludov.
mendat allatis utriuſque Teſtamenti necnon & Origenis ac Sanctorum Hie- R. 13.
ronymi & Gregorii Magni textibus non paucis. XXIII.

Decimo-quinto Capitulo manifeſtat, *quòd nulli Sacerdotum liceat res Deo* XXIV.
dicatas ſibique commiſſas utpote proprias tractare, & ad multifarios ſecundùm li- XXV.
bitum ſuum eas uſus retorquere, ſed potiùs ſecundùm Canonicam auctoritatem XXVI.
Sanctorúmque Patrum dicta & exempla, adminiſtrare vel diſpenſare. In hujus aſſertionis confirmationem citat novum Teſtamentum, Canones Apoſtolorum, Synodos Antiochenam & Calchedonenſem, Sanctum Hieronymum, Gelaſium Papam, & Auctotem libri de vita contemplativa.

Decimo-ſexto Capitulo Synodus Epiſcopos ac Preſbytetos monet, ut XXVII.
in rebus Eccleſiæ circa propinquos ſuos expendendis teptehenſionem caveant. *Quoniam mulsi Epiſcoporum, amore propinquorum ſuorum, de rebus ſibi commendatis, ſuo aut quorumlibet amicorum nomine, prædia aut mancipia emunt, & ut in ſuorum propinquorum jus cedant ſtatuunt, & ob hoc, & jura Eccleſiaſtica convelluntur, & miniſterium Sacerdotale fuſcatur, immo à ſubditis detrahitur & contemnitur; placuit omnibus, ut deinceps hoc avaritiæ genus caveatur, fixúmque abhinc & perpetuò manſurum eſſe decernimus, ut Epiſcopus res ſui juris, quas aut ante Epiſcopatum aut certè in Epiſcopatu hæreditariâ ſucceſſione acquiſivit, ſecundùm auctoritatem Canonicam, quicquid vult faciat, & cui vuls conferat. Poſtquàm autem Epiſcopus factus eſt, quaſcumque res de facultatibus Eccleſiæ, aut ſuo, aut alterius nomine, qualibet conditione comparaverit, decrevimus ut non in propinquorum ſuorum ſed in Eccleſiæ cui præeſt jura deveniant. Similiter & de Presbyteris, qui de Eccleſiarum rebus, quibus præſunt, prædia eo modo emunt, faciendum ſtatuimus, quoniam multos Presbyterorum, occaſione taliter emptarum rerum, Eccleſias quibus præſunt exſpoliaſſe, & à ſuo miniſterio multis modis exorbitaſſe, & ſe diabolo mancipaſſe, multóſque laicorum ex hoc facto in ſcandalum damnationis & perditionis protraxiſſe cognovimus.*

Decimum-ſeptimum Capitulum eſt de tebus Eccleſiæ non alienandis XXVIII.
extra conſtituta Canonum. *Canonica cenſura decernit, ut res Eccleſiæ, niſi ob nimias neceſſitates, quas deſcribit, nemo diſtrahat. Quòd ſi quiſpiam imminente nimiâ neceſſitate, inconſulto Primate provinciæ; aut certè majori urgente neceſſitate, non adhibitis teſtibus vicinis Epiſcopis, id facere attentaverit; ita Canonico judicio percellitur, ſcilicet ut amiſſo honore reus Deo & Concilio teneatur. Et licèt moderno tempore neceſſitas non compellat, ut apertè res diſtrahantur Eccleſiæ, verendum eſt tamen ne clanculò vendantur, & Canonica interminatio ſubeatur. Quando enim quiſpiam Prælatorum, aut muneris aut amoris aut amicitiæ aut certè timoris vel cujuſlibet alterius rei gratiâ, res Eccleſiæ in commutationem dat, commoda ſcilicet & utilia dans, & incommoda & inutilia Eccleſiæ ſua accipiens, venditorem temerarium Eccleſiaſticarum rerum ſe eſſe noverit reúmque Deo & Concilio contremiſcat. Quod quia in commutandis rebus id perſæpè eveniſſe dubium non eſt, cavendum ſummoperè abhinc Prælatis eſt, ne in commutandis Eccleſiaſticis rebus incauti exiſtant.* Sequitur, cui ſuperſedemus, Symmachi Papæ Decretum de tebus Eecleſiaſticis non alienandis.

Duodeviceſimo Capitulo Synodus oſtendit res Eccleſiæ Sacerdotibus, XXIX.
ſi eas ſtrenuè diſpenſaverint, non eſſe cauſam peccati.

AN. CH. Undevicesimo Capitulo Synodus agit adversùs eos, qui quorumdam
829. Sacerdotum vitam conversationémque livore potiùs quàm zelo caritatis
LUDOV. reprehendunt. Post enumerationem pravorum factorum, quibus Sacerdo-
IMP. 16. tes scandalum animis infirmorum generant, hoc Capitulum sic absolvit.
LOTHAR. *Omnibus studendum est Sacerdotibus, ut ab his deinceps se caveant, & his rebus*
IMP. 13. *insistant, quibus sibi, & his quibus præsunt, Dominum propitium facere mereantur.*
PIPPINI *Quàm moderata autem discretio in vestium cultu & mensæ apparatu Sacer-*
R. 15. *dotibus tenenda sit, dicta Beati Gregorii in expositione Evangeliorum, necnon &*
LUDOV. *vita Sanctorum virorum Augustini & Ambrosii plenissimè docent.*
R. 13. Vicesimo Capitulo probat ex Apostoli literis ad Titum, ex Decretis
XXX. Gregorii Papæ, & ex vitis Sanctorum Ambrosii atque Augustini, *quòd*
XXXI. *vita & conversatio Pontificis semper testes vitæ probabilis habere debeat.*
XXXII. Vicesimo-primo Capitulo Synodus Episcopos, Abbates & Abbatissas, qui suos Clericos, aut Monachos vel Moniales contemnunt, in multis redarguit. *Hoc quoque correctione congruâque emendatione dignum comperimus, eò quod nonnulli Prælatorum, nullâ interveniente necessitate, non cum Clericis, sed potiùs seorsùm cum laicis & quibusdam familiaribus suis sermocinari & convivari delectentur, similitérque & à quibusdam Abbatibus & Abbatissis fieri didicimus. Quæ res, quia valdè à paterna sollicitudine abhorret, & subditos in contemptum magistrorum, murmurationémque, & in divinorum obsequiorum transgressionem pertrahit, prorsus resecandam esse censuimus, & ut abhinc Prælati in his quæ præmissa sunt, quantùm facultas permiserit, sibi subditis participes existant, statuimus. De qua etiam re in Actibus Apostolorum, & in vita Beati Augustini, & in Concilio Sardicensi Capitulo XIV copiosa habentur exempla. Socios verò Ordinis nostri in gubernandis congregationibus sibi subditis, Canonicis videlicet, Monachis, & Sanctimonialibus, hactenus valdè negligentes extitisse, & ob id multos in sui detractionem & contemptum provocasse, ita ut nonnulli alii Prælati in eorum Parrochiis constituti, eorum prava exempla secuti, suas similiter congregationes neglexerint. Quos fraterno & Synodali Conventu admonendos esse necessariò duximus, ut ab hac negligentia deinceps se cohibeant, & ceteris se imitabiles præbeant, ne fortè, propter illorum incuriam, & divinæ servitutis contemptus & pericula proveniant animarum, & auribus Excellentiæ vestræ molestia ingeratur, & nostræ mediocritati in sacris Conventibus tædium & opprobrium inferatur. Comperimus etiam quosdam socios Ordinis nostri non causâ necessitatis aut utilitatis sed potiùs avaritiæ & propriæ delectationis, sæpissimè propriâ civitatis suæ Sede relictâ, Cleróque neglecto, remotiora loca frequentare; de qua re, & destitutio divini cultûs, & prædicatio in plebibus, & cura subjectorum postponitur, & hospitalitas negligitur. Quod ne ulteriùs à quoquam sine inevitabili necessitate & certa utilitate fiat, pari consensu inhibuimus.*

XXXIII. Vicesimum-secundum Capitulum est de Clericis laicorum. *De Clericis verò laicorum, unde nonnulli eorum conqueri videntur, eò quòd quidam Episcopi ad eorum preces nolint in Ecclesiis suis eos, cùm utiles sint, ordinare, visum nobis fuit, ut in utrisque partibus pax & concordia servetur, & cum caritate & ratione utiles & idonei eligantur. Et, si laicus idoneum utilémque Clericum obtulerit, nullâ qualibet occasione ab Episcopo sine certa ratione repellatur, &, si rejiciendus est, diligens examinatio & evidens ratio, ne scandalum generetur, manifestum faciat.*

XXXIV. Vicesimo-tertio Capitulo Synodus ex multis locis utriusque Testamenti necnon & ex scriptis Sancti Fulgentii monet Pastores, ut gregem sibi commissum non ut proprium sed ut Dominicum tractare meminerint, nec eorum quis dicere præsumat. *Illa Congregatio mea est, aut ille Presbyter, vel Clericus meus est, cùm non illius sit, sed illius cui dicatus est.*

XXXV. Vicesimo-quarto Capitulo statuit Synodus, ut Prælati carnalem spiritalémque cibum sibi subjectis impendere studeant, nec dissimulat reperiri,

AN. CH. 829.
LUDOV. IMP. 16.
LOTHAR. IMP. 13.
PIPPINI R. 15.
LUDOV. R. 13.

ri, *qui* vel *neutrum cibum utiliter eis administrant*, vel *spiritalem aut scienter eis subtrahunt, aut, quia nesciunt, non subministrant.*

XXXVI. Vicesimo-quinto Capitulo monet Episcopos, ut per suas Parrochias vice suâ ministros non rapaces sed avaritiam exosos constituant, & in fine Capituli statuit, *ut unusquisque Episcoporum super Archidiaconis suis deinceps vigilantiorem curam adhibeat, quoniam propter eorum avaritiam & morum improbitatem multi scandalizantur, & ministerium Sacerdotale vituperatur, & in Ecclesiis à Sacerdotibus multa propter eos negliguntur.*

XXXVII. Vicesimo-sexto Capitulo Patres queruntur, *quòd Episcoporum Concilia bis in anno, sicut mos Canonicus docet, per unamquamque provinciam non fiunt, & ob id Ecclesiastica utilitati magnum dispendium, & Principalibus auribus insolens impedimentum, & multorum impunitas nascitur flagitiorum. Proinde omnibus nobis*, inquiunt, *pernecessarium visum est, ut ab Imperiali Celsitudine libertas temporis imploretur, quo hac ad honorem Dei & utilitatem Sancta Dei Ecclesia multorúmque correctionem congruenter decentérque fieri possint. Et, si hac aliquâ prapediente necessitate bis nequeunt, saltem in anno semel fiant. Quoniam si hac semel, ut dictum est, in anno per unamquamque provinciam celebrata fuerint, & honor Ecclesiasticus vires Ordinis sui obtinebit; & impudentia quorumdam superborum Clericorum, qua passim, auctoritate Canonicâ calcatâ, auribus Imperialibus molestiam ingerit, cessabit; & impunitas diversorum flagitiorum locum delitescendi, quem nunc habet, non habebit; & alia multa, qua hactenus secus, quàm Ecclesiastica disciplina docet, incesserunt, Ordinem suum Domino auxiliante servabunt. Visum siquidem nobis & valdè profuturum Sancta Dei Ecclesia fuit, ut, quia Ordo Canonicus docet, ut in ipsis Conciliis adsint Presbyteri & Diaconi, & omnes qui se lasos existimant, & Synodi experiantur examen, adsint etiam uniuscujusque Episcopi eruditi viri, quos ad Christi militiam ejúsque Ecclesia honorem utilitatémque praparat, quatenus & ceteris Ecclesiis noti sint, & studium ac providentia Episcopi ad aliorum exempla manifesta fiat.*

XXXVIII. Vicesimo-septimo Capitulo Synodus vetat, ne Chorepiscopi mensuræ suæ modum excedant, qui præfixus est in sacris Canonibus. Ultimam Capituli periodum accipe. *Quia hactenus quidam Chorepiscopi secus, quàm auctoritas Canonica doceat, in Officiis Ecclesiasticis minùs cautè egerunt, providendum summoperè Episcopis est, ut ulteriùs eorum Chorepiscopi tale quid, quod nec eorum ministerio nec auctoritati divina concordat, facere pertentent; nec Episcopi sui eis aliud agendum permittant, nisi quod ad eorum officium propriè pertinet, & in sacris Canonibus prafixum habetur.* Lege quæ de Chorepiscopis dicta sunt suprà [a].

[a] An. 789. n. 12. a 803. nn. 64. & seqq. a. 813. nn. 345. 346. a. 820. n. 25.

XXXIX. Duodetricesimo Capitulo Synodus prohibet, ne Presbyteri & Monachi fiant villici, vel conductores agrorum, sectentúrque secularia negotia, vel vagentur per diversa, statuitque ut eos ab illicitis illis actionibus auctoritate suâ compescant Episcopi, transgressoréesque censurâ corripiant Canonicâ. Lege quæ scripta sunt ad annum Redemptoris octingentesimum decimum-tertium [b] ex Conciliis Remensi & Cabilonensi.

[b] Nn. 63. 147.

XL. Undetricesimo Capitulo Synodus *inter cetera, qua Religioni Christiana adversa sunt, hoc nihilominùs contrarium & periculosum* asserit, *quòd quorumdam Pralatorum temerario ausu, qui sibi licere putant quod non licet, & expedire quod non expedit, Ecclesia suis ad tempus viduantur Sacerdotibus, quoniam si quid eis in forensibus negotiis agendum, si quid etiam in diversis aliis partibus nuntiandum occasio necessitatis opponit, id potiùs per Sacerdotes Domini currentes & discurrentes, quàm per alios effici pracipiunt, non attendentes quòd eorum absentiâ & loca Deo dicata sibi cultu debito priventur, & homines sine Confessione, & infantes sine Baptismatis regeneratione plerumque moriantur. Quanti autem sit discriminis, & persona mittentis, & ei qua mittitur, animarum pericula, qua subinde hujus rei causâ fiunt, liquidò produnt. Proinde omnibus Pralatis cavendum est, ne illicitâ sibi Presbyterorum transmissione animarum suarum subeant damnationem.*

AN. CH. 829. LODOV. IMP. 16. LOTHAR. IMP. 13. PIPPINI R. 15. LUDOV. R. 13.

XLI. Tricesimum Capitulum est de Scholis. *Jam dudum à Pio & Orthodoxo Principe Domno Hludowico Deo amabili Imperatore jussum & admonitum est, ut Rectores Ecclesiarum in Ecclesiis sibi commissis strenuos milites Christi, quibus Deus placari posset, præpararent & educarent, attendentes illud Danielis Prophetæ. [Qui autem docti fuerint, fulgebunt sicut splendor firmamenti, & qui ad justitiam erudiunt alios, sicut stellæ in perpetuas æternitates.] Sed super hac ejusdem Principis admonitione, immo jussione, à nonnullis Rectoribus tepidè & desidiosè hactenus actum est. Unde omnibus nobis visum est, ut abhinc postpositâ totius torporis negligentiâ ab omnibus diligentior in educandis & erudiendis militibus Christi & vigilantior adhibeatur diligentia, & quando ad provinciale Episcoporum Concilium ventum fuerit, unusquisque Rectorum, sicut jam in præcedentibus memoratum est, Scholasticos suos eidem Concilio adesse faciat, ut suum solers studium circa divinum cultum omnibus manifestum fiat.* De Scholis lege quæ transcripta sunt ante quadriennium [a] ex Aquisgranensi Capitulari.

XLII. Tricesimo-primo Capitulo Synodus statuit, ut Episcopi, quando Parrochias suas circumeunt, his quibus prodesse debent non sint oneri. *Didicimus sanè quorumdam relatu nonnullos Coepiscoporum nostrorum in peragrandis Parrochiis suis, non solùm Consacerdotibus, verùm etiam quibusdam aliis fidelibus, quibus consultum ferre debuerant, oneri existere, & ob hanc causam multos in sui detractionem detestationémque pertrahere. Idcircò in commune statuimus, ne ulteriùs à quoquam Episcoporum tale quid fiat. Statuimus etiam, ut tempore congruò unusquisque Parrochiam suam circumeat. Et quamquam auctoritas Canonica doceat, ut quarta pars decimarum & redituum ex oblationibus fidelium in usus Episcoporum cedat, ubicumque tamen Episcopus sua habet, suis contentus sit; ubi autem nihil rerum Ecclesia sua habet, accipiat de memorata quarta parte sibi suísque, non quod avaritia, quod absit, suaserit, sed potiùs quod necessitas compulerit. Ceterùm si accipiendi nulla necessitas urserit, nihil de memorata quarta parte accipiat, sed usibus Ecclesiarum & pauperibus Christi impertiendam secundùm suam dispositionem relinquat.* Prima pars hujus Capituli legitur in Capitulari [b], quod anno Redemptoris octingentesimo vicesimo-secundo Ludovicus Augustus in Attiniacensi Conventu publicavit.

XLIII. Tricesimo-secundo Capitulo, *quoniam multi Sacerdotum partim incuriâ, partim ignorantiâ, modum pœnitentiæ reatum suum confitentibus secus, quam jura Canonica decernunt, imponunt utentes scilicet quibusdam codicillis contra Canonicam auctoritatem scriptis, quos Pœnitentiales vocant*, Synodus decernit, *ut unusquisque Episcoporum in sua Parrochia eosdem erroneos codicillos diligenter perquirat, & inventos igni tradat, ne per eos ulteriùs Sacerdotes imperiti homines decipiant.* Subditque de Sacerdotibus illis imperitis, quòd *solerti studio ab Episcopis suis instruendi sunt, qualiter & confitentium peccata discretè inquirere eisque congruum modum secundùm Canonicam auctoritatem pœnitentiæ noverint imponere.*

XLIV. Tricesimo-tertio Capitulo Synodus ostendit Episcopis convenire, ut jejuni per impositionem manuum tradant Spiritum Sanctum. *Sicut enim Baptismus, exceptâ infirmorum causâ, non nisi à jejunis celebratur Sacerdotibus, ita etiam traditio Spiritûs Sancti, exceptâ præmissâ causâ infirmorum, non nisi à jejunis celebranda est Pontificibus. Dignum quippe est, ut Pontifices Christi primùm jejunando & orando in cordibus suis donum præparent Spiritui Sancto, & sic per impositionem manuum ceteris fidelibus eum tradant orando. Sicut autem duobus temporibus Paschâ videlicet & Pentecoste, Baptismum, ita etiam traditio Spiritûs Sancti per impositionem manuum fidelibus tradatur; exceptis videlicet, ut dictum est, infirmis, & morte periclitantibus, quibus sicut Baptismatis gratiâ succurrendum, ita incunctanter donum Spiritûs Sancti est tradendum.*

XLV. Tricesimo-quarto Capitulo Synodus adversùs eos, qui contra naturam peccant, statuit, *ut patratores tam nefandissimi Deóque detestabilis vitii secundùm judicium Canonicum, quod in Ancyricano Concilio sub Titulo* XVI *contine-*

[a] Ad an. 825. n. 18.

[b] Cap. 19.

AN. CH. 829. LUDOV. IMP. 16. LOTHAR. IMP. 13. PIPPINI R. 15. LUDOV. R. 13.

tur, *judicentur.* Additque quòd *hoc peccatum Sancti Patres, divino spiritu afflati, meritò in sacris Canonibus acriùs ceteris judicandum decreverunt; quoniam eo regnante, & statum Christi Ecclesiæ infirmari, & Regnum periclitari apertè cognoverunt.*

Tricesimo-quinto Capitulo Synodus queritur, *quòd quidam Presbyterorum, gradum, quo divinæ servituti mancipati sunt, amittere nihil pendunt, quoniam eo amisso, adeo filii Belial,* id est, absque jugo, *efficiuntur, ut nec publicis, quia fas non est, nec Canonicis, propter quorumdam Episcoporum incuriam, legibus constringantur, & ob id à quibusdam ministerium Sacerdotale non divino amore appetitur, & irreverenter tractatur, & impudenter amittitur, &, quod his majus est, viliùs habetur.* Ideóque decernit, *ut unusquisque Episcoporum, non solùm Presbyterorum, verùm etiam sequentium Ordinum Parrochia sua, gradum amittentium vitam & conversationem morúmque emendationem tam per se quàm per ministros suos noverit, eósque Canonicæ pœnitentiæ subdere non negligat.* XLVI.

Tricesimo-sexto Capitulo Synodus eos redarguit, qui statutis Canonum spretis alterius Parrochiæ Clericos aut recipiunt aut recipiendos curant. *Priscis temporibus, quando jura Canonum suum servabant vigorem, nullus Clericorum Parrochiam suam, in qua divinæ militiæ devinctus erat, relinquere, & ad aliam sine Episcopi sui commendatitiis literis, & epistolis quas mos Canonicus Formatas appellat, audebat quoquomodo pergere. Nostri verò temporis miserabilis dignáque emendatione inolevit consuetudo, eò quòd multi Ecclesiasticæ Regulæ subjecti, propositi & loci sui desertores effecti, passim quocumque eis voluntas suaserit, posthabitâ auctoritate Canonicâ pergunt, & non solùm ab aliis Episcopis & Abbatibus, verùm etiam à Comitibus & nonnullis aliis nobilibus viris recipiuntur. Quod ne ulteriùs fiat, & ab Episcopis & à ceteris Ecclesiasticis Prælatis obnixè est observandum, & à Celsitudine Imperiali humiliter petendum, ut potestate Regali prohibeatur, ne quispiam laicorum sollicitare aut recipere præsumat alterius Clericum. Sed & hoc specialiter ab ejus Magnitudine flagitandum necessitas exposcit, ut sua auctoritas inhibeat, ne Italici Episcopi, Abbatésque, & Comites, ac ceteri nobiles viri, aliorum Clericos ex Germania Galliáque illuc fugientes recipere præsumant, quia in hoc facto valdè Ecclesiasticus honor læditur & violatur, & Regula Canonica confunditur.* XLVII.

Tricesimum-septimum Capitulum de Abbatibus Canonicorum sic habet. *Oportet, ut religiosè, castè, ac pudicè vivere satagant; venationibus, turpibúsque lucris, ceterísque vanitatibus Paternitati suæ non convenientibus nullatenus inserviant, ne per suum malum exemplum subditos ad ruinam pertrahant, quia in hujuscemodi Prælatorum illicitis factis & magnum animarum periculum generatur, & Religio Clericalis à multis vituperatur. Unde etiam summoperè Episcopis, ad quorum curam pertinet, providendum est, ut hujuscemodi Abbates ab illicitis se abstineant, & dictis & exemplis sibi subditis ad vitam æternam ducatum præbere contendant. Quòd si Episcopo suo obedire superbiendo renuerint, Synodali judicio aut corrigantur, aut certè Principali auctoritate interveniente, honore Prælationis priventur.* XLVIII.

Duodequadragesimo Capitulo Synodus ex multis locis Sacræ Scripturæ probat Sacerdotibus Domini non convenire *ad scurrilitates, & stultiloquia, & histrionum obscœnas jocationes, & ceteras vanitates, quæ animum Christianum à rigore suæ rectitudinis emollire solent, in cachinnos ora dissolvere.* XLIX.

Undequadragesimo Capitulo fœminas, quæ priùs ejusdem propositi discipulæ non extiterunt, Sanctimonialibus utpote matres spiritales præfici vetat. *Aliter quàm divina auctoritas & Religio Christiana docet agitur, quando fœminæ amissis viris, catenus carnaliter viventes, repentè & sine probationis examine ad regimen animarum pertrahuntur, præficiuntúrque Sanctimonialibus utpote matres spiritales, quas numquam contigit ejusdem propositi discipulas extitisse. Fitque ut quæ fortè feliciter incedebant, earum pravis exemplis miserabiliter ruant. Dum his igitur, aut generositatis, aut honoris temporalis, aut certè* L.

AN. CH. 829. LUDOV. IMP. 16. LOTHAR. IMP. 13. PIPPINI R. 15. LUDOV. R. 13.

mundanarum divitiarum causâ, hujuſcemodi Prælationis honor committitur, verendum eſt, ne animarum illarum ruina fovea præparetur.

Quadrageſimo Capitulo Synodus ſtatuit, ut viduæ inconſultis Epiſcopis non velentur, & Presbyterum, qui *Conſtitutionis hujus contumaciter tranſgreſſor extiterit*, pœnis *Canonicæ correptionis* ſubjicit. Apud Benedictum Levitam in Additione ſecunda [a], Presbyter, qui viduam inconſulto Epiſcopo præſumit velare, *gradûs ſui periculum* incurrit.

L I. Quadrageſimo-primo Capitulo Synodus virginum conſecrationem Presbyteris interdicit, vúltque Presbyterum, qui deinceps id facere præſumpſerit, utpote Canonicæ auctoritatis tranſgreſſorem *irretractabiliter* feriri.

[a] Cap. 21. vet. edit. cap. 13. novæ edit.

L I I. L I I I. Quadrageſimum-ſecundum Capitulum eſt de fœminis, quæ ſine Sacerdotum conſenſu velum ſibi indiſcretè imponunt. *Invenimus quòd quædam fœminæ, maximè hæ, quæ valdè cenſu tenues ſunt, ſine conſenſu Sacerdotum, idcircò ſibimetipſis velum imponant, ut ſub prætextu hujus velaminis, Eccleſiarum excubatrices & adminiſtratrices fieri poſſint. Hæc igitur incauta velatio nnuſquiſque Epiſcopus provideat ne in Parrochia ſua fiat. Et quia in pleriſque locis hujuſcemodi velatas laqueum Sacerdotibus extitiſſe cognovimus, prohibemus ne quiſquam Presbyterorum hujuſcemodi perſonas in Baſilicis ſibi commiſſis pro hujuſmodi obſequio admittere præſumat. Talis verò velatio ne ulteriùs indiſcretè fiat inhibeatur, & hujuſmodi muliercula examinentur & inſtruantur qualiter, ſi propter Deum ſe ſacrari volunt, velandæ ſint, qualitérque eamdem velationem ſub caſtitatis & humilitatis propoſito conſervent, diligenter admoneantur.*

L I V. Quadrageſimo-tertio Capitulo Synodus queritur, *quòd quædam Abbatiſſæ & ceteræ Sanctimoniales non ſolùm viduas ſed etiam virgines puellas velare ſolitæ ſint*, redditque rationem cur hujuſcemodi viduæ ſeu puellæ virgines *hoc modo potiùs quàm à Sacerdote velari volunt*, nempe *quia dum clanculò ſe corrumpunt, nihil ſibi obeſſe ad peccandum tale velamentum putant.* Addit temerarium hoc factum adeò haberi in uſu, *ut vix aut vidua velari à Presbyteris, aut puellæ virgines conſecrari expetant à Pontificibus.* Poſtremò pœnas ita decernit. *Si fortè aut Abbatiſſa, aut alia qualibet Sanctimonialis, poſt hanc definitionem in tantam audaciam proruperit, ut viduam aut puellam virginem velare præſumat, congruâ ab Epiſcopo ſuo correctione coerceatur, & pœnitentiæ Canonicæ uſque ad ſatisfactionem ſubdatur.*

L V. Quadrageſimo-quarto Capitulo Synodus de nobilibus fœminis, quæ velantur amiſſis viris & in propriis domibus reſidere delectantur, ſtatuit *ut hujuſcemodi viduæ amiſſis viris repentè non velentur, ſed cum conniventia Epiſcopi ſui triginta diebus, ut à glorioſo Principe Domno Hludovico cum conſenſu Venerabilium Epiſcoporum jamdudum conſtitutum eſt, expectent; quibus peractis, aut nubant, aut, ſi potiùs Deo ſe ſacrari expoſtulaverint, admoneantur & inſtruantur, ut non in domibus propriis ſed in Monaſteriis ſub ſpiritualis Matris regimine Deo ſe ſerviturus ſubdant, quoniam hujuſcemodi adoleſcentulas viros amittentes, & in Sanctimoniali habitu in propriis domibus reſidentes, perſæpè in laqueum diaboli lapſas eſſe didicimus.* Alludit ad Capitulum [b] viceſimum-primum Capitularis, quod anno Redemptoris octingenteſimo viceſimo-ſecundo Ludovicus Auguſtus in Attiniacenſi Conventu publicavit.

[b] Vide an. 822. n. 91.

L V I. Quadrageſimo-quinto Capitulo Synodus audaciam retundit fœminarum, quæ accedunt ad altare, ſacra vaſa contrectant, aliáque multa contra fas ſibi licitum perficiunt. *Quidam noſtrorum verorum virorum relatu, quidam etiam viſu didicimus, in quibuſdam provinciis, contra Legem Divinam Canonicámque Inſtitutionem, fœminas Sanctis Altaribus ſe ultrò ingerere, ſacratáque vaſa impudenter contingere, & indumenta Sacerdotalia Presbyteris adminiſtrare, &, quod his majus, indecentius ineptiúſque eſt, Corpus & Sanguinem Domini populis porrigere, & alia quæque, quæ ipſo dictu turpia ſunt, exercere. Miranda ſanè res eſt, unde is illicitus in Chriſtiana Religione irrepſerit uſus, ut quod*

AN. CH. 829. LUDOV. IMP. 16. LOTHAR. IMP. 13. PIPPINI R. 15. LUDOV. R. 13.

viris secularibus illicitum est, fœmina, quarum sexui nullatenus competit, aliquando contra fas sibi licitum facere potuerint. Quod quorumdam Episcoporum incuriâ & negligentiâ provenisse nulli dubium est. Et infrà. *Hoc ergo tam illicitum factum, quia ex toto à Religione Christiana abhorret, ne ulteriùs fiat, inhibendum est. Proinde unusquisque Episcoporum sollicitè sagacitérque provideat, ne in sua Parrochia tale quid fieri deinceps sinat.*

LVII. Quadragesimo-sexto Capitulo Synodus statuit, ut nullus Canonicorum vel Monachorum, nisi utilitatis causâ, & ex licentia vel Episcopi vel ejus qui vice illius fungitur, Monasterium Monacharum aut Canonicarum adire præsumat. *Comperimus quosdam Canonicos & Monachos, posthabito Religionis suæ pudore, Monasteria Sanctimonialium, tam Monacharum quam Canonicarum, inconsulto Episcopo suo, impudenter atque irreverenter adire. Qui obtendere solent se non ob aliud accedere, nisi aut propinquitatis, aut familiaritatis, aut certè nescio cujus collocutionis gratiâ. Quod factum, quia nec Canonico nec Monastico congruit proposito, prorsus interdicimus, nisi fortè causâ prædicationis, aut certè inevitabilis necessitas id facere coegerit, & hoc nullatenus sine licentia Episcopi, aut illius qui vice illius fungitur, fieri præsumatur. Quòd si sermo prædicationis faciendus est, congruo in loco coram omnibus fiat. Si verò colloquendum cum aliqua Sanctimonialium ratio expostulat, id non alibi, nisi in constituto loco, id est, in auditorio, sub testimonio virorum religiosorum & religiosarum fœminarum fiat. Quando verò Sacerdotibus in Monasteriis puellaribus Missarum celebrationes faciendæ sunt, cum Ministris sibi deputatis illuc ingrediantur; quibus ritè peractis, non ad secretas collocutiones Sanctimonialium se ullo modo divertant, sed cum Ministris suis illicò egrediantur. Porrò si Sacerdotibus Sanctimoniales peccata sua confiteri voluerint, id non nisi in Ecclesia coram Sancto Altari, adstantibus haud procul testibus, faciant. Si autem infirmitas præpedierit, ut in Ecclesia eadem confessio fieri nequeat in quacumquelibet domo facienda est, non nisi testibus similiter haud procul astantibus fiat. Nullo modo quippe videtur nobis convenire, ut Monachus relicto Monasterio suo, idcircò Sanctimonialium Monasteria adeat, ut confitentibus peccata sua modum pœnitentiæ imponat. Nec etiam illud videtur nobis congruum, ut Clerici & laici, Episcoporum & Presbyterorum Canonicorum judicia declinantes, Monasteria Monachorum expetant, ut ibi Monachis Sacerdotibus confessionem peccatorum suorum faciant, præsertim cùm eisdem Sacerdotibus Monachis id facere fas non sit, exceptis his dumtaxat, qui sub Monastico ordine secum in Monasteriis degunt. Illis namque est confessio peccatorum facienda, à quibus subinde & modus pœnitentiæ consilium salutis capiatur, & à quibus post tempora pœnitentiæ peracta secundùm Canonicam Institutionem, si Episcopus jusserit, reconciliatio mereatur. Pœnitentia porrò non in multitudine annorum, sed potiùs in contritione cordis & corporis est æstimanda. Episcopis sanè idcircò summoperè providendum est, ne Canonicorum aut Monachorum accessus indiscretus in Monasteriis puellaribus passim fiat, quia persæpè hac occasione multos utriusque ordinis, Canonici videlicet & Monastici, viros muscipulam diaboli incurrisse cognovimus.*

LVIII. Quadragesimo-septimo Capitulo Synodus vetat Missarum celebrationes in locis incongruentibus fieri. *Plerique Presbyteri, neglectis Basilicis Deo dicatis, in domibus & hortis, Missarum celebrationes contra divinam Auctoritatem & Canonicam Institutionem facere præsumunt. Et hoc similiter ad Episcoporum culpam pertinere perspicuum est. Proinde necesse est ut unusquisque Episcoporum hujuscemodi temerariam consuetudinem à Parrochia sua penitus amoveat. Et si quis Presbyterorum abhinc, excepto quando in itinere pergitur, & locus Basilicæ procul est, & id in Altaribus ab Episcopo consecratis fieri necessitas compellit, ne populus Dei sine Missarum celebratione, & Corporis & Sanguinis Dominici perceptione maneat, Missarum celebrationes in hujuscemodi illicitis locis post tot tantásque prohibitiones facere attentaverit, dignum est ut gradûs sui periculum incurrat. Laicos namque plerosque meminisse oportet pœnæ Regis Oziæ, qui pro eo quòd contra fas Sacerdo-*

AN. CH. 829. LUDOV. IMP. 16. LOTHAR. IMP. 13. PIPPINI R. 15. LUDOV. R. 13.

tale Ministerium arripuit, lepra immunditiâ illicò multari meruit. Et diligenter perpendant non esse sui officis, ut relictis Basilicis Deo dicatis, & Episcopali auctoritate contemptâ, ad libitum suum in hortis & domibus, vel certè Ædiculis, quas juxta domos suas construunt, & palliis exornant, in quibus Altaria erigi faciunt, Missarum celebrationes Presbyteros facere compellant. Satius igitur illis est, Missam non audire, quàm eam, ubi non licet nec oportet, audire. Sed & Presbyteri, si tamen Presbyteri vocandi sunt, qui inconsultis Episcopis suis Altaria in talibus locis erigere præsumunt, juxta censuram Canonicam gradus sui periculum incurrere merentur.

LIX. Duodequinquagesimo Capitulo statuit Synodus, *ut provideat unusquisque Episcoporum, ne in sua Parrochia quisquam Presbyterorum Missam solus celebrare præsumat, &, si hanc definitionem superbiendo transgressus fuerit, Canonicæ correctioni subjaceat.*

LX. Undequinquagesimo Capitulo. Synodus prohibet, ne deinceps Presbyter duas pluresve Basilicas habeat. *Sicut unicuique*, inquit, *civitati convenit proprium habere Episcopum, ita & unamquamque Basilicam Deo dicatam decet & oportet proprium habere Presbyterum.*

LXI. Quinquagesimo Capitulo. Synodus observationem diei Dominici præcipit, & ut transgressoribus auctoritas Regia metum incutiat, bis exposcit. Primò, sic. *Omnibus nobis visum est, ut primùm Sacerdotes, posteà Reges & Principes, cunctique fideles summoperè procurent, ut tanti diei debita observatio, nunc usque magna ex parte neglecta, abhinc ob insigne Christianitatis devotiùs exhibeatur.* Deinde, sic. *Specialiter atque humiliter à Sacerdotibus Imperialis Celsitudo flagitanda est, ut ejus à Deo ordinata potestas, ob honorem & reverentiam tanti diei, cunctis metum incutiat, ne in hac Sancta & venerabili die mercatus & placita & ruralia quæque opera necnon & quaslibet carrigationes ullius conditionis homines facere præsumant. Quoniam, dum hæc agunt, & decus Christianitatis obfuscant, & nomen Christi blasphemantibus locum ampliùs detrahendi attribuunt.*

LXII. Quinquagesimo-primo Capitulo Synodus eos damnat, qui mensuris inæqualibus utuntur. *Quidam non solùm Clerici sed & laici, Dominici præcepti transgressores effecti, minorem modium atque sextarium in vendendo atque commodando, majorémque in recipiendo habent; simúlque stateras minores atque dolosas in mutuando atque vendendo, majorésque in recipiendo habentes, & ob hoc dum sua intolerabili cupiditati satisfacere æstuant, heu proh dolor! miseros quosque paupertati addicunt, & mendicos efficiunt.* Et inferiùs. *Hæc consuetudo inæqualium modiorum, & injustorum sextariorum, atque ponderum dolosorum, necesse est ut Principali metu ocyus corrigatur, & ad præceptum divinum tanta tortitudo reflectatur, quia verendum est, ne inter cetera mala hoc quoque non solùm facientibus & consentientibus sed etiam non corrigentibus, quod absit, proveniat in damnationem.*

LXIII. Quinquagesimo-secundo Capitulo postulat Synodus, ut ab Imperiali Clementia quoddam prohibeatur interdictum, quo pauperes apud plerasque provincias aggravantur. *Non solùm rumore sed etiam venerabilium virorum relatu comperimus, quòd in quibusdam Occidentalibus provinciis, suadente avaritiâ, Episcopi, & Comites, & ceteri Prælati, pauperibus sibi subjectis soleant edictum imponere, ut nullus illorum tempore messis modium frumenti, nec tempore vindemiæ modium vini majori pretio, nisi quod ab eis constituitur, vendere præsumat. Quod si quispiam illorum facere præsumpserit, & paupertati suæ magnam jacturam patitur, insuper etiam acribus verberibus flagellatur. Unde fit ut cùm aliis modius frumenti duodecim denariis & modius vini viginti denariis venundari possit, hujuscemodi seniores modium frumenti ad quatuor, & modium vini ad sex sibi extorqueant denarios. Quæ res quia impietatis injustitiæque plena est, necesse est ut Piissimi Principis auctoritate inhibeatur, quoniam verendum est, ne dum his & his similibus gravaminibus pauperes atteruntur, ira interim Judicis*

AN. CH. 829. LUDOV. IMP. 16. LOTHAR. IMP. 13. PIPPINI R. 15. LUDOV. R. 13.

non solum facientibus sed etiam consentientibus & corrigere nolentibus accumuletur; quatenus pauperibus libertas tribuatur, ut redditis senioribus suis qua juste reddenda sunt, reliqua qua sibi supersunt liceat aliis, prout pactio vendentis & ementis grata fuerit, absque prohibitione seniorum suorum distrahere.

Quinquagesimo-tertio Capitulo Synodus usuras prohibet. Multifarias earum adinventiones enumerare *magni* dicit esse *tadii magnaque prolixitatis.* Duas tantùm species proponit, unam tempore famis, alteram tempore necessitatis. Primam sic. *Famis tempore, cùm quispiam pauper omnium rerum penuriâ attenuatus ad aliquem feneratorem venit, utpote frater ad fratrem, quos constat uno pretioso Christi sanguine redemptos, petens ab eo suas miserabiles necessitates sublevari, sibique id quo indiget commodari, taliter sibi ab eo solet responderi. Non est mihi frumentum, aut aliud quid, quod in cibum tibi sumere vis, ad mutuandum, sed magis ad vendendum. Si vis emere, fer pretium, & tolle. Cui pauper. Non est mihi, inquit, quidquam pretii, quo emere id quo indigeo valeam. Sed peto abs te, ut miserearis mei, & quomodocumque vis, mihi quod peto, ne fame peream, mutuum porrige. Fænerator è contrà. Quot modò denariis possum modium frumenti mei vendere, aut tot denarios tempore fructûs novi mihi redde, aut certè eorum pretium in frumento & vino, & ceteris quibuslibet frugibus, ad plenum supple. Unde evenire solet, ut pro uno frumenti modio taliter mutuato tres aut certè quatuor modii à pauperibus tempore messis violenter exigantur. Quod & de modio vini similiter fieri solet.* Alteram, sic. *Sunt etiam alii crudelissimi fæneratores, qui tempore necessitatis nihil commodare pauperibus volunt, nisi messellas suas & vineolas & pratella eâ ratione in pignus dederint, ut quicquid frugum in hisce colligi poterat, pro parvo quod mutuum acceperunt, ex asse amittant. Quæ res non minimam pauperibus generat afflictionem & penuriam.* Postremò Capitulum ipsum sic claudit. *De usuris porrò non faciendis, & de misericordia fratribus impendenda, supersunt copiosiora utriusque Instrumenti documenta, & Sanctorum Patrum eximia dicta, qua sectatores usurarum non victuros, neque in monte sancto habitaturos, sed potiùs quia immisericordes extiterunt, cum purpurato & avaro divite pœnas affirmant luituros.* LXIV.

Quinquagesimo-quarto Capitulo Synodus illos, *qui propter reatum suum publica sunt pœnitentiâ mulctati*, removet *ab his officiis, videlicet ut nec alios de sacri fontis baptismate suscipiant, nec etiam ad percipiendum Sancti Spiritûs donum, aliorum patroni coram Pontificibus existant, donec per dignam pœnitentia satisfactionem reconciliationem mereantur.* LXV.

Huc usque Parisiensis Concilii primus liber, cujus Capitula, primum, secundum, tertium, septimum, octavum, nonum, decimum, decimum-sextum, decimum-nonum, vicesimum, vicesimum-primum, vicesimum-secundum, vicesimum-septimum, vicesimum-octavum, tricesimum, tricesimum-tertium, quadragesimum, quadragesimum-primum, quadragesimum-secundum, quadragesimum-tertium, quadragesimum-quartum, quadragesimum-sextum, quadragesimum-septimum, quadragesimum-octavum, quadragesimum-nonum, quinquagesimum, quinquagesimum-tertium, & quinquagesimum-quartum, Benedictus Levita in epitomen redegit, partim quinto Capitularium libro, partim Additione secundâ. Lege in veteribus editionibus Capitula libri quinti, centesimum sexagesimum-tertium sexque proximè sequentia, necnon & centesimum septuagesimum-tertium cum duobus subsequentibus, & centesimum septuagesimum-septimum cum centesimo septuagesimo-octavo; item Additionis secundæ viginti priora Capitula. In editione verò Baluziana consule duodecim Capitula libri quinti, nempe trecentesimum decimum-quintum sexque proximè sequentia, necnon & trecentesimum vicesimum-quintum cum duobus subsequentibus, & trecentesimum vicesimum-nonum cum trecentesimo tricesimo; item Additionis secundæ Capitula viginti, primum videlicet & quinque proximè sequentia, necnon & LXVI.

AN. CH. 829. LUDOV. IMP. 16. LOTHAR. IMP. 13. PIPPINI R. 15. LUDOV. R. 13.

nonum cum octo subsequentibus, & decimum-nonum cum quatuor proximis.

Instar transitionis hæc Præfatio secundo Concilii Parisiensis libro præponitur. *Hactenus de causis ad Religionem Christianam curámque Pastorum pertinentibus, vel de his quæ in persona eorum emendatione digna, vel etiam de his, quæ ab ipsis usque nunc neglecta sunt, in præsenti libello comprehensum est. In hoc quoque, qui sequitur, libello specialiter de Regibus & Principibus, & generaliter de omnibus fidelibus, & quòd ubi avaritia, invidia, & odium, & cetera vitia caritati contraria regnant, quia eadem caritas, quæ Deus est, his inesse non potest, status Ecclesiæ periclitetur, & quod Religio Christiana sub Apostolis devotiùs, quam nunc floreat, floruerit, & nostro seculo circa multos marcescat, restat prosequendum.*

LXVII. Secundus hic liber tredecim constat Capitulis, de quibus compendiosè per ordinem agemus.

LXVIII. Primo Capitulo Synodus docet, quid sit Rex, qualis esse, quidve cavere debeat. *Rex à rectè agendo vocatur. Si enim piè & justè & misericorditer regit, meritò Rex appellatur. Quia ergo Rex à regendo dicitur, primò ei studendum est, ut semetipsum suámque domum, Christi adjuvante gratiâ, ab operibus nequam emaculet, bonísque operibus exuberare faciat, ut ab eo ceteri subjecti bonum exemplum semper capiant. Ipse etiam salutiferis Christi præceptis fideliter atque obedienter obsecundet, & rectè agendo eos, quibus temporaliter imperat, in pace & concordia atque caritate ceterorúmque bonorum operum exhibitione, quantùm sibi divinitus datur, consistere faciat, & dictis atque exemplis ad opus pietatis & justitiæ & misericordiæ solerter excitet, attendens quòd pro his Deo rationem redditurus sit, quatenus ita agendo, Sanctorum Regum, qui Deo sincerè serviendo placuerunt, post hanc peregrinationem consors efficiatur.* Et inferiùs. *Justitiâ Regis exaltatur solium, veritate solidantur gubernacula populorum. Justitia verò Regis est, neminem injustè per potentiam opprimere, sine acceptione personarum inter virum & proximum suum judicare, advenis & pupillis & viduis defensorem esse, furta cohibere, adulteria punire, iniquos non exaltare, impudicos & histriones non nutrire, impios de terra perdere, parricidas & pejerantes vivere non sinere, Ecclesias defendere, pauperes eleemosynis alere, justos super Regni negotia constituere, senes & sapientes & sobrios consiliarios habere, magorum & hariolorum pythonissarúmque superstitionibus non intendere, iracundiam differre, patriam fortiter & justè contra adversarios defendere, per omnia in Deo vivere, prosperitatibus non elevare animum, cuncta adversa patienter ferre, fidem Catholicam in Deum habere, filios suos non sinere impiè agere.*

LXIX. Secundum Capitulum est de ministerio Regis. *Regale ministerium specialiter est populum Dei gubernare & regere cum æquitate & justitia, &, ut pacem & concordiam habeant, statuere. Ipse enim debet primò defensor esse Ecclesiarum & servorum Dei, viduarum, orphanorum, ceterorúmque pauperum, necnon & omnium indigentium. Ipsius enim terror & studium hujuscemodi, in quantùm possibile est, esse debet, primò ut nulla injustitia fiat, deinde si evenerit ut nullomodo eam subsistere permittat, nec spem delitescendi sive audaciam malè agendi cuiquam relinquat, sed sciant omnes quoniam si ad ipsius notitiam pervenerit quicquam mali quod admiserint, nequaquam incorrectum aut inultum remanebit, sed juxta facti qualitatem erit & modus justæ correptionis. Quapropter in throno regiminis positus est ad judicia recta peragenda, ut ipse per se provideat & perquirat, ne in judicio aliquis à veritate & æquitate declinet. Scire etiam debet, quòd causa, quam juxta ministerium sibi commissum administrat, non hominum sed Dei causa existit, cui pro ministerio, quod suscepit, in examinis tremendi die rationem redditurus est. Et ideo oportet, ut ipse qui Judex est Judicum, causam pauperum ad se ingredi faciat, & diligenter inquirat, ne fortè illi, qui ab eo constituti sunt & vicem ejus agere debent in populo, injustè aut negligenter pauperes oppressiones pati permittant.* Appositè sub finem Capituli citatur hic textus beati Isidori. *Sæpè per Regnum terrenum cæleste Regnum proficit, ut qui intra*

Ecclesiam

Ecclesiam positi, contra fidem & disciplinam Ecclesiæ agunt, rigore Principum AN. CH.
conterantur, ipsamque disciplinam, quam Ecclesiæ utilitas exercere non prævalet, 829.
cervicibus superborum potestas Principalis imponat. Cognoscant Principes seculi, LUDOV.
Deo debere se reddere rationem propter Ecclesiam, quam à Christo tuendam susci- IMP. 16.
piunt. Nam sive augeatur pax & disciplina Ecclesiæ per fideles Principes, sive LOTHAR.
solvatur, ille ab eis rationem exiget, qui eorum potestati suam Ecclesiam cre- IMP. 13.
didit. PIPPINI

Tertio Capitulo Synodus asserit, *ad peccatum Regis* pertinere, *quando Ju-* R. 15.
dicibus ministrísque iniquis ministerium suum implendum committit. Neque enim LUDOV.
ministerium suum per alios tantùm administrare, & se ab eo debet alienare. Non R. 13.
ergo dicit Synodus, *ut solus jurgia & querimonias populi audiat, & investiget,*
& definiat, quoniam nequaquam ad hæc solus sufficere potest, sed magis ut tales sub LXX.
se, timentes Deum, & avaritiam odientes constituat, per quos Regem Regum non
offendat.

Quarto Capitulo Synodus ex multis locis Sacræ Scripturæ probat; LXXI.
quòd pietas, justitia & misericordia stabiliant Regnum, & læsiones viduarum &
pupillorum, calumniæque miserorum, violentáque judicia, & perversio justitiæ,
evidenter illud evertant.

Quinto Capitulo Synodus ostendit Regnum à Deo dari, in cujus manu LXXII.
omnia Regna consistunt. *Et idcircò cuicumque ab eo committitur, ita illud se-*
cundùm ejus voluntatem disponere & gubernare procuret, quatenus cum eo, à quo
illud suscepit, feliciter in perpetuum regnare valeat, quoniam nihil prodest cuipiam
terreno Regno principari, si, quod absit, contigerit eum æterno extorrem fieri.

Sexto Capitulo Synodus *non sine magno animi dolore* conqueritur, *quod* LXXIII.
caritas, quæ Deus est ac decus Christianitatis, & in qua summa totius fidei nostræ
consistit, in multis utriusque Ordinis, Clericalis videlicet & Laïcalis, *non*
regnare convincitur.

Septimo Capitulo Synodus ostendit Religionem Christianam sub Apos- LXXIV.
tolis devotiùs floruisse, quàm nunc floreat, cùm multi professionem Chris-
tianam verbis tantùm teneant & operibus neglig[illegible]

Octavo Capitulo Synodus fidem & obedientiam erga Regem sic præ- LXXV.
cipit. *Constat potestatem Regalem omnibus sibi subjectis secundùm æquitatis or-*
dinem consultum ferre debere, & idcircò oportet, ut omnes subjecti fideliter &
utiliter atque obedienter eidem pareant potestati, quoniam qui potestati à Deo ordi-
natæ resistit, Dei utique ordinationi juxta Apostoli documentum resistit. Sicut enim
subjecti à Rege sibi volunt piè & justè opitulari, ita specialiter ei primùm ad salu-
tem animæ suæ procurandam, deinde generaliter ad honestatem & utilitatem Regni
secundùm Dei voluntatem disponendam atque ministrandam, indissimulanter atque
irretractabiliter solatium opportunum debent exhibere. Quod cùm faciunt, & di-
vinum præceptum adimplere & fidem Regi debitam evidenter probantur conser-
vare.

Nono Capitulo Synodus multa profert exempla, quæ divinam ultionem LXXVI.
in transgressores mandatorum testatur; deinde hanc infert conclusionem.
Necesse est, ut unusquisque in Ordine suo pro viribus studeat, ut quantùm Deus
annuerit, quæ jussit adimpleat, & quæ vetuit caveat, ut non cum contemptoribus
damnari sed potiùs cum executoribus divinorum præceptorum valeat remunerari.
Quoniam non est dubium, quin propter inobedientiam & contemptum præcepto-
rum Dei, Regni periclitatio & animarum proveniat damnatio.

Decimo Capitulo Synodus insectatur quosdam Christianos dicere so- LXXVII.
litos, *quòd hi, qui in Christo renati sunt, quamquam sceleratè vivant, & in ma-*
lis operibus diem extremum claudant, diuturno atque purgatorio non tamen per-
petuo sint igne puniendi; probátque eos, qui fidem Christi perceperunt &
in flagitiis perseverantes vitam terminarunt, *atrociora* passuros *tormenta,*
quàm illos, *qui, licèt lavacro Christi in Ecclesia nequaquam sunt baptizati,*
bona tamen opera fecerunt. Atque inde concludit, *quòd indulta tempora pæ-*

AN. CH. 829. LUDOV. IMP. 16. LOTHAR. IMP. 13. PIPPINI R. 15. LUDOV. R. 13.

nitentiæ in vanum non sint deducenda, & quòd fides Christi bonis semper sit operibus exornanda.

Undecimo Capitulo Synodus auctoritate Sacræ Scripturæ demonstrat apertissimè, quòd *Templa divinis cultibus mancipata frequenter adiri, ibique Deum constanter & devotè oporteat invocari.*

Duodecimo Capitulo Synodus omnes fideles adhortatur, *ut nihil in Ecclesia inhonestum, aut cogitatione, aut dicto, aut facto gerant, ac fortè peccatis, pro quibus absolvendis confluxerant, peccata accumulantes, non absolutionem peccatorum acquirant, sed magis funes, quibus quodammodo ligentur, sibi accumulent.*

LXXVIII. LXXIX. LXXX. Decimo-tertio Capitulo Synodus eos redarguit, *qui pro eo quòd Basilicas adire nequeunt, & Reliquias Sanctorum præstò non habent, idcircò vota precum suarum ad Dominum, ut oportet, supplici devotione non fundunt.* Et ipsum Capitulum egregiâ Sancti Hieronymi ad Eustochium monitione sic absolvit. *Egredientes hospitium armet oratio, regredientibus de platea oratio occurrat antè, quàm sessio, ne priùs corpusculum requiescat, quàm anima verbo Dei pascatur; ad omnem actum, ad omnem incessum, manus pingat Crucem.* Huc usque Parisiensis Concilii secundus liber, cujus Capitula primum ac secundum à Benedicto Levita inserta sunt Additioni secundæ, & in veteribus editionibus numerantur vicesimum-primum ac vicesimum-secundum, in Baluziana vicesimum-quartum ac vicesimum-quintum.

LXXXI. Tertii libri tres sunt partes. Prima complectitur epistolam Episcoporum ad Ludovicum & Lotharium Augustos. Secunda septem proponit Capitula ex eodem excerpta Concilio Parisiensi, quorum observationem præcipuè necessariam censent Episcopi. Tertia viginti constat Capitulis, quorum observationem Episcopi deposcunt.

LXXXII. Literas Episcoporum, quia possunt in confirmationem adduci multarum rerum, quarum mentionem suprà fecimus, integras accipe. *Dominis præstantissimis & pietatis [illegible]tiô præditis, Hludowico & Lothario Orthodoxis atque Invictissimis Augustis. [illegible]os famuli vestri, quamvis indigni, tamen Episcopi, Deo humiliter grates persolvimus, ejúsque immensam pietatem & benignitatem collaudamus & prædicamus, qui vos adeò in sui amorem devotissimos famulos suos flagrare focit, ut de profectu & exaltatione Sanctæ suæ Ecclesiæ indesinenter cogitetis, eámque utpote matrem spiritalem sicut fideles & dilecti spiritales filii ad meliora & potiora semper provehere studeatis. Nam cùm mucro divinus Imperium vobis divinitus commissum interiùs exteriúsque, merito nostræ iniquitatis, multifariis attereret cladibus, prudenter animadvertentes, quòd hæc non nisi justo Dei judicio evenirent, illicò scriptis Serenitatis vestræ anno præterito cunctos Ecclesiarum Pastores admonuistis, ut, quia constabat eos speculatores Domini existere, & gladium divinum super terram, id est, super peccatores Deum grassari, meminerint speculationis suæ, & jejunio triduano ab omnibus generaliter peracto, unusquisque in quolibet ordine positus, diligenter conscientiam suam conveniret, &, ubi se Deum offendisse cognoscebat, maturatò per pœnitentiæ satisfactionem corrigere non differret. In quibus etiam apicibus inserere vobis placuit, ut si Deus pacem undique & otium vobis tribueret, in hoc Placitum vestrum generale consumere voluissetis, ut primùm quicquid in vobis, id est, in persona & ministerio vestro, corrigendum inveniretur, Domino auxiliante corrigeretis. Deinde quæcumque in omnibus Ordinibus Imperii vestri Deo displicerent inquireretis, & secundùm ejus voluntatem cum consensu fidelium vestrorum ad tramitem rectitudinis revocaretis. Scilicet ut eum vobis populoque vobis commisso propitium faceretis. Sed quia tempus optatum exterioribus incursionibus præpedientibus, secundùm desiderium vestrum nacti non estis, libuit Serenitati vestræ cum quibusdam fidelibus vestris præteritâ hyeme Placitum habere, & de his quæ præmissa sunt diligenter tractare, Deíque voluntatem quærere, & Ecclesiæ vobis commissæ utilitatem providere. Quapropter de omnibus, quæ ad tempus emendatione digna visa sunt, congrua*

AN. CH. 829.
LUDOV. IMP. 16.
LOTHAR. IMP. 13.
PIPPINI R. 15.
LUDOV. R. 13.

Capitula Serenitas vestra digessit, Legatósque strenuos delegavit, ut per eadem Capitula, & flagitia malorum hominum punirent, & bonorum laudem vestræ Celsitudini notescerent. Inter quæ etiam statuistis in quatuor partibus Imperii vestri Conventus Episcoporum uno eodémque tempore fieri, in quibus tractarent, quærerent, atque cum Dei adjutorio invenirent de causis ad Religionem Christianam eorúmque curam pertinentibus, quid à Principibus & reliquo populo, vel ita ut divina auctoritas docet, aut aliud teneretur, vel quid inde ex parte aut ex toto dimissum esset ut non teneatur. Deinde quid in ipsorum, qui Pastores populi constituti sunt, moribus, conversatione, & actibus inveniri posset, quod divinæ Regulæ atque auctoritati non concordaret; simúlque inveniretur, quæ occasiones in utroque Ordine id effecerint, ut à recto tramite deviassent; & quicquid de his inventum fuisset, vestræ Celsitudini notum facerent. Quod ut Deus posse dedit, nos fidelissimi ac devotissimi salutis vestræ procuratores, juxta parvitatem sensûs nostri, prout brevitas temporis permisit, secundùm sanctam devotionem & ordinationem vestram, de causis ad Religionem Christianam nostrúmque ministerium atque periculum pertinentibus, necnon & de his quæ ad nostram correctionem & emendationem pertinere perspeximus, sive de his, quæ populis generaliter adnuntianda & admonenda prævidimus, capitulatim in præcedentibus adnotavimus libellis, vestræque Serenitati legenda, immo probanda obtulimus. Et quamquam de his, quæ præmissa sunt, vestro ardentissimo desiderio priùs satisfacere elegerimus, nequaquam tamen hæc, quæ specialiter ad vestram personam ministeriúmque pertinere cognovimus, oblivioni tradidimus; sed potiùs vestræ saluti prospicientes, nonnulla Capitula necessaria in secundo hujus operis libello ad nomen ministeriúmque vestrum pertinentia, periculúmque cavendum, solerti studio congessimus, & vobis familiariter admonitionis gratiâ porrigenda devovimus, ut ea diligenter inspiciendo, legendo, & audiendo, apertè atque distinctè vestra cognoscat Celsitudo, de quibus & pro quibus in memoratis Conventibus nostris, secundùm virium nostrarum possibilitatem, fideliter salubritérque egerimus. Abhinc sequuntur quædam, quæ ex Capitulis Conventûs nostri breviter decerpsimus, quæ ad nostram fideliúmque vestrorum laicorum observationem & salutem pertinentia, necessaria esse perspeximus. Dehinc sequuntur alia, quæ vestræ Pietati deposcenda valdè salubria esse judicavimus. Has litteras, ut liquet ex Additione secunda [a], præ manibus habuit Benedictus Levita.

[a] Cap. 20. vet. edit. cap. 23. novæ edit.

Alteram libri tertii partem septem constituunt Capitula. Primum est de vita & officio Episcoporum. Secundum, de diversis pravorum hominum sceleribus ac flagitiis. Tertium, de injustis inæqualibúsque mensuris atque ponderibus. Quartum, de Presbyteris indiscretè per diversa non mittendis. Quintum, de observatione diei Dominici. Sextum, de Missarum celebrationibus non faciendis in locis incongruentibus. Septimum, de nobilibus fœminis, quæ velantur amissis viris, & in propriis domibus residere delectantur. In iisdem rebus versantur Capitula libri primi, quartum, quintum, duodecimum, vicesimum-quartum, vicesimum-nonum, tricesimum, tricesimum-quartum, quadragesimum-quartum, quadragesimum septimum, quinquagesimum, & quinquagesimum-primum. Quomodo autem hæc Parisiensis Concilii Capitula partim libro quinto Capitularium partim Additioni secundæ inserta sint, dictum est suprà [b]. LXXXIII.

[b] Hoc an. n. 66.

Sequuntur in Concilio Parisiensi, quæ postremam libri tertii partem viginti componunt Capitula, & hæc eadem sunt Capitula, quorum observationem postulant Episcopi. De singulis per ordinem hîc nobis agendum. LXXXIV.

Primum Capitulum est de potestate & dignitate Sacerdotali. *Petimus humiliter*, aiunt ad Imperatores Episcopi, *vestram Excellentiam, ut per vos Filii & Proceres vestri nomen, potestatem, vigorem, & dignitatem Sacerdotalem cognoscant. Quod ex verbis Domini facilè intelligere possunt, quibus Beato Petro, cujus vicem indigni gerimus, ait. [Quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum & in cælo; & quodcumque solveris super terram, erit solutum & in cælo.]* LXXXV.

AN. CH. 829. LUDOV. IMP. 16. LOTHAR. IMP. 13. PIPPINI R. 15. LUDOV. R. 13.

Et alibi discipulis generaliter dicit. [*Accipite Spiritum Sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; & quorum retinueritis, retenta sunt.*]

Secundum Capitulum est de non contemnendo Episcoporum ministerio. Hoc Capitulum cum superiore conjungitur apud Benedictum Levitam libro quinto [a] Capitulatium.

Tertium Capitulum probat fideles offendi non debere propter illa, quæ ab Episcopis pro eorum salute suggeruntur.

LXXXVI. Quarto Capitulo Synodus ab Imperatoribus obnixè deposcit, ut Concilia, quæ per sacros Canones in anno bis haberi præcipiuntur, saltem vel semel quot annis per unamquamque provinciam celebrentur. Lege in eodem Concilio Parisiensi Capitulum vicesimum-sextum libri primi, de quo suprà.

[a] Cap. 163. vet. edit: cap. 315. novæ edit.

LXXXVII. LXXXVIII. LXXXIX. Quinto Capitulo Synodus obnixè ac suppliciter Imperatori Ludovico suggerit, ut saltem in tribus congruentibus locis ex ejus auctoritate fiant Scholæ publicæ, ne per incuriam labor cùm ipsius Ludovici tum Caroli patris depereat.

XC. Sextum Capitulum est de revocandis ad Ecclesias suas Presbyteris, Diaconis, ceterisque Clericis fugâ lapsis. *Similiter & hoc*, inquiunt Episcopi, *à vestra Pietate necessariò duximus expetendum, ut Sacerdotes & Levitæ, & sequentis Ordinis Clerici, qui in diversas Imperii vestri partes, maximéque in Italiæ regionem fugâ lapsi sunt, vestrâ auctoritate per Missos vestros diligenter perquirantur, & in præsentiam vestram venire compellantur, & per vestram Clementiam unicuique Ecclesiæ, à qua per contumaciam defecerunt, restituantur.*

XCI. Septimo Capitulo Synodus de frequenti Monachorum, Presbyterorum, ac Clericorum, ad Palatium itione sic apud Imperatores queritur. *Illud quoque nihilominùs à vestra pietate suppliciter flagitamus, ut Monachi, & Presbyteri, necnon & Clerici, qui postpositâ Canonicâ auctoritate passim Palatium adeunt, & vestris sacris auribus importunissimam molestiam inferunt, vestrâ auctoritate & potestate deterreantur, ne hoc facere præsumant. Quoniam in hujuscemodi facto, & vigor Ecclesiasticus contemnitur, & Religio Sacerdotalis & Professio Monastica vilior efficitur.* Hoc Capitulum insertum est libro quinto [b] Capitularium.

[b] Cap. 179. vet. edit. cap. 331. novæ edit.

XCII. Octavo Capitulo, Episcopi suppliciter rogant Imperatores, ut ob amorem & honorem Dei, & animæ suæ salutem, morem Caroli Magni sequentes, cogitent de sublevatione & consolatione quarumdam Sedium Episcopalium, *quæ rebus propriis viduatæ, immo adnullatæ esse videntur.*

XCIII. Nonum Capitulum est de evellendo malo, quod in Parrochiis duorum Episcoporum, Alitgarii videlicèt Cameracensis & Rangarii Noviomensis, perpetratur. *Sed & illud*, ait Synodus, *à vestra Pietate fieri deposcimus, ut in quadam parte Parrochiæ Alitgarii & Rangarii, ubi turpissimam & nefandissimam & ipso dictu fœdissimam rem perpetrari audivimus, Missi vestri fideles existant, qui per potestatem Imperialem vestram, simul cum eorum auctoritate, quorum Parrochiæ sunt, idem malum ab illo loco quantotyùs radicitus evellant.*

XCIV. Decimo Capitulo poscit Synodus, ut Imperiali auctoritate caveatur, ne temeraria sanguinis effusio deinceps in Regno fiat. *Nescimus*, inquiunt Episcopi, *quâ perniciosa adinventione à nonnullis usurpatum est, ut hi, qui nullo ministerio fulciuntur, propter sua odia & diversissimas voluntates pessimas, indebitum sibi usurpant in vindicandis proximis & interficiendis hominibus vindictæ ministerium, & quod Rex saltem in uno exercere debuerat propter terrorem multorum, ipsi impudenter in multis perpetrare non metuunt propter odium & putant sibi licere ob inimicitiarum vindictas, quod nolunt ut Rex faciat propter Dei vindictam.* Hoc Capitulum, & quod proximè sequitur, inserta sunt libro quinto [c] Capitularium.

[c] Capp. 180. 181. vet. edit: capp. 332. 333. novæ edit.

XCV. Undecimum Capitulum est de Abbatibus tam Canonicis quàm Regularibus, de Abbatissis quæ Sanctimonialibus præsunt, & de laicis qui Mo-

naſteria habent. Optat Synodus eos ab Imperatoribus in publico admo- AN. CH.
neri Conventu, *at de ſeipſis ceteris bonum exemplum præbeant, & religioſè ſicut* 829.
decet converſentur; Congregationes ſibi commiſſas, ſive ſpiritaliter, ſive tempora- LUDOV.
liter, ex paterno affectu gubernare, eiſque neceſſaria ſtipendia adminiſtrare non ne- IMP. 16.
gligant; admonitionem Epiſcoporum *libenter audiant, benignè ſuſcipiant, &* LOTHAR.
obedienter adimpleant. IMP. 13.

Duodecimo Capitulo, Epiſcopi rurſum obſervationem diei Dominici PIPPINI
commendant. *De Presbyteris*, inquiunt, *& Capellis Palatinis, contra Canoni-* R. 15.
cam auctoritatem & Eccleſiaſticam honeſtatem inconſultè habitis, veſtram mone- LUDOV.
mus ſolertiam, ut à veſtra poteſtate inhibeantur. Quoniam propter hoc & honor R. 13.
Eccleſiaſticus vilior efficitur, & veſtri Proceres, & Palatini miniſtri, in diebus XCVI.
ſolemnibus, ſicut decet, vobiſcum ad Miſſarum celebrationes non procedunt. Nam & obnixè deprecamur, ut in obſervatione diei Dominici, ſicuti jam dudum vos deprecati ſumus, debitam adhibeatis curam, quatenus, niſi magnâ compellente neceſſitate, in ipſa die à curis & ſollicitudinibus mundanis, quantùm poteſtis, vos èxuatis, & quod tanta diei venerationi competit, & vos faciatis, & veſtros ſacro veſtro exemplo & doceatis & agere compellatis.

Decimum-tertium Capitulum. *De perceptione verò Sacri Corporis & San-* XCVII.
guinis Domini noſtri Jeſu Chriſti, nihilominùs monemus, ut quod Chriſtianæ Religioni expedit, & ſicut vobis à Patribus noſtris admonitum eſt in aliis Conventibus, quando poſſibile fuerit, faciatis, & veſtro exemplo vobis famulantes, ut hoc faciant, inſtruatis.

Decimo-quarto Capitulo, quod de honore Eccleſiaſtico ſanciendo XCVIII.
inſcribitur, poſcit Synodus, ut Imperatores, qui *propter honorem Eccleſiaſticum* in generali Conventu Capitulum conſtituere decreverunt, *ſecundùm Dei voluntatem, quod melius exinde* illis *viſum fuerit*, ad effectum *incunctanter* perducant.

Decimo-quinto Capitulo Synodus *ſuppliciter* ſuggerit Imperatoribus, XCIX.
ut deinceps in bonis Paſtoribus Rectoribuſque in Eccleſiis Dei conſtituendis magnam ſtudium atque ſolertiſſimam adhibeant *curam*. Hoc Capitulum, & quæ ſuperſunt alia quinque, conveniunt cum tribus poſtremis, quibus Benedictus Levita ſecundam abſolvit Additionem ad Capitularia.

Decimo-ſexto Capitulo Synodus ſimiliter rogat Imperatores, ut in C.
conſtituendis Abbatiſſis, & in eligendis rei publicæ miniſtris *ſolertiſſimam providentiam* habeant.

Decimo-ſeptimo Capitulo, Epiſcopi hortantur Imperatores, ut *ſolertiſ-* CI.
ſimam vigilantiam adhibeant, quatenus Conſiliarii ceterique Palatii miniſtri concordiam inter ſe habeant, & famâ ſanctæ opinionis omnibus imitabiles exiſtant. *Decet quippe*, inquiunt, *ut Sacra Domus veſtra cunctis ſpectabilis appareat, & imitabilis exiſtat, & famâ ſancta opinionis, ſive alios Imperii veſtri ſubditos, ſive exteras nationes, abundantiſſimè perfundat. Ubi igitur omnes diſſenſiones & diſcordia dirimenda, & omnis malitia Imperiali auctoritate eſt comprimenda, neceſſe eſt, ut quod in aliis corrigere decernit, in ea minimè reperiatur.*

Duodeviceſimo Capitulo, Epiſcopi humiliter obſecrando eoſdem ad- CII.
monent Imperatores, ut filios ſuos in timore Dei mutuâque concordia diligenter erudiant. *Et hoc*, inquiunt, *humiliter obſecrando admonemus, ut liberos veſtros, quos vobis divina pietas largiri voluit, in timore Dei jugiter diligentèrque erudiatis, ſicuti & facitis. Et ut in mutua dilectionis caritate, & fraternitatis amore, atque unanimitatis concordia, viciſſim conſiſtant, ſedulâ paternâque admonitione inſiſtatis. Et ne illicitis actibus Creatoris ſui offenſam incurrant, providâ ſolertiâque circumſpectione nihilominùs invigiletis.*

Undeviceſimo Capitulo Synodus præcipuas multarum prævaricationum CIII.
cauſas has affert, *quia & Principalis poteſtas, diverſis occaſionibus intervenientibus, ſecus quàm auctoritas divina ſe habeat, in cauſas Eccleſiaſticas proſilierit;*

AN. CH. *& Sacerdotes partim negligentiâ, partim ignorantiâ, partim cupiditate, in secu-*
829. *laribus negotiis & sollicitudinibus mundi ultrà quàm debuerant se occupaverint.*
LUDOV. Vicesimo Capitulo, Synodus ea, quæ spectant ad Episcopalem liberta-
IMP. 16. tem, in aliud tempus dicenda & cum ipsis Augustis conferenda rejicit.
LOTHAR. *Porro*, inquiunt Episcopi, *de Episcopali libertate, quam Deo annuente vestrâ-*
IMP. 13. *que adminiculo suffragante, adipisci ad Dei servitium peragendum cupimus, suo*
PIPPINI *in tempore vobis dicenda atque vobiscum conferenda reservavimus. Quatenus ita*
R. 15. *sit, ut & nosmetipsos salvare, populóque nobis subjecto utiliter salubritérque pro-*
LUDOV. *desse, atque pro vobis & stabilitate Imperii vestri liberiùs valeamus Domini mi-*
R. 13. *sericordiam exorare, & de vestris obsequiis & Regni adjutorio solatium debitum*
CIV. *minimè substrahatur, sed, si possibile fuerit, potiùs augeatur.*

CV. A Stephano Baluzio in Notis ad Capitularia, cùm agit de Capitulari, quo Ludovicus Augustus mentionem quatuor Conciliorum in totidem locis habendorum facit, ad hæc verba, *in Parisio*, sic recensentur Antistites, qui Parisiense Concilium celebrarunt. *Ebbo Archiepiscopus Remensis, Aldricus Senonensis, Raginoardus Rothomagensis, Landramnus Turonensis. Jonas Episcopus Aurelianensis, Jesse Ambianensis, Rantgarius Noviomensis, Rothadus Suessionensis, Adalelmus Catalaunensis, Hildemannus Bellovacensis, Godofredus Silvanectensis, Freculfus Lexoviensis, Halitgarius Cameracensis, Franco Cenomanensis, Haribaldus Antissiodorensis, Helias Carnotensis aut Tricassinus, Jonas Nivernensis, Hubertus Meldensis, Inchadus Parisiensis. Prætereà verò Guiladus, Theodisclus, Amatheus, Bernoinus, Fulcharius, & Herbertus, ignotarum Sedium Episcopi. Sed Guiladus fortean is est qui Wilardus nominatur in vulgatis Episcoporum Constantiensium tabulis. Fulcharius verò is forsitan est qui Flodegarius vocatur in Catalogo Episcoporum Andegavensium, & eam Cathedram tenebat anno Christi* DCCCXXVIII, *ut patet ex Præcepto, quo Ludovicus Pius confirmat commutationem inter ipsum & Wnneradum factam. Hinc etiam fortassis supplendi sunt hiatus, qui reperiuntur in Catalogis Episcoporum Laudunensium, Bajocensium, Abrincatensium, & Ebroicensium.*

CVI. In prælaudato Capitulari, provinciæ, quarum Antistites Parisios ad Synodum convenire debent, per Archiepiscopos ita designantur. *In Parisio, Ebbo, Ragnowardus, Lantramnus, Archiepiscopus Senonis qui fuerit, cum eorum Suffraganeis.* Id est, Ebbo Archiepiscopus Remensis seu secundæ Belgicæ; Ragnowardus Archiepiscopus Rotomagensis seu provinciæ Lugdunensis secundæ, Lantramnus Archiepiscopus Turonensis seu provinciæ Lugdunensis tertiæ; & Archiepiscopus Senonensis seu provinciæ Lugdunensis quartæ, qui Hieremiæ nuperrimè mortuo successerit. De Præsulibus singularum provinciarum per ordinem differemus.

CVII. In provincia Remensi seu Belgica secunda præter Archiepiscopatum Remensem undecim erant Episcopatus, Ambianensis, Atrebatensis, Bellovacensis, Cameracensis, Catalaunensis, Laudunensis, Noviomensis, Silvanectensis, Suessionensis, Taruannensis, & Tornacensis. Interfuerunt Parisiensi Concilio, qui jam laudati fuerunt à nobis, Ebbo Remensis Archiepiscopus, Jesse Episcopus Ambianensis, Alitgarius sive Halitgarius Episcopus Atrebatensis & Cameracensis, Hildemannus Bellovacensis Episcopus, Adalelinus sive Adalelmus Episcopus Catalaunensis, Godefridus seu Godofredus Silvanectensis Episcopus, Rantgarius seu Ragenarius Episcopus Noviomensis & Tornacensis, & Rothadus seu Rotardus Suessionensis Episcopus.

CVIII. In provincia Rotomagensi seu Lugdunensi secunda præter Archiepiscopatum Rotomagensem sex erant Episcopatus, Abrincensis, Bajocensis, Constantiensis, Ebroicensis, Lexoviensis, & Sagiensis. Interfuerunt Parisiensi Concilio, qui jam laudati quoque fuerunt à nobis, Ragnoardus seu Raginoardus Rotomagensis Archiepiscopus, Wilardus seu Guiladus aut Wlfadus Episcopus Constantiensis, & Freculfus Lexoviensis Episcopus.

In provincia Turonensi seu Lugdunensi tertia præter Archiepiscopatum Turonensem undecim erant Episcopatus, Aletensis, Andegavensis, Briocensis, Cenomanensis, Corentinopolitanus, Dolensis, Leonensis, Lexobiensis, Namnetensis, Redonensis, & Venetensis. Interfuerunt Concilio Parisiensi, Landramnus seu Landrannus Turonensis Archiepiscopus, Franco Cenomannensis Episcopus, & Fulcharius fortè idem ac Flodegarius Andegavensis Episcopus, de quibus suprà.

In provincia Senonensi seu Lugdunensi quarta præter Archiepiscopatum Senonensem septem erant Episcopatus, Aurelianensis, Autissiodorensis, Carnotensis, Meldensis, Nivernensis, Parisiensis, & Trecensis. Interfuerunt Parisiensi Concilio Aldricus Senonensis Archiepiscopus, Jonas Episcopus Aurelianensis, Heribaldus sive Haribaldus Autissiodorensis Episcopus, Berninus seu Bernoinus Episcopus Carnotensis, Hubertus sive Hucbertus Meldensis Episcopus, Jonas Episcopus Nivernensis, Inchadus Parisiensis Episcopus, & Helias Episcopus Trecensis. De utroque Jona, Bernino, Hucberto, Inchado, & Helia, Episcopis, jam locuti sumus. Episcopatum Carnotensem suscepit Berninus anno Redemptoris octingentesimo decimo-septimo, Jonas Aurelianensem anno Redemptoris octingentesimo vicesimo-primo, Meldensem Hucbertus anno Redemptoris octingentesimo vicesimo-tertio. Hæc suis locis ostensa sunt. Inchadus anno Redemptoris octingentesimo undecimo Parisiensis jam erat Episcopus. Id quoque suprà probatum. In controversiam vocari non potest, utrùm Trecensis an Carnotensis Episcopus is extiterit Helias qui Concilio adfuit Parisiensi, Carnotensis enim anno Redemptoris octingentesimo tricesimo-quinto nondum gerebat Episcopatum, Trecensis verò vitam finivit anno Redemptoris octingentesimo tricesimo-sexto. Lege quæ dicta sunt de Trecensibus Episcopis ad annum Redemptoris octingentesimum undecimum [a], déque Carnotensibus ad annum Redemptoris octingentesimum decimum-septimum [b]. Lege etiam quæ de Nivernensibus Episcopis ad annum Redemptoris octingentesimum duodevicesimum [c] scripta sunt. De Aldrico, priusquàm ad Senonenses Infulas assumeretur, sermonem sæpè fecimus. Ex Abbate Ferrariensi factus est Senonensis Archiepiscopus, eique tunc in munus Abbatiale successit Odo. Constat hoc anno ista contigisse, priori enim anno decessit Hieremias, & sub ejusdem anni finem vacabat adhuc Archiepiscopatus, cùm Ludovicus Augustus Diploma de celebrandis hoc anno quatuor Conciliis edidit. Lupus Ferrariensis Monachus, paulò antequàm Aldricus ad Archiepiscopatum promoveretur, ab eo missus est in Germaniam, ut à Rabano Monasterii Fuldensis Abbate in Divinis Scripturis erudiretur. Id patet ex prima ejusdem Lupi epistola, de qua fusiùs ad annum sequentem, necnon ex quadragesima, quam *Reverentissimo Patri eximioque Præceptori Rhabano* inscripsit. In Fuldensi Monasterio manebat adhuc anno Redemptoris octingentesimo tricesimo-sexto, ut ex ejus epistola sexta suo loco probabimus. Joannes Mabillonius in Observationibus præviis vitæ Sancti Aldrici, tres, quibus celebratur, dies ita distinguit. *Colitur iste Sanctus in Ecclesia Senonensi die sexto Junii, qui fortè dies est ejus ordinationis; nam obitus ejus incidit in diem decimam Octobris, qui dies apud Ferrarienses festivè celebratur, Translatio verò trigesimo die Julii.* Spernenda non videtur hæc conjectura, dies enim sextus Junii Dominicus fuit anno Redemptoris octingentesimo vicesimo-nono, qui prædictus fuit literâ Dominicali C, & Parisiense Concilium, cui præsens interfuit Aldricus, eodem die cœptum est, ut ex ejus præfatione jam citata constat. Præthereà tres, inter Frotharianas [d], inveniuntur epistolæ Senonensium, quæ Senonensem Ecclesiam per aliquot menses Archiepiscopo caruisse significant. Prima talis est ad Hilduinum Archicapellanum Palatii. *Excellentissimæ venerationis honore dignissimo Hilduino Domino verè Sanctissimo Seno-*

[a] Num. 35.
[b] Num. 173.
[c] Num. 24.
[d] Epp. 14. 16. 17.

AN. CH. 829. LUDOV. IMP. 16. LOTHAR. IMP. 13. PIPPINI R. 15. LUDOV. R. 13.

nica plebis humillima devotio aterna prosperitatis in Domino salutem. Quia divinâ inspirante misericordiâ fastidiosa importunitatis nostra clamoribus, mi Domine, sæpè compati dignati estis, idcircò etiamnum nimiâ compulsi necessitate vestra Celsitudinis aures inquietare præsumpsimus. Novimus etenim, Reverentissime Domine, quomodo prioribus petitionibus nostris benignè & misericorditer adsistere dignati estis, quomodo etiam à nullis nostris meritis, & quod nunquam futurum sperabamus, alteram nobis electionem impetrare ac concedere studuistis. Sed quoniam peccatis nostris, ut credimus, exigentibus, vota & desideria, quibus Sanctitatem vestram toties pulsare ausi sumus, plurimùm impedita ad effectum pervenire non meruerunt, idcircò & hac vice ad vos causas miseria nostra referre compulsi sumus. Fecimus, Domine mi, & nunc secundam electionem, & invenimus hominem ex nostris à puero nobis benè notum, genere & moribus non infamem, docilem ætate, huic officio congruum, litteratoria professionis non usquequaque ignarum, divina quoque scientia non penitus expertem, quarundam etiam aliarum artium portionem habentem. Quem cùm obtulissemus, nullatenus putantes rejiciendum, ipsis Missis Dominicis impedientibus, quod optavimus, non meruimus adipisci. Propterea vestra pietatis vestigiis animo provoluti flebiliter postulamus, ut tamdiu rem suspendere dignemini, quousque cum scripto homine ad vestram Celsitudinem properantes, ipsi vobis meliùs nostram pandamus memoriam, &, siquidem ad hoc onus ferendum persona, quam dicimus, sufficero, minúsve poterit, dignationis vestra judicio aut suscipiatur aut reprobetur, dum ampliùs nec nos adquisitis occasionibus quidam sic crucient, nec à nobis abjectissimis vestra mansuetissima sublimitas diutiùs inquietetur. His itaque Clementia vestra suggestis, atque utinam impetratis, oramus supernam misericordiam, ut multimodâ vos prosperitate valere concedat, & aterna Beatitudinis gaudia consequi quandoque permittat. Altera brevior est ad Eginhardum Abbatem. *Inclyto & omni nobilitate præclaro Einhardo Domino Sanctissimo Senonica Ecclesia humillima devotio. Præsumpsimus, mi Domine, auribus Clementia vestra necessitatis nostra causas humiliter innotescere, ut per vestram pietatem de his celeriter mereamur consolationem recipere. Notum vobis esse credimus, quòd nobis indignissimis à Domno Imperatore concessum fuerat, ut ex nobis ipsis electionem faciendi haberemus licentiam. Sed cùm illum, quem scitis, elegissemus, & à Serenitate Domni Imperatoris non pleniter fuisset receptus, permissum nobis iterum est, ut alium, si potuissemus, ex nobis huic officio congruum inveniremus. Sed cùm esset inventus, ut credimus, in Dei & Domni Imperatoris servitio habilis, nescimus ob quam causam à Missis Dominicis non est plenâ benevolentiâ susceptus. Unde vestram oramus Benignitatem, ut ex hoc nobis in adjutorium esse dignemini, quatenus ipsum, de quo dicimus, ad præsentiam Domni Imperatoris nos ipsi deducamus, & qualiter jusserit discutiatur, & probetur, si nobis prodesse valeat, & in servitio Dei aptus esse possit, an minùs. Optamus vos divinis semper muniri præsidiis, & immortalitatis coronâ quandoque gloriari, Piissime & Reverentissime Domine.* Tertia Judithæ Augustæ inscribitur. *Inclyta & omni nobilitate clarissima Judith, Gloriosa Imperatrici, Senonica Ecclesia humillima devotio. Præsumpsimus, mi Domina, auribus Clementia vestra* &c. ut suprà in literis ad Eginhardum ad proximas usque periodos. *Sed cùm esset inventus, ut credimus, in Dei & vestro servitio habilis nescimus ob quam causam à Missis Dominicis non est plenâ benevolentiâ susceptus. Unde vestram oramus Benignitatem, ut ex hoc nobis in adjutorium esse dignemini, quatenus causa suspendatur, donec ipsum, de quo dicimus, ad præsentiam Domni Imperatoris & vestram nos ipsi deducamus, & qualiter jusseritis discutiatur, & probetur, si nobis prodesse valeat, & in servitio vestro aptus esse possit, an minùs. Optamus vos divinis semper muniri præsidiis, & immortalitatis coronâ quandoque gloriari, Piissima & Serenissima Domina.* Anno Redemptoris octingentesimo decimo-nono, cùm Judith Ludovico Augusto nupsit, Ecclesiæ Senonensi jam præerat Hieremias Archiepiscopus, & anno Redemptoris octingentesimo quadragesimo, mense Junio, cùm idem Ludo-

vicus

AN. CH. 829. LUDOV. IMP. 16. LOTHAR. IMP. 13. PIPPINI R. 15. LUDOV. R. 13.

vicus obiit, superstes in vivis erat Aldricus Archiepiscopus Senonensis, qui proximus Hieremiæ successor in omnibus Catalogis ac libris habetur. Quæcumque igitur in epistolis suprà descriptis commemorantur, ea post Hieremiæ mortem contigerunt. Existimamus autem illum, qui post secundam electionem multis nominibus in literis præsertim ad Eginhardum commendatur, alium fuisse ab Aldrico, quem augustiore panegyri promptioréque Missorum Dominicorum studio dignum arbitramur, quia Palatinarum Scholarum Magister & Abbas Ferrariensis extitit. Hujus Abbatis promotionem ad Archiepiscopatum Senonensem sic laudat Lupus Abbas etiam Ferrariensis in literis [a] ad Wenilonem proximum in eodem Archiepiscopatu successorem. *Decessor vester beata memoria Aldricus, præfati Cæsaris* Ludovici *jussu, nobis, cùm esset Abbas, ablatus, & Ecclesia Senonica Pontifex factus est.* Ut in hoc textu, sic & in aliis multis Lupus Monachum se Ferrariensem fuisse sub Abbatis Aldrici disciplina testatur, ac potissimùm in literis [b] ad Immonem, in quibus Aldrici tum mortui meminit tanquam *Domini ac nutritoris* sui, cujus obitum deflet. Odonis Abbatis, qui post Aldricum Ferrariense Monasterium hoc anno gubernare cœpit, sæpè mentionem facit, ut suis locis ostensuri sumus. Ceterùm ne quæ suprà de Missis Dominicis ex Senonensium epistolis recitata sunt, adversari credas Attiniacensi Capitulari, quo Ludovicus Augustus *adsensum Ordini Ecclesiastico* præbuit anno Redemptoris octingentesimo vicesimo-secundo, *ut Episcopi per electionem Cleri & populi, secundùm statuta Canonum, de propria Diœcesi, remotâ personarum & munerum acceptione, ob vitæ meritum & sapientiæ donum eligantur*, lege Jacobum Sirmondum in Appendice ad Tomum secundum Conciliorum Gallicanorum, *hujus* enim *legis beneficio, ita electionum jure in posterum* usas ait Ecclesias, *ut singulæ mortuo Episcopo primùm omnium novi eligendi facultatem à Rege peterent.* Qua de re multa, cùm occasio postulabit, exempla proferemus. Aldricus, postquàm electus fuit Archiepiscopus Senonensis, electionem Heribaldi sive Haribaldi Autissiodorensis Episcopi procuravit. Hujus enim panegyris in Autissiodorensium Episcoporum Historia [c] sic inchoatur. *Heribaldus Episcopus ex patre Antelmo Bajoario, matre Frotilde Vastinensi, sedit annos* XXXIII. *Hunc ab ineunte ætate in Palatio educatum post decessum avunculi sui Angelelmi Clerus & populus solemni electione factâ Pontificatui suffecerunt, Aldrico Senonensium Archiepis. cum Coepiscopis ex Præcepto Ludovici Imperatoris hujus negotium procurante. Constat autem eum in Ecclesia Beati Germani & electione designatum & ordinatione promotum.* Hujus loci censetur Abbas fuisse, priusquàm ad Episcopales Infulas assumeretur. De proximo successore non levis est difficultas. In Catalogo, quem à Domno Georgio *Viole* Monacho Benedictino acceptum publicarunt Sammarthani, series Abbatum, qui Monasterio Sancti Germani in suburbio civitatis Autissiodorensis Ludovico Pio Imperatore præfuerunt, sic exhibetur. *Alegrecus, Ludovici Pii Imp. tempore 816. S. Heribaldus, Episcopus etiam Autissiod. 820. S. Abbo, superioris frater, & pòst Episcopus Autissiod. 824. Deusdedit, impetravit Privilegium eligendi Abbatis an. 830. B. Christianus, ex Diplomate Ludovici Pii electus an. 835. Carolus Calvus ex partitione à patre facta præfuit an. 838.* De Alegreco sive Alegrero convenimus. Hic enim pro suo Cœnobio Præceptum obtinuit *datum* VI *Idus Martii, anno, Christo propitio, tertio Imperii Domni Ludovici Piissimi Augusti, Indictione* IX, id est, anno Redemptoris octingentesimo decimo-sexto, quo Præceptum integrum recitavimus [d]. Nihil etiam obest, quominùs Heribaldum Abbatem agnoscamus anno Redemptoris octingentesimo vicesimo, sed ei successorem, nec ante annum Redemptoris octingentesimum undetricesimum quo factus est Episcopus, nec Abbonem damus qui regnante Carolo Calvo, cùm priùs Abbas esset, in Autissiodorensem Episcopatum successit. Eo igitur in aliud tempus rejecto, Deus-

[a] Ep. 39.

[b] Ep. 41.

[c] Cap. 36.

[d] Ad an. 816. n. 3.

AN. CH. 829. LUDOV. IMP. 16. LOTHAR. IMP. 13. PIPPINI R. 15. LUDOV. R. 13.

dedit proximus Heribaldi successor occurrit anno Redemptoris octingentesimo vicesimo-nono, & ab Heribaldo tunc Episcopo Privilegium postulat obtinétque anno Redemptoris octingentesimo tricesimo. Christianus, cujus decessor Deusdedit, non electus est *an. 835*, erat enim jam Abbas anno Redemptoris octingentesimo tricesimo-tertio, quando Conventus Senonensis habebatur, ut ad illum annum repetemus. Seriùs ad munus Abbatiale, deinde ad Episcopale pervenit Abbo.

CXI. Ex supradictis liquet Concilio Parisiensi, quod quatuor ex provinciis convocatum fuit, Archiepiscopos Ebonem Remensem & Aldricum Senonensem, eorúmque Suffraganeos omnes interfuisse præter Episcopum Laudunensem, qui non videtur alius ab Ostroldo, cujus successor Simeon in vivis adhuc superstes erat anno Redemptoris octingentesimo quadragesimo-quinto. Tres igitur Episcopi Theodisclus, Amatheus, & Herbertus, vel ad provinciam Rotomagensem, vel ad Turonensem, vel ad utramque pertinent. In Concilio Parisiensi nomina quatuor Episcoporum è provincia Rotomagensi desiderantur, Abrincensis videlicet, Bajocensis, Ebroicensis, & Sagiensis. Per hæc tempora mutili sunt Abrincensium & Ebroicensium Episcoporum Catalogi. Secus sentiendum de Bajocensium & Sagiensium Nomenclaturis. Anno Redemptoris octingentesimo tricesimo-tertio, in Concilio Senonensi, Privilegio pro Senonensi Monasterio Sancti Remigii subscripserunt *Carevilius Bajocensis Episcopus* & *Ingelnonus Sagiensis Episcopus*. Nullum autem documentum obest, quominùs asseramus utrumque jam Episcopum ante quadriennium sedisse, cùm Parisiense Concilium habebatur. Porrò corrigendus in auctiore Gallia Christiana, qui nos minùs cautos ad annum Redemptoris octingentesimum undecimum fefellit Index Sagiensium Episcoporum, ut in erratis superioris Tomi monuimus. Post Sanctum Godegrandum, cujus obitum anno Christi septingentesimo septuagesimo consignavimus, apud Sammatthanos Ragemfridus, Patratus, & Reginaldus, sic occurrunt. *Ragemfridus. Patratus Episcopus circa annum 825 memoratur in Actis Translationis Sancti Quintini: qui omissus in Catalogis. Reginaldus circa ann. 834 ex Concilio Wormaciensi.* Ragemfridum Sancto Godegrando proximè successisse non inficiamur. At expungendum censemus Patratum, nec eum Catalogo Sagiensium Episcoporum putamus intrudendum ex Actis Translationis Sancti Quintini, de quibus fusè loquemur suo loco [a]. Reginaldum quoque negamus interfuisse Concilio seu Conventui Senonensi, nonnullis perperam Wormatiensi, in quo Senonensis Archiepiscopus Privilegium concessit, cui subscripsit *Ingelnonus Sagiensis Episcopus*. Successerunt igitur, Sancto Godegrando Ragemfridus, Ragemfrido Reginaldus, huic Ingelnonus, de quo sermo post quadriennium recurret. Quod attinet ad Præsules provinciæ Turonensis. Quando celebratum fuit Concilium Parisiense, præter Landramnum Turonensem Archiepiscopum, Franconem Episcopum Cenomannensem, & Flodegarium Andegavensem Episcopum, quorum suprà meminimus [b], in illa provincia sedebant, Ermor Aletensis Episcopus, Liberalis Episcopus Leonensis, Radulfus Episcopus Lexobiensis in prælaudato Privilegio corruptè *Lexoviensis*, Atto Namnetensis Episcopus, Warinus Episcopus Redonensis, & Ragenarius Venetensis Episcopus. Sedes igitur, quarum ignorantur Episcopi, supersunt tantùm quinque; Abrincensis & Ebroicensis in provincia Rotomagensi; Corentinopolitana, Briocensis & Dolensis, in provincia Turonica; tres ex illis assignandæ, Theodisclo, Amatheo, & Herberto, Episcopis; sed quæ cui, divinare non licet.

[a] Ad an. 835. num. 78. & seqq.

[b] Num. 105.

CXII. Observatio, quâ præcitatus Capitularium Collector nomina recenset Episcoporum qui Concilio Parisiensi præsentes interfuerunt, sumpta est ex parvo Parisiensis Ecclesiæ Pastorali, cujus Charta nonagesima-secunda

AN. CH. 829. LUDOV. IMP. 16. LOTHAR. IMP. 13. PIPPINI R. 15. LUDOV. R. 13.

talis est. *Ego Inchadus divinâ ordinatione Parisiacæ Civitatis Episcopus*, &c. *Igitur cognoscat omnium secutura posteritas Præsulúmque nobis succedentium pia paternitas, quia petierunt à nostra exiguitate fratres nostri Sanctæ matris Ecclesiæ, cui miserante Deo deservimus, ut metu futurorum casuum propellendo attribueremus eorum stipendiis quasdam villas de rebus ipsius matris Ecclesiæ, quarum redditibus & ipsi suam necessitatem propellerent, & Episcopum multorum molestiis assiduè exagitatum non inquietarent. Quorum nos petitioni assensum præbentes, in Ecclesia, quæ est in honore Sancti Stephani protomartyris, coram ipso sacrosancto Altari, in præsentia venerabilium virorum ob Dei causam ad Synodalem Conventum apud Parisiorum urbem convenientium, Ebbonis videlicet Archiepiscopi, Aldrici Archiepiscopi, Ragineardi Archiepiscopi, Landranni Archiepiscopi, Jonæ Episcopi, Jesse Episcopi, Rantgarii Episcopi, Rothadi Episcopi, Adalelmi Episcopi, Hildemanni Episcopi, Godofredi Episcopi, Freculfi Episcopi, Guiladi Episcopi, Theodiscli Episcopi, Amathei Episcopi, Alitgarii Episcopi, Franconis Episcopi, Bernoini Episcopi, Haribaldi Episcopi, Heliæ Episcopi, item Jonæ Episcopi, Huberti Episcopi, Fulcharii Episcopi, Herberti Episcopi, quasdam villas cum earum redditibus eorum stipendiis dedimus vel delegavimus, quarum nomina sunt hæc; Andresiacum cum omni integritate, Hileriacum cum omnibus ad se pertinentibus, Aureliacum & Civiliacum & Castanedum cum omnibus quæ illis adjacent, Balneolum & Lajacum & Strovilla cum universis quæ pertinent ad eas; insuper & fundos quos fidelium liberalitas stipendiis eorum fratrum delegavit, videlicet Sulciacum, quem Stephanus illustris vir & piæ recordationis Comes, necnon uxor ejus Amantrudis eorum usibus delegaverunt, ita tamen ut tertia pars ejusdem villæ luminaribus Ecclesiæ cederet. Sed & medietatem nonarum eis attribuimus, quæ de rebus Ecclesiæ ab hiis qui eis utuntur nostræ Ecclesiæ conferuntur. Hæc ergo omnia paternâ caritate devinctus petitioni fratrum nostrorum ego Inchadus promptissimè favens, ut jam prælibavimus, eorum usibus deputamus, ob Dei Omnipotentis servitutem propensiùs exhibendam & ad caritatem uberiùs perferendam, quatinus non solùm pro statu Sanctæ Ecclesiæ, sed & pro pace & incolumitate Domni Ludovici Regis, prolísque ejus, totiusque Regni ejus statu, necnon & pro meæ absolutione animæ fidelissimè ac devotissimè Domini misericordiam exorent. Insuper & tectorum curam fratribus deputatorum, ne collapsa depereant, ad se pertinere noverint. Statuimus siquidem ut supervenientes fratres tam Canonicos quàm Monachos de aliis Congregationibus hoc summoperè provideant, ut cum caritate eos suscipiant, eósque in cibo & in collatione sibi participes faciant. Decima quoque earumdem villarum, id est, de indominicato tantùm, detur ad integrum ad illud hospitale pauperum, quod est apud memoriam beati Christophori, ubi fratres tempore statuto pedes pauperum lavandi gratiâ confluant. Petimus autem successores nostros in Domini nostri Jesu Christi amore & fraternæ intuitu dilectionis, ut hoc nostrum statutum inviolabiliter manere permittant, quatinus & nos studii nostri atque devotionis remuneremur mercede, & vos pro parilitate operis donemini æternâ felicitate. Credimus enim non minorem retributionem manere benè inchoantes quàm benè inchoata studio propensiore fœlicibus votis atque nisibus prosequentes. Hoc autem nostrum statutum ut pleniorem in Christi nomine obtineat firmitatis vigorem, manûs nostræ signaculo subsignavimus, manibúsque spectabilium personarum roborari decrevimus. S. Inchadi Parisiacæ Civitatis Episcopi, qui hoc Privilegium Pontificali auctoritate fieri jussit, & ob amissionem luminum scribere nequivit. Ebbo divino munere Sanctæ Remensis Ecclesiæ Archiepiscopus huic constituto à nobis canonicè promulgato subscripsi. Aldricus Sanctæ Senonicæ Sedis Archiepiscopus hoc decretum subterroboravi. Ragineardus Sanctæ Rodomensis Ecclesiæ Archiepiscopus id statutum roboravi. Landramnus Turonensis Archiepiscopus huic constituto subscripsi. Amateus Episcopus id statutum subterroboravi. Alitgarius Episcopus indignus huic decreto subscripsi. Franco Episcopus hanc consensionem inferiùs roboravi. Bernoinus Episcopus hoc statutum subscripsi &c.* Desunt notæ Chronologicæ, sed ex ipso contextu,

INCHADUS EP. PARISIENSIS MUNIFICUS ERGA SUAM ECCLESIAM.

AN. CH. 829. LUDOV. IMP. 16. LOTHAR. IMP. 13. PIPPINI R. 15. LUDOV. R. 13.

si conferatur cum literis, per quas Ludovicus Augustus Concilium à quatuor Archiepiscopis, Ebbone videlicet Remensi, Ragnoardo Rotomagensi, Lantranno Turonensi, & futuro Senonensi quisquis ille fuerit, & ab eorum Suffraganeis Episcopis hoc anno Parisiis habendum curavit, satis innotescit Diploma, quod proximè recitavimus, ab Inchado Parisiensi Episcopo datum hoc anno fuisse, quando Concilium, de quo suprà, Lutetiæ celebrabatur. De nominibus & Sedibus Episcoporum nihil repetemus. Duæ tantùm res hic observandæ supersunt. Una de Inchado Episcopo Parisiensi, quòd illis temporibus, ut ipsa Diplomatis verba testantur, lumen oculorum jam amisisset, cùm enim plerique præ senio cæcitatem hanc accidisse scribant, Chronologiæ nostræ provectior ætas Inchadi non parum favet adversùs illos, qui annos ei multò pauciores in Episcopatu tribuunt. Altera de Halitgario Cameracensi atque Atrebatensi Episcopo, qui Constantinopolim anno præterito missus, *inde reversus*, ut Baldricus [a] asserit, *multa & pretiosa Sanctorum pignora, Sancti videlicet protomartyris Stephani, Cosmæ, Anthimi Nicomediensis Episcopi & Theodori Martyris, quæ in Ecclesia Beatæ Mariæ Cameraci continentur adhuc, asportavit. Necnon & tabulas eburneas, quibus libri cooperti ibidem esse spectantur.* His adde librum pœnitentialem, quem idem Halitgarius *de scrinio Romanæ Ecclesiæ* adsumpsit sive exscripsit, ut ipsemet in Præfatione ad eundem librum docet. Id autem Romæ videtur præstitisse, seu proficisceretur Constantinopolim seu Constantinopoli rediret. Existimamus datam inde occasionem scribendi libros *de remediis peccatorum & ordine vel judiciis pœnitentiæ*, quos Ebonis Archiepiscopi Remensis hortatu conscripsit. Flodoardus [b] recitat Ebonis literas cum hac inscriptione. *Reverentissimo in Christo Fratri ac Filio Halitgario Episcopo Ebo indignus Episcopus salutem.* Recitat & literas Alitgarii cum hoc titulo. *Domino & Venerabili Patri in Christo Eboni Archiepiscopo Alitgarius minimus Christi famulus salutem.* Denique testatur Halitgarium Ebone hortante ad scribendum se accinxisse. *Hujus*, inquit, *Præsulis*, id est, Ebonis, *hortatu, Alitgarius Cameracensis Episcopus sex libellos de remediis peccatorum & ordine vel judiciis pœnitentiæ conscripsit.* Literas cùm Ebonis tum Halitgarii hîc omittimus, quia carent Characteribus Chronologicis, nihilque præter Ebonis hortationem ad scribendum & assensum Halitgarii complectuntur. De libris autem agemus anno proximo.

[a] Lib. 1. c. 40.

HALITGARIUS EP. CAMERACENSIS RELIQUIAS EX ORIENTE DEFERT CAMERACUM.

[b] Lib. 2. c. 19.

CXIII. CONCILIUM LUGDUNENSE.

Ad Lugdunense Concilium cum suis Suffraganeis vocati sunt, Agobardus Lugdunensis Archiepiscopus, Bernardus Archiepiscopus Viennensis, Andreas Darantasiensis Archiepiscopus, Benedictus Archiepiscopus Aquensis, & Agericus Ebredunensis Archiepiscopus. Canones hujus Concilii desiderantur. Extant Agobardi ad Ludovicum Imperatorem literæ *de insolentia Judæorum.* Scriptæ videntur post collationem ea de re habitam in Synodo, cujus mentionem Agobardus haud obscurè fecisse creditur his verbis. *Quæ omnia cum confratribus contulimus.* Extant & aliæ *de Judaicis superstitionibus* literæ, quas tunc ad eundem Augustum tres direxerunt Antistites, *Agobardus, Bernardus & Eaof*, id est, Agobardus Lugdunensis Archiepiscopus, Bernardus Archiepiscopus Viennensis, & Eaof seu Faof vel Faova Cabilonensis Episcopus. Fieri potuit, ut tres hi Pontifices totius Concilii nomine literas scripserint, & Agobardus, qui Synodalis illius epistolæ ad Imperatorem mittendæ curam in se receperat, aliam quoque relationem consentiente Synodo conjunxerit, quâ privatim de Judæorum insolentia querebatur. Præter Lugdunensem autem Synodum, quæ celebrata est hoc anno, vix aliam reperias, cui Lugdunensis ac Viennensis Metropolitæ cum Episcopo Cabilonensi præsentes interfuerint, ideóque de prædictis utrisque literis hîc agendum ducimus. Queritur Agobardus de Evrardo Magistro Judæorum, & de Missis Imperatoris, Gerrico ac Frederico, qui *ostenderunt se Christianis terribiles, & Judæis mites, maximè Lugduni, ubi partem persecutio-*

AGOBARDUS SCRIBIT DE INSOLENTIA JUDÆORUM

AN. CH. 829. LUDOV. IMP. 16. LOTHAR. IMP. 13. PIPPINI R. 15. LUDOV. R. 13.

nis adversùs Ecclesiam depinxerunt, & in quantam exinde Judæi protuperint insolentiam, eidem Augusto sic exponit. *Venientes itaque primùm Judæi, dederunt mihi Indiculum ex nomine vestro, & alterum ei qui pagum Lugdunensem vice Comitis regit, præcipientem illi, ut auxilium ferret Judæis adversùm me. Quos Indiculos, licèt ex sacro nomine vestro recitarentur, & vestro annulo essent signati, nullatenus tamen credidimus ex judicio vestro tales prodiisse. Cœperunt autem efferri quadam odibili insolentiâ Judæi, comminantes omnibus injuriis nos afficiendos per Missos quos adepti fuerant ad exsolvendam vindictam de Christianis. Post eos venis Evrardus, eadem iterans, & dicens Majestatem vestram commotam esse valdè adversùm me propter Judæos. Deinde venerunt & prædicti Missi, habentes in manibus tractoriam stipendialem & Capitularia Sanctionum, quæ non putamus vestrâ jussione existere talia. His causis lætificati sunt Judæi ultra modum, & contristati Christiani, non solùm illi qui fugerunt, aut qui absconditi sunt, vel qui districti, sed & ceteri qui viderunt vel audierunt, maximè ideo quia sententia Judæorum ita confirmata est, ut auderent irreverenter prædicare Christianis quid potiùs credendum esset ac tenendum; blasphemantes coram eis Dominum Deum ac Salvatorem nostrum Jesum Christum. Roboratur quoque hæc perversitas ex verbis Missorum, quibus susurrabant quorundam auribus, dicentes quòd Judæi non abominabiles, ut plerique putant, sed cari essent in oculis vestris, & hominibus eorum dicentibus ex parte meliores eos habitos quàm Christianos. Et ego quidem indignus servus vester non eram Lugduni, sed aberam longè, causâ Nantuadensium Monachorum, qui quadam dissimultate inter se laborabant. Tamen direxi Missos nostros, & litterulas ad illos, ut præciperent quicquid vellent, aut eis injunctum esset, & nos obediremus. Sed nihil veniæ adepti sumus, ita ut etiam aliqui ex Sacerdotibus nostris, quibus nominatim minabantur, non auderent præsentiam suam eis exhibere. Hæc passi sumus à fautoribus Judæorum, non ob aliud, nisi quia prædicavimus Christianis, ut mancipia eis Christiana non venderent, ut ipsos Judæos Christianos vendere ad Hispanias non permitterent, nec mercenarios domesticos habere, ne fœmina Christiana cum eis sabbatizarent, & ne diebus domesticis operarentur, ne diebus Quadragesimæ cum eis pranderent, & mercenarii eorum iisdem diebus carnes manducarent, ne quilibet Christianus carnes à Judæis immolatas & deglubatas emeret, & aliis Christianis venderet, ne vinum illorum biberent, & alia hujusmodi. Est enim Judæorum usus, ut quando quodlibet pecus ad esum mactant, ut subactum pecus tribus incisionibus non fuerit jugulatum; si apertis interaneis jecur læsum apparuerit, si pulmo lateri adhæserit, vel eum insufflatio penetraverit; si fel inventum non fuerit, & alia hujusmodi; hæc tanquam immunda à Judæis repudiata, Christianis venduntur, & insultario vocabulo Christiana pecora appellantur. De vino verò, quod & ipsi immundum fatentur, & non eo utuntur nisi ad vendendum Christianis, si contigerit ut in terram defluat quolibet loco licèt sordido, festinantes hauriunt iterum de terra, ad conservandum in vasa remittunt. Qualiter verò & alia improbanda circa illud agant, non solùm de Christianis sed & de Judæis multi sunt testes. Quod autem Dominum nostrum Jesum Christum & Christianos in omnibus orationibus suis sub Nazarenorum nomine cotidie maledicant, non solùm Beatus Hieronymus, qui se scribit novisse illos intrinsecus & in cute, testis est, sed & de ipsis Judæis plerique testantur.* Et inferiùs. *Summoperè necesse est ut sciat piissima sollicitudo vestra, quomodo nocetur fides Christiana à Judæis in aliquibus. Dum enim gloriantur, mentientes simplicibus Christianis, quòd cari sint vobis propter Patriarchas; quòd honorabiliter ingrediantur in conspectu vestro, & egrediantur; quòd excellentissimæ personæ cupiant eorum orationes & benedictiones, & fateantur talem se legis auctorem habere velle, qualem ipsi habent; dum dicunt Consiliatores vestros commotos adversùm nos eorum causâ, eò quòd prohibeamus Christianos vinum eorum bibere; dum hoc adfirmare nitentes, plurimas argenti libras ad emptionem vini se ab eis accepisse jactant, & remotis Canonibus non inveniri quare Christiani debeant abstinere à cibis eorum; dum osten-*

AN. CH. 829. LUDOV. IMP. 16. LOTHAR. IMP. 13. PIPPINI R. 15. LUDOV. R. 13.

dunt Præcepta ex nomine vestro, aureis sigillis signata, & continentia verba, ut putamus, non vera; dum ostendunt vestes muliebres, quasi à consanguineis vestris vel matronis Palatinorum uxoribus eorum directas; dum exponunt gloriam parentum suorum; dum eis contra legem permittitur novas Synagogas extruere; ad hoc pervenitur, ut dicant imperiti Christiani, meliùs eis prædicare Judæos quàm Presbyteros nostros, maximè cùm & supradicti Missi, ne Sabbatismus eorum impediretur, mercata, quæ in Sabbatis solebant fieri, transmutari præceperint, & quibus diebus deinceps frequentari debeant, in illorum optione posuerint, dicens hoc Christianorum utilitati propter diei Dominici vacationem congruere; cùm Judæis magis probetur inutile, quia & hi qui propè sunt, Sabbato ementes victûs necessaria, liberiùs die Dominico Missarum solemnitatibus & prædicationibus vacant; &, si qui de longè veniunt, ex occasione mercati tam vespertinis quàm matutinis occurrentes Officiis, Missarum solemnitate peractâ, cum ædificatione revertuntur ad propria. Denique suam sic epistolam claudit. *Nunc igitur, si placet benignissimæ mansuetudini vestræ audire, dicamus quid Ecclesia Galliarum, & Rectores earum tam Reges quàm Episcopi, de discretione utriusque Religionis, Ecclesiastica videlicet & Judaica, tenuerint, tenendúmque tradiderint, & scriptum posteris reliquerint, & quomodo consonum sit auctoritati vel actibus Apostolicis, & à veteri Testamento originem trahens. Ex quibus demonstratur quàm detestabiles habendi sint inimici veritatis, & quomodo pejores sint omnibus incredulis, Scripturis Divinis hoc docentibus, & quàm indigniora omnibus infidelibus de Deo sentiant & rebus cælestibus. Quæ omnia cum confratribus contulimus, & amplissimæ Excellentiæ vestræ præsentanda direximus.* Epistolæ pars hæc postrema compendium est alterius *de Judaicis superstitionibus*, quæ tota constat auctoritate Divinarum Scripturarum, Sententiis Patrum, Conciliorum Decretis & Edictis Regum, habétque hoc initium, quod ex opere benè longo recitasse sufficiet, ut de utrarumque literarum connexione nobiscum convenias. *Christianissimo & Gloriosissimo Domino nostro Hludowico Imperatori, perpetuo Augusto, Agobardus, Bernardus, & Eaof, indigni Episcopi, supplices servuli vestri. Sicus in præmissa schedula in brevi significatum est, insolentiâ & importunitate Judæorum in quorumdam simplicium Christianorum pectoribus tranquillitas fidei propulsata compulit nos mansuetissimæ ac prudentissimæ sollicitudini vestræ scribere de cautela Christianorum, qualis esse debeat erga Judaicam perfidiam, & superstitiones, atque innumerabiles errores, in quantùm extremitas nostra invenire potuit ex usu & institutione priorum Gallicanarum Ecclesiarum Rectorum.*

ET DE JUDAICIS SUPERSTITIONIBUS.

Agobardus ad calcem epistolæ suæ hoc embolum sive additamentum adjecit de Judæis, qui Christianos pueros aut furabantur aut emebant, atque in alias provincias ablegabant procul à Christianorum consortio vitam deinceps acturos. *Et cùm præcedens schedula dictata fuisset, supervenit quidam homo fugiens ab Hispaniis de Cordoba, qui se dicebat furatum esse à quodam Judæo Lugduno ante annos viginti-quatuor, parvum adhuc puerum, & venditum, fugisse autem anno præsenti cum alio qui similiter furatus fuerat Arelate ab alio Judæo ante annos sex. Cúmque hujus, qui Lugdunensis fuerat, notos quæreremus, & inveniremus, dictum est à quibusdam & alios ab eodem Judæo furatos, alios verò emptos, ac venditos; ab alio quoque Judæo anno præsenti alium puerum furatum & venditum, quâ horâ inventum est plures Christianos à Christianis vendi, & comparari à Judæis, perpetrarique ab eis multa infanda, quæ turpia sunt ad scribendum.*

CXIV. CONCILIUM TOLOSANUM.

Ad Tolosanum Concilium eum suis suffraganeis vocati sunt Notho Metropolitanus Arelatensis, Bartholomeus Narbonensis Archiepiscopus, Adalelmus Archiepiscopus Burdigalensis & Agiulfus Bituricensis Archiepiscopus. Hujus Concilii Canones perierunt.

CXV. TERRÆ MOTUS AQUISGRANI.

Mense Junio celebrata sunt quatuor Concilia, de quibus suprà. Quid interim hoc eodem anno gestum scribat Annalista Laureshamensis, breviter accipe. *Post exactam hyemem in ipso Sancto Quadragesimali jejunio, pau-*

cis ante Sanctum Pascha diebus, Aquisgrani terræ motus noctu factus, ventúsque tam vehemens coortus est, ut non solum humiliores domus, verùm etiam ipsam Sanctæ Dei Genitricis Basilicam, quam Capellam vocant, tegulis plumbeis tectam ex parte non modica denudaret. Imperator verò in diversis occupationibus usque ad Cal. Jul. Aquisgrani moratus, tandem ad generalem Conventum Wormatiæ habendum cum comitatu suo mense Aug. statuit proficisci. AN. CH. 829. LUDOVICUS Aug. INDICIT CONVENTUM WORMATIENSEM.

Cùm Aquisgrani morabatur, ad eum venit Sueonum Legatio, cujus mentionem facit Rembertus in vita Sancti Anscharii. Quando, à quo, & cur directa sit, hic examinandum. CXVI.

Annus ex Annalista Laureshamensi & Remberto simul collatis facilè colligitur. DCCCXXVI. *Herioltus, Rex Daniæ, cum uxore & magna Danorum multitudine veniens, Moguntiaci apud Sanctum Albanum cum iis, quos secum addnxit, baptizatus est, multísque muneribus ab Imperatore donatus, per Frisiam quà venerat viâ reversus est.* Hæc prædictus Annalista. Redeuntem autem in Daniam Herioldum comitati sunt insignes Monachi Corbeienses Anscharius & Autbertus, de quibus ita Rembertus. *Cùm in hoc sancto proposito*, id est, in erudiendis Danis, *biennio aut eo ampliùs morarentur, contigit jam dictum fratrem Autbertum infirmitatis gravari molestiâ. Qua de causa inde ad novam Corbeiam deductus, languore diutino ingravescente, feliciter, ut credimus, transitu, in tempore Paschæ, sicuti & ipsi antè à Domino revelatum fuerat, diem inibi clausit extremum. Interim verò contigit Legatos Sueonum ad memoratum venisse Ludovicum.* Ad hunc igitur annum Redemptoris octingentesimum undetricesimum pertinent obitus Autberti Monachi Corbeiensis & Legatio Sueonum in Franciam missa. Fuit hæc omnium, quarum vestigium in Historiis superest, antiquissima, nec audiendi sunt cùm Germani tum Sueones seu Sueci, qui quod Imperatore Ludovico contigit, Carolo Magno, cujus nomen celebrius est, in vivis superstite gestum volunt. AUDIT LEGATIONEM SUEONUM. CXVII.

Qui Remberto sunt Sueones, hodie Sueci vocantur & Suedi, atque à Germanis per mare Balticum dirimuntur. Apud eumdem Rembertum Rex Sueonum, qui Legationem ad Ludovicum Augustum dirigit, *Bern* appellatur, apud alios *Biorn & Biornus*. CXVIII.

Causam exitúmque Legationis sic idem exponit Rembertus in vita Sancti Anscharii, quam Congregationi Corbeiæ veteris inscribit. *Contigit Legatos Sueonum ad memoratum venisse Ludovicum, qui inter alia Legationis suæ mandata Clementissimo Cæsari innotuerunt esse multos in gente sua, qui Christianæ Religionis cultum suscipere deliberarent, Regis quoque sui animum ad hoc satis benevolum, ut ibi Sacerdotes Dei esse permitteret. Tantum ejus munificentiâ mererentur, ut eis prædicatores destinaret idoneos. Quos Religiosissimus audiens Imperator, plurimùm exhilaratus, denuò quærere cœpit, quos in illas partes dirigeret; qui probarent utrùm populus ille ad credendum paratus esset, sicuti Missi illi intimaverant, & cultum Christianæ Religionis illis tradere inciperent. Unde factum est, ut iterum cum memorato Abbate vestro*, id est, cum Wala Corbeiæ veteris Abbate, *Serenissimus Imperator tractare cœperit, si quem fortè de suis Monachis invenire posset, qui pro Christi nomine in illas partes ire vellet, aut certè qui cum Herioldo moraretur, & is qui cum eo erat servus Dei Anscharius illam susciperet Legationem. Qua de re contigit ut Regio jussu abbinc ad Palatium vocaretur. Cuique denuntiatum est, ne se raderet antequàm ad præsentiam Imperatoris veniret. Vir autem Dei ad quid vocaretur omnino pranoscens, cœpit toto cordis fervore in amore Dei exardescere, & omne gaudium existimare, si lucraudis sibi animabus liceret insistere. Si quid quoque in hujusmodi profectione contrarietatis sive adversitatis ei potuisset accidere, proposuit animo patienter pro Christo tolerare, nihilque dubitatis in corde pro tali gerebat opere, quoniam visionis divinæ, quam antè præviderat, consolabatur munere. Siquidem supradicto tempore, cùm apud vos*, in vetere scilicet Corbeia, *maneret, & jam duabus visioni-* CXIX. MONACHI CORBEIENSES IN SUECIAM MITTUNTUR AD ERUDIENDOS SUEONES.

AN. CH. 829. Lodov. Imp. 16. Lothar. Imp. 13. Pippini R. 15. Ludov. R. 13.

bus cælitus inspiratus haberetur, quadam nocte visum est ei, quòd venisset in quandam domum, ubi plures ex ordine prædicatorum ad prædicandi officium præparati adstabant, coram quibus subitò in excessu mentis raptus videbat immensi luminis claritatem super Solis radium de cælo emissam se circumfulsisse; cùmque miraretur quid hoc esset, vox quoque penè similis illi, quam in prima visione se audisse narraverat, facta est ad eum, dicens. Dimissum est peccatum tuum. Cui ille divino, ut credimus, afflatus Spiritu respondit dicens. Domine, quid vis ut faciam? Et iterum vox sonuit dicens. Vade, & annuntia gentibus verbum Dei. Hanc itaque visionem servus Dei pertractans animo, lætus gaudebat in Domino, videns jam ex parte impletum, quod sibi imperatum fuerat, & ad majorem laboris sui cumulum etiam Sueonibus verbum Dei nuntiare cupiens. Cùm itaque ante præsentiam Cæsaris adductus, interrogatus ab eo fuisset, utrùm Legationem istam suscipere vellet, liberâ voce respondit se paratum ad omnia, quæ illi pro Christi nomine suâ auctoritate decrevisset injungere. Tunc Dei providentiâ socium illi ex vestra fraternitate, sive ex Congregatione veteris Corbeiæ, *Venerabilis Abbas* Wala *invenit Nonnum Witmarum, tanto operi satis condignum & voluntarium. Porrò cum Herioldo esse disposuit Patrem devotissimum Gislemarum fide & operibus bonis probatum, atque in zelo Dei ferventissimum. Suscepit itaque Legationem sibi à Cæsare injunctam, ut in partes iret Sueonum, & probaret utrùm populus ille ad credendum paratus esset, sicut Missi supradicti innotuerant. In qua Legatione, quanta quámque gravia perpessus sit mala, meliùs ipse, qui interfuit, prædictus Pater Witmarus intimare poterit. Nobis hoc tantùm narrasse sufficiat, quòd dum in medio ferè essent itinere, in piratas offenderunt. Et cùm negotiatores, qui cum eis ibant, se viriliter defenderint, & primò quidem victoriam ceperint, in secundo tamen ab iisdem piratis devicti ac superati sunt, ita ut naves & omnia quæ habebant eis tulerint, & ipsi vix pedibus ad terram fugientes evaserint. Ibi itaque & munera Regia, quæ illuc deferre debuerant, & omnia quæ habuerant, perdiderunt, excepto parum quid, quod fortè prosilientes è navi secum auferre & asportare poterant. Inter quæ & penè quadraginta libros, quos ad servitium Dei sibi aggregaverant, illis diripientibus, amiserunt. Hoc itaque facto, cùm quidam reverti, quidam in anteà ire disponerent, servus Dei à cœpto itinere nullâ ratione flecti potuit, quin potiùs in Dei ponens arbitrio quid illi contingeret, nequaquam redire disposuit, antequàm nutu Dei dinosceret, utrùm in illis partibus licentia prædicandi fieri posset. Cum gravi itaque difficultate pedibus post hoc per longissimam viam incedentes, & ubi congruebat, interjacentia maria navigio transeuntes, tandem ad portum Regni ipsorum, qui Byrca dicitur, pervenerunt, ubi perbenignè à Rege eorum, qui Bern vocabatur, suscepti sunt, Missis ejus referentibus quæ de causa advenerint.*

CXX. Legati Sueonum, cùm Corbeienses Monachos in Sueciam secum ducerent, Mosæ fluvio se commiserunt, ut secundo flumine deferrentur in Oceanum, sed antequàm Oceanum ingrederentur, in piratas inciderunt. Ideóque mutato consilio non per Oceanum & mare Balticum ut anteà statuerant, sed per Germaniam & Daniam in Sueciam terrestri perrexerunt itinere, navigióque transierunt *interjacentia* tantùm *maria*, seu freta; quorum unum Jutiam & Fioniam, alterum Fioniam & Selandiam, tertium Selandiam & Scaniam interjacet. Ad urbem Regiam, cui nomen Byrca, post multos labores tandem pervenerunt. Locus erat emporio nobilissimus inter Telgas & Sictonam seu Sigdunam oppida etiamnum nota positus. Sigduna seu Sigtuna vel Sictuna sive Sictona inter Vbsolam & Stockholmiam urbem nunc Regiam sita est, & itinere unius diei distat ab Ubsola sive Upsalia. Telgæ in hodierna Sudermannia conspiciuntur ad Australem Meleri lacûs partem mare Balticum versùs. In ea regione fuit Byrca, cujus elogium Helmoldus in Chronico [a] Slavorum sub Henrico Aucupe Cæsare & Unni Archiepiscopo sic edit. *Est Byrca oppidum Gothorum celeberrimum in medio Suediæ positum, quod tractus quidam Baltici maris alluit,*

[a] Lib. 1. c. 8.

alluit, reddens portum optabilem, quo omnes Danorum, Norveorum, itémque Slavorum ac Semborum naves, aliique Scythiæ populi, pro diversis commerciorum necessitatibus solenniter convenire solent.

CXXI. Bern Sueorum Rex *cognitâ Legatione* Corbeiensium Monachorum, *& cum suis de hujusmodi negotio pertractans fidelibus, omnium pari voto atque consensu, dedit licentiam eis ibi manendi, & Evangelium Christi prædicandi, concessâ libertate ut quicumque vellent eorum doctrinam expeterent. Itaque alacri corde servi Dei videntes prosperè ea, quæ optaverant, successisse; populis ibi constitutis verbum salutis adnuntiare cœperunt. Plures quoque erant, qui eorum Legationi favebant. Multi etiam apud eos captivi habebantur Christiani, qui gaudebant jam tandem se mysteriis posse participare, probatúmque est omnia ita veraciter constare, sicuti Missi ipsorum Serenissimo Cæsari innotuerant, & Baptismi gratiam nonnulli devotè expetebant. Inter quos Præfectus vici ipsius & Consiliarius Regis, admodum illi amabilis, Herigarius nomine, sacri Baptismatis donum suscepit, atque in fide Catholica firmissimus exstitit. Ipse namque in hæreditate sua Ecclesiam fabricavit, & in Dei servitio semetipsum religiosissimè exercuit. Hujus viri diversa extant insignia, & ejus invictæ fidei indicia, quæ in sequentibus evidentiùs exponemus. Peracto itaque apud eos altero dimidio anno, præfati servi Dei cum certo suæ Legationis experimento, & cum literis Regiâ manu more ipsorum efformatis ad Serenissimum reversi sunt Augustum.* In hac narratione, quam ex prælaudato Remberto transcripsimus, *altero dimidio anno* posteriorem anni partem sive sex posteriores menses intellige, deinde cum eodem Auctore annum ordire à die Natali Domini. His observationibus consentanea fient, quæ proximo memorabuntur anno de Anscharii reditu in Franciam, déque illius promotione ad Archiepiscopatum Hamburgensem priusquàm Ludovicus Imperator maritima loca lustraturus Aquisgrano discedat.

CXXII. Intereà idem Augustus hoc anno, ut Laureshamensis Annalista testatur, *in diversis occupationibus usque ad Cal. Jul. Aquisgrani moratus, tandem ad generalem Conventum Wormatiæ habendum cum comitatu suo mense Aug. statuit proficisci. Sed priusquàm inde moveret, nuncium accepit Nordmannos velle Trans-Albinam Saxoniæ regionem invadere, atque exercitum, qui hoc facturus esset, nostris finibus appropinquare. Quo nuncio commotus, misit in omnes Franciæ partes, & jussit ut summâ festinatione tota populi sui generalitas in Saxoniam veniret, indicans simul velle se apud Novesium medio circiter Julio transire. Sed ubi vana esse comperit quæ de Nordmannis fama disperserat, sicut priùs dispositum habebat, medio Augusto Wormatiam venit.*

PLACITUM WORMATIENSE.

CXXIII. Idem Auctor testatur habitum ibi generale Placitum cujus etiam alii meminerunt Annalistæ Scriptorésque synchroni. Quid in eo gestum sit, ex variis inquirendum Auctoribus. Imprimis Hincmarus Remensis Archiepiscopus in libro de divortio Lotharii & Terbergæ, cùm respondet ad quintam Interrogationem, quâ quæritur *qualiter, vel pro quibus rebus, secundùm auctoritatem invita conjugia separari valeant, & sine quibus separari non debeant, & si post disjunctionem vir aut fœmina uterque vivens ad aliam debeat copulam aspirare, vel si pari judicio quiscumque eorum in conjugio peccans debeat judicari*, non obscurè docet Canones, quos Synodi, Moguntina, Parisiensis, Lugdunensis, ac Tolosana, nuperrimè condiderant, in Placito Wormatiensi lectos esse, atque ex eis collectum Capitulare, cujus auctoritate sic utitur. *Nostri etiam avi Augustus piæ memoriæ Hludowicus, in Synodo ac Placito generali apud Wormatiam, Apostolicæ Sedis & Papæ Gregorii commeante Legato, cum aliis plurimis, de his, quæ Episcopi in Synodis per quatuor loca sui Imperii habitis necessariò & utiliter nuper invenerant, de hac unde agitur causa, omnium tam Episcoporum quàm & fidelium laicorum votis convenientibus, ita decernens, quicumque, inquit, propriâ uxore derelictâ, vel sine culpa interfectâ, aliam duxerit uxorem, armis depositis publicam agat pœniten-*

CAPITULARE WORMATIENSE.

AN. CH. 829. LUDOV. IMP. 16. LOTHAR. IMP. 13. PIPPINI R. 15. LUDOV. R. 13.

tiam, & , si contumax fuerit, comprehendatur à Comite, & ferro vinciatur, & in custodiam mittatur, donec res ad nostram notitiam deducatur. Hoc Capitulum numero tertium est inter ea quæ pro Lege sunt habenda. Sub quinque enim distinctionibus seu capitibus ordinatum est Capitulare Wormatiense. Prima pars decem Capitula complectitur ad Ecclesiasticas causas pertinentia. Secunda pars quindecim constat Capitulis cùm ad correctionem majorum hominum tum ad publicum honorem spectantibus. Tertia pars octo continet Capitula, quæ pro Lege sunt habenda. Quarta pars in tribus vertitur Capitulis, *quæ ad notitiam plurimorum ad generalia Placita sunt reservata.* Quinta pars septem habet Capitula, quæ penè tota versantur in Missorum instructione. De singulis per ordinem hic agendum.

CXXIV. Primum Capitulum de causis Ecclesiasticis. *De his, qui sine consensu Episcopi Presbyteros in Ecclesiis suis constituunt, vel de Ecclesiis ejiciunt, & ab Episcopo vel à quolibet Misso Dominico admoniti obedire noluerint, ut bannum nostrum rewadiare cogantur, & per fidejussores ad Palatium nostrum venire jubeantur; & tunc nos decernemus, utrum nobis placeat, ut aut illum bannum persolvant, aut aliam harmiscaram sustineant.* In eadem materia de Presbytero sine consensu Episcopi nec in Ecclesia constituendo nec ex ea ejiciendo quatuor hæ Synodi sub Carolo Magno sive anno Redemptoris octingentesimo decimo-tertio [a] versatæ sunt, Arelatensis quarto Canone, Moguntina Canone vicesimo-nono, Cabilonensis quadragesimo-secundo Canone, Turonensis Canone decimo-quinto, necnon & Capitulum secundum Capitularis Aquisgranensis ex iisdem Conciliis excerpti. Sed in illis seu Canonibus seu Capitulis nulla fit harmiscaræ sive armiscaræ mentio. Quapropter quod proximè descriptum est Capitulum, conferri potiùs debet cum libro quinto [b] Capitularium & Additione quarta [c], quibus invenitur simillimum. Est autem harmiscara mulctæ genus, at in quo consistat, non omnes consentiunt. Inflicta videtur ad resarciendum damnum illatum, præter mulctam quæ ob delictum imponitur, ut habet Spelmannus in suo Glossario.

[a] Nu. 8. 105. 177. 219. 261.
[b] Cap. 45. vet. edit. c. 98. novæ edit.
[c] Cap. 73. vet. edit. c. 95. novæ edit.

CXXV. Secundum Capitulum. *De Ecclesiis, quæ inter cohæredes divisæ sunt, consideratum est, quatenus si secundùm providentiam & admonitionem Episcopi, ipsi cohæredes eas voluerint tenere & honorare, faciant. Sin autem hoc contradixerint, ut in Episcopi maneat potestate, utrùm eas ita consistere permittat, aut reliquias exinde auferat. Et ubi ad beneficium nostrum Ecclesiæ pertinentes ita inventa divisa fuerint, ut describantur, & nobis renuntietur.*

CXXVI. Tertium Capitulum. *De Ecclesiis destructis, ut Episcopi & Missi inquisitionem faciant, utrùm per negligentiam aut impossibilitatem destructa sint, & , ubi negligentia inventa fuerit, Episcopali auctoritate emendare cogantur hi qui eas restaurare debuerant. Si verò per impossibilitatem contigit, ut aut plures sint quàm necesse sit, aut majoris magnitudinis, quàm ut ex rebus ad eas pertinentibus restaurari possint, Episcopus modum inveniat, qualiter congruè emendari & consistere possint.*

CXXVII. Quartum Capitulum. *De uno manso ad Ecclesiam dato, de quo aliqui homines contra statuta sibi servitium exigunt, quicumque pro hac causa accusatus fuerit, Comes vel Missi hoc, quod inde substractum est, Presbyteris cum sua lege restitui faciant.*

CXXVIII. Quintum Capitulum. *De his qui nonas & decimas jam per multos annos, aut ex parte, aut ex toto dare neglexerunt, volumus ut per Missos nostros constringantur, ut secundùm Capitularem priorem solvant unius anni nonam & decimam cum sua lege, & insuper bannum nostrum. Et hoc eis denuntietur, quòd quicumque hanc negligentiam iteraverit, beneficium, unde hæc nona & decima persolvi debuit, amissurum se sciat. Ita enim continetur in Capitulare bonæ memoriæ genitoris nostri, in libro* I. *cap.* CLVII. [*Ut qui Ecclesiarum beneficia habent, nonam & decimam ex eis Ecclesiæ, cujus res sunt, donent, & qui tale beneficium habent, ut ad medietatem laborent, & de eorum portione proprio Presbytero deci-*

mas donent.] *Item in Capitulare nostro, libro* II. *cap.* XXI. *de eadem re.* [*De nonis quidem & decimis, unde & genitor noster & nos frequenter in diversis Placitis admonitionem fecimus, & per Capitularia nostra qualiter hæc observentur ordinavimus, volumus atque jubemus ut de omni conlaborato, & de vino, & de fœno, fideliter & pleniter ab omnibus nona & decima persolvatur. De nutrimine verò pro decima, sicut hactenus consuetudo fuit, ab omnibus observetur. Si quis tamen Episcoporum fuerit, qui argentum pro hoc accipere velit, in sua maneat potestate, juxta quod ei & illi qui hoc persolvere debet convenerit.*] In hoc Capitulo citantur alia duo; Carolinum unum, alterum Ludovicianum. De Ludoviciano actum ad annum Redemptoris octingentesimum vicesimum-quintum [a] quo conditum fuit, de Carolino ad annum Redemptoris octingentesimum vicesimum-septimum [b] quo suam Collectionem Ansegisus Abbas edidit. Utitur hac Collectione Ludovicus, cùm Capitula recitat, centesimum quinquagesimum-septimum libri primi & vicesimum-primum libri secundi. Servat eosdem numeros editio Baluziana, veteres de prioris Capituli numero non conveniunt, exhibent enim Capitulum centesimum sexagesimum-tertium libri primi. Unde hæc discrepantia sex Capitulorum oriatur, exposuimus ad annum Redemptoris octingentesimum vicesimum-septimum [c], quo prælaudatam Abbatis Ansegisi Collectionem studiosiùs examinavimus. De priore autem Capitulari, quod Ludovicus in Capitulo proximè descripto laudat, consule infrà, quæ dicentur ad Capitulum nonum.

AN. CH. 829. LUDOV. IMP. 16. LOTHAR. IMP. 13. PIPPINI R. 15. LUDOV. R. 13.

[a] Num. 17.
[b] Num. 20.
[c] Num. 20.

CXXIX. Sextum Capitulum. *Quicumque decimam abstrahit de Ecclesia, ad quam per justitiam dari debet, & eam præsumptiosè, vel propter munera aut amicitiam vel aliam quamlibet occasionem, ad alteram Ecclesiam dederit, à Comite vel à Misso nostro distringatur, & ejusdem decimæ quantitatem cum sua lege restituat.*

CXXX. Septimum Capitulum. *De decimis quas populus dare non vult, nisi quolibet modo ab eo redimantur, ab Episcopis prohibendum est ne fiat. Et, si quis contemptor fuerit inventus, & nec Episcopum nec Comitem audire velit, si noster homo fuerit, ad præsentiam nostram venire compellatur, ceteri verò distringantur, ut inviti Ecclesiæ restituant, quæ voluntariè dare neglexerunt.*

CXXXI. Octavum Capitulum. *Ut de rebus Ecclesiarum, quæ ab eis per triginta annorum spatium sine ulla interpellatione possessæ sunt, testimonia non recipiantur, sed eo modo contineantur, sicut res ad fiscum Dominicum pertinentes contineri solent.*

CXXXII. Nonum Capitulum. *Quicumque de rebus Ecclesiarum, quas in beneficium habent, restaurationes earum facere neglexerint, juxta Capitularem anteriorem, in quo de operibus ac nonis & decimis constitutum est, sic de illis adimpleatur. Id est, in libro* IV, *capite* XXXVIII. In margine Sirmondus reponit *cap.* 40, & in omnibus Capitularium editionibus idem habetur quadragesimum libri quarti Capitulum. Unde profluxerit hæc numerorum in Capitulis differentia, non obscurè jam indicavimus ad annum Redemptoris octingentesimum vicesimum, quo Ludovicus Augustus Leges Salicas multis adauxit Capitulis, libro quarto Capitularium ab Ansegiso pòst insertis. Ipsum Capitulare, quod integrum recitavimus [d] ad illum annum quo promulgatum fuit, Capitulis uno ac viginti constat apud Baluzium, qui septem vetera consuluit exemplaria, Regium, Mazarinum, Colbertinum, Thuanum, Bigotianum, Laudunense, Bignonianum. Primum Capitulum istius Capitularis idem est cum decimo-tertio libri quarti Capitularium, & ultimum idem cum tricesimo-quinto ejusdem libri, quia in Capitulari Capitula decimum-quintum & vicesimum-sextum prædicti libri quarti prætermittuntur. Hæc duo Capitula seriùs inserta sunt Ansegisianæ Collectioni; nam, si rescinduntur, quod in omnibus Capitularium editionibus quadragesimum est Capitulum libri quarti, fit tricesimum-octavum ejusdem libri, redditúrque consentaneum sententiæ Ludo-

[d] Ad an. 820. nn. 33. & seqq.

AN. CH. 829. LUDOV. IMP. 16. LOTHAR. IMP. 13. PIPPINI R. 15. LUDOV. R. 13.

vici Pii, cujus auctoritas ceteris anteponi debet, quia Wormatiense Capitulare, quod examinamus, edidit biennio vix exacto, postquàm Abbas Ansegisus Collectionem suam perfecerat. Porrò Capitulum illud, quod genuino Ansegiso & Ludovico Pio tricesimum-octavum, ceteris quadragesimum est libri quarti Capitularium, à nobis descriptum fuit ad annum Redemptoris octingentesimum vicesimum [a], nec hoc loco repetetur. Ad idem quoque Capitulum Ludovicus Capitulo quinto Wormatiensi suprà respexit, ubi prioris meminit Capitularis; idque certò deprehendes, quotiescumque simul utrumque contuleris.

[a] Num. 50.

CXXXIII. Decimum Capitulum. *De illo, qui agros Dominicatos propterea neglexit excolere, ut nonas & decimas exinde non persolvat, & alienas terras ad excolendum propter hoc accipit, volumus ut de tribus annis ipsam nonam cum sua lege persolvat. Et, si quis contemptor aut Comitis aut Missorum nostrorum propter hoc extiterit, per fidejussores ad Palatium venire compellatur.*

CXXXIV. Prædicta decem Capitula libro quinto Capitularium inserta sunt à Benedicto Levita, si excipias octavum, quod in Additione quarta reperies. Sic autem singula cum Collectione Benedicti juxta veteres editiones libri quinti componuntur. Primum & secundum conveniunt cum Capitulis quadragesimo-tertio & quadragesimo-quarto illius libri, tertium cum centesimo quadragesimo-quarto, quartum cum quadragesimo-quinto, quintum & sextum cum centesimo quadragesimo-quinto, septimum cum quadragesimo-sexto, nonum & decimum cum centesimo quadragesimo-sexto & centesimo quadragesimo-septimo, octavum verò cum postremo Additionis quartæ.

CXXXV. Wormatiensis Capitularis pars altera Capitulis constat quindecim, quæ partim *ad correctionem majorum hominum*, partim *ad publicum honorem* pertinent.

CXXXVI. Capitulum primum. *De beneficiis destructis hoc observetur, quod in Capitulare priori continetur, id est, in libro* IV. *cap.* XXXVI. In margine Sirmondus legit *cap. 38*, & in omnibus Capitularium editionibus idem habetur tricesimum-octavum libri quarti Capitulum. Genuinus Ansegisus, quem Ludovicus sequitur, à vulgatis differt editionibus. Totius discrepantiæ rationem exposuimus paulò superiùs ad nonum Capitulum [b] de causis Ecclesiasticis. Porrò Capitulum illud, quod genuino Ansegiso & Ludovico Pio tricesimum-sextum, ceteris tricesimum octavum est libri quarti Capitularium descripsimus ad annum Redemptoris octingentesimum vicesimum [c] ex Capitulari Salicis Legibus adjecto. Locum illum adi.

[b] Hoc an. n. 125.

[c] Num. 57.

CXXXVII. Capitula, secundum, tertium, & quartum, sunt de Scabinis. Secundum, sic. *Ut Missi nostri ubicumque malos Scabinos inveniunt, ejiciant, & totius populi consensu in loco eorum bonos eligant, &, cùm electi fuerint, jurare faciant, ut scienter injustè judicare non debeant.* Tertium, sic. *Ut in omni Comitatu hi qui meliores & veraciores inveniri possunt, eligantur à Missis nostris ad inquisitiones faciendas, & rei veritatem dicendam, & ut adjutores Comitum sint ad justitias faciendas.* Quartum, sic. *Volumus ut quicumque de Scabinis deprehensus fuerit propter munera aut propter amicitiam injustè judicasse, ut per fidejussores missus ad præsentiam nostram veniat. De cetero omnibus Scabinis denuntietur, ne quis deinceps etiam justum judicium vendere præsumat.* Hæc Capitula constituunt in Additione quarta Capitulum septuagesimum-quintum cum duobus sequentibus.

CXXXVIII. Capitulum quintum. *Ubicumque commutationes tam tempore nostro, quàmque genitoris nostri, legitimæ & rationabiles atque utiles Ecclesiis Dei factæ sunt, permaneant. Ubicumque verò inutiles & incommodæ atque irrationabiles factæ sunt, dissolvantur, & recipiat unusquisque quod dedit. Ubi verò mortua manus interjacet, aut alia qualibet causa, quæ rationabilis esse videatur, inventa fuerit, diligenter describatur, & ad nostram notitiam perferatur.* Huic Capitulo simil-

lima sunt duodequinquagesimum in quinto libro Capitularium, & septuagesimum octavum in Additione quarta. AN. CH. 829.

Capitulum sextum. *Quicumque comprobatus fuerit de eo quòd scienter testes in perjurium induxisset, sub fidejussione ad Palatium nostrum venire compellatur, ut ibi cum fidelibus nostris consideremus quid de tali homine faciendum sit.* Idem est Capitulum septuagesimum-nonum Additionis quartæ. LUDOV. IMP. 16. LOTHAR. IMP. 13.

Capitulum septimum. *De his, qui discordiis & contentionibus studere solent, & in pace vivere nolunt, & inde convicti fuerint, similiter volumus, ut sub fidejussoribus ad nostrum Placitum veniant, ut ibi cum fidelibus nostris consideremus quid de talibus faciendum sit.* PIPPINI R. 15. LUDO. R. 13.

Capitulum octavum. *De bonis denariis, quos populus recipere non vult, volumus ut hoc observetur & teneatur, quod in priori Capitulare nostro constitutum est, id est, in libro IV. cap. XXX.* Quod genuino Ansegiso & Ludovico Augusto tricesimum est quarti libri Capitulum, in vulgatis editionibus tricesimum-secundum recensetur, & à nobis descriptum fuit ad annum Redemptoris octingentesimum vicesimum [a] ex Capitulari Salicis Legibus adjecto. Unde autem nata sit hæc numerorum in Capitulis discrepantia, diximus suprà [b]. CXXXIX. CXL. CXLI.

[a] Num. 51.
[b] Hoc an. n. 115.

Capitulum nonum. *De homicidiis vel aliis injustitiis, quæ à fiscalinis nostris fiunt, quia impunè se ea committere posse existimant, nos Actoribus nostris præcipiendum esse decernimus, ne ultrà impunè fiant; ita ut ubicumque facta fuerint, solvere cum disciplina præcipiemus.* CXLII.

Capitulum decimum. *Collecta ad malefaciendum fieri omnimodis prohibeantur, & ubicumque hujusmodi præsumptiones factæ fuerint, dignâ emendatione corrigantur. Et, si per negligentiam Comitis vel factæ sunt, vel inemendatæ remanserunt, hoc ad nostram notitiam perferatur. Actor verò facti, si fuerit Præpositus, vel Advocatus, sive Centenarius, vel quâlibet aliâ dignitate prædita libera persona, post legalem emendationem in loco factam sub fidejussoribus ad nostram præsentiam veniat. Multitudo verò, sive de servis, sive de liberis sit, legitimâ emendatione multetur.* Hoc Capitulum & quinque subsequentia reperies in Additione quarta [c]. CXLIII.

[c] Capp. 81. & seqq.

Capitulum undecimum. *De pontibus publicis destructis placuit nobis, ut hi qui jussionem nostram in reparandis pontibus contempserunt, volumus ac jubemus, ut omnes homines nostri in nostram veniant præsentiam rationes reddere cur nostram jussionem ausi sunt contemnere. Comites autem reddant rationem de eorum pagensibus, cur eos aut non constrinxerint, ut hoc facerent, aut nobis nuntiare neglexerint. Similiter & de injustis teloneis, ubicumque accipiuntur, sciant se exinde nobis rationem reddituros.* CXLIV.

Capitulum duodecimum. *Ut examen aquæ frigidæ, quod hactenus faciebant, à Missis nostris omnibus interdicatur, ne ulteriùs fiat.* Inter Capitula in Conciliis ab Episcopis hoc anno tractanda, quod quinto loco propositum anno priori fuit, observavimus [d] inscriptum *de judicio aquæ frigidæ.* Quapropter in dubium minimè vocamus, quin Episcopi vel in aliquo, vel in pluribus ex illis Conciliis, congregati consuetudinem hujuscemodi judicii censuerint abolendam, atque inde factum arbitramur, ut Ludovicus Augustus in Capitulari Wormatiensi Capitulum proximè recitatum promulgarit. CXLV.

[d] An. 828. n. 25.

Franciscus Pithoeus in Glossario ad libros Capitularium, ex Ordine Beati Dunstani Dorobernensis Archiepiscopi, Formulas edidit precum, quibus veteres in aquæ frigidæ judicio solebant uti. Fridericus Lindenbrogius in Glossario ad Codicem Legum antiquarum multa scripsit de eodem aquæ frigidæ judicio. Franciscus Juretus in observationibus ad septuagesimam-quartam Ivonis epistolam plurima transcripsit ex Codice San-Benigniano, quæ Pithœano Glossario sunt valdè similia. Ludovicus Cellotius in Appendice [e] ad Historiam Gottescalci multa quoque publica- CXLVI.

[e] Opusc. 6.

L iij

AN. CH. 829. LUDOV. IMP. 16. LOTHAR. IMP. 13. PIPPINI R. 15. LUDOV. R. 13.

vit ex Schedis Sirmondanis. Henricus Spelmannus in Glossario ad vocem *Ordalium* idem præstitit ex textu Roffensi. Joannes Mabillonius pleraque veteribus etiam Analectis [a] inseruit ex Remigianis membranis seculo nono exaratis. Novissimè Stephanus Baluzius Tomo secundo Capitularium antiquas Exorcismorum & Excommunicationum Formulas simul collegit atque in viginti distinxit Titulos, quorum secundus inscribitur *judicium aquæ frigidæ*, & tertius ex Ordine Beati Dunstani Dorobernensis Archiepiscopi sive ex Pithœano Glossario desumptus est. Ex illis Auctoribus accipe, quæ de judicio aquæ frigidæ duximus hîc observanda.

In describendo ritu Probationis per aquam frigidam, ut Ordo Dunstani & textus Roffensis inter se conveniunt, ita Codex Benignianus & membranæ Remigianæ persimiles sunt. Utraque formula legitur apud Baluzium, hæc inscribitur *judicium aquæ frigidæ*, illa verò *exorcismus aquæ ad judicium Dei demonstrandum*. Ut scias, quid intersit discriminis, utramque subjicimus cum tertia ex Apographo Sirmondi.

[a] Tom. 1. CXLVII.

RITUS PROBATIONIS per aquam frigidam ex Ordine S. Dunstani & textu Roffensi.

PEractis coram Sacerdote trium dierum jejuniis, cùm homines vis mittere ad judicium aquæ frigidæ ob comprobationem, ita facere debes.

Accipe illos homines, quos vis mittere in aquam, & duc eos in Ecclesiam, & coram omnibus illis cantet Presbyter Missam, & faciat eos ad ipsam Missam offerre. Cùm autem ad communionem venerint, antequàm communicent, interroget eos Sacerdos cum adjuratione, & dicat.

Adjuro vos, ill. & ill. per Patrem & Filium & Spiritum Sanctum, & per vestram Christianitatem quam suscepistis, & per unigenitum Dei Filium, & per Sanctam Trinitatem, & per Sanctum Evangelium, & per istas Sanctas Reliquias quæ in ista Ecclesia sunt, & per illud Baptismum, quo vos Sacerdos regeneravit, ut non

RITUS PROBATIONIS per aquam frigidam ex Codice Benigniano & membranis Remigianis.

CUm [1] homines vis mittere ad judicium aquæ frigidæ ob comprobationem, ita facere debes.

Accipe illos homines, quos vis mittere in [2] aquam, & deduc eos in Ecclesiam, & coram omnibus illis cantet Presbyter Missam, & faciat [3] eos ad ipsam Missam offerre. Cùm autem ad communionem venerint, antequàm communicent, interroget eos Sacerdos cum adjuratione [4], & dicat.

Adjuro vos, homines, per Patrem & Filium & Spiritum Sanctum, & per vestram Christianitatem quam suscepistis, & per unigenitum Dei Filium, & per Sanctam Trinitatem, & per Sanctum Evangelium, & per istas Sanctas Reliquias quæ in ista Ecclesia sunt, ut non præsumatis ullo modo communicare neque accedere ad

RITUS PROBATIONIS per aquam frigidam ex Schedis Jacobi Sirmondi.

CUm volueris hominem mittere ad examen aquæ frigidæ.

Apprehende illos, quos vis examinare, & duc eos ad Ecclesiam, quibus cantat Presbyter Missam, faciésque eos ad ipsam offerre. Cùm autem ad communionem venerint, antequàm communicent, interroget eos Sacerdos conjurando, ita.

Adjuro vos, homines, per Patrem & Filium & Spiritum Sanctum, per Sanctam Trinitatem, & per vestram Christianitatem quam suscepistis, & per Sanctum Evangelium, & per istas Reliquias quæ in ista Ecclesia sunt, ut non præsumatis ullo modo communicare, neque ad istud Altare accedere, si hoc fecistis quod vobis imponitur,

[1] Mabillon: *Cùm homines vis mittere ad probationem, ita facere debes*

[2] Mabillon. *in aqua, duc eos in Ecclesia*

[3] *Jubetur fac*

[4] Mabillon. *cum conjuratione ita dicens*

AN. CH. 829.

non[5] *præsumatis ullo modo communicare neque accedere ad Altare, si hoc fecistis, aut consensistis; aut scitis quis hoc egerit. Si autem tacuerint, & nulli hoc dixerint, accedat Sacerdos ad Altare & communicet. Posteà verò communicet illos quos vult in aquam mittere. Cùm autem communicaverint, dicat Sacerdos ante Altare per singulos. Corpus hoc & Sanguis Domini nostri Jesu Christi sit sibi ad probationem hodie.*

ad Altare, si hoc fecistis aut consensistis, aut scitis quis hoc egerit. Si autem omnes tacuerint; & nullus hoc[6] *dixerit, accedat Sacerdos ad Altare, &*[7] *communicet. Posteà verò communices illos quos vult in aquam mittere. Cùm autem communicant, dicat Sacerdos per singulos ante Altare: Corpus hoc & Sanguis Domini nostri Jesu Christi sit sibi ad probationem hodie*[8].

tur, aut consensistis. Si autem omnes tacuerint, & nullus hoc negaverit, accedat ad Altare & communicet eos, quos volueris in aqua probare. Cùm autem hi communicaverint, dicat Sacerdos per singulos. Hoc Corpus & Sanguis Domini nostri Jesu Christi sit tibi hodie ad probationem.

Expletâ Missâ, faciat ipse Sacerdos aquam benedictam, & pergat ad locum ubi homines probentur. Cùm autem veneris ad ipsum locum, det illos omnibus bibere de aqua. Cùm autem dederit, dicat ad unumquemque hominem. Hac aqua fiat tibi ad probationem. Posteà verò conjures aquam ubi culpabiles mittat.

Expletâ Missâ faciat Sacerdos[10] *aquam benedictam, &*[11] *deferat eam ad locum examinis. Cùm autem veneris ad ipsum locum, Letaniam faciens, omnibus pro eadem causa Dominum deprecantibus, det examinandis bibere de aqua illa benedicta. Cùm autem dederit unicuique, dicat. Hac aqua Domini fiat tibi hodie ad probationem per Dominum nostrum Jesum Christum, qui est verus Judex & justus. Deinde conjuret aquam ubi mittendi sunt.*

Et expleta Missa faciat[9] *ipse Sacerdos aquam benedictam, & accipiens eam pergat ad locum illum, ubi Judicium facere debet, désque omnibus illis bibere aquam benedictam. Cùm autem dederit, dicat ad unumquemquo. Hæc aqua fiat tibi hodie ad probationem. Posteà verò adjurat aquam in hunc modum, in qua illos probare voluerit.* Quæ sequitur apud Cellotium adjuratio aquæ, describetur infrà.

Post has autem conjurationes aquæ, exuantur homines, qui mittendi sunt in aquam, propriis vestimentis, & osculentur singuli[14] *Evangelium & Crucem Christi, & aqua benedicta super omnes adspergatur, & qui adsunt*[16] *omnes jejunent, & sic projiciantur singuli in aquam. Et si submersi fuerint, inculpabiles reputentur. Si supernataverint, rei esse judicentur.*

Post conjurationem autem[12] *aquæ exuas illos vestimentis suis*[13], *& faciat illos per singulos osculari Sanctum Evangelium & Crucem Christi. Et post hæc*[15] *de ipsa aqua benedicta aspergat super unumquemque hominem, & projiciat*[17] *eos statim in aqua. Hæc*[18] *autem omnia facere debet*[19] *jejunus, neque illi anteà*[20] *comedant, qui ipsos mittunt*[21] *in aquas.*

Finitâ autem hujusmodi adjuratione aquæ, exuat illos vestibus suis, & faciat eos osculari Evangelium & Crucem Christi: posteà de aqua benedicta aspergat secundùm morem, quid super unumquemque eorum, & conversus ad hominem illum, qui exire debet ad Judicium, dicat. Sequitur apud Cellotium hominis adjuratio seu conjuratio, cum hac totius Formulæ clausula. *His dictis, ex more colligatus, in Nomine Domini deponatur in aquam, qui deponendus est.*

[5] Spelmann. *ne*
[6] Juret. *hoc confessus fuerit*
[7] Mabillon. *& communicet eos. Posteà verò dicat ad illos quos communicat. Corpus*
[8] Juret addit; *ad laudem & gloriam nominis sui, & ad Ecclesiæ suæ utilitatem.*
[9] E it. *fiat.*
[10] Mabillon. deest *Sacerdos*
[11] Mabillon. *& accipiat Sacerdos ipsam aquam, ibique ad illum locum, ubi homines probabuntur. Cùm autem veneris ad ipsum locum, det illis bibere de aqua benedicta dicens ad unumquemque. Hæc aqua fiat tibi ad probationem. Posteà verò conjuret aquam ubi illos mittit.*
[12] Mabillon. deest *autem*
[13] Mabillon. *eorum*
[14] Spelmann. deest *singuli*
[15] Mabillon. *posteà*
[16] Spelmann. *assint*
[17] Mabillon. *projiciat singulos*
[18] Mabillon. *hæc omnia*
[19] Mabillon. *debet*
[20] Mabillon. *antè manducent*
[21] Juret. *mittant.*

AN. CH. 829. CXLVIII.

Mabillonius Missam in Probationis articulo celebrari solitam esse, eámque in veteri Codice Uticensi exhiberi testatus est, nec tamen publicavit; ediderunt verò, Pithœus ex Ordine Beati Dunstani Dorobernensis Archiepiscopi, Spelmannus ex textu Roffensi, Baluzius ex Glossario Pithœano, quos simul conferre poteris.

INCIPIT MISSA JUDICII

ANTIPHONA sive introitus. *Justus es, Domine, & rectum judicium tuum; fac cum servo tuo secundùm misericordiam tuam.*

Psalmus. *Beati immaculati in via.*

Oratio. *Absolve quæsumus, Domine, tuorum delicta famulorum, ut à peccatorum suorum nexibus, quæ pro sua fragilitate contraxerunt, tuâ benignitate liberentur, & in hoc judicio, prout meruerunt [22], tuâ justitiâ præveniente, ad veritatis censuram pervenire mereantur. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum.*

[22] Spelmann. meruerint

Lectio libri [a] Levitici. *In diebus illis locutus est Dominus ad Moysen dicens. Ego sum Dominus Deus vester. Non faciatis furtum, non mentiamini, nec decipiat unusquisque proximum suum. Non perjures in nomine meo, nec polluas nomen Dei tui. Ego Dominus. Non facias calumniam proximo tuo, nec vi opprimas eum. Non moretur opus mercenarii tui apud te usque mane. Non maledicas [23] surdo, nec coram cæco ponas offendiculum. Sed timebis Dominum Deum tuum, quia ego sum Dominus, dicit Dominus Omnipotens.*

[a] Cap. 19.

[23] Spelmann. maledices

Item alia Lectio epistolæ [b] Beati Pauli Apostoli ad Ephesios. *Fratres, renovamini spiritu [24] mentis vestræ, & induite novum hominem, qui secundùm Deum creatus est in justitia & sanctitate veritatis. Propter quod deponentes mendacium, loquimini veritatem unusquisque cum proximo suo, quoniam sumus invicem membra. Irascimini, & nolite peccare. Sol non [25] occidat super iracundiam vestram. Nolite locum dare diabolo. Qui furabatur, jam non [25] furetur. Magis autem laboret operando manibus suis quod bonum est, ut habeat unde tribuat necessitatem patienti.*

[b] Cap. 4.

[24] Spelmann. spiritum

[25], [25]. Spelmann. no

Graduale. *Propitius esto, Domine, peccatis nostris, ne quando dicant gentes, ubi est Deus eorum? Versus. Adjuva nos Deus salutaris noster, & propter honorem Nominis tui, Domine, libera nos. Alleluia. Deus Judex justus, fortis, & patiens, numquid irascetur per singulos dies?*

Sequitur Sanctum Evangelium secundùm Marcum [c]. *In illo tempore cùm egressus esset Jesus in via, procurrens [26] quidam genu flexo ante eum rogabat eum dicens. Magister bone, quid faciam ut vitam æternam percipiam? Jesus autem dixit ei. Quid [27] me dicis bonum? Nemo bonus nisi solus Deus. Præcepta nosti? Ille dixit. Quæ? Non occidas, non [28] adulteres, non fureris, non falsum testimonium dicas, non fraudem feceris. Honora patrem tuum & matrem tuam. At ille respondens ait. Magister hæc omnia custodivi à juventute mea. Jesus autem intuitus eum dilexit eum, & dixit ei. Unum tibi deest. Vade, quæcumque habes vende, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cœlo, & veni, sequere me.*

[c] Cap. 10.

[26] Spelmann. percurrens

[27] Spelmann. quia

[28] Spelmann. non adultereris

Offertorium. *Immittet Angelum Dominus in circuitu timentium eum, & eripiet eos. Gustate & videte quoniam [29] suavis est Dominus.*

[29] Spelmann. quàm

Hìc offerant.

Secreta. *Intercessio Sanctorum tuorum misericordia tua, Domine, munera nostra conciliet, ut quam merita nostra non valent, eorum deprecatio indulgentiam valeat obtinere. Per Dominum.*

Præfatio. *Æterne [30] Deus, qui non solùm peccata dimittis, sed ipsos etiam justificas peccatores, & reis non tantùm pœnas relaxas, sed dona largiris & præmia, cujus nos pietatem supplices exoramus, ut famulos tuos illos non de præteritis judices reatibus, sed hujus culpa veritatem spectantibus insinues [31] quatinus & in*

[30] Spelmann. O æterne

[31] Spelmann. insinuas

& in hoc populus tuus præconia Nominis tui efferat, & te vita præsentis & perpetua auctorem agnoscat. Per Christum Dominum nostrum. AN CH. 829.

Benedictiones ad Judicium. *Deus, de quo scriptum est, quia justus es, & rectum judicium tuum, fac cum his servis tuis secundùm misericordiam tuam, ut non de pristinis judicentur reatibus, sed in hoc, prout meruerunt, tuâ benedictione præveniente, veritatis subsequatur judicium. Amen.* LUDOV. IMP. 16. LOTHAR. IMP. 13.

Et qui justus es & amator justitiæ, & à cujus vultu videtur æquitas, fac in conspectu populi tui, ut nullis malorum præstigiis veritatis tuæ fuscentur examina. Amen. PIPPINI R. 15.

Petitiones nostras placatus intende, & culparum omnium præteritarum eis veniam clementer attribue. Et, si culpabiles sunt, tua larga benedictio non eis ad suffragium, sed hujus culpa ad insinuandam veritatem proficiat. Amen. Quod ipse præstare digneur, cujus regnum &c. LUDOV. R. 13.

Hic communicent post Sacerdotem; & dicat Sacerdos. *Corpus hoc & Sanguis Domini nostri Jesu Christi sit vobis ad probationem hodie.*

Communio, sive Antiphona post communionem: *Justus Dominus & justitiam dilexit, æquitatem vidit vultus ejus.*

Postcommunio. *Perceptis, Domine Deus, sacris muneribus, suppliciter deprecamur, ut hujus participatio Sacramenti & à propriis nos reatibus indesinenter expediat, & in famulis tuis veritatis sententiam declaret. Per Dominum nostrum.*

Hominis conjuratio, cujus mentio nec in Ordine Dunstani nec in textu fit Roffensi, legitur apud Juretum ex Codice Benigniano, necnon ex altero, qui nonnihil à priore differt, magisque convenit cum Membranis Remigianis quas Mabillonius consuluit, legitur & apud Cellotium ex Schedis Sirmondanis. Ideóque quadruplicem istius conjurationis formulam subjicimus. CXLIX.

HOMINIS CONJURATIO

EX CODICE BENIGNIANO APUD IURETUM.

ADjuro te, homo, & contestor per Patrem & Filium & Spiritum Sanctum, & per Sanctam & Individuam Trinitatem, & per omnes Angelos & Archangelos, & per omnes Principatus & Potestates, Dominationes quoque & Virtutes, & per Dei Sedilia Cherubin & Seraphin, & per diem tremendum Judicii Dei, necnon & XXIV Seniores qui cotidie laudant Deum,

EX CODICE V. C. PET. APUD IURETUM.

ADjuro te, homo ille, per evocationem Domini nostri Jesu Christi, & per Judicium aquæ frigidæ; adjuro te per Patrem & Filium & Spiritum Sanctum, & per Jesum Christum, & per omnes Angelos & Archangelos, & per omnes Sanctos Dei, & per diem tremendum Judicii, necnon & viginti-quatuor Seniores qui cotidie laudant Deum, & per quatuor Evange-

EX MEMBRANIS REMIGIANIS AP. MABILLONIUM.

ADjuro te homo, N. per invocationem Domini nostri Jesu Christi, & per Judicium aquæ frigidæ; adjuro te per Patrem & Filium & Spiritum Sanctum, & per Trinitatem inseparabilem, & per Dominum nostrum Jesum Christum, & per omnes Angelos & Archangelos; & per diem tremendi Judicii, & per quatuor Evangelistas, Matthæum, Marcum,

EX SCHEDIS SIRMONDANIS APUD CELLOTIUM.

ADjuro te, homo, in præsenti Judicio aquâ frigida, per invocationem Domini nostri Jesu Christi; adjuro te per Patrem & Filium & Spiritum Sanctum, Trinitatem inseparabilem; per Mariam matrem Domini nostri Jesu Christi, & per Angelos, & per Archangelos, Virtutes, & Potestates, Principatus, Dominationes, Thronos, Cherubim, & Seraphim, & per omnia

AN. CH. 829.
LUDOV. IMP. 16.
LOTHAR. IMP. 13.
PIPPINI R. 15.
LUDOV. R. 13.

Deum, & per quatuor Evangelistas, & per Sanctos quoque Apostolos, Martyres, & Confessores, necnon & per Sanctam Genitricem Dei Mariam, omnésque Virgines, & per cunctum populum Sanctum Dei, vel per Sanctum Baptismum in quo renatus es, si tu hoc malum fecisti ex quo culparis, vel assensum prabuisti, aut bajulasti, aut in domum tuam recepisti, aut inde conscius aut consentaneus extitisti, coram omnibus dicito. Quòd si Diabolo suadente celare disposueris, & culpabilis exinde es, evanescat cor tuum incrassatum & induratum, & non suscipiat te aqua incredulum & seductum, ut dicat populus, quia Deus noster Judex est, cujus potestas in secula seculorum. Amen.

vangelistas, Matthaum, Marcum, Lucam, & Joannem, & per duodecim Apostolos, & per duodecim Prophetas, & per omnes Sanctos Dei, & per Martyres, & Confessores, atque Virgines, per Principatus & Potestates, per Thronos & Dominationes & Virtutes, Cherubin & Seraphin, & per omnia secreta calestia, te adjuro, & per tres pueros qui Deum cotidie laudant; Sydrac, Mysac, & Abdenago, & per CXLIIII *millia qui pro Christi nomine passi sunt, & per Mariam matrem Domini nostri Jesu Christi, & per illud Baptismum quod Sacerdos** *super te regeneravit, te adjuro, ut si tu de hac re scisti, aut vidisti, aut bajulasti, aut in domum tuam recepisti, aut consentiens aut consentaneus inde fuisti, aut si habes cor incrassatum & cor induratum, aut si culpabilis exinde es, evanescat cor tuum, & non suscipiat te aqua, neque ullum maleficium contra hoc pravaleat. Propterea obnixè te deprecamur, Domine, fac signum tale, ut si culpabilis est hic homo, nullatenus recipiatur ab aqua. Hoc autem, Domine Jesu Christe, fac ad laudem*

* Phrasis corrupta.

cum, Lucam, & Johannem, & per duodecim Apostolos, & per duodecim Prophetas, & per omnes Sanctos Dei, & per Principatus & Potestates, per Dominationes & Virtutes, & per Thronos, Cherubin atque Seraphin, & per tres pueros, Sidrac, Misach, & Abdenago, & per centum quadraginta-quatuor millia, qui pro Christi Nomine passi sunt, & per illum Baptismum quo Sacerdos te regeneravit, ut si de hoc furto scisti, aut viaisti, aut bajulasti, aut in domum tuam recepisti, aut consentiens aut consentaneus exinde fuisti, aut si habes cor incrassatum vel induratum, evanescat cor tuum, & non suscipiat te aqua, neque ullum maleficium contra hoc pravaleat, sed manifestetur. Propterea obnixè te deprecamur, Domine Jesu Christe, fac signum tale, ut si culpabilis est hic homo, nullatenus recipiatur ab aqua. Hoc autem, Domine Jesu Christe, fac ad laudem & gloriam per invocationem Nominis tui, ut omnes cognoscant, quia tu es Dominus noster, qui cum Patre & Spiritu Sancto vivis & regnas in secula seculorum. Amen.

omnia calestia agmina, & per diem tremendi Judicii, & per viginti-quatuor Seniores, & per quatuor Evangelistas, Matthaum & Marcum, Lucam & Joannem, & per XII *Apostolos, &* XII *Prophetas, per Martyres, per Confessores, & Virgines, & per tres pueros, qui cum ceteris ante Deum assistunt, Sidrac, Misach, Abdenago; & per* CXLIV *millia, qui empti sunt de terra, & sequuntur Agnum quocunque ierit, & per omnem populum Dei Sanctum, & per Baptismum quo in Christo per Sacerdotem regeneratus es, te adjuro, ut si hoc furtum fecisti, aut facere alterum vidisti, aut bajulasti, aut in domum tuam recepisti, aut in aliquo consentaneus fuisti, aut si habes cor incrassatum & induratum, & culpabilis es, non te prasens suscipiat aqua, neque aliquo maleficio tuo res possit occultari, quam credimus Deì omnipotentiá manifestari. Propterea te deprecor, Domine Jesu Christe, ostende nobis Majestatis tua signum tale, ut si culpabilis in hoc facto homo iste est, nullatenus ab hac aqua recipiatur. Et hoc facias ad laudem & gloriam*

laudem & gloriam & invocationem Nomini tui, ut omnes cognoscant, quia tu es Deus noster benedictus, qui vivis &c.

gloriam & invocationem Nominis tui, ut cognoscant omnes, quia tu es Dominus noster Jesus Christus, qui cum Patre & Spiritu Sancto vivis & regnas in secula seculorum. Amen.

CL.

In Ordine Beati Dunstani & in Textu Roffensi exhibetur adjuratio aquæ cum tribus Formulis, quarum secundam reperit quoque Juretus in duobus quibus usus est Codicibus; quartam addemus ex Appendice ad Historiam Gotteschalci. Ut autem singulis suus sit titulus suáque differentia, primam ex Ordine prælaudato recitabimus, alteram ex Codice Benigniano, tertiam ex Textu Roffensi, quartam ex Schedis Sirmondanis.

ADJURATIO AQUÆ

EX ORDINE S. DUNSTANI.

Deus, qui per aquarum substantiam judicia tua exercens, diluvii inundatione millia populorum interemisti, & Noe justum cum suis salvandum censuisti: Deus, qui in mari rubro cuneos Ægyptiorum involvisti, & agmina Israelitica [4] imperterrita abire jussisti, virtutem tua benedictionis his aquis infundere, & novum ac mirabile signum in eis ostendere digneris, ut innocentes à crimine furti, vel homicidii, vel adulterii, aut alterius navi, cujus examinationem agimus, more aquæ in se recipiant, & in profundum pertrahant; conscios autem hujus

EX CODICE BENIGNIANO.

Adjuro te, creatura [1] aqua, in Nomine Domini Dei Patris Omnipotentis, qui te in principio creavit, & jussit ministrare humanis necessitatibus, qui etiam jussit segregari [3] te ab aquis superioribus. Adjuro te etiam per ineffabile nomen Jesu Christi ✠ Filii Dei Vivi [5], sub cujus pedibus mare & elementum divisum se calcabile præbuit, qui etiam baptizari se in aquarum elemento voluit. Adjuro etiam te per Spiritum Sanctum, qui super Dominum baptizatum descendit. Adjuro te per nomen Sancta & Individua Divinitatis, cujus voluntate

EX TEXTU ROFFENSI.

Adjuro te, creatura aqua per Deum [2] Patrem & Filium & Spiritum Sanctum, & per tremendum diem Judicii, & per duodecim Apostolos, & per septuaginta-duos discipulos, & per duodecim Prophetas, & per viginti-quatuor Seniores, qui assiduè Dominum laudant, & per centum quadraginta-quatuor millia qua sequuntur Agnum, & per omnia agmina Sanctorum Angelorum, Archangelorum, Thronorum, Dominationum, Principatuum, Potestatum, Virtutum, Cherubin, atque Seraphin; & per omnia millia Sanctorum Martyrum, Confessorum,

EX SCHEDIS SIRMONDANIS.

Adjuro te, aqua, in Nomine Dei Patris Omnipotentis, qui te in principio creavit, & jussit adesse humanis necessitatibus, qui etiam te jussit segregari ab aquis superioribus. Adjuro te etiam per ineffabile nomen Jesu Christi, Filii Dei Omnipotentis, sub cujus pedibus mare se calcabile præbuit. Adjuro te etiam per Spiritum Sanctum, qui super baptizatum in te Dominum descendit. Adjuro te per Nomen Sanctum Individua Trinitatis, cujus voluntate aquarum elementum discissum est, & populus Israel siccis pedibus per illud transivit, ad cujus etiam invo-

[1] Juret. aqua

[2] Spelmann. Dominum

[3] Spelmann. separari

[4] Spelmann. Israelitarum

[5] Juret. addit Omnipotentis

AN. CH. 829.

jus criminis à se repellant atque rejiciant, nec patiantur recipere corpus, quod ab onere bonitatis evacuatum ventus iniquitatis allevavit, & inane [7] constituit, sed quod caret [8] pondere virtutis, careat pondere propriæ substantiæ in aquis. Per Christum [10] Dominum nostrum.

te aquarum elementum divisum est [6], & populus Israel siccis pedibus statim transivit; ad cujus etiam invocationem Helisæus ferrum, quod de manubrio exierat, super aquam natare fecit, ut nullomodo suscipias hos [9] homines, si in aliquo sunt culpabiles de hoc quod illis objicitur, scilicet aut per opera, aut per consensum, vel per conscientiam, seu per ullum ingenium, sed fac eos super te natare, & nulla possis esse contra te causa facta, aut ullum præstigium inimici, quod illud possit occultare. Adjurata autem per Nomen Christi præcipimus tibi ut nobis per Nomen ejus obedias, cui omnis creatura servit, quem Cherubin & Seraphin collaudant, dicentes, Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus exercituum, qui etiam regnat & dominatur per infinita secula seculorum. Amen.

fessorum, & Virginum. Adjuro te per Sanguinem Domini nostri Jesu Christi, & per quatuor Evangelia, & per quatuor Evangelistas, necnon & per septuaginta-duos libros veteris ac novi Testamenti, & per omnes Scriptores Sanctos ac Doctores eorum. Adjuro te per Sanctam Ecclesiam Catholicam, & per communionem Sanctorum, & per resurrectionem eorum, ut fias aqua exorcizata, adjurata, & obfirmata adversùs inimicum hominis diabolum, & adversùs hominem, qui ab eo seductus furtum hoc vel homicidium vel adulterium, unde ratio agitur, perpetravit [11], ut nullatenus eum in te submergi [12] aut in profundum trahi permittas, sed à te repellas atque rejicias. Nec patiaris recipere corpus, quod ab onere bonitatis inane est factum, sed quod caret pondere virtutis, careat pondere propria substantia in te. Innocentes verò à prædicto crimine more aqua in te recipias, & in profundum innocuos pertrahas. Per Dominum nostrum.

*invocationem Helisæus ferrum securis, quod de manubrio exierat, * super aquam natare fecit, ut nullomodo suscipias hominem ill. si in aliquo est inde culpabilis, quod illi objicitur, videlicet opere, consensu; scientiâ, aut ullo ingenio, sed fac eum natare super te, & nulla possit hic prævalere phantasia, aut præstigiatio, quin quod quæritur, eo, quem occulta cordis non fallunt, revelante, modò manifestetur. Adjuro te per Christi Nomen, præcipioque tibi fidens in sola virtute Dei, ut nobis per Nomen ejus obedias, cui omnis creatura servit, quem Cherubim & Seraphim incessabili voce conlaudant, Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus Sabaoth, pleni sunt cæli & terra gloriâ tuâ, osanna in excelsis, qui regnas & dominaris per infinita seculâ seculorum. Amen.*

[6] Spelmann. deest *est*
[7] Spelmann. corruptè *in hanc*
[8] Spelmann. *careat*
[9] Juret. *hunc hominem*
[10] Spelmann. deest *Christum*
[11] Spelmann. *perpetraverit*
[12] Spelmann. *submersum*

CLI. In Membranis Remigianis, quas Joannes Mabillonius allegat, hæc habetur Oratio ad aquam benedictam. *Suppliciter te, Domine Jesu Christe, deprecamur, tale præsentialiter facere dignare signum, ut si iste quod ei objicitur est in aliquo culpabilis, non suscipias eum hac aqua, sed evanescat ipse, & nullatenus*

modò recipiat. Hoc autem, Domine Jesu Christe, fac ad laudem & gloriam per invocationem Nominis tui, ut omnes cognoscant, quia tu es Deus verus, & præter te non est alius, qui vivis & regnas cum Deo Patre in unitate Spiritûs Sancti per infinita secula seculorum. Amen. AN.CH. 829. LUDOV. IMP. 16. LOTHAR. IMP. 13. PIPPINI R. 15. LUDOV. R. 13.

Ex collatione tot Formularum rectè colligit Juretus *nullam certam illius rei Formulam olim præscriptam fuisse, sed Præsules singularum Ecclesiarum pro libitu composuisse.*

Probationem, quæ fit per aquam frigidam, sic idem Auctor commendat ex Codice Benigniano. *Hoc judicium autem petente Domino Ludovico Imperatore constituit beatus Eugenius, præcipiens, ut omnes Episcopi, Comites, Abbates, omnisque populus Christianus, qui infra ejus Imperium est, hoc judicio * defendat innocentes, & examineent * nocentes, ne * perjuri super Reliquias Sanctorum perdant suas animas in malum consentientes.* Ex altero Codice, sic. *Hoc judicium creavit Omnipotens Deus, quia verum est, & beatus Papa Eugenius & Dominus Hludovicus Imperator constituerunt, ut istud faciant omnes homines, Episcopi, Abbates, Comites, in omnem regionem, & probatum est apud nos, & certum & verum est utique. In hoc autem inventum est, ut non liceat homines perjurare in sancta sanctorum. Amen.* Ad hunc Codicem propiùs accedunt apud Mabillonium Membranæ Remigianæ, sic. *Hoc autem judicium creavit Omnipotens Deus, & verum est, & per Dominum Eugenium Apostolicum inventum est, ut omnes Episcopi, Abbates, Comites, seu omnes Christiani per universum Orbem observare studeant, quia à multis probatum est, & verum inventum est. Ideo enim ab illis inventum est & institutum, ut nulli liceat super Sanctum Altare manum ponere, neque super Reliquias vel Sanctorum corpora jurare.* Idem Mabillonius in Adnotatione, quam ritui istius Probationis subjecit, citavit & veterem Collectionem Canonum in Monasterio Sancti Mariani apud Autissiodorum adservatam, in qua formula judicii per aquam frigidam refertur cum hoc titulo. *Hoc judicium atque examinationem misit Domnus Apostolicus in Franciam, ut non violarentur sacra Altaria Sanctorum, sed per hanc adjurationem & judicium aquæ frigidæ possit patescere veritas.* Examini aquæ frigidæ Cellotius hunc ex apographo Sirmondi præposuit Prologum. *Quando Romani propter invidiam tulerunt Domino Leoni Papæ oculos & linguam, propter Thesaurum Sancti Petri, tunc venit ad Imperatorem Karolum, ut eum adjuvaret de suis inimicis. Tunc Imperator reduxit cum Romam, & restituit eum in locum suum, & Thesaurum supradictum non potuit invenire aliter, nisi per istud Judicium. Quod Judicium fecerunt Beatus Eugenius, & Leo, & Imperator, ut Episcopi, & Abbates, & Comites firmiter teneant & credant, quia probatum habuerunt illi sancti viri, qui illud invenerunt.* Hæ commendationes meris innituntur fabulis, quas operæpretium videtur hic refutare, ut Sanctissimorum Pontificum Leonis Tertii & Eugenii Secundi, Piissimorúmque Imperatorum Caroli Magni & Ludovici Pii memoria vindicetur à calumnia. Tomo sexto, ad annos Christi septingentesimum nonagesimum-nonum [a] & octingentesimum [b], copiosè descripsimus tumultum Romanorum contra Leonem Papam, iter hujus Pontificis ad Carolum Francorum Regem, felicem in Italiam atque in Urbem reditum objectorúmque criminum purgationem jurejurando factam. Cùm autem in eadem Leonis Historia nullum reperissemus verbum, quod vel ad Thesaurum Sancti Petri vel ad Judicium aquæ frigidæ pertineret, tunc nec locuti sumus de prædicto Thesauro, nec Leonem constituimus authorem examinis per aquam frigidam faciendi. Carolum quoque, qui Leonem ad se venientem suscepit atque honorificentissimè Romam reducendum curavit, non Imperatorem Romanorum, sed, ut ordo temporum postulabat, Regem Francorum & Longobardorum ac Patricium Romanorum appellavimus. Crassior adhuc est error in apographo Sirmondano, cùm *Beatus Eugenius* in ipsa narratione Leoni præponitur. Ex aliis enim textibus, quos suprà recitavimus

CLII. CLIII. * * * Vide edit. Baluz.

[a] Nu. 11 & seqq.
[b] Num. 16.

AN. CH. 829. LUDOV. IMP. 16. LOTHAR. IMP. 13. PIPPINI R. 15. LUDOV. R. 15.

apertè constat Eugenium intelligi Ludovico Pio synchronum. Codicem Benignianum sic allegavit Juretus. *Hoc judicium petente Domino Ludovico Imperatore constituit Beatus Eugenius.* Alterum quoque, sic. *Beatus Papa Eugenius & Dominus Hludovicus Imperator constituerunt ut istud* Judicium *faciant omnes homines.* Hic igitur Eugenius fuit Secundus, qui Pontificatum iniit anno Redemptoris octingentesimo vicesimo-quarto, vitámque clausit anno Redemptoris octingentesimo vicesimo-septimo, ut Annalista Laureshamensis ad illos annos testatur. At ut Leonem Tertium sic & Eugenium Secundum negamus institutorem fuisse Judicii, de quo nobis hic sermo. Multæ res assertionem nostram confirmant. Anno post Eugenii mortem proximo actum de quatuor Conciliis in Gallia celebrandis, & inter Capitula quæ visa sunt *ab Episcopis in eisdem Conciliis tractanda*, quintum est *de Judicio aquæ frigidæ.* Quatuor illa Concilia, Moguntiaci, Parisiis, Lugduni, & Tolosæ habita sunt hoc anno, Redemptoris octingentesimo vicesimo-nono. Solius Concilii Parisiensis supersunt integri Canones, in quibus nihil omnino de Judicio aquæ seu frigidæ seu calidæ reperitur. In his tamen aut in horum quopiam disputatum de probatione per aquam frigidam, in altera enim parte Wormatiensis Capitularis, quod ex eorumdem Conciliorum Canonibus concinnatum fuit, examen aquæ frigidæ penitus interdicitur. *Examen aquæ frigidæ*, inquit Ludovicus Imperator, *quod hactenus faciebant, à Missis nostris omnibus interdicatur, ne ulteriùs fiat.* Quis sibi persuadeat Ludovicum abrogasse, quod tanto studio nuper à Romano Pontifice petiisset? Deinde Judicium illud improbarunt pleræque Synodi, quibus insigni prorsus venerationi Decreta Summorum Pontificum fuerunt. Quin & ipsimet Pontifices suis scriptis vulgares hujuscemodi probationes prohibuerunt. Alexander Secundus, qui Pontificales Infulas undecimo seculo gessit, Rainaldo Cumano Episcopo de purgatione Presbyteri, qui sine accusatoribus de morte Episcopi sui fuerat infamatus, ita scripsit. *Super causas Guillandi Presbyteri tui, de morte Episcopi sui prædecessoris tui infamati, in medium consuluimus. Itaque circùm omnium astantium fratrum unanimi assensu tuæ Dilectioni rescribimus, præfatum Guillandum Presbyterum ante te præsentandum, ubi si certi accusatores defuerint, tunc dictante justitiâ, sine omni controversia, Presbyter quæcumque ob hoc injustè amisit ac Sacerdotium accipiat, & integra beneficia, purgationem tamen anteà duobus sibi Sacerdotibus junctis, ubi accusator cessaverit, eumdem ex se præbere tuo committimus arbitrio. Vulgarem denique ac nullâ canonicâ sanctione fultam legem, ferventis scilicet sive frigidæ aquæ, ignitique ferri contactum, aut cujuslibet popularis inventionis, quia fabricante hæc sunt omnino ficta invidiâ, nec ipsum exhibere, nec aliquomodo te volumus postulare, imò Apostolicâ authoritate prohibemus firmissimè.* Lege Decretum Ivonis, parte decimâ de homicidiis, capite decimo-quinto. Ex prædictis constat nec Eugenium Secundum Papam, nec quempiam ex ejus aut antecessoribus aut successoribus authorem fuisse Judicialis examinis per aquam frigidam. Cùm Ludovicus Augustus hoc examen interdixit, Ecclesiæ Lugdunensi præerat Agobardus, qui priusquàm Francia domesticis tumultibus agitaretur, eidem Ludovico quietè ac pacificè Regnum administranti libros à se scriptos transmisit, unum *contra Legem Gundobadi* seu contra vulgarem probationem per duellum, alterum *contra Judicium Dei*, seu librum *de divinis sententiis cum brevissimis adnotationibus, contra damnabilem opinionem putantium Divini Judicii veritatem igne, vel aquis, vel conflictu armorum patefieri.* Hoc anno, in Concilio Lugdunensi, cui præsidebat Agobardus, existimamus damnatas esse probationes, quæ non habebantur Canonicæ, atque inde datam occasionem, ut & Imperator examen interdiceret aquæ frigidæ, & Agobardus prædictos libros adversùs illud Judicium aliáque similia componeret. Eugenius Secundus Papa Judicium aquæ frigidæ dicitur constituere, *ne perjuri super Reliquias Sanctorum*

AN. CH. 829. LUDOV. IMP. 16. LOTHAR. IMP. 13. PIPPINI R. 15. LUDOV. R. 13.

perdant suas animas in malum consentientes. Hane rationem, licèt in multis Capitularibus laudatam, quis approbet? *Ubi ante Judicium, Christi corporis communicatum est à reo sceleris, & conscio, nonne is,* ut rectè Cellotius [a] observat, *implicitè saltem, sacramento se obligavit, & fidem fallendo sacrilegium fecit?* Denique in apographo Sirmondi commendatur examen Judicii per aquam frigidam, *quia probatum habuerunt illi sancti viri qui illud invenerunt.* At certiùs pronuntiabis hoc Judicium ex veteri Gentilium superstitione natum esse, ut de Judicio per vomeres ignitos probato dictum Tomo sexto [b]. Vulgares hæ probationes exhibitæ per multas fuerunt ætates. Ludovici Pii Decreto, de quo loquimur, prohibitum quidem est examen aquæ frigidæ, sed non sublatum, varia enim cùm illius tum similium Judiciorum exempla sequentibus adhuc seculis occurrent. Popularium autem probationum usus tam assiduus scrupulum injicit, utrùm in Capitulari, quod Tomo superiore ad annum Redemptoris octingentesimum nonum [c] descripsimus, Capitulum in quo statuit Carolus, *ut omnes Judicio Dei credant absque dubitatione*, de Canonicis tantùm probationibus, ut quidam interpretantur, an de popularibus etiam probationibus debeat intelligi. De utrisque commodiùs alio loco disseremus, ostendemúsque non defuisse magni nominis Episcopos, qui quas populares appellamus probationes, Canonicas etiam dixerint. Impræsentiarum hæ sufficiant observationes. Cetera Capitula Wormatiensis Capitularis jam prosequamur.

[a] Opusc. 6. sect. 4.

[b] Ad ann. 781. n. 30.

[c] Nu. 42. & seqq.

Capitulum decimum-tertium secundæ partis. *Postquàm Comes & pagen-* CLIV.
ses de qualibet expeditione hostili reversi fuerint, ex eo die super XL *noctes sit bannus recisus, quod linguâ Theodisca Scaftlegi, id est, armorum depositio, vocatur.* Spelmannus in suo Glossario *scaft* litem, jurgium, contentionem, & *Scaftlegi* contentionis depositionem interpretatur, *leggen* enim Germanis est deponere, ut scribit Lindenbrogius ad vocabulum *Scatlegi.*

Capitulum decimum-quartum. *Hoc Missi nostri notum faciant Comitibus,* CLV.
quòd nos in omni hebdomada unum diem ad causas audiendas & judicandas sedere volumus. Comites autem & Missi nostri magnum studium habeant, ne fortè propter eorum negligentiam pauperes crucientur, & nos tædium propter eorum clamores patiamur, si nostram gratiam habere velint. Populo autem dicatur, ut caveat de aliis causis se ad nos reclamare, nisi de quibus aut Missi nostri, aut Comites eis justitias facere noluerint.

Capitulum decimum-quintum. *Quicumque Vicarii vel alii Ministri Comi-* CLVI.
tum, tributum, quod Inferenda vocatur, majoris pretii à populo exigere præsumpsit, quàm à Missis bonæ memoriæ Genitoris nostri constitutum fuit, hoc est, duos solidos pro una vacca, hoc quod injustè superposuit atque abstulit, sibique retinuit, his quibus hoc tulit cum sua lege restituat, & insuper fredum nostrum componat, & ministerium amittat.

Tertia pars Capitularis Wormatiensis octo constat Capitulis, *quæ pro* CLVII.
Lege habenda sunt.

Primum est de homicidiis commissis in Ecclesiis vel in earum atriis. *De* CLVIII.
homicidiis in Ecclesiis vel in atriis earum commissis hoc observetur & teneatur quod in Capitulare priori constitutum est, id est, in libro IV. *cap.* XIII. Hoc Capitulum in libro quarto Capitularium inscribitur *de honore Ecclesiarum*, primum est inter ea *quæ constituit Domnus Ludovicus Imperator Salicis Legibus addenda*, & à nobis descriptum est ad annum Redemptoris octingentesimum vicesimum [d], quo conditum fuit. Mentionem de Judicio aquæ ferventis ita facit. *Si proprius servus hoc commiserit, judicio aquæ ferventis examinetur, utrùm hoc sponte an se defendendo fecisset; &, si manus ejus exusta fuerit, interficiatur.* Ut autem ritum Probationis per aquam frigidam exposuimus suprà, sic & hoc loco de Judicio aquæ ferventis disserendum nobis videtur.

[d] Num. 34.

AN. CH. Inter formulas veteres Exorcismorum & Excommunicationum, quas
829. Stephanus Baluzius simul collectas Tomo secundo Capitularium inseruit,
LUDOV. primum Capitulum est de Probatione per aquam calidam, cujus ritus sic
IMP. 16. exponitur.
LOTHAR. *Cùm homines vis mittere ad comprobationem judicii aquæ calidæ, primùm fac*
IMP. 13. *eas intrare cum omni humilitate in Ecclesiâ; & prostratis in oratione, dicat Sa-*
PIPPINI *cerdos has Orationes.* Prima Oratio. *Auxiliare, Domine, quærentibus miseri-*
R. 15. *cordiam tuam, & da veniam confitentibus. Parce supplicibus, ut qui nostris me-*
LUDOV. *ritis flagellamur, tuâ miseratione sublevemur. Per.* Secunda Oratio. *Quæsumus,*
R. 13. *Omnipotens Deus, afflicti populi lacrymas respice, & iram tuæ indignationis aver-*
CLIX. *te, ut qui reatum nostræ infirmitatis agnoscimus, tuâ consolatione liberemur. Per.*
CLX. Tertia Oratio. *Deus, qui conspicis omni nos virtute destitui, interiùs exteriùs-*
que custodi, ut & ab omnibus adversitatibus muniamur in corpore, & à pravis
cogitationibus mundemur in mente. Per.

CLXI. *His Orationibus completis, surgat pariter, & coram hominibus illis cantet Presbyter Missam, & faciat eos ad ipsam Missam afferre. Cùm autem ad Communionem venerint, antequàm communicent, interroget eos Sacerdos cum adjuratione, & dicat.* [*Adjuro vos, homines, per Patrem & Filium & Spiritum Sanctum, & per vestram Christianitatem quam suscepistis, & per unigenitum Dei Filium quem Redemptorem creditis, & per Sanctam Trinitatem, & per Sanctum Evangelium, & per Reliquias quæ in ista Sancta Ecclesia sunt recondita, ut non præsumatis ullo modo ad istam sanctam Communionem accedere, nec sumenda communicare, si hoc vel illud fecistis, aut consensistis, aut aliquam veritatem inde scitis, seu qui hoc egis nostis.*] *Si autem tacuerint, & nullam inde professionem dixerint, accedat Sacerdos ad Altare, & communicet more solito, postèa verò communicet illos. Cùm autem communicant ante Altare, dicat Sacerdos.* [*Corpus hoc & Sanguis Domini nostri Jesu Christi sit vobis ad comprobationem hodie.*]

CLXII. *Expletâ Missâ descendat ad locum destinatum, ubi ipsum examen peragatur. Deferat secum librum Evangeliorum & Crucem, & cantet modicam Letaniam; & cùm compleverit ipsam Letaniam, exorcizet & benedicat aquam ipsam, antequàm fervescat, ita dicendo.* [*Exorcizo te, creatura aquæ, in Nomine Dei Patris Omnipotentis, & in Nomine Jesu Christi Filii ejus Domini nostri, ut fias aqua exorcizata ad effugandam omnem potestatem inimici & omne phantasma diaboli, ut si hic homo, qui manum suam in te missurus est, innocens extiterit de hac culpa unde reputatur, pietas Dei Omnipotentis liberet eum, & si, quod absit, culpabilis est, & præsumptuosè in se manum mittere ausus fuerit, ejusdem Omnipotentis virtus super eum hæc declarare dignetur, ut omnis homo timeat & contremiscat nomen sanctum gloriæ Domini nostri, qui vivit & regnat Deus per omnia secula.*] Sequitur Oratio. *Domine Jesu Christe, qui es Judex justus, & patiens, & multùm misericors, per quem facta sunt omnia, Deus deorum & Dominus dominantium, qui propter nos homines & propter nostram salutem de sinu Patris descendisti, & ex Virgine Maria carnem assumere dignatus es, & per passionem tuam mundum in Cruce redemisti & ad inferos descendisti, & diabolum in tenebris exterioribus colligasti, & omnes justos qui ibidem detinebantur magnâ potentiâ tuâ exinde liberasti, tu, Domine, quæsumus, mittere digneris Spiritum tuum Sanctum ex summa cæli arce super hanc creaturam aquæ, quæ ab igne fervescere atque calescere videtur, ut rectum judicium per eam super hunc hominem nomine illo comprobet ac manifestet. Te, Domine Deus, supplices deprecamur, qui in Cana Galilææ signo admirabili tuâ virtute ex aqua vinum fecisti, & tres pueros Sidrac Misac & Abdenago de camino ignis ardentis illæsos eduxisti, & Susannam de falso crimine liberasti, cæco nato oculos aperuisti, Lazarum quatriduanum à monumento suscitasti, & Petro mergenti manum porrexisti, ne respicias peccata nostra in hac oratione, sed tuum verum & sanctum judicium coram hominibus in hoc manifestare digneris, ut si hic homo pro hac reputationis causa; furto videlicet, vel homicidio, aut adulterio, vel luxuria, aut pro qualibet causa culpæ, modo ad*

præsens

AN. CH. 829. LUDOV. IMP. 16. LOTHAR. IMP. 13. PIPPINI R. 15. LUDOV. R. 13.

præsens manum suam in hanc aquam igne ferventem miserit, & culpabilis ex hac causa non est, hoc ei præstare digneris, ut nulla læsio vel macula in eadem manu appareat, per quam sine culpa calumniam incurrat. Iterum te, Deus Omnipotens, nos indigni & peccatores famuli tui suppliciter exoramus, ut sanctum, verum, & rectum judicium tuum nobis in hoc etiam manifestare digneris, quatenus hic homo ex hac reputationis causa, si per aliquod maleficium, diabolo instigante, aut cupiditate vel superbiâ incitante, culpabilis est in facto vel in consensu, & hoc comprobationis judicium subvertere vel violare volens, malo confisus ingenio, manum suam in hanc aquam præsumptuosè mittere ausus fuerit, tua pietas taliter hoc declarare dignetur, ut in ejus manu dinosci queat quod injustè egit, ut & ipse deinceps per veram confessionem pœnitentiam agens ad emendationem perveniat, & judicium tuum sanctum & verum in omnibus gentibus declaretur per te, Redemptor mundi, qui venturus es judicare vivos & mortuos & seculum per ignem. Amen. Item alius Exorcismus. Te autem, creatura aqua, adjuro per Deum vivum, per Deum Sanctum, qui te in principio separavit ab arida; adjuro te per Deum vivum, qui te de fonte paradisi manavit, & in quatuor fluminibus exire jussit, & totam terram rigare præcepit; adjuro te per eum qui te in Cana Galilææ suâ potentiâ convertit in vinum, qui super te suis sanctis pedibus ambulavit, qui tibi nomen imposuit Siloha; adjuro te per Deum qui in te Nahaman Syrum suâ leprâ mundavit dicens, aqua sancta, aqua benedicta, aqua quæ lavas sordes & mundas peccata; adjuro te per Deum vivum, ut te mundam exhibeas, nec in te aliqua phantasmata retineas, sed efficiaris fons exorcizatus ad effugandum & evacuandum & comprobandum omne mendacium & investigandam & comprobandam omnem veritatem, ut iste, qui in te manum miserit, si veritatem, & justitiam habuerit, nullam læsionem in te accipiat, &, si mendacium habet, appareat manus ejus igne combusta, ut cognoscant omnes homines virtutem Domini nostri Jesu Christi, qui venturus est cum Spiritu Sancto judicare vivos & mortuos & seculum per ignem. Amen.

CLXIII. Post hoc exuat eos vestimentis suis, & induat eos vestimentis mundis de Ecclesia, id est, indumento de Exorcista aut de Diacono, & faciat eos osculari Evangelium & Crucem Christi, & aspergat super eos de aqua ipsa, & ipsis qui intraturi sunt ad Dei examen, det illis omnibus bibere de ipsa aqua benedicta. Cùm autem dederit unicuique, dicat: Hanc aquam dedi vobis ad probationem hodie. Deinde imponantur ligna super caldaria, & dicat Sacerdos has Orationes, quando ipsa aqua calescere cœperit. Oratio. In Nomine Sanctæ Trinitatis. Deus Judex justus, fortis, & patiens, qui es auctor & creator clemens & misericors, & judicas æquitatem, tu judica qui jussisti rectum judicium facere, & respicis super terram, & facis eam tremere. Tu, Deus Omnipotens, qui per adventum unigeniti filii tui Domini nostri Jesu Christi mundum redemisti, qui per ejus passionem genus humanum subvenisti & salvasti, tu hanc aquam ferventem sanctifica. Qui tres pueros, id est, Sidrach, Misach, & Abdenago, sub Rege Nabuchodonosor in camino ignis accensâ fornace salvasti, & inlæsos per Angelum tuum eduxisti tu, Clementissime Dominator, præsta, ut si quis innocens ab hujuscemodi culpa seu causa sive reputatione homicidii, adulterii, latrocinii fuerit, & in hanc aquam manum miserit, salvam & inlæsam inde educas. Qui tres pueros supradictos & Susannam de falso crimine liberasti, ita, Domine Omnipotens, si culpabilis fuerit, & incrassante diabolo cor obduratum manum in hujus tui elementi ferventis creaturam miserit, tua veritas hoc declaret, ut in corpore manifestetur, & anima per pœnitentiam salvetur. Et, si ex hoc scelere culpabilis fuerit, & per aliquod maleficium, aut per herbas, aut per diabolicas incantationes, hanc peccati sui culpam occultare voluerit, vel tuam justitiam contaminare vel violare se posse crediderit, magnifica tua dextera hoc malum evacuet, & omnem rei veritatem demonstret. Per te, Clementissime Pater, qui vivis & regnas in Trinitate perfecta. Per omnia. Altera Oratio. Deus, qui beatam Susannam de falso crimine liberasti; Deus qui beatam Theclam de spectaculis liberasti; Deus, qui Sanctum Danielem de

AN. CH. 829. LUDOV. IMP. 16. LOTHAR. IMP. 13. PIPPINI R. 15. LUDOV. R. 13.

lacu leonum liberasti, & tres pueros de camino ignis ardentis eripuisti, tu libera innocentes, & consigna factores. Per Dominum nostrum.

Et qui manum mittit in aquam ad ipsum examen, dicat Orationem Dominicam, & signet se signaculo Crucis, & festinè deponatur ipsa aqua fervens desuper juxta ignem, & Judex perpendat ipsum lapidem illigatum ad mensuram ill. infra ipsam aquam more solito; & sic inde extrahat eum in Nomine Domini ipse qui intrat ad examen judicii. Posteà cum magna diligentia sic fiat involuta manus sub sigillo Judicis signata usque in die tertio, quo visa sit viris idoneis, sive, ut textus habet Roffensis, *manus sigilletur, sub sigillo servetur, & post tres noctes aperiatur, &, si mundus est, Deo gratuletur, si autem insanies crudescens*
CLXIV. *in vestigio ferventis aquæ inveniatur, culpabilis reputetur.* Quod attinet ad
lapidem, quem reus ex aqua ferventi debet extrahere, de illo sic idem Roffensis textus. *In aqua fervente accipiat homo lapidem, qui per funem suspendatur in simpla probatione per mensuram palmæ, in tripla autem unius ulnæ.* Consentaneus est & ordo Sancti Dunstani Dorobernensis seu Cantuariensis Archiepiscopi.

CLXV. Quamvis hæc ad declarandum ritum Probationis per aquam ferventem faciendæ sufficiant, haud omittendæ nobis hoc loco videntur aliæ precum Formulæ, quæ sicut de judicio aquæ frigidæ suprà diximus, ostendunt nullam olim certam fuisse Formulam, quâ Probatio per aquam calidam fieret. In præcitato Sancti Dunstani Ordine, dictis Letaniis Sacerdos in loco examinis adjurationem aquæ tribus his conficit Orationibus. *Deus, qui per ignem signa magna ostendens, Abraham puerum tuum de incendio Chaldæorum quibusdam pereuntibus eruisti; Deus, qui rubum ardere ante conspectum Moysi & minimè comburi permisisti; Deus, qui ab incendio fornacis Chaldaicis plerisque succensis tres pueros tuos illæsos eduxisti; Deus, qui incendio ignis populum Sodomæ & Gomorrhæ involvens, Loth famulum tuum cum suis saluti donasti; Deus, qui in adventu Sancti Spiritûs inlustratione ignis fideles tuos ab infidelibus discrevisti, ostende nobis in hoc parvitatis nostræ examine virtutem ejusdem Sancti Spiritûs, & per hujus ignis fervorem discernere fideles & infideles, ut à tactu ejus, furti vel homicidii vel adulterii, cujus inquisitio agitur, conscii exhorrescant, & manus eorum comburantur aliquatenus, immunes verò ab ejusmodi crimine liberentur penitus, & inlæsi permaneant. Per Dominum nostrum.* Item. *Deus Judex justus, fortis, auctor & amator pacis, patiens & multum misericors, qui judicas quod justum est, & rectum judicium tuum, qui respicis super terram & facis eam tremere; tu, Deus Omnipotens, qui per adventum filii tui Domini nostri Jesu Christi mundum salvasti, & per ejus passionem genus humanum redemisti, hanc aquam ferventem sanctifica. Qui tres pueros, Sidrac, Misac, & Abdenago, jussu Regis Babylonis in camino ignis accensâ fornace salvasti, & inlæsos per Angelum Sanctum tuum eduxisti, tu, Clementissime Pater, Dominator Omnipotens, præsta, ut, si quis innocens de furto hoc vel homicidio aut adulterio seu maleficio in hanc aquam ferventem miserit manum suam, salva te præstante Domino nostro permaneat. Et sicut tres pueros supradictos de camino ignis ardentis liberasti, & Susannam de falso crimine eripuisti, sic manum innocentis, Omnipotens Deus, ab omni læsionis insanie salvare dignare. Et, si quis culpabilis vel noxius, & tumido corde induratóque pectore, vel superbâ mente, reus de hoc furto vel homicidio aut adulterio seu maleficio manum miserit in hanc aquam ferventem, tu, Deus Omnipotens, justissimâ pietate & rectissimo judicio illud declarare & manifestare digneris, ut anima ejus per pœnitentiam salvetur. Et, si ille nocens vel culpabilis sit, & per aliquod maleficium vel per herbas aut per causas diabolicas induraverit, & peccatum quod fecit confiteri noluerit, tua dextera, quæsumus Domine, hoc declarare dignetur. Per Dominum.* Secunda hæc Oratio cùm in sensu tum in verbis non multùm differt ab ea quam primo loco suprà descripsimus ex primo Capitulo Collectionis Baluzianæ de veteribus Exorcismorum & Excommunicationum Formulis. Tertia Oratio

talis est. *Deus innocentia restitutor & amator, qui auctor pacis es, & judicas aequitatem, te subnixis rogamus precibus, ut hanc aquam ordinatam ad justitiam & examinationem cujuslibet dubietatis benedicere & sanctificare digneris, ita ut si innocens de hoc furto vel homicidio vel adulterio vel maleficio, unde purgatio quaerenda est, in hanc aquam fervidam & tuâ benedictione sanctificatam manus immiserit, cuâ benignissimâ misericordiâ inlaesus appareat. Si autem culpabilis atque reus contempserit, & quasi tentator judicium cuum adierit, aut per herbas vel quacumque tentamenta sive molimina maleficiosa peccata sua contueri & defendere inflatus per afflatorem malitia contra veritatis tua examen voluerit, justissime & misericordissime Domine Deus, ad hoc virtus tua, qua omnia superat, in eo cum veritate, qua permaneat in seculum seculi, declaretur, quatinus justitia tua non dominetur iniquitas, sed veritati subdatur falsitas, & ut ceteri hoc videntes ab incredulitate sua te miserante liberentur. Qui vivis.* Quae Franciscus Juretus ex Codice Benigniano retulit de Benedictione vel Exorcismo aquae calidae, praetermittenda ducimus hoc loco, quia numero centesimo sexagesimo-secundo descripta sunt suprà. De ceteris Capitulis, quae pertinent ad tertiam partem Capitularis Wormatiensis, nunc agendum.

AN. CH. 829. LUDOV. IMP. 16. LOTHAR. IMP. 13. PIPPINI R. 15. LUDOV. R. 13.

Secundum est de eo, qui propter cupiditatem rerum quemcumque propinquorum suorum interfecerit. *Quicumque propter cupiditatem rerum, patrem, aut matrem, aut fratrem, aut sororem, vel nepotem, vel alium propinquum suum interfecerit, hereditas interfecti ad alios suos legitimos heredes perveniat, interfectoris verò hereditas in fiscum redigatur. Ipse verò, ordinante Episcopo, publicae poenitentiae subdatur.* Hoc Capitulum est octogesimum septimum Additionis quartae ad Capitularia in veteri editione, centesimum decimum-septimum in Baluziana. Exemplum verò publicae poenitentiae, quam fratricidae Jonas Aurelianensis Episcopus his circiter temporibus imposuit, habes apud Altfridum inter Miracula Sancti Liudgeri Mimigardevordensis quondam Episcopi. *Instigante maligno contigit, ut quidam juvenis, nomine Adam, Hauricum fratrem suum per rixam interficeret, & pro hac causa, judicante Jonâ Episcopo, flagellatus atque in carcerem trusus est, in quo etiam anno uno jacuit. Deinde circumdatis brachiis fortiter ferro & corpore medio, indicto fortissimo jejunio, discalceatus & sine lineo indumento in exilium missus est. Quarta verò exilii sui anno, ante sepulchrum Sanctae Gertrudis ferrum de sinistro brachio ejus cecidit. Deinde post anni circulum in Roma, in ipsa crypta Sancti Petri, ferrum, quo praecinctus erat, nihilo minùs cecidit. Cùm autem iterum Romam peteret, contigit, ut infirmitate validâ illic deprimeretur. Cùmque in ipsa agritudine vita ejus desperata fuisset, quidam in specie Sacerdotali per visionem apparuit ei dicens. Surge, vade, atque sepulchrum Sancti Liudgeri quondam Episcopi Saxonum Fresonùmque require, & illic Domino miserante pro meritis suis sanitatem recipies. Quâ visione expletâ, confestim de infirmitate, quâ deprimebatur, absolutus est. Adhuc tamen ferrum brachium ejus dextrum, ut pridem fortiter strinxit, & ita consumptâ carne nervisque, ipsum etiam os eodem ferro tam validè praecinctum est, ut omnes ejusdem dextera digiti, prater pollicem & indicem, rigidi ac debiles remanerent. Erat enim memoratus miser juvenis, & ideo ad augmentum doloris sui, carnes ejus & ossa in tempore vinculorum suorum creverunt. Cùmque mane somnium retulisset, ibidem statim multi, qui eundem Sanctum Liudgerum in corpore viderant, & sancta ejus studia benè noverant, Romae inventi sunt, qui cum viam illuc eundi atque locum venerandi sepulchri ipsi juveni intimassent, peracto longo itinere ad memoratum sepulchrum Sancti Liudgeri pervenit. Stante autem illo, nocte Dominicâ, prope idem sacrum sepulchrum, eo tempore quo Monachi illic Matutinas Laudes Domino celebrabant, ferrum, quod dextrum brachium cinxerat, repentè dissiliens, longiùs Domini virtute projectum est.* CLXVI.

Tertium Capitulum est de eo, qui propriam derelinquit uxorem, vel innocentem interficit, & aliam ducit. Habetur in libro quinto Capitula- CLXVII.

AN. CH. 829. LODOV. IMP. 16. LOTHAR. IMP. 13. PIPPINI R. 15. LUDOV. R. 13.

xium, éstque centesimum undequinquagesimum veteris editionis, novæ trecentesimum. Omittitur hîc à nobis, quia jam descriptum Tomo sexto [a], conditum enim primò fuit à Carolo Magno Legique additum Longobardicæ [b].

CLXVIII. Quartum Capitulum est de eo, qui res alienas cuilibet homini vendiderit. *Quicumque res alienas cuilibet homini vendiderit, & ipse homo easdem res alicui alteri dederit sive vendiderit, & ipse, qui tunc easdem res comparatas habet, per malum ingenium proprio filio aut alteri cuilibet necdum legitimos annos habenti justitia tollenda causâ tradiderit, volumus atque firmiter præcipimus, ut si pater ejusdem parvuli vixerit, ipse intret in causam rationem reddendi pro filio suo. Si autem ipse pater mortuus est, tunc legitimus ejus propinquus, qui justè ei tutor ac defensor esse videtur, pro ipso rationem reddere compellatur. Similiter de aliis omnibus justitiis ad eum pertinentibus, exceptâ suâ legitimâ hereditate, quæ ei per successionem parentum suorum legitimè venire debuit. Quòd si quis hanc nostram jussionem contempserit vel neglexerit, sicut de ceteris contemptoribus, ità & de eo agatur. Is verò, qui easdem res primus invasit, & injustè vendidit, necnon & emptores, exceptâ solâ personâ parvuli, hoc, quod fraudulenter admiserunt, infra patriam emendare cogantur; & posteà sicut contemptores jussionis nostræ sub fidejussoribus ad nostram præsentiam venire compellantur.* Hoc Capitulum in Additione [c] quarta reperitur.

CLXIX. Quintum Capitulum est de Placitis observandis à liberis hominibus. Duobus nititur Capitulis; uno, quod libro tertio [d] Capitularium recensetur, & à nobis inter Carolina Tomo sexto [e] descriptum fuit; altero, quod in quarto Capitularium libro quinquagesimum-quintum est apud Ansegisum, in vulgatis autem editionibus quinquagesimum-septimum, & à nobis cum multis aliis ad Legationem Missorum pertinentibus recitatum est anno Redemptotis octingentesimo vicesimo [f], quo conditum fuit à Ludovico Pio. Si lubet, utrumque consule, neutrum hic repetemus.

CLXX. Sextum Capitulum est de liberis hominibus, qui proprium non habent, sed in terra Dominica resident, ad testimonium non recipiendis. *De liberis hominibus, qui proprium non habent, sed in terra Dominica resident, ut propter res alterius ad testimonium non recipiantur. Conjuratores tamen aliorum hominum ideo esse possunt, quia liberi sunt. Illi verò, qui proprium habent, & tamen in terra Dominica resident, propter hoc non abjiciantur, quia in terra Dominica resident, sed propter hoc ad testimonium recipiantur, quia proprium habent.* Hoc Capitulum habetur in libro quinto Capitularium, éstque centesimum quinquagesimum veteris editionis, novæ trecentesimum primum.

CLXXI. Septimum Capitulum præcipit inquiri cùm de iis, qui in exercitalem ire possunt expeditionem, tum de illis, qui fidelitatem Ludovico Augusto nondum promiserunt. *Volumus atque jubemus*, inquit idem Ludovicus, *ut Missi nostri diligenter inquirant, quanti liberi homines in singulis Comitatibus maneant. Hinc verò eâ diligentiâ & hac ratio examinetur per singulas centenas, ut veraciter sciant illos atque describant, qui in exercitalem ire possunt expeditionem, ac deinde videlicet secundus ordo de his qui per se ire non possunt, ut duo tertio adjutorium præparent. Et qui necdum fidelitatem nobis promiserunt, cum sacramento nobis fidelitatem promittere faciatis.*

CLXXII. Octavum Capitulum est de faidis coercendis. *Hoc de faidis coercendis observetur & teneatur, quod in Capitulare nostro in libro IV cap. XXV continetur.* Quod in quarto libro Capitularium apud Ansegisum *de faidis coercendis* inscribitur Capitulum vicesimum-quintum, in vulgatis editionibus est vicesimum-septimum. Hic autem à nobis omittitur, descriptum enim jam fuit anno Redemptotis octingentesimo vicesimo [g], quia pars est Capitularis, quod Ludovicus Salicis Legibus tunc adjecit.

[a] An. 781. n. 68.
[b] Lib. 2. tit. 13. art. 5.
[c] Cap. 88. vet. edit. cap. 119. novæ edit.
[d] Cap. 40.
[e] An. 803. n. 33.
[f] Num. 92.
[g] Num. 46.

Quarta pars Capitularis Wormatiensis tria complectitur Capitula, *quæ ad plurimorum notitiam ad generalia Placita* dicuntur *reservata*. Primum est *de Sacerdotibus à laicis vinctis & flagellatis*. Alterum *de homine, qui ad servitium quasitus & ereptus est ab uno harede; iterum ceteri haredes eum interpellare & adquirere conantur*. Tertium *de Comitibus & Vicariis eorum, qui in aliquibus locis tantùm accipiunt de conjectu populi ad minorem Legationem, quantùm ad majorem.* AN. CH. 829. LUDOV. IMP. 16. LOTHAR. IMP. 13. PIPPINI R. 15. LUDOV. R. 13.

Postrema pars Capitularis Wormatiensis septem constat Capitulis, quæ spectant potissimùm ad instructionem Missorum.

Primum Capitulum. *Volumus ut talem conjectum Missi nostri accipiant, quando per Missaticum suum perrexerint: hoc est, ut unusquisque accipiat panes* XL. *friskingas* II. *porcellum aut agnum* I. *pullos* IV. *ova* XX. *vino sextarios* IX. *de cervisa modios* II. *de annona modios* II. *Et quando propè sunt de illorum domibus, nullum accipiant conjectum.* CLXXIII. CLXXIV. CLXXV.

Secundum Capitulum. *Volumus etiam, ut octavas Pascha incipiant suam agere Legationem: Episcopi verò suum habere debent Conventum octavas Pentecostes.* CLXXVI.

Tertium Capitulum. *Volumus atque jubemus ut Missi nostri diligenter inquirant, quanti liberi homines in singulis Comitatibus maneant, qui possint expeditionem exercitalem facere, nobisque per brevem eorum summam deferant; & qui nondum fidelitatem nobis promiserunt, cum sacramento nobis fidelitatem promittere faciant.* Huic Capitulo multùm simile deprehendes, quod in eodem Capitulari septimum est tertiæ partis suprà relatæ. CLXXVII.

Quartum Capitulum. *Volumus, ut Missi nostri per totam Legationem suam primò omnium inquirant, qui sint de liberis hominibus, qui fidelitatem nobis nondum promissam habeant, & faciant illos eam promittere, sicut consuetudo semper fuit; & postea incipiant Legationem suam per cetera Capitula peragere.* CLXXVIII.

Quintum Capitulum. *Volumus, ut omnes res Ecclesiastica eo modo contineantur, sicut res ad fiscum nostrum contineri solent, usquedum nos ad generale Placitum nostrum cum fidelibus nostris invenerimus & constituerimus, qualiter in futurum de his fieri debeat.* CLXXIX.

Sextum Capitulum. *Volumus, ut omnis inquisitio, qua de rebus ad jus fisci nostri pertinentibus facienda est, non per testes qui producti fuerint, sed per illos qui in eo Comitatu meliores & veraciores esse cognoscuntur, per illorum testimonium inquisitio fiat, & juxta quod illi testificati fuerint, vel contineantur, vel reddantur.* CLXXX.

Septimum Capitulum. *Volumus, ut de rebus, quas Matfredus per diversa loca & per diversos homines adquisivit, ipsi, qui easdem res ei dederunt, interrogentur, si aliquis eorum eas repetere velit, & quicumque hoc se velle pronunciaverit, ad generale Placitum nostrum venire jubeatur, ut inde cum eodem Matfredo rationem habere possit.* Huc usque Capitulare Wormatiense. CLXXXI.

Matfredus, qui nominatur in postremo Capitulo, non est alius à Malfrido Comite quondam Aurelianensi, &c, ut Agobardus in suis ad illum literis scribit, *Ministro Imperatoris & Imperii*, quem anno priore Ludovicus Augustus exauctoravit, subrogato in ejus locum Odone, ut testatur Adrevaldus, apud quem ista repenuntur in libro [a] de Miraculis Sancti Benedicti. *Matfrido Comite quondam Aurelianensi, ob culpam inertia, propriis honoribus privato, Hodo in ejus locum subsistituitur.* Hic prædictum Imperatorem agnatione contingebat, uterque enim Pippini Harstallii abnepos fuit. Id patet ex Charta pro Turonensi Monasterio Sancti Martini, in qua Robertus Comes cognomento Fortis, Pippini Herstallii atnepos, ipsum Odonem Comitem Aurelianensem *avunculum* suum, id est, patruum, sic appellat. *Nos Robertus gratiâ Omnipotentis Dei inclyti gregis Confessoris Christi Beati Martini Abbas, necnon & Comes, ad petitionem Canonicorum ejusdem Basilica confirmavimus Donationem bonorum olim donatorum eidem Ecclesia ab Odone* CLXXXII. MATFRIDUS COMES AURELIAN. EXAUTORATUS. [a] Cap. 20. ODO COMES AURELIAN. AGNATUS LUDOVICI AUG.

AN. CH. 829. LUDOV. IMP. 16. LOTHAR. IMP. 13. PIPPINI R. 15. LUDOV. R. 13.

quondam Comite Aurelianensi avunculo nostro & Willelmo ejus filio, &c. *Data x. Kalen. Martii, anno* XXVII, *regnante Domno Carolo Gloriosissimo Rege, Indict* XV. Id est, anno Redemptoris octingentesimo sexagesimo-septimo. Præterea non desunt, qui Judithæ Augustæ cognatum constituant Odonem, cujus matrem alii vocant amitam Judithæ, alii materteram. Sed hæc cognatio, quam Falcetus aliique neoterici publicarunt, antiquâ caret probatione. Quapropter solam agnationem, quæ Ludovicum Augustum inter & Odonem necnon Odonem inter & Robertum Fortem intercedit, exhibemus in sequenti Tabula.

PIPPINUS cognomento HERSTALLIUS

CAROLUS cognomento Martellus.	CHILDEBRANDUS Comes.
PIPPINUS Rex Francorum.	NIBELUNGUS Comes Madriacensis.
CAROLUS Magnus, Imperator & Rex Francorum.	THEODEBERTUS Comes Madriacensis.
LUDOVICUS Pius Imperator & Rex Francorum.	ODO Comes Aurelianensis. — ROBERTUS Comes.
	WILLELMUS Comes Aurelianensis. — ROBERTUS cognomento Fortis.

CLXXXIII. LUDOVICUS AUG. BERNARDUM COMITEM BARCINONENSEM CAMERÆ SUÆ PRÆFICIT.

Ludovicus Augustus *habito generali* apud Wormatiam *Convento*, ut dictum suprà, *ibi & annua dona solemni more suscepit, & Legationes plurimas, quæ tam de Roma & Benevento, quàm de aliis longinquis regionibus venerant, & audivit & absolvit. Lotharium quoque filium suum finito illo Conventu in Italiam direxit, ac Bernhardum Comitem Barcinonæ, qui eatenus in Marca Hispaniæ præsidebat, Camerarium in Palatio suo constituit. Aliis etiam causis, quæ ad illius Placiti completionem pertinere videbantur, congruo modo dispositis atque completis, populoque ad sua ire dimisso, ipse ad autumnale venationis exercitium ad Franconofurt villam profectus est.* Hæc Annalista Laureshamensis, cui consentaneus est Astronomus in ejusdem Ludovici vita. Posterior hic Auctor, cur Imperator Bernardum Cameræ suæ præfecerit, paulò fusiùs sic exponit. *In eo Conventu*, nempe Wormatiensi, *comperiens* Imperator *clandestinas circa se eorum quos vita reservaverat machinationes more cancri serpere, & multorum animos quasi per quosdam cuniculos sollicitare, statuit sibi contra eas quoddam propugnaculum erigere. Nam Bernardum, eatenus Hispaniarum partium & limitum Custodem, Cameræ suæ præfecit. Quæ res non seminarium discordiæ extinxit, sed potiùs augmentum creavit. Sed quum necdum ii, qui tali peste tabescebant, vulnus suum detegere possent, utpote quibus nulla copia ad peragendum quæ concupierant suppeteret, in aliud tempus differre statuerunt.* In vita Walæ, quæ publicata est parte primâ Seculi quarti Benedictini, Auctor Ludovicum Augustum, Judicham Augustam, Bernardum Septimaniæ Ducem,

acerbissimis afficit contumeliis, & quæcumque per malitiam ab inimicis Imperatoris in vulgus sparsa sunt, ea tanquam verissima constanter asserit insigni prorsus audaciâ, cujus suspicio in Paschasium Ratbertum virum pietate conspicuum nequaquam cadit. *Heu misera dies, quam infelicior nox sequitur, sed nulla infelicior illâ, quando sceleratus Naso* (sic Bernardum vocat) *vocatus est ab Spaniis, Amisarius ille, qui cuncta reliquit honesta, in quibus erat ordinatus; & immersit se fatuus ad omnia cœni volutabra, siquidem ut advenit, acsi ferus aper evertit Palatium, destruxit consilium, dissipavit omnia rationis jura; consules omnes, divinos humanósque expulit & attrivit; thronum occupavit, atque factiosè, ita ut insidia viderentur, manifestiùs omnia pervasit, sicque cæcus, ut nihil aliud esse posset, quàm quod ipse invenerat; postposuit divina, ad humana se immersit per fas nefásque, cuncta in subito convulsit ac commaculavit, & omnem dignitatem Regiam evacuavit; fœdera disrupit, confudit ordinem; ut nullus esset status, singula immutavit; diem convertit in noctem, rursus noctem commutavit in diem. Patri abdicavit filios, & patrem filiis. Sicque tyrannis* * *ejus profecit, ut excederet ultra omnes, & nihil integrum reliquerit. Honores debitos qui habebant, amittebant; qui necdum indebitè qualescumque assequebantur optimi quique virorum, amplissimi & nobiles atque dignissimi, jam auctoritatem agendi amiserant* *, *quia profectò nullus aliam tunc temporis habuit viam expeditiorem ad honores retinendos & adquirendos, seu ad ea quæ vellet vel concupierat, quàm illa sequi, quæ tunc tyrannus Naso mallet. Intereà confregerat omnia ossa virtutum vis fœminea. Ideò stultus sine oculis & sensu ad omnia se immerserat. Movebatur enim jam vertigo totius Imperii, ne ullus adquireret potentiam, ne ullus honorem, ne ullus facultates, sine scelere, aut sine aliorum damnationis dispendio. Iste quippe fructus est infidelitatis & discordiæ. Ideò consultissimum est semper serere prudentiæ, justitiæ, fortitudinis, ac temperantiæ semina, ut metere possis centuplicatum fructum laboris, quàm concupiscentiarum & vitiorum molimina, ex quo remetiatur judicium, & crescat ultio perditionis. O dies illa, dies tenebrarum & caliginis! ô dies exsecranda, quando tale cœptum est consilium! Et hæc est hora furoris Dei, hora nostra ad vindictam retributionis, in qua aperti sunt oculi omnium cum Balaam ariolo, ubi cecidimus omnes, & evigilavit virga furoris Dei, ubi violata sunt omnia jura legum.*

AN. CH. 829. LUDOV. IMP. 16. LOTHAR. IMP. 13. PIPPINI R. 15. LUDOV. R. 13.

* Edit. tyrannidis.

* Edit. emiserant.

Super origine totius dissidii, quod in apertum diuturnúmque bellum pòst erupit, audiendus imprimis Nithardus [a]. *Karolo*, inquit, *nato, quoniam omne Imperium inter reliquos filios pater diviserat, quid huic faceret, ignorabat. Cúmque anxius pater pro filio suo rogaret, tandem Lodharius consensit, ac sacramento testatus est, ut portionem Regni, quam vellet, eidem pater daret, tutorémque ac defensorem illius se fore contra inimicos ejus in futuro, jurando firmavit. Instigante autem Hugone, cujus filiam in matrimonium Lodharius duxerat, ac Mathfrido cæterisque, serò hoc fecisse pœnituit, & quemadmodum illud quod fecerat annullare posset, quærebat. Quod patrem matrémque minimè latuit, ac per hoc hinc inde quod pater statuerat, Lodharius diruere, etsi non manifestè, occultè studebat. Ad quod Bernardum quendam Ducem Septimaniæ pater in supplementum sibi sumens, Camerarium constituit, Karolúmque eidem commendavit, ac secundum à se in Imperio præfecit. Qui, dum inconsultè re publicâ abuteretur, quam solidare debuit, penitus evertit. Per idem tempus Karolo Alamannia per Edictum traditur.* Theganus [b] Alamanniæ seu Sueviæ Rhætiam addit cum parte Burgundiæ, testatúrque Carolum illis ditionibus à patre in Conventu Wormatiensi donatum fuisse, præsentibus duobus aliis filiis Lothario videlicet & Ludovico. Sic enim scribit. Imperator *venit Wormaciam, ubi & Karolo filio suo, qui erat ex Judith Augusta natus, terram Alamannicam, & Rethicam, & partem aliquam Burgundiæ, coram filiis suis Lothario & æquivoco suo Lodewico, tradidit, & inde illi indignati una cum Pippino germano eorum.* Illa de indignatione fratrum, déque præcitato textu Nithardi rursum falsò scribentis universum Regnum inter eos à patre priùs divisum fuisse,

CLXXXIV.

[a] Lib. 1.

[b] Cap. 35.

CAROLUM FILIUM SUUM REGEM CONSTITUIT.

differemus anno proximo, post Wormatiensem enim Conventum hoc anno rei utcumque quieverunt Lothario in Italiam dimisso.

CLXXXV. *Saraceni partem Occidentalem Marcæ Hispanicæ pervadunt.* Intereà facies Marcæ Hispanicæ mutatur a. pars Orientalis, *ubi Comitatus*, Barcinonensis, Empotitanus, Cæretanus, Urgellensis, *Palliariensis*, Ausonensis, & Ripacurcienfis, in Francorum potestate permanet, Occidentalis, ubi civitas Pompelonensis, à Saracenis penè tota *pervaditur*. At horum jugum exosi, qui Christianam Religionem *colunt illius regionis* incolæ, consilium ineunt de condendo Regno, *cujus primariam originem* quidam ad hunc annum referunt, quo Carolus à *Ludovico* patre Rex renuntiatur. Lege Illustrissimum atque Eruditissimum Benearnensis Historiæ conditorem Petrum de Marca, libro secundo, capitibus septimo & octavo. Navarræi tamen Regni primordia in annum sequentem *rejicienda* censemus, quia fratrum indignatio contra Carolum in bellum apertum non antè prorupit.

CLXXXVI. Ad hunc autem annum, quo Bartholomæus Narbonensis Metropolitanus & Sisebutus Urgellensis Episcopus Suffraganeus Concilio Tolosano suprà memorato præsentes interfuerunt, referenda suspicamur, quæ Joannes Tamayus in Urgellensium Episcoporum Catalogo [a] scripsit de Alaonensi Monasterio. *Sisebutus Episcopus Urgellensis cum Bartholomæo Metropolitano Narbonensi facultatem concessit Wandregisillo & Maria ejus conjugi Comitibus Vasconiæ trans Garumnam construendi Monasterium Alaonense.* *Alaonense Mon. conditur.* Quàm spatiosa sub eodem esset Sisebuto Diœcesis Urgellitana, docent Indices rerum ab Aragoniæ Regibus gestarum, libro primo, sic. *Diœcesis iisdem finibus constituitur, qui Caroli Regno attributi fuerant; & Ecclesia, Bergensis, Caretana, Paliariensis, Cardonensis, Riparcuriensis, Anabiensis, Erbiensis, & Gestabiensis, eidem contribuuntur. Ea Sanctio Summorum aliquot Pontificum scito atque decreto & Ludovici ope firmatur.*

a D. 3. Oct.

CLXXXVII. Apud Egilwardum Humbertus Wirceburgensis Episcopus sedet *annis decem, mensibus tribus*, & apud Bruschium moritur *mense Martio*. Hæc si vera sunt, vitam hoc clausit anno, sed eum seriùs obiisse patebit infrà. Cùm autem Imperium penes Ludovicum Pium, Witceburgenses Infulæ penes Humbertum erant, in oppido *Lauffen* ad Nicrum res haud reticenda contigit. Ernestus illius loci Præfectus ex uxore Fridburga filiolam nomine Regiswindem susceperat. *Regiswindis necatur a nutrice.* Nutrix hujus infantis, cùm aliquando rescisset fratrem suum ab Ernesto graviter verberatum fuisse, quòd aliquid ab eodem domino sibi commissum negligentiùs curasset, adeò exarsit in vindictam, ut consilium de trucidanda Regiswinde ceperit. Absentibus igitur parentibus puellam necat, atque in præterfluentem Nicrum ex arce Lauffensi dejicit. Hanc autem nec vi fluminis abreptam nec fluctibus oppressam, multis autem miraculis coruscantem Hunibertus sive Humbertus Diœcesanus Episcopus ab Angelo per quietem monitus in præsentia plurimorum Sacerdotum ex aquis sublevavit, in Ecclesiam Lauffensem detulit, atque honorificè sepelivit. Lege Bruschium sub eodem Humberto. *Kitzingenses Abbatissæ.* In eadem Diœcesi Wirceburgensi florebat Kitzingense Monasterium. Gabriel Bucelinus in Monasteriologia [b] Imperii Germanici, sola recenset Abbatissarum nomina. Post Alberadem, cujus mentionem Tomo sexto [c] fecimus, Cœnobio præfuit Ritza, tum Dieteburga.

b Part. 2.
c Ad an. 797. n. 36.

CLXXXVIII. *Deodatus Ep. Papiensis obit.* Deodatus Papiensis Episcopus vitam clausit hoc anno, decimo-sexto Kalendas Junii. Laudatus invenitur, quòd Sancti Syri corpus ex Ecclesia suburbana in Cathedralem transtulerit. Lege Ughellum in Italia Sacra [d].

d Tom. 1. in Ep. Papiens. 45.

CLXXXIX. In Annalibus [e] Boiorum memoratur hoc anno lis inter Adalramum Archiepiscopum Salisburgiensem & Reginarium Pataviensem seu Bathaversem Episcopum. Reginarius seu Reginerius *litem movet Adelramo, ob regiones, quæ ultra montes, Comagenos cubant. Dicebat hic Arnonem decessorem suum ibidem*

e Ap. Aventin. l. 4.

AN. CH. 829.

Lis inter Adalramum Archiep. Salisburg. et Reginarium Ep. Pataviensem terminatur.

Religionis Mysteria aperuisse, ille Bathavensi Laureacensique Templo ibidem subditas esse comprobabat. Rex Bojorum Reginoburgium utrumque ad se accersit, Episcopos discordes ad pacem revocat. Inter utrumque ita superiorem regionem partitur. Aquilonarem Occidentalémque oram, quà Spiraza amnis exoritur, & cum altera Spiraza atque Arabone confluit, Bathavensi adjudicat. Reliqua Orientem Austriúmque spectantia in rebus divinis procurare Salisburgenses jubet Pontifices. Extat hæc tabula. Ejus initium est. In Nomine Domini Dei & Salvatoris nostri Jesu Christi. Hludovicus divinâ ordinante providentiâ Rex Bojariorum &c. Finis ejus is est. Actum Reganesburch, anno, Christo propitio, DCCCXXIX, *anno* XVII *Hludovico Imperatore, filio ejus Hludovico regnante in Bojaria anno* V, XIII *Kal. Decembris, Lunâ* XVI, *Indictione* VIII. *Angelmarus ad vicem Gotzbaldi scripsi, & subscripsi.* Decimo-quarto Kalendas Decembris, anno Redemptoris octingentesimo vicesimo-nono, numerabatur annus Ludovici Augusti decimus-septimus ex quo consors Imperii factus à Carolo Magno, currebat annus Ludovici Regis quintus ex quo missus in Bojoariam à patre, notabatur & octava Indictio prioribus Kalendis Septembris jam cœpta. Quamvis autem hi Characteres adeò benè cum anno Redemptoris octingentesimo vicesimo-nono per mensem Novembrem conveniant, annum Incarnationis Dominicæ publicis instrumentis à Ludovico Rege non existimamus appositum, textúmque proximè recitatum sic corrigendum arbitramur. *Actum Reganesburch, anno, Christo propitio,* XVII *Hludovico Imperatore, &c.*

CXC.

Abbates Mettenses.

Apud Gewoldum in Additionibus ad Hundium recensentur Abbates Monasterii, quod Medema, Mettena, vulgò *Metten*, & Sancti Michaelis Cœnobium vocitatur. In illo Catalogo Beatus Utto sive Utho, primus Abbas Monasterii, feliciter ad Deum hoc anno migrat, quinto Kalendas Octobris, eique subrogatur Opportunus. Beati Uttonis elogium non prætermisit Gabriel Bucelinus in Menologio Benedictino. Apud hunc Auctorem in altera parte Monasteriologiæ celebratur hoc eodem anno Bertholdus Abbas Vallis Sancti Gregorii. Ponitur & obitus Tancradi Prumiensis Abbatis. Bertholdus successerat Gotefrido, qui Monasterio Vallis Gregorianæ præesse cœpit anno Redemptoris octingentesimo tertio, agitque Abbatem apud Bucelinum anno Redemptoris octingentesimo decimo-quinto, & à nobis ad annum Redemptoris octingentesimum decimum-septimum laudatur. Quod ad Tancradum attinet, sub ejus disciplina vixit *mirabilis Confessor Domini* Betingerus, in Prumiensi Monasterio *sponte & solemniter* inclusus. Wandalbertus Diaconus ac Monachus Prumiensis inter Miracula, quæ Tancradi temporibus apud Memoriam Sancti Goaris ad Rhenum gesta sunt, haud omisit periculum, in quo versatus est Maximinus Sancti Gereonis apud Coloniam Abbas, cùm ex agro Wormatiensi reverteretur. *Quodam,* inquit, *tempore, Abbate Tancrado in Cella posito, Maximinus Monasterii Sancti Gereonis, quod apud urbem Agrippinam, qua nunc Colonia dicitur, situm est, Abba, à provincia Vangionum ex vindemiis cum onusta vino navi & non paucis comitibus descendebat; & cùm jam Sancti Goaris Monasterio propinquasset, suadetur à sociis, uti appulsâ in continentem navi oratum ad Sanctum Goarem adscendat. Ille moras sibi non necessarias hac in re fieri dicere, fore opportuniorem tempore alio orandi occasionem. Sic dehortatis comitibus propositum iter persequitur, sed non impunè illum ultio divina transire permisit. Quippe ut in conspectum Cellæ navis acta pervenit, repentè ex maxima sui parte demersa, lapsísque in aquam quæ gestaverat vasis, præsentis jacturæ & periculi metum cunctis incussit. Clamare omnes, & auxilium lacrymabiliter implorare, culpam Abba confiteri, & Goaris meritum exorare. Rem Abba Tancradus ex loco superiori conspiciens, & quanto in periculo versarentur cuncti considerans, suos e vestigio mittit, mandat subsidium laborantibus ferri. Deducuntur continuò naves, & subsidium modis, quibus erat possibile, ministratur. Ita cum Abbatis*

Bertholdus Abb. Vallis S. Gregorii.

Tancradus Abb. Prumiensis et Andainensis obit.

Maximinus Abb. S. Gereonis periclitatur ad Cellam S. Goaris.

AN. CH. 829. auxilio & sudore multorum, tum maximè Beati Goaris opitulatione recuperatâ navi, vasisque receptis & opibus, incolumis ad lares Abba progreditur. Egressus navim oratum festinat, persuasum sibi perenniter affirmans, ne locum tanti viri meritis insignem facilè unquam sine supplicationis munere transeundum existimet.

LUDOV. IMP. 16. LOTHAR. IMP. 13. PIPPINI R. 15. LUDOV. R. 13. CULTUS ERGA S. GOAREM. Ægidius Gelenius in Coloniæ Agrippinensis magnitudine, libro tertio, syntagmate secundo, agit de illustri Sancti Gereonis Ecclesia, ibique non tantùm de periculo suprà memorato, quod Maximinus Abbas ad Cellam Sancti Goaris incurrit, sed etiam de more ad hunc diem à prætereuntibus observato sic loquitur. *Cùm vina secundo Rheno deveheret, apud S. Goarem periclitatus est, quòd eidem Sancto sese prætervehens non mancipasset, more, qui in præsentem diem, quo hæc scribo*, id est, anno Christi millesimo sexcentesimo quadragesimo, *perseverat, etsi vulgus cur ita fiat ignoret, maximè verò fidei novatores, qui eundem locum prætervehentes, & se injecto in collum vinculo mancipantes, quod nesciunt & nolunt usu quodam colunt.* Godefridus Henschenius anno Christi millesimo sexcentesimo sexagesimo, cùm Antuerpiâ Romam proficisceretur, hunc ritum ad oppidum Sancti Goaris, quod est in ditione Celsissimi Principis Ernesti Hassiæ Lantgravii, minimè neglexit, & suam comitúmque pietatem, capite decimo-quarto de vita, operibus, & virtutibus Joannis Bollandi, sic testatam reliquit cum observatione de Carolo Quinto Imperatore non omittenda. *Adverso Rheno ad Sancti Goaris oppidum ascendere in cymbula, ubi ab Ernesto Lantgravio Hassiæ ejúsque Serenissima conjuge, in suscepta noviter Catholica Religione ferventissimis, tanto excepti sunt pietatis sensu, quantum verbis exprimere haud facile sit. Ibi post diei unius moram, quæ Piissimis Principibus ad artem invitantibus negari non potuit, navigio & commeatu novo eorumdem munificentiâ instructi sunt. Hujus autem liberalitatis occasione, ex ea quam conscenderant cymba retracti ad oppidum, recordati sunt monuisse Bollandum, ut ad oppidi portas meminissent Sancto Goari se captivos sistere ac redimere, sub ejus protectione porrò feliciter navigaturos, cujus cæremoniæ oblitos se fuisse tum primùm observavère, cùm appensum reduces viderunt collare. Ei ergo religiosè inseruerunt cervices, ac tum demùm, velut impetratâ transeundi licentiâ, prosperâ navigatione utentes, mitiùs secum actum esse gavisi sunt, quàm olim cum Carolo V actum audierant, qui penè naufragio fertur luisse ritûs illius neglectum, dum præternavigare festinus nititur, aliàs, ut aiebat, Religioni facturus satis.* Hæc obiter de Sancti Goaris cultu narranda censuimus, occasione periculi, quod Maximinus Sancti Gereonis Abbas subiit temporibus Tancradi Prumiensis Abbatis, de cujus obitu ac successore Marcuvardo sic ad hunc annum Regino.

MARCUVARDUS FIT ABB. PRUMIENSIS ET ANDAINENSIS. *Anno Dominicæ Incarnationis DCCCXXIX, Tancradus, secundus Abbas Prumiensis Monasterii, obiit, & Marcuvardus ei in regimine successit, vir prudens & sacræ religioni deditus.* In Floribus Ecclesiæ Leodiensis, Tancradus non tantùm Prumiensis Abbas in Diœcesi Trevirensi, sed etiam Andainensis sive Hubertensis Abbas in Diœcesi Leodiensi prædicatur à Bartholomæo Fiseno. Lege quæ Tomo superiori dicta sunt ad annum Redemptoris octingentesimum duodetricesimum [a]. Ut autem Tancradus, sic & Marcuvardus, utriusque loci fuit Abbas, donec tegimen Andainensis Monasterii dimisit, ut ad annum Redemptoris octingentesimum tricesimum-sextum dicturi sumus. Wandalbertus Prumiensis Monachus, Abbate Regino ne vetustior, à Tancrado ad proximum ejus successorem Marcuvardum, cujus jussu calamo manum admovit, ita transit. *Hactenus ea descripserim, quæ Abbate Tancrado in hac vita superstite inter alia referuntur. Nunc adjutore Christo ad clarissimi Patris Marcuvardi tempora, qui hoc ipsum mihi opus imposuit, servato ut proposui ordine veniam.*

[a] Num. 16.

CXCI. Joannes Mabillonius in notis ad vitam [b] Sancti Aldrici, Marcuvardum Prumiensem atque Hubertensem Abbatem vult eundem esse cum Marcuvardo, cujus adhuc laici fastum idem Aldricus jam Senonensis Archie-

[b] Sec. 4. Bened. part. 1.

AN. CH. 829.

LUDOV. IMP. 16. LOTHAR. IMP. 13. PIPPINI R. 15. LUDOV. R. 13.

piscopus repressit, ut his verbis testatur Auctor vitæ. *Fortè Aldricus, dum magnis negotiis tractus ad urbem Parisiorum tenderet, prece Fossatensis Abbatis, Templum, quod ipse construxerat in honorem Beatæ Mariæ, dedicavit; & inde reversus ad propria, dum quadam die pro foribus Ecclesiæ* Metropolitanæ *Sancti Stephani resideret, vidit quemdam prætereuntem, Marrymardum nomine, cujus faciem intuens, evidentia in eo signa perpendit insolentiæ. Erat enim incessus vagus, gestus pomposus, cervix erecta, facies torva, oculi truces, sermo terribilis. Quo accersito, quis esset, studiosè requisivit. Ille, ut omnia in quodam fastu loqui consueverat, se custodem civitatis respondit. Ad quem Præsul. Si aliorum custos es, cur teipsum custodire contemnis? Tu, cùm sis pulvis & cinis, cur immodicos fastus concipis? Quid inani jactantiâ gloriaris? Et incipiens prædicare verbum Dei, nunc increpando suavitatis admiscuit eloquia, Samaritani vulneribus semivivi vinum & oleum infundens; nec ante destitit, quin tumidam efficaciter illius repressit elationem, & superciliosam humiliavit contumaciam. Nam in cordis sui penetralibus tam penitus infixa sunt sagittæ potentis acutæ, & ita vulneratum est cor suum caritate, quòd omnium præteritorum gratiâ incontinenter se Monachum fieri ab eo postularet, & ita factum est.* Hic autem textus aptari Marcuvardo non potest, ostendit enim Aldricum multò priùs ordinatum Archiepiscopum fuisse, quàm Marcuvardus Abbas fieret. At eodem prorsus anno, quo Senonensis Archiepiscopus factus est Aldricus ex Abbate Ferrariensi, factus est & Marcuvardus Abbas Prumiensis & Andainensis ex Ferrariensi Monacho. Lupus Ferrariensis Abbas in literis [a] ad eumdem Marcuvardum manifestissimè docet illum, priusquàm ad Abbatiale munus evocaretur, in Ferrariensi Cœnobio Monachum fuisse. *Quoniam*, inquit, *de loco nostro sitis, à quo vos corpore duntaxat Ecclesiastica utilitas abduxerit.* Aldrico igitur Abbate Marcuvardus Monasticen apud Ferrarias egit.

DISTINGUITUR A MARRYMARDO.

[a] Ep. 55.

CXCII. STRADENSIS ECCLESIA DEDICATUR.

Hoc anno, qui literâ Dominicali C præditus fuit, Ecclesiam Stradensem septimo Idus Julii dedicandam curavit Wifredus Comes Bituricensis, qui priore anno prima illius ædificii fundamenta posuerat. *Cùm verò ad ipsque Dedicationem Ecclesiæ ventum esset, eam in honore Sanctæ semperque Virginis Mariæ & omnium Sanctorum dedicari constituit. Cui in die consecrationis ejus, qui est* VII *Kalend. Julii, prædia quædam circumadjacentia, quæ sui juris erant, cum mancipiis ibidem commanentibus, quorum non parvus fuit numerus, concessit & testamento delegavit. Quod testamentum hæc, quæ diximus, etiam hodie testari videtur.* Verba sunt Anonymi, qui secundum vitæ librum seu Miracula Sancti Genulfi conscripsit, & à Joanne Boscio publicatus est in Bibliotheca Floriacensi.

CXCIII. ALBERICUS EP. LINGONENSIS VARIAS INIT PERMUTATIONES.

Ad hunc annum Ludovici Augusti decimum-sextum pertinent etiam duæ Chartæ, quarum unam Stephanus Perardus integram publicavit, alteram Chronographus Besuensis in epitomen redegit. In priore Fulcrinus seu Fulchrius *anno* XVI, *regnante Domno Ludovico Imperatore* terras cum Alberico Lingonensi Episcopo permutat. In posteriore Charta *Aylardus res juris sui sitas in pago Aroariense, in loco qui dicitur Buttellus, Domno Alberico* Lingonensi *Episcopo* vendit *in Cal. Feb. anno* XVI *Imperii Ludovici.* Tomo superiore [b], cùm varias permutationes conglobatim recenseremus, quas Chronographi, Benignianus & Besuensis, absque Charactere Chronologico breviter attigerunt, ex utroque meminimus permutationis inter Albericum Lingonensem Episcopum & Fulchrium factæ, ut & alterius inter Herlebertum Abbatem Benignianum & Seraphim Abbatem Besuensem, quam Peratdus integram quoque publicavit cum hac subscriptione, *die Sabbato*, VI *Kl. Augusti, anno* XIV *regnante Domino nostro Ludovico Imperatore*, id est, sexto Kalendas Augustas, anno Redemptoris octingentesimo vicesimo-septimo, currente tum literâ Dominicali F.

[b] Ad an. 8.. nn. 58. 59.

AN. CH. 829. Extat etiam apud Perardum Charta permutationis inter *Leotgais Vicecomitem & Albericum urbis Lingonicæ Episcopum* factæ, *die Dominico, XIV Kl. Maii, in anno XV regnante Domino Ludovico Imperatore.* Sed error est in

LUDOV. IMP. 16. anno Imperii Ludoviciani, & anni XV loco restituendus est annus XVI, qui literam Dominicalem habeat C, & cum anno Redemptoris octingentesimo vicesimo-nono comparetur.

LOTHAR. IMP. 13. PIPPINI R. 15. LUDOV. R. 13.

CXCIV. Eginhardus quatuor exaravit libros, quos inscripsit de Translatione Sanctorum Martyrum Marcellini & Petri, sub finem suæ lucubrationis adjecit & Translationem Sanctorum Proti & Hyacinthi Martyrum. Opus integrum publicavit Surius [a], & ad libri quarti caput vicesimum-quintum, quo sermo de posteriori Translatione inchoatur, adnotavit *an. 829.* Nos-

CXCV. trarum igitur partium est hic ea recitare, quæ scripsit Eginhardus de Translatione Sanctorum Martyrum Proti & Hyacinthi, quorum Reli-

[a] D. 2. Jun. quias prope Corpora Sanctorum Marcellini & Petri, de quibus actum Tomo superiore, collocandas curavit.

TRANSLATIO SS. PROTI, HYACINTHI, CXCVI. *Gregorius Romanæ Urbis Episcopus, qui Eugenio simúlque Valentino in Pontificatus honore successit, cùm titulum Sancti Marci Evangelistæ, in quo Presbyter fuerat, ampliare, & in eo Monasterium vellet extruere, quæsivit per cœmeteria & Ecclesias longiùs ab Urbe constitutas, sicuti Sanctorum Martyrum Corpora posset invenire, inventáque Titulo, quem opere magnifico extruxerat, curavit inferre. Casu igitur factum est, ut eo tempore, quo sepulchrum Beatissimi Hermetis erat apertum, & sacrum illius Corpus inde fuerat sublatum, unus ex nostris, qui eodem anno supplicandi gratiâ, ut moris est pœnitentibus, Romam venerat, congregata ad Basilicam Martyris multitudini cum ceteris peregrinis interesset. Is negotio, quod agebatur, diligenter inspecto, spem adipiscendarum memorati Martyris Reliquiarum, licèt corde simplici, non tamen sine causa concepit, & Deusdonam Diaconum, cujus in primo libro crebram fecimus mentionem, adiens obnixè rogavit, ut ex his quantulumcunque à custodibus loci acciperet, mihíque deferendum sibi præstaret. Qui confestim precibus ejus annuens, id se sine mora facturum pollicetur. Datóque custodibus pretio, non solùm Sancti Hermetis, sed*

ET HERMETIS. *etiam Sanctorum Proti & Hyacinthi, quorum in eadem Basilica Corpora erant posita, Reliquias accepit. Et illas quidem per quemdam familiarem suum, cui Sabbatino cognomen erat, simúlque & nostrum, quâ ei ut hoc faceret persuasit, mittere curavit. Quod autem de Corpore Beati Hermetis potuit adipisci, ipse ad nos veniens, pro ingenti munere detulit. Cùm autem de adventu Reliquiarum Sanctorum Proti & Hyacinthi nobis esset indicatum, obviam illis processimus, eásque, ut par erat, honorificè suscipientes, atque Basilica cum hymnis & orationibus inferentes, propter Corpora Beatorum Marcellini & Petri cum feretro quo venerant collocavimus.* Hæc Eginhardus [b], nec ei refragatur Cæsar Baronius

[b] Lib. 4. c. 24. [c] D. 11. Sep. in Notis ad Martyrologium Romanum [c], ubi de Sanctorum Proti & Hyacinthi Translatione ex una Basilica in aliam facta Romæ sic scribit. *Eorum Sacra Reliquia sub Clemente VIII Pont. Max. ab Ecclesia S. Salvatoris, prope montem S. Mariæ trans Tiberim posita, ad Ecclesiam S. Joan. Florentinæ Nationis, solemni pompâ fuere translata, anno Domini 1592, die 21 Jun.* Illorum enim Corpora, quæ Gregorii Quarti Papæ temporibus in Ecclesia Sancti Hermetis Romæ quiescebant, in Germaniam, ut Eginhardi textus proximè descriptus docet, haud translata sunt integra, nec aliter de Reliquiis Sancti Hermetis est sentiendum. In Tabulis Ecclesiasticis quinto Kalendas Septembris memoratur *Romæ Natalis Sancti Hermetis, viri illustris, qui, ut in Actis beati Alexandri Papæ legitur, primò carcerali custodiæ mancipatus, deinde cum aliis plurimis gladio cædente Martyrium complevit sub Aureliano Judice.* Et tertio Idus Septembris, *Romæ viâ Salariâ veteri in cœmeterio Basillæ Natalis Sanctorum Martyrum Proti & Hyacinthi fratrum eunuchorum Beatæ Eugeniæ, qui sub Gallieno Imperatore deprehensi quòd essent Christiani, sacrificare coguntur, sed non consentientes, primò durissimè verberati sunt,*

AN. CH. 829.
LUDOV. IMP. 16.
LOTHAR. IMP. 13.
PIPPINI R. 15.
LUDOV. R. 13.

u tandem pariter decollati. Sanctorum Proti & Hyacinthi Reliquias ad Eginhardum transmisit Deusdona Diaconus, Reliquias verò Sancti Hermetis, *unum* videlicet *articulum digiti*, paulò pòst *circa medium ferè mensem augustum* idem Diaconus detulit.

CXCVII. Erat Eginhardus Abbas Monasterii ad Mœnum in Archiepiscopatu Moguntino siti, quod Millinheimium, Salegunstadium seu Selgenstadium vel Selingestadium, necnon & Cœnobium Sanctorum Marcellini & Petri nominatur. Hujus Monasterii non semel meminit Gabriel Bucelinus. In Topographica Germaniæ Noticia, sic. *Selgenstatt. A Salingis condita & cognominata civitas in Franconia, situ elegantissima ad Mœnum fluvium, in planitie pulcherrima, cum Monasterio pervetusto Ordinis Benedictini, in quo Eginardus est conditus.* In Monasteriologia Imperii Germanici, sic. *Seligenstatt Ordinis S. P. Benedicti amplissimum Cœnobium, SS. Marcellini & Petri Martyrum honori sacrum.* Et in secunda parte Germaniæ Sacræ, sic. *Selgenstadt, nobilissimum olim in Ostrofrancis Benedictini Instituti Asceterium, quod Imma Caroli Magni filia fundavit, & Ludovicus Pius Imp. ejusdem frater plurimùm locupletavit atque extulit, in quo etiam Imma maritus Eginardus seculo renuncians, primus ejusdem Abbas extitit, & multa præclarissimi ingenii monumenta posteritati reliquit. Felicissimum fuit idem Cœnobium illatione & thesauro corporum SS. Marcellini & Petri Martyrum, quæ prædictus Imperator Romà impetravit, & Cœnobio A. C. 828 intulit, quod etiam ab iisdem deinceps fuit cognominatum.* In præcitata quoque Monasteriologia, cùm Abbates illius loci recenset, ab Eginhardo Catalogum sic orditur. *Einhardus sive Eginhardus, Immæ Fundatricis olim maritus, Caroli Magni Consiliarius, Princeps & Cancellarius, mortuâ conjuge Monachum professus, loci hujus primus Abbas, mortuus sub Lothario Imperatore.* Philippus Labbeus in Dissertatione Historica de Scriptoribus Ecclesiasticis laudat Eginhardum, quòd *Monasterium Selengestadiense sive Mulenheimense in Germania fundavit, ubi aulâ relictâ, Deo sibique vacans, Abbatis officio fungens vixit.* Originem istius Monasterii sic exhibet Joannes Mabillonius Tomo primo Seculi quarti Benedictini. *In villa Mulinheim dicta, quæ in Francia Orientali ad Mœnum sita, ædificatum est Monasterium Selingestadiense, occasione Translationis Reliquiarum Sanctorum Marcellini & Petri, quas in Michelenstadensi Monasterio collocare statuerat* Eginhardus, *sed ipsius consilium aliò vertit Deus*, ut Tomo superiore diximus ad annos Redemptoris octingentesimum vicesimum-septimum [a] & octingentesimum duodetricesimum [b], quibus hæ Martyrum Reliquiæ Roma translatæ sunt *ad Michilinstat*, atque inde *ad Mulinheim*, ubi tandem reconditæ.

[a] Num. 11.
[b] Nu. 1. 2.

CXCVIII. In Chronico Laureshamensi, quod Marquardus Freherus publici juris fecit, mentio fit Michelenstadii & duplicis Mulinheimii, superioris videlicet & inferioris. Auctor Immam, quam Eginhardus uxorem duxit, Caroli Magni filiam fingit narratione benè longâ, deinde duo profert Diplomata. In uno Ludovicus Augustus concedit *Einhardo, necnon & conjugi suæ Immæ, in partibus Germaniæ locum, qui vocatur Michlinstat, in sylva quæ vocatur Odonewald, in cujus medio est Basilica lignea modica constructa, de qua in omnem partem quaquaversus pertinent ad eundem locum inter campum & sylvam leuga duæ, id est, rasta una. In cujus mensura circumplexum manent præsenti tempore servi XIV cum uxoribus suis & filiis. Præter hos, sunt in eodem loco inter masculos & fœminas mancipia XL. Hunc locum cum terminis suis sub integritate & mancipiis suis, necnon & villam quæ dicitur Mulinheim, quæ est in pago Moynecgouve sita super ripam fluminis Moyni, quæ quondam Drogonis Comitis possessio fuit, & habet Basilicam parvam muro factam; in qua villa sunt mansi XIX, & servi præsenti tempore manentes cum uxoribus & liberis numero XIII, seu & in altera villa eodem vocabulo super eundem fluvium, quæ vocatur inferior Mulinheim, in qua sunt mansi IV., & servi manentes totidem cum uxo-*

AN. CH. 829. LUDOV. IMP. 16. LOTHAR. IMP. 13. PIPPINI R. 15. LUDOV. R. 13.

ribus & parvulis qui pertinent ad superiùs dictam villam. Hanc villam, id est, superiorem Mulinheim, cum appenditiis suis & mancipiis propriis ad eam peri-nentibus, & hac omnia suprascripta cum Ecclesiis, villaribus, domibus, manci-piis, sylvis, terris, pratis, pascuis, aquis, aquarúmque decursibus, cultum & incultum, cum omnibus adjacentiis & appenditiis, totum & ad integrum præ-dicto Einhardo & conjugi ejus Immæ in proprium per Donationis auctoritatem concedit. *Data III Iduum Januar. anno, Christo propitio, primo Imperii Do-mini Ludovici Piissimi Imperatoris Augusti, Indictione VII. Actum Aquis-grani Palatio Regio in Dei Nomine feliciter. Amen.* In altero Diplomate Ein-hardus & Imma Cellam *Michlenstat* Cœnobio Laureshamensi tradunt. *Nos,* inquiunt, *simul de salute animarum nostrarum cogitantes, & de abolendis pecca-tis nostris, beataque ac perpetua vita præmiis consequendis pari devotione tractan-tes, hoc Testamentum facere decrevimus, per quod spontaneâ & integrâ voluntate donamus, quod ab hodierna die donatum esse volumus, id est, Cellam nostri juris vocabulo Michlenstat, sitam in pago Plumgonve, in sylva quæ dicitur Odene-walde super fluvium Mimilingum, quam nobis Gloriosissimus Princeps Dominus Ludowicus Imperator largissimâ liberalitate concessit, & de jure suo in nostrum jus solenni Donatione transtulit, ac Præcepti sui auctoritate in proprietatem nobis confirmavit. Hanc, ut diximus, Cellam sub integritate cum omnibus appendisiis & terminis suis, & cum omnibus ad se pertinentibus, id est, Basilicis, domibus, ceterisque ædificiis, terris, sylvis, campis, pratis, pascuis, aquis, aquarúmque decursibus, cultis locis & incultis, mobilibus rebus & immobilibus, ac seipsas mo-ventibus, mancipiis diversi sexus & ætatis, numero centum, donamus & tra-dimus ad Basilicam sive Monasterium venerandi Martyris Christi Nazarii, quod vocatur Lauresham, & est constructum in pago Rhenense, in ripa fluminis, quod dicitur Wisgoz, ubi tempore præsenti vir venerabilis Adalungus Abba Deo deser-vientis Congregationis Pastor & Rector esse cognoscitur. Eô videlicet ratione me-moratam Donationem atque traditionem facientes, ut quamdiu in hac mortalitate divinô jussione vixerimus, habeamus prædictam Cellam in nostra potestate & sub nostra ordinatione, absque ullius personæ aut potestatis contradictione vel impedi-mento, tam simul quàm singillatim per successionem, si uno superstite alter è nobis antè decesserit. Filios quoque si nos habere contigerit, unus ex eis in eadem posses-sione nobis jure precario succedat. Post obitum verò nostrum memorata Cella cum omni integritate ad prænominatum venerabile Monasterium absque ullius contra-dictione recipiatur, & in ejus potestate atque dominio perpetuò permaneat. &c. Facta Donatio in Laureshamo Monasterio, II Id. Septembr. anno VI Regni Domni nostri Ludowici Gloriosissimi Imp. in Dei Nomine feliciter. Ego Einhardus pec-cator & donator recognovi, & manu propriâ subscripsi. &c.*

CXCIX. Horum Diplomatum unum dubiæ, alterum nullius est auctoritatis. Quominùs Michelenstadium & utrumque Mulenheimium Eginhardo & Immæ donaret Ludovicus anno Imperii sui primo, nihil videtur obfuisse. Textus quoque Diplomatis eò magis genuinus apparet, quòd idem Impe-rator Immam non semel conjugem Eginhardi, sororem verò suam num-quam appellat. Occurrit autem difficultas super Characteribus Chrono-logicis, quibus illud Diploma consignatur. Ludovicus Præceptum dat Aquisgrani, tertio Idus Januarias, anno Imperii sui primo, Indictione septimâ. Imperii Ludoviciani duplex est epocha; una sumitur à die quo Ludovicus à patre dictus est Imperator, altera ducitur à die quo Ludo-vicus patrem amisit. In priore epocha dies tertius ante Idus Januarii con-venit cum Indictione septima, id est, cum anno Redemptoris octingen-tesimo decimo-quarto, sed illo anno, mense Januario, procul abest Aquis-grano Ludovicus, de patris enim obitu, qui quinto Kalendas Februarii contigit, nuncium accipit, cùm versatur in Aquitania, &c, ut Astrono-mus in ejus vita scribit, *Concilium populo generale indixit in Purificatione Sanctæ Dei Genitricis Mariæ, in loco cujus vocabulum est Theotualdus* *. In pos-

* Doué en Anjou.

AN. CH. 829.
LUDOV. IMP. 16.
LOTHAR. IMP. 13.
PIPPINI R. 15.
LUDOV. R. 13.

teriore epocha dies tertius ante Idus Januarii convenit cum anno Redemptoris octingentesimo decimo-quinto, túncque Ludovicus in Aquisgranensi Palatio moratur, at non septima sed octava currit Indictio, quam restituas necesse est, si suam Ludoviciano Præcepto servatam auctoritatem velis. Alterum Diploma procul dubio commentitium est. Datum dicitur pridie Idus Septembris, anno sexto Imperii Ludoviciani, sive anno Redemptoris octingentesimo decimo-nono. Per illud tempus superstites in vivis erant Eginhardus & ejus uxor Imma, sed ab aliquot annis mutuo consensu consuetudinem tori rejecerant, Eginhardus enim anno Redemptoris octingentesimo decimo-sexto munus Abbatiale suscepit apud Fontanellam, necnon & apud Gandam ante annum Redemptoris octingentesimum undevicesimum, ut ad illos annos probavimus [a]. Auctor igitur Diplomatis proximè recitati, quisquis ille fuit, ineptissimè finxit Eginhardum & Immam pridie Idus Septembris, anno sexto Imperii Ludoviciani, sive anno Redemptoris octingentesimo decimo-nono hæc scripsisse. *Filios quoque si nos habere contigerit, unus ex eis in eadem possessione nobis jure precario succedat.* Eginhardus, priusquàm Abbas fieret, filium ex Imma suscepit, nomine Vussinum, cujus mentionem facit epistolâ tricesimâ. Monasterio Fontanellensi datus est Abbas anno Redemptoris octingentesimo decimo-sexto. Gandense quoque Cœnobium administrare cœpit anno circiter octingentesimo duodevicesimo. Curam Fontanellæ dimisit anno Redemptoris octingentesimo vicesimo-tertio. Post Folradum, quem adhuc superstitem anno Redemptoris octingentesimo vicesimo-quinto laudavimus, factus est Abbas Blandiniensis. Anno Redemptoris octingentesimo vicesimo-octavo Reliquias Sanctorum Marcellini & Petri Martyrum in Ecclesia Mulinheimiensi seu Selingestadiensi collocavit; ibidem posuit & Reliquias Sanctorum quoque Martyrum, Proti, Hyacinthi, & Hermetis, anno Redemptoris octingentesimo vicesimo-nono. Non desunt, qui primordia Monasterii Selingestadiensis ab anno Redemptoris octingentesimo vicesimo-primo repetant. Fortassis Eginhardus in illo loco tunc alicujus Basilicæ vel exiguæ Cellæ fundamenta jecit. Anno enim Redemptoris octingentesimo vicesimo-septimo cùm Sanctorum Marcellini & Petri Reliquias Româ delatas accepit, eas non apud Mulinheimium seu Selingestadium sed apud Michelenstadium collocare statuit, ineunteque anno Redemptoris octingentesimo duodetricesimo sententiam absque prævia cælestis visionis admonitione non mutavit. Unde colligas parum celebre tunc extitisse Selingestadium, cujus fama post susceptionem prædictarum Reliquiarum, cùm crebra fierent ibi Miracula, plurimùm crevit adjecto perillustri Cœnobio, quod ab iisdem quoque Martyribus Marcellino & Petro sæpè cognominatum reperitur. Eginhardus, ut conditor, sic & primus Abbas fuit, novóque Monasterio, quod in suo fundo construxerat, adeò delectatus est, ut reliquam penè vitam in eo degerit, quamvis utrique etiam Gandensi tunc præesset. Atque inde factum videtur, ut apud posteros Selingestadiensis Abbatis titulum, ceteris omissis, præcipuè gesserit.

INITIA MON. SELINGESTADIENSIS.

EGINHARDUS CONDITOR ET PRIMUS ABB.

CC. Ex prædictis liquet complures Auctores, qui de Selingestadio primóque Abbate scripserunt, in multis hallucinatos esse. Imma, quæ nupsit Eginhardo, nec Caroli Magni filia fuit, nec Cœnobium Selingestadiense fundavit. Eginhardus Immâ superstite ac consentiente renuntiavit seculo, & munus Abbatiale cùm apud Fontanellam tum apud Gandam priùs obtinuit, quàm Abbas fieret Monasterii Selingestadiensis, cui certè præerat quando de illius obitu molestissimum nuncium accepit, ut constat ex epistolis Lupi Abbatis Ferrariensis prima & secunda, de quibus infrà fusiùs.

CCI. A Selingestadio non procul distat Francofurtum. Ludovicus Augustus apud hoc oppidum autumnalem transegit venationem, & *ad hyemandum*

[a] Tomo 7. a. 816. n. 46. & 819. n. 6.

AN. CH. 829.
Ludov. Imp. 16.
Lothar. Imp. 13.
Pippini R. 15.
Ludov. R. 13.
Ludovicus Aug. Aquisgranum redit.

Aquasgrani reversus est, ubi & Missam Sancti Martini, ac Festivitatem Beati Andreæ necnon & ipsum sacrosanctum Dominicæ Nativitatis diem cum magna lætitia & exultatione celebravit. Hîc desinit Annalista Laureshamensis. Cur autem quam ab obitu Caroli Martelli, sive ab anno Christi septingentesimo quadragesimo-primo, lucubrationem exorsus est, ultra hunc annum reparatæ Salutis octingentesimum vicesimum-nonum haud protulerit, ea potest afferri ratio, quòd domesticas exosus dissensiones, quæ Ludovicum Augustum inter ac ejus filios, necnon & inter eosdem fratres exarserunt, illas ne verbo quidem voluerit attingere. Quæcumque enim in editione Justi Reuberi subsequuntur, ex Astronomo sive ex Vita & Actibus Ludovici Pii descripta sunt.

CCII. Dolemus nobis tot discordias descripturis, quibus viri dignitatibus sublimes Ecclesiasticis, Abbates, Episcopi, necnon & Archiepiscopi se miscuerunt, opem tam eximii Scriptoris defuturam. Quantùm lucis allaturus fuisset ad excutiendas tenebras, quibus Historiam diuturnæ gravésque dissensiones animorum involverunt, vel ex eo satis intelligimus, quòd multa nobis argumenta suppeditat, ut Theganum, Nithardum, & alios quosque refellamus, qui posterioribus scriptis finxerunt filios adversùs patrem, fratres adversùs fratrem commotos fuisse, quia Ludovicus Imperator vel Lotharium filium natu maximum hæredem dixerat ex asse, vel universum Regnum inter filios suos, Lotharium, Pippinum, ac Ludovicum diviserat, & mutatâ pòst sententiâ violatóque juramento consortem quoque Regiæ Dignitatis fecerat Carolum filium natu minimum ex altera susceptum uxore.

CCIII. Ludovicus Augustus anno Redemptoris octingentesimo decimo-quarto filios suos Lotharium & Pippinum Reges appellavit, illum Bojoariæ, hunc Aquitaniæ; anno Redemptoris octingentesimo decimo-septimo Lotharium Imperatorem constituit, Pippinum in Aquitaniæ Regno confirmavit, & Ludovicum Lotharii loco Regem Bojoariæ præfecit; anno Redemptoris DCCCXXII Lotharium Italiæ Regem jam renuntiatum in Italiam misit. Hæc ex Annalista prælaudato constant ad annum Redemptoris octingentesimum decimum-quartum sic scribente. *Ludovicus duos ex filiis suis, Lotharium in Bajoariam, Pipinum in Aquitaniam misit.* Deinde ad annum Redemptoris octingentesimum decimum-septimum, sic. *Filium suum primogenitum Lotharium coronavit, & Nominis atque Imperii sui socium sibi constituit. Ceteros Reges appellatos, unum Aquitaniæ, alterum Bajoariæ præfecit.* Postremò ad annum Redemptoris octingentesimum vicesimum-secundum, sic. *Lotharium filium suum in Italiam misit. Cum quo Walachum propinquum suum, fratrem videlicet Adelhardi Abbatis, & Gerungum Ostiariorum Magistrum unà misit, quorum consilio & in re familiari & in negotiis ad Regni commoda pertinentibus uteretur.* Nec tibi scrupulum moveat quòd ad annum Redemptoris octingentesimum decimum-quartum Lotharius & Pippinus non appellantur Reges, sed à patre tantùm dicuntur missi, Lotharius in Bojoariam, Pippinus in Aquitaniam. Vocantur enim Reges in Chronico Moissiacensi & in variis Diplomatibus, quæ Ludovicianum Imperium cum Pippinino Regno sic componunt, ut Ludovicus Imperator Pippinum Regem uno duntaxat anno antevertat.

CCIV. Anno Redemptoris octingentesimo vicesimo-tertio natus est Carolus ex Juditha, nihilque prohibuit anno Redemptoris octingentesimo vicesimo-nono, quominùs à patre Ludovico Imperatore in consortium Regiæ Dignitatis adscisceretur, & ut singuli fratres partem Regni, Lotharius Longobardiam, Pippinus Aquitaniam, Ludovicus Bojoariam, sic & ipse Rhætiam atque Alamanniam cum parte Burgundiæ similiter obtineret, plerisque Francorum ditionibus per Gallias & Germaniam extra fratrum sortes adhuc manentibus, & ex arbitrio patris unicuique illorum pòst cessuris.

suis. Quapropter ad multiplices Epochas, Ludovicianas, Lotharianas, & Pippinianas, quæ superioribus annis cùm ad Ludovicum & Lotharium Augustos simul ac Reges, tum ad Pippinum & Ludovicum Reges pertinebant, deinceps & Carolinam adjecturi sumus, quâ Caroli Regis æquè ac patris & fratrum sive Imperatorum sive Regum anni designabuntur. AN. CH. 829.

ANNUS

CHRISTI		830.			
LUDOVICI	IMP.	17.			
	REG.	50.	25.	13.	
LOTHARII	IMP.	14.	8.		
	REG.	16.	8.		
PIPPINI III.	REG.	16.	14.		
LUDOVICI	REG.	14.	5.		
CAROLI	REG.	1.			
INDICTIO		8.			

AN. CH. 830. LUDOV. IMP. 17. LOTHAR. IMP. 14. PIPPINI R. 16. LUDOV. R. 14. CAROLI R. 1.

LUDOVICUS Imperator ineunte anno Redemptoris octingentesimo tricesimo, seu *transactis* apud Aquisgranum, ut Annalista Metensis testatur, *Nativitatis Domini & Sanctæ Epiphaniæ solemniter diebus, cum quibusdam Optimatibus suis Placitum memorato Aquisgrani Palatio tenuit. In quo consideratum est, ut instanti hyemali tempore in Brittanniam hostiliter pergeret, pro [illegible]sdam Brittonibus, qui eodem tempore rebellabant.* Et apud Annalistam Bertinianum Imperator in prædicto Aquisgranensi Conventu *statuit cum universis Francis hostiliter in partes Britanniæ proficisci, maximéque hoc persuadente Bernardo Camerario.* Idem Auctor sermonem ad iter Imperatoris statim convertit. *Non multò pòst,* inquit, *Aquis exivit, id est, IV feriâ, qua dicitur Caput Jejunii,* seu postridie Kalendas Martias, hoc enim anno Pascha decimo-quinto Kalendas Maji celebratum fuit. I. CONVENTUS AQUISGRANENSIS.

Wala Corbeiæ veteris Abbas, morbo quo laborabat recreatus, adiit Aquisgranum; Conventui, de quo suprà, præsens interfuit; sub idem verò tempus, quo Ludovicus Augustus Aquisgrano discessit, ipse Monasterium suum ad Somonam repetit. Haud ignorabat impias molitiones, quas homines seditiosi nefariè jam meditabantur, duobus, ut inferiùs patebit, ejusdem Ludovici filiis, Lothario videlicet Augusto, & Pippino Aquitaniæ Rege, ad rebellionem contra patrem provocatis. Consule ipsius Walæ vitam, quam Lucas Dacherius & Joannes Mabillonius Tomo primo Seculi quarti Benedictini publicarunt. In ea seriem prædictarum Rerum per ordinem digestam reperies. Cave autem ne vera credas quæcumque Bernardo Septimaniæ Duci per malitiam imponuntur. Auctor enim Lotharianis partibus favet, habétque multa, quæ nullam prorsus fidem promerentur. Interrogatus, cur Wala, sive Arsenius ut vocat, Pala- II. IN QUO PRIMI DE CONJURATIONE CONTRA LUDOVICUM AUG. SERMONES HABENTUR, ANNUENTE WALA CORBEIÆ VETERIS ABBATE.

AN. CH. 830. LUDOV. IMP. 17. LOTHAR. IMP. 14. PIPPINI R. 16. LUDOV. R. 14. CAROLI R. 1.

tinis se rursus negotiis ac tumultibus immisceret, ita respondet. *Cùm jam de sua infirmitate convaluisset, cœpit audire undique flagitiosa & obscœnissima, turpia & inhonesta, non qualiacumque, sed qualia nunquam in isto nostro audita sunt seculo. Pro quibus profectò mox commota sunt omnia viscera ejus pietatis affectu, eò quòd esset theatrum honestatis olim Palatium factum, in quo tanta sortilegarum præstigia recidiva scaturierunt, quanta in omni mundo jam non credebantur esse. Nec enim poterat se continere præ dolore & amore à fletibus, cùm hæc illi à bonis, & summis, ac veracissimis die noctúque nuntiarentur viris, quia quantò plùs Ecclesiam Christi & Augustum unà cum populo & prole dilexerat, tantò magis afficiebatur doloribus. Veniebant autem & primi Palatii ex utroque ordine, qui omnia ita esse asserebant, imò pejùs quàm vulgò dicebatur. Tum ipse per se delegit illuc qualitercunque venire, si fortè quivisset suis argumentosè persuasionibus aut consiliis subvenire, furia illa ut rediret, antequàm perturbaret omnia & subverteret. Qui veniens egit quodcumque potuit, & cum Augusto & cum Proceribus locutus est quod intellexerat, & præmonuit in his quæ fiebant quod senserat. Nam & belluæ factiosissimæ, quia priùs ei pater ejus & ipse amicissimi fuerant, affatus est fideliter cum omni amicitiarum obsequio. Nec immeritò igitur, eò quòd olim uxorem sibi sororem ipsius, filiam nobilissimi viri & magnificentissimi duxerat. Unde ab incunabulis quasi pater circa eum in omnibus pium gerebat affectum, curam, ac sollicitudinem, plùs etiam quàm si pater esset. Sed cùm vidisset, quòd cæcus jam mente alienatus esset, & per præceps rueret; dixit quodcunque potuit, licèt jam moribus efferatus, quia felle concupiscentiarum inebriatus erat, audire noluisset. Sicque cùm in nullo proficere se vidisset, prospectis omnibus dolens ac gemens ad Monasterium sine effectu remeavit.* Auctor in hoc textu suum prodit odium adversùs Bernardum Septimaniæ Ducem, quem vocat *furiam* & *belluam factiosissimam*, atque *cæcum, mente alienatum, moribus efferatum*, & *felle concupiscentiarum inebriatum esse*. Quòd autem scribit Bernardi patrem ipsúmque Bernardum Walæ amicissimos fuisse, quia Wala *olim*, id est, antequàm Corbeïensis Monachus fieret, ejusdem Bernardi sororem in matrimonium duxerat, id maximè videtur observandum, alium enim, qui loquatur de uxore Walæ, vix reperias, licèt plures Bernardo sorores extitisse nullus inficietur. Lege Tomo superiore, quæ de Willelmo Bernardi patre, ejúsque uxoribus ac liberis dicta sunt.

III. ANSCHARIUS FIT ARCHIEP. HAMBURGENSIS.

Anscharius & Witmarus Corbeïenses Monachi, cùm Sueonum gentem primis Christianæ fidei rudimentis per sex posteriores prioris anni menses instruxissent, ad Ludovicum Augustum Aquisgrani commorantem ineunte hoc anno redierunt, & Anscharius, antequàm Conventus Aquisgranensis solveretur, ordinatus est primus Hamburgensis Archiepiscopus. Anno superiore Chronologiam per antecessum jam examinavimus. Quomodo verò res gestæ sint, accipe ex Remberto ipsius Anscharii discipulo ac successore. *Peracto apud eos*, nempe Sueones, *altero dimidio anno, præfati servi Dei* Anscharius & Witmarus *tum certo suæ Legationis experimento, & cum literis Regiâ manu more ipsorum effirmatis, ad Serenissimum reversi sunt Augustum. Qui honorificè & cum maxima pietatis benevolentia ab eo suscepti narraverunt quanta Dominus secum egerit, & quòd ostium fidei in illis partibus ad vocationem Gentium patefactum fuerit. Hoc itaque devotissimus audiens Imperator immenso lætificabatur gaudio, pariterque recolens quæ jam olim apud Danos circa Dei cultum concepta fuerant, & laudes & gratias Omnipotenti Domino referens, ardore fidei incensus quærere cœpit, quomodo in partibus Aquilonis in fine videlicet Imperii sui Sedem constituere posset Episcopalem, unde congruum esset Episcopo ibi consistenti, causâ prædicationis, illas frequentiùs adire partes, & unde etiam omnes illæ barbaræ nationes faciliùs uberiúsque capere valerent Divini Mysterii Sacramenta.* Et paulò pòst. *Istâ factâ occasione, quâ jam fides Christi in partibus Danorum atque Sueonum per gratiam Dei fructificare cœperat, cognito patris sui Caroli voto*, de quo sermonem Tomo priori [a] fecimus, *ne quid*

[a] Ad an. 814. n. 67.

AN. CH. 836.
LUDOV. IMP. 17.
LOTHAR. IMP. 14.
PIPPINI R. 16.
LUDOV. R. 24.
CAROLI R. 1.

ejus *studii imperfectum remaneret, unà cum consensu Episcoporum ac plurimo Aquisgranensis Synodi Conventu, in præfata ultima Saxoniæ regione trans Albiam, in civitate Hammaburg, Sedem constituit Archiepiscopalem, cui subjaceret universa Nordalbingorum Ecclesia, & ad quam pertineret omnium regionum Aquilonarium potestas, ad constituendos Episcopos sive Presbyteros in illas partes pro Christi nomine destinandos. Ad hanc ergo Sedem Domnum & Patrem nostrum Anscharium prædictus Imperator solemniter consecrari fecit Archiepiscopum, per manus Drogonis Mettensis Præsulis, & summæ sanctæque Palatinæ Dignitatis tunc Archicapellani; adstantibus Archiepiscopis, Ebbone Remensi, Hetti Trevirensi, & Otgario Moguntiacensi, unà cum pluribus aliis in Conventu Imperii Præsulibus congregatis, assistentibus quoque & consentientibus ac pariter consecrantibus Helingaudo & Willerico Episcopis, à quibus jam dictas Parochiæ illius partes commendatas ceperat*, id est, Episcopis Helingaudo sive Helingando Verdensi & Willerico Bremensi, quibus anteà tanquam vicinis Episcopis curam Trans-Albianæ Saxoniæ commiserat, ut liquet ex iis quæ Tomo superiore post obitum Caroli Magni dicta sunt ad annum Redemptoris octingentesimum decimum-quartum [a]. Anscharius, quando promotus est ad Archiepiscopatum, natus erat annos triginta. Rembertus enim annum Præsulatûs tricesimum-quartum cum anno ætatis sexagesimo-quarto sic in ejus vita componit. *Ætatis suæ anno sexagesimo-quarto, Episcopatûs verò trigesimo-quarto, gravi cœpit corporis morbo laborare.* Nullus in tota lucubratione Character occurrit, qui magis ac securiùs ad stabiliendam Chronologiam conducat. Anscharius igitur natus est anno Redemptoris octingentesimo, & quæcumque de illo memorantur, huic illiganda sunt epochæ. Drogo Metensis Episcopus ad annum, quo Anscharium Hamburgensem Archiepiscopum ordinavit, à Remberto suprà citato vocatur perperam Archicapellanus, illam enim Dignitatem in Palatio seriùs post Fulconem proximum Hilduini successorem obtinere cœpit. Lege inferiùs ad annum Redemptoris octingentesimum tricesimum-quartum, quæ dicentur de Drogone in observationibus ad Præceptum Ludovici Augusti de Institutione Archiepiscopatûs Hammaburgensis.

[a] Num. 67.

IV.

CELLA TURHOLTANA PRÆFICITUR.

Ut Carolus Magnus Heridago Presbytero, qui curam Ecclesiæ Trans-Albianæ susceperat, *Cellam, Hrodnace vocatam*, in Gallia *delegavit, quatenus loco periculis undique circundato fieret supplementum*; sic & Ludovicus ejus filius, *quia Diœcesis* Hammaburgensis *in periculosis fuerat locis constituta, ne propter barbarorum imminentem sævitiam aliquomodo deperiret, & quia omnimodis parva erat, quamdam Cellam in Gallia, Turholt vocatam, ad eamdem Sedem perpetuò servituram ejus Legationi tradidit.* Hæc Rembertus loco jam citato. Turholtum autem seu Torholtum ad Tornacensem Diœcesim tunc pertinebat, hodie ad Brugensem.

V.

IT ROMAM. A GREGORIO PP. PALLIUM OBTINET. LEGATUS PER SUECIAM, DANIAM, ATERASQUE BOREALES REGIONES CUM EBBONE ARCHIEP. REMENSI CONSTITUITUR.

Denique Ludovicus, *ut quæ præmissa sunt, perpetuum suæ stabilitatis retinerent vigorem, eum*, nempe Anscharium Hammaburgensem Archiepiscopum recèns ordinatum, *honorabiliter ad Sedem direxit Apostolicam, & per Missos suos Venerabiles Bernoldum & Rateldum Episcopos*, id est, Bernoltum seu Bernaltum Episcopum Strasburgensem, & Rateldum seu Rotaldum Suessionensem Episcopum, *ac Geroldum Illustrissimum Comitem, omnem hanc rationem Sanctissimo Papæ Gregorio intimari fecere confirmandam. Quod etiam ipse tam Decreti sui auctoritate, quàm etiam Pallii datione, more prædecessorum suorum roboravit, atque ipsum in præsentia constitutum Legatum in omnibus circumquaque gentibus Sueonum, Danorum, Farriæ, Gronlandon, Islandon, Scridevindon, Sclavorum, necnon omnium Septentrionalium atque Orientalium nationum quocumque modo nominatarum, unà cum Ebbone Remensi Archiepiscopo, qui ipsam Legationem antè susceperat, delegavit, & ante corpus & confessionem Sancti Petri Apostoli publicam evangelizandi tribuit auctoritatem, & ne horum quidquam in futurum irritum fieret, omnem resistentem & contradicentem, vel*

AN. CH. 830. LUDOV. IMP. 17. LOTHAR. IMP. 14. PIPPINI R. 16. LUDOV. R. 14. CAROLI R. 1. [a] D 3. Febr. VI.

quolibet modo his sanctis studiis Piissimi Imperatoris insidiantem, anathematis mucrone percussit, atque perpetuâ ultione reum diabolicâ sorte damnavit. Huc usque Rembertus, cujus auctoritas eò potior, quòd Anscharii discipulus ac proximus in Archiepiscopatu successor fuit, & in plerisque Ludoviciano Diplomate nititur ad annum Redemptoris octingentesimum tricesimum-quartum infrà describendo. Codices autem Budecensem & Hamburgensem, quos Joannes Bollandus [a] in Commentario vitæ Sancti Anscharii prævio citavit, hoc loco secuti sumus; cur id fecerimus, rationem mox reddemus, cùm de finibus prædictæ Legationis accuratam disputationem inibimus.

Gregorii Quarti Papæ Diploma Pontificium à Remberto suprà laudatum ediderunt, Erpoldus Lindenbrogius in Privilegiis Archi-Ecclesiæ Hammaburgensis, Joannes Isacius Pontanus in rebus Danicis, Philippus Cæsar in Triapostolatu Septemtrionis, Petrus Lambecius in Originibus Hamburgensibus, & Joannes Bollandus ad vitam Sancti Anscharii. *Gregorius Episcopus servus servorum Dei, omnium fidelium dinoscentiæ certum esse volumus, qualiter beatæ memoriæ Præcellentissimus Rex Karolus* [1]*, tempore prædecessorum nostrorum, divino afflatus Spiritu, gentem Saxonum sacro cultui subdidit, jugumque Christi, quod suave ac leve est, ad usque terminos Danorum sive Slavorum, corda ferocia perdomans docuit, ultimámque Regni ipsius partem trans Albiam inter mortifera Paganorum pericula constitutam, videlicet ne ad ritum relaberetur Gentilium, vel etiam quia lucrandis adhuc gentibus aptissima videbatur, proprio Episcopali vigore fundare decreverat. Sed quia mors effectum prohibuerat, succedente ejus Præcellentissimo filio Hludewico* [2] *Imperatore Augusto, pium studium sacri Genitoris sui efficaciter implevit. Qua ratio nobis per Venerabiles Ratoldum* [3] *sive Bernoldum* [4] *Episcopos, necnon & Geroldum Comitem vel Missum Venerabilem relata est confirmanda. Nos igitur omnem ibi Deo dignam statutam providentiam cognoscentes, instructi etiam præsentiâ Fratris Filiique nostri Anscharii, primi Nordalbingorum Archiepiscopi, per manus Drogonis Metensis Episcopi consecrati, sanctum studium magnorum Imperatorum, tam præsenti auctoritate, quàm etiam Pallii datione* [5]*, more prædecessorum nostrorum roborare decrevimus; quatenus tantâ auctoritate fundatus prædictus filius noster ejúsque successores lucrandis plebibus insistentes, adversùs tentamenta diaboli valediores existant, ipsúmque filium nostrum jam dictum Anscharium & successores ejus Legatos in omnibus circumquaque gentibus Danorum, Sueonum, Norweborum, Farriæ, Gronlandan, Halsingelandan, Islandan, Scridevindum, Slavorum, necnon omnium Septentrionalium & Orientalium nationum quocumque modo nominatarum delegamus unà cùm Ebbone Remensi Archiepiscopo; statuentes ante corpus & confessionem Sancti Petri, publicam evangelizandi tribuimus auctoritatem, ipsamque Sedem Nordalbingorum, Hammaburg dictam, in honore Salvatoris sanctæque ejus & intemeratæ Genitricis semper Virginis Mariæ consecratam, Archiepiscopalem deinceps esse decernimus. Consecrationem verò succedentium Sacerdotum, donec consecrantium numerus ex gentibus augeatur, sacræ Palatinæ providentiæ interim committimus. Strenui verò prædicatoris persona* [6] *tantóque officio apta in successione semper eligatur; omnia verò à Venerabili Principe ad hoc Deo dignum officium deputata* [7]*, nostrâ etiam auctoritate pia ejus vota firmamus; omnémque resistentem vel contradicentem* [8]*, atque piis nostris studiis his quolibet modo insidiantem, anathematis mucrone percutimus, atque perpetuâ ultione reum diabolicâ sorte damnamus, ut culmen Apostolicum more prædecessorum nostrorum, causámque Dei pio affectu zelantes ab adversis hinc inde partibus tutiùs muniamur. Et quia te, carissime fili, Anschari; divina Clementia nova in Sede primum disposuit esse Archiepiscopum, nos* [9] *quoque Pallium tibi ad Missarum solemnia celebranda tribuimus, quod tibi in diebus tuis, uti & Ecclesia tua perpetuo statu manentibus Privilegiis uti largimur. [Idcircà hujus indumenti honor morum à te vivacitate servandus est. Si ergo pastores ovium Sole gelúque pro gregis sui custodia, ne qua*

[1] Karolus,
[2] Hludewico. Ludovico
[3] Ratolfum
[4] Vernoldum, Vernoldum
[5] donatione,
[6] personâ tantóque officio apta eligatur semper successio.
[7] deputata pariter etiam pia ejus vota auctoritate firmamus.
[8] contradicentem anathematis &c.
[9] nosque Pallium ad

ex eis aut errando pereat, aut ferinis lanianda morsibus rapiatur, oculis semper vigilantibus circumspectant; quanto sudore quantâque curâ debeamus esse pervigiles, nos qui Pastores animarum dicimur, attendamus. Et ne susceptum officium in terrenis negotiis aliquatenus implicare debeas, ammonemus. Vita itaque tua filiis tuis sit via; in ipsa, si qua fortitudo illis inest, dirigant, in ea quod imitentur aspiciant, in ipsa se semper considerando proficiant, ut tuum post Deum videatur esse bonum quod vixerint. Cor ergo tuum neque prospera, quæ temporaliter blandiuntur, extollant, neque adversa dejiciant; districtum mali cognoscant, pium benevolè sentiant. Insontem apud te culpabilem malitia aliena non faciat, reum gratia non excuset; viduis ac pupillis injustè oppressis defensio tua subveniat. Ecce, frater carissime, inter multa alia ista sunt Sacerdotii, ista sunt Pallii, quæ si studiosè servaveris, quod foris accepisse ostenderis, intus habebis.] Sancta Trinitas Fraternitatem [10] tuam diu conservare dignetur incolumem, atque post hujus [11] seculi amaritudinem ad perpetuam perducat beatitudinem. Adhortatio de Pallio & bono Pastore, quam his notis [] inclusimus, desideratur in editionibus Lindenbrogiana & Lambeciana. Pontanus addit in fine Diplomatis. *Amen. Datum anno 834.* Sed illis temporibus Romani Pontifices in suis Diplomatibus annos ab Incarnatione Domini non apponebant. Ludovicus Augustus pro Anschario Archiepiscopo Præceptum, quod suo loco recitabimus, emisit Idibus Maiis, anno Imperii sui vicesimo-primo, Indictione duodecimâ. Hi Characteres in annum Redemptoris octingentesimum tricesimum-quartum conveniunt. Falluntur autem, qui Diploma Gregorianum eodem quo Ludovicianum anno datum putant. Ludovicos enim suum Gregoriano recentius satis ostendit, ubi non suam tantùm sed & Romanæ Sedis auctoritatem allegat. *Tam nostrâ*, inquit, *quam Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Sedis auctoritate hanc Deo dignam in gentibus commisimus Legationem.*

AN. CH. 830. LUDOV. IMP. 17. LOTHAR. IMP. 14. PIPPINI R. 16. LUDOV. R. 14. CAROLI R. 1.

[10] vitam suam conservare

[11] deest hujus

VII. Quibus finibus hæc Legatio circumscriberetur, in controversiam vocari potest. In editione Bollandiana Gregorius *Anschârium Legatum* statuit *in omnibus circumquaque gentibus Sueonum sive Danorum, necnon etiam Slavorum, vel in ceteris, ubicumque illis in partibus constitutis divina pietas ostium aperuerit.* In editionibus Lindenbrogiana & Lambeciana delegat *Anscharium & successores ejus Legatos in omnibus circumquaque gentibus Danorum, Sueonum, Norttweborum, Farriæ, Gronlandan* [a], *Halsingolandan, Islandan, Scridevindum, Slavorum, necnon omnium Septentrionalium & Orientalium nationum quocumque modo nominatarum.* Apud Joannem Isacium Pontanum in rebus Danicis [b], idem Gregorii Diploma profertur cum mentione *Farriæ, Gronlandorum, Helsinglandorum, Islandorum, Scrichfindorum.* Et Ludovicus Augustus apud Lindenbrogium & Lambecium in Diplomate, quod ad annum Redemptoris octingentesimum tricesimum-quartum recitabimus, ita loquitur. *Nostris in diebus, Aquilonaribus in partibus, in gentibus videlicet Danorum, Sueonum, Nortweorum* [c], *terræ Gronlandon, Hallingalandon, Islandon, Scredevindon, & omnium Septentrionalium & Orientalium nationum, magnum celestis gratiæ prædicationis sive adquisitionis patefecit ostium.* Textus autem mendosus est in his verbis, *terræ Gronlandon*, quorum loco legenda sunt ista, *Farriæ, Gronlandon.* Post Gregorium Quartum Romani sederunt Pontifices, Sergius Secundus, Leo Quartus, Benedictus Tertius, Nicolaus Primus, & Hadrianus Secundus. Hi quinque Pontifices Anschario & Remberto Hamburgensibus Archiepiscopis Privilegium Gregorii Quarti renovarunt, Metropolitico jure per nationes suprà recensitas Hamburgensi Ecclesiæ confirmato. Tres nos potissimùm, ut ita sentiamus, rationes adducunt. Joannes Bollandus ex Codicibus Budecensi & Hamburgensi jam citatis, Anscharium ut à Gregorio Quarto constitutum, sic & à Nicolao Primo confirmatum ait Legatum *in omnibus circumquaque gentibus Sueonum, Danorum, Farriæ, Gronlanden, Islanden, Scridevindon, Sclavorum, necnon*

[a] Lambec. Gronlanden.

[b] Lib. 4.

[c] Lindenbr. Nortveon.

AN. CH. 830. LUDOV. IMP. 17. LOTHAR. IMP. 14. PIPPINI R. 16. LUDOV. R. 14. CAROLI R. 1.

omnium Septentrionalium atque Orientalium nationum, quocumque modo nominatarum. In Actis Sancti Reimberti Sedes Archiepiscopalis Hamburgi constituitur, *unde prædicatio verbi Dei finitimis fieret populis Sueonum, Danorum, Nortweborum, Farriæ, Gronlandan, Islandan, Scridevindan, Sclavorum, necnon omnium Septentrionalium & Orientalium nationum quocumque modo nominatarum.* Et Innocentius Secundus Papa in literis ad Adalberonem Hamaburgensem Archiepiscopum datis *Romæ*, VI *Kalend. Junii, Indictione* XI, *Incarnationis Dominicæ anno* MCXXXIII, confirmat Ecclesiæ Hammaburgensi, *ad formam Privilegiorum Gregorii, Sergii, Leonis, Benedicti, Nicolai, & Adriani, Episcopatus Daciæ, Swediæ, Norvegiæ, Farriæ, Gronlandiæ, Halsingalandiæ, Islandiæ, Scridivindiæ, & Slavorum.* Ad Legationem igitur Anscharii, præter nationes Slavorum cis mare Balticum in Germania sitas, pertinuerunt Dania, Suecia, Scrictefinnia seu Scridivindia, Halsingalandia sive Helsingia, Nordmannia seu Norwegia, Farria, Islandia & Groelandia. Daniæ nomine Jutiam peninsulam olim Cimbricam intellige cum Insulis Fionia, & Selandia, necnon & Sconia quæ pars est veteris Scanziæ seu Scandinaviæ. Ætate Adalberti Hamburgensis Archiepiscopi, qui Præsulatum ab anno Christi millesimo quadragesimo-tertio ad millesimum septuagesimum-secundum gessit, in Jutia quinque civitates erant Episcopales, Slesvicum, Ripa, Arhusia, Wiberga, & Wendila; Farria & Fionia, quamvis haud parum dissitæ, uni suberant Episcopo; in Sconia Dalboia civitas erat Episcopalis. Eâdem ætate, tres in Suecia Sedes erant Episcopales, Scaræ, Sigdunæ, & Byrcæ. Norwegia, ut in duas partes, Australem videlicet ac Borealem sic & in duos distinguebatur Episcopatus; in Norwegia Meridionali Sedes Episcopi non erat fixa, Nidrosiæ verò fixa erat in Norvegia Septentrionali. Adamus Auctor Adalberto Hamburgensi Archiepiscopo synchronus *in confinio Sueonum vel Nordmannorum contra Boream* collocat Scritefinnos, quorum Episcopus Halsinodensis dicebatur, & Sedem habebat Helsingiæ quæ primaria civitas erat provinciæ cognominis sive Halsingalandiæ. Idem Auctor Farriam ponit *in ostio fluminis Albiæ*, addítque Monasterium ibi constructum ab Eilberto Episcopo Fioniæ, nec aliam quæras rationem, cur ambæ Insulæ, Fionia & Farria eidem paruerint Episcopo, quem nonnumquam Farriensem dictum reperies. Idem quoque Adamus in descriptione gentium Septentrionalium non omisit *Insulas Island & Gronland*, quibus à prælaudato Adalberto Metropolita datus est Episcopus; inter primarias urbes Islandiæ numeratur Scalholtum, ibi fixa Sedes Episcopi, qui nuncupatus inde Scalholtanus. Si plura cupis, lege Historiam Ecclesiasticam istius Auctoris à capite quadragesimo-quarto libri quarti usque ad finem operis. Quæ præmisimus, satis supérque sunt, ut intelligas, quibus limitibus Legatio Anscharii Hamburgensis Archiepiscopi circumscriberetur. Res gestas illius ac successorum enarrabimus, quandiu Hamburgum & Brema sub potestate Francorum permanebunt.

VIII. Ebbo Remensis Archiepiscopus, quem Paschalis Papa Legatum per Septentrionales provincias constituerat, in Gregoriano Diplomate memoratur unà cum Anschario Hammaburgensi Archiepiscopo. De utroque sic Rembertus in hujus Anscharii vita. *Eadem Legatio auctoritate Paschalis Papæ Ebboni Remensi Archiepiscopo priùs commendata fuerat. Siquidem ipse, ut credimus, divino afflatus Spiritu, pro vocatione gentium, & maximè Danorum, quos in Palatio sæpiùs viderat, & diabolico deceptos errore dolebat, ferventissimo ardebat desiderio, & pro Christi nomine se suáque omnia ad salutem gentium tradere cupiebat. Cui etiam Dominus Imperator locum unum ultra Albiam, qui vocatur Welanao, dederat, ut quoties illas in partes pergeret, locum subsistendi ibi haberet. Multoties itaque ad eumdem venit locum, & pro lucrandis animabus multa in Aquilonis partibus dispensavit, ac plurimos Religioni Christianorum adjunxit, ac*

AN. CH. 830.

que in fide Catholica roboravit. Verùm post ordinationem Domni & Patris nostri Anscharii superiùs comprehensam, visum est illis, nempe Ebboni & Anschario, de eadem Legatione inter se conferentibus, necessarium esse, ut aliquis illi, id est, Anschario, ordinaretur adjutor, qui in partibus Sueonum Ministerii Episcopalis officio fungeretur, quoniam in regione tam longè posita præsens adesse deberet Pontifex, & ipse solus ad utrumque locum minùs sufficeret. Cum consensu itaque & voluntate prædicti Imperatoris, Venerabilis Ebbo quemdam propinquum suum, Gautbertum nomine, ad hoc opus electum & Pontificali insignitum honore, ad partes direxit Sueonum, ut dicemus anno sequenti. Interim redeamus ad Imperatorem, qui exivit Aquisgrano feriâ quartâ, quæ dicitur Caput Jejunii, seu postridie Kalendas Martias, ut probatum suprà.

GAUTBERTUS ORDINATUR EP. AD SUEONUM CONVERSIONEM PROCURANDAM.

IX.

LUDOVICUS AUG. ITINERE IN BRITANNIAM SUSCEPTO,

Ludovicus, Annalistâ Bertiniano teste, statuit cum universis Francis hostiliter in partes Britanniæ proficisci, Aquis exivit valdè pedum ægritudine laboriosus, statuit per maritima loca illuc properare, domnâ Imperatrice in Aquis dimissâ. Ut autem insignis erat pietate, celebria in itinere Monasteria, Centulense Sancti Richarii, Leuconaense Sancti Walarici, & Sitivense Sancti Audomari, adiit orationis causâ, Placitum posteà celebraturus apud Redonas civitatem terminis Britanniæ contiguam. In itinere Centulâ nondum aditâ, decimo-quarto Kalendas Aprilis rogatus à Fridugiso Abbate Sitivensi, Præceptum Immunitatis emisit, quo Præceptum confirmavit Sitivensi Monasterio à Carolo patre concessum. Præceptionis Ludovicianæ meminit Jacobus Malbrancus libro quinto * de Morinis cum hac subscriptione. *Signum Ludovici Sereniss. Imperatoris. Durandus Diaconus ad vicem Fridogisi recognovi & subscripsi. Data 14 Kal. April. anno Christo propitio 17 Imperii, Indict. 8. Actum Palatio Niubem.* Locum hunc Malbrancus interpretatur Noviomagum, & de Noviomagensi Conventu sic scribit. *Cùm anno 830 res Francorum fuissent, propter filiorum Ludovici animos haud leviter ex vehementi in Juditham novercam suspicione sauciatos, maximo in discrimine constitutæ, Imperator cum Lothario primogenito Imperii College comitia publica init Noviomagi *, ubi res Judicum sententiis composita. Eò venerant cum armata manu Hilduinus Abbas S. Dionysii & Walachus S. Adalardi frater Corbeiæ Præsul, sed ad Monasterium regredi jussi sunt. Adfuit verò Fridogisus noster, & Cæsaris pacata cernens negotia, opportunâ usus est occasione. Secum tulerat insigne Caroli Magni Privilegium quo Sitivensi familiæ libertates & immunitates sartas tectas servare cautum erat; sua, eo exhibito, petiit novo Diplomate roborari, sed etiam novos suggerens ingerénsque articulos, rem obtinuit ampliatam.* In hoc textu multi sunt nævi, quos infrà tollet accurata rerum hoc anno gestarum per ordinem enarratio. Noviomagensis enim Conventus hoc anno celebratus est mense Octobri, Indictione nonâ jam inchoatâ, nec in illo Placito data dici potest, quæ decimo-quarto Kalendas Aprilis, Indictione octavâ consignatur Charta pro Monasterio Sitivensi. Fallitur etiam Malbrancus, cùm ait Hilduinum & Walachum Abbates ad sua Monasteria remissos fuisse. Id quidem verum est de Walacho, nequaquam autem de Hilduino. Audi per antecessum quid de Hilduino Astronomus in vita Ludovici Pii scribat. *Imperator volens adhuc vires adversariorum attenuare, Hilduinum Abbatem culpans interrogavit, cur quum simpliciter venire jussus sit, hostiliter advenerit. Qui quum negare nequiret, continuò ex Palatio exire jussus est, & cum paucissimis hominibus juxta Patrisbrunnam * in expeditionali tabernaculo hyemare.* De loco ambigimus, ubi data pro Monasterio Sitivensi Charta, de qua loquimur. Si *Niubem* Noviomagum significat, fortè non malè Noviomagum * Viromanduorum interpretaberis, quia propiùs accedit ad ea quæ Ludovicus adiit Monasteria.

EDIT PRÆCEPTUM PRO MON. SITIVENSI,

* Cap. 59.

* Nimègue.

* Paderborn.

* Noyon.

ADIT VARIA MONASTERIA,

X.

CENTULENSE,

Imperator iter prosecutus ad Centulense Monasterium venit. Hariulfus illius loci Chronographus capite secundo libri tertii sic habet. *Tempore isto cùm contigisset Hludoguicum Gloriosum Augustum Pontivam intrare provin-*

AN. CH. 830. LODOV. IMP. 17. LOTHAR. IMP. 14. PIPPINI R. 16. LUDOV. R. 14. CAROLI R. 1.

ciam, venerabile Templum Sancti Richarii orationis gratiâ petivit. Deinde quid ab Imperatore Centulenses Monachi postulaverint, sic exponit. *Fratres Monasterii timentes ne aliquis de parentela Hentonis villam Sidrudem sibi usurparet, Majestatem Regiam exorant & suadent, ut super hac & super omnibus, quas aliquo eventu perdere metuebant, villis, & quas Karolus Magnus ejusdem genitor dono Regio contulerat, suæ auctoritatis Præceptum firmaret, quo jam dicta villa, vel alia possessiones, absque alicujus contradicto, Monasterio libere deservirent; & ut nemo Abbatum futurorum ex eis aliquam à loci dominio ulterius auferens alicui donaret.* Cur Sidrudi potissimùm villæ timerent hi Monachi, rationem præmisit idem Chronographus capite præcedenti, quod penè ad verbum mutuatus est ex primo libro [a] de Miraculis Sancti Richarii scriptis à Centulensi Monacho longè vetustiore, qui vivebat anno Redemptoris octingentesimo sexagesimo. Sic autem hic Anonymus. *Obtinuit beneficio ipsius Principis* Ludovici Pii *Hericus Abbas regimen Monasterii Beati Richarii, quod dum teneret, adeptus est quidam suis precibus ex vassallis ipsius, nomine Hento, villam Sidrudem, quæ erat in sorte Fratrum deputata ad calciamenta & ad quædam illorum alia vestimenta. Ipsa est nimirum, quam antiqua suis posteris intimavit industria per generationis ordinem, quam Venerabilis Pater noster Richarius solebat mansionis hospitium tenere, cùm Oceani æquoreos transfretare campos studuerat, partim salutiferæ incumbens prædicationi regionis Britanniæ, partim etiam in captivorum desudabat redemptione. Fuit enim propè nemus, quod usque hodie aliquod sui dat indicium, ubi illum accolæ loci ipsius, & inde iter carpendo, & inde redeundo, lassitudinem corporis temperare, & sacras fundere orationes, lineâ genealogia ducente prodiderunt. Inter quæ erat quædam fagus, juxta quam jugiter ipsum consueta insistere orationi iidem coloni tradiderunt, quæ posteà ab illis inreverenti honore habita est. Quam animi devotionem sancti viri ut quædam nobilis fœmina, quæ vocabatur Sygetrudis, à qua posteà ipsum territorium obtinuit nomen, in tanto caritatis glutino dilexit eum, ut ei ipsam villam traderet perpetuò habendam. Hanc dum consecutus esset prædictus Hento, cœpit liberâ eâ uti potestate. Quadam autem die dum rura illius circuiret, super jam dictam fagum venit, quam dum enormem esse intuitus esset, jussit incidi, & quia apta esset ad ministerium foci judicavit. Cui sui servi professi sunt se minimè hoc audere perpeti, eò quòd paternâ traditione didicissent illam esse sacratum fustem, & ibi Beatum Richarium consuevisse orare, cùm transmarinos peteret fines, & ei omne istius rei capitulum texuerunt. Quod ille superbâ mente contempsit, dicens hanc esse vanam observationem, & ob hoc non debere dimitti ut non incideretur. Quâ vi constricti fecerunt ut à suo domino acceperant mandatum. Sed dum incisa fuisset & per partes truncato, superiores findi potuerunt. Et cùm ventum esset ad penultimum, invenerunt ibi capillos, velut reliquias, & quasdam barbæ incisiones. Quod cùm ceteri in honore haberent, ille omne jussit spargere, confirmans dementium opus esse. Cùm verò ultimum findere tentassent cum malleis & cuneis & omni hujus generis machinamento, reppulit omnia, & indivisibilis permansit. Et dum fatigarentur casso labore, ita ut erat integer, jussit carru imponi, & ad domum ubi ipse habitabat deferri, & vocavit quemdam colonum, nomine Herrardum, cui delegata est provincia illius, rogans sibi equum adducere, & ut ipse secum iret gratiâ leporini venatûs imperavit. Erat enim ipse Herrardus hujus ludi sciolus. Et ubi vix equitassent spatium, quantum bis aut ter jactus est fundæ, cœpit anxiari & se profiteri graviter infirmitate torqueri. Qui dum hortaretur à prædicto Herrardo, ut si descendisset equo, & paullatim in sinu quievisset illius, sperare se illum leviùs habere, consensit & nequaquam illi levamen præstitit, sed infirmitate crescente, ut potuit, ad villam unde discesserat remeavit. Servi autem, ut ab illo jussi fuerant, detulerunt partem fagi insectibilem, & ante januam domûs illius projecerunt. Quæ dum ibi jaceret, & nulla spes restaret fissuræ, in ipso die quidam ex colonis; istáne est, ait sociis qui aderant, pars fagi, quam nostri tot molimina * adjuncta findere nequiverunt? Cui cùm fidem rei darent, videtur, inquit,*

[a] Cap. 1.

* Accusativus absolutus.

AN. CH. 830. LUDOV. IMP. 17. LOTHAR. IMP. 14. PIPPINI R. 16. LUDOV. R. 14. CAROLI R. 1.

quit, mihi facili patere divisioni. Et acceptâ securi, quasi tentando, ad primum ictum ferientis illicò divisa est, & inventa est quædam Crux, quæ inserta erat uni ex illis partibus, & in altera velut impressa videretur ostendebat, quam an Sanctus ipse incidisset dum illic orationi vacaret, & crescente mole arboris circumcreta est, an divinitus pro miraculo tanti viri insita, incertum habetur. Hoc illi qui aderant ut viderunt, nimio terrore perculsi sunt. Initoque consilio, ita ut erant partes cum Cruce, intulerunt in apothecam sub custodia cujusdam Heroldi, ad cujus curam ipsum ministerium respiciebat. Qui ostium serâ obfirmans non tantùm propter hujusmodi rem, sed etiam quia quosdam sui domini thesauros ibi servabat, recessit. Nocteque subsequente, cùm se in ipsa apotheca sopori dedisset, & adhuc partes cum Cruce ibi essent, seris & vectibus munivit ostium. Et mane facto nihil de illis partibus, nec de Cruce invenit, atque ingenti metu perterritus omnibus intimare studuit tam mirabile hujuscemodi factum. Quod illi audientes & omni sollicitudine perscrutantes minimè repererunt. Quod & usque hodie manet incognitum. Prædictus verò Heuto quinto ferè die in infirmitate positus spiritum emisit. Hæc autem ita se habere ex multis ipsius villæ incolis, præsertim Herrardi & Heroldi, quos superius posuimus, qui interfuere, testimonio confirmata sunt. Sidrudis à Sygetrude nomen per contractionem traxit, vulgò *Sorris*, appellatur prope Monasteriolum * oppidum. Ex prædicta narratione patet Monachos Centulenses non sine causa veritos esse, ne quis *de parentela Hesetonis* nuper mortui, villam Sidrudem usurpare vellet.

* Montreuil.

XI. LEUCONAEUS.

A Centula Ludovicus ad Leuconaum profectus est, ubi Monasterium Sancti Walarici. Versabatur in hoc Cœnobio, cùm Centulensium Monachorum postulationibus acquievit, emisitque Præceptum, quod in Chronico [a] Centulensi, datum tertio Nonas Aprilis, hoc anno, sive anno ipsius Ludovici Augusti decimo-septimo, Indictione octavâ sic legitur. *In Nomine Domini & Salvatoris nostri Jesu Christi, Hludoguicus divinâ ordinante providentiâ Imperator Augustus. Notum esse volumus cunctis fidelibus Sanctæ Dei Ecclesiæ, & nostris, præsentibus scilicet & futuris, quia dum nos orationis causâ in Beatissimi Confessoris Christi Richarii Basilicam adveniremus, adierunt Celsitudinem nostram Monachi ex eodem Monasterio, deprecantes ut super rebus, quas moderno tempore in quibuslibet pagis & territoriis infra ditionem Imperio nostri ad victum & vestitum eorum habent, nostram auctoritatem firmitatis gratiâ fieri juberemus, per quam decerneremus, ut neque Abbates per tempora ibidem degentes, neque Ministri, aut alia qualibet superioris vel inferioris * ..... persona, de eisdem rebus aliquid abstrahere aut minuere, vel in alios usus retorquere præsumat. Quorum petitionem justam ac rationabilem judicantes, hos Imperiales apices nostros firmitatis gratiâ circa servos Dei ibidem per tempora labentia degentes fieri jussimus, per quos decernimus atque omnimodis sancimus, ut nullus Rector prædicti Monasterii, aut Ministri ejus de rebus, quas moderno tempore in quibuslibet pagis & territoriis infra ditionem Imperii nostri, ad usus & victum atque vestimentum eorum habent, quorum hæc sunt nomina, Cinini-curtem cum Bronoilo, Aldulfi-curtem, Valles, Drusciacum, Novam-villam, Mons-Angelorum, Wiberentium, Bagardus, Curticellam, Crux, Langoratum, Altegiam, Sidrutem, Naiviellam, Verculf, Concilium, Rocconis-montem, Maris, vel quidquid ad supradicta loca præsenti tempore justè & legaliter aspicere videtur, aliquid abstrahere, aut minuere, aut in alios usus convertere, aut paratas, aut lidimonium, aut hostilicium, aut alias quaslibet redhibitiones exigere aut exactare præsumat. Sed eo modo atque tenore, quo nunc, statuimus, teneant atque possideant, ita nostris & futuris temporibus securè atque quietè habeant & fruantur, quatenus ipsos servos Dei in prædicto Monasterio famulantes pro nobis, conjuge prolèque nostra, atque stabilitate totius Imperii nostri perpetim Dei misericordiam exorare delectet. Et ut hæc authoritas per futura tempora inviolabilem atque inconvulsam obtineat firmitatem, manu propriâ subter firmavimus, & annuli nostri impressione signari jussimus. Signum Hludoguici Serenissimi Imperatoris. Data III Non. Aprilis, anno,*

[a] Lib. 3. c. 2.

* f. dignitatis.

AN. CH. 830. LUDOV. IMP. 17. LOTHAR. IMP. 14. PIPPINI R. 16. LUDOV. R. 14. CAROLI R. 1.

Christo propitio, XVII Imperii Domini Hludoguici Piissimi Augusti, Indict.
VIII. Actum Monasterio S. Gualarici feliciter. Amen. Durandus Diaconus ad
vicem Fridusi recognovi & subscripsi. In hoc Diplomate lidimonium seu te-
timonium interpretare servitium, quod litus seu lidus domino suo debet:
& per hostilicium publicam intellige functionem, quâ quis in hostem sive
in exercitum proficisci cogitur.

XII.

SITIVENSE.

ACCIPIT NUNTIUM DE FILIORUM CONJURATIONE.

A Leuconao sive à Cœnobio Sancti Walarici Ludovicus orationis gra-
tia profectus est ad Sitivense seu Sancti Audomari vel Otmari Monaste-
rium, ibique morabatur, cùm primum de tumultu nuncium accepit. Audi
Annalistam Metensem. *Cùm Imperator Britanniam pergeret juxta maritimos*
fines, & in Monasterium Sancti Otmari, quod dicitur Sidiu, causâ orationis per-
venisset, nunciatum est ei, quòd æmuli sui cum filiis, quos de alia uxore olim ha-
buerat, se conjungerent, & eos contra voluntatem suam super se sublimare vellent,
& ut parvulum filium ejus Carolum *ejicerent, & Judith Imperatricem depone-*
rent. Nam, ut multis nobilibus & sapientibus, licèt tardè, visum est, causâ se-
ductionis & malæ voluntatis hoc idem facere nitebantur. Dum enim prædictum
iter Imperator ageret, & ad Rodonicum oppidum, ubi suum Placitum condictum
habebat, tenderet, memorati insidiatores filios suos, Lotharium videlicet & Pip-
pinum, convocantes adduxerunt. Sed Pippinum Aquitanicæ regionis Regem pri-
mò, quia vicinior eis erat, ad Parisiacam urbem patre nolente adduxerunt, &
posteà Lotharium venire fecerunt, ut patri resisterent, eique suam conjugem au-
ferrent. Astronomus sociorum conjurationem fusiùs sic exponit in vita Lu-
dovici. *Circa tempus porrò Quadragesimale, quum Imperator loca mari circum-*
jacentia peragraret, factionis iniquæ principes ulteriùs ferre non valentes occultatum
diu vulnus detegunt. Nam primùm inter se primores fœdere quodam conjurant,
deinde minores sibi aggregant, quorum pars mutationis semper cupida, more ca-
num aviúmque rapacium, quæ alienum detrimentum suum quærunt fieri supple-
tionis augmentum. Freti ergo multitudine & assensu plurimorum, filium Impera-
toris Pepinum adeunt, prætendentes abjectionem suî, Bernardi insolentiam, & cæ-
terorum despectionem, asserentes etiam eum, quod dictu nefas, thori paterni in-
cestatorem: porrò patrem adeò quibusdam præstigiis elusum, ut hæc non modò non
vindicare, sed nec advertere posset. Oportere ergo dicebant bonum filium indignè
ferre dedecus paternum, ablatísque è medio restituere patrem & menti & dignitati,
& hoc agentem non solùm fama virtutis prosequeretur, sed etiam amplificatio Re-
gni terrestris, hoc nomine prætexentes culpam. His ergo incitamentis allectus ju-
venis, cum eis & multis copiis suorum per Aurelianensem urbem, sublato inde
Odone, Pippini Regis leviro, quem propter illam affinitatem suas ad par-
tes se tracturos frustra speraverant, *& restituto Matfrido, Werimbriam * us-*

VENIT COMPENDIUM.

que venerunt. At vero Imperator, ut eorum conspirationem contra se & uxorem
Bernardúmque obstinatissimè comperit feraliter armatam, Bernardum quidem fu-
gæ præsidio se committere permisit, uxorem autem Lauduni esse, & in Monasterio
*Sanctæ Mariæ consistere voluit, ipse autem Compendium * petiit.* Compendium
& Werimbria villæ Regiæ Palatiis Regiis insigniebantur, adsidebant Isaræ
in Diœcesi Suessionica, Compendium ad confluentes Axonæ * in Isa-
ram *, infrà verò Werimbria, quam Verinbream quoque & Vermeriam
veteres appellarunt Auctores. Annalista Bertinianus nonnulla cùm de tu-
multûs origine tum de Bernardi fuga speciatim scribit, quæ non viden-
tur hîc omittenda. *Statuit* Imperator *cum universis Francis seu Gallis hosti-*
liter in partes Britanniæ proficisci. Quod iter omnis populus molestè ferens propter
difficultatem itineris, cum illuc sequi noluerunt. Nam aliqui ex Primoribus mur-
murationem populi cognoscentes convocaverunt illum, ut eum à fide, quam Domno
Imperatori promissam habebant, averterent. Ideóque omnis populus, qui in Bri-
tanniam ire debebat, ad Parisium se conjunxit, necnon Hlotharium de Italia &
Pippinum de Aquitania hostiliter adversùm patrem venire, ut illum de Regno eji-
cerent, & novercam suam perderent, ac Bernardum interficerent, compulerunt.

* Compiègne.
* Aisne.
* Oyse.

AN. CH. 830.

LUDOV. IMP. 17. LOTHAR. IMP. 14. PIPPINI R. 16. LUDOV. R. 14. CAROLI R. 5.

PIPPINUS PRINCEPS CONJURATIONIS.

JUDITH AUG. IN MON. RETRUDITUR.

Quod præfatus Bernardus, sentiens fugâ lapsus Barcinonam pervenit. Cùmque Domno Imperatori illorum consilium denuntiatum esset, continuò obviam illis ad Compendium perrexit. Pergit autem Astronomus, sic. *Porrò ii, qui cum Pipino Wirmbriam venerunt, misso Warino, & Lantberto, aliísque quampluribus, Judith Reginam ex civitate* Laudunensi *Monasteriíque Basilica eductam ad se perduci fecerunt. Quam usque adeò intentatâ per diversi generis pœnas morte adegere, ut promitteret se, si sibi copia daretur cum Imperatore loquendi, persuasuram, quatenus Imperator abjectis armis comísque recisis Monasterio sese conferret, se etiam imposito velo capiti itidem facturam. Quam rem quanto plùs cupiebant, tantò faciliùs crediderunt. Missis enim cum ea aliquibus suorum, ad Imperatorem usque deduxerunt. Cui cùm ille secretiùs secum loquendi licentiam præstitisset, permittente illo ut mortem evadere posset, ipsa velum sibi capiti superposuit; de attonsione porrò sua Imperator tempus deliberandi poposcit. Tantò enim Imperator, aliis benignè semper vivens, injusto odio laborabat, ut tæderet eos vitæ ipsius, cujus beneficio nisi illi viverent, justè & legaliter vitâ caruissent. Redeunte ergo ad se Reginâ, aliis quidem malis temperarunt, adclamationi autem vulgi consentientes, exilio eam deportari, & in Monasterio Sanctæ Radegundis retrudi jusserunt.* Huic Cœnobio Gerberta præerat Abbatissa, cujus mentionem ad annum Redemptoris octingentesimum vicesimum-quintum * Tomo superiore fecimus ex Præcepto Pippini Regis pro eodem Monasterio, quod ut in illo Diplomate Regio sic & in Annalibus Metensibus nomen Sanctæ Crucis ad hunc annum sic gerit. *Judith in Pictavensem autem urbem compulsa est venire, ibique in Monasterio Sanctæ Crucis est retrusa, ubi & ipsa Domino nostro Jesu Christo studiosissimè famulari die noctúque totis nisibus studuit, atque ibi Domino famulantibus ita placuit, ut omnes profiterentur se eam velle imitari.*

* Num. 5.

XIII. AGOBARDI LIBELLUS APOLOGETICUS EXPLODITUR.

Ex supradictis argue cùm falsitatis tum perduellionis Agobardum Lugdunensem Archiepiscopum, qui pro filiis Imperatoris, Lothario, Pippino & Ludovico, librum apologeticum tredecim capitibus digestum in procinctu belli civilis anno Redemptoris octingentesimo tricesimo-tertio scripsit, & tumultûs hoc anno concitati narrationem calumniis refertam in vulgus ita sparsit capite secundo. *Cùm prædictus Domnus & Imperator quietus esset in domo, & sperans in Palatio suo, cùm adhuc juvenem conjugem sub sua reverentia custodiret, & secundùm Apostolum uxorium debitum illi persolveret, in processu verò dierum cùm cœpisset hoc primùm tepescere, deinde frigescere, ac per hoc & mulier resolvi in lasciviam, cessantibus licitis conversa immò adversa ad inlicita, adsciscens sibi aptas personas ad perpetranda turpia, & primùm latenter, deinde impudenter. Cognoverunt autem hoc initio pauci, deinde plures, ad postremum autem multitudo Palatii, & Regni, ac finium terræ. Quam rem videbant minores, dolebant majores, omnes autem clari viri intolerandam judicabant. Concitati itaque sunt spiritus filiorum Imperatoris rationabili zelo, videntes maculatum stratum paternum, sordidatum Palatium, confusum Regnum, & obscuratum nomen Francorum, quod hactenus clarum fuerat in toto Orbe. Et surgentes singuli uno & pio consensu in emendatione scelerum, convenerunt simul, & aliis comprehensis, aliis effugatis, auctrice verò malorum exclusa à Palatio, inclusa custodiæ, mutato habitu Regali, & induto habitu Sanctimoniali, reddiderunt patrem quieti & aliquantula honestati.* Rursum capite octavo, sic. *Cum Christianissimus & piissimus Imperator Domnus Hludowicus bonæ conjugis* Hermengardæ *sibi & moribus sibi congruentis consortium amisisset* anno Redemptoris octingentesimo duodevicesimo, *necesse fuit ut aliam sibi acciperet, quæ ei posset esse adjutrix in regimine & gubernatione Palatii & Regni. Sed occulto Dei judicio talis assumpta est, quæ licèt in primis annis viri & Domini sui virtute & potestate pressa, subdita fuerit, tamen in processu temporis talis inventa est, quæ magnorum fluctuum commotio, & conturbationis largus thesaurus esse posset, quæ non solùm plebes ac populos sive Principes, verùm*

AN. CH. 830. LUDOV. IMP. 17. LOTHAR. IMP. 14. PIPPINI R. 16. LUDOV. R. 14 CAROLI R. 5.

*etiam elegantissimos filios Imperatoris, etiam conjugatos, & gubernacula Regnorum possidentes, affligeret, contristaret, & conturbaret, & penè attereret & exterminaret. Cumque talibus incrementis viderent hi, quibus cura erat de statu & honore Regni, ac tranquillitate pacis, & quiete populi, dehonestari Palatium, obscurari claritatem Regni, & ad ignominiam deduci nomen regnantium, cœperunt queri, & murmurare, ac dolere & deplorare. Inter hæc concitati sunt spiritus virorum honoratorum & filiorum Regis; & crescente conludio, accedente etiam consilio, convenerunt singuli de loco suo, & conjuncti ad Palatium, effugaverunt ministros sceleris; & Reginam, quæ totius mali causa erat, excluserunt de domo & honore Regni, & constituerunt in retrusionem exilii; ac deinceps quasi jam liberatum bonum * patrem de laqueo ruinæ, gaudebant se implesse quod inscriptum est. [Ejice derisorem, & exibit cum eo jurgium, cessabuntque causæ & contumelia.] Hoc tam inreprehensibile factum & omni laude dignissimum cùm complessent filii, redierunt ad sua, restituto patre honori & gloriæ suæ.* Agobardus ista non scripsit hoc quo gesta sunt anno, tunc enim à Ludovico nondum defecerat, at triennio seriùs cùm à partibus Lotharianis staret. In Abbatum Medardinorum Catalogo, quem Sammarthani texuerunt, hoc anno subrogatur Hilduino, de cujus exilio mox acturi sumus. Sub idem tempus, priusquàm ad Lotharium transiret, librum adversus objectiones Fredigisi Abbatis Sitivensis ac Sammartiniani videtur exarasse. Præcesserant utrimque literæ, Agobardus enim capite secundo ex Fredigisi Præfatione hanc allegat periodum. *Si ad omnia, quæ in vestra dilectionis cartula scripta reperimus, respondendum judicaremus, non tantùm cartulæ, verùm prolixioris libri modum excedere videremur.* Fredigisi literæ non extant, editus est Agobardi liber à Papirio Massono cum synopsi & à Stephano Baluzio cum notis.

* Accusativus absolutus.

XIV. Ex tribus Ludovici Augusti & Hermingardis Augustæ filiis, quicquid Agobardus aliter in apologetico pro illis libro suprà citato scribat, duo tantùm, Lotharius scilicet ac Pippinus conjurationis in patrem participes hoc anno fuerunt. Pippinus *quia vicinior erat*, ut Annalista Metensis observat, primus se turbis seditiosorum adjunxit, & rerum suprà memoratarum præcipuus, si non author, saltem promotor fuit absente adhuc Lothario. Cùm Dominus Impetator *ad Compendium* pervenisset, *ibi* Thegano teste a, *venit ei obviam Pippinus filius ejus cum Magnatibus primis patris sui, Hilduino Archicapellano, & Jesse Ambianensi Episcopo, Hugone & Mathfrido, & multis aliis perfidis, & voluerunt Dominum Imperatorem de Regno expellere; quod prohibuit dilectus æquivocus filius ejus. Supradicti impii objicientes ei multa contraria, dixerunt Judith Reginam violatam esse à quodam Duce Bernbardo, qui erat de stirpe Regali, & Domini Imperatoris ex sacro fonte Baptismatis filius, mentientes omnia, suscipientes Reginam Judith, eámque vi velantes, & in Monasterium mittentes, & fratres ejus Conradum & Rudolfum tondentes & in Monasterium mittentes.* Unum est in hoc textu, quod admittere non possumus, Ludovicum Ludovici Augusti filium æquivocum prohibuisse, ne pater è Regno pelleretur. Illis enim temporibus Rex Ludovicus in Bojoaria permansit, nec inde pedem ante mensem Octobrem movit, ut ex ejus Diplomate mox citando patebit. Cetera non improbamus. E conjuratorum numero fuerunt Hilduinus Abbas, Jesse Ambianensis Episcopus, Hugo Lotharii Augusti socer, & Mathfridus Odone pulso Comes Aurelianensis. Objectum per calumniam Bernardo & Judithæ stuprum. Bernardus Willelmi Comitis Tolosani filius ex sacro Baptismatis fonte levatus est à Ludovico Pio tunc Aquitaniæ Rege, quem agnatione contingebat, utpote Pippini Haristallii Majoris-domûs abnepos. Velatam Juditham ejúsque fratres detonsos asserit quoque Nithardus b, *Reginam* inquit, *velaverunt, fratres ejus Conradum & Rodulfum totonderunt, atque in Aquitaniam servandos Pippino commiserunt.*

NOMINA CONJURATORUM.

a Cap. 36.

b Lib. 1.

AN. CH. 830. LUDOV. IMP. 17. LOTHAR. IMP. 14. PIPPINI R. 16. LUDOV. R. 14. CAROLI R. 1.

• Cùm hæc ita essent, rediit ex Italia Lotharius, de quo sic Astronomus. *Circa mensem Maium filius Imperatoris Lotharius ex Italia venit, eúmque in Compendio repperit. Ad quem venientem se contulit tota illa factio inimica Imperatoris, ipse tamen nihil tunc temporis patri intulisse visus est dedecoris, probavit autem quæ gesta erant. Denique Heribertus Bernardi frater luminum amissione mulctatus est contra voluntatem Imperatoris, Odo consobrinus illius armis ablatis exilio deportatus, tanquam eorum, quæ Bernardo & Reginæ adclamabantur, conscii & fautores. In talibus ergo consistens solo nomine Imperator æstatem transegit.* Scelestiora Nithardus [a] de Lothario sic scribit. *Tum tandem Lodharius, quasi justâ querimoniâ repertâ, tam fratres quàm & universam plebem veluti ad restaurandum Reipublicæ statum animabat. Quamobrem pariter cum omni populo patri ad Compendium supervenientes, Reginam velaverunt,* &c. ut suprà. Ludovicus Rex Bojoariæ procul aberat. Pippinus adventu Lotharii non expectato tumultuanti se multitudini junxit, adiítque patrem apud Compendium stipatus præcipuis initæ factionis authoribus. Pictaviensi quoque Monasterio Sanctæ Radegundis priùs inclusa fuit Imperatrix Judictha, quàm Lotharius ex Italia reversus patrem in Compendiensi Palatio conveniret. Quamvis autem Lotharius parenti suo nihil tunc dedecoris intulerit, summoperè culpandus est, quod illa probarit quæ gesta sunt anteà, nec Heribertum Bernardi fratrem corúmque agnatum Odonem è manibus seditiosorum hominum eripuerit. Nithardus de Odone non loquitur, sic autem de Bernardo & Heriberto. *Bernardus fugâ lapsus in Septimaniam se recepit. Eribertus frater ejus captus ac luminibus privatus in Italiam custodiendus traditur.* Ut hunc Auctorem, qui Bernardum in Septimaniam se recepisse scribit, simul conciliare possis cum Annalista Bertiniano, qui Bernardum fugâ *Barcinonam* pervenisse testatur, arbitrare Bernardum in provinciam abiisse sibi commissam, præfectus enim erat cùm Septimaniæ tum Barcinonæ, ideóque ad annum Redemptoris octingentesimum undetricesimum [b], cùm Regiæ Cameræ à Ludovico Augusto præficiebatur, Barcinonæ Comes ab Annalista Laureshamensi, Septimaniæ Dux à Nithardo dictus invenitur. Apud Annalistam Laureshamensem [c], Ludovicus Augustus *Bernhardum Comitem Barcinonæ, qui eatenus in Marca Hispaniæ præsidebat, Camerarium in Palatio suo constituit.* Et apud Nithardum [d], *Bernardum quendam Ducem Septimaniæ in supplementum sibi sumens, Camerarium constituit.*

LOTHARIUS EX ITALIA REDIT, ET EA, QUÆ GESTA SUNT A PIPPINO, PROBAT.

[a] Lib. I.

BERNARDUS BARCINONEM FUGIT.

[b] Nu. 158 159.

[c] Ad an. 829.

[d] Lib. I.

XVI.

Pascha decimo-quinto Kalendas Maias hoc anno celebratum est. Astronomus igitur & Annalista Bertinianus unà conveniunt de tempore, quo Lotharius ex Italia reversus est, nempe circa mensem Maium ut habet Astronomus, seu *post octavas Paschæ* ut Annalista Bertinianus scribit. Hic Placiti Compendiensis meminit, in quo sævitum vult à Lothario adversùs Herbertum & nonnullos alios, qui partes Ludovici patris adhuc tuebantur. *Post octavas,* inquit, *Paschæ Hlotharius de Italia perveniens, Placitum illic,* id est, apud Compendium, *habuit, & Herbertum fratrem Bernardi excæcari jussit, aliquósque fideles Domni Imperatoris in custodiam misit.* At hujus Conventûs apud cæteros Auctores nulla mentio, si excipias Anonymum, qui Vitam sive Apologiam Walæ conscripsit. Præstat Astronomum audire. *Ludovicus solo nomine Imperator æstatem transegit. Quum autem instaret autumnalis temperies, ii, qui Imperatori contraria sentiebant, alicubi in Francia Conventum generalem fieri volebant. Imperator autem clanculò obnitebatur, diffidens Francis, magísque se credens Germanis. Obtinuit tamen sententia Imperatoris, ut Neomagum populus conveniret. Verens porrò, ne multitudo contrariorum superaret paucitatem suorum fidelium, jussit ut unusquisque ad idem Placitum veniens simplici uteretur commeatu. Præcepit etiam Comitem Lambertum finium sibi deputatorum custodiam habere. Helisachar Abbatem justitiis faciendis eò quoque direxit. Tandem ergo Niumagum ventum est, omnisque Germania*

HERIBERTUS EJUS FRATER EXCÆCATUR.

CONVENTUS NOVIOMAGENSIS INDICITUR.

AN. CH. 830. LUDOV. IMP. 17. LOTHAR. IMP. 14. PIPPINI R. 16. LUDOV. R. 14. CAROLI R. 1.

eò confluxit, Imperatori auxilio futura. In Annalibus Bertinianis hic Conventus à Ludovico & Lothario Augustis indicitur habendus *circa Kalendas Octobris.* Quid interim Ludovicus Imperator ejúsque singuli præstiterint filii, paucis accipe.

XVII. PIPPINUS REDIT IN AQUITANIAM. LUDOVICUS AUG. FILIIS SUIS PIPPINO ET LUDOVICO RR. SCRIBIT OCCULTE.

Ludovicus Rex è Bojoaria non exivit, Pippinus post adventum Lotharii fratris in Aquitaniam remeavit. Lotharius Ludovicum Augustum cum Carolo Rege sub libera custodia detinuit, & patris lateri præcepit adhærere continuò Monachos, qui vitam ei Monasticam assiduis hortationibus amplectendam suaderent. At res aliter cessit, ut ex Nithardo constat ita scribente. *Lodharius quidem eo tenore re publicâ adeptâ patrem & Karolum sub libera custodia servabat, cum quo Monachos, qui eidem vitam Monasticam traderent, & eandem vitam illum assumere suaderent, esse præceperat. Res autem publica, quoniam quisque cupiditate illectus sua quærebat, cotidie deteriùs ibat. Quamobrem tam Monachi, quos suprà memoravimus, quàm & ceteri, qui quod factum fuerat dolebant, illum percunctari cœperunt, si res publica eidem restitueretur, an eam pro viribus erigere ac fovere vellet, maximéque cultum divinum, quo omnis ordo tuetur ac regitur. Quod quia facilè confessum, in restauratione ejus ocyùs consensum est, assumptóque Gunibalda quodam Monacho, sub specie Religionis in hoc negotio ad Pippinum Ludovicumque filios ejus occultè direxit, promittens, si in sua restitutione unà cum his, qui hoc cupiebant, adesse voluissent, Regnum utrisque se ampliare velle. Ac per hoc perfacilè cupidéque paruere.*

XVIII.

In vita Walæ, quam Lucas Dacherius & Joannes Mabillonius publici juris fecerunt[a], occurrunt multa, quæ spectant ad narrationem rerum hoc anno gestarum, postquàm Ludovicus Augustus Aquisgrano in capite Jejunii discessit. Sub idem tempus, ut suprà memoravimus, Wala Corbeiæ vetens Abbas Monasterium suum ad Somonam repetiit. Orationis causâ Ludovicus adiit tria in itinere Monasteria, Centulense Sancti Richarii, Leuconaense Sancti Walarici, & Sitivense Sancti Audomari, quorum postremum in Taruannensi est Diœcesi, alia duo sunt in Ambianensi. Vetus Corbeïa, cùm in eodem Ambianensi Episcopatu sita sit, à prædictis Monasteriis non longè distat. Ideóque facilè Proceres, ut priùs apud Aquisgranum sic & apud Corbeïam sua cum Wala consilia communicarunt. Corbeiensem hunc congressum, ut in Walæ vita publicatus est, accipe cum nonnullis observationibus, quæ calumnias ac mendacia confutabunt. Walam, sive, ut Auctor appellat, Arsenium, ad Corbeïam reversum *mox,*

FABULOSA NARRATIO REFELLITUR.

dato parvissimo temporis intervallo, secuti sunt jam expulsi & dejecti rectores & primi Palatii, flentes & lugentes, quòd ab eo impudico violarentur omnia jura totius Imperii, pellerentur optimi quique, & opprimerentur ubique fortes & clarissimi viri, non illius virtute constupratoris, sed dolo & fraude pessimæ deceptionis. Nunciant autem singuli pejora pessimis, & omnes confluunt hinc inde ad Arsenium, & requirunt quasi de fonte consilium. Ille autem mærens ac lugens, totus animo pendebat ad Deum suspectus, si fortè Deus in talibus suis subveniret periculis. Hortatur omnes singillatim, ut sustineant & expectent Dei judicium. Deinde singulis ut redeant ad Palatium, & videant & intelligant, persuadeant quoque meliora salutis, conentur nisu quo possunt obviare talibus tantísque perturbationibus. Quo factu, repelluntur summi, dejiciuntur eximii, colliguntur improbi, honorantur vanissimi, & introducuntur scelesti. Tunc itaque, his ita compertis, renuntiant Arsenio mala in seculo, quæ unquam vix sunt audita, ut in tam glorioso Imperio subitò sic omnia fuerint permutata: fit Palatium prostibulum, ubi mœchia dominatur & adulter regnat; coacervantur crimina, requiruntur nefanda & sortilega maleficiorum omnium genera, quanta nunquam credidi in seculo remansisse; nihil de universis prætermissum malis, nuntiatur ubique omnibus. Veruntamen vir gravis & cautus, nec sic interdum movebatur, nisi ad lacrymas, donec eorum proderetur factio, & firmaretur ab ipsis, qui erant

[a] Tom. 1. Sec. 4. Benedict.

AN. CH. 830.
LUDOV. IMP. 17.
LOTHAR. IMP. 14.
PIPPINI R. 16.
LUDOV. R. 14.
CAROLI R. 1.

de tam previssimis consiliis planè conscii, quod vellet idem tyrannus Augustum perimere clam quolibet pacto, quasi sua infirmitate subitò mortuus videretur; deinde filios ejus unà cum optimis Regni Principibus, quoscumque dolo priùs praeoccupare potuisset. Cùm autem haec nuntiantur à gravissimis & veracissimis viris ita absque dubio esse, nimio moerore perculsus misit iterum rursus atque iterum idoneas & sanctae religionis personas, & probatissimas, occultè qui venirent, & essent tantisper infra Palatium apud quosdam, qui erant qualitercumque in iisdem consiliis, quousque quid verum esset diligentiùs perscrutarentur. Qui mox omnia, ut dicta erant, à secreto verè pertractata compererant, qualiter tyrannus, quando vel quomodo decrevisset fieri quod moliebatur, & quòd pro certo jam qui conscii erant hujus consilii talia mandassent, retulerunt. Tunc unà cum summis Consulibus & sanctis quibusdam Episcopis, necnon & cum summis Officialibus Palatii coepit quaerere in fide Christi, ne talia perficerentur ad subversionem totius Imperii, quid agere debuisset. Tunc omnes unà voce flentes & ejulantes, magni & summi cum omnibus qui aderant servis Dei, constanter, quòd non esset Deo fidelis & Sanctae ipsius Ecclesiae, qui in talibus subvenire posset periculis, nec fecisset. Ita siquidem multis exhortantibus, accepto consilio una cum electissimis & clarissimis viris misit se pro fide Christi, pro statu Imperii, pro pace Ecclesiarum, pro amore Regis & Regni, pro salute filiorum ejus, Zelo Dei succensus, ne fraus praevaleret adversarii, ut dignitas servaretur patriae, salus maneret civibus, in magnum discrimen; & salutem suam pro justitia & fide devotus ob omnium libertatem obtulit, alioquin si vellet favere illis in partibus, acceptior esset omnibus, & honorabilior haberetur universis. Sed is cùm esset fortis animo, sanctitate praeclarus, justitiâ vestitus, fide solidatus, caritate fundatus, virtutum armis indutus, magis elegit mori, quàm tale facinus sustinere scelus, quod omnibus esset ad ruinam, ad perditionem, & ad exitium, si consentirent aeternae damnationis. Idcircò nihil jam de se timere coepit, tantùm ut praevenire potuisset Christianissimis Principibus, praesulibus Ecclesiarum, & omni populo, ac liberare omnes de tam atrocissimo mortis periculo, quoniam omnibus bonis unus imminebat interitus.

O putidum commentum! Ludovicus Augustus loca lustrat maritima, ne Nortmannorum piraticam exercentium incursionibus pateant; munificum se gerit erga Monasteria circùm posita. Placitum indixit apud Redonas, ut vicinorum Britonum, qui defectionem meditantur, audaciam retundat; Bernardum Septimaniae Ducem, cujus industriam ac fortitudinem optimè novit, suorum participem consiliorum facit. Adversùs patrem duo rebellant filii, Lotharius & Pippinus; ad illos hominum seditiosorum copiosa confluit multitudo. Varia sparguntur in vulgus mendacia; Bernardus asseritur Augustam constuprasse; necem cum Imperatori, tum filiis ejus moliri. Walam, cui talia narrantur, necesse est aut amentem dicas si fidem habet hujusce modi sermonibus, aut improbum fatearis si credulum se fingit; acrioris autem est ingenii, quàm ut mortis deceptus rumoribus censeatur.

Pergit Auctor vitae seu concinnator fabularum, stylúmque contra Ber- XIX.
nardum sic adhuc vehementiùs exacuit. *Arbitrabatur diabolicis omnia praeoccupare maleficiis; superare, non consilio, sed auspiciis; praeripere & auguriis; eò quòd sacratissimum Augustum sic haberet suis delusionibus praestigiis, ut omnes repelleret, quos aut ipse aut Magnus Pater ejus Imperator nutrierat, à secreto, à colloquio, à familiaritate & consilio, à fidei fide, ab honoribus, & ab omni consortio prioris vitae. Qui furia & auctor sceleris, cùm esset munitus potestate Regiâ, praemittit, quod esset alio praeteritorum scelerum, & incrementum mali. Unde factum est, ut in Regno nullus aliud posset, nisi quod ipse vellet aut mandaret. Ita omnes siquidem oppressi sunt, quasi ex iudicio furoris Dei, ut nullus auderet resistere, vel contra ire, quia potestas & voluntas Dei Imperatoris, etsi innocenter, cum spurcissimo erat. Quod factum ad memoriam sempiternae turpitudinis factum est, quandoquidem cum jam inchoarentur quae dudum capta erant,*

AN. CH. *quae inierant consilia, cùm iter arriperet Rex & Regina, illius saevissima bestia*
830. *ducatu, ibat Augustus quasi innocens agnus ad victimam, ibat Imperator Ma-*
LODOV. *gnus & Clemens, deceptus à qua eum Salomon cavere monuerat, immo lenonis*
IMP. 17. *ejusdem insidiis, ad mortem; qui non ob aliud servabatur, nisi ejus potestate jus*
LOTHAR. *diriperetur Imperii, & fraus inimici redundaret in omnes. Nemo igitur est qui*
IMP. 14. *credat, nemo qui recogitet quae gesta sunt, quae acta, qualiter aut quanta. Idcircò*
PIPPINI *nemo est qui intelligat, cur aut quomodo acciderint, quíve auctores fuerint mali,*
R. 16. *vel qui boni. Propterea omnes inscii, mali & pessimi, Arsenium culpant, quasi*
LUDOV. *incentorem malorum. Intereà, cùm haec ita aguntur, Imperator, acsi agnus inno-*
R. 14. *cens ad victimam, cùm à loco promovisset, & iret nesciens ad mortem, facta est*
CAROL I *manus Domini super omnem populum, qui simul omnes, acsi divinitus coacti,*
R. 1. *venerunt in unum pro fide Regis & Regni, pro salute populi & patriae, pro sta-bilitate Imperii & filiorum successione, quoniam audierant omnes, & compere-rant singuli de locis suis unum esse interitum omnibus praeparatum. Ubi, acsi di-vinitus evocati, cùm simul essent, retulerunt singuli mala quae audierant, non-nulli quae viderant & cognoverant aut interfuerant; quibus undique ita explosis ad liquidum claruit, quod Augusto & filiis unà cum universis Principibus unum immineret exitium atque interitus vitae.* Ludovicus Augustus in capite Jejunii, cùm exivit Aquisgrano, Juditham illic mansuram reliquit, arreptóque versùs Oceanum itinere pagos Pontivum & Taruannensem adiit. In Sitivensi Monasterio versabatur, quando primum de domesticis jurgiis nuncium accepit. Ubi conjurationem contra se, contra uxorem, contra Bernardum, initam comperit, *Bernardum quidem*, ut Astronomus testatur, *fugae praesidio se committere permisit, uxorem autem Lauduni esse, & in Monasterio Sanctae Mariae*, id est, in primaria istius civitatis Basilica, *consistere voluit, ipse autem Compendium petiit.* Unde corrigas Auctorem suprà citatum, qui Reginam in comitatu Regis, seu Juditham in comitatu Ludovici Augusti sic collocat. *Cùm iter arriperet Rex & Regina, illius saevissima belluae ducatu.* Plura dicemus infrà de Juditha quae Lauduno Compendium ad Imperatorem posteà venit, necnon & de Wala qui Lotharianas partes apertissimè tandem fovit. Transeamus ad Ludovici Augusti filios, Lotharium, Pippinum, & Ludovicum, quos idem Auctor tralatitiis designat nominibus, ut enim pro Ludovico Imperatore Justinianum, pro Juditha Augusta Justinam, sic & pro Lothario Augusto Honorium, pro Pippino Aquitaniae Rege Melanium, pro Ludovico Rege Bojoariae Gratianum scribit,

XX. *Melanius filios Piissimi Caesaris cum his confluxerat, & periclitabatur Rex, cum esset unà cum suis omnibus, quia contra eum iter arreptum erat inscio patre, ut ipse prior post patrem perimeretur. Deinde cum pro his universi quid agerent, mutarentur moerore perfusi, advolavit extimis à custodiis, & sacramentis diu detentus, quae cum patre eo in tempore pertulerat Gratianus, & retulit voce propriâ quae dicta, quae gesta, quaeve futura cognoverat, quia in his longè diu commoratus, nihil aliud jam quàm mortem imminere sibi videbat, ad quos cùm fugisset narravit omnia, quae intus detentos resciverat. Ubi de adulterio nulla universis remansit dubitatio, de praestigiis sortilegorum & divinationibus; túncque per eum audita sunt, quanta & qualia nusquam jam remansisse credebantur, quae tunc ex omni parte orbis ad Palatium coierant, acsi antichristus cum suis maleficiis apparuisset. Ad ultimum verò de nece patris & de totius Imperii edixit subversione qualiter auspiciis, auguriis, consiliis, atque insidiis, necnon & omnibus malignis artibus esset praefixum. Tunc omnes hi Proceres, & filii duo, Melanius & Gratianus, qui aderant, decernunt potiùs mori debere eos, quàm ultrà hac quoque consentire, ut unus eis scelestus, flagitiosus, & auctor totius malitiae omnibus esset in contumeliam, in ruinam & in opprobrium sempiternum. Quod sanè consilium & definitionem tunc Arsenius cum divino timore moerens ac dolens consensit, quia nullum jam alium evadendi ingenium invenire potuit,*

non

Augustus Imperio privaretur, aut inhoneste, (quoniam rei eventus fine-
nore ut Augustus Imperio privaretur, aut inhoneste tractaretur, sed ut hostis pelleretur unà cum suis com-
bat) in aliquo aut ab aliquo tractaretur, in confusionem omnium ne diutiùs
plicibus, & mechia, quæ jam publica erat, conjectores, & muti, necnon som-
celaretur. Sortilega ibidem adgregata, divini, vel alii quamplures malignis instituti arti-
niatores, & hi qui exta consulebant, quorum tanta & talia erant nefandissima artis
bus, à sacro pellerentur Palatio, traherent in errorem, quia videbantur omnia diabo-
præsagia, etiam ut plurimos in mundo repullulasse, in tantùm, cùm hæc omnia ita fraude
licæ artis figmenta circa Augustum agerentur, ut in nullo penitus sentire posset cottidie quæ
seu dolo malitiosis nisi esset præventus artibus, nequaquam fieri posset, ut
fiebant. Alioquin Consules & sanctissimos Præsules non audiret, vel crederet sibi
fidelissimos quosque quos olim semper in consilio habuerat. Non enim alium in fide re-
talia narrantibus, Justina vellet; neque alium aut audire, aut diligere valebat,
cipiebat, nisi quem ista viguerunt, nisi quem illa ei in fide commendabat, &
aut assentire, quousque ut aiunt, nec aliud velle præter quæ ipsa vellet. Unde qui-
quod prodigiosum est, cùm coram eo adstarent omnes Præsules Christi & Senatus to-
dam Episcoporum, necnon & omnis populus, cùmque jam arguerent constanti fide pro
tius Imperii, scio, inquit, quamvis talia & tanta, quæ dicuntur, malè deceptus his
talibus artibus hactenus assensisses, cùm his exutus fueris, quibus vestiris, quia te recipies,
& eris optimus Imperator quod semper ante fuisti. Ad hæc obstupescit Adeo-
datus, & unus ex interlocutoribus A seculo, inquit, hujusmodi res gesta, quan-
tùm video, non legitur, ut populus pro Principe contra principem sic ageret.
Fuit enim, æstimo, aut nimia dilectio Senatorum & Præsulum circa Augustum
& ejus prolem, clarescentibus causis, quòd cum tam reverenter rursus erigunt in
Regnum, aut cæca temeritas, quòd talia præsumpsere nullis exstantibus, nisi vulgi
æstimatione, causis mechiæ sortilegorúmque, & aliis quibuslibet quorumdam of-
fensis. Unde non mihi videtur, quod pro talibus deberet omnis Religio Ecclesiasti-
ca & ordo totius populi insurgere & commoveri adversus Cæsarem, nisi
fortè aliud lateat, quod gravius videatur. Et hoc petimus, quia in eadem concio-
ne & negotio fuisti, paulò clariùs aperias, ut Arsenius noster magis excusabilis
videatur. Imus in Adeodati sententiam, mirantúrque talia tam facilè ab
Abbate Wala & à plerisque Regni Proceribus ex incerto vulgi rumore
credi. Deinde partem superioris textûs commenticiam putamus, quia Lu-
dovicus Bojoariæ Rex pedem è Bojoaria non movit ante mensem Octo-
brem, quo Conventus apud Noviomagum ad Wahalim amnem celebra- XXI.
tus est.

Antequàm judicium de Wala feras, originem seriémque totius tumul-
tûs in memoriam revoca. Soluto Aquisgranensi Conventu, in quo Placi-
tum apud Redonas indictum, decretáque in finitimos Britones expeditio,
Ludovicus Imperator iter in capite Jejunii per Belgarum pagos adjacen-
tes Oceano suscipit, ad summa verò Monasterium sive ad veterem Cor-
beiam revertitur Wala. Nonnulli Proceres, quorum jam paratus est ani-
mus ad defectionem, ne proficiscantur in Britanniam causantur difficul-
tatem itineris, idque Parisiis conjuratione firmant, ut obscœnissimos sic
& mendacissimos in plebem contra Juditham Augustam & Bernardum
Palatii Camerarium spargunt, & ipsos Augusti filios suppositiorum cri-
minum acerrimos ultores, ex Italia Lotharium, ex Aquitania Pippinum
evocant. Imperator auditis hujus rei nuntio Compendium è pago Taruan-
nensi statim advolat, comitantibus Optimatibus, quos fides erga Regem
& amor erga patriam in officio constantissimè retinent. Adventu seditio-
sorum comperto, Bernardum in Septimaniam remittit, & Judithæ mandat
ut Lauduni tanquam in tuto loco consistat. Pippinus, quo propior est,
primus accurrit, Odonem Aurelianensem Comitem Imperatori percha-
rum è Comitatu depellit, ducem totius factionis per absentiam Lotha-
rii se præstat, Wermeriam usque nec procul à Compendio progreditur.

AN. CH. 830.
LUDOV. IMP. 17.
LOTHAR. IMP. 14.
PIPPINI R. 16.
LUDOV. R. 14.
CAROL I R. 1.
XXII.

& Augustam per suos satellites Lauduno atque etiam è primaria civitatis Basilica curat educi. Juditha in tanto posita discrimine, ut Imperatori suadeat Monasticen abjectis seculi pompis amplecti, licentiam cum eo loquendi postulat, seque capiti quoque suo velum impositurum pollicetur. In Palatio Compendiensi secretum habetur colloquium. Ludovicus, ut maturè de capillorum suorum abscissione deliberet, inducias poscit, uxori verò suæ permittit, ut velum accipiat vitandæ mortis ergò. Conjuratores haud resipiscunt, Imperatorem eodem quo priùs odio prosequuntur, velatam Augustam exilio deportant, & in Monasterium Sanctæ Radegundis retrudunt.

Tot inter tumultus hæ partes Walæ videntur esse, ut aut suo maneat in Monasterio, lachrymis, orationibus, jejunis, aliisque piis operibus, misericordiam Domini jugiter cum Monachis suis exoraturus; aut egressus è Cœnobio, rebelles filios patri reconciliare studeat; si propter temporum calamitatem operam perdit, vel ad suam redeat Corbeiam, vel constantissimè stet ab Imperatore, exosus, ut decet, seditiosos homines, cujuscumque generis sint ac dignitatis. At nihil horum præstat, imò quod unum, si pietatem & æquitatem diligit, interdictum sibi novit, illud sectatur avidiùs, & spretâ patris innocentiâ defectionem improborum filiorum sequaciùmque totis fovet viribus, ideóque reus infidelitatis habetur apud plerosque, nec id diffitetur illius Encomiastes in hac responsione ad Adeodatum proximè citatum. *Rex in concione, cùm populo gratias referret, quamvis in corde aliud occuleret, vos, inquit, fecistis, qualia numquam populus unquam fecisse cernitur, quia & ego prior admisi & feci, qualia nullus ante me Rex fecisse invenitur. Et ideo, inquit, gratias Omnipotenti Deo, qui tam immane malum ad tam pacificum deduxit exitum. Porrò deinceps nihil tale, nihil sine vestro consilio me acturum ulteriùs profiteor. Imperium namque à me ut olim ordinatum est unà vobiscum & constitutum, ita manere decerno & volo. Fœmina quoque huic, quam adjudicastis, quia mea est in illa ultio, juxta communes Leges, sicut depositis, vitam concedo, ita tamen ut sub sacro velamine deinceps degeat, & pœnitentiam gerat. Quibus ita pacificè in eadem concione dispositis, relevatur in throno Gloriosus Imperator, & erigitur cum laudibus, & subditur ei omnis populus in fide ampliùs fidelis, si fieri possit, quàm priùs. Talis quippe est infidelitas Arsenii, falsò ut opinantur, quibus non est præcognitum, quòd suo sapienti consilio tyrannum prævenerit, ne perficeret quæ moliebatur, ut perimeret Augustum, prolémque ejus omnem exstingueret, & uxorem, quam infideliter coinquinaverat, acciperet. Cum qua, si cederetur, Imperium pervaderet, & omnes Seniores terræ aut interficeret, aut malè subjugaret oppressos; sin aliàs ad Hispanias cum ipsa se transponeret. Propterea ergo dedit se periculo Arsenius, & liberavit omnes à tanti sceleris malo. Nihil itaque idem contra Cæsarem, quamvis aliter inscii malignantes sentiant, sed pro Cæsare fecit & Imperio, pro patria & pro omnibus majoribus natu, pro fide & zelo Dei, pro Religione Christianitatis & salute civium. Rescinduntur ergo eo in facto paulò pòst jura Legum omnia, divina scilicet & humana. Occultabatur autem nimia fraus, quasi sub fidei schemate & voluntate Regia. Hinc hercule est, quòd adhuc hodie plures in eo errant, & dicunt bonum esse malum, & malum, quod omnes tunc detrectabant, bonum. Ex quo sanè malo innumera creverunt, & cotidie atrociora crescunt mala. Tunc tamen eum quasi liberatorem omnium omnes magnificabant, & extollebant ubique laudibus, maximè cùm Cæsar Augustus Honorius ab Italis evocatus venisset, eò quòd consortem Imperii Justinianus sibi olim & successorem totius Monarchiæ cum voluntate & consensu omnium fecerat, quem unà cum patre præfatus exterminare & subvertere conabatur cum reliquis fratribus suis Regibus, in cujus nimirum adventu detecti sunt plurimi, & quæ dicebantur reserata. Pro quo consilio illius furiæ frater, quia convictus & confessus est consensisse, in eodem Placito cæcatus est judicio publico, vitâ sibi clementer concessâ.* Plurimus sca-

AN. CH. 830.

tot mendaciis hæc Arsenii seu Walæ Apologia. De singulis breviter agemus.

LUDOV. IMP. 17.
LOTHAR. IMP. 14.
PIPPINI R. 16.
LUDOV. R. 14.
CAROLI R. 1.

XXIII.

Commentitii sunt, qui circumferuntur sermones habiti apud Compendium à Ludovico Augusto in concione publica. Rem totam, ut gesta est, apud Astronomum lege. Qui Werimbriam cum Rege Pippino venerunt, ii, misso Warino, & Lantberto, aliisque quamplurimis, Judìtham Augustam Lauduno extractam curarunt ad se perduci, variisque mortis generibus intentatis illam ad eas redegerunt angustias, *ut promitteret se, si sibi copia daretur cum Imperatore loquendi, persuasuram, quatenus Imperator abjectis armis comisque recisis Monasterio sese conferret, se etiam imposito velo capiti itidem facturam.* Id autem, quamvis ab Imperatoris mente procul abesset, quantò plùs cupiebant, tantò faciliùs crediderunt, & nonnullos ex suis, qui Judìtham ad Augustum perducerent, mox direxerunt Compendium. Ludovicus uxori suæ licentiam præstitit secretiùs secum loquendi, superponendique velum capiti, ut mortem posset evadere, de attonsione verò sua tempus deliberandi poposcit. Juditha velato capite Werimbriam rediit, responsum retulit Imperatoris, à seditiosis hominibus in exilium statim deportata est, inclusaque Monasterio Sanctæ Radegundis apud Pictavium. In hac narratione, quam ipsis Astronomi verbis suprà descriptam [a] reperies, Imperator nec concionem ad populum habet super administrando Imperio seu Regno, nec Judìtham ream pœnitentiæve obnoxiam pronuntiat.

[a] Hoc ann. 13.

XXIV.

Commentitia quoque sunt, quæ de Ludovico & populo proximè subjiciuntur. *Relevatur in throno Gloriosus Imperator, & erigitur cum laudibus, & subditur ei omnis populus in fide ampliùs fidelis, si fieri possit, quàm priùs.* Imperatoris relevatio dejectionem supponit. Quinam autem dejectionis authores fuerunt? sine qui Compendii constantissimè in obsequio & fide Ludovici permanserunt, an qui Werimbriæ substiterunt ab Imperatoris aulâ remoti; Judithamque Lauduno per vim eductam minis intentatis adeò terruerunt, ut ipsa, ne morti traderetur, promiserit se, *si sibi copia daretur cum Imperatore loquendi, persuasuram, quatenus abjectis armis comisque recisis Monasterio se conferret.* Quod ad populi fidelitatem attinet, quis impossibile credat, ut erga Principem fides eorum augeatur, qui consilium de eodem Principe exauctorando atque in Monasterium retrudendo susceperunt? Supra spem non erat eos, qui priùs ab Imperatore defecerant, continuatis deinceps animis illi fideliores fore. Sed id neutiquam contigit. Nam Ludovicus, ut Astronomus testatur, *solo nomine Imperator æstatem transegit.* Hic Auctor inimicos Ludovici graphicè describit, cùm ait eos homines esse, qui nisi viverent illius beneficio, *vitâ justè & legaliter carerent.*

XXV.

Wala, relicto Ludovici comitatu, ab horum partibus stetit, quapropter à plerisque reus infidelitatis habitus est, hoc flagitium nec dissimulantibus nec excusantibus. In ejus Apologia tria leguntur, quæ nullam veritatis speciem præseferunt. Primò Bernardus accusatur multiplicis criminis, quòd adulterium commiserit cum Juditha; quòd Imperatorem ejúsque filios ac Proceres Imperii velit interficere; quòd tyrannidem post tot cædes affectet, ductâ in uxorem adulterâ, vel fugam cum ea, si voto res non succedat, in Hispaniam meditetur. Adulterii suspicionem à se removebit infrà. Cetera non egent refutatione, vana sunt enim & inania, nec viro sanæ mentis credibilia videri possunt. Secundò, Wala, qui comitatum Ludovici deseruit, séque factiosorum hominum partibus totum adjecit, asseritur nihil egisse *contra Cæsarem*, imò omnia fecisse *pro Cæsare & Imperio, pro patria & pro omnibus majoribus natu, pro fide & zelo Dei, pro Religione Christianitatis & salute civium.* Quis hæc sibi persuadeat? Tertiò, idem Wala liberator Imperii civiúmque prædicatur ab omnibus, præcipuè

AN. CH. 830. LUDOV. IMP. 17. LOTHAR. IMP. 14. PIPPINI R. 16. LUDOV. R. 14. CAROLI R. 1.

post Honorii seu Lotharii Augusti adventum ex Italia. Walæ non honori sed dedecori vertendum, quòd colitur à seditiosis hominibus, & amplioribus quàm anteà laudibus post Lotharii reditum afficitur. *Circa mensem Maium* [a] Lotharius ex Italia reversus est; probavit quæ gesta fuerant à Pippino fratre contra patrem; cœptum opus quà fraude quà vi multùm promovit; Heribertum Bernardi fratrem excæcari jussit; Odonem Aurelianensem anteà Comitem, aliósque complures, qui stabant à partibus Ludovici, vel in exilium mitti, vel carceribus includi præcepit; ipsummet patrem, contra cujus voluntatem hæc egerat, sub libera custodia detinuit, eique per Monachos, ut Monasticen amplecteretur, continuò suggessit. Porrò, qui partes Pippini Lothariique contra Ludovicum paternam semper fovit, Imperatorine fidus an infidus, Imperiine liberator an adversarius censeri debet? Res ipsa per se loquitur. Wala ut reus est infidelitatis apud Imperatorem, sic & hostis Imperii patriæque reputandus.

[a] Astronom. in vita Ludovici.

XXVI. In eadem Apologia perperam dicitur de Lothario Augusto, *quòd, illum consortem Imperii Justinianus* seu Ludovicus *sibi olim & successorem totius Monarchiæ cum voluntate & consensu omnium fecerat.* Ludovicus in consortium Imperii Lotharium quidem filium natu maximum adscivit, sed illum Monarchiæ Franciæ seu totius Regni successorem haud renunciavit. Imò quatuor hactenus filiis partem Monarchiæ concessit in totidem distributam Regna, Reges enim appellavit, Lotharium Longobardiæ, Pippinum Aquitaniæ, Bojoariæ Ludovicum, Carolum Alamanniæ, suísque limitibus sortem uniuscujusque circumscripsit, augmentum quotiescumque vellet additurus. Hoc ipso anno, cùm sub libera Lotharii filii custodia servabatur, auctionem hujuscemodi clàm per epistolas aliis filiis, Pippino videlicet ac Ludovico, pollicitus est, *si in sua restitutione unà cum his, qui hoc cupiebant, adesse voluissent* [b].

[b] Nithard. lib. 1.

XXVII. Placitum Compendiense, cujus mentio fit in vita Walæ & in Annalibus Bertinianis; est commentitium. Ludovicus Augustus, quia Gallis non fidebat, hoc anno Placitum nec apud Compendium, nec in vicinis Galliarum regionibus haberi permisit. Et Heribertus Bernardi frater non in Placito justè ac legaliter, sed in tumultu seditiosæ plebis *contra voluntatem Imperatoris*, ut Astronomus loquitur, excæcatus est. Hic Auctor docet motam non levem controversiam super loco, in quo Placitum celebraretur, quia rebelles illud in Gallia, Ludovicus Imperator in Germania fieri volebat. *Ludovicus solo nomine Imperator æstatem transegit. Quum autem instaret autumnalis temperies, ii, qui Imperatori contraria sentiebant, alicubi in Francia* seu Gallia *Conventum Generalem fieri volebant, Imperator autem clanculò obnitebatur, diffidens Francis* seu Gallis, *magísque se credens Germanis. Obtinuit tamen sententia Imperatoris, ut Noviomagum populus conveniret.* Hæc Astronomus. Illo de Conventu, qui pertinet ad mensem Octobrem, agemus inferiùs. Ambo Imperatores è Compendiensi Palatio simul ad Noviomagense profecti sunt. In itinere, cùm ad Salmontiacum Lauduno proximum pervenissent, Idibus Augusti pro Monasterio Carrofensi Præceptum ediderunt, cujus fragmenta Philippus Labbeus inter Miscellanea [c] Curiosa sic publicavit. *In Nomine Domini Dei & Salvatoris nostri Jesu Christi.. Ludovicus &. Lotharius divinâ ordinante providentiâ Imperatores Augusti. &c. Suggerente supradicto filio dilecto nostro Lothario Augusto & consorte Imperii nostri, communi voluntate paríque consilio pro mercedis nostræ augmento & æterna retributionis fructu concedimus ad Monasterium Karrof, quod est situm in pago Pictaviensi, constructum in honore Domini & Salvatoris nostri Jesu Christi, ubi etiam præsente tempore Vir Venerabilis Gontbaldus Abbas præesse dignoscitur, quasdam res proprietatis nostræ, quæ sunt in tribus locis, id est, in Belvacensi pago villam quæ dicitur Fraxinidus, & in pago Remensi villam quæ dicitur Dominica villa, & in pago Meldensi villam*

[c] Cap. 6. §. 5.

PRÆCEPTUM PRO MON. CARROFENSI.

AN. CH. 830.
LUDOV. IMP. 17.
LOTHAR. IMP. 14.
PIPPINI R. 16.
LUDOV. R. 14.
CAROLI R. 1.

Montiniaco, &c. Signum Ludovici Serenissimi Imperatoris. Signum Lotharii Gloriosissimi Augusti. Durandus Diaconus ad vicem Fridugisi recognovi. Data Idibus Augusti, anno, propitio Christo, XVII Imperii Domni Ludovici Serenissimi Imperatoris, & Lotharii Augusti VIII. Indictione VIII. Actum Salmontiaco Palatio Regio, in Dei Nomine feliciter. Amen. Dubium non est, quin Idibus Augustis octava Indictio cum anno Redemptoris octingentesimo tricesimo conveniat; ut & annus Imperii Ludoviciani decimus-septimus, seu principium ducas ab obitu Caroli Magni, seu repetas à die quo Ludovicus in consortium Imperatorii Nominis à patre vocatus est, necnon & annus octavus Imperii Lothariani, sumpto initio à Sancto Paschali die, in quo Lotharius à Papa Romæ coronatus est Imperator anno Redemptoris octingentesimo vicesimo-tertio. Posteriorem hanc epocham Imperii Lothariani deinceps multa confirmabunt Diplomata. Nullum adhuc occurrit exemplum, quia Lotharius hac epocha non usus est, antequam tumultum contra patrem cievit, & Romanum Pontificem ad suas partes sollicitavit. Observationem super ea re Tomo superiore [a] præmissam consule. Porrò summa Præcepti supra descripti sic habetur inter probationes Historiæ Comitum Pictaviensium à Joanne Beslyo subjectas ex Tabulario Carrofensi. *Ludovicus ex suæ proprietatis jure in pago Belvacense Fraxinetum Ecclesiam, & in pago Remense Villam Dominicam, in Meldense quoque territorio Montirezacum cum cunctis attinentibus sibi rebus perpetualiter possidenda eidem Karrofensi Cœnobio delegavit.*

[a] Ad ann. [illegible] n. 1.

XXVIII.
INITIUM REGNI NAVARRENSIS.

Francia domesticis tumultibus, de quibus suprà, laborante, Saraceni, cùm ab aliquot annis Marcæ Hispanicæ vehementiùs inhiassent, integrâ ejus Occidentali parte se eandem potituros sperarunt captâ jam Pompilone. Conatibus obstiterunt incolæ non pauci, quos zelus erga Religionem Christianam & odium adversùs delira Mahumetis ad magnos ausus excitarunt. Hi, cùm se viderent ope Francorum destitui, nec Alfonsum Gallæciæ Regem auxilio sibi satis prompto satisque valido fore crederent, unanimi consensu novum Regem, cui deinceps parerent, è sua gente constituerunt. Is fuit Eneco sive Inicus, Vicecomes Baigorritanus, cognomento Arista. In ea Inferioris Navarræ parte, quæ Cisana * nuncupatur, includitur Vicecomitatus Baigorritanus, qui duas leucas in longum patet, sexque vicos agrestes amplectitur. Baigorria, incolis *Baigorri*, unde Vicecomitum Baigorritanorum nomen, decem tantùm leucis Vasconicis Pompelone distans, variis appellatur nominibus, *Baiguria, Bygur, Bigur, Bigorr, Baigur, & Baiguer.* Lege Arnaldum Oihenartum in Notitia Vasconiæ [b], & Petrum de Marca in Historia Bearnensi [c], quos Tomo primo [d] in circumscribendis Novempopulaniæ finibus jam citavimus. Hi Scriptores inter se nec de Enneconis genere nec de ratione cognominis conveniunt. Utramque quæstionem attingemus.

* *Le cartier de Sise.*
[b] Lib. 1. c. 12.
[c] Lib. 1. c. 12. J. 3. c. 1.
[d] Ad an. [illegible] n. 12.

XXIX.
ENECO EX COMITE BAIGORRITANO PRIMUS R. NAVARRÆ.

Bigorria & Baigorria scripto parum, re plurimùm differunt. Ut à Bigorria dicti sunt Bigorritani tum Episcopi tum Comites, sic & à Baigorria Baigorritani Vicecomites appellati. Oihenartus Enneconem ex Baigorritano Vicecomite, Petrus de Marca Regem ex Comite Bigorritano factum scribit, opinionem secutus ad Oihenartum usque receptissimam. Quam magno sint in numero, qui stant à Comitibus Bigorriæ, non dissimulat Oihenartus hoc disputationis initio. *Nova nunc exoritur quæstio de patria & gente Enneconis primi Regis, quem Gothicâ stirpe genitum nonnulli dixere, testibus Alphonso à Carthagena & Marineo Siculo; patriâ autem Aragonensem fuisse refert Michaël Molinæus in Repertorio; at Martinus Alpisueta Navarrus insignis Theologus & juris Canonici consultissimus Navarrum dicere maluit, utpote qui è Viguria oriundus esset, auctoribus Garciâ Eugui Baionensi Episcopo, qui superioribus seculis brevem Navarræ Regum Historiam scripsit, & Carolo Navarræ Principe. Est autem Viguria campestris vicus Navarræ in Præ-*

AN. CH. 830. LUDOV. IMP. 17. LOTHAR. IMP. 14. PIPPIN. R. 16. LUDOV. R. 14. CAROL. R. 1.

Stellensi. Ceteri penè omnes Scriptores Enneconem Aquitanum fuisse summa consensu tradunt, ejusque originem & stirpem à Comitatu Bigorriæ repetunt, pro qua voce mendosè legitur BIGORCIÆ in vulgatis exemplaribus Roderici Toletani; in manuscripto enim libro Collegii Navarrici Parisiensis BIGORRIÆ scriptum est. BIGORRIÆ cum duplici R legisse videtur apud Toletanum Rodericus Sanctius Palentinus, qui eum ad verbum ferè expressit in iis, quæ de Enecone refert Parte primâ Historiæ Hispanicæ, capite duodecimo. Bigerronum ad Aturum amnem Comitatum Bigorriæ nomine intellexere Surita & Blanca, è quibus hic Bigerronensem etiam Comitatum in Enneci seu Enneconis censu & patrimonio fuisse sensit, Volaterranum, ni fallor, authorem secutus, qui hunc Principem è Comite Bigorræ Navarræ Regem renunciatum fuisse scribit. Quotquot de Enecone Regnique Navarrensis origine locuti sunt, antiquitate & auctoritate cedunt Roderico Toletano Archiepiscopo, cujus verbis tota lis idcircò dirimi debet. Hic libro quinto, capite vicesimo-primo, cui titulus est de ortu & genealogia Regum Navarrensium, sic disserit. Cùm Castella, Legio, & Navarra variis Arabum incursionibus vastarentur, vir advenit ex Bigorriæ Comitatu, bellis & incursibus ab infantia assuetus, qui Enecho vocabatur, &, quia asper in præliis, Arista agnomine dicebatur, & in Pyrenæi partibus morabatur, & post ad plana Navarræ descendens ibi plurima bella gessit, unde & inter incolas Regni meruit Principatum. In hoc Roderici textu mendosè legi vocabulum Bigorcia nemo non fatetur. Bigorciæ loco, utrùm Bigoria seu Bigorria reponenda sit, an Baigorria, manet investigandum. Oihenartus Baigorriam ex ipso Roderici contextu restituendam contendit. Ex hoc, inquit, pago, id est, ex Baigorria de qua loquitur, ortum Enneconem Garsiam, sive Enneconem Garsiæ, cognomento Aristam, potiùs quàm è Comitatu Bigerronum seu Bigorritanorum crediderim, quippe qui non proximus tantùm Navarræ atque illius finibus continens sit, sed etiam in asperis & montosis Pyrenæorum locis positus, quales Enneconi cultos fuisse nominatim refert Rodericus Toletanus; utràque autem harum conditionum Bigerronum Comitatus deficitur, siquidem quatridui ad minimum itinere Pompelone abest: domicilium verò Comitum [illegible]sinorum non secundum prærupta Pyrenæorum montium saxa, sed in amœna planicie exhibet, quæ lætos & frugiferos campos habet in circumspectu. Validissimum nobis videtur hoc argumentum. Aliud ex nominum ratione non spernendum sic idem subjungit Oihenartus. Deinde conjecturam nostram non modicè juvat nominum ratio, quarum, ad antiquas familias dignoscendas, magni momenti esse pluribus probare possem, nisi jam hanc messem fecissent, Morales, Duchesnius, & Johannes à Ponte. Ea autem sic à nobis stat, ut in tota serie Comitum Bigerronensium, nullum prorsus nomen occurrat, quod cum Navarrorum Regum nominibus componi possit; cùm contrà Baigorritanorum Vicecomitum appellationes à nomenclaturis priorum Navarræ Regum nihil penè discrepent, quod cuilibet collatis illorum inter se nominibus planum fiet. In Bigerronensium enim Comitum familia, Donati, Lupi, Raimundi, Ludovici, Garsiarnaldi, Bernardi, Rogerii, Centulli, Petri, & Eschivati nomina recepta fuere; in altera verò non alia ferè reperias, quàm Eneconis, Garsiæ, atque Ximeni, perpetuâ vicissitudine inter se reciprocata, ut pluribus monumentis antiquis constare potest. Varia subdit exempla, quæ breviter perstringemus vitandæ prolixitatis causâ. Ego Lupe Eneconis Vicecomsul de Bygur, &c. Ego Vicecomitissa de Begner & filius meus Vicecomes pro remedio animæ meæ & parentum meorum, ut Deus nobis viventibus dare dignetur remissionem omnium peccatorum, & defuncto Vicecomiti Garsia Lupo, &c. anno 1119. Semero Garciæ Vicecomes de Bygur, &c. anno 1168. Garsias Ximenii Vicecomes Baigorritanus, anno 1280. Ximen Garsia Vicecomes Baigoriensis, anno 1328. Elbira Ximenis Vicecomitissa Baigoriensis, anno 1346. Ximen Garsia Vicecomes Baigorritanus, anno 1390. Præter hæc argumenta, quæ potissima sunt, ad opinionem suam confirmandam in alias quoque conjecturas sic exspatiatur. Ad ejusdem Ene-

AN. CH. 830.
LUDOV. IMP. 17.
LOTHAR. IMP. 14.
PIPPINI R. 16.
LUDOV. R. 14.
CAROLI R. 1.

*comis Arisle originem à Baigorritanis Dynastis derivandam adducimur plurimis aliis conjectaris. Primùm, quòd Ennconem Garsiæ Regem in bellis Vascitano seu Vasco * milite usum fuisse refert Abalus Piscina ex Chronico veteri Ilçarbiensi. Iterum, quòd Enneconem Ximini filium, Inicum seu Ignatium Lalaneum Larreanum Vascum nobilem in Vexillarium, hoc est, præcipuum Regii muneris in bellis administrum sibi adscivisse docuit è quodam antiquo monumento Legerensi Sandovallius in Catalogo Episcoporum Pompelonensium, folio decimo-septimo, durat enim hactenus Lalanarum Larrearum antiquum domicilium in agro Ciserensi, Baigorriæ confini. Nec aliam etiam extitisse causam vel fundamentum conjicio, quo Aldudensibus saltibus ac pascuis, quæ ad Navarram Citeriorem quam Altam vocant pertinent, plenissimè utendi solis inter Vascitanos omnes ad nostra usque tempora, Baigorritanis facultas fuit, quàm singularem primorum Navarræ Regum in hanc gentem affectum, & primaria suæ originis memoriam ac recordationem.*

* Basque

XXX.

Adversùs Oihenartum duæ potissimùm res ab adversario proponuntur, una ex Roderico, altera ex Sampiro. Apud Rodericum Enneco non advenit ex Vicecomitatu qualis est Baigorria, sed ex Comitatu qualis est Bigorria. Et apud Sampirum Aldefonsus Magnus, Rex Legionis, quia Ximenam Garsiæ Enneconis Regis Pompelonensis filiam in uxorem duxit, *universam Galliam simul cum Pampilona causâ cognationis secum adsociasse dicitur, uxorem ex illorum prosapia generis accipiens, nomine Ximenam.* Oihenartus objectionem ex Roderico factam sic præoccupavit. *Nihil sententiæ nostræ officit titulus Comitatûs à Roderico Toletano additus, quasi Vicecomitatûs nomine non Comitatus hactenus insignitus fuerit Baigorria pagus. Promiscuum enim fuisse apud plerosque scriptores, Comitis & Vicecomitis Comitatûsque ac Vicecomitatûs nominum usum, docuit Casellus in Occitaniæ initio libri 4. Idipsum nos etiam additis plurimorum Authorum locis confirmare possemus, è quibus hæc insigniora in præsens seligenda duximus. Errotitanus pagus in Citeriori Navarra, hodie Vicecomitatûs titulo à proprio illius Dynasta possidetur. Attamen Sanctius Comitis Errotani, seu de Erro, ut tunc loquendi usus erat, meminit Sancius Ramirezius Pompelonensis & Aragonensis Rex binis tabulis, quarum priores æra 1135 obsignatæ describuntur à Sandovallio in Catalogo Episcoporum Pompelonensium folüs 75 & 76; posteriores verò æra 1135 editæ habentur apud Brizanum Martinez libro 4 capite 11 Historiæ Pinnatensis. Rogerius Hovedenius in posteriori parte Annalium Comitissam Bearnensem, qui aliis ferè omnibus Scriptoribus Vicecomes dicitur, Bearnensem Vicecomitissam Garsendem, Comitissam vocant Mathæus Paris & Mathæus Westmonasteriensis in vita Henrici 3 Anglorum Regis, necnon Carolus Navarræ Princeps in vita Theobaldi 1 Navarræ Regis. Non secus in vetusta membrana Ecclesiæ Condomiensis Otho Vicecomes Lomania Comitellus nuncupatur, quasi parvum Comitem diceres. Celebratur etiam in Necrologio Cœnobii Artosiensis in Aquensi Diœcesi Felicia Comitissa Sola, & apud Frossartem Aymericus Comes Narbonensis, quorum uterque Vicecomes ex hodierno more loquendi dici debuisset. Antiquiorum temporum subjecit exempla, sed ea sufficiant.*

Quæ suprà memorata sunt, præsertim cùm propius accedant ad ætatem Roderici, qui de rebus Hispaniæ libros novem, ut ipsemet in operis fine testatur, *anno incarnationis Domini millesimo ducentesimo quadragesimo-tertio, æra millesima ducentesima octogesimâ-primâ perfecit.* Instat adversarius. In universa Vasconia seu Novempopulania sub Rege Pippino Ducem Totilum, sub Totilo Duce Azenarium Comitem ejusdem Vasconiæ dictum, sub Azenario Comite plures Vicecomites, atque in his Baigorritanum agnoscit. Atque inde concludit Enneconem non fuisse Vicecomitem Baigorritanum, ratus Azenarium Vasconiæ Comitem numquam passurum fuisse, ut Vicecomes Baigorritanus, qui sibi tanquam Comiti Vasconiæ suberat, Rex constitueretur. At facilis videtur responsio. Ad Vasconiam ut Baigorria sic & Bigorria pertinebat, utrique verò

• Hist. Bearn. l. 3. c. 4.

AN. CH. 830.
LUDOV. IMP. 17.
LOTHAR. IMP. 14.
PIPPINI R. 16.
LUDOV. R. 14.
CAROLI R. 1.

non idem imminebat periculum, Marcæ enim Hispanicæ parti Occidentali, quam Saraceni bello lacessebant, Baigorria multò propinquior erat quàm Bigorria. Aliam frustrà rationem quæras, cur Baigorritani cum suo Vicecomite vicinis Hispanis se conjunxerint adversùs Saracenos, eidémque Vicecomiti viro armis strenuo, partâque jam gloriâ præ ceteris illustri, Regiam Dignitatem facto consensu detulerint. Baigorria, quod maximè notandum, Regni tunc erecti pars deinceps fuit, atque etiamnum existit, sita est enim in Citeriore seu Superiore Navarra, parétque LUDOVICO MAGNO Christianissimo Francorum & Navarræ Regi, Enneconis Aristæ successorúmque Navarræorum Regum hæredi legitimo. Bigorria nec confinis erat Marcæ Hispanicæ, nec Regni Navarræi pars unquam fuit. Insigniebatur titulo Comitatûs & Episcopatu. Bigorritanos Episcopos hactenus sub Elusano Metropolita laudavimus, qui posterioribus seculis Tarbenses appellari sunt atque hodie dicuntur sub Ausciensi Archiepiscopo. Bigorriæ seu Bigorritani Comitatûs iidem erant limites qui Bigorritanæ Diœceseos extra Vasconiam haud protensæ. Hoc adversarius non inficiatur, &, ut auctoritatem opinioni suæ conciliet, Enneconi, quamvis Bigorritanus Comes nuncupetur, non Bigorriæ modò sed etiam regionis Bigorriam & Oscam interjacentis atque per Vasconiam & Marcam Hispanicam ultra spatium viginti leucarum dilatatæ Præfecturam attribuit [a], eámque ait haud aliam fuisse ab illa quam Aureolus Comes ante aliquot annos exercuerat. At hæc proferuntur gratis, & Aureolus, quocum Enneco comparatur, in antiquis monumentis non vocatur Comes Bigorritanus, sed *Comes de genere Felicis Aureoli Petragoricensis Comitis exortus, qui in commercio Hispaniæ atque Galliæ trans Pyrenæum contra Oscam & Cæsaraugustam residebat*, ut Incertus Auctor & Monachus Egolismensis in vita Caroli Magni scribunt, & ad annum Redemptoris octingentesimum undecimum Annalistæ, Loiselianus, Laureshamensis, Bertinianus, ac Metensis cum Reginone. Fuit igitur Enneco Vicecomes Baigorritanus in Aquensi Diœcesi. Quod ad Sampiri textum attinet, ex eo tantùm colligitur, quòd Aldefonsus Magnus Rex Legionis Ximenâ Garsiæ Enneconis Regis Pompelonensis filiâ in uxorem ductâ *universam Galliam cum Pampilona*, id est, Gallos ac Navarros, *causâ cognationis secum adsociavit*, seu Vicecomes Baigorritanus seu Comes Bigorritanus extiterit Enneco Arista, cujus pronepos Garsias Enneconis, abneptis Ximena. Nam Baigorria æquè ac Bigorria pars fuit cùm Galliæ tum Monarchiæ Francicæ, permansitque sub Francorum Regum potestate, donec Enneco Arista Rex appellari cœpit. Nec malè suspicatur adversarius [b], belli Carolum Francorum Regem Ludovici Pii filium inter & Enneconem Ximenonis Regem Pompelonensem Enneconis Aristæ nepotem exorti causam omnem ex eo profectam esse, quòd Carolus ditiones avulsas è Francia novóque Enneconis Aristæ Regno per defectionem quondam attributas repeteret. Secuta pax inter prædictos Reges Carolum & Enneconem Ximenonis anno Redemptoris octingentesimo quinquagesimo, ut ad illum annum ex vetere Chronico probabimus. Ximenam ejusdem Enneconis Ximenonis neptem Aldefonsus Rex Legionis in uxorem seriùs accepit, & quia pacem Francos inter ac Pompelonenses arctissimè firmatam sciebat, tali conjugio sibi visus est sociasse non tantùm Pampilonam seu Regnum Pompelonense, sed etiam Galliam seu Regnum Caroli, tum propter mutuam amicitiam utriusque gentis, tum propter affinitates, quibus Regem Pompelonensem plerique Galliarum, præsertim Vasconiæ Primates contingebant. Sed hæc Enneconem Aristam non magis Comitem Bigorritanum quàm Baigorritanum Vicecomitem probant. Hac igitur in parte stamus ab Oihenarto.

XXXI. Quod autem hic Auctor ad alteram quæstionem de Aristæ cognomento scriptum reliquit, id nequaquam nobis placet, quamvis ad Enneconis

a Hist. Bearn. l. 2. c. 8. n. 2.

b Hist. Bearn. l. 2. c. 10. n. 2.

Aristæ genus ex Baigorritano pago repetendum producatur. *Aristæ*, inquit, *cognomen Enecconi primo Regi inditum (quod ineptè ab aristis derivat vulgus Historicorum, quasi verò sicut arista in medius flammis, ita Rex ille in prœliis exardesceret) expeditam habebis originis suæ explicationem, assignato Enecconi pro patria Baigorritano pago, cùm ejus primarium vicum, qui hodie fanum Sancti Stephani nomine dignoscitur, Harizetam olim appellatum fuisse constet ex priscis tabulis Lupi Enecconis Vicecomitis Baigorritani.* Literas illas recitat integras, ad eliciendam rei propositæ confirmationem hæc accipe fragmenta. *Ego Lope Enecconis Viceconsul de Bygur cum uxore mea Condessa & cum consensu filii meâ Garsia &c. Factum apud Sanctum Stephanum de Harizeta in festo Sanctorum Fabiani & Sebastiani &c.* Pergit Oihenartus. *Solent plerumque Navarri in dictionibus Vasconicis proferendis aspirationem rejicere & vocales plurimas inter duas consonantes interjectas in medio elidere, veluti pro eo quòd Vasconi barazcaçu, id est, accipe, ipsi arçaçu dicunt, pro othorença, id est, pastum, prandium, vel cena, otronça; non secus pro voce barizeta aristam protulerunt, quia autem barizeta vox Vasconicâ linguâ quercum significat, hinc primis Regibus quercûs inter insignia Regia gestanda occasionem fuisse crediderim.* Oihenartum egregiè refellit hoc loco Petrus de Marca [a]. Nititur hoc Roderici textu jam allegato. *Vir adveniè bellis & incursibus ab infantia assuetus, qui Eneco vocabatur, &, quia asper in prœliis, Arista agnomine dicebatur.* Observat hoc cognomen, *Aristæ*, quo vir asper in prœliis designatur, à vernaculo derivandum esse vocabulo quod istius sit significationis, non autem à Latina voce arista, quæ nihil tale significat. Addit in illis regionibus virum audacem & intrepidum *Ariscat* etiamnum appellari, fortè olim *Aristat*, nisi dicas antiquum *Ariscat* in *Aristat* apud Auctores abiisse, quia literæ c & t in manuscriptis Codicibus aliquando non facilè distinguuntur. Eodem igitur modo sensûs quo Philippus Francorum Rex, illius nominis Tertius, cognominatur Audax, Eneco dictus est *Ariscat* sive *Aristat* aut *Arista* cum Latina terminatione. Nec huic Regi fuit aliud insigne præter argenteam Crucem in campo cæruleo, qua se tutum fore sperabat adversùs Saracenos & alios quoscumque, qui Christum ejúsque Crucem blasphemabant.

XXXII.

Series Soprarbiensium Regum, quos moderni rerum Navarræarum Scriptores Enecconi Aristæ præponunt, tota est commentitia, & ex gestis cùm Caroli Magni tum Ludovici Pii per annos distributis apertissimè refellitur, ut prælaudati Petrus de Marca & Arnaldus Oihenartus post examen accuratissimum locis jam citatis demonstrarunt. In illis partibus primus omnium Eneco Rex est acclamatus, sed Rex simpliciter & absque addito seu civitatis seu regionis; at ejus nepos Enneco Ximenonis captâ Pompelone Regem se Pompelonensem scripsit, seriùs autem Navarræ nomen audiri cœptum. Fuisse Enecconem, quando Regium titulum suscepit, jam tum ætate longiùs provectum inde elicit Oihenartus [b], quòd ante annum 839 ipsius nepos Eneco à Regno capessendo idoneus habitus fuit, cùm inter utrumque regnasse Ximinum, hujus patrem, illius verò filium, pro certo ponatur. Enneconem Garsia-Enecconis patrem anno 839 obiisse prodidit Auctor Annalium veterum Aragonensium, ut refert Curita libro 1 Annalium, cap. v. At contrà, illum eo ipso anno Regnum inchoasse, authores sunt Joannes Vasæus & Scriptor brevis Chronici manuscripti, quod inter tabulas Ferulorum Fani Sancti Joannis ad imum Pyrenæum volvitur. Ego, etsi de initio Regni hujus Regis nihil certi afferre possum, vixisse tamen ipsum & regnasse ab anno 839 ad annum 842 compertum habeo. Cùm utriusque anni Diplomata ab eo Rege obsignata extent in Legerensi * Cœnobio, testibus Sandovallio in Catalogo Episcoporum Pompelonensium, folio 17. & Garibayo libro 22, capite 1. Nec puto eum multo longiùs vitam produxisse, quandoquidem nullam ab eo anno ipsius memoriam habemus, & tempore obitûs paterni Garsiam ejusdem Regis filium decem & septem tantummodo annos natum fuisse, quibusdam mo-

[a] Hist. Bearn. l. 2. c. 8. 12.

[b] Lib. 2. c. 15.

* de Leyre.

AN. CH. 830. LUDOV. IMP. 17. LOTHAR. IMP. 14. PIPPINI R. 16. LUDOV. R. 14. CAROLI R. 1.

monumentis à Garibayo citatis traditur. Idipsum etiam alia subjicit ratio non fallax. Nam si id temporis satis robustâ ad Regnum capessendum ætate fuisset Garsias, quis dubitat ipsum in Regno, Garsiæ-Ximeni patruo, qui eum præcessit, antefe-rendum fuisse? Probabilis admodum videtur eorum opinio, qui Eneconem Aristam seu Garsianem, id est, Garsiæ filium, anno Redemptoris octingentesimo tricesimo-quinto mortuum volunt, ut Stephanus Garibayus [a] & Petrus *de Marca* [b] testantur. Patri successit Ximinius seu Ximeno, dictus Ximinius Eneconis; paucos regnavit annos; nam veteres Chartæ, quas Oihenartus laudavit, Eneconem filium ejus natu majorem, dictum Eneconem Ximenonis, probant regnasse annis noni seculi tricesimo-nono & quadragesimo-secundo. Certè de hoc Enecone Secundo, Ximenonis filio, Enneconis Primi sive Aristæ nepote, capiendum est Diploma, quod apud Garibayum [c] sic habet. *In Nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. Hoc est Testamentum Donationis, quod ego Rex Enneco Ximenones cum Episcopo Domino Guillesindo facio &c. Facta Charta in Era octingentessima octuagessima, decimo-quarto Chalendas Julias*, id est, anno Redemptoris octingentesimo quadragesimo-secundo, die decimo-octavo mensis Junii. Ceterùm in illo Diplomate, nec Eneco Regem se Pompelonensem, nec Willesindus seu Guillesindus Episcopum se Pompelonensem scribit. Idcircò suspicamur Pompelonem in potestate Saracenorum adhuc fuisse, cùm Rex Eneco prædictam Donationis Chartam confecit. De tempore quo recuperata fuit hæc civitas, nihil certi à se sciri fatetur Oihenartus [d]. *Quo posteà, inquit, tempore Pompelon civitas ei, nempe* Regno Navarrico de cujus exordio disputat, *adjecta fuerit, incertus veri sum, idque tantùm pro comperto habeo, anno 850 Pompelonenses sub Imperio Principis Christiani fuisse. Id enim ab Eulogio in epistola ad Willesindum illius civitatis Episcopum scripta testatum invenio.* Fragmentum habes harum literarum apud Andream Duchesnium [e] cum duobus hisce Characteribus Chronologicis, XVII *Kalend. Decemb. Æra* DCCCLXXXIX, sive anno Redemptoris octingentesimo quinquagesimo-primo. Tunc in vivis superstes adhuc erat Eneco Ximenonis, ut ad illa tempora nos ex vetere Chronico probaturos jam spopondimus. Ergo primus ex Eneconis Aristæ posteris titulum sibi Pompelonensis Regis adscivit Eneco Ximenonis expugnatâ Pompelone. Plerique Hispanorum, quibus etiam adstipulatur Petrus *de Marca*, secus sentiunt, & Pompelonem ab Enecone Arista captam affirmant, sed cùm ejusdem Eneconis Regnum, quod aliquot duntaxat annorum fuit, ad annos usque duodeviginti prorogent, Pompelonis deditionem non ei potiùs quàm filio vel nepoti factam ostendunt. De Garsia Ximenonis qui post fratrem Eneconem Ximenonis regnavit, & de successore Garsia Eneconis appellato sic Oihenartus [f]. *Cùm constet fide veterum monumentorum Garsiam, id est, Garsiam Ximenonis, usque ad annum 858 in vita mansisse, neque eum ulterà propagosse hactenus apparuerit, nihil obstat quominùs ipsius morti annum illum assignemus, Garsiæque Eneconis Regnum ab eodem vel ab insequenti, hoc est, 859 inchoemus.*

XXXIII. Rodericus Toletanus hunc Garsiam Eneconis, qui patruo suo Garsiæ Ximenonis anno duodesexagesimo seculi noni successit, non Eneconis Ximenonis sed Eneconis Aristæ filium perperam sic asseruit [g]. *Vir advenit bellis & incursibus ab infantia assuetus, qui Enecho vocabatur, &, quia asper in præliis, Arista agnomine dicebatur, & in Pyrenæi partibus morabatur, & pòst ad plana Navarra descendens ibi plurima bella gessit, unde & inter incolas Regni meruit Principatum. Hic genuit filium Garsiam nomine, cui uxorem Viracam de Regio semine procuravit.* Eneco Arista Rex filium hæredémque Regii tituli reliquit Ximenonem Eneconis. Hic duos habuit filios Eneconem Ximenonis & Garsiam Ximenonis, qui successivè post patrem regnarunt. Eneco Ximenonis, captâ Pompelone Regem se Pompelonensem scripsit,

[a] Lib. 22. c. 2.
[b] Lib. 2. c. 8.
[c] Lib. 22. c. 2.
[d] Lib. 2. c. 12.
[e] Tom. 2. Collect. Hist. Franc.
[f] Lib. 1. c. 13.
[g] Lib. 5. c. 21.

AN. CH. 830.

LUDOV. IMP. 17.
LOTHAR. IMP. 14.
PIPPINI R. 16.
LUDOV. R. 14.
CAROLI R. 1.

idque Garsias Ximenonis, illius frater, aliique successores posteà præstiterunt. Hæc autem ut tibi clariora fiant, sequentem consule Tabulam.

ENECO ARISTA Rex anno 830. obit anno 835.

XIMENO ENECONIS Rex anno 835.

ENECO XIMENONIS Rex annis 839 & 842 : captâ pòst Pompelone Rex Pompelonensis, superstes anno 850.

GARSIAS XIMENONIS post fratrem Rex Pompelonensis; obit sine liberis anno 858.

GARSIAS ENECONIS post patruum Garsiam Ximenonis Rex Pompelonensis anno 858, fit socer Aldefonsi Magni Regis Legionis.

XXXIV. HIRSAUGIENSE MON. CONDITUR.

Ad hunc annum referenda sunt initia Hirsaugiensis Monasterii, quod in Diœcesi Spirensi conditum fuit ab Erlafrido Comite ejúsque filiis Nottingo & Ermefrido, quorum ille Tomo superiore nobis jam notus Episcopatum Vercellensem in Italia gerebat. Insignis hujus Monasterii Chronicon ex variis Auctoribus, quorum nomina in ipsius operis Præfatione reperies, concinnavit Joannes Trithemius Abbas Spanheimensis, atque inde mutuati sumus quæ sequuntur. *Erat eo tempore, quo Ludovicus Primus Romanorum gubernabat imperium, Erlafridus Comes de Calwe, vir dives & potens apud Imperatorem, qui habebat filium Nottingum nomine, virum in omni doctrina Scripturarum eruditum, qui propter scientiam literarum ac vitæ honestatem sub Carolo Magno Imperatore, Patre Ludovici, Episcopatum Vercellensis Ecclesiæ fuerat consequutus. Is postquam Ecclesiam suam aliquandiu secundum Canonicas Sanctiones probè rexisset, in dulcem visendi patriam cupidinem incidit, ad quam ne vacuus remeasse videretur, cogitare cœpit quid muneris præcipui secum adduceret, quo eam faceret clariorem. Impetraverat sanè non longè anteà maximis precibus corporis Sanctissimi Præsulis Redicianorum Aurelii Armenii Reliquias, jaspide & auro pretiosiores, quas ad Ecclesiam suam Vercellensem deferens, in mansolæo pulcherrimo, quod præparaverat, collocavit. Itaque visurus patriam dulcésque genitores, hunc thesaurum inferre Germaniæ cùm deliberasset, inter spem metumque fluctuans animo, ne fortè illatio hæc aut Sancto displiceret Aurelio, aut, si populo Vercellensis Ecclesiæ perciperetur, à suo cogeretur resilire proposito, rem tam divino consilio terminandam commisit. Unde totâ mente conversus ad Deum, ac juxta sepulchrum Sancti noctem ducturus insomnem, provolutus in terram, ipsum Aurelium divum Christi amicum ardenti compellabat desiderio cum lachrymis dicens. Sancte Pater Aureli, decus meum, amicumque post Deum animæ præsidium meæ, tibi expando desiderium famuli tui, quod Deo conjunctus procul dubio nescire non potes, rogo te per divinum amorem, qui te mihi venerabilem, Ecclesiæ celebrem, ægris medicum, unúmque cum Deo Sanctum & Immortalem effecit, ne me diutiùs in hoc ambiguo fluctuare permittas, sed exaudi me famulum tibi professum, & doce me ut sciam quid agere debeam secundùm Dei tuámque voluntatem. Cúmque orans diutiùs in lacrymis humique jacens perseveraret, fatigatus nimiùm protractâque vigiliarum paulisper obdormivit. Cui dormienti mox Divus Aurelius Pontificalibus indutus splendidior Sole astitit, Nottingúmque compellans ex nomine dixit. Salus tecum, frater Nottinge, surge ne fleveris, ad hoc veni ut pergam tecum in Germaniam, plures ibi Christo adducturus populos jam corpore mortuus, quàm si adhuc vivus inter gentes prædicans miraculis coruscarem. Quo cùm veneris, ibi Monasterium servorum Dei conf-*

AN. CH. 830.
LUDOV. IMP. 17.
LOTHAR. IMP. 14.
PIPPINI R. 16.
LUDOV. R. 14.
CAROLI R. 1.

tiones, ubi cæcum nobis obvium subito conspexeris illuminatum. Quibus dictis evanuit. At verò Nottingus venerandus Episcopus de somno consurgens, lætus mox in ipsa nocte sarcophagum clàm aperuit, ipsásque Reliquias sacratissimi Præsulis Aurelii in domum Episcopii sui occultè deportavit, mausoleum diligentissimè recludens, multo tempore Vercellenses delusit, hospitem se habere putantes quem non habebant. At verò Nottingus Episcopus, paratis omnibus, quæ ad rationem itineris pertinere videbantur, ex familiaribus suis fideliores quosdam in comites tantæ peregrinationis assumpsit, imponénsque jumento sarcinulam sacras Aurelii Reliquias continentem, itineris duce optimo comitatus propositam viam ingreditur. Quique Germaniam feliciter ingressus, post aliquot dies patriam intraret suam, magnâ suorum lætitiâ exceptus est, & quantum inferret regioni thesaurum, absens scriptis præsens verbis & operis exhibitione, patri ceterisque omnibus terræ incolis demonstravit. Verùm quum non esset in promptu locus munere benedictionis consecratus, tanto hospite dignus, nolentésque tam venerabiles Reliquias ultra triduum commorari inter homines peccatores, communi deliberare consilio cœperunt, ubi habitaculum Christi Confessori pararent. Erat eo tempore non procul à Castello Comitis Erlafridi Capella in honorem Sancti Nazarii consecrata, quæ nomen monti, in quo sita fuerat, indidit usque in præsentem diem. Placuit itaque omnibus, qui consilio intererant, corpus Sancti Patris Aurelii in eam reponere, donec de convenientiori loco provideretur. Posterâ die manè consurgentes Nottingus Episcopus cum familiaribus suis & Erlafridus pater cum altero filio fratre Pontificis Ermefrido, conjunctis quamplurimis ex nobilioribus & plebeiis, quos Comes ob honorem tantorum hospitum fecerat esse præsentes, dispositísque negotiis pro reverentia Sancti, corpus sacrum per declivum montis circùm gyrando ad præfatam Divi Nazarii Capellam ferre cœperunt. Venientes autem in eum locum, ubi hodie Monasterium Sancti Aurelii constructum est, ecce cæcus quidam in medio turbæ sacris Reliquiis obvius, clamare cœpit voce magnâ dicens. Illumina me, Sanctissime cultor Dei Aureli, precibus tuis, quemadmodum pollicitus es. Ad quem Episcopus dixit. Ubi Sanctus Aurelius promisit se te illuminaturum? Qui ait. Domine, hac nocte dormienti mihi in angustia mentis meæ Sanctus iste apparuit dicens. Cras in Nomine Jesu Christi illuminaberis. Et dixi. Domine quis es tu? Ego sum, inquit, Aurelius Episcopus, novus hospes in Germania, quem filius Domini tui Comitis Erlafridi pridem adduxit. His dictis, iterum clamavit. Sancte Aureli, adjuva me, ut videam te. Statímque aperti sunt oculi ejus, & vidit perfectè. Omnes autem, qui aderant, viso tam insolito Miraculo magnificabant Deum dicentes. Laus tibi, Domine Jesu Christe, fili Dei vivi. Dixitque unusquisque ad cohærentem lateri suo. O quàm magnus est iste Sanctus, qui etiam cæcos illuminare potest! Nottingus verò Episcopus dixit Erlafrido patri. Hunc, pater, locum Sanctus Aurelius in mansionem elegit, concitatóque gradu montem ascendentes, Pontifex immolato Redemptionis nostræ sacrificio, Reliquias sacras ad locum præparatum reposuit. Deinde post dies paucos Nottingus Episcopus exposuit Erlafrido patri & Ermefrido fratri votum, quod dudum Sancto Aurelio hortante in somnis mente conceperat, monens, orans, & obtestans eos, quatenus ob amorem Omnipotentis Dei in honore Beati Petri Principis Apostolorum & Sancti Aurelii Episcopi Monasterium servorum Dei construerent in eo loco, ubi cæcus fuerat illuminatus, promisitque se pro viribus suis huic negotio non defuturum. Et facilè quidem persuasit non modò suis exhortationibus, sed vel maximè consideratione Miraculi quod viderunt. Erat enim pater alioquin devotus, timens Deum, & ministrans pauperibus, qui jamdudum terrenis cælestia præposuerat, & ob id nihil hæsitans, se cuncta facturum unà cum Ermefrido filio sine mora Episcopo promisit. Igitur Nottingo Pontifice ad Ecclesiam suam Vercellensem post duos menses reverso, Erlafridus Comes promissionis non immemor suæ, Monasterium Sancto Aurelio in loco præmisso ædificare cœpit, & eodem anno, quo sacratissima ejus pignora per filium fuerunt allata, inchoavit, qui fuit ab Incarnatione Domini nostri Jesu Christi octingentesimus tricesi-

mus annus. Sequuntur alii duo Characteres annus videlicet Ludovici Imperatoris, & annus ab obitu Sancti Benedicti Casinensis Abbatis, *Ludovici Imperatoris primi septimus, à transitu Sanctissimi patris nostri ducentesimus atque tricesimus-primus.* Sed hi supposititii sunt, annus enim Dominicæ Incarnationis octingentesimus tricesimus, nec cum anno Ludovici Augusti septimo, nec cum anno post obitum Sancti Benedicti ducentesimo tricesimo-primo convenit, quia Ludovicus ad Imperatoriam dignitatem à Patre Carolo provectus est anno Redemptoris octingentesimo decimo-tertio, & Sanctus Benedictus ex hac vita sublatus est anno Christi quingentesimo quadragesimo-tertio, mense Martio. Si quis servandos contendat hos Characteres, quos adjectos existimamus, restituat oportet annum Ludovici Augusti decimum-septimum loco septimi, & annum à transitu Sancti Benedicti ducentesimum octogesimum-septimum loco ducentesimi tricesimi-primi.

AN. CH. 830. LUDOV. IMP. 17. LOTHAR. IMP. 14. PIPPINI R. 16. LUDOV. R. 14. CAROLI R. 1.

XXXV. TRANSLATIO S. AURELII EP.

Sanctus Aurelius Redicianorum Episcopus Sancti Dionysii Metropolitæ Mediolanensis in exilio mortui corpus Mediolanum retulit, ibique vitam clausit. Sepultus fuit ad latus Sancti Dionysii, quievitque Mediolani, donec translatus est Vercellas. Joannes Stephanus Ferrerius Vercellensis Episcopus in libro de Vercellensibus Episcopis, cùm sub Episcopo Nottingo * sermonem habet de altera Sancti Aurelii Translatione, quæ Vercellis facta est in Germaniam, narrationi ex Trithemio suprà descriptæ subjicit hanc observationem in re Chronologica nævis quoque non carentem. *Narratur vita Sancti Aurelii Armenii Episcopi Redicianorum, in qua civitate recepit Dionysium Mediolanensem à Constantio in exilium missum, quem sæpiùs consolabatur, qui Dionysius, cùm ex hac vita esset migraturus, ab Aurelio petiit, ut quamprimum ejus corpus ad Ecclesiam Mediolanensem referret, quod paucos post annos, Reliquiis arte desiccatis, Beato Ambrosio Episcopo cum omni Clero & populo in ejus occursum extra urbem properante, gloriosus invexit, & ipse Aurelius anno Domini CCCLXXXIII, Gratiano & Valentiniano Imperatoribus, VIII Kal. Julii, eâdem die, quâ Sanctus Dionysius ante triennium decesserat, obiit Mediolani, ejusque corpus a Beato Ambrosio sepultum ad latus Sancti Dionysii in Ecclesia Mediolani annis fermè CCCCXXXVII mansit, quousque Nottingus Vercellensis Episcopus magnis illud precibus ab Archiepiscopo Mediolanensi impetratum Ludovico Imperatore ad suam Ecclesiam transtulisset.* In hac observatione discedunt ex hac vita, Sanctus Dionysius anno Christi trecentesimo octogesimo, Sanctus Aurelius anno Christi trecentesimo octogesimo-tertio. Neutrum probabile videtur. Sanctus Dionysius in exilium à Constantio Augusto Ariano pulsus est anno Christi trecentesimo quinquagesimo-quinto. Idem cùm exilii tum vitæ fuit ei terminus, per ejus absentiam, Mediolanensem Cathedram invasit Auxentius hæreticus Arianæ sectæ. Sanctus Ambrosius Pontificatum suscepit septimo Idus Decembris, anno Christi trecentesimo septuagesimo-quarto. Quis sibi persuadeat Sanctum Dionysium ad annum sextum Ambrosiani Præsulatûs in exilio vixisse, vel Sanctum Ambrosium, qui tanto studio Pontificales Infulas recusavit, ordinationi suæ lubenter assensisse, Sancto Dionysio, qui legitimus Mediolanensium Antistes ad mortem usque fuit, in vivis adhuc superstite? Præterea Sanctus Aurelius Sancti Dionysii corpus Mediolanum ad Sanctum Ambrosium retulit, vivente tunc Sancto Basilio; Sanctus autem Basilius in cælum migravit Kalendis Januariis, anno Christi trecentesimo septuagesimo-octavo; atque inde constat nec obitum Sancti Dionysii consignandum esse anno Christi trecentesimo octogesimo, nec ejus Reliquias temporibus Sancti Basilii Mediolanum anno Christi trecentesimo octogesimo-tertio delatas fuisse. Jam verò, si Joannes Stephanus Ferrerius haud benè notavit annum, quo Sanctus Dionysius è Cappadocia Mediolanum translatus est, ex ejus scripto colligi non potest annus, quo

* Episc. 36.

AN. CH. 830. LODOV. IMP. 17. LOTHAR. IMP. 14. PIPPINI R. 16. LUDOV. R. 14. CAROLI R. 1.

Sanctus Aurelius Mediolano translatus est Vercellas. Ea nos ratio superiore Tomo permovit, ut primam hanc Sancti Aurelii Translationem, quæ Mediolano Vercellas facta est, & ad nostros Annales pertinet, in hunc locum rejiceremus enarrandam simul cum altera, super cujus epocha nihil controversiæ movetur. Cæsar Baronius ordinationem Sancti Ambrosii Mediolanensis Metropolitæ refert ad annum Christi trecentesimum septuagesimum-quartum [a]; deinde anno Christi trecentesimo septuagesimo-quinto [b], postquàm inter Sanctos Basilium & Ambrosium mutuam literarum consuetudinem amicitiámque commendavit, hæc addit. *Sed & illud erga Ambrosium Basilei pium intercessit officium, dum corpus Sancti Dionysii Mediolanensis Episcopi & Martyris, qui pro fide Catholica exul obierat in Cappadocia, procurante Aurelio Episcopo, è Cappadocia Mediolanum translatum est.* At cùm ordinatio Sancti Ambrosii facta sit mense Decembri, vix probabile fit proximo mense Maio Sanctum Aurelium obiisse Mediolani, quò Sancti Dionysii corpus è Cappadocia post acceptum Præsulatûs Ambrosiani nuntium jam transtulisset. Imò, cùm Sanctus Aurelius Mediolani per annos fermè triginta-septem supra quadringentos quievisse perhibeatur, donec inde Vercellas translatus est *Ludovico Imperatore*, Sancti Dionysii Translationem è Cappadocia Mediolanum, & Sancti Aurelii mortem in annum Christi trecentesimum septuagesimum-septimum securè rejicimus, in hac enim computatione Sanctus Aurelius Mediolano Vercellas transfertur anno Ludovici Augusti primo. Sanctus Dionysius in Tabulis Ecclesiasticis octavo Kalendas Junii celebratur, perperam igitur in textu, quem examinamus, mors ejus consignatur octavo Kalendas Julii. Qui tunc Imperatores in eodem textu memorantur Gratianus & Valentinianus, in nostra quoque sententia servari debent, anno enim Christi trecentesime septuagesimo-septimo tres imperant Augusti, Gratianus & Valentinianus fratres in Occidente, Valens eorum patruus in Oriente. Notandum etiam in nostra videtur opinione, quòd anno Christi trecentesimo septuagesimo-quarto tria hæc contigerunt. Sanctus Dionysius vitam in exilio clausit octavo Kalendas Junii, Auxentius hæreticus, quem Ariani per ejus absentiam in Mediolanensem Cathedram intruserant, mortuus est Mediolani; Sanctus Ambrosius ad Mediolanensem Pontificatum assumptus est septimo Idus Decembris. De morte Auxentii & ordinatione Sancti Ambrosii conveniunt omnes. Quod ad Sanctum Dionysium attinet, audi quid de illo multis ex Auctoribus collegerit Ughellus [c]. *Sanctus Dionysius Morlianus civis atque Archiepiscopus Mediolonensis virtute constantia contra Arianos insignis. Hic eo tempore Mediolanensem Ecclesiam administrabat, hoc est, anno 355, cùm Mediolani, tum Catholici tum Ariani Episcopi celebrarent Concilium. Ibi cùm Ariani favore Constantii Ariani Imperatoris conorentur Athanasium damnare, illorúmque conatibus refragaretur Dionysius, à furente Constantio post multas perpessas ærumnas in Cappadociam relegatus fuit, ubi in Catholica confessione constantissimè perseverans evolavit ad superos 8 Cal. Junii, anno 374, in civitate Retoiensi Armenia finitima, si Trithemio credimus. Ejus sacrum corpus deinde retulit Mediolanum Aurelius ejus civitatis Episcopus Sancto Ambrosio excipiente. Qua solemnis Translatio haud operam Divi Basilii Magni desideravit. Hujus è Cappadocia Mediolanum Translationis Galesinus meminit.* Certè mirari subit, cur idem Ughellus Auxanio Ariano locum inter Mediolanenses Antistites dederit, cùm aliunde continua series Orthodoxorum Præsulum absque interruptione permaneat in Sanctis Dionysio & Ambrosio, quorum ille feliciter ad Deum migravit octavo Kalendas Junias, anno Christi trecentesimo septuagesimo-quarto, hic ordinatus est Metropolitanus Episcopus eodem anno, septimo Idus Decembres. Triplex igitur est apud Ferrerium error. Sanctus Aurelius Episcopatum non in Armenia sed in Cappadocia gessit, vitámque nec *anno Domini* CCCLXXXIII, nec VIII *Kal.*

[a] Nn. 1. & seqq.
[b] Num. 10.
[c] Tom. 4. Ital. Sacr. in Archiep. Mediolan. 13.

Julii terminavit, sed anno Domini CCCLXXIIII, VIII Kal. Junii. Con- AN. CH.
finis est Armeniæ Cappadocia: numerus CCCLXXIIII in CCCLXXXIII 830.
& vox Junii in Julii facilè abierunt mutatis i in x & n in l. Ferrerio sic
emendato Chronologiam rectè nunc institutam accipe. Sanctus Diony- LUDOV.
sius Mediolanensis Antistes anno Christi trecentesimo quinquagesimo- IMP. 17.
quinto relegatus est in Cappadociam, ibique per annos exulavit undevi- LOTHAR.
ginti, donec animam Creatori reddidit, octavo videlicet Kalendas Ju- IMP. 14.
nias, anno post Christum natum trecentesimo septuagesimo-quarto. PIPPINI
Sanctus Aurelius Retoiensis Episcopus in Cappadocia sub Sancto Basilio R. 16.
Cæsariensi Metropolita corpus ejusdem Sancti Dionysii Mediolanum anno LUDOV.
Christi trecentesimo septuagesimo-septimo transtulit, Sancto Ambrosio R. 14.
Mediolanensi tunc Antistite, vitámque ibidem eodem anno clausit octa- CAROLI
vo Kalendas Junii. Sepultus fuit à Sancto Ambrosio ad latus Sancti Dio- R. 1.
nysii, quievítque Mediolani per annos fermè triginta-septem supra qua-
dringentos, id est, ad annum usque Redemptoris octingentesimum deci-
mum-quartum, quo translatus est Mediolano Vercellas, Ludovico jam
Imperatore, & Nottingo Vercellensium Episcopo. Deinde ab eodem
Nottingo Vercellis anno pòst decimo-sexto, sive hoc anno Redempto-
ris octingentesimo tricesimo delatus est in Germaniam, ut ex Chronicis
Hirsaugiensibus probatum suprà

Ut Sancti Aurelii Episcopi, sic & Sanctæ Glodesindis Virginis, hoc XXXVI.
anno facta est altera Translatio, quam Joannes Abbas in literas post an- S. GLODE-
num Christi nongentesimum quinquagesimum-primum retulit, publici- SINDIS
que juris fecerunt Philippus Labbeus in nova Bibliotheca & Joannes Ma- VIRG.
billonius in quarto Seculo Benedictino. Auctor narrationis, præter an-
num Incarnationis Dominicæ, quatuor alios addit Characteres Chrono-
logicos, Gregorii Quarti Papæ annum tertium, Ludovici Augusti an-
num decimum-septimum, Drogonis Episcopi Metensis annum octavum,
& ab ortu Glodesindis annum circiter octogesimum. *Ludovicus Imperator,*
filius Caroli Magni, cognomento Pius, post patris gloriosissimè exactum Impe-
rium, in nullo inferiori fastigio rerum potiebatur, anno ab obitu Patris decimo-
septimo, cùm Incarnationis Dominica octingentesimus tricesimus agereutur annus,
& Sedem Apostolicam Roma Gregorius quidam occuparet, qui duobus Eugenio &
Valentino festinâ tunc recèns sese morte consequentibus, quorum prior tantùm
triennium, sequens vix mensem superfuit, successerat, tùncque tertium Apostola-
tûs sui annum agebat. Hanc autem sanctam Sedem Mettensem Drugo ejusdem Im-
peratoris Ludovici frater jam per annum tuebatur octavum, qui etiam vices
Apostolicas in cunctis Galliarum partibus Privilegio ab ipsa Sede Romana cum
Palis auctoritate & nomine summi Archiepiscopatûs accepto, ut amplissima digni-
tatis vir sustinebat. Cùm igitur ad id usque temporis corpus beata virginis in
dexteriore parte altaris Basilica nova Sancta Dei Genitricis humo mansisset recon-
ditum; dispositis illa superna, cui cùm omnium qua condidit, tum maximè suo-
rum cura exstat præcipua, in ipso quoque corpore ad oculos hominum merita ipsius
sacra virginis, quæ ei apud se semper existerent, patenter voluit demonstrare. Ca-
pit enim tunc temporis sepulchrum ipsum de terra se sponte subrigere, & mirum
in modum, ita ut nec in terra eadem viciniora tumuli loca apparerent, nec in
murali constructione desuper composita. Hujus rei novitas dum ad notitiam supra
memorati Pontificis pervenisset, morarum impatiens mox in crastinum fidos ad
hoc inspiciendum sacrorum ministros cum Archidiacono majore, quem Chorepisco-
pum dicunt, direxit. Qui venientes & cuncta viris, ut relatio pertulerat appro-
bantes, ad rem continuò certam renuntiant. Episcopus ad hanc relationem de eadem
sacratissima virgine, qua fuerit, quave ei conversatio vel vita viventi fuerit, qua
utique nondum satis vulgata claruerant, sollicitiùs disquirit. Ubi cuncta ex ordine
ab ipsis qui vivam ipsam in corpore videre potuerant, quorum pars multo adhuc
supererat, didicit, gaudio mixto admirationi non minimùm percitus, ac divino

AN. CH. 830. LUDOV. IMP. 17. LOTHAR. IMP. 14. PIPPINI R. 16. LUDOV. R. 14. CAROLI R. 1.

nescio quo nutu impulsus, ad hoc hortatu addito plurimorum, de ea sublevanda ocyùs capit consilium. Ne cui autem incredibile videatur ejus temporis aliquos tunc esse potuisse superstites, Chronica à tempore Childerici Regis ex Pippino per Carolum in Ludovicum deducta, facili id probat indicio, quæ utique non multùm super octogesimum reperitur annum, idque tempus ætate unius hominis non difficilè durare convincitur.

XXXVII. Ex quatuor Characteribus Chronologicis, quos hic textus cum anno Dominicæ Incarnationis octingentesimo tricesimo componit, duo priores nullam patiuntur difficultatem. Annus enim Ludovici Augusti decimus-tertius, itémque annus Gregorii Quarti Papæ tertius cum anno Redemptoris octingentesimo tricesimo comparatur. Et ne Gregorium Papam, cujus ibi mentio fit, alium à Gregorio Quarto suspiceris, observa istius Gregorii decessores suis nominibus Eugenium & Valentinum appellari, de quibus ad annum Redemptoris octingentesimum vicesimum-septimum sic Annalista Laureshamensis à nobis Tomo superiore [a] jam citatus. *Eugenius Papa mense Augusto decessit. In cujus locum Valentinus Diaconus à Romanis electus & ordinatus vix unum mensem in Pontificatu complevit. Quo defuncto Gregorius Presbyter tituli Sancti Marci electus.* De tertio Charactere non ita convenimus. Initia Drogonis Episcopi præcitatus Auctor integro prævertit triennio. Lege Tomo priore quæ scripsimus ad annum Redemptoris octingentesimum vicesimum-sextum [b], quo Drogonem ad Episcopales Infulas assumptum probavimus. Deinde Drogo Metensis Episcopus vices Apostolicas non obtinuit ante annum Redemptoris octingentesimum quadragesimum-quartum, quo Romam profectus est cum Ludovico Lotharii Augusti filio, sic enim ad illum annum scribit Annalista Bertinianus. *Lotharius filium suum Hludowicum Romam cum Drogone Mediomatricorum Episcopo dirigit, &c. Hludowicum Romanus Pontifex unctione in Regem consecratum cingulo decoravit, Drogonem verò Episcopum sui Vicarium Galliarum Germaniarúmque partibus designavit.* Quod attinet ad Quartum Characterem, is nostram de Glodesindis ætate sententiam egregiè confirmat, ut ad annum Christi septingentesimum undequinquagesimum [c] Tomo quinto fusè probavimus. Glodesindis usuram lucis accepit *temporibus Childerici Regis Francorum*, seu Childerico Tertio Rege, qui regnavit ante Pippinum, Regnúmque tenuit ab anno Christi septingentesimo quadragesimo-tertio ad septingentesimum quinquagesimum-secundum. Vixit Glodesindis annos *triginta*. Ut nativitatis, sic & obitûs determinatè statui non potest annus. A vero non multùm nos aberraturos arbitrati sumus, si Glodesindem anno Christi circiter septingentesimo undequinquagesimo natam, anno Christi circiter septingentesimo septuagesimo-nono mortuam diceremus. In hac enim computatione, summa annorum à Nativitate Glodesindis ad ejus Elevationem *non multùm super octogesimum reperitur annum*, quia complectitur annos duntaxat unum & octoginta. Deinde in eodem computo annus Elevationis, qui post Christum natum octingentesimus tricesimus numeratur, est quinquagesimus-primus ab obitu Glodesindis, ita ut multi, *qui vivam ipsam in corpore videre* potuerunt, *adhuc* supersint, possintque testari *de eadem sacratissima virgine, qua fuerit, quave ei conversatio vel vita viventi fuerit.* Hæc ad Chronologiam. Rem, ut gesta est, nunc accipe.

XXXVIII. *Antistes Reverentissimus* Drogo *cum sacra Clericorum ac populorum frequentia, ad locum per semetipsum accedens, religiosis votorum supplicationibus ritu solemni præmissis, patefacto sepulchro, ipse propriis ulnis miro & suprà quàm credi possit religioso in eam fervens officio, sancta virginalia membra, quæ tota adhuc compage integrè tenebantur, è tumulo sublevat, & feretro impositam, laudes Deo, gloriam Christo, totis certatim turbarum & populorum agminibus personantibus, ad majorem ingenti triumpho Basilicam perferunt. Est ipsa*

Basilica

[a] Ad an. 827. n. 73.

[b] Nu. 34. & seqq.

[c] Nu. 7. & seqq.

AN. CH. 830. LUDOV. IMP. 17. LOTHAR. IMP. 14. PIPPINI R. 16. LUDOV. R. 14. CAROLI R. 1.

Basilica major, quæ adhuc cernitur, paulò à muro civitatis disjuncta, in cujus fronte orientali foris murum urbis, illa nova Sancta Dei Genitricis extiterat ad cœmeterium puellarum extructa. Ipsa autem major Basilica antiquo ab initio nomine & honore Sancti Sulpitii Biturici Episcopi & Confessoris sacrata habebatur. Ipsa est, quam beata virgo, dum viveret, à parentibus suis, ad usus divinos prædio concesso jactis fundamentis Monasterium instituerat. Edicta quoque publica de possessionibus ejusdem Monasterii in cunctis scriptis vel polypticis, vetusto stylo & calamo editis, nomen ipsius beati Sulpitii continent, & tota ratio juris hæreditarii ipsius loci rerúmque supputatio, quam Abbatiam dicunt, ejus nomine appellatur. Dicitur tamen & nomine Sanctæ Dei Genitricis, addito etiam beati Petri Apostoli, aram ipsam majorem cum ipso Confessore esse dicatam. In hac ergo Basilica, sarcophago novo post sacrum Altare venerabiliter præparato, sanctum & pretiosissimum pignus honore & cultu, quo ampliori voluerunt, diligentissimè collocarunt. Lege illa de Basilica, quæ Tomo sexto dicta sunt ad annum Christi septingentesimum nonagesimum-quartum [a], quo facta est prima Sanctæ Glodesindis Translatio.

[a] Num. 117.

XXXIX. Duo floruerunt Sancti Sulpitii Bituricenses Metropolitæ, diversis distincti cognominibus, Severus & Pius; ille anno Christi quingentesimo octogesimo-quarto sedere cœpit, obiitque anno Christi quingentesimo nonagesimo-primo; hic Pontificatum suscepit anno Christi sexcentesimo vicesimo-quarto, dimisitque anno Christi sexcentesimo quadragesimo-primo. Sancta Glodesindis multò serius utroque vixit, & Basilica, cujus fundamenta posuit, primitus ut Sancti Petri sic & Sancti Sulpitii nomine potuit insigniri; nec videtur leve quod inde sumitur argumentum adversus eos, qui Sanctam Glodesindem Sulpitio Primo seu Severo synchronam constituunt.

XL. PRIVILEGIUM PRO COENOBIO S. GERMANI AUTISSIODOR.

Heribaldus Autissiodorensis Episcopus, cujus ordinationem anno priore consignavimus, hoc anno rogatus à Deusdedit Abbate Privilegium concessit, ut Monachi, qui Cœnobium Sancti Germani in suburbio civitatis Autissiodorensis incolebant, liberè suos deinceps Abbates eligerent. Sic enim Sammarthani [b] in Abbatibus illius loci. *Deusdedit impetravit privilegium eligendi Abbatis an. 830.*

[b] Tom. 4. Gall. Christ.

XLI. Eodem anno, septimo Kalendas Julii, vitam clausit Halitgarius Episcopus Atrebatensis & Cameracensis, si rectè de illo Claudius Robertus id scripsit in Gallia Christiana. *Obiit 25 Junii 830.* Sed hæc Roberti & asseclarum opinio stare non potest. Halitgarius enim Ragenario seu Ramnegario Noviomensi ac Tornacensi Episcopo superstes vixit, ut constat ex Translatione Sancti Momboli seu Mumboli, de qua nos inferiùs. Ragenarii mortem, Sancti Momboli Translationem ab Halitgario & Achardo Ragenarii successore factam, & obitum ipsius Halitgarii non malè rejicies in annos proximos post Concilium Parisiense, cui Ragenarius interfuit.

RAGENARIUS EP. NOVIOM. ET TORNAC. OBIT.

Existimamus igitur Ragenarium ad hunc annum pervenisse, eíque successisse Achardum, quem vetus Codex in Translatione Sancti Quintini vocat Eichardum, Democharès pravè Folradum, Robertus Falradum, Fikardum, & Sichardum. Cave autem ne eundem Achardum, quem Carolus Calvus in suis ad Nicolaum Papam literis Actardum appellavit, ad Sedem transferas Taruannensem, quia regnante eodem Carolo Taruannensem Ecclesiam administravit Achardus Episcopus, cui nomen etiam Actardi tributum reperitur.

ACHARDUS SUCCEDIT.

Toto tempore quo Noviomensis ac Tornacensis Episcopus fuit Achardus, Taruannæ sedit Folquinus, qui Pontificatum, ut dictum est Tomo superiore [c], suscepit anno Redemptoris octingentesimo decimo-sexto, gessitque annis quadraginta. De Sancti Mumboli Translatione, déque Halitgarii Cameracensis atque Attrebatensis Episcopi morte sermonem faciemus anno sequenti. Ceterùm idem Halitgarius post suum ex Oriente reditum sex edidit libros de remediis pecca-

HALITGARII CAMERACENSIS EP. SCRIPTA.

[c] Ad ann. 816. n. 33.

AN. CH. torum & ordine vel judiciis pœnitentiæ, ut anno priori jam insinuavimus,
830. cùm ageremus de Concilio Parisiensi, cui præsens adfuit.

XLII. Primus liber *de vitiis octo principalibus eorúmque remediis* distinguitur in septemdecim capitula, totúsque sumitur partim ex scriptis insignium Doctorum Gregorii & Augustini, partim ex libris de vita contemplativa, qui Sancto Prospero perperam tribui solent.

XLIII. Secundus *ex Sanctorum Patrum dictis* collectus distribuitur in decem capitula, *de vita activa, de vita contemplativa, de fide, de spe, de charitate, de virtute, de prudentia, de justitia, de fortitudine, de temperantia.*

XLIV. Tertius est de ordine pœnitentium, constátque sexdecim capitibus. Tertium & nonum ex literis Leonis Magni ad Theodorum Foro-Juliensem Episcopum descripta sunt, cetera ex Collectione Canonum, quam Hadrianus Papa Carolo Magno, cùm Romæ morabatur, anno Christi septingentesimo septuagesimo-quarto ad usum Occidentalium Ecclesiarum obtulit. Solos capitum titulos recensuisse, & loca unde sumpta sunt, hîc indicasse sufficiet. Capita, primum, *ut pœnitentiæ tempora juxta qualitatem peccati decernantur*, & undecimum, *ut Presbyter inconsulto Episcopo non reconciliet pœnitentem, nisi absentiâ Episcopi necessitate cogente*, descripta sunt ex decimo Canone Concilii Africani. Secundum, *quòd nulli sit ultima pœnitentia deneganda*, ex Decreto decimo-quinto Cælestini Papæ. Tertium, *de his qui necessitate mortis urgente pœnitentiam simul & viaticum petunt, & de his qui obmutescunt antequàm ad eos Sacerdos daturus pœnitentiam accedat*, & nonum, *de remedio pœnitentiæ, & quòd absolutio pœnitentium per manuum impositionem Episcoporum supplicationibus fiat*, ex epistola Leonis Papæ ad Theodorum Foro-Juliensem Episcopum. Quartum, *de his qui pœnitentiam agere differunt*; quintum, *quòd oporteat eum, qui ab illicitis veniam poscit, etiam à multis licitis abstinere*; sextum, *quòd pœnitenti nulla lucra negotiationis exercere liceat*; septimum, *quòd ad militiam sæcularem post pœnitentiam redire non debeant*; & decimum-quartum, *de communione privatis & ita defunctis*, ex Decretis Leonis Papæ vicesimo quatuórque subsequentibus. Octavum, *de his, qui pœnitentiam minimè servaverunt*, ex quinto Siricii Papæ Decreto. Decimum, *de his, qui communionem tempore mortis expostulant, aut si desperatus, & consequutus communionem, iterum convaluerit*, ex decimo-tertio Canone Concilii Nicæni. Duodecimum, *de pœnitentibus, ut à Presbyteris non reconcilientur nisi præcipiente Episcopo*, ex Canone septimo Concilii Carthaginensis. Decimum-tertium, *de tempore remissionis pœnitentiæ*, & decimum-sextum, *de epistola Sancti Jacobi Apostoli, in qua pro infirmis orare præcipitur & ungere oleo*, ex Innocentii Papæ Decretis septimo & octavo. Decimum-quintum, *de his qui pro diversis erratis pœnitudinem ferventiùs exegerunt*, ex secundo Canone Concilii Laodicensis.

XLV. Quartus liber est *de judiciis pœnitentium laicorum*. Distribuitur in capita quatuor ac triginta, quæ partim ex prælaudata Canonum Collectione, quam Hadrianus Papa Carolo Magno dedit, partim ex variis Conciliis necnon ex Symmacho & Gregorio Tertio Romanis Pontificibus, ex Martino Bracarensi, & ex Theodulpho Aurelianensi descripta sunt. Ipsa capita suo recitabimus ordine, unde verò sumpta sint in margine notabimus. Primum. *Qui* [a] *voluntariè homicidium fecerint, pœnitentiæ quidem jugiter se submittant, perfectionem verò circa vitæ exitum consequantur.* Secundum. *De homicidiis* [b] *non sponte commissis, prior quidem definitio post septennem pœnitentiam perfectionem consequi præcepit; Secunda verò quinquennii tempus explere.* Tertium. *De mulieribus* [c], *quæ partus suos necant, vel quæ agunt secum, ut utero conceptos excutiant, antiqua quidem definitio usque ad exitum vitæ eas ab Ecclesia removet, humaniùs autem nunc definimus, ut eis decem annorum tempus, secundùm præfixos gradus pœnitentiæ largiamur.* Quartum. *Si quis* [d] *servum proprium sine conscientia Judicis occiderit, excommunicatione vel pœnitentiâ biennii reatum sanguinis emendabit.* Quintum. *Si quæ fœmina*

[a] Conc. Ancyr. c. 21. in Collect. Hadrian.
[b] Id. Conc. c. 22. ibid.
[c] Id. Conc. c. 20. ibid.
[d] Conc. Agath. c. 62.

furore zeli accensa [a], flagellis verberaverit ancillam suam, ita ut infra diem tertium animam cruciatu effundat, eo quod incertum sit voluntate an casu occiderit; si voluntate, post septem annos; si casu, post quinquennii tempora, actâ legitimâ penitentiâ, ad communionem placuit admitti. Quòd si infra tempora constituta fuerit infirmata, accipiat communionem. Sextum. Placuit [b], ut hi qui sibiipsis aut per ferrum, aut per venenum, aut per præcipitium, vel quolibet modo violentam inferunt mortem, nulla pro illis in oblatione commemoratio fiat, neque cum Psalmis ad sepulturam eorum cadavera deducantur. Multi enim sibi per ignorantiam hoc usurparunt. Similiter & de his placuit, qui pro suis sceleribus puniuntur. Septimum. De his [c] qui irrationabiliter versati sunt sive versantur, quotquot ante vicesimum annum tale crimen commiserint, quindecim annis exactis in pœnitentia, communionem accipiant orationum. Deinde quinquennio in hac communione durantes, tunc demum orationis sacramenta contingant. Discutiatur autem & vita eorum, qualis tempore pœnitudinis extiterit, & ita misericordiam consequantur. Quòd si inexplebiliter his hæsere criminibus, ad agendam pœnitentiam prolixius tempus insumant. Quotquot autem peractâ viginti annorum ætate uxores habentes, hoc peccato prolapsi sunt, viginti-quinque annis pœnitudinem gerentes, in communione suscipiantur orationum, in qua quinquennio perdurantes, tunc demùm Oblationis Sacramenta percipiant. Quòd si & uxores habentes, & transcendentes quinquagesimum annum ætatis, ita deliquerint, ad exitum vitæ communionis gratiam consequantur. Octavum. Eos [d], qui irrationabiliter vixerunt, & leprâ incesti criminis alios polluerunt, præcepit Sancta Synodus inter eos orare, qui spiritu periclitantur immundo. Nonum. Si cujus [e] uxor adulterata fuerit, vel si ipse adulterium commiserit, septem annorum pœnitentiâ oportet eum perfectionem consequi secundùm pristinos gradus. Decimum. Placuit [f], ut secundùm Evangelicam & Apostolicam disciplinam, neque dimissus ab uxore, neque dimissa à marito, alteri conjungatur, sed ita maneant, aut sibimet reconcilientur. Quòd si contempserint, ad pœnitentiam redigantur. Undecimum. Qui verò [g] vel uxore vivente, quamvis dissociatum videatur esse conjugium, ad aliam copulam festinarunt, neque possunt adulteri non videri, in tantùm ut etiam hæ personæ, quibus tales conjuncti sunt, etiam ipsæ adulterium commisisse videantur, secundùm quod legimus in Evangelio: [Qui dimiserit uxorem suam, & duxerit aliam mœchatur. Similiter & qui dimissam duxerit mœchatur.] Et ideo omnes à communione fidelium abstinendos. De parentibus autem aut propinquis eorum, nihil tale statui potest, nisi incentores illiciti consortii fuisse detegantur. Duodecimum. De eo [h], qui uxorem habet, si concubinam habuerit, non communicet. Cæterùm is, qui non habet uxorem, & pro uxore concubinam habet, à communione non repellatur. Tantùm aut unius mulieris, aut uxoris, aut concubinæ, ut ei placuerit, sit conjunctione contentus. Aliàs verò vivens abjiciatur, donec desinat aut ad pœnitentiam revertatur. Decimum-tertium. Si cujus [i] uxor adulterium fecerit, aut vir in alienam irruerit, septem annos pœnitentiam agat. Decimum-quartum. Mulier [k], si duobus fratribus nupserit, abjiciatur usque ad mortem. Verumtamen in exitum, propter misericordiam, si promiserit quòd facta incolumis hujus conjunctionis vincula dissolvet, fructum pœnitentiæ consequatur. Quòd si defecerit mulier, aut vir in talibus nuptiis, difficilis erit pœnitentia in vita permanenti. Decimum-quintum. De conjugali [l] autem velatione requisisti, si desponsatam alii puellam alter in matrimonium possit accipere, hoc ne fiat modis omnibus inhibemus, quia illa benedictio, quam nupturæ Sacerdos imponit, apud fideles cujusdam sacrilegii instar est, si ullâ transgressione violetur. Decimum-sextum. Raptores [m] igitur viduarum vel virginum, ob immanitatem tanti facinoris, detestamur, illos vehementiùs persequendo, qui sacras virgines vel volentes vel invitas in matrimonio sibi sociare tentaverint, quos pro tam nefandissimi criminis atrocitate suspendi præcipimus. Decimum-septimum. Qui rapiunt [n] mulieres sub nomine simul habitandi, cooperantes aut conniventes raptoribus, decrevit Sancta Synodus; ut si quidem

a Conc. Eliberit. c. 5.

b Conc. Bracar. c. 34.

c Concil. Ancyr. c. 15. in Collect. Hadrian.

d Id. Conc. c. 16. ibid.

e Id. Conc. c. 18. ibid.

f Conc. Afric. c. 69. ibid.

g Decret. 26. Innocent. PP. ibid.

h Conc. Tolet. I. c. 17.

i Martin. Bracar. c. 76.

k Id. c. 79.

l Decret. 4. Siricii PP. in Collect. Hadrian.

m Ep. Symmachi PP. ad Cæsarium Ep. Arelat.

n Conc. Calchedon. c. 27. in Collect. Hadrian.

AN. CH. 830.

Clerici sint, decidant gradu proprio; si verò laici, anathematizentur. Duodevicesimum. *Desponsatas*[a] *puellas, & pòst ab aliis corruptas, placuit erui, & eis reddi quibus anteà fuerant desponsatæ, etiamsi eis à raptoribus vis illata constiterit.* Undevicesimum. *Item*[b], *quæ Christo spiritaliter nubunt, & à Sacerdote velantur, si postea vel publicè nupserint, vel se clanculo corruperint, non eas admittendas esse ad agendam pœnitentiam, nisi is, cui se junxerat, de mundo recesserit. Si enim de hominibus hæc ratio custoditur, ut quæcumque vivente viro alteri nupserit, habeatur adultera, nec ei agenda pœnitentia licentia concedatur, nisi unus ex eis fuerit defunctus, quantò magis de illa tenenda est, quæ antè immortali se sponso conjunxerat, & postea ad humanas nuptias transmigravit.* Vicesimum. *Hæ*[c] *vero, quæ necdum sacro velamine tectæ, tamen in proposito virginali semper se simulaverunt permanere, licet velatæ non fuerint, si fortè nupserint, his agenda aliquanto tempore pœnitentia est, quia sponsio earum à Domino tenebatur.* Vicesimum-primum. *Nam & hæc*[d] *salubriter præcavenda sancimus, ne quis fidelium propinquam sanguinis sui, usquequò affinitatis lineamenta generis successione cognoscit, in matrimonio sibi desideret copulari, quoniam scriptum est. [Omnis homo ad proximam sanguinis sui non accedat, ut revelet turpitudinem ejus] Et iterum. [Anima, quæ fecerit quippiam ex istis, peribit de medio populi sui.] Sanè quibus conjunctio illicita interdicitur, habebunt ineundi melioris conjugii libertatem.* Vicesimum-secundum. *Si quis*[e] *Monacham, quam Dei ancillam appellant, in conjugio duxit, anathema sit. Si quis commatrem spiritalem duxerit in conjugio, anathema sit. Si quis fratris uxorem duxerit in conjugio, anathema sit. Si quis neptem duxerit in conjugio, anathema sit. Si quis novercam aut nurum suam duxerit in conjugio, anathema sit. Si quis de propria cognatione, vel quam cognatus habuit, duxerit in conjugio, anathema sit. Si quis viduam furatus fuerit in uxorem, vel consentientibus ei, anathema sit. Si quis ariolis, aruspicibus, vel incantatoribus observaverit, aut phylacteria usus fuerit, anathema sit.* Vicesimum-tertium. *De his*[f], *qui in plurimas nuptias inciderunt, & tempus quidem* pœnitentiæ *præfinitum, manifestum est, sed conversatio eorum & fides tempus abbreviat.* Vicesimum-quartum. *Qui in matrimonio sunt, tribus noctibus ac diebus abstineant se à conjunctione, antequàm communicent. Vir abstineat se ab uxore sua quadraginta diebus ante Pascha in octavas Paschæ, inde ait Apostolus, [ut vacetis orationi.] Mulier tres menses debet se abstinere à viro suo, quando concipit, ante partum. Et pòst, tempore purgationis, hoc est, XL diebus & noctibus, sive masculum sive fœminam genuerit.* Vicesimum-quintum. *Qui*[g] *divinationes expetunt, & morem gentilium subsequuntur, aut in domos suas hujuscemodi homines introducunt, exquirendi aliquid arte maleficâ aut expiandi causâ, sub regula quinquennii jaceant secundùm gradus pœnitentiæ definitos.* Vicesimum-sextum. *Non liceat*[h] *Christianis traditiones gentilium observare, vel colere elementa, aut lunæ aut stellarum cursum, aut inanem signorum fallaciam, pro domo facienda, vel ob segetes, vel arbores plantandas, vel conjugia socianda. Scriptum est enim [Omnia quæcumque facitis in verbo aut opere, in Nomine Domini nostri Jesu Christi facite, gratias agentes Deo.] Non liceat in collectione herbarum, quæ medicinales sunt, aliquas observationes vel incantationes attendere, nisi tantùm cum symbolo divino & oratione Dominica, ut Deus & Dominus honoretur. Non liceat mulieres Christianas vanitatem in suis lanificiis observare, sed Dominum invocent adjutorem, qui eis sapientiam texendi donavit.* Vicesimum-septimum. *Auguriis*[i] *vel incantationibus servientem à conventu Ecclesiæ separandum.* Duodetricesimum. *Quicumque*[k] *verò sciens perjurium perpetraverit, annos septem se pœnitentiæ subdat, & ita deinceps ad communionem revertatur.* Undetricesimum. *Qui*[l] *verò cupiditate captus furtum fecerit, quod abstulit reddat, & annis quinque pœnitentiam agat.* Tricesimum. *Falsos*[m] *testes à communione Ecclesiastica submovendos, nisi pœnitentiæ satisfactione crimina admissa diluerint.* Tricesimum-primum. *Oblationes*[n] *diffidentium fratrum neque in sacrario neque*

[a] Conc. Ancyr. c. 10. ibid.
[b] Decret. 19. Innocent. PP. ibid.
[c] Decret. 20. ibid.
[d] Conc. Tolet.
[e] Decret. 3. & seqq. Gregorii II. PP. in Collect. Hadrian.
[f] Conc. Neocæsar. c. 3. ibid.
[g] Concil. Ancyr. c. 23. ibid.
[h] Martin. Bracar. cc. 72. 74. 75.
[i] Conc. Carthag. IV. c. 89.
[k] Gregor. III. PP. c. 7.
[l] Ibid. c. 9.
[m] Theodulf. c. 27.
[n] Conc. Carthag. IV. c. 93.

AN. CH. 830.

in gazophylacio recipiantur. Tricesimum-secundum. Placuit [a] etiam, ut sicut plerumque fit, ut quicumque odio aut longinquâ inter se lite dissenserint, & ad pacem revocari diutinâ intentione nequiverint, de Ecclesiæ cœtu justissimâ excommunicatione pellantur. Tricesimum-tertium. Qui sacramento [b] se obligaverit, ut litigans cum quolibet ad pacem nullo modo redeat, pro perjurio unum annum à communione Corporis & Sanguinis Domini segregetur. Reatum suum eleemosynis & fletibus, quantis potuerit jejuniis absolvat, ad caritatem verò, quæ operit multitudinem peccatorum, celeriter venire festinet. Tricesimum-quartum. Nec hoc [c] quoque prætereundum duximus, quosdam lucri turpis cupiditate captos usurariam exercere pecuniam, & fœnore velle ditescere. Quod non dicam in eos, qui sunt in Clericali officio constituti sed & in laicos cadere, qui Christianos se dici cupiunt, condolemus, quod vindicari acriùs in eos, qui fuerint confutati, decernimus, ut omnis peccandi opportunitas adimatur.

XLVI.

Quintus liber est de judiciis Clericorum. In hoc libro capita sunt undeviginti; primum duoque proxima ex Collectione Martini Bracarensis; quartum ex Canonibus Apostolorum; quintum & undecim subsequentia ex Collectione Hadriani Papæ jam laudata; decimum-septimum ex scriptis Gregorii Magni; duo postrema ex primo libro de vita contemplativa. Primum. Presbyter [d], si uxorem acceperit, ab ordine deponatur. Si verò fornicatus fuerit aut adulterium perpetraverit, ampliùs pelli debet & ad pœnitentiam redigi. Secundum. Simili modo etiam Diaconus [e], si eodem peccato succubuerit, ab ordine ministerii subtrahatur. Tertium. Presbyter [f], si occupatus corporali peccato, & confessus fuerit de se, quòd ante ordinationem deliquerit, oblata non consecret, manens in reliquis officiis propter studium bonum. Quòd si de se non fuerit ipse confessus, & argui manifestè nequiverit, potestati sui judicii relinquatur. Quartum. Presbyter [g] aut Diaconus, qui in fornicatione, aut perjurio, aut furto, aut homicidio, captus est, deponatur. Non tamen communione privetur. Dicit enim Scriptura. [Non judicabis Dominus bis in idipsum.] Quintum. Sacerdotes [h] Dei, & Diaconi, vel qui Sacramenta contrectant, pudicitiæ custodes ab uxoribus se abstineant. Sextum. Præterea [i] quod dignum, & pudicum, & honestum est, tenere Ecclesia omnino debent, ut Sacerdotes & Levitæ cum mulieribus non coeant, quia ministerii quotidiani necessitatibus occupantur. Scriptum est enim. [Sancti estote, quoniam ego sanctus sum Dominus Deus vester.] Septimum [k]. De Presbyteris & Diaconibus divinarum legum est disciplina, ut incontinentes in officiis talibus positi omni honore Ecclesiastico priventur, nec admittantur ad tale ministerium, quod solâ continentiâ oportet impleri. Octavum. Interdicit per omnia Magna Synodus [l], non Episcopo, non Presbytero, non Diacono, nec alicui omnino, qui in Clero est, licere subintroductam habere mulierem. Nonum. Quoniam multi sub regula constituti avaritiam & turpia lucra sectantur, oblitique divinæ Scripturæ dicentis, [qui pecuniam suam non dedit ad usuram,] mutuum dantes, centesimos exigunt, justè censuit Sancta & Magna Synodus, ut si quis inventus fuerit post hanc definitionem usuras accipiens, aut ex inventione aliqua vel quolibet modo negotium transigens, aut hemiolia, id est, sexcupla, exigens, vel aliquid tale prorsus excogitans turpis lucri gratiâ, dejiciatur à Clero, & alienus existat à regula. Decimum. Presbyteri [n] & Diaconi non sint conductores, aut procuratores, neque ullo turpi negotio & inhonesto victum quærant, quia respicere debent scriptum esse. [Nullus militans Deo implicat se negotiis secularibus.] Si quis commodaverit pecuniam, pecuniam accipiat; si speciem, eandem speciem, quantum dederat, accipiat. Undecimum. Clerici [o] vel continentes ad virgines vel viduas non accedant, nisi ex jussu vel permissu Episcoporum non accedant. Duodecimum. Qui semel in Clero deputati sunt, aut Monachorum vitam expetiverunt, statuimus [p] neque ad militiam, neque ad dignitatem aliquam venire mundanam; sed hoc tentantes, & non agentes pœnitentiam, quominus redeant ad hoc, quod propter Deum primitus elegerunt, anathematizari. Decimum-tertium. Virginem [q], quæ se ipsa

[a] Conc. Agath. c. 31.
[b] Conc. Ilerd. c. 7.
[c] Decret. 5. Leon. PP. in Collect. Hadrian.
[d] Martin. Bracar. c. 27.
[e] Id. ibid.
[f] Id. c. 29.
[g] Can. Apost. 24.
[h] Conc. Carthag. c. 4. in Collect. Hadrian. PP.
[i] Decret. 16. Innocent. PP. ibid.
[k] Decret. 12. ejusd. ibid.
[l] Conc. Nicæn. c. 3. ibid.
[m] Id. Conc. c. 17. ibid.
[n] Conc. Carthagin. c. 16. ibid.
[o] Conc. Afric. c. 5. ibid.
[p] Conc. Calchedon. c. 7. ibid.
[q] Id. Conc. c. 16.

AN. CH. 830.

Domino consecravit, similiter & Monachum, non licere nuptialia jura contrahere, quòd si hoc inventi fuerint perpetrare, excommunicentur. Confitentibus autem decrevimus, ut habeat auctoritatem ejusdem loci Episcopus, misericordiam humanitatémque largiri. Decimum-quartum. *Quòd* [a] *non oporteat mulieres ingredi ad altare.* Decimum-quintum. *Nihilominus impatienter audivimus* [b] *tantum divinarum rerum subesse despectum, ut fœmina sacris Altaribus ministrare firmentur, cunctáque, non nisi virorum famulatui deputata, sexum, cui non competit, exhibere; nisi quod omnium delictorum, quæ sigillatim perstrinximus, noxiorum reatus omnis & crimen eos respicit Sacerdotes, qui vel ista committunt, vel committentes minimè publicando, pravis excessibus se favere significant.* Decimum-sextum. *Nulli Sacerdotum* [c] *suos liceat Canones ignorare, nec quicquam facere, quod Patrum possit Regulis obviare.* Decimum-septimum idem est cum responsione Gregorii Magni ad interrogationem Augustini de illusione quæ per somnium accidere. Decimum-octavum probat ex primo libro [d] de vita contemplativa nihil prodesse Sacerdoti, quamvis benè vivat, si malè viventem tacendo non corrigit. Decimum-nonum exhibet ex eodem libro [e] luctuosam descriptionem Sacerdotum carnaliter viventium.

[a] Conc. Laodic. c. 44. ibid.
[b] Decret. 26. Gelasii PP. ibid.
[c] Decret. 20. Cælestini PP. ibid.
[d] Cap. 20.
[e] Cap. 12.

XLVII. Sextus liber non alius est à Pœnitenciali Romano, quem anno Christi millesimo sexcentesimo quadragesimo-secundo Hugo Menardus Monachus Benedictinus è Codice Corbeiensi primus evulgavit, deinde post annos novem Joannes Morinus nostræ Congregationis Præsbyter inter antiquos Pœnitentiales, quos eruditissimo Commentario de administratione Sacramenti Pœnitentiæ subjecit, recudendum curavit cum adnotatione, quâ sextum hunc esse librum in opere Halitgarii, eundémque Pœnitentialem esse Romanum validissimè comprobavit. Ipsius Halitgarii Præfationem huic libro præfixam attende. *Addimus etiam huic operi exceptionis nostræ Pœnitentialem Romanum alterum, quem de scrinio Romanæ Ecclesiæ adsumpsimus: attamen à quo sit editus, ignoramus. Idcircò adnectendum præscriptis Canonum sententiis decrevimus, ut si fortè hæ prolata sententia alicui superflua sunt visa; aut penitus, quæ desiderat ibi, de singulorum criminibus nequiverit invenire, in hac saltem brevitate novissima omnium scelera forsitan inveniet explicata.* Henricus Canisius Tomo quinto Antiquæ Lectionis quinque tantùm libros Halitgarii publicavit, quia plures non reperit in Codice quem consuluit. Inde totidem in Bibliothecam Patrum translati sunt, nam sexto præponitur hic titulus, *Pœnitentiale Halitgarii, sive alterius incerti Autoris*; deinde subjicitur adnotatio, quæ titulum illum ex conjectura positum significat, quoniam hic liber in eodem Codice post quinque libros Halitgarii repertus est sine titulo. Flodoardus ab Halitgario non libros quinque sed sex editos affirmat. In eadem sententia versatur Baldricus. Sextus autem liber, qui Pœnitentialis etiam Romanus inscribitur, docet primò, *qualiter suscipere debeant pœnitentem Episcopi vel Presbyteri*; deinde *rationem* complectitur *ad dandam Pœnitentiam* cum oratione *manûs impositionis*; cum *reconciliationem pœnitentis feriâ v in cœna Domini* cum oratione *super infirmum*; postremò *judicium pœnitentis* decem in capita distinctum, quorum primum est *de homicidio*, secundum *de fornicatione*, tertium *de perjurio*, quartum *de furto*, quintum *de maleficio*, sextum *de sacrilegio*, septimum *de quibusdam capitulis*, octavum *de ebrietate*, nonum *de minutis causis*, decimum *de dissensibus sacrificium* depravato certè titulo, cujus loco *de defectibus in sacrificio vel quid simile legendum* monet noster Morinus in suis ad illum librum notis.

XLVIII. Inter varia monumenta, quæ Petrus Maria *Campi* Canonicus Placentinus Tomo primo Historiæ Ecclesiasticæ Placentinæ subjecit, extat Imperialis [f] sententia pro Monasterio Sancti Florentii sito in territorio Placentino, in loco cui nomen Florenzola. Data legitur *anno Imperii Dominorum*

[f] Chart. 5.

AN. CH. 830.

Hludovici & Hlotarii in Dei Nomine septimo-decimo & undecimo, mense Martio, Indictione octavâ. Annus Ludovici Augusti decimus-septimus & octava Indictio Kalendis Martiis cum hoc anno Redemptoris octingentesimo tricesimo rectè conveniunt, at manifestus est error in anno Lotharii Imperatoris undecimo, cujus loco reponi debet annus decimus-tertius. Ex hac Charta discimus Haritbertum, quem Nomenclatores hactenus omiserunt, Ecclesiæ Placentinæ tunc Episcopum fuisse, & Sancti Florentii Monasterium floruisse sub Longobardorum Regibus, priusquàm Franci potirentur Italiâ.

HARITBERTUS EP. PLACENTINUS.

Dorotheus hoc anno factus est Fulginatensis Episcopus. Id asserit Ughellus [a] ex vetere monumento, quod Fulginatenses in sua civitate diligenter asservant. Idem quoque Auctor Luitardum seu Liutardum hoc anno Papiensem Episcopum ordinatum scribit. XLIX.

[a] Tom. 1. Ital. Sacr.

DOROTHEUS EP. FULGINAT. LIUTARDUS EP. PAPIENSIS.

Apud Gewoldum in Weltenburgensium Abbatum Catalogo Rupertus Abbas hoc anno memoratur, & Peringeri, de quo locuti sumus Tomo superiore, proximus successor asseritur. L.

ABBATES WELTENBURG.

Hoc eodem anno Adelgerus Elwacensis Abbas moritur, eique subrogatur Sonderadus seu Ganderadus. De utroque consule apud Gabrielem Bucelinum partem secundam Germaniæ Sacræ in Abbatum Elwacensium Nomenclatura. LI.

ELWACENSES.

Meinradus seu Meginradus Augiensis Monachus hoc anno, *cùm vicesimum-quintum ætatis annum attingeret, ad Diaconatus officium, & non multum pòst ad Presbyterii gradum, faciente Magistro suo* Erlebaldo Augiensi Abbate *sublimatus est*, ut in ejus vita testatur vetus Anonymus editus à Christophoro Hartmanno. LII.

MEINRADUS FIT DIACONUS, DEINDE PRESBYTER.

Wifredus Bituricensis Comes, Ecclesiæ Stradensis, quam ante biennium construxerat, annóque priori dedicandam curarat, Immunitatem à Pippino Aquitanorum Rege obtinuit hoc anno, Imperii Ludoviciani decimo-septimo, Pippinini Regni decimo-sexto. *Clarissimus Vir Domno Pippino Regi Ecclesia fundata causam innuit. Cui supplices deinde preces effudit, ut ea, quæ gesserat, ejus excellens roborare dignaretur authoritas. Cujus orationem Rex placidè suscipiens, in præsentia Primorum Palatii totiúsque Nobilitatis, tanti viri petitionem fieri decrevit. Ergo proposuit Edictum, quod præsentibus & futuris voluit esse notum, statuítque Præcepto, ut isdem locus, Strada videlicet, ab omnium potestatum inquietudine maneret immunis, & nullus cujuslibet potentiæ Judex aut exactor in eodem loco, vel foro quod inibi concesserat haberi ad multorum utilia negotia peragenda, judicium aut exactionem ullam facere præsumeret, exceptis Rectoribus ejusdem loci. Quod ut in perpetuum maneret inconvulsum, à sui Notariis scripto mandari, & annulo proprio scriptum jussit insigniri, in Conventu Nobilium, in Joguntiaco Palatio, anno septimo-decimo Imperii Domni Ludovici Serenissimi Augusti sui genitoris, & sexto-decimo sui Regni. Hac itaque Regis authoritate perceptâ vir egregius, ejúsque devotissima conjux, frequenti deinceps statione, dignâque reverentiâ locum excolebant. Igitur ex eo, devotione fidelium, cultus sacræ Religionis ibidem proficiens, cœpit, isdem locus non solùm à venerandis jugalibus, verùm & ab aliis religiosis mortalibus, decenter & honestè venerari. Eóque processit amplificatio rei ipsius, ut inter reliqua Matris Ecclesiæ Bituricensis membra connumeraretur & ipsa. Ita religiosi conjuges,* Wifredus & Oda, *voti sui compotes effecti.* Hæc descripta sunt ex Miraculis Sancti Genulfi sive ex secundo [b] vitæ libro quam Joannes Bosccius publici juris fecit in Bibliotheca Floriacensi. Quod autem in illa vita Palatium corruptè *Joguntiacum* dicitur, meliùs ab Astronomo in vita Ludovici Jocundiacum * vocatur, & *in territorio Lemovico situm* asseritur. LIII.

PRÆCEPTA PIPPINI R. PRO ECCLESIA STRADENSI.

[b] Cap. 7.

* Juac.

[c] Ludovicus Bojoariæ Rex pridie Nonas Octobris, hoc anno, Ludovici Augusti decimo-septimo, Indictione nonâ jam inchoatâ, Præceptum sic LIV.

AN. CH. 830. Ludov. Imp. 17. Lothar. Imp. 14. Pippini R. 16. Ludov. R. 14. Caroli R. 1.

Ludovici R. pro Altaichio Inferiore.

emisit pro Altaichio Inferiore, cui Gozbaldus cum Abbatis titulo præerat. *In Nomine Domini nostri Jesu Christi Dei Omnipotentis. Ludovicus divinâ fatente gratiâ Rex Bajoariorum. Si igitur erga loca divinis cultibus mancipata propter amorem Dei eorúmque in eisdem locis sibi famulantibus beneficia opportuna largimur, premium nobis apud Dominum in æterna beatitudine recipere confidimus. Proinde notum sit omnibus fidelibus Sanctæ Dei Ecclesiæ nostrisque præsentibus scilicet & futuris, quia Vir Venerabilis Gozbaldus Sacri Palatii nostri summus Capellanus, & Abbas Monasterii, quod dicitur Altaha, quod est constructum in honore Sancti Mauritii Martyris Christi, adiens Excellentiam nostram innotuit Clementia nostrà, qualiter postquàm terra Avarorum ex parte ab avo nostro Domino Carolo Imperatore capta fuisset, ipsius permissu atque consensu quadam res in ipsa Marcha ad jus Regium pertinentes eidem Monasterio collata fuissent, quas etiam usque nunc prædictum possedit Monasterium. Sed quia auctoritas exinde minimè apparebat, deprecatus est idem Gotsbaldus Abbas, ut nostra auctoritatis largitionem atque confirmationem eidem daremus Monasterio, per quam ipsas res in posterum prædictum Monasterium ejúsque Rectores absque cujuslibet impedimento aut contradictione tenere & dominari potuisset. Cujus deprecationem propter divinum amorem & reverentiam ipsius sancti loci libenter annuimus, & ipsas res perpetuò possidendas solenni datione eidem concessimus Monasterio, id est, locum qui vocatur Wachasewa, qui terminatur à fonte rivuli qui vocatur Mystrica, usque ad eum locum, ubi ipse Danubium influit, & deinde tendit sursum in ripam Danubii usque in Bochbach, & ultra Bochbach mansum unum, & inde juxta Bochbach sursum usque in verticem montis qui nuncupatur Abornica, necnon & alium locum nuncupatum Accusbach juxta ripam Danubii, cujus mensura est in longitudine milliarium unum, & in latitudine similiter, necnon & campum unum qui continet mansionem unum, quem interjacet causa Frisingensis Ecclesia. Has itaque res cum mancipiis, domibus, ædificiis, vineis, terris, sylvis, pratis, pascuis, aquis, aquarúmve decursibus, quantumcunque infra terminia prædicta de eisdem rebus continetur, totum & ad integrum in jus & dominationem prædicta Ecclesia perpetualiter ad habendum conferimus. Ita videlicet, ut quicquid de ipsis vel in ipsis Rectores vel Ministri suprà memorata Sedis ob utilitatem & commoditatem ipsius Ecclesia facere vel judicare voluerint, liberam habeant in omnibus potestatem faciendi quicquid elegerint. Et ut hæc auctoritas largitionis atque confirmationis nostra per curricula annorum inviolabilem atque inconvulsam obtineat firmitatem, manu propriâ subter firmavimus, & annuli nostri impressione signari jussimus. Adalleodus Diaconus ad vicem Gozbaldi recognovi. Datum prid. Non. Octobr. anno, Christo propitio, decimo-septimo Regalis Imperii Domini Ludovici Serenissimi Aug. an. v. Regni nostri, Indict. nonâ. Actum in Regenspurch civitate, in Dei Nomine feliciter. Amen. Signum Domini Ludovici Serenissimi Regis.*

Gevoldus, in cujus Additionibus ad Hundium [a] hoc Diploma legitur, præter annum Imperii Ludoviciani decimum-septimum & Indictionem nonam, addit annum Ludovici Regis quintum, initio Ludoviciani Regni ducto ab anno Redemptoris octingentesimo vicesimo-quinto. Tomo enim superiore [b] duplicem Ludoviciani Regni distinximus epocham; unam, quæ petitur ab anno Redemptoris octingentesimo decimo-septimo, per cujus æstatem Ludovicus Augustus habuit Aquisgranensem Conventum, ibique Ludovicum filium suum Bojoariæ Regem appellavit, alteram, quæ ducitur ab anno Redemptoris octingentesimo vicesimo-quinto, quo Ludovicus Augustus Aquisgrani quoque generalem populi Conventum celebravit mense Augusto, completisque negotiis, quæ visa sunt ad illud Placitum pertinere, direxit in Bojoariam Ludovicum filium, qui, teste Hundio in Reginario Pataviensi Episcopo, *anno Domini 825 cum uxore Hemma in Bojoariam migravit, Reginoburgiique habitare cœpit.* Ex hac autem duplici Ludovici Regis epocha corrigendus est idem Hundius [c], apud quem Hitto Frisingensis Episcopus *constituit, mandato Lotharii Regis Boiorum,*

Hitto Ep. Frisingensis sex Canonicos cum Præposito constituit in Ecclesia Weichenstephen.

[a] Tom. 2.

[b] Ad an. 825. n. 76.

[c] Tom. 1. in Episc. Frising. 6.

AN. CH. 830. LUDOV. IMP. 17. LOTHAR. IMP. 14. PIPPINI R. 16. LUDOV. R. 14. CAROLI R. 1.

rum, filii Ludovici Pii, in Ecclesia Weichenstephen sex Canonicos cum Preposito
anno 830. Lotharius enim, qui Bojoariæ Rex à Ludovico patre constitutus
est anno Redemptoris octingentesimo decimo-quarto, Bojoariam tribus
duntaxat annis obtinuit, ad annum usque Redemptoris octingentesimum
decimum-septimum, quia tunc consors Imperialis Nominis ab eodem pa-
tre Augusto factus est abdicato Bojoariæ Regno, quod Ludovico ejus
fratri collatum est, atque sub ejusdem Lodovici regimine per annum Re-
demptoris octingentesimum tricesimum multóque serius permansit. In
textu igitur proximè descripto, qui spectat ad Ecclesiam *Weichenstephen*,
Ludovicum Bojoariæ Regem loco Lotharii restitue.

LV. CONVENTUS NOVIOMAGENSIS.

Quando prædictum Diploma Ludovicus Bojoariæ Rex Inferiori Altai-
chio concessit, ad Vahalim amnem apud Niumagum seu Noviomagum
in præsentia Ludovici & Lotharii Augustorum celebratus est populi Con-
ventus, de quo sic ad hunc annum Astronomus. *Tandem ergo Niumagum*
ventum est, omnísque Germania eò confluxit, Imperatori auxilio futura. Imperator
autem volens adhuc vires adversariorum attenuare, Hilduinum Abbatem culpans
interrogavit, cur, quum simpliciter venire jussus sit, hostiliter advenerit. Qui
quum negare nequiret, continuò ex Palatio exire jussus est, & cum paucissimis
*hominibus juxta Patrisbrunnam * in expeditionali tabernaculo hyemare. Wa-*
lach Abbas jussus est ad Monasterium redire Corbeia, ibique regulariter obversari.
Hac quum ii, qui Imperatori adversaturi convenerant, providerent, ad despera-
tionem ultimam infracti viribus sese verterunt. Denique per totam noctem coeun-
tes, atque ad habitaculum Lotharii Imperatoris filii convenientes, hortabantur
aut bello confligendum, aut aliquò secedendum absque Imperatoris voluntate. In
qua deliberatione quum totam expendissent noctem, mane Imperator filio mandat,
ne inimicis communibus credat, sed ad se tanquam ad patrem filius veniat. Qui-
bus ille auditis, licèt dehortantibus, qui circa illum erant, ad patrem venit. A quo
non est asperâ increpatione invectus, sed modestâ lenitate correctus. Ingresso au-
tem illo intra penita Regia domus, diaboli instigatione vulgus contra se cœpit fu-
rere, processissétque furor usque ad mutuam cædem, nisi Imperatoria prudentia
prospexisset. Dum enim illi inter se tumultuantes, penè in vesanum furorem ruе-
rent, Imperator ad cunctorum aspectum cum filio processit. Quo facto, omnis illa
feralis commotio conquievit. Imperatoriâ enim oratione auditâ omnis popularis
tumultus facessit. Post hæc Imperator omnes illorum hujus impiæ conspirationis
principes sub privata custodia adservari præcepit. Quos posteà ad judicium ad-
ductos, quum omnes juris censores filiique Imperatoris judicio legali, tanquam
reos Majestatis decernerent capitali sententiâ feriri, nullum ex eis permisit occi-
di, sed usus, ut multis visum est, leniori quàm debuit pietate, sibi tamen con-
sueto benignitatis & clementiæ more, laicos quidem præcepit locis opportunis ad-
tonderi, Clericos verò in convenientibus itidem Monasteriis custodiri. His peractis
ad hyemandum Imperator Aquasgrani secessit, ibique Præceptum pro Monas-
terio Sancti Zenonis dedit decimo-tertio Kalendas Decembris, ut hoc
eodem anno mox probaturi sumus.

* Paderborn.

SEDITIOSI REPRIMUNTUR.

LVI. WALA CORBIENSIS ABB. AD SUUM REMITTITUR MON.

In præcitato Astronomi textu, Walach seu Wala Corbeïæ veteris Ab-
bas adit Noviomagum, ut intersit Conventui, sed ad suum Monasterium,
ut ibi *regulariter* in Ordine Monastico procul à seculi negotiis vivat, sta-
tim revertitur jussu Ludovici Imperatoris, qui *vires adversariorum attenuare*
satagit. Eundem Walam, si audes, summis nunc laudibus extolle, Impe-
ratori Ludovico fidissimum prædica, quem Ludovicus hostem suum in Ge-
nerali Conventu dicit ablegátque; Liberatorem Imperii jacta, cujus able-
gationem præcipit Imperator, probant quique obsequio Imperatoris addicti,
soli verò rebelles, qui *Imperatori adversatari* convenerunt, adeò ægrè fe-
runt, ut *ad desperationem ultimam* sese vertant, & *ad habitaculum Lotharii*
convenientes hortentur *aut bello confligendum, aut aliquò secedendum absque*
Imperatoris voluntate. Qui vitam sive Apologiam Walæ scripsit, impera-

AN. CH. 830. LUDOV. IMP. 17. LOTHAR. IMP. 14. PIPPINI R. 16. LUDOV. R. 14. CAROLI R. 1.

tam ex Conventu Noviomagensi discessionem præcipitémque reditum ad Monastenum Corbeïense consultò reticuit. Agnovit enim industriam sibi decesse ad crimen rebellionis ab Abbate removendum, quem Ludovicus Imperator suà jussione, Optimates suo applausu, factiosi homines suâ commotione reum comprobarunt, Judithâ Augustâ & Bernardo Duce etiam absentibus.

LVII. HILDUINUS ARCHICAPELLANUS ABLEGATUR IN SAXONIAM.

Ut apud Astronomum in vita Ludovici Pii, sic & apud Auctorem libelli de constructiooe novæ Corbeiæ, Hilduinus Abbas in eorum numero collocatur, quos idem Ludovicus adversarios expertus est, atque in pœnam defectionis exilio mulctavit. Sed hi Scriptores inter se discrepare nonnihil videntur. De Hilduino scribit Astronomus, quòd *ex Palatio exire jussus est, & cum paucissimis hominibus juxta Patrisbrunnam in expeditionali tabernaculo hyemare*. Et in libello de constructione novæ Corbeiæ Imperator eundem Hilduinum *in Saxonia partibus, scilicet in Monasterio Corbeïa*, exulare præcipit. At ista facilè conciliari possunt. Hilduinus primò jussus est *juxta Patrisbrunnam in expeditionali tabernaculo hyemare*, deinde licentiam obtinuit manendi cum Monachis in nova Corbeïa, quæ nuper erecta fuerat in Diœcesi Patrisbrunnensi seu Paderbornensi Warinúmque tunc Abbatem Ludovico Augusto charissimum venerabatur. Hilduinum in exilium abeuntem secutus est Hincmarus, idque Flodoardus his verbis in Historia [a] Remensi testatur. *Processu temporis, cùm præmemoratus Hilduinus Abbas, Imperatoris Ludovici Archicapellanus, offensam ipsius Augusti adeò cum aliis Regni Primoribus incurrisset, ut ablatis sibi Abbatiis in Saxoniam fuerit exilio relegatus, iste*, nempe Hincmarus, *per licentiam proprii Episcopi*, Inchadi videlicet Parisiensis Antistitis, cujus mentiooem anno priori [b] fecimus, *cum benedictione fratrum, illum secutus est in exilium*. Hilduino tres concessæ fuerant Abbatiæ, Dionysiana in agro Parisiensi, Germanensis in Parisiensi suburbano, & Medardina prope muros Suessiooenses. Io Abbatum Medardinorum Catalogo, quem Sammarthani texuerunt, Agobardus Lugdunensis Archiepiscopus Hilduino in exilium acto subrogatur. An Abbas etiam extiterit Dionysianus ac Germanensis, haud liquet. Hilduinus, quando revocatus est ab exilio, *duarum Abbatiarum prælationi restitutus* dicitur. Duas illas Abbatias, anno proximo, quo reditus Hilduini consignandus est, Dionysianam & Germanensem interpretabimur. Ceterùm Hilduinus eodem tempore, quo pulsus est è Palatio, non tantùm Abbatias, quibus anteà potiebatur, sed etiam Archicapellani muous amisit, quod Fulcooi collatum est. Hincmarus enim tres Archicapellanos, Hilduinum, Fulconem, & Drogonem sub Ludovico Pio sic recenset. *Tempore Hludowici per Hilduinum Presbyterum, & post eum per Fulconem item Presbyterum, deinde per Drogonem Episcopum, extitit hoc Ministerium executum.* Hic autem Fulco noo alius est à Fulcone Gemmeticensi Abbate, quem Nomenclatores in Abbatum Gemmeticensium Catalogo post Ansegisum collocant.

a Lib. 3. c. 1.

b An 829. nn. 105. 110 112.

LVIII. JESSÆUS EP. AMBIANENSIS DEPONITUR.

Theganus inter Imperatoris adversarios, qui Pippino Regi Compendium proficiscenti se junxerunt, Jessæum Ambianensem Episcopum nominat, capite tricesimo-sexto, sequentique capite hæc de Noviomageosi Conventu proximè subjungit. *Ipso anno pervenit Dominus Imperator ad Noviomagum Castrum, quod situm est super fluvium, quod dicitur Valum, & multitudo hominum ex omnibus Regnis suis venit ad eum, inter quos venerunt supradicti adversarii ejus, & superavit eos Dominus Imperator, & dimisit eos atque commendavit. Et Lotharius filius ejus cum juramento fidelitatem promisit, ut posthac nunquam talia committere debuisset. Et ibi Jesse justo judicio Episcoporum depositus est.* Superstes aliquot annos vixit Jessæus, eodémque obiit anno, quo Helias Episcopus Trecensis. Utriusque mortem sic conjungit Astronomus. *Vitâ excesserunt, Jesse olim Ambianensis Episcopus, Helias Trecassinæ ur-*

AN. CH. 830. LUDOV. IMP. 17. LOTHAR. IMP. 14. PIPPINI R. 16. LUDOV. R. 14. CAROLI R. 1.

bis Episcopus. In hoc textu vox *olim*, quæ non ad Heliam sed ad solum Jessæum refertur, plurimùm est attendenda. Docet enim depositum fuisse Jessæum, quem Astronomus, cùm de illius morte loquitur, olim seu priusquàm ab Episcopatu deponeretur Episcopum fuisse dicit, nec eâdem voce *olim* utitur, cùm sermonem habet de obitu Heliæ, qui, quandiu vixit, gavisus est Episcopatu. Flodoardus in Historia Remensi [a] scribit, ut Jessæum Ambianensem Episcopum, sic & Ebonem Metropolitanum Remensem ab Episcopatu depositum fuisse, sed diversis temporibus, Jessæum enim dejectum jam dudum ante Ebonem sic fatetur. *Postquam Ludovicus ab æquivoco filio suo restitutus est in Regnum & honorem suum, Ebo propter hujuscemodi factum depositus est ab Episcopatu pro infidelitate Imperatoris. Pro qua re ipse, id est Ebo, jam Jesse Ambianensem Præsulem dudum deposuisse traditur, sed nunc eum revocasse fertur in gradum priorem.* Ut hic Flodoardi textus tibi clarior fiat, audi Theganum Eboni falsum judicium sic exprobrantem. *Tu cum ceterorum judicio Jesse à Sacerdotio deposuisti. Nunc iterum revocasti eum in gradum pristinum. Aut tunc, aut nunc, falsum judicium exhibuisti.* Si Theganus, Astronomus, & Flodoardus, quos allegavimus, simul conferantur, hæc rerum series facilè deprehendetur. Hoc anno Jessæus in Conventu Noviomagensi depositus est; Sedem suam recepit, postquàm Lotharius, cujus partes sequebatur, occupato Regno, Ludovicum patrem exauctoravit; iterum dejectus est ab Episcopatu, postquàm pristinum honorem recuperavit idem Ludovicus. Singula suis locis probabuntur infrà. Cur autem in Jessæum præ ceteris adeò sævitum sit, hæc jure potest afferri ratio, quòd auctoritate propter Episcopalem Dignitatem præcipuus inter eos extiterit, qui *Reginam Judith vi* velaverunt, & velatam *in Monasterium* miserunt. Theganus [b], cùm istius rei narrationem init, è conjuratoribus, qui Pippino se junxerunt, quatuor tantùm nominat, Jessæum Episcopum, Hilduinum Abbatem, Hugonem & Mathfridum Comites, ceteros verò collectivè complectitur. *Venit ei obviam Pippinus filius ejus cum Magnatibus primis patris sui, Hilduino Archicapellano, & Jesse Ambianensi Episcopo, Hugone & Matfrido, & multis aliis perfidis.* In Ambianensium Episcoporum Catalogis Jessæo subrogatur Ragenarius, de quo rursum locuturi sumus, ut & de Odone, qui Comitatum Aurelianensem recuperavit, pulso in exilium Mathfrido. Tunc Ebo Remensis Archiepiscopus in Ludovici Augusti fide & obedientia persistebat, cúmque de conversione Gentium Septentrionalium valdè sollicitus esset, exeunte hoc anno, ut jam insinuavimus, ordinandum Episcopum curavit Gautbertum propinquum suum, de cujus profectione in Sueciam sermonem anno sequenti faciemus. Habebat & nepotem, nomine Ebonem, quem Monachis San-Remigianis Abbatem præposuit; incertum quo anno, rei gestæ locupletissimus testis est Hincmarus in literis ad Carolum Regem scriptis, eodem Ebone Juniore Gratianopolitanum Episcopatum jam adepto. *Miramur*, inquit, *de tantis & talibus viris, Archiepiscopis & Episcoporum primoribus, maximè autem de Ebone, qui religiosus est, ut audivimus, quippe sicut ab ipsis penè cunabulis sub religione & habitu regulari nutritus in Remensis Ecclesiæ Monasterio, ubi requiescit Sanctus Remigius. In quo loco religiosè suam exegit ætatem, quousque à Domno Ebone avunculo suo, tunc Remorum Archiepiscopo, ibidem Diaconus consecratus, & Abbas Monachorum ad regularem ordinem tenendum & gubernandum constitutione Episcopali est ordinatus.*

SUBROGATUR RAGENARIUS.

ODO RECUPERAT COMITATUM AURELIANENSEM.

EBO JUNIOR FIT ABB. MON. S. REMIGII.

Qui celebratus est apud Noviomagum hoc anno Conventus, is indictus dicitur in Annalibus Bertinianis *circa Kalendas Octobris*, & in Metensibus asseritur habitus *mense Octobrio*. Quapropter in dubium minimè vocamus, quin cœptus sit absente Ludovico Bojoariæ Rege, qui *prid. Non. Octobr.* Præceptum emisit *in Regenspurch civitate*. Ceterùm quando Ludovicus Augustus *impiæ conjurationis participes*, quos *sub privata servari custodia* præce- LIX.

[a] Lib. 2. c. 20.

[b] Cap. 36.

AN. CH. 830. LODOV. IMP. 17. LOTHAR. IMP. 14. PIPPINI R. 16. LUDOV. R. 14. CAROLI R. 1.

perat, *ad judicium* adduci jussit, in ejus comitatu jam erat idem Ludovicus Bojoariæ Rex intelligitúrque comprehensus inter Imperatoris filios, qui *reos Majestatis capitali sententiâ feriri* decernebant. Tunc cum Imperatore quatuor illius filii versabantur. Patris enim comitatum, à quo Lotharius & Carolus haud recesserant, adierat primò Pippinus Aquitaniæ Rex, deinde Ludovicus Rex Bojoariæ. In eodem Conventu indictum est *circa Kalendas Februarii generale Placitum*, ut eorum, *qui propter seditionem priùs in Compendio, & posteà in Niumago Domnum Imperatorem offenderant, causa discuteretur & dijudicaretur.* Interim *ab omnibus Episcopis, Abbatibus, Comitibus, ac ceteris Francis, judicatum est, ut conjux ejus, quæ injustè & sine lege ac judicio ei ablata fuerat, ad memoratum condictum Placitum reduceretur, & si quislibet aliquod crimen illi objicere vellet, aut se legibus defenderet, aut judicium Francorum subiret.* Lege Annalistam Bertinianum [a]. Consule & Metensem, qui de Legationibus ad Juditham Augustam directis distinctiùs sic agit. *In eodem Placito* Noviomagensi *per auctoritatem Apostolicam, & per consensum Episcoporum, consideratum & canonicè definitum est, ut Imperator suam reciperet conjugem. Qui statim propter eam Optimates Regni sui misit, ut eam honorificè ad eum adducerent. Posteà verò Karolum filium suum, & Drogonem Episcopum, fratrem videlicet suum, cum aliis Optimatibus obviam ei misit, qui eam ad Aquasgrani Palatium cum magno honore deducerent.* Cetera prosequemur anno sequenti.

[a] Ad ann. 830. 831.

JUDITHA AUG. REVOCATUR E MONASTERIO

LX.

FREDERICUS EP. ULTRAJECT. ET ODULPHUS PRESBYTER FRISIOS MALE DE S. TRINITATE SENTIENTES AB HÆRESI REVOCANT.

Ad hæc tempora, quantùm conjecturis agere licet, referendum videtur, quod in Actis Sancti Friderici Ultrajectensis Episcopi memoratur de Frisonibus, qui malè de Sancta Trinitate sentiebant. *Eâ tempestate Frisones, malo dæmone id agente, tam malè de sacrosancta Trinitate plerisque locis sentiebant, ut Sabellii Arriique hæreses ab inferis excitatæ viderentur. Sanctus Episcopus* Fridericus *eâ re perceptâ animo commotus est, multúmque flens & ejulans, citò ad eos profectus est, & pagos atque villas, eos docens, peragravit. At, proh dolor, neque per seipsum, neque per socios suos ferocem illam gentem corrigere potuit, & cum animi dubius esset, quidnam agendum foret, tandem accepto consilio Trajectum misit Legatum, qui Sanctum Odulphum rogaret, ut quantâ maximâ posset celeritate ad ipsum in Frisiam contenderet. Et nuncio accepto, vir Dei præ Martyrii desiderio lætus efficitur, & tanquam ad epulas invitatus jucundo animo se dedit itineri, & Staveram* *, *ubi Episcopus erat, pervenit. Eo viso, Episcopus mirificè lætatus, cùm eum osculatus esset, cum illo pariter totam regionem prædicando perambulavit. Erant enim ambo gladio spiritûs, quod est verbum Dei, armati, populúmque illum ferum & belluinum vitali alimoniâ pascentes, brevi tempore in agnos mutarunt, & ad Catholicam fidem revocarunt. Scripsit autem beatus Antistes in Chartis de Sancta Trinitate quædam, eásque misit Sacerdotibus parœciarum Diœcesis suæ, ut si repullularent errores, crebrò populis prælegerentur palàm. Æternus est Pater, æternus & Filius, æternus & Spiritus Sanctus. Distinctio omnium in personis, unitas cognascitur in natura. Omnipotens Pater, omnipotens Filius, omnipotens & Spiritus Sanctus. Trinum quidem nomen, sed una virtus & potentia. Filius à Patre incomprehensibiliter genitus: Spiritus Sanctus à Patre & Filio ineffabiliter procedens: potestas non accidens, sed perpetua & individua manens; summitas sociabilis, regnum sine fine, gloria sempiterna. Quæ sola creat, sola peccata dimittit, & cælorum regna concedit. Insuper ad placandam sacrosanctam Trinitatem, Orationem de ipsa compositam pro salute plebis quotidie ter, nempe mane, meridie & vesperi jussit recitari. Porrò beato Odulpho, ex consilio Cleri & fidelium ejus loci laïcorum, quamvis invito, Staverensem Ecclesiam commisit, cunctisque rectè & ordine constitutis Trajectum se recepit.* In Actis [b] Sancti Odulphi Sacerdotis adduntur nonnulla hîc nequaquam omittenda. *Cedis sanctus vir, & Pastoris sui Friderici jussa capessit, populíque votis obsecundat, eâ tamen conditione, ut liceat ei aliquot exactis annorum curriculis Trajectum revisere, ubi se in Christi famulatu vitam finiturum promiserat. Volens igitur suo muneri non deesse vir plenus Spiritu Sancto, non cessabat semina verbi*

* Staveren.

[b] Ap. Sur. d. 12. Jun.

AN. CH. 830. LUDOV. IMP. 17. LOTHAR. IMP. 14. PIPPINI R. 16. LUDOV. R. 14. CAROLI R. 2.

Dei spargere in populum, cælorum Regnum multâ instantiâ prædicare, omnibus ceu prudens & fidelis dispensator, divini sermonis præbere alimoniam, fortioribus solidum cibum, infirmis ex Apostoli sententia lac offerre. Ita factum est, ut omnes ex ejus sanctitate gaudio replerentur. Cùm autem eo ministerio perfunctus esset, se recepit ad suos Trajectenses, Deum laudans, quòd ejus fretus ope, tot animas lucratus esset. Quæ suprà descripta sunt ex Actis Sancti Frederici, caput in iisdem Actis decimum-quintum cum initio decimi-sexti constituunt. Interpolator eodem capite decimo-sexto res proximè subjungit valdè diversas, Murmani rebellionem in Britannia, Pippini defectionem à patre, Jesseri Ambianensis Episcopi depositionem in Conventu Noviomagensi. Murmanus seu Mormanus vel Marmonius arreptæ tyrannidis reus in bello contra Ludovicum Augustum periit anno Redemptoris octingentesimo duodevicesimo, cùm Irmingardis uxor ejusdem Ludovici superstes adhuc in vivis erat, ut ad illum annum Tomo superiore a dictum est. Quæ sequuntur de Pippino & de Conventu Noviomagensi, pertinent ad hunc annum reparatæ salutis octingentesimum tricesimum, ut probatum est suprà. Quapropter arbitrati sumus à recta Chronologia non multùm nos aberraturos, si sub initium hujus anni Fredericum Episcopum posteàque Odulphum Presbyterum Ultrajecto Staveram profectos affirmaremus. Ceterùm nota Frisiam à Scriptoribus nuperrimè citatis spatio circumscribi longè breviori, quam à vetustioribus Auctoribus, qui Frisiam citeriorem seu Gallicanam, cujus pars Walacria, cis Rhenum collocarunt. Utrique enim Frisiam depinxerunt, qualem præ suis oculis eam tunc habebant.

a Ad ann. 818. nn. 10. 11.

LXI. TRANSLATIO S. JUNIANI ABBATIS.

Translatio Sancti Juniani Abbatis, octavo Idus Novembris hoc anno facta est. De illa sic Auctor Chronici, quod vulgò Malleacense nuncupatur. *Anno ab Incarnatione Domini* DCCCXXX, *Basilica Sancti Hilarii Nobiliaco dedicatur, & corpus Sancti Juniani illuc transfertur à Mariaco villa. Quam Translationem fecerunt Abbas Godolenus adjuvante Sigibranno Episcopo & Fulcone Abbate Sancti Hilarii.* Boetius Wlfinus, qui tum vivebat, eandem Sancti Juniani Translationem fusiori stylo sic descripsit. *Excellentissimus Imperator Hludovicus sceptra Imperii regenda suscepit. Eo videlicet feliciter imperante, & filio ejus Gloriosissimo Pippino Aquitania regnante, Beatissimo Antistite Sigibrando Pictavis Sacerdotio fungente, & venerabili viro Fulcone Basilica Sanctissimi Pontificis Hilarii Congregationem regente; eodem tempore Godolenus sub Monastici Ordinis proposito præerat Abbas in jam dicto Nobiliaco Monasterio. Visum est illi, ut corpus illud Sanctissimi Juniani de loco quo situm erat, transferret ad locum, ubi cætus Monachorum Deo militabat; idcircò quia ubi conditum priùs fuerat, non digno videbatur honore coli, nec officii dignitate, nec lampadum inlustratione perornari. Denique anno septimo-decimo Imperii jam prædicti Cæsaris, faventibus & consultum ferentibus Pontifice Sigibrando & Fulcone Archicapellano, translatum est corpus sanctissimi viri à Godoleno Abbate & Monachis jam supradicti loci summo cum honore, & veneratione dignissima, Religionis cultu per omnia exornata, concurrentibus undique Sacerdotibus & populorum catervis & venerabilibus Episcopis obviam venientibus, inlatum est corpus ejus in Basilicam Beati Hilarii, quam idem venerabilis Abbas mirâ operis pulchritudine construxit. Situm est ad Orientis partem juxta Altaris crepidinem. Cujus diei solemnitas duplici præfulget privilegio, scilicet quia eodem die & corpus sanctissimum cum magno apparatu & triumpho, sicut præmissum est, illic reconditum est, & domus ipsa dedicata & cælestis Regis habitaculo consecrata.* Joannes Mabillonius in notis ad hunc textum b observat festum istius Translationis hactenus in Ecclesia Nobiliacensi recoli VIII *Idus Novembris*, qui certè dies anno Redemptoris octingentesimo tricesimo Dominicus fuit currente tunc literâ Dominicali B.

b Tom. 1. Sec. 4. Benedict.

LXII.

In textibus suprà descriptis, præter Pictaviensem Episcopum Sigibrandum seu Sigibrannum, cujus mentionem Tomo superiore jam fecimus,

AN. CH. 830.

duo celebrantur Abbates, Fulco & Godolenus. Fulco præest Monasterio Sancti Hilarii prope muros Pictavienses, Godolenus Nobiliacense Monasterium regit in Diœcesi Pictaviensi.

LXIII. De Sancti Hilarii Monasterio, quod in Pictaviensi suburbano priùs erectum est, quàm Franci suas ultra Ligerim ditiones propagarent, actum Tomo primo ad annum octavum supra quingentesimum [a]. Hactenus duos duntaxat hujus Cœnobii laudavimus Abbates, nempe Fridolinum, qui Monasterium gubernabat quando Clodoveus Magnus Pictavium totámque prorsus Aquitaniam Gothis Arianis eripuit, & Pascentium qui factus est Episcopus Pictaviensis anno Christi quingentesimo sexagesimo-quarto. His adjice sub Pippino & Carolo Regibus, Abbomierum, Jeppronem, & Atonem, suis locis à nobis omissos, quia Charta Nobiliacensis à Joanne Beslyo [b] publicata, quæ commendat Abbomierum & Jeppronem, fugit diligentiam nostram, & in quarto Seculo Benedictino inter notas ad Translationem Sancti Juniani seriùs evulgatum est Diploma, quo Sanctonensem Episcopum & Hilarianum Abbatem se dicit Ato. Charta Nobiliacensis data legitur *in mense Decemb. in anno 13 regnante Carolo Rege*; feriam sextam cum Kalendis Decembribus sic comparat, *veniens sextâ feriâ, ipsâ die Calend. Decembris.* Currebat igitur litera Dominicalis A, labebatúrque annus Christi septingentesimus octogesimus, per cujus mensem Decembrem Carolus annum Regni sui decimum-tertium à Pippini patris obitu jam numerabat. Jeppro tunc Abbas erat Hilarianus, & *decessor ipsius* fuerat Abbomierus; utrumque constat ex eadem Charta. Quod attinet ad Atonis Diploma, scriptum est *in anno XXXI, regnante Domno Carolo Rege, in mense Martio*, id est, anno Christi septingentesimo nonagesimo-nono, quocum annus Caroli Regis à Pippini patris morte tricesimus-primus per mensem Martium componitur. Ex his observationibus colligimus Hilarianos Abbates fuisse; Abbomierum Pippino Rege; Jeppronem anno Christi septingentesimo octogesimo, regnante Carolo; Atonem eodem Carolo Rege, anno Christi septingentesimo nonagesimo-nono. Hujus autem Atonis proximus successor esse potuit Fulco, qui Translationi Sancti Juniani præsens interfuit. Cave autem ne Fulconem hunc cum alio confundas Fulcone, quem hoc eodem anno [c] post Hilduini ablegationem Archicapellanum pariter institutum jam observavimus. Duos distingue Fulcones Archicapellanos, unum Ludovici Augusti, alterum Pippini Regis; illum ab Hincmaro Remensi Archiepiscopo in Opusculo decimo-quarto, hunc à Boetio Wlfino laudatum in Translatione Sancti Juniani proximè descripta.

[a] Nu. 40. & seqq.

ABBATES HILARIANI.

[b] In probat. Hist. Com. Pict. c. 1.

[c] Num. 57.

LXIV. Sanctus Junianus in Mariacensi Monasterio Diœcesis Pictaviensis, quod anno Christi quingentesimo undesexagesimo construere cœpit, sepultus est anno Christi quingentesimo octogesimo-septimo, ibique quievit annis quadraginta-tribus supra ducentos, donec ad Nobiliacensem Basilicam translatus est Godoleno utriusque loci tunc Abbate. Duplex est in ea regione Mariacum, vulgò *Mairé l'Evescaut*, & *Mairé le Gaullier*. Hîc de priore loquimur, quod insigni Monasterio decoratum est à Sancto Juniano. Abbates illic à primo conditu floruerunt ad Godolenum usque, qui Mariacensium Abbatum postremus fuit. Cœnobium enim Mariacense propter angustias rei familiaris unitum fuit Nobiliacensi, & Godolenus in posterum non Mariacensem sed Nobiliacensem Abbatem se dixit. Ex Abbatibus Mariacensibus solos recensuimus, Junianum Monasterii conditorem, & Auremundum ejusdem Juniani proximum successorem, quos Boetius Wlfinus in vita Sancti Juniani nobis suppeditavit. Ceterorum nomina perierunt, si duos omnium ultimos excipias, Dadenum videlicet & Godolenum, quorum mentionem facit Mabillonius in Notis ad Translationem Sancti Juniani ab eodem Boetio Wlfino descriptam.

MARIACENSES.

AN. CH. 830.

LXV. Nobiliacus * quinque milliaribus à civitate Pictaviensi distat ad Australem plagam in amœna valle, quam Miltio * fluviolus irrigat. Ab antiquo exigua fuit Cella, Pictaviensique Monasterio Sancti Hilarii subjiciebatur, at Caroli Magni temporibus in celebre Monasterium evasit, cui Mariacum paulò post unitum fuit. Tres enim antiquissimi Nobiliacenses Abbates, Hermenbertus, Nemaldus, & Godolenus anteà Mariacensis Abbas, Carolo Magno & Ludovico Pio synchroni vixerunt. De singulis hic agendum.

* Nouaillé. * le Miozon. NOBILIACENSE.

LXVI. Ad Hermenberti commendationem duo spectant Diplomata, unum Ludovici Pii tunc Aquitanorum Regis, alterum Atonis Episcopi Santonensis. Utrumque à Mabillonio magna ex parte publicatum est servata styli barbarie, quam ponimus in margine, rati, si secus fiat, utriusque Chartæ sensum obscuriorem fore.

LXVII. Ludovicus in suo Diplomate sic ait. *Denique ostensa [a] sunt in conspectu nostro per [b] magnificum virum & parentem nostrum Atonem Diaconum atque Abbatem statuta, quæ ipse ex ore Gloriosissimi & Genitoris mei Regis Caroli summique [c] Catholici, qualiter [d] in Cellola, cujus vocabulum est Novaliacus, de ratione Sancti Hilarii, sita in loco quieto, & valdè congrua ad habitationem servorum Dei & pauperum, juxta possibilitatem loci illius Monachos, qui secundùm Regulam Sancti Benedicti degere deberent, instituit, & venerabilis vir jam memoratus Domnus Ato Abba parens noster, fidelissimus Domino & genitori [e] nostro, subtiliter suggessit, ut ipsam [f] Cellam, vel reiculas quas ipse ibidem detulit, necnon & hoc quod Hermenbertus Sacerdos & Rector ipsius Cellola ibidem confirmavit, & illas conjunctiones, quas anteriores [g] Pontifices Pictavenses, quos nos recognovimus, Ansaldus, Ebarcinus, & Gausbertus, ad ipsam Cellulam detulerunt, vel Deum timentes & viri Catholici inantea conferre voluerint, per nostram munificentiam semper sit conjunctum.* In Chartario nulla temporis adscribitur nota. Diplomati subscribit cum aliis *Regimpertus vocatus Episcopus.* Is non alius est ab Episcopo Lemovicensi, qui confirmationem Privilegiorum Roberto Sammarthanisque testibus, anno Redemptoris octingentesimo decimo-septimo à Ludovico Augusto impetravit, &, ut Tomo sexto ad annum Christi septingentesimum nonagesimum-tertium [a] jam observavimus, Remigebertus, Remigibertus, & Regimbertus promiscuè vocatur, atque ante obitum Davidis Archiepiscopi Bituricensis, id est, ante annum Redemptoris octingentesimum secundum sedere cœpit. Imò Regimpertus seu Regimbertus Episcopatum suscepit ante annum Caroli Regis tricesimum-primum sive ante annum Christi septingentesimum nonagesimum-nonum, idque patet ex ejus subscriptione proximè notata, nam Ludovicianum Diploma, cui subscripsit, antecessit literas Atonis datas *in anno XXXI regnante Domno Carolo rege in mense Martio.* Hæc autem observatio certissima est, Ludovicus enim in suo Diplomate Diaconum & Abbatem vocat Atonem, Ato verò in suis in literis non Diaconum & Abbatem sed Episcopum & Abbatem se dicit. *Ego Ato humilis & servus servorum Dei ultimus, Pontifex urbis Santonica, Sancti Petri senioris Ecclesiæ canonicæ, necnon & Rector Monasterii Sancti Hilarii, quod est situm prope Pictavis, ubi ipse sanctissimus humatus esse videtur.* Illo de Atone fusiùs agemus infrà, postquàm cetera discusserimus, quæ pertinent ad Diploma Ludovici.

[a] ostensum est [b] per magnificum virum & parente nostro Atone Diacono atque Abbate statuta, quam ipsa [c] summumque Catholicum [d] qualiter Cellola [e] genitore [f] ipsa Cella [g] anteriori Pontifici Pictavensi, quem nos

[a] Num. 12.

LXVIII. Cella, cujus vocabulum est Nobiliacus, sive, ut prædictum habet Diploma, Novaliacus, dicitur *de ratione Sancti Hilarii*, quia Monasterio Sancti Hilarii prope Pictavis sito subjicitur. Ex hac Cella factum est Monasterium, quod quia Basilicam Deo sub nuncupatione Beatæ Mariæ dedicatam primitus habuit, appellatum est Monasterium Sanctæ Mariæ, deinde post allatas illuc è Mariacensi Cœnobio Reliquias Sancti Juniani, vocatum est Monasterium Sanctæ Mariæ & Sancti Juniani, ut constat ex Chartis, quas publicavit Joannes Beslyus ad illustrandam probandámque

AN. CH. 830. LUDOV. IMP. 17. LOTHAR. IMP. 14. PIPPINI R. 16. LUDOV. R. 14. CAROL. R. 1.

Pictaviensium Comitum Historiam regnante Carolo Ludovici Pii pronepote. Post istius Cellæ constructionem, atque etiam post ejus erectionem in Monasterium, Ecclesiam istius loci non tantùm beatæ Mariæ sed etiam Sancti Hilarii brevitatisque causâ modò beatæ Mariæ modò Sancti Hilarii Basilicam dictam arbitramur, donec in eam illatum corpus Sancti Juniani, cujus nomen cùm celebrius in dies evaderet, prioris patroni seu Sancti Hilarii memoriam lapsu temporis delevit. Ut ita censeamus, nos impellit Boetius Wlfinus, qui textu suprà citato, cùm agit de Translatione Sancti Juniani, scribit *inlatum corpus ejus in Basilicam Sancti Hilarii*, id est, in Ecclesiam, quæ nomen Sancti Hilarii gerebat, non autem in Ecclesiam quæ de ratione Sancti Hilarii erat, seu quæ Pictaviensi Monasterio Sancti Hilarii subjiciebatur. Certè Nobiliacus, quandiu nomen Cellæ retinuit, prædicto Cœnobio Sancti Hilarii subjacuit, sed statim ac evasit in Monasterium & proprium Abbatem habere cœpit, eidem Monasterio Sancti Hilarii subjacere desiit. Istius distinctionis habitâ ratione, Nobiliacus anno Christi septingentesimo nonagesimo-nono in Diplomate Ludoviciano *Cella* dicitur *de ratione Sancti Hilarii*, & Boetius Wlfinus Ecclesiam Nobiliacensem ad annum Redemptoris octingentesimum tricesimum sub Abbate Godoleno vocat *Ecclesiam Sancti Hilarii* sine ullo additamento, quod illam innuat esse *de ratione Sancti Hilarii*, sive à Pictaviensi Monasterio Sancti Hilarii pendere.

LXIX. Erga Nobiliacum, cùm Cellæ nomen adhuc servaret, multi se munificos præstiterunt. In illorum numero tres ponuntur Pictavenses Episcopi, quorum nomina in Charta Ludoviciana ex Chartulario Nobiliacensi suprà descripta sic efferuntur, *Ansaldus*, *Ebarcius*, *& Gaosbertus*; in vulgaris autem Pictavensium Episcoporum Catologis & in omnibus Historiis sic efferri solent, Ansoaldus, Eparchius, Gaubertus. Vixerunt hi Pontifices sub Meroveadis Regibus; Ansoaldus Episcopatum gessit sub Childerico Secundo, Theodorico Tertio & Clodoveo Tertio, pervenitque ad Principatum Childeberti Tertii; Ansoaldo proximè successit Eparchius sub eodem Childeberto Tertio; post Eparchium sedit Maximinus, tum Gaubertus qui floruit sub Theodorico Quarto, Childeberti Tertii nepote. Præter Ansoaldum, Eparchium, & Gaubertum, Pictavenses Episcopos, in eadem Charta Ludovici Regis, erga Cellam cui nomen Nobiliacus, munifici quoque prædicantur, Ato Diaconus & Abbas Hilariani Monasterii prope Pictavum, & Hermenbertus Rector prædictæ Cellæ. Posteà facti sunt, Ato Sanctonensis Episcopus, Hermenbertus Abbas Nobiliacensis Cellâ in Monasterium erectâ. Utrumque constat ex sequenti Diplomate, quod anno tricesimo-primo Caroli Regis, id est, anno Christi septingentesimo nonagesimo-nono datum repetitur.

LXX. *Ego Ato humilis & servus servorum Dei ultimus, Pontifex urbis Santonicæ Sancti Petri senioris Ecclesia canonica, necnon & Rector Monasterii [1] Sancti Hilarii quod est situm prope Pictavis, ubi ipse Sanctissimus humatus esse videtur. Monente [2] summo Catholico Rege Carolo Glorioso, ut unusquisque Pastor curam gerat [3] super gregem sibi commissum, notum [4] est Magnifico Nobilíque Domino Lodoico Regi, necnon & suis Optimatibus [5] & viris Catholicis, quòd aliquod Monasterium, cujus vocabulum est Nobiliacus, ubi à nobis Pater ibidem præesse videtur Hermenbertus, de ratione Sancti Hilarii & in suo sancto nomine editum, sitúmque in loco quieto, & valdè congruum ad habitandum Monachis, ipsum renovavimus, & Monachos ibidem instituimus ad mercedem cumulandam Dominorum Regum & nostram. Locella, quæ à longo tempore ab ipso fuerant ablata, propter necessitates Monachorum & pauperum supplendas, necnon & nostra facinora abluenda, reddendo conjunximus & adhærere fecimus; quorum [6] sunt vocabula, unum [7] quod dicitur Joaurenna, & est inter Alona & alveum Cladra, & aliud [7] Colnago, quod [8] est in Briosense pago* &c. Et ego Hermenbertus, acsi indignus Sacerdos

[1] Monasterii Sancti Hilarii situm
[2] Monente summum Catholicum Regem Carolum Gloriosum
[3] geret
[4] notúmque est magnifico nobile Domino Lodoici Rege
[5] Optimatis
[6] quarum
[7] una qua
[7] alia
[8] qui

AN. CH. 830.

Sacerdos & Monachus, unà cum meis Fratribus pariter libentissimo animo promisimus præfato Pontifici Domno Atoni Nobili Pastorique nostro Pissimo, ut dum modo advivimus, per singulos dies propriam Missam pro eo celebrare debeamus, & ad omnes Cursos Psalmum unum decantare faciamus. &c. Data in anno XXXI, regnante Domno Carolo Rege, in mense Martio. Annus tricesimus-primus Caroli Regis ab obitu Pippini patris cum anno Christi septingentesimo nonagesimo-nono per mensem Martium comparatur. Tunc Episcopus Santonensis & Abbas Hilarianus prope Pictavum erat Ato, cujus nomen in Catalogis cùm Episcoporum Santonensium tum Abbatum Hilarianorum hactenus editis desideratur. Tunc & Cella Nobiliacus in Monasterium evasit, Hermenberto illius loci primo Abbate constituto.

ad præfato Pontifice Domno Atone nobile ... propria Missa per eum.

LXXI. De tribus antiquissimis Monasterii Nobiliacensis Abbatibus ita scribit Mabillonius. *Nobiliacus ante seculum nonum exigua Cella Pictavensi Abbatiæ Sancti Hilarii subjecta, regnante Carolo Magno in Abbatiam evasit, procurante Atone Ecclesiæ Sancti Hilarii Abbate & Episcopo Santonensi. Præfectus loco Hermenbertus Abbas primus, cui suffectus est Nemaldus, tum Godolenus extremus Abbas Mariacensis post Dadenem.* De Hermenberto præter ea, quæ recitata sunt suprà, nihil dicendum superest. Solum Nemaldi nomen novimus. Godolenus post Dadeni mortem factus est Mariacensis Abbas, deinde post obitum Nemaldi dictus est Abbas Nobiliacensis, Abbatiali Dignitate apud Mariacum extinctâ, eâque ad Nobiliacum translatâ. Causam hujus mutationis à longinquis temporibus sic repetit exponitque Boetius Wlfinus in Translatione Sancti Juniani. *Cùm per innumera annorum curricula crebrescentibus malis, & bellorum maximè immanitate, totius Aquitaniæ provincia redigeretur in solitudinem, videlicet propter insolentiam tyrannorum inter se decertantium, Principatus cæterorum ambientium, & Francorum Regum jugo colla submittere nolentium, tantâ clade & incendiorum flagrantiâ consumpta est, ut his concertationibus non solum res publica deperiret, verùm etiam Monachorum Ordo penitus adnullaretur. Unde accidit ut Cœnobium Mariacense, quo sanctum corpus beati Juniani magno Religionis cultu venerabatur, deserti solitudo fieret, & omnis exinde Monastici Ordinis cultus aboleretur. Sed post diuturni temporis excursum, divinâ miserante Clementiâ, tyrannorum superbia debellata est, & sub Pissimo Imperatore Carolo pax reddita est, & unitas Ecclesiæ restituta; & loca incendiis conflagrata & clade bellorum consumpta, iterum restaurata, & ad sui decoris statum ornatusque perducta. Verumtamen locus ille nequaquam postea ad pristinum Monastici Ordinis vigorem pervenit, ea videlicet de causa, qualiter inventus est locus utilior Monachis ad incolendum, nomine Nobiliacus, constructus in agro Ecclesiæ Beatissimi Pontificis Hilarii Confessoris Christi, ad quam Basilicam etiam illud Cœnobium Mariacense, ubi idem venerabilis Junianus requievit, cum omnibus ad se pertinentibus adspicit, distans ab urbe Pictavi ferme millibus quinque. Quo in loco Monachorum religiosissima Congregatio sub Beatissimi Benedicti Regula constituta devotissimè cœpit Deo militare, in qua clarissimi viri & Monastici Ordinis adprimè eruditi claruerunt in tantum, ut etiam & hujus pluribus locis de jam supradicta Congregatione Abbates constituerentur, & ad exemplum eorum Præpositi Ordinis, sicuti ibidem irreprehensibiliter custoditur, docerent.* Hæc scripta per amplissimam totius Imperii Francorum dominationem sunt nono seculo post annum Ludovici Imperatoris decimum-septimum, id est, post annum Redemptionis octingentesimum tricesimum, quo Translatio Sancti Juniani consignatur. Supererat in vivis Godolenus Abbas *in anno 30, regnante Domno Ludovico Imper. in mense Aprili,* & *in mense Martio, anno 34 quo Ludowicus Rex assumpsit Imperium,* ut constat ex Chartis à Beslyo citatis in Tractatu de Regibus Aquitaniæ, id est, annis noni seculi tricesimo-tertio & tricesimo-septimo, quibuscum annus Imperii Ludoviciani vicesimus per mensem Aprilem, & vicesimus-quartus per mensem Martium comparantur.

AN. CH. 830. LXXII. In Chronico Besuensi duæ leguntur Chartæ, quas arbitramur ad hunc annum pertinere, quamvis in Characteribus Chronologicis nonnihil difficultatis occurrat. Una est Ludovici & Lothari Augustorum, altera est Alberici Lingonensis, utraque pro Monasterio Besuensi.

CHARTÆ PRO MON. BESUENS. LXXIII. Prima sic exhibetur. *In Nomine Domini Dei & Salvatoris nostri Jesu Christi Hludowicus & Hlotarius divinâ ordinante providentiâ Imperatores Augusti. Si petitionibus servorum Dei justis & rationabilibus divini cultûs amore favemus, supernâ nos gratiâ muneri non diffidimus. Proinde comperiat omnium fidelium nostrorum, præsentium scilicet ac futurorum solertia, quia suggessit Mansuetudini nostræ Vir Venerabilis Albericus Lingonensis Ecclesiæ Præsul, qualiter quandam Abbatiam, cujus vocabulum est Fons Besuus, ex rebus videlicet Episcopatûs sui, ubi quondam Monachi regulariter viventes fuerunt, sed moderno tempore penitus erat destructa, à fundamentis readificavit, ædificia congrua construxit, Monachos adunavit, Abbatem etiam nomine Seraphim præfecit. Et ut Monachi in eodem loco Domino adjuvante congregati melius & liberiùs sub norma Sanctæ Regulæ Deo militarent, non solùm res, quæ ad prædictam Abbatiam legaliter pertinebant, ibi reddidit, sed etiam alias res de præfato Episcopatu ibidem subjecit, sed & Constitutionis Chartulam, quam ipse unà per consensum Metropolitani sui Agobardi Archiepiscopi, & suffraganeorum suorum, necnon & Cleri sibi subjecti, & quorumdam laicorum nobilium confirmaverat, nobis ostendit, in qua pleniùs conscriptum erat, non solùm res ad jam dictam Abbatiam legaliter pertinentes ibi reddidisse, verùm etiam et quasdam res de memorato Episcopatu suo ibidem subjecisse. Quarum hæc sunt nomina. Pauliacum cum appendititiis suis, Bellenavum vicum cum suis appendititiis, Arconem cum appendititiis suis. Istas villas cum omnibus adjacentiis seu & omni re superposita, campis, pratis, sylvis, pomiferis, pascuis, accessibus, aquis, aquarumque decursibus, & omnes redditus, totum ad integrum, una cum mancipiis, libertis, cum omni peculio ipsorum, unà cum accolabus dedit ad servitium Monachorum jure perpetuo ad possidendum. Ecclesiam etiam, quæ est in ipsa Bellenavo villa, in honore Sancti Stephani prorsus ab omni consuetudinali exactione liberrimam. Ecclesiam quoque de villa, quæ dicitur Danbrun, cum appendititiis suis, & villam Daublum cum Ecclesia & omnibus appendititiis suis. Item Ecclesiam de villa, quæ dicitur Sancti Sequani, cum appendititiis suis; & Ecclesiam de villa Morniaco cum omnibus ad eam pertinentibus. Necnon Ecclesiam, quæ est in valle Verona, in honore Sancti Mauricii. Ecclesiam de villa Beria in honore Sancti Laurentii cum omnibus appendititiis suis. Præterea in territorio Divionensi decimas illarum vinearum, quas donaverat huic Ecclesiæ Domnus Amalgarius Dux & Fundator hujus sacri Cœnobii. Apud villam, quæ dicitur Fiscinis, vinearum non modicam quantitatem, cum pratis, & campis, & servis & ancillis ad ea excolenda. Et in villa Fisciaco vineas similiter, & in Marcennaco similiter. Horum omnium, factâ Donatione, precibus quibus valuit exorans nostram Clementiam, ut super eandem Constitutionem nostram authoritatem firmitatis gratiâ mererentur habere, qualiter prædictus locus, quem pro divino amore & nostra eleemosyna restauravit, & Monachos ibi congregavit, qui pro nobis & cuncto populo nobis subjecto perpetim Domini misericordiam exorent, nostrâ authoritate confirmatus esset. Videlicet ut si cuilibet successorum ejus animo sederit, ut alias res ibi superaddere velit, in suo jure & potestate, salvâ discretionis ratione, id faciendi permaneret. Sin autem sua devotio, quæ per consilium tantorum bonorum virorum facta & confirmata est, nostro liberalitatis Præcepto firma & stabilis permaneret. Cujus petitionem dignam ac rationabilem judicantes, hos nostros Imperiales apices fieri jussimus, per quos decernimus atque jubemus, ut memoratus ordinationis modus, quem prædictus Venerabilis Albericus Episcopus in præfatu loco constituit, inviolabilis permaneat, & nullus Rector, qui in eodem loco successeris, licentiam habeat præscriptum ordinem permutare, aut res, quas ibi reddidit, sive subjecit, ullo modo auferre. Sed ejus Constitutio per hanc nostram confirmationem firma & stabilis permaneat. Et ut hæc authoritas confir-*

mationis nostræ per futura tempora inviolabilem atque inconvulsam obtineat firmitatem, de annulo nostro subter illam jussimus adsignari. Signum Hludovici Imperatoris. Signum Hlotharii filii ejus. Actum anno ab Incarnatione Domini octingentesimo XXX. *Indictione* VIII. *Epactâ* XV. Non videtur genuinus in hoc Præcepto Character, qui sumitur ab Incarnatione Dominica, per illam enim ætatem Regia Diplomata tali Chronologiâ muniri nondum consueverant. Vera tamen credimus, quæ Besuensis Chronographus ita præmisit. *Albericus Episcopus timens quod experimento didicerat de eodem Besuensi Monasterio, ne de rebus, quas ei donaverat, per successorum pravam pervasionem iterum spoliaretur, studuit non tantum suâ sed etiam Regali authoritate confirmare, quæcunque ad præsens suâ vel in posterum aliorum fidelium munificentiâ possideret. Adiit itaque Ludovicum Imperatorem, & super hac re Regale Præceptum quæsivit. Annuit Imperator, & Hludowicus & Hlotarius Augusti suâ authoritate confirmavit.* Cùm autem initio Præcepti utriusque Imperatoris Augusti nominentur, atque in fine signum appositum reperiatur, existimamus Albericum hoc anno cum aliis Episcopis interfuisse Conventui Noviomagensi, & Præceptum, quod postulavit, impetrasse, cùm à Ludovico tum à Lothario ejus filio qui eidem Placito præsens adfuit. Et quia post Kalendas Septembres cœptus est iste Conventus, Indictionem in eodem Diplomate non octavam sed nonam consignandam arbitramur. Ut ita sentiamus, suadet error in Alberici Charta repertus, ubi octava quoque Indictio per mensem Novembrem anno Redemptoris octingentesimo tricesimo illigatur.

LXXIV.

Altera Charta talis est. *In Nomine Domini nostri Jesu Christi. Notum sit omnibus fidelibus Sanctæ Dei Ecclesiæ, quòd ego Albericus donô Dei Episcopus Lingonensium reperi locum jam dirutum, qui * dicitur Fons Besuæ, in honore Sanctorum Apostolorum Petri & Pauli, necnon & aliorum constructum, ubi jam olim Monachi regulariter Deo famulati fuerant, sub Amalgario Duce, permittente Clotario Rege. Idcóque ob amorem Dei & veniam delictorum meorum, Deo inspirante, cogitavi readificare supradictum locum, permittente Gloriosissimo Augusto Ludovico, & consentiente Piissimo filio ejus Lothario Imperatore, congregavi ibi Monachos sub Abbate, nomine Seraphim, qui regulariter degerent, & Deo inibi perpetuum fideliter deservirent. Concessi enim eis quicquid supradictus locus per Chartarum Donationem assecutus est, & quicquid nostri prædecessores de hoc loco subtraxerant, propter eleemosynam supradicti Principis ejúsque filiorum libenter restauravi. Idcóque per consilium Archiepiscopi nostri Agobardi, & consentientibus Coepiscopis nostris, necnon & Piissimis nostris Principibus, seu omni Clero, necnon & omnibus fidelibus Ecclesiæ nostræ, addidimus de Episcopatu nostro villas his nominibus; Pauliacum cum appendititiis suis, Bellenavum vicum cum suis appendititiis, Arconem cum appendititiis suis. Istas villas cum omnibus adjacentiis, seu & omni re superposita, campis, pratis, sylvis, pomiferis, pascuis, accessibus, aquis, aquarúmque decursibus, & omnes redditus, totum ad integrum, unà cum accolabus, dedi ad servitium Monachorum jure perpetuo ad possidendum. Ecclesiam etiam, quæ est in ipsa Bellenavo villa in honore Sancti Stephani, prorsus ab omni consuetudinali exactione liberrimam. Ecclesiam quoque de villa, quæ dicitur Dambrun, cum appendititiis suis, & villam Trescasas cum Ecclesia & omnibus appendititiis suis. Item Ecclesiam de villa, quæ dicitur Sancti Sequani, cum appendititiis suis, & Ecclesiam de villa Morniaco cum omnibus ad eam pertinentibus, necnon etiam Ecclesiam, quæ est in valle Verona in honore Sancti Mauricii, & Ecclesiam de villa Beria in honore Sancti Laurentii cum omnibus appendititiis suis. Præterea in territorio Divionensi decimas illarum vinearum, quas donaverat huic Ecclesiæ Dominus Amalgarius Dux & fundator hujus sacri Cœnobii. Apud villam, quæ dicitur Fiscinis, vinearum non modicam quantitatem, cum pratis, & campis, & servis & ancillis ad eas excolenda. Et in villa Fisciaco vineas similiter. Et in Marcennaco similiter in substantiam Monachorum, & alimoniam pauperum, & in*

* Edit. quod

AN. CH. 830. LUDOV. IMP. 17. LOTHAR. IMP. 14. PIPPINI R. 16. LUDOV. R. 14. CAROLI R. 1.

ibidem delectetur servus Dei Domino servire, & pro Rege, ejúsque conjuge, & liberis ipsius, & totius Imperii ejus stabilitate, jugiter Domini misericordiam implorare. Eâ videlicet ratione hoc constituimus, ut semper subjectus sit jam dictus locus Ecclesiæ Sancti Mammetis, & ut nec ego ipse, nec ullus de successoribus meis hanc Conscriptionem violare præsumat, Domni Imperatoris confirmationem in ea fieri postulavi. Actum Lingonis civitate publicâ. In Christi nomine Agobardus Lugdunensis Ecclesiæ Archiepiscopus subscripsi. Angericus Episcopus subscripsi. Albericus Episcopus à me facta subscripsi. In Christi nomine Faova Cabilonensis subscripsi. Modoinus Augustudunensis sub. Winitarius indignus Abbas Calticensis sub. Audinus indignus Corepiscopus subscripsi. Motuimus indignus Presbyter subscripsi. Hiltibaldus Matiscensis Episcopus subscripsi. Ragenardus Presbyter subscr. Ego in Dei nomine Jacob licet indignus Corepiscopus subscripsi. Sigoaldus Presbyter sub. Woanilo Presbyter sub. Adalbertus Presbyter sub. Simeon Presbyter subscripsi. Unricus Diaconus subscripsi. Baius Diaconus sub. Beatus Diaconus sub. Fridericus sub. Teuthmarus subscripsi. Rogenaldus sub. Signum Humberti. Signum Hiltanni. Signum Bertardi. Signum Fulcrini. Signum Ernic. Signum Radaldi. Betto subscripsi. Berno rogitus subscripsi. Ragnoardus subscripsi. Bavo subs. Ragenardus subs. Hilpericus subs. Hildigisus Presbyter subs. In Christi nomine Bernardus Archiepiscopus subs. Godelsadus Abbas subs. Birico acsi indignus Levita sub. Actum anno ab Incarnatione Domini octingentesimo XXX. Indictione VIII. Epacta XV. XII Calend. Decemb. anno Christo propitio XIV Imperii Domni Ludovici Imperatoris, & Lotharii Augusti filii ejus VI. Præter aliquot alios huic Chartæ subscripserunt, Agobardus Lugdunensis Archiepiscopus, omnésque suffraganei, Modoinus Augustodunensis Episcopus, Hiltibaldus Episcopus Matisçonensis, Faova Cabilonensis Episcopus, & Albericus Episcopus Lingonensis in cujus Diœcesi Besuense Monasterium. Datum videtur hoc Diploma, cùm illi Pontifices è Conventu Noviomagensi redierunt, hoc anno, post Christum natum octingentesimo tricesimo, & quia dies notatur duodecimus ante Kalendas Decembris, octavæ Indictionis loco nona restitui debet à Kalendis Septembribus jam cœpta. Depravati sunt anni Augustorum; annus XIV, qui Ludovico tribuitur, ad Lotharium referri debet, & Ludovico tribuendus est qui rectè ponitur in margine *annus 17.*

LXXV. AN S. MARCUS EVANGELISTA TRANSLATUS AD AUGIAM DIVITEM,

In vetere manuscripto Richenaviensi sive Augiæ Divitis Martyrologio hæc ad diem nonum Aprilis leguntur. *Translatio corporum S. Marci Evangelistæ & S. Senesii Martyris in Augiam Insulam anno* DCCCXXX. Godefridus Henschenius ex eodem Martyrologio bis meminit hujus Translationis; semel quinto Idus Aprilis, cùm Sanctorum illo die prætermissorum vel in alios dies rejectorum init enumerationem; iterum septimo Kalendas Maii, quo die Sanctus Marcus Evangelista colitur. Eandem Translationem ad hunc annum Redemptoris octingentesimum tricesimum, Ludovici Augusti decimum-septimum, tres Hermanni Contracti celebrant editiones, Pistoriana, sic. *Corpora Sanctorum Valentis & Sinesii in Augiam Insulam deferuntur.* Urstitiana, sic. *Corpus S. Marci Evangelistæ, sub nomine Valentis Martyris, Catolfus Veronensis Episcopus à Duce Venetiæ impetravit, & cum corpore Genisii Martyris in Augiam Insulam attulit,* Omnium clarissimè atque optimè Canisiana, sic. *Corpus Sancti Marci Evangelistæ, sub nomine Valentis Martyris, Ratholdus Veronensis Episcopus à Duce Venetiæ impetravit, & cum corpore Genesii Martyris in Augiam Insulam attulit.* Qui præcitatis Auctoribus *Catolfus & Ratholdus* est Veronensis Episcopus à Bruschio [a] Radolphus vocatur, & *patriâ gente Alemannus* dicitur ac conditor *Radolphinæ Cellæ*, quam inchoavit in Diœcesi Constantiensi ad Rhenum, quando Constantienses Infulæ penes Wolfoleum seu Wolfoleonem Episcopum erant. Wolfoleoni Episcopo synchronus vixit Erlebaldus sive Erleboldus Augiensis Abbas, qui Monasterium ab anno Redemptoris octingentesimo

[a] In Ep. Constant. 23.

AN. CH. 830. LUDOV. IMP. 17. LOTHAR. IMP. 14. PIPPINI R. 16. LUDOV. R. 14. CAROLI R. 1.

vicesimo-tertio ad octingentesimum duodequadragesimum per annos quindecim rexit, ut Tomo superiore jam insinuavimus [a]. Si Godefrido Henschenio [b] fides, de Monasterio Augiæ Divitis prope Constantiam agit Bucelinus *parte 2. Germaniæ Sacræ absque ulla mentione Reliquiarum S. Marci.* Sed aliter censebis, si partem secundam Germaniæ Sacræ consuluens in Augiensi Catalogo, nam qui decimum inter Augiæ Divitis Abbates locum tenet Erleboldus sive Erlebaldus, ita commendatur. *Obiit A. C. 858. præfuit annis 15. Sub hoc à Ratolpho Episcopo allata sunt Reliquiæ S. Marci Evangelistæ, & SS. Valentis, Genesii & Theopompi.* Ante Bucelinum Bruschius de eodem Erleboldo Abbate Augiensi scripserat in hæc verba. *Obiit anno 838. Ejus temporibus allata sunt in Augiam a Ratholpho Veronensi Episcopo Reliquiæ Sanctorum Martyrum, Marci, Valentis, Sinesii, ac Theopontii.* Et ne credas hunc Auctorem loqui de quopiam Marco, qui distingui debeat ab Evangelista Martyrium Alexandriæ passo ac Venetias translato, lege proœmium de Augia Divite, quod Abbatum Nomenclaturæ præposuit. *Narrant,* inquit, *ibi situm esse S. Marci corpus, etsi id habere se Veneti etiam jactitent.*

LXXVI.

In dubium nemo vocat, quin Sancti Marci Evangelistæ corpus Alexandriâ Venetias translatum sit. Hujus Translationis mentio fit in Tabulis Ecclesiasticis pridie Kalendas Februarii, sic. *Eodem die Translatio Sancti Marci Evangelistæ, cùm sacrum ejus corpus ex Alexandria Ægypti urbe à barbaris tunc occupata Venetias allatum, ibidem in majori Ecclesia ejus nomine consecrata honorificentissimè conditum fuit.* Super anno, quo facta hæc Translatio, major est difficultas. Opus fuit noni seculi. Cæsar Baronius in Notis ad Martyrologium Romanum [c], postquàm varias explosit opiniones, quæ Translationem hanc ante annum Redemptoris octingentesimum collocant, stat ab Auctoribus, qui volunt id contigisse Gregorio Quarto Romano Pontifice, Urso Olivolensi Episcopo, ac Justiniano Venetorum Duce. Deinde in Annalibus Ecclesiasticis [d] contendit id gestum esse, cùm Leo Armenus Imperium Orientale, Justinianus Dux Rempublicam Venetam administrabat, atque ex illo duplici Charactere corrigendos ait Chronologos, qui notant annum Redemptoris vel octingentesimum vicesimum-octavum vel octingentesimum tricesimum. Nulli tamen ad hæc opinioni, fateturque ignorari quoto Leonis Imperatoris anno consignanda sit Translatio, de qua nobis hîc sermo. Leo mense Julio coronatus est Imperator anno Redemptoris octingentesimo decimo-tertio, Imperium tenuit annis septem ac mensibus quinque, cæsusque occubuit mense Decembri anno Redemptoris octingentesimo vicesimo. Hæc Tomo priore probavimus, quia nobis agendum sæpè fuit de legationibus, quas Reges Francorum vel direxerunt in Orientem vel ex Oriente missas susceperunt. Baronius ab illa Chronologia non recedit, ideóque ad annum Redemptoris octingentesimum vicesimum [e], qui Leonis Imperatoris postremus fuit, sermonem de Sancti Marci Translatione ex Ægypto videtur instituisse. Plerumque enim, cùm certò deprehendere non potuit quonam vel Papæ vel Imperatoris anno quid actum est, illud post mortem ejusdem vel Papæ vel Imperatoris proximè commemorandum rejicit, monito priùs Lectore, quod annus sive Imperii sive Pontificatûs determinatè sciri nequeat. Justinianum Venetorum Ducem Imperatori Leoni synchronum constituit, quia Codex Vaticanus, quem allegat, sic habet. *Cùm Sarraceni universam Ægyptum & Alexandriam invasissent, Leo deinde Romanum adeptus Imperium, per diversas partes Regni sui jussit, ut nullus omnino ad terram Ægypti negotii causa pertingeret. Cujus videlicet jussio dum circumquaque pervolitans Veneticis quoque delata fuisset, Justinianus, qui eo tempore Dux Venetiæ erat, Imperatoris statuta confirmans idipsum omnimodo suis præcepit.* At in isto textu tria distinguuntur tempora certè diversa, unum, quo Saraceni

a. Ad an. 815. n. 47.
b D. 25 April.
c D. 31. Jan.
d Tom. 9. ad an. 820. nu. 21. 22.
e Nu. 11. & seqq.

AN. CH. 830. LUDOV. IMP. 17. LOTHAR. IMP. 14. PIPPINI R. 16. LUDOV. R. 14. CAROLI R. 1.

Ægyptum & Alexandriam occuparunt; alterum, quo Leo Imperator vetuit, ne quis ex Imperii sui provinciis in Ægyptum mercandi causâ proficisceretur; tertium, quo Justinianus Venetorum Dux, ne quid simile fieret à Venetis, editâ quoque sanctione prohibuit. Omarus sive Umarus, cui tertius tribuitur locus in Calipharum Catalogo, ditiones suas per Arabiam, Ægyptum, Palæstinam, Syriam, Mesopotamiam & Persidem multùm dilatavit, Alexandriámque cepit anno Hegiræ vicesimo, cujus initium cum die vicesimo Decembris anni post Christum natum sexcentesimi septuagesimi-octavi coincidit. Leo Imperium à mense Julio anni post Christum natum octingentesimi decimi-tertii ad mensem usque Decembrem anni post Christum natum octingentesimi vicesimi per annos septem ac menses quinque gessit. Seriùs Rempublicam Venetam Justinianus gubernare cœpit Michaele tunc Orientis Imperatore.

LXXVII. Petrus Justinianus Patricius Venetus Historiam Venetam sexdecim libris ad annum usque Christi millesimum quingentesimum septuagesimum-quintum complexus est, atque de Ducibus Angelo Participatio & ejus filio Justiniano sic scripsit [a]. *Angelus Participatius sibi in primis ex eo laudem peperit, quòd Ducalem Sedem in Rivalium ex Methamauco prosperiore fortunâ lætioribúsque auspiciis primus transtulit, vixítque in Ducatu decem & octo annos. Eo autem defuncto, Justinianus filius major natu Rempublicam administrare cœpit, statímque gratificaturus Michaeli Imperatori Constantinopolitano, misit ei in auxilium adversùs Saracenos aliquot naves bello aptissimas, sed quum hostis recessisset, naves non multò pòst incolumes domum rediere, translatúmque est hoc tempore Venetias Beati Marci corpus ex Alexandria.* Anni duodeviginti, quos Angelus Participatius in Principatu transegit, ab anno Redemptoris octingentesimo nono numerantur ad octingentesimum vicesimum-septimum, qui Michaelis Imperatoris nonus fuit. Justinianus Angeli Participatii filius ac successor, *Princeps optimus, dum sedulam in moderanda Republica præstat operam, fatali necessitate ex humanis decedit, quum duos circiter annos Ducatum administrasset, testamentóque mandavit dimissâ magnâ pecuniarum quantitate, ut amplior Ædes Beato Evangelista erigeretur.* Obiit igitur Justinianus anno Redemptoris octingentesimo vicesimo-nono. In hanc sententiam ad illum annum jam ivit Carolus Sigonius libro quarto Historiarum de Regno Italiæ. Porrò cùm Andreas Dandulus *secundo* ejusdem Justiniani Ducis *anno corpus Sanctissimi Marci de Alexandria translatum Venetias* testetur, eáque Translatio pridie Kalendas Februarii notetur in Tabulis Ecclesiasticis, inde certò colligimus id anno Redemptoris octingentesimo vicesimo-nono pridie Kalendas Februarii contigisse, nec à nostro dissidere calculo qui reponunt annum Redemptoris octingentesimum vicesimum-octavum, videntur enim hi veteribus inniti monumentis, quorum Auctores anni principium à Paschali Solemnitate duxerint.

[a] Lib. 1.

LXXVIII. *Justinianus Dux, cùm supra beatum corpus Ecclesiam vellet construere, morte præventus est, cujus germanus Joannes vir Deo dilectus Ducatum suscipiens, vicem ejus explevit. Construxit namque juxta Palatium elegantissima forma Basilicam ad eam similitudinem quam supra Domini tumulum Hierosolymis viderat, quam etiam multis ac variis jussit depingi coloribus, ubi & aromatibus venerabile corpus conditum honore dignissimo posuit.* Hæc Codex Vaticanus à Baronio laudatus. Similia scribit Petrus Justinianus in Historia Veneta [b], sic. *Justinianus ex humanis decedit, quum duos circiter annos Ducatum administrasset, testamentóque mandavit, dimissâ magnâ pecuniarum quantitate, ut amplior Ædes Beato Evangelista erigeretur. Joannes frater ei successit, qui statim ut fraternam exequeretur voluntatem, fanum Ducario propinquum angustiori formâ ædificandum curavit, in quod ritè dicatum Divi corpus ex minori sacello ubi jacebat translatum est, atque arculâ ferreâ obseratum intra columnam, marmoreis lapidibus compactam reconditur, lectique Sacerdotes, qui rem ibi divinam sacráque piè agerent.*

[b] Lib. 2.

Anno Redemptoris octingentesimo vicesimo-nono, pridie Kalendas AN. CH. 830.
Februarias, à Duce Justiniano susceptæ sunt Sancti Marci Reliquiæ. Vitam paulò pòst eodem anno clausit idem Justinianus, cùm Ecclesiam construere vellet, in qua corpus beati Marci nuper Alexandriâ devectum reconderetur. Eodem quoque anno Joannes in Ducalem Dignitatem Justiniano fratri successit, erigendæque statim Basilicæ diligenter animum applicuit. Hæc ex prædictis constant. Anno postero, sive anno Redemptoris octingentesimo tricesimo mense Aprili delatum ad Augiam Divitem à Ratholdo seu Rotaldo Episcopo Veronensi corpus Sancti Marci contendunt Augienses Monachi. Rotaldus insignis fuit Episcopus, eoque tempore, quo Venetiis Ecclesia construebatur, ut in ea corpus beati Marci decentissimè collocaretur, à Joanne Duce non integrum corpus, ut Augienses incolæ jactitant, sed aliquam Reliquiarum partem obtinere potuit, quam mox in patriam suam ad Augiam Divitem transmiserit. In hac sententia, quæ nonnullas Beati Marci Reliquias easque minutiores ac minùs celebres Augiensi Monasterio tribuit, nihil detractum putamus illustri Venetorum erga eundem Evangelistam Pietati, quæ post avectas Alexandriâ Reliquias semper enituit enitétque.

LUDOV. IMP. 17. LOTHAR. IMP. 14. PIPPINI R. 16. LUDOV. R. 14. CAROL. R. 1. LXXIX.

In Annalibus Germaniæ, quos Gabriel Bucelinus ad annum usque Christi millesimum sexcentesimum quinquagesimum-quartum perduxit, hæc ad octingentesimum tricesimum-primum leguntur. *SS. Genesii & Theoponti corpora in Augiam Divitem transferuntur, paulò pòst Cellam Ratolphi illustratura.* Horum Martyrum nomina non benè exprimuntur. Loco Genesii reponendus est Senesius seu Sinesius aut Synesius, ut habent Hermannus Pistorianus & Bruschius cum Martyrologiis Richenoviensi ac Romano. Et loco Theoponti, quem Bruschius perperam quoque Theopontium vocat, restituendus est Theopompus, ut habent idem Bucelinus in secunda parte Germaniæ Sacræ jam citata & Ecclesiasticæ Tabulæ in quibus duodecimo Kalendas Junias hæc leguntur. *Eodem die Sanctorum Martyrum Synesii & Theopompi.* Passi dicuntur hi Martyres in persecutione [a] Diocletiani. Eodem quoque die ponitur Natalis *Sancti Valentis Episcopi, qui cum tribus pueris necatus est.* Hic à Rotaldo Veronensi Episcopo translatus est ad Augiam Divitem cum Sanctis Synesio ac Theopompo, ut ex Augiensium Abbatum Catalogis apud Bruschium & Bucelinum colligimus. Facta est hæc Translatio quinto Idus Aprilis, ut probatum suprà. Seriùs ex Augia Divite Sancti Synesius & Theopompus translati sunt ad Cellam, quam prælaudatus Rotaldus Veronensis Episcopus in eadem Constantiensi Dioecesi construxit. Adversùs hanc Chronologiam duo proponi possunt. Unum, ex Bucelino, qui Sanctorum Synesii & Theopompi, seu *Sanctorum Genesii & Theoponti*, ut vocat, *corpora in Augiam Divitem* anno Redemptoris octingentesimo tricesimo-primo translata scribit in Annalibus Germaniæ. Alterum ex Ughello, qui Tomo quinto Italiæ Sacræ ultimam Rotaldi Veronensis Episcopi memoriam ait extare anno Redemptoris octingentesimo vicesimo-quarto in Synodo Mantuana, deinde Audum Rotaldi successorem ad annum Redemptoris octingentesimum tricesimum commendat. Bucelinum auctoritate Hermanni Contradi & Martyrologii Richenoviensis abundè refutavimus. Ughellum verò refellemus ad annum Redemptoris octingentesimum tricesimum-quintum quo sermonem faciemus de Mantuana Synodo, necnon ad annum Redemptoris octingentesimum quadragesimum quo Rotaldum Veronensem Episcopum in vivis superstitem ostendemus.

LXXX. CUM SS. SYNESIO ET THEOPOMPO.

[a] Petr. in Catal. l. 5. c. 33.

Porrò cùm audis corpora Sanctorum Synesii & Theopompi vel in Augiam Divitem vel ex Augia Divite in Cellam Ratolphi delata esse, non integra corpora sed aliquam duntaxat partem Reliquiarum intellige. LXXXI.
Tomis superioribus egimus de Sanctæ Fuscæ Monasterio, quod prope Tar-

AN. CH. 830. LUDOV. IMP. 17. LOTHAR. IMP. 14. PIPPINI R. 16. LUDOV. R. 14. CAROLI R. 1.

visium Gerardus Comes [a] anno Christi septingentesimo octogesimo condidit, & Albegunda [b] ejusdem Comitis relicta multis possessionibus anno Redemptoris octingentesimo septimo locupletavit. In istius Monasterii Basilica recondita sunt postea prædictorum Martyrum corpora, sed antequàm ibi collocarentur, Rotaldus Veronensis Episcopus aliquam Reliquiarum partem obtinuit, quam unà cum aliis ad Augiam Divitem hoc anno transtulit. Hæc autem Translatio non obfuit, quominùs recentiores Auctores assererent corpora Synesii ac Theopompi Martyrum in Ecclesia beatæ Fuscæ quiescere, donec ad Monasterium Nonantulanum anno Christi nongentesimo undecimo transvecta sunt. Lege prolixam ea de re narrationem apud Ughellum in Tarvisinis [c] Episcopis Tomo quinto Italiæ Sacræ.

LXXXII. Extat apud eundem Auctorem [d] pro Sancti Zenonis Cœnobio Diploma, quod Ludovicus Augustus à Rotaldo Veronensium Episcopo & à prædicti Monasterii Abbate Austerberto rogatus emisit XIII *Kal. Decemb. Indict.* VIIII, id est, hoc anno, vel octingentesimo decimo-quinto. Initium illius Præcepti jam recitavimus ad annum Redemptoris octingentesimum septimum [e], quo prælaudatus Rotaldus Sancti Zenonis corpus duodecimo Kalendas Junias ex antiquo Oratorio transtulit in novam Basilicam, quam Pippini Italiæ Regis opibus adjutus erexerat eodem Cœnobio, quod à nefariis hominibus exustum fuerat, instaurato. Combustum denuò fuit ac delectum illud Monasterium, priusquàm Diploma, de quo loquimur, editum esset. Atque hæc ratio non levis videtur, ut ipsum Præceptum hoc potiùs anno quàm octingentesimo decimo-quinto datum censeamus. Est autem hujuscemodi. *In Nomine Domini Dei æterni & Salvatoris nostri Jesu Christi. Hludovicus divinâ ordinante providentiâ Imperator Augustus. Imperialem condecet prædecessorum suorum piè facta non solum inviolabiliter conservare, sed etiam censura sua auctoritate alacriter confirmare. Idcircò comperiat omnium fidelium nostrorum industria, præsentium scilicet atque futurorum, quòd Rotaldus Venerabilis Sanctæ Ecclesiæ Veronensis Episcopus unà cum Austerberto Abbate Monasterii Sancti Zenonis detulit nobis inter ceteras auctoritates Domini & genitoris nostri Caroli Piissimi Augusti, vel prædecessorum nostrorum Regum, quoddam Præceptum de genitore nostro confirmatum, in quo exaratum reperimus, qualiter dilectissimus germanus noster Pipinus unà cum memorato Præsule Monasterii Sancti Zenonis Confessoris Christi, quod est constitutum in suburbio prædictæ civitatis propter divinum amorem & reverentiam præfati Patroni reædificassent atque renovassent, & quod olim ab infidelibus hominibus exustum fuisset, & ab omnibus rebus sibi olim collatis penè privatum, nam neque Monachi ibidem consistere quibant, qui horas canonicas & divinas persolverent laudes, nisi Episcopus de prædicta civitate Sacerdotes illuc mitteret, non erat, qui ibidem, ut dignum erat, divinum celebraret officium; unde illi pro animarum suarum emolumento quasdam res, quibus Monachi & pauperes Christi subsidia necessaria futuris temporibus habere quivissent, ad memoratum locum delegare, atque confirmare fore perpetualiter, ac permanere. Ita dumtaxat ut quæcumque res in Comitatu Veronensi per singula loca, id est, imprimis Monasteriolum in honore Sancti Petri constructum, quod nuncupatur Mauratica, cum omnibus appenditiis suis & decimis. Similiter in alio loco quidem Ostelia in jam dicto Comitatu Veronensi, seu Ecclesia Sancti Laurentii cum omnibus pertinentiis suis & decimis. In tertio loco in eodem Comitatu Veronensi Ecclesiam videlicet in honore Sanctorum Martyrum Firmi & Rustici constructam cum omnibus pertinentiis suis atque decimis, seu & horreum infra civitatem Veronam cum areis suis in circuitu, aliaque res tam in civitate Verona quàm extra in singulis locis ab Anselmo Comite quondam præfato Cœnobio delegata sunt, seu & res in Runco, quæ oblata sunt ab Oniperto Presbytero .... quàm in aliis locis montium sive planitierum habere ac possidere dignoscitur. Et in Comitatu Vicentino montis scilicet Turcello pago*

PRÆCEPTUM PRO MON. S. ZENONIS.

[a] Tom. 6. a. 780. n. 31.
[b] Tom. 7. a. 807. n. 32.
[c] In Episc. Tarvis. 10.
[d] Tom. 5. Ital. Sacr. in Ep. Veron. 44.
[e] Num. 31.

AN. CH. 830.

LUDOV. IMP. 17.
LOTHAR. IMP. 14.
PIPPINI R. 16.
LUDOV. R. 14.
CAROLI R. 1.

in Comitatu Tervisiano, ac Tridentino, Brisciano, Ber-
pago Venetiarum, seu & Placentino, & Parmensi, Bononiensi, Clumacho, necnon gomiate, Mantuano, Plusciis, vel ubi aliquid ad idem pertinere supradictum Mo- & in omnibus locis Tusciæ probatur. Sed pro firmitatis gratia petiit Serenitati nos- nasterium vel pertinuisse auctoritate nostris denuò pris oraculis confirmaremus. Sed quia træ, ut paterna auctoritate dictum Monasterium Sancti Zenonis exustum denuò at- pro peccatis nostris jam hominibus, ut Monachi ibidem minimè habitarent. Cu- que deletum est cum aliis præsulis denegare nolumus, sed ita à nobis, sicut à geni- jus petitioni jam dicti Præsulis declaratur, ita per hos Imperiales apices nostros concessisse at- tore nostro factum esse declaratur fidelium nostrorum cognoscat solertia. Denique jubemus at- que confirmasse omnium fidelium quantumcumque memorata Ecclesia Sancti Zenonis per dona- que decernimus, ut quantumcumque germani nostri, seu nostræque comparata, seu quolibet attractu tionem nostram vel dilecti germani nostri traditione, vel ipsorum bonorum hominum largitate col- pi, vel ceterorum fidelium traditione, aut in anteà Rotaldi prædicti Episco- justè & legaliter habere dignoscitur. Necnon etiam & oblationes, quæ fiunt ad Sanc- latum atque delegatum fuerit. quibuscumque mobilibus vel immobilibus ibidem obla- tum Zenonem de omnibus quibuscumque cum omni integritate per hoc Præceptum nostræ tum vel offertum fuerit deinceps Monachorum securiter teneat atque possideat auctoritatis ipsa sancta Congregatio persona, excepto sicut in priori Præcepto nostri absque ulla inquietudine alicujus succedentium Pontificum instituerat, ut in fes- genitoris habuerat, ut pro honore annis singulis mancusos viginti (lege mancusos tivitate ipsius Sancti Zenonis moneta cùm auri cum argenti) aut quinqua- viginti, est enim mancusus debeat Pontifex ipsius civitatis cum suis Clericis, ginta solidos argenti accipere deservientibus, & nihil amplius ab eis ab aliquo exqui- ab ipsis Monachis ibidem semper ex propria Congregatione Abbatem sibi eli- ratur; sicútque ipsis Monachis licentiam habeant. Hoc vero & nos ob æternam re- gere infra Diœcesim eandem Episcopus ipsius civitatis nullam umquam potestatem munerationem addimus, ut Episcopus usurpare, vel alicui in beneficium dare, sed li- habeat aliquid inde abstrahere vel tuitione quietè & securiter vivere, & Dei ceat eidem Congregationi sub nostra peccatoribus exorare. Insuper etiam placuit nostræ misericordiam jugiter pro nobis definitiones facere, videlicet fœminis li- Serenitati de famulis ejusdem Monasterii quæ se famulis ipsius Ecclesiæ & Monasterii beris, quas Itali herimannas vocant, videlicet de majoribus titulis, copulaverint, sive etiam & aliarum Ecclesiarum, seu Monasteriis, vel quibuscunque aut de matricularibus Ecclesiis vel Diœcesibus, secundum prædecessorum statuta Im- Ecclesiis junxerint se cum prædictis famulis autoritatem, sine omni contradictione peratorum, & per hujus nostri Præcepti inviolabiliter possideat. Si quis verò quod hominem supradictum sanctum locum Episcopus, Dux, Marchio, Comes, Vice- futurum non credimus, Archiepiscopus, privata persona contra omnia suprà scripta comes, seu publici administratores, aut temptaverit infra ditionem Regni nostri consis- insurgere, aut in aliquo violare probatissimi compositurum, medietatem ei- tens, sciat se libras quinquaginta auri Palatio nostro. Et ut hæc authoritas nostra concessio- dem Ecclesiæ, & medietatem credatur, & per futura tempora diligentiùs observe- nis & confirmationis certiùs subter confirmavimus, & anuli nostri impressione jussi- tur, manu propriâ nostrâ Lodovici Serenissimi Imperatoris. Data XIII Kal. mus sigillari. Signum Domini Imperii Domini Lodowici Piissimi Aug. . . . . . Decemb. anno, Christo propitio, Palatio Regis feliciter. Amen. Omissus est *Indict. VIIII. Actum Aquisgrani* quia legi non potuit in exemplari, sed suffi- annus Imperii Ludoviciani, conjungi cum decimo-tertio Kalendas Decem- cit Indictionem nonam Imperio, quod annorum septem ac viginti fuit, bris, toto enim Ludovici mensis November Indictioni nonæ illigaretur, se- bis tantùm contigit, ut octingentesimo decimo-quinto, iterum hoc anno mel anno Redemptoris tricesimo.

Redemptoris octingentesimo hoc eodem anno memoratur ab Ughello [a]. LXXXIII.

Thomas Senensis Episcopus Cremonensis Episcopus, quem anno Re-

Superstes tunc florebat & Atho

[a] Tom. 3. Ital. Sacr. in Ep. Senensi 24.

AN. CH. 830.

[a] Num. 11.

Atho Ep. Cremonensis.

[b] Tom 4. Ital. Sacr. in Ep. Cremon. 32.

demptoris octingentesimo decimo-nono [a] successorem Wulfoldo dedimus. *Joannes Bresanus*, ait Ughellus, *in Catalogo apponit quendam Athonem anno 830. At in aliis tabulis nulla de eo habetur mentio.* Ita ratiocinatur Ughellus in Episcoporum Cremonensium [b] Catalogo, ne Sinpertum, quem Synodo Mantuanæ vult interfuisse *ann. 824*, medium duos inter Athones agnoscat. Quisquis autem Mantuanum Concilium, ut Chronologia postulat, in annum Redemptoris octingentesimum tricesimum-quintum rejecerit, amputatis difficultatibus eundem Athonem, quem anno Redemptoris octingentesimo decimo-nono promotum ad Episcopales Infulas asseruerit, anno pòst undecimo sive anno Redemptoris octingentesimo tricesimo superstitem laudabit, ultróque fatebitur nihil obesse, quominùs qui proximè successit Sinpertus Mantuanam Synodum cum aliis Præsulibus anno Redemptoris octingentesimo tricesimo-quinto celebrasse censeatur.

LXXXIV. Nova S. Galli Basilica inchoatur, S. Othmaro in aliam translato.

[c] Cap. 6.

[d] Tom 3.

[e] Tom. 2.

In Annalibus Hepidanni Monachi San-Gallensis, *anno Domini nostri* DCCCXXIX, ponuntur *initium Basilicæ S. Galli & Translatio S. Othmari de eadem Ecclesia in Basilicam S. Petri Apostoli.* Sed Ratpertus [c] ejusdem loci Cœnobita, cui potiorem fidem habemus, novam Sancti Galli Basilicam à Gotzberto tunc Abbate negat inchoatam fuisse ante hunc annum, *Incarnationis Domini* DCCCXXX, *Hludowici verò Imperatoris* XVII. Cum Ratperto Chronographus San-Gallensis apud Duchesnium [d] & Hermannus apud Canisium [e] conveniunt. Chronographus, sic. DCCCXXX. *Initium Basilicæ Sancti Galli.* Hermannus verò, sic. *830 Basilica Sancti Galli à Gozberto Abbate incepta.*

LXXXV. Suburbium Romanum a PP. munitur consilio et auxilio Ludovici et Lotharii Augg.

Omittere non debemus hoc loco Ludovicum & Lotharium Augustos consilio & auxilio fuisse Gregorio Papæ, ut suburbium Romanum, ubi Ecclesia Vaticana, muris ac vallis ad coercendas Saracenorum incursiones muniret. Sigebertus ad hunc annum sic habet in suo Chronico *Gregorius Papa dolens crebris Sarracenorum incursionibus vexari & vastari suburbium Romanæ urbis circa Ecclesiam Petri Apostolorum Principis, intendit illic urbem novam ædificare, ad quod consilio & auxilio Imperatorum animatus novam fabricam cœpit.*

LXXXVI. Inter Eginhardum Abb. Selingestadiensem et Lupum Ferrariensem Monachum coalescit amicitia.

His circiter temporibus, cùm Aldricus Senonensis Archiepiscopus jam erat, & Eginhardus Selingestadiensis Abbas in Selingestadiensi Cœnobio morabatur, singularis amicitia coalescere cœpit inter eundem Eginhardum & Lupum Ferrariensem Monachum, qui tunc in Fuldensi Monasterio Rabanum illius loci Abbatem Divinas Scripturas interpretantem audiebat. Hæc constant ex prima Lupi epistola, cujus aliquot in assertionis nostræ confirmationem fragmenta damus. *Carissimo Einhardo Lupus salutem. Diu cunctatus sum, desiderantissime hominum, auderem necne Excellentiæ vestræ scribere. Et cùm me ab hoc officio aliæ rationabiles causæ, tum etiam ea maximè deterrebat, quòd posse id contingere videbatur, ut dum vestram cuperem amicitiam comparare, offensam incurrerem. Scilicet quod præpropero & inusitato prorsus ordine, ab ipso familiaritatis munere inchoaverim, qui nec primordia notitiæ contigissem.* Lupus hoc literarum exordio palàm fatetur Einhardum sive Eginhardum sibi ne quidem per epistolam hactenus notum fuisse. Bis inferiùs loquitur de Aldrico jam ordinato Archiepiscopo. *Mihi satis*, inquit, *apparet propter seipsam appetenda sapientia, cui indagandæ à Sancto Metropolitano Episcopo Aldrico delegatus, Doctorem Grammaticæ sortitus sum, præceptáque ab eo artis accepi.* Et paulò pòst. *A præfato Episcopo ad Venerabilem Rhabanum directus sum, uti ab eo ingressum caperem Divinarum Scripturarum.* Porrò cave ne credas Doctorem Grammaticæ Lupo datum, cùm Aldricus ad Senonenses Infulas jam assumptus esset. Lupus Aldricum Metropolitanum Episcopum vocat, quia literas ad Eginhardum dirigit Aldrico Senonensem Archiepiscopatum jam obtinente, priùs autem cùm Grammaticæ tum Rhetoricæ studuit, imò ab eodem Aldrico Ferrariensi tunc Abbate nec ad-

hac Archiepiscopo Senonensis Ecclesiæ missus est in Germaniam, ut à Rabano Monasterii Fuldensis Abbate in Divinis Scripturis erudiretur, eòque, ut observatum suprà, videtur profectus paulò antequàm Aldricus Senonensis ordinaretur Episcopus. In iisdem literis opus Eginhardi de Gestis Caroli Magni sic laudat. *Venit in manus meas opus vestrum, quo memorati Imperatoris, nempe* Caroli de quo priùs loquebatur, *clarissima Gesta (liceat mihi absque suspicione adulationis dicere) clarissimè litteris allegastis. Ibi elegantiam sensuum, ibi raritatem conjunctionum, quam in Auctoribus notaveram, ibidémque non longissimis periodis impeditas & implicitas ac modicis absolutas spatiis sententias inveniens, amplexus sum. Quare cùm & antè propter opinionem vestram, quam sapientes viro dignam imbiberam, tum præcipuè propter expertam mihi illius libri facundiam, desideravi deinceps aliquam nancisci opportunitatem, ut vos præsentes alloqui possem, ut quemadmodum vos meæ parvitati vestra tum probitas tum sapientia fecerat claros, ita me vestræ Sublimitati meum etiam erga vos amor & erga disciplinas studium commendaret. Neque verò id optare desistam, quamdiu ipse incolumis in hac vita vos esse cognovero. Quod posse contingere hoc magis in spem ducor, quò ex Gallia huc in Transrhenanam concedens regionem, vobis vicinior factus sum.* Postrema periodus exaratas suadet hasce literas, cùm Lupus in Transrhenana regione sive in Fuldensi Monasterio degebat, & Eginhardus in eadem Diœcesi Moguntina sive in Selingestadiensi Cœnobio nec procul à Fulda morabatur. Id apertè confirmat Lupus aliâ quoque periodo, qua suas literas per Rabani nuncium Eginhardo transmitti sic testatur. *Ad Venerabilem Rhabanum directus sum, uti ab eo ingressum caperem Divinarum Scripturarum; ergo cùm ad vos iterum huc ejus nuncium comperissem, primò quasdam verborum obscuritates à vobis uti elucidarentur mittendas proposui, deinde præstare visum est, ut etiam hanc epistolam dirigere debuissem.*

AN. CH. 830. Ludov. Imp. 17. Lothar. Imp. 14. Pippini R. 16. Ludov. R. 14. Caroli R. 1.

ANNUS

Christi		831.		
Ludovici	Imp.	18.		
	Reg.	51.	26. 14.	
Lotharii	Imp.	15.	9.	
	Reg.	17.	9.	
Pippini III.	Reg.	17.	15.	
Ludovici	Reg.	15.	6.	
Caroli	Reg.	2.		
Indictio		9.		

AN. CH. 831. Ludov. Imp. 18. Lothar. Imp. 15. Pippini R. 17. Ludov. R. 15. Caroli R. 2.

ANNO Redemptoris octingentesimo tricesimo-primo Ludovicus Augustus tres celebravit Conventus, unum Aquisgrani, alterum Ingelheimii, tertium in Theodonis villa. De singulis per ordinem agemus. I.

AN. CH. 831. LUDOV. IMP. 18. LOTHAR. IMP. 15. PIPPINI R. 17. LUDOV. R. 15. CAROLI R. 2.

PRÆCEPTUM PRO BARISIACO CELLA.

Sed priùs à nobis recitandum est Diploma pro Barisiaco Cella Laudunensis Diœcesis Elnonensi Monasterio subjecta, datum enim legitur decimo-quinto Kalendas Februarias, Indictione nonâ, hoc anno, Ludovici Augusti decimo-septimo post Caroli patris obitum adhuc currente, Lotharii Augusti octavo post illius coronationem Romæ factam à Paschale Papa. *In nomine Domini Dei & Salvatoris nostri Jesu Christi Hludovicus divinâ ordinante providentiâ Imperator Augustus, omnibus fidelibus Sanctæ Dei Ecclesiæ & nostris, præsentibus scilicet & futuris, notum sit, quia quidam fidelis noster Leo, qui Cellulam, quæ dicitur Barisiacus, quæ est constructa in honore Sancti Petri Principis Apostolorum, largitionis nostræ habens, questus est, quod Major de fisco Parisiaco per fortiam tempore Pippini avi nostri quamdam sylvam, quæ conjungitur ad sylvam nostram, quæ dicitur Columbarias, à prædicta Cellula abstraxisset, & fisco nostro sociasset. Cujus nos rei veritatem cupientes scire, direximus Missum nostrum Hagarnum Vasallum, qui hanc causam in nostra eleemosyna investigasset, & nobis renuntiasset. Quò jussionem nostram explens, sicut nobis renuntiavit, invenit per legem & justitiam, jam dictam sylvam ad supradictam Cellam legibus pertinere, & per fortiam exinde ablotam fuisse. Eo dum nobis prædictus Vasallus ita renuntiaret, placuit Serenitati nostræ ob mercedis nostræ augmentum & æternæ retributionis fructum, prædictam sylvam Cellulæ Sancti Petri superiùs nominatæ præsentialiter reddere, & super hanc redditionem hos nostros Imperiales apices fieri, per quos præcipimus atque jubemus, ut nullus quilibet parte fisci nostri eandem sylvam de jam dicta Cellula abstrahere aut minuere, aut ullam calumniam prænominatæ Cellulæ facere vel ingerere præsumat, sed sicut à nobis redditum atque per hanc nostram auctoritatem confirmatum est, ita perpetuis temporibus permaneat inconvulsum. Et ut hæc auctoritas redditionis nostræ firmior habeatur, & per futura tempora meliùs conservetur, de nostro anulo subter jussimus sigillari. Durandus Diaconus ad vicem Fridugisi. Data XV Kal. Februarii, anno, Christo propitio, XVII Imperii Domni Hludovici Serenissimi Imperatoris, & Lotharii Augusti VIII, Indict. VIIII. Actum Aquisgrani Palatio Regio in Dei nomine feliciter.* Hoc Diploma cusum reperies Tomo primo Seculi quarti Benedictini post observationes de secunda Elevatione Sancti Amandi Trajectensis quondam Episcopi. Lege Tomo superiore ad annum Redemptoris octingentesimum vicesimum-tertium [a] quæ de duplici dicta sunt epocha Imperii Lothariani.

[a] Num. 2.

PLACITUM AQUISGRANENSE.

II. Annalista Bertinianus ab Aquisgranensi Placito narrationem rerum hoc anno gestarum sic orditur. *Domnus Imperator Aquis anno ab Incarnatione Domini DCCCXXXI circa Kalendas Februarii, sicut conditum fuerat, generale Placitum habuit, eósque, qui anno superiori propter seditionem priùs in Compendio, & posteà in Niumago Domnum Imperatorem offenderant, venire jussit, ut illorum causa discuteretur & dijudicaretur. Primúmque à filiis ejus, ac deinde à cuncto qui aderat populo judicatum est, ut capitalem subirent sententiam. Tunc Domnus Imperator solitâ pietate vitam & membra illis indulsit, ipsósque per diversa loca ad custodiendum commendavit. Hlotharius verò, propter quod magis illis consenserat quàm debuisset, genitoris pium commovit animum. Ad quod Placitum Domna Imperatrix, sicut jussum fuerat, veniens, & in conspectu Domni Imperatoris ac filiorum ejus assistens, de cunctis se objicientibus purificare velle aiebat. Percunctatúsque est populus, si quislibet in eam aliquod crimen objicere vellet. Cúmque nullus inventus esset, qui quodlibet illi malum inferret, purificavit se secundùm judicium Francorum de omnibus quibus accusata fuerat.* Anno priore *in Placito* Noviomagensi *per auctoritatem Apostolicam, & per consensum Episcoporum*, ut Annalista Metensis testatur, *consideratum & canonicè definitum fuerat, ut Imperator suam reciperet conjugem.* De Legationibus, quas in Aquitaniam ad Juditham à Ludovico statim directas idem Annalista subjungit, nihil hîc repetemus. Theganus [b] Auctor coætaneus, quem Metensis Annalista consulere potuit, Juditham asserit à Ludovico *honorificè* susceptam

SEDITIOSI PUNIUNTUR.

JUDITHA AUG. REDIT AD LUDOVICUM AUG.

[b] Cap. 37.

AN. CH. 831.

esse jubente Gregorio Romano Pontifice cum aliorum Episcoporum justo judicio. Hanc tamen Imperator, ut Astronomus affirmat, conjugis honore non est dignatus, donec se legali praescripto modo ab objectis purgaret. Cum Juditha libertatem recuperarunt ejus fratres Conradus & Rodulfus. Sic enim idem Astronomus de Ludovico scribit. *Misit in Aquitaniam, Conradum & Rodulfum jamdudum attonsos, conjugemque revocavit fratrésque illius.* Et Nithardus [a] reditum eorumdem fratrum ad comitatum Ludovici, necnon & alia, quae pertinent ad Aquisgranense Placitum sic commemorat. *Conventu condicto Regina & fratres ejus eidem restituuntur, ac plebs universa ditioni ejus se subdidit. Hinc hi, qui cum Lodhario senserunt, in concilium deducti, & ab ipso Lodhario ad mortem dijudicati, aut vitâ donati, in exilium retrusi sunt.* Addit hic Auctor *Regna, sicut à patre promissum fuerat, aucta Pippino ac Ludovico fuisse.* Testatur etiam Astronomus de Ludovico Augusto, quòd *cunctis dijudicatis ad mortem vitam concessit.* Agobardus Lugdunensis Archiepiscopus, in libro Apologetico quem pro filiis Imperatoris anno Redemptoris octingentesimo tricesimo-tertio conscripsit, ut Judithae Augustae discessionem è Palatio, de qua nos anno priore, sic & ejus reditum ab exilio suprà commemoratum calumnioso stylo sic prosecutus est capite secundo. *Cùm per nimiam filiorum remissionem benè acta dissolverentur, per carnalium blandimenta, & cupidorum scelestos favores, atque indecoras adulationes, iterum mulier, tanquam legitima Domina, est revocata in Palatium, & praelata Consiliis & Consiliariis; cujus instigationibus mutata est mens Rectoris, & coepit duris cornibus ventilare filios, & conturbare populos. Sicque factum est inauditum anteà mortalibus, ut non tam persecuti injustè sustinerent persecutiones, quàm persecutores inviti & coacti exercerent, & non solùm exercerent, sed & sustinerent dum in adverso violentissimè & contrario juramenta compelluntur.* Et capite nono. *Inimicus omnis boni, amatorque omnis mali, qui non reliquerat corda possessa, satagit instaurare & redintegrare malum suum; & Regina, quae mutato habitu Regali putabatur perdurare in habitu Sanctimoniali, sicut ordo poscebat, & rectitudo judicii docebat, reducta est in Palatium, & assumpta in consortium quasi legitima conjux, quod esse jam nullatenus poterat. Conlocata itaque turpiter & indecenter in fastigio Regali, prius malum auxit & multiplicavit. Ad quod bonus filius quid agere debuit? Numquid dissimulare? Numquid silere? Numquid quiescere? Non ita placuit illi indormitabili oculo, qui custodit Israel suum, sed suscitavit spiritus filiorum, & convenerunt iterum ad succindendam recidivam malorum stirpem* anno Redemptoris, ut suo loco dicturi sumus, octingentesimo tricesimo-tertio.

CUM SUIS FRATRIBUS.

LUDOVICUS AUG. AUGET REGNA PIPPINI ET LUDOVICI RR.

III. Peracto Placito, Ludovicus Augustus, ut Astronomus & Annalista Bertinianus scribunt, *Lotharium in Italiam, Pipinum in Aquitaniam, Ludovicum in Bajoariam ire permisit. Ipse verò,* subdit Astronomus, *Quadragesimale tempus Paschaeque solemnitatem in eo loco,* id est, Aquisgrani, *celebravit.* Quod ad Lotharium speciatim attinet, hunc *solâ Italiâ contentum pater eâ pactione abire permisit, ut extra patris voluntatem nihil deinceps moliri in Regno tentaret.* Id affirmat Nithardus [b]. Cum Ludovico Augusto mansit Juditha, necnon & eorum filius Rex Carolus, octo vix annorum puer. *Cùmque se haec ita haberent, & res publica paululum respirare videretur, confestim Gunthbaldus Monachus,* qui specie Religionis à Ludovico Augusto ad Pippinum Ludovicúmque filios ejus occultè ante Conventum Noviomagensem anno praecedenti directus fuerat, *quia multùm in restitutione ejus laboraverat, secundus,* ut idem Nithardus subjicit, *in Imperio esse volebat.* Sub idem tempus, Wala Corbeiensis Abbas, quem anno quoque priori Ludovicus Augustus Noviomago ad veterem Corbeiam ablegavit, ut ibi *regulariter* viveret, & Abbatis officio ritè fungeretur, in exilium mittitur, *& elevatur in quadam longissimo terrarum spatio altissima & artissima specu,* ut ait Auctor vitae [c] publicatus Tomo primo Seculi quarti Benedictini. Hanc specum prope Le-

EOSDEM CUM LOTHARIO DIMITTIT AD SUA REGNA.

GUNTBALDUS MONACHUS SECUNDUM IN IMPERIO LOCUM AMBIT.

WALA IN EXILIUM MITTITUR.

a Lib. 1.

b Lib. 1.

c Lib. 2. c. 9.

AN. CH. 831. LUDOV. IMP. 18. LOTHAR. IMP. 15. PIPPINI R. 17. LUDOV. R. 15. CAROLI R. 2.

PRAECEPTUM PRO BARISIACO CELLA.

Sed priùs à nobis recitandum est Diploma pro Barisiaco Cella Laudunensis Diœcesis Elnonensi Monasterio subjecta, datum enim legitur decimoquinto Kalendas Februarias, Indictione nonâ, hoc anno, Ludovici Augusti decimo-septimo post Caroli patris obitum adhuc currente, Lotharii Augusti octavo post illius coronationem Romæ factam à Paschale Papa. *In nomine Domini Dei & Salvatoris nostri Jesu Christi Hludovicus divinâ ordinante providentiâ Imperator Augustus, omnibus fidelibus Sanctæ Dei Ecclesiæ & nostris, præsentibus scilicet & futuris, notum sit, quia quidam fidelis noster Leo, qui Cellulam, quæ dicitur Barisiacus, quæ est constructa in honore Sancti Petri Principis Apostolorum, largitionis nostræ habens, questus est, quod Major de fisco Parisiaco per fortiam tempore Pippini avi nostri quamdam sylvam, quæ conjungitur ad sylvam nostram, quæ dicitur Columbarias, à prædicta Cellula abstraxisset, & fisco nostro sociasset. Cujus nos rei veritatem copiosius scire, direximus Missum nostrum Haganum Vasallum, qui hanc causam in nostra eleemosyna investigasset, & nobis renuntiasset. Qui jussionem nostram explens, sicut nobis renuntiavit, invenit per legem & justitiam, jam dictam sylvam ad supradictam Cellam legibus pertinere, & per fortiam exinde ablatam fuisse. Et dum nobis prædictus Vasallus ita renuntiaret, placuit Serenitati nostræ ob mercedis nostræ augmentum & æternæ retributionis fructum, prædictam sylvam Cellulæ Sancti Petri superiùs nominatæ præsentialiter reddere, & super hanc redditionem hos nostros Imperiales apices fieri, per quos præcipimus atque jubemus, ut nullus quilibet parte fisci nostri eamdem sylvam de jam dicta Cellula abstrahere aut minuere, aut ullam calumniam prænominatæ Cellulæ facere vel ingerere præsumat, sed sicut à nobis redditum atque per hanc nostram auctoritatem confirmatum est, ita perpetuis temporibus permaneat inconvulsum. Et ut hæc auctoritas redditionis nostræ firmior habeatur, & per futura tempora meliùs conservetur, de nostro anulo subter jussimus sigillari. Durandus Diaconus ad vicem Fridogisi. Data XV Kal. Februarii, anno, Christo propitio, XVII Imperii Domni Hludovici Serenissimi Imperatoris, & Lotharii Augusti VIII, Indict. VIIII. Actum Aquisgrani Palatio Regio in Dei nomine feliciter.* Hoc Diploma cusum reperies Tomo primo Seculi quarti Benedictini post observationes de secunda Elevatione Sancti Amandi Trajectensis quondam Episcopi. Lege Tomo superiore ad annum Redemptoris octingentesimum vicesimum-tertium [a] quæ de duplici dicta sunt epocha Imperii Lothariani.

[a] Num. 1.

II.

PLACITUM AQUISGRANENSE.

Annalista Bertinianus ab Aquisgranensi Placito narrationem rerum hoc anno gestarum sic orditur. *Domnus Imperator Aquis anno ab Incarnatione Domini* DCCCXXXI *circa Kalendas Februarii, sicut conditum fuerat, generale Placitum habuit, eósque, qui anno superiori propter seditionem priùs in Compendio, & posteà in Niumago Domnurm Imperatorem offenderant, venire jussit, ut illorum causa discuteretur & dijodicaretur. Primùmque à filiis ejus, ac deinde à cuncto qui aderat populo judicatum est, ut capitalem subirent sententiam. Tunc Domnus Imperator solitâ pietate vitam & membra illis indulsit, ipsósque per diversa loca ad custodiendum commendavit. Hlotharius verò, propter quod magis illis consenserat quàm debuisset, genitoris pium commovit animum. Ad quod Placitum Domna Imperatrix, sicut jussum fuerat, veniens, & in conspectu Domni Imperatoris ac filiorum ejus assistens, de cunctis se objicientibus purificare velle ait. Percunctatúsque est populus, si quislibet in eam aliquod crimen objicere vellet. Cúmque nullus inventus esset, qui quodlibet illi malum inferret, purificavit se secundùm judicium Francorum de omnibus quibus accusata fuerat.* Anno priore *in Placito* Noviomagensi *per auctoritatem Apostolicam, & per consensum Episcoporum*, ut Annalista Metensis testatur, *consideratum & canonicè definitum fuerat, ut Imperator suam reciperet conjugem.* De Legationibus, quas in Aquitaniam ad Juditham à Ludovico statim directas idem Annalista subjungit, nihil hic repetemus. Theganus [b] Auctor coætaneus, quem Metensis Annalista consulere potuit, Juditham asserit à Ludovico *honorificè* susceptam

SEDITIOSI PUNIUNTUR.

JUDITHA AUG. REDIT AD LUDOVICUM AUG.

[b] Cap. 37.

AN. CH. 831.

esse jubente Gregorio Romano Pontifice cum aliorum Episcoporum justo judicio. Hanc tamen Imperator, ut Astronomus affirmat, *conjugis honore non est dignatus, donec se legali præscripto modo ab objectis purgaret.* Cum Juditha libertatem recuperarunt ejus fratres Conradus & Rodulfus. Sic enim idem Astronomus de Ludovico scribit. *Misit in Aquitaniam, conjugémque revocavit fratrésque illius Conradum & Rodulfum jamdudum attonsos.* Et Nithardus [a] reditum eorumdem fratrum ad comitatum Ludovici, necnon & alia, quæ pertinent ad Aquisgranense Placitum sic commemorat. *Conventu condicto Regina & fratres ejus eidem restituuntur, ac plebs universa ditioni ejus se subdidit. Hinc hi, qui cum Lodhario senserunt, in concilium deducti, & ab ipso Lodhario ad mortem dyudicati, aut vitâ donatâ in exilium retrusi sunt.* Addit hic Auctor *Regna, sicut à patre promissum fuerat, aucta Pippino ac Ludovico fuisse.* Testatur etiam Astronomus de Ludovico Augusto, quòd *in Purificatione Sanctæ Mariæ cunctis dyudicatis ad mortem vitam concessit.* Agobardus Lugdunensis Archiepiscopus, in libro Apologetico quem pro filiis Imperatoris anno Redemptoris octingentesimo tricesimo-tertio conscripsit, ut Judithæ Augustæ discessionem è Palatio, de qua nos anno priore, sic & ejus reditum ab exilio suprà commemoratum calumnioso stylo sic prosecutus est capite secundo. *Cùm per nimiam filiorum remissionem benè acta dissolverentur, per carnalium blandimenta, & cupidorum scelestos favores, atque indecoras adulationes, iterum mulier, tanquam legitima Domina, est revocata in Palatium, & prælata Consiliis & Consiliariis; cujus instigationibus mutata est mens Rectoris, & cœpit duris cotibus ventilare filios, & conturbare populos. Sicque factum est inauditum antea mortalibus, ut non tam persecuti injustè sustinerent persecutiones, quàm persecutores inviti & coacti exercerent, & non solum exercerent, sed & sustinerent dum in adversa violentissimè & contraria juramenta compelluntur.* Et capite nono. *Inimicus omnis boni, auctórque omnis mali, qui non reliquerat corda possessa, satagit instaurare & redintegrare malum suum; & Regina, quæ mutato habitu Regali putabatur perdurare in habitu Sanctimoniali, sicut ordo poscebat, & rectitudo judicii docebat, reducta est in Palatium, & assumpta in consortium quasi legitima conjux, quod esse jam nullatenus poterat. Collocata itaque turpiter & indecenter in fastigio Regali, prius malum auxit & multiplicavit. Ad quod bonus filius quid agere debuit? Numquid dissimulare? Numquid sedere? Numquid quiescere? Non ita placuit illi indormitabili oculo, qui custodit Israel suum, sed suscitavit spiritus filiorum, & convenerunt iterum ad succidendam recidivam malorum stirpem* anno Redemptoris, ut suo loco dicturi sumus, octingentesimo tricesimo-tertio.

CUM JUDITHA LIBERTATEM RECUPERANT EJUS FRATRES.

[a] Lib. 1.

LUDOVICUS AUG. AUGET REGNA PIPPINI ET LUDOVICI RR.

III. Peracto Placito, Ludovicus Augustus, ut Astronomus & Annalista Bertinianus scribunt, *Lotharium in Italiam, Pipinum in Aquitaniam, Ludovicum in Bajoariam ire permisit. Ipse verò,* subdit Astronomus, *Quadragesimale tempus Paschaque solemnitatem in eo loco,* id est, Aquisgrani, *celebravit.* Quod ad Lotharium speciatim attinet, hunc *solâ Italia contentum pater eâ pactione abire permisit, ut extra patris voluntatem nihil deinceps moliri in Regno temptaret.* Id affirmat Nithardus [b]. Cum Ludovico Augusto mansit Juditha, necnon & eorum filius Rex Carolus, octo vix annorum puer. *Cúmque se hac ita haberent, & res publica paululum respirare videretur, confestim Guntbaldus Monachus,* qui specie Religionis à Ludovico Augusto ad Pippinum Ludovicumque filios ejus occultè ante Conventum Noviomagensem anno præcedenti directus fuerat, *quia multùm in restitutione ejus laboraverat, secundus, in Imperio esse volebat.* Sub idem tempus, Wala ut idem Nithardus subjicit, Corbeïensis Abbas, quem anno quoque priori Ludovicus Augustus Noviomago ad veterem Corbeïam ablegavit, ut ibi *regulariter* viveret, & Abbatis officio ritè fungeretur, in exilium mittitur, & *elevatur in quadam longissimo terrarum spatio altissima & artissima specu,* ut ait Auctor vitæ [c] publicatus Tomo primo Seculi quarti Benedictini. Hanc specum prope Le-

EOSDEM CUM LOTHARIO DIMITTIT AD SUA REGNA.

[b] Lib. 1.

GUNTBALDUS MONACHUS SECUNDUM IN IMPERIO LOCUM AMBIT.

WALA IN EXILIUM MITTITUR.

[c] Lib. 2. c. 9.

Y iij

AN. CH. 831.
LUDOV. IMP. 18.
LOTHAR. IMP. 15.
PIPPINI R. 17.
LUDOV. R. 15.
CAROLI R. 2.

manum lacum idem collocat Biographus, ubi subdit, quòd Wala, sive Arsenius, ut vocat, *ibi cælum & Penninas Alpes, necnon Limanium lacum cernebat.* Apud nos iste Scriptor non benè audit, Walam enim, quem Imperatoris hostem sæpè damnavimus, innocentem semper prædicat, & omnem reatum in Juditham Augustam atque in Bernardum Septimaniæ Ducem per insignem calumniam rejicit. Ab Heriberti Comitis exæcatione, sive à rebus apud Compendium anno superiore gestis, transit ad exilium Walæ irrogatum post Judithæ reditum ex Aquitania, nullámque mentionem facit Conventûs Noviomagensis, in quo Ludovicus Imperator præterito mense Octobri, cùm *adhuc vires* [a] *adversariorum attenuare* vellet, eidem Walæ præceperat, ut ad Monasterium suum rediret, ibíque *regulariter* secundùm professionem suam viveret. Hac observatione præmissâ, quæ subdolum Auctoris consilium prodit, & Walam Imperatoris hostem apertè demonstrat, ipsum textum, ut editus est à Joanne Mabillonio, nunc accipe, memótque esto tralatitiorum nominum, quorum significationem aperuimus suprà, Justinianus enim pro Ludovico Augusto ponitur, Honorius pro Lothario, & Arsenius pro Wala.

[a] Astron. in vita Lud. Pii.

IV. EJUS ENCOMIASTES REFELLITUR.

Eum, nempe Arsenium seu Walam, *quasi liberatorem omnium omnes magnificabant, & extollebant ubique laudibus, maximè cùm Cæsar Augustus Honorius ab Italis evocatus venisset, eò quòd consortem Imperii Justinianus sibi olim & successorem totius Monarchiæ cum voluntate & consensu omnium eum fecerat, quem unà cum patre præfatus* Naso seu Bernardus Septimaniæ Dux *exterminare & subvertere conabatur cum reliquis fratribus suis Regibus, in cujus nimirum adventu detecti sunt plurimi, & quæ dicebantur reserata. Pro quo consilio, illius furia*, nempe Bernardi, *frater* Heribertus, *quia convictus & confessus est consensisse, in eodem Placito cæcatus est judicio publico, vitâ sibi clementer concessâ. Sed quia cuncta, quæ fiebant, non erant ex corde Justiniani, neque ex animo, quoniam ab æmulis vera fidei & justitia instigabatur & adulabatur, fœmineo rursus devinctus instinctu*, Judithæ videlicet uxoris è Pictaviensi Monasterio revocatæ, *quasi multa contra eum inhonesta, non pro fide facta fuissent, qui, nisi se de his vindicaret, benè deinceps regnare non posset, rursusque si ablatam sibi uxorem non reciperet post velamen. Tegitur interdum vulnus in corde valdè defixum, augentur complices iterum ut rescindatur Imperium. Honorius, qui erat longè diu consors à patre & ab omnibus procreatus Imperator, removetur à potestate, repellitur à consortio; sacramenta universorum, quæ illi facta fuerant, auctoritate paternâ violantur; boni quoque atque inclyti viri, qui dudum pro fide certaverant, tyrannum fugarant, mœchiam & universa turpia à conspectu Palatii pepulerant, qui patriam & populum salvarant, qui etiam Augustum, ut diximus, & filios liberaverant, qui seipsos cum multo discrimine post talia quibus eum restituerant in throno Imperii unà cum filii consortio in fide qui pro fide egerant subdiderunt, ita ut in eis nihil nisi fides & veritas appareret. Sed insidiantibus malis quæritur opportunitas temporis, & locus electus; dispergunutur universi, qui ei priùs fidem servarant; Senatus exsiliatur, & Magnati omnes, atque olim carissimi & primi damnantur Palatii, inter quos etiam Arsenius noster rapitur, Pontificum tamen officio, jubente Augusto, acsi cum honore ingenti exsiliatur. Retruditur autem & elevatur in quadam longissimo terrarum spatio altissima & artissima specu, quà nullus esset accessus, divino agente judicio, nisi Angelicus, ubi cùm non pòst diu ab Augusto directus ob Ecclesiasticarum rerum & Monasticarum negotia devenissem, quamquam non sine periculo ob suum solamen ad eum visitandum ascendi. Ubi simul inter falsissimas abundantissimè gaudii & mœroris lacrymas lætum etsi tristes duximus diem, læti quidem de mutua visione & conscientia pura quia in eo nulla erat reatûs culpa, tristes verò quòd pro tanta virtutis beneficio exsilium tulit & odium & custodiam carceris & injuriam diræ calamitatis. Cum quo cùm essem, inter dulcia amaráque verba volui ei persuadere, ut in aliquo se excessisse fateretur, & deinceps quæ Augustus vellet,*

AN. CH. 831.
Ludov. Imp. 18.
Lothar. Imp. 15.
Pippini R. 17.
Ludov. R. 15.
Caroli R. 2.

in omnibus assentire, si quomodo unà cum quibusdam amicis agere quivissem, ut in gratiam rediret, quod & Cæsar satis optabat si ei solummodo consensisset. Ad quod idem. Miror te, inquit, si de mea in aliquo dubitas conscientia, qui nihil mihi de his negotiis, pro quibus culpor, magis quàm tibi sum conscius. Idcircò te oportuerat ampliùs me pro justitia persuadere certare debere, quàm vel in modico tepescere, vel contra verum quippiam, vel contra quod honestum est, assentire vel consiteri. Tum ego. Nequaquam, inquam, dubito, neque ampliùs vellem in hac parte, quàm excessûs verbum & adsensûs de vobis habere, quia in his duobus credo amicos & me obtinere posse, non solùm veniam pro offensis, verùm & ampliorem gratiam, honores quoque proprios & majores, insuper quidquid de eo & ab eo vobis placuerit. Tunc ita ille subsannando paululum subridens. Tu fortè, inquit, eum & omnes eos qui eum favent in tua æstimas potestate? Numquid Dei judicia non pertimescis? Quid si ego falsò contra me protulero sententiam confessionis & reatûs mendacium, relictâ justitiâ vera fides & puritate cordis? Potest igitur contingere, ut in contrarium vertatur sententia, divino exigente judicio, quàm tu existimas, &, si ego pro ullius gratia, aut pro honoribus, vel timore, vel favoribus, veritate relictâ falsum contra me dixero aliquod, & in his deprehensus, Dei justo agente judicio, proprio condemnatus ore, mortis sententiam excepero, dum leviora vitare me rogas pericula, & honores quærere vel gratiam, cavendum ne crudeliora excipiam, & dum temporales injurias fugerit, vel honores quærere me rogas, ineffabili dispensante judicio, sempiterna mortis damnationem adquiram. Quapropter, frater, simus in via veritatis ingressi, & spem habeamus, quia hæc nos ad vitam sempiternam, quæ Christus est, admittunt. Unde his dictis confusus silui. Et constat quod in eo nulla conscientia erat, nisi secundùm Deum & propter Deum, circa Augustum & filios, circa patriam & Ecclesias, circa Proceres & Magnatos, circa Religionem & salutem populi, quia non sua in ullo, sed quæ Christi erant, quærebat. Idcircò errat, qui arbitratur Arsenium in periculum exsilii vel capitis vocari, quòd deliqueret aliquid sciens vel volens, quod patriam læserit, quòd Majestatem Imperii violaverit, quòd Augustum & filios exhonoraverit, quod fidem corruperit, quòd pacem perturbaverit. A bonis enim & prudentibus non accusatur, quòd Ecclesiastica jura non dilexerit, Regis gloriam & Imperii amplitudinem non amaverit, sed quia nimiùm ea diligendo in aliquo deliquerit. Propterea meritò non reus citatur malivolentiæ in his omnibus, sed reus virtutis quoniam beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam. Vocatur autem jure novum virtutum bono, qui perniciosum fraudis & doli restinxit insaniam & furorem; Cæsarem liberavit à morte, filios à perditione, Regnum & Imperium ab invasione tyranni. A Palatio namque Sacri Imperii pepulit omnes abominationes, mœchiam fugavit, sortilegas damnavit personas, honestatem restituit, [illegible] rem filiis & filios patri reddidit, Monarchiam tunc ire in partes non permisit, Sacramenta filio Augusto facta violare vetuit. Omnia quippe bona ser[illegible]it, & mala dejicere ac proterere, quatinus tutam & tranquillam secun[illegible] vitam omnes viverent; electio, quæ solemniter facta fuerat in filio à [illegible] & ab omnibus, & consecratio Imperialis Apostolica Sedis auctoritate firma[illegible] inconcussa maneret, ob pacis concordiam, ob Monarchiæ firmitatem & Princi[illegible] laudem, ob honorem & gloriam Christianæ Religionis, quæ penè jam ubique [illegible] & inimicis tanti nominis conculcatur, affligitur & tenetur. Voluit enim [illegible] consilio vigilantiâ providere, tam gloriosum Regnum & Christianissimum ne [illegible]ideretur in partes, quoniam juxta Salvatoris vocem omne Regnum in seipsum [illegible] desolabitur, quod hodie omnes factum satis dolemus, momentis singulis [illegible] plangimus. Voluit juramenta, ut diximus, quæ facta fuerant Honorio, & [illegible] promissa integra servarentur, ne tantis populus universus fuscaretur perjuriis. [illegible] ut unitas & dignitas totius Imperii maneret ob defensionem patriæ & Ec[illegible] liberationem, ob integritatem rerum & dispensationem facultatum Eccle[illegible]; nunc autem, ut cernimus, omnia sunt immutata vel perturbata. Qua[illegible] advertat quilibet inimicus & intelligat, quàm præclaris Arsenius ornatur

propt[illegible]

AN. CH. 831. LUDOV. IMP. 18. LOTHAR. IMP. 15. PIPPINI R. 17. LUDOV. R. 15. CAROLI R. 2. V.

virtutibus, quàm multiplicibus pro justitia commendatur testimoniis; quem non boni & probi viri dilacerant vel infamant, sed nocentes & maligni vel inscii rumoribus decepti insectantur odiis; quem honestissima & lautissima ubique commendant acta, & protestatur vita.

Hujus textûs duas distingue partes, unam, quæ res continet anno superiore gestas apud Compendium post Lotharii adventum ex Italia; alteram, quæ spectat ad exilium Walæ imperatum post Judithæ reditum è Monasterio Pictaviensi. De priore, quam suo examinavimus loco, nihil hic repetemus; pauca dicemus de posteriore, quia illam quoque jam in multis refutavimus. Auctor iterum fatetur non deesse, qui Walam condemnent. Ut illius causam tueatur, calumnias adversùs Juditham Augustam, & Bernardum Septimaniæ Ducem denuò repetit, ipsum verò Walam Imperatoris & filiorum ejus ac totius Imperii liberatorem rursum prædicat, jactátque potissimùm laude dignum, quòd *Monarchiam tunc ire in partes non permisit*, & *sacramenta filio Augusto*, id est, Lothario, *facta violare vetuit*. Calumnias, quibus Juditha & Bernardus impetebantur, procul rejecimus; innocentiam suam probavit Juditha, Bernardus idem præstabit infrà. Walam Imperatoris & Imperii hostem ab ipsomet Imperatore dictum observavimus, Lotharium anno Redemptoris octingentesimo decimo-septimo Imperatorem à patre Ludovico renuntiatum & anno Redemptoris octingentesimo vicesimo-tertio Romæ à Paschale Papa coronatum haud inficiati sumus, sed eum ab eodem patre Monarchiam Francorum adepto hæredem ex asse institutum negavimus, nec adhuc deprehendimus Walam allaborasse, *ne Regnum divideretur in partes*. Ubi primùm orta dissensio Ludovicum Augustum inter & aliquot Proceres, quorum animus erga filios ejus propensior erat, Wala palàm rebellem se præbuit, adiitque Pippinum ex Aquitania venientem, nec Lotharium ex Italia vocatum expectavit. An qui Pippino Aquitaniæ Regi, multa jam contra patris voluntatem molito, se junxit, is in mente nihil aliud habuit, quàm ut Monarchiam Francorum in partes dividi, sacramentáque Lothario, tanquam Monarchæ destinato, facta violari prohiberet? Ludovicus Augustus Lotharium anno Redemptoris octingentesimo decimo-quarto Regem Bojoariæ, Imperatorem anno Redemptoris octingentesimo decimo-septimo, Longobardiæ Regem anno Redemptoris octingentesimo vicesimo dixit, atque in Italiam misit anno Redemptoris octingentesimo vicesimo-secundo; Pippinum anno Redemptoris octingentesimo decimo-quarto Regem Aquitaniæ renuntiavit, confirmavitque anno Redemptoris octingentesimo decimo-septimo; Ludovicum eodem anno Redemptoris octingentesimo decimo-septimo Regem Bojoariæ instituit loco Lotharii fratris ad Imperatoriam Dignitatem tunc evecti; Carolum anno Redemptoris octingentesimo vicesimo-nono Regem Alemanniæ præfecit. Ut autem non abdicavit Imperium, quando nomen Augusti Lothario tribuit, sed eum in consortium duntaxat Imperatoriæ dignitatis adscivit; ita nec ullâ se privavit Regni provinciâ, quando eundem Lotharium illiúsque fratres Reges appellavit, sed eos consortes tantùm Regni, Lotharium per Bojoariam primò deinde per Longobardiam, Pippinum per Aquitaniam, Ludovicum per Bojoariam, Carolum per Alemanniam fecit, reliquâ Francici Regni parte, quæ per Gallias ac Germaniam latissimè patebat, sibi soli absque ullo consorte reservatâ. Quapropter hoc ipso anno post Christum natum octingentesimo tricesimo-primo Regna Pippini & Ludovici, qui sibi faverant, auxit in Aquisgranensi Placito, sicut anno priore promiserat per literas ad eos ante Conventum Noviomagensem occultè directas. His adde varias Regni partitiones, quas serius inter filios egit, ut suis locis ostensuri sumus. Commentitiis igitur accensenda, quæcunque post Ludovici Augusti mortem de Francorum Monarchia

AN. CH. 831.
LUDOV. IMP. 18.
LOTHAR. IMP. 15.
PIPPINI R. 17.
LUDOV. R. 15.
CAROLI R. 2.

Monarchia cum sacramentis asserta Lothario publicata sunt ab ejus fautoribus. In horum numero fuit Walæ Panegyristes, qui longè post obitum Ludovici Augusti scripsit, cùm tres illius filii Lotharius, Ludovicus & Carolus in Francia regnabant. Tunc qui Lotharianis partibus adhærebant, conclamabant Regnum Francorum quòd in se divisum esset, & isti divisioni cuncta mala, quæ post mortem Ludovici Augusti contigerant, accepta referebant. At voce Salvatoris apud Matthæum dicentis, *omne Regnum divisum contra se, desolabitur*, abutebantur in gratiam Lotharii, quasi Ludovicus Franciam, cujus spatiosissimi limites erant, exemplo Caroli patris & avi Pippini, suos inter filios in plura Regna dividere legitimo jure non potuisset. Regnum Francorum contra se divisum non fuit à Ludovico Franciam inter filios dividente, sed à Lothario vel contra patrem rebellante vel post ejus obitum sorte suâ non contento & Regna fratrum invadente contra patris testamentum ultimámque voluntatem.

VI. DIPLOMATA.

In Chartulario Viennensi, quod Vir Clarissimus Antonius *de Vyon d'Herouval* nobis utendum commodavit, duas deprehendimus Chartas Ludovici Augusti, pro Ecclesia Viennensi, unam de Monasterio Sancti Andreæ, alteram de vico Eppaonis, datas Aquisgrani, quinto Kalendas Martias, hoc anno, ejusdem Imperatoris duodevicesimo, Indictione nonâ. Ambas jam publicavit Stephanus Baluzius in Appendice [a] post Notas ad Capitularia.

[a] Chart. 48. 50.

VII. LUDOVICI AUG. PRO ECCLESIA VIENNENSI.

Prima talis est. *In Nomine Domini Dei & Salvatoris nostri Jesu Christi. Hludovicus divinâ ordinante providentiâ Imperator Augustus. Si Sacerdotum ac servorum Dei petitiones, quas nobis pro suis necessitatibus innotuerint, ad effectum perduxerimus, non solùm consuetudinem Regiam exercemus, verùm etiam ad beatitudinem retributionis profuturum confidimus. Proinde comperiat omnium fidelium nostrorum industria, præsentium scilicet & futurorum, qualiter vir venerabilis Bernardus Viennensis Ecclesiæ Præsul veniens ad nostram Serenitatem detulit nobis instrumenta cartarum, per quæ Ansemundus & conjunx sua Ansleubana, & filia eorum Remila vocabulo Eugenia, Monasterium Sancti Andreæ subterioris Sancto Mauricio condonaverunt, & tradiderunt, atque prædicti conditores ob firmitatis studium Sancto Leontano consignaverunt, ut sub potestate & ordinatione ..... Episcopi Ecclesiæ Viennensis & successorum illius nulli actione omni tempore maneat. Insuper & Præcepta piorum Regum ostendit, Tenderici scilicet & Guntramni, per quæ ipsi Sancto Mauricio confirmaverunt firmiùs ad habendum. Sed prædictus Bernardus Episcopus retulit Celsitudini nostræ ipsum Monasterium propter cupiditatem malorum hominum ab eadem Ecclesia subtractum. Nos quoque justum, immò rationabilem petitionem illius judicantes, restituimus ipsum Monasterium Sancto Mauricio & Barnardo illius loci Episcopo per nostræ auctoritatis Præceptum, pro mercede & remedio animæ nostræ, atque totius Imperii nostri emolumento, ut tam ipse quàm successores sui absque contradictione ipsum Monasterium ordinent atque disponant secundùm voluntatem Dei & Beati Mauricii ab hodierna die & deinceps, & sit sub immunitate nostra sicut & aliæ res Sancti Mauricii. Præcipientes ergo jubemus, ut nullus Judex publicus, neque judiciaria potestas ad causas audiendas vel freda exigenda, aut mansiones vel paratas faciendas, aut fidejussores tollendos, aut homines ejusdem Monasterii tam ingenuos quàmque servos, qui super terram ipsius residere videntur, distringendos, nec ullas redibitiones requirendas, ullo unquam tempore ingredi audeat, & quicquid inde fiscus exactare poterit, totum pro æterna remuneratione Ecclesiæ Sancti Mauricii concedimus. Et ut hæc auctoritas largitatis nostræ inviolabilem obtineat vigorem, manu propriâ subter firmavimus, & annuli nostri impressione signari jussimus. Signum Hludovici Serenissimi Imperatoris. Data V Non. Martias, anno, Christo propitio, XVIII Imperii Domni Hludovici Serenissimi Augusti. Indictione VIIII. Actum Aquisgrani Palatio Regio, in Dei Nomine feliciter. Amen. Helisachar recognovi.* Helisachari nomen hoc loco nobis non placet, quia illum ab

AN. CH. 831. LUDOV. IMP. 18. LOTHAR. IMP. 15. PIPPINI R. 17. LUDOV. R. 15. CAROLI R. 2.

exilio nondum revocatum putamus, & in altera Charta, quæ data est eodem die, nulla fit ejus mentio, sed Durandi Diaconi subscribentis *ad vicem Fridarsi*, sive, ut Baluzius in margine reponit, *ad vicem Fridugisi*. Talis est altera illa Charta. *In Nomine Domini Dei & Salvatoris nostri Jesu Christi, Hludovicus divinâ ordinante providentiâ Imperator Augustus. Si erga loca divinis cultibus mancipata ob amorem Dei eorumque reverentiam beneficia opportuna largimur, id nobis procul dubio ad æterna retributionis præmia capescenda profuturum liquidò credimus. Idcircò notum esse volumus cunctis fidelibus Sanctæ Dei Ecclesiæ & nostris, præsentibus scilicet & futuris, quia spontanea voluntate adiens Serenitatem Culminis nostri Vir Illustris Abbo Comes, qui & vicum qui dicitur Eppaonis, qui erat ex ratione Sancti Mauricii ex Episcopatu Viennensi, ubi nunc auctore Deo Bernardus Archiepiscopus Præsul esse dinoscitur, beneficiario munere ex nostra largitione habebat, ubi erant etiam Ecclesiæ destructæ & discoopertæ, quarum sunt vocabula, Sancti Andreæ Apostoli & Sancti Romani Martyris, precibus quibus valuit nostram obsecravit Clementiam ..... quantumcumque ipse ibi ex beneficio .... Ecclesiæ Sancti Mauritii Viennensis redderemus, quod ita .... fidelium nostrorum cognoscat industria. Pro firmitatis verò studio, ut hoc, quod supradictus Abbo in supradicto vico habebat, & nos ad ejus deprecationem sæpedicto Bernardo Archiepiscopo, immò ejus Sanctæ Sedi reddidimus, Rectores eorum perpetuo jure Ecclesiastico tenerent atque possiderent, hos Imperiales apices fieri jussimus, per quos decernimus atque sancimus, ut ipsum vicum, & res, quas ibidem hactenus præscriptus Abbo habuit, & ad eundem vicum atque ad easdem Ecclesias, quæ ibi fuerunt dicatæ in honorem & venerationem Sancti Andreæ Apostoli & Sancti Romani Martyris, pertinent, ita Rectores suprà nominatæ Sedis teneant atque possideant, sicut cæteras res, quæ ad supradictum Episcopium pertinent, & faciant exinde quicquid elegerint jure Ecclesiastico. Et ut hæc auctoritas confirmationis nostræ per futura tempora inviolabilem atque inconvulsam obtineat firmitatem, annuli nostri impressione signari jussimus. Durandus Diaconus ad vicem Fridarii recognovit. Data V Non. Mart. anno, Christo propitio, XVIII Imperii Domni Hludovici Serenissimi Augusti, Indictione VIIII. Actum Aquisgrani Palatio Regio, in Christi Nomine feliciter. Amen.* Hæc Charta locum, qui nomen Epaonensi Concilio sub Sigismundo Burgundionum Rege fecit, collocat in pago Viennensi, quæstionémque toties ab eruditis viris agitatam solvere videtur.

VIII. Præter has duas Ludovici Augusti Chartas Stephanus Baluzius in Appendice [a] jam laudata tertiam Pippini Regis, eodem quoque die Aquisgrani datam, ex Chartulario Sancti Martini Turonensis pro Cormarico Monasterio sic publicavit. *Pippinus gratiâ Dei Rex Aquitanorum omnibus Episcopis, Abbatibus, Comitibus, Domesticis, Vicariis, Centenariis, seu reliquis fidelibus nostris, præsentibus scilicet & futuris, notum sit quia concessimus Fridugiso Abbati ex Monasterio Sancti Martini, ubi ipse pretiosus Confessor corpore requiescit, ut Monachi, qui in Cormarico Monasterio, quod est constructum in honore Sancti Pauli Apostoli, qui sub Regula Sancti Benedicti conversari videntur, licentiam haberent duas naves per Ligerim fluvium & Viennam, & Garum, & Ganagum, & per diversa flumina in Regno, Domino propitio, nostro discurrentia huc illúcque propter necessitates suas dirigendi. Et ita annuimus, ut ullum teloneum vel de sale vel de nullis quibuslibet rebus in ullo omnino loco totius Regni nostri ipsi aut comites eorum solvere aut dare debeant. Proptereà præsentem auctoritatem fieri jussimus, per quam specialiter jubemus, ut nullus ex vobis, neque de junioribus vestris, ullo teloneo, vel pontatico, aut ripatico, sive portatico, seu modiatico, vel plantatico; aut laudatico, sive salutatico, seu cespitatico, aut pastione, sive occursu, vel ullo censu, nec ullâ redibitione, nec occasiones ullas ullatenus de ipsis navibus exigere aut exactare præsumatis, sed ad ipsum sanctum locum & ad ipsos fratres in nostra eleemosyna proficiat in augmentis, quatinus meliùs delectet ipsos Monachos pro nobis uxoréque nostra ac liberis nostris vel stabilitate Regni*

[a] Chart. 47.

PIPPINI R. PRO CORMARICO MON.

nostri Dominum exorare. Et ut hæc auctoritas firmior habeatur & meliùs conservetur, de annulo nostro subter jussimus sigillari. Suabobus Diaconus ad vicem Ebroini recognovi. Data v Kal. Mart. anno XVIII Imperii Domni Ludovici Serenissimi Augusti, & XVII Regni nostri. Actum Aquisgrani Palatio Regio in Dei Nomine feliciter. Amen.

AN. CH. 831. LODOV. IMP. 18. LOTHAR. IMP. 15. PIPPINI R. 17. LUDOV. R. 15. CAROLI R. 2.

IX. ANGILBERTI ARCHIEP. MEDIOLAN. PRO MON. AMBROSIANO.

Pridie easdem Kalendas Angilbertus Mediolanensis Archiepiscopus hoc Privilegium quod in Catalogo Mediolanensium Archiepiscoporum ab Ughello recitatur, Ambrosiano Monasterio concessit. *In Nomine Domini Angelbertus Beatæ Mediolanensis Ecclesiæ humilis Archiepiscopus. Cùm, Domino juvante, gererem solicitudinem de mea Parochia Monasteriis, & ea ad tramitem sanctæ conversationis corrigendo, atque construendo, prout valui, perduxissem, verti me ad Monasterium Beatissimi Ambrosii, ubi ejus corpus quiescit, quatenus necessitate cogente ibidem Abbatem ordinare debuissem. Cùmque pro hoc diutiùs, quem Abbatem illius constituere debuissem, quia ibi non reperiebatur talis, eò quòd ob negligentiam Ordo Regularis valdè inerat corruptus, pro hoc diutiùs cœpissem cogitare, cum meis Sacerdotibus divinam Clementiam postulando, tunc Domino favente, consulentibus etiam Sacerdotibus nostris, abstuli Gaudentium Abbatem Monasterii Sancti Vincentii, quem etiam ego ibi Abbatem jam dudum ordinaveram, & in præfato Monasterio Sancti Ambrosii Abbatem constitui. Nunc autem ut ipsi Monachi valeant Deo deservire, & ei jugiter laudum gratias referre, exclusâ indigentiâ, tam ob stabilitatem Regum nostrorum, Invictissimorum Imperatorum Ludovici & Lotharii, quàm ob pacem immaculatæ matris Ecclesiæ, per hoc Præceptum confirmo Ecclesiam, & Altare quod inibi noviter mirificè ædificavi ob nimium amorem Confessoris Christi Ambrosii in tutela & omni custodia suprà taxati Gaudentii Abbatis, & in ejus ditione perenniter, suisque successoribus permaneat sine fine, & omnes possessiones atque res ipsius Monasterii diversis in locis constitutas, quarum vocabula hæc sunt, Oleoductus, Campelione, Ceresiola, Gratem, Lucum, Sinterani, Casteniade, & Catenadam, seu omnes res, quas nunc possidere videntur, vel abhinc, Domino largiente, eidem Venerabili Ecclesiæ Deum timentium liberalitate quoquóve modo fuerint addita, exceptâ Curte Dubbini, quam nos juxta commutationem commutare volumus. Placuit nobis ob Dei & beati Ambrosii amorem per consensum Sacerdotum nostrorum constituere per hanc nostram institutionem, ut neque nos, neque alius successorum nostrorum, jam prædicto Abbati Gaudentio aut successoribus ejus de supradictis rebus ullam contra rationem ingerat molestiam, vel in rebus diminutionem, eo videlicet modo, ut sub nostra nostrorúmque succedentium consistentes ordinatione atque dispositione Pastorum, nobísque etiam prout decet parendo, liceat eisdem perfrui, & quietam sub sancta degentes Regula ducere vitam. Statuentes etiam per hoc nostræ authoritatis munimen, ut cujuscumque Ordinis homo, tactus superno amore, inibi suis cum rebus voluerit sacra norma sua submittere colla, ex nostra amplissima largitate sine ullo obstaculo habeat facultatem. Verùm etiam & hoc concedimus, ut quocumque tempore Abbas ipsius Monasterii de hoc seculo migraverit, de ipsis sibimet eligant Pastorem, si talis inibi persona reperta fuerit, qui juxta Regulam eosdem & vitâ ejus regulariter quiverit regere, ex nostra tranquillissima concessione habeant facultatem. Et ut hoc Præceptum meæ concessionis inconvulsum & inviolatum perpetuò permaneat, Ambrosium Notarium Sanctæ nostræ Mediolanensis Ecclesiæ scribere jussimus, & propriâ manu subter confirmavimus, anno Dominorum nostrorum confirmantium hoc, Ludovici & Hlutarii Imperatorum decimo-octavo & decimo-sexto Kal. Martii, Indict. decimâ-tertiâ. Angelbertus indignus Archiepiscopus in hoc Præcepto subscripsi, Adoaldus, Peuio, Deusdedit, Ermenaldus, & quamplures Sacerdotes & Diaconi, Subdiaconi, Notarii subscripserunt.* Ita Ferdinandus Ughellus Tomo quarto [a] Italiæ Sacræ, sed non sine nævo. Annus Ludovici Augusti decimus-octavus, qui per menses Februarium & Martium cum hoc anno, Redemptoris octingentesimo tricesimo-primo convenit, nec anno Lotharii Augusti decimo-sexto nec Indictioni de-

[a] In Archiep. Mediolan. 56.

AN. CH. 831. LUDOV. IMP. 18. LOTHAR. IMP. 15. PIPPINI R. 17. LUDOV. R. 15. CAROLI R. 2.

cimæ-tertiæ potest illigari. Suspicamur numerum, quo annus Imperii Lothariani designatur, è duobus conflatum fuisse, quorum prior annum illum indicabat, posterior diem ante Kalendas Martias quo datum Angilberto Privilegium. Super annis igitur Imperatorum sic numeri videntur restituendi, *anno Domnorum nostrorum confirmantium hoc, Hludovici & Hlotharii Imperatorum* XVIII & XIIII, II *Kal. Martii*, id est, anno Augustorum, Ludovici decimo-octavo, Lotharii decimo-quarto, pridie Kalendas Martii, non autem anno Lotharii decimo-sexto Kalendis Martii, duobus hisce numeris XIIII & II in unum, nempe decimum-sextum, perperam traductis. Quod ad Indictionem attinet, anno Ludovici Augusti decimo-octavo, Lotharii Augusti decimo-quarto, sive anno Redemptoris octingentesimo tricesimo-primo, pridie Kalendas Martias Indictio currebat VIIII, quam meritò reponas explosâ XIII.

X. PLACITUM INGELHEIMENSE.

Hoc anno Pascha celebratum est quarto Nonas Aprilis, & *Paschalibus peractis solemniis, ad Ingelheim Imperator*, ut Astronomus in ejus vita scribit, Aquisgrano *perrexit*. Ad illum locum circa Kalendas Maii pervenit, ibique Lotharium, quem in Italiam post Aquisgranensem Conventum ire permiserat, ad se denuò venientem honorificè suscepit. Utrumque paucis Annalista Bertinianus ita perstringit. *Ipse circa Kalendas Maii ad Inguelehem veniens, Hlotharium illic ad se venientem honorificè suscepit.* In hoc Placito singularem erga suos adversarios mansuetudinem ostendit. *Ipso tempore*, inquit Astronomus, *consueta misericordia non immemor, qua, sicut de se ait Job, ab initiis crevit cum illo, & de utero matris videtur cum ipso egressa, eos, quos dudum exigentibus meritis per diversa loca deputaverat, evocatos bonis propriis restituit, &c., si qui adtonsi fuerant, utrùm sic manere, an in habitum pristinum redire vellent, facultatem contribuit.* Breviùs Annalista Bertinianus, sic. *Hi quoque, qui in exilium missi fuerant, adducti & absoluti, gratiámque Domni Imperatoris adepti sunt.* Id tamen de cunctis exulibus intelligi non potest, Walam enim, Elisacharum, Mathfridum, & alios, qui trusi fuerant in exilium, custodiâ seriùs emissos docet Nithardus [a], cujus textum suo recitabimus loco. Ut Hilduinus ad Palatium è Corbeia Saxonica reverteretur, suis apud Ludovicum postulationibus impetravit Hincmarus, *cui*, teste Flodoardo [b], *pro familiaritatis priore notitia tantam Deus apud Imperatorem Procerésque contulit gratiam, ut studere pro suo nutritore quiverit, donec ab exilio revocatus, duarum fuerit Abbatiarum*, Dionysianæ videlicet ac Germanensis, *Prelationi restitutus.* Sic igitur Hilduinus in gratiam cum Ludovico Augusto rediit, ut nec munus Archicapellani, nec Abbatiam Sancti Medardi prope muros Suessionenses recuperarit. Abbas Sancti Medardi mansit Agobardus, qui Lugdunensis erat Archiepiscopus; mansit & Archicapellanus Palatii Fulco, qui Gemmeticensis erat Abbas. De utroque locuti sumus anno priori, quo Hilduinus exulare cœpit. Idem autem Hilduinus paucis diebus antequàm ab exilio revocaretur, Warino Abbati novæ Corbeiæ & Monachis ejusdem loci promisit se daturum illis unum ex corporibus Sanctorum, quæ sua in potestate habiturus esset, si pristino quondam honori restitueretur. Idque lubentissimè pollicitus est, quia cognoverat illorum desiderium, nec ignorabat Warinum, qui multas Sanctorum Reliquias è Gallia nuper attulerat, plurimùm quoque laborasse, ut Sanctum Victoricium ex civitate Ambianensi transferret. Hæc in vetere libro de constructione novæ Corbeiæ sic enarrantur. *Venerabilis Abba Warinus majori honore apud Imperatorem habebatur. At verò memor quod sibi commissum erat, scilicet ut inter barbarorum gentes Monasterium ædificaret, petiit, ut de corporibus Sanctorum, quorum plurimi habebantur in Francia, sibi aliquod transferre in proprium licuisset Monasterium, statímque Imperator ut fieret jussit. Qui cùm multùm eodem anno laborasset, ut Sanctum Victoricium de Ambianis civitate transferret, hoc implere nequivit, quia accola terræ illius hoc graviter fe-*

LUDOVICUS AUG. SUSCIPIT LOTHARIUM E ITALIA REVERSUM.

MULTOS AB EXILIO REVOCAT.

[a] Lib. 1.

[b] Lib. 3. c. 1.

rebant. Tunc reversus est ad propria, multorum tamen Sanctorum Reliquias secum adferens. Illo verò in tempore Venerabilis Abba Hilduvinus in eodem Monasterio jussu habitabat Imperatoris, eràtque omnibus carus, &c. Hic cùm cognovisset desiderium præfati Abbatis & Fratrum, quia volebant ob augmentum Christiani cultûs aliquem Sanctorum in Monasterium suum transferre, promisit, quòd, si se Dominus in honorem pristinum collocaret, absque retractatione aliquem eorum, qui sub ditione sua erant, eis daret. Statímque post aliquot dies honori pristino restitutus est. Quomodo promissis steterit, suo dicemus loco. Tunc Sanctus Victoricus seu Victoricus, cum sociis suis Fusciano & Gentiano, in Ecclesia Cathedrali civitatis Ambianensis quiescebat. Tres hi Martyres sub Diocletiano & Maximiano Augustis passi sunt, in Tabulis Ecclesiasticis tertio Idus Decembris ita commendantur. *Ambiani, Sanctorum Martyrum Victorici & Fusciani sub eodem Imperatore* Maximiano, *in quorum naribus & auribus jussu Rictiovarus Præses immitti tarinchas, & clavis ardentibus tempora transfigi, ac postmodum eorum corpora jaculari, sicque unà cum Sancto Gentiano eorum hospite capitibus amputatis migraverunt ad Dominum.* Sepulti jacuerunt tertio à civitate milliario, in vico Seino, donec à Sancto Honorato, qui Præsulatum Ambianensem regnante Childeberto Clodovei Magni filio suscepit, in ipsam urbem Ambianensem translati sunt, atque in primaria Basilica decentissimè collocati. Lege illo de Pontifice, quæ scripta sunt ab Adriano Morlietio in Antiquitatibus Ambianensibus [a].

AN. CH. 831. LUDOV. IMP. 18. LOTHAR. IMP. 15. PIPPINI R. 17. LUDOV. R. 15. CAROLI R. 2.

[a] Lib. 2.

XI. Hoc anno Imperator apud Ingelheimium adhuc morabatur octavo Idus Junias. Id patet ex ejus Præcepto, cujus fragmenta Guillimannus in Episcopis [b] Argentinensibus sic edit. *In Nomine Domini Dei & Salvatoris nostri Jesu Christi. Hluduvicus divinâ ordinante providentiâ Imperator Augustus* &c. *Notum igitur esse volumus*, &c. *quia Vir Venerabilis Bernaldus Strasburgensis Episcopus* &c. *obtulit obtutibus nostris quandam Præceptionis auctoritatem Domini & Genitoris nostri Caroli Præstantissimi Augusti, in qua continebatur*, &c. *Hirminmarus Notarius ad vicem Fridigusi* * *recognovi & subscripsi. Data* VIII *Idus Junii, anno, Christo propitio*, XVIII *Imperii Domini Hludowici Piissimi Augusti, Indictione* IX. *Actum Ingelheim Palatio Regio, in Dei Nomine feliciter. Amen.* Post Conventum Ingelheimiensem, *Imperator*, ut Astronomus in ejus vita testatur, *in partes Rumerici montis per Vosagum transiit, ibique piscationi atque venationi, quamdiu libuit, indulsit, & filium Lotharium in Italiam direxit.* Omittit hic Auctor brevem unius diei peregrinationem, quam Ludovicus ab Ingelheimiensi Palatio ad Cellam Sancti Goaris obiit, cùm pedum dolore laboraret. Ab hac Imperatoris peregrinatione, non temporis sed personæ habitâ ratione, Wandalbertus orditur enumerationem rerum mirabilium, quæ meritis Sancti Goaris in ejus Cella, Marcuvardo tunc Abbate, factæ sunt. *Ad Clarissimi Patris Marcuvardi* [illegible] *veniam. Et ut hæc ipsa, rerum gestarum ordine aliquantulùm postposito,* [illegible] *clariori incipiam, Excellentissima pietatis singularisque clementiæ & erga* [illegible] *Religionem omnium Imperatorum studiosissimus Hludowicus, qui ad-* [illegible] *supernâ misericordiâ providente rerum summâ potitur, cum dolore pedum ve-* [illegible]*mentissimo, quâ olim infirmitate vir ille, etsi non continuè, frequenter tamen* [illegible] *laboraret, atque ex Palatio suo, quod in litore fluminis Rheni situm* [illegible] *suprà diximus appellari, evectione navali descenderet, oratum ad Sanc-* [illegible] *Goarem exiit, vix in terram pedes præ dolore nimio ponere valens, &* [illegible]*tentantium magis quàm suis gressibus nitens. Cùmque in Ecclesiam pervenisset,* [illegible] *Memoriam venerandam humillimè se ac devotè deposuit, & in terra stratus* [illegible] *peroravit. Ubi verò surrexit, ad Abbatem, & clarissimum virum Gerun-* [illegible] *olim Palatii Ædilem, nunc Monachum, conversus, Deo, inquit, gratias,* [illegible] *meritis Sancti Goaris levamen mihi datum persentio, neque eo jam, cum* [illegible] *veni, dolore laboro. Sic à Memoria regressus lætus & alacer diem totum* [illegible] *Hæc ipso Abbate, qui coram adfuit, referente cognovi: quanquam nec ego*

[b] Episc. 24.

PRÆCEPTUM EMITTIT PRO ECCLESIA STRASBURGENSI.

* Edit. Sridigisi.

INTERCESSIONE S. GOARIS LIBERATUR A DOLORE PEDUM.

AN. CH. 831.

ipſe multùm abfuerim, qui pridie ejus diei Imperatorem prædicto dolore graviſſimè laborantem in Palatio viderim. Huc uſque Wandalbertus in libro [a] de Miraculis geſtis apud Memoriam ſeu Cellam Sancti Goaris. Gerungus autem, priuſquàm Prumienſis Monachus fieret, Oſtiatiorum Magiſter in Palatio Ludovici fuit. Lege Tomo priore quæ ſcripta ſunt ad annum Redemptoris octingenteſimum viceſimum-ſecundum [b]. Chriſtophorus Browerus alia, quæ ſilentio prætermitti non debent, ad hunc etiam annum in Annalibus [c] Trevirenſibus ita ſcribit de Marcuvardo ſeu Marquardo. *Reperio quoque in pervetuſtis Eccleſiæ Fuldenſis membranis, par inclytum magnitudine rerum geſtarum & famâ doctrinæ Abbatum, Hrabanum Fuldenſem Amalbarii condiſcipulum, & Marquardum Prumienſem, fundos hoc anno mancipiáque convertiſſe permutationibus, probante Ludvico Pio Auguſto; Marquardo ceſſere prædia villæ Sualbach, quæ pago Loganaha annumerata, necnon manſiones, cum centum mancipiis pagi Nitahgauve; Rabanus viciſſim ex Haſſorum pago, loco Alabſtat, ad ceteros fundos abſtulit manſos XLV. Actum publicè in Monaſterio Prumia, anno Incarnationis Domini DCCCXXXI, Indictione IX, regnante Ludvica Sereniſſimo Imperatore, anno Regni ejus XVIII, menſe Maio, primâ die menſis.*

a Capp. 29. 30.

b Num. 100.

c Lib. 8. n. 63.

APPROBAT PERMUTATIONEM INTER ABBATES PRUMIENSEM AC FULDENSEM.

XII. Idem Imperator poſt Conventum Ingelheimienſem, ut ex Aſtronomo ſuprà præmiſimus, filium Lotharium in Italiam direxit. Sub idem tempus Walam, quem prope lacum Lemanum prius ablegarat, ad Herum Inſulam, ubi frater ejus Adelhardus aliàs exularat, transferendum curavit. Hoc autem iniit conſilium, quia prioris exilii locus, quamvis eſſet in ditione Caroli, cui pater Alamanniam, Rhætiam, & Burgundiæ partem, cum Regio titulo contradiderat, non ſatis tutus videbatur, nimium enim vicinus erat Italiæ ſeu Regno Lotharii, cujus rebellionem adversùs patrem Wala ſemper fovetat. Hujus Encomiaſtes mendacia mendaciis accumulaturus rem ſcribit ut omnino contrariam ſic & falſiſſimam, aſſerit enim Proceres, qui remanſerant cum Ludovico, veritos eſſe, ne Wala Lotharium ſanis conſiliis juvaret, quibus iniquitas eorum frangeretur. *Cùm penè,* inquit, *inter nubes iſte elevatus vitam ageret (quantùm mortalibus fas eſt) angelicam, non ſatis tuta viſa eſt Auguſto & ſuis fautoribúſque Juſtina, quæ redierat in conjugium, ejus cuſtodia propter Honorium, qui illis in partibus & ipſe rejectus Rex à conſortio Imperii morabatur. Verebantur enim, ne conſilium ſalutis daret eidem vel Primoribus, per quod iniquitas frangeretur, & ceſſaret cœpta virtutibus ſuperata crudelitas. Propterea, quàm citò deponitur de ſpecu præcelſa, & tranſportatur ad Herum infra Oceanum Inſulam, omnium terrarum ultimam, ſi quo modo cum Beato Johanne ſolummodo quæ divina ſunt cernat, nec valeat humana contingere ſenſu, vel recuperationis ulli porrigere verba.* Et paulò pòſt more ſuo quæcumque Lothario debent vitio verti, quòd ſeditiosè contra Ludovicum Auguſtum patriámque geſta ſint, eximiæ laudi vertit, quaſi pro eodem Ludovico conſervandóque Francorum Regno fuerint ſuſcepta. *Nemo tam inſanus mente, qui peccatum dicat agere ſancto conſilio, pro fide, pro vita Cæſaris, pro filiis & Imperio, pro ſalute populi & ſalvatione patriæ, pro juſtitia & legibus Auguſtorum, pro ſtabilitate & unitate Regni paciſque concordia, pro depulſione vitiorum & abominationum, pro adulterio, quod ultimum eſt, & pro contumelia totius Imperii. Adeò igitur nemo furioſus, nemo inſanus, nemóque tam imperitus, qui felices eos cenſeat vel ſenſatos, qui talia contra conſcientiam, contra ſalutem omnium facta laudant, & hunc vituperant, quaſi non felices fuerint hi omnes, qui pro juſtitia agonizantes tales ſuſtinuerunt injuriarum triumphos, de quarum omnium collegio electus eſt ſuo in tempore iſte, qui pro eximiis beneficiis & innumeris contumeliarum honores perciperet. Hinc etiam novo genere ad Herum magnificentiſſimè honoratus ad exſulandum deducitur, teſte conſcientiâ eorum, qui talia miniſtrabant conſilia, quoniam innocens & optimus non ob aliud ſic vexabatur, niſi ne contrairet bonis conſiliis peſſimos conatus.*

LOTHARIUM IN ITALIAM REMITTIT.

WALAM EX PRIORIS EXILII LOCO IN ALIUM ABLEGAT.

Agebant ergo, quod omnes olim perfidi contra Sanctos exercuere, unde & iste similis pertulit, compassus ut conregnaret. Sequitur Sancti Joannis Baptistæ ejusdemque Walæ comparatio, quam lubenter omittimus, quia nobis hoc adulationis genus plurimùm displicet. AN. CH. 831.

XIII. LUDOVICUS R. BOJOARIÆ PRÆSTARIAM CONFIRMAT PRO BATURICO EP. ET ERCHANFRIDO DIACONO.

Decimo-quinto Kalendas Septembris, anno Imperii Ludoviciani duodevicesimo, Indictione nonâ adhuc currente, Ludovicus Bojoariæ Rex secundùm alteram computandorum annorum formulam, cujus initium ab anno Redemptoris octingentesimo vicesimo-quinto petitur, anno Regni sexto præstariam quandam suo Præcepto sic confirmavit. *In Nomine Domini nostri Jesu Christi Dei Omnipotentis, Hludovicus divinâ largiente gratiâ Rex Bojoariorum. Si petitionibus fidelium nostrorum, quas auribus nostris intimaverint, libenter annuimus, & eas in Dei nomine ad effectum perducimus, & Regium nomen decenter implemus, & illos in nostro servitio promptiores reddimus. Idcircò comperiat industria atque utilitas omnium fidelium nostrorum, præsentium scilicet & futurorum, quia Erchanfridus Diaconus & Capellanus noster, necnon propinquus suus Baturicus obtulerunt obtutibus nostris quandam Chartam præstariam, in qua continebatur, qualiter Baturicus Episcopus præstitisset eis ad usum meritum quasdam res ex ratione Monasterii sui Sancti Emmerani, quas olim idem Erchanfridus ex suo proprio eidem largitatis munere contulerat Monasterio, necnon & alias ex ratione ejusdem Monasterii, eis ad usum meritum diebus vitæ eorum concessisset. Quæ sunt utraque res in villa, quæ dicitur Hroochinga, quæ alio nomine Folinchova vocatur, & in alio loco, quæ dicitur Buochusa, cum mancipiis, casis, domibus, ædificiis, terris, pratis, pascuis, sylvis, aquis, aquarúmque decursibus, cum omnibus, quæ in prædictis locis, tam ex prædicti Erchanfredi donatione, quomodocumque & ex ratione ejusdem Monasterii habere videbatur, necnon & in alio loco, qui dicitur Alinchoba, hobam unam, & in Cailonespach hobam unam. Et deprecatus est Excellentiam nostram, ut super hanc præstariam confirmationis nostræ Præceptum fieri juberemus, per quod diebus vitæ eorum firmiùs & quietiùs absque alicujus contrarietate ipsas res tenere & possidere valerent. Quorum petitionibus libenter annuimus, & hanc auctoritatem confirmationis nostræ eis fieri jussimus, per quam præcipimus & jubemus, ut diebus vitæ eorum ipsas res teneant & possideant. Et nullus quilibet Ecclesiasticâ dignitatis præditus, aut alius quilibet eis de ipsis rebus ullam inquietudinem aut contrarietatem facere præsumat. Sed liceat illis, sicut diximus, diebus vitæ eorum usufructuario ordine tenere & possidere, & post eorum amborum discessum cum integritate in potestatem & dominationem prædicti Monasterii revertantur. Hæc verò auctoritas Præceptionis nostræ ut firmior habeatur, & à fidelibus nostris meliùs conservetur, annuli nostri impressione subter jussimus assignare. Adalleodus Diaconus ad vicem Gauzbaldi recognovi. Data 15 Calend. Septembris, anno, Christo propitio, 18 Imperii domni Hludowici Serenissimi Aug. & anno 6 Regni nostri, Indictione 9. Actum Reginesburgch, in Palatio nostro, in Dei nomine feliciter, Amen.* Baturicus seu Bathuricus Episcopus, cujus mentio fit in illo Diplomate, Ratisbonensis est Episcopus, de quo sæpè jam locuti sumus loqueremurque.

XIV. LUDOVICUS IMP. EMITTIT PRÆCEPTA PRO TURONENSIB. MONASTERIIS S. MARTINI.

Ludovicus Augustus mense Novembri duo dedit Præcepta pro Sancti Martini Monasteriis Turonensibus; unum pro Monasterio San-Martiniani, cui Fredegisus Abbas præerat; alterum pro Majori Monasterio, cujus Abbas Theoto. Primum à Radulpho Monsnyero descriptum sic accepimus. *In Nomine Domini Dei & Salvatoris nostri Jesu Christi. Ludovicus divinâ ordinante providentiâ Imperator Augustus. Si locis Deo dicatis quiddam honoris conferimus, & Deo in eis famulantium pacis & tranquillitatis curam gerimus, ac ad ministerium suum liberiùs exequendum opem ferimus, hoc nobis procul dubio ad statum Regni terreni corroborandum, & ad æternæ vitæ beatitudinem capescendam profuturum esse credimus. Idcircò notum fieri volumus omnibus fidelibus Sanctæ Dei Ecclesiæ & nostris, præsentibus scilicet & futuris, quia ad peti-*

AN. CH. *tionem fratrum in Monasterio Sancti Martini Confessoris Christi atque Pontificis*
831. *Deo fideliter deservientium, dilecta conjux nostra Judith Augusta nobis suggessit,*
LUDOV. *per Privilegium patris nostri Domni Caroli pia recordationis Imperatoris Serenis-*
IMP. 18. *simi, seu cetera Regalia, necnon etiam Apostolica Privilegia, quomodo idem Mo-*
LOTHAR. *nasterium à dominatione Episcopi Turonica urbis liberum nunc usque erat, qua-*
IMP. 15. *literque procul dubio licentiam habuerit eligendi ex seipso Abbatem dignissimum;*
PIPPINI *petiit Culmen Dignitatis nostra, ut propter honorem & amorem Domini nostri*
R. 17. *Jesu Christi, & ob reverentiam Beati Martini Pontificis Patroni nostri peculiaris,*
LUDOV. *eadem nostrâ authoritate Imperiali firmare dignaremur. Nos quoque ejusdem di-*
R. 15. *lecta conjugis nostra Judith salubri suggestione commoti, simul & oratu atque in-*
CAROLI *terventu venerabilium nostrorum ad hoc perficiendum commoniti, hanc nostra au-*
R. 2. *thoritatis confirmationem memorato Monasterio atque fratribus in eodem Deo de-*
servientibus conscripsimus, ac dare decrevimus, per quam constituimus ac peren-
niter firmum fore decernimus, ut in suprafato Monasterio, sive fratribus, prasens
Episcopus Turonica urbis non plùs dominari prasumat, aut licentiam dominandi
habeat, vel aliquid certè novi introducat, aut in vicis vel villis mansionaticus
accipiat, seu quicunque urbis ejusdem successor extiterit, quàm pradecessores suò
tempore ejusdem genitoris nostri Domni Caroli, sive avi nostri gloriosissimi Regis
fecerunt, sed sub ipso eodémque modo charitatis sive dilectionis cum jam memu-
ratis fratribus in Deo vivat absque qualibet novitatis molestia. Similiter sine du-
bio statuimus, atque perpetuò firmissimum esse volumus, ut memorati Monasterii
fratres licentiam habeant de seipsis eligendi Abbatem, qui eis praesse & prodesse pos-
sit in omni morum honestate & Scripturarum eruditione, eâ tantùm conditione
pramissâ, ut quandiu Fredegisus Abba, cujus ex consultu actum est, ut hanc con-
firmationem fieri statuerimus, memoratum Monasterium nullum prajudicium aut
inquietudinem de quibuslibet causis patiatur: post illius verò decessum memorati
fratres habeant facultatem eligendi de ipsis Abbatem, quem optimum & nobilitate
generis & probitate morum & in Scripturis eruditum judicaverint: &, si talis
inibi, quod non optamus, reperiri non poterit, tunc Imperiali potestati id reser-
vandum statuimus. Monemus quoque omnes, qui nobis in Imperio à Deo nobis
commisso successuri sunt, ut sicut illorum statuta à successoribus suis conservari ve-
lint, ita in omnibus hanc nostram Constitutionem perpetuis temporibus conservare
studeant, ad illorum & nostram communem salutem. Et ut hac nostra authorita-
tis Praceptio & Constitutio Privilegii firmior habeatur, & per futura tempora
meliùs conservetur, manu propriâ eam subscripsimus, & annulo nostro subter si-
gillari jussimus. Signum Ludovici Serenissimi Imperatoris. Hirnimnaris Nota-
rius ad vicem Fridugisi recognovit. Data II Non. Novembris, anno Christo pro-
pitio XVIII Imperii Domni Ludovici Piissimi Augusti, Indictione X. Actum
Theodonis villâ Palatio Regio in Dei Nomine feliciter, Amen. In hoc Diplo-
mate super Characteribus Chronologicis nulla difficultas occurrit, quia
pridie Nonas Novembris Indictio decima jam currebat, & annus Ludo-
vici Augusti duodevicesimus à Caroli patris obitu numerabatur. Nulla
quoque difficultas est super loco, ubi datum asseritur, quia Ludovicus
Imperator, ut Astronomus in ejus vita testatur, *autumnali tempore in Theo-*
donis villam convenire generaliter suum populum pracepit. Alterum sic editum
est à Philippo Labbeo in Miscellaneis Curiosis [a]. *Ludovicus &c. Dilecta*
conjux nostra Judith Augusta suggessit nobis, ut quandam villam nostram, no-
mine Cambonem, qua est in pago Blesensi vel Dunensi, Monasterio Sancti Mar-
tini, quod est constructum in pago Turonico super ripam Ligeris, & vocatur Ma-
jor Monasterium, in quo idem ipse praclarissimus Confessor Christi regulariter cum
turma Monachorum Domino militavit, &c. Ubi prasenti tempore Venerabilis Theoto
Abbas Deo servientis Congregationis Pater & Rector esse dignoscitur, &c. Signum
Ludovici Serenissimi Imperatoris. Hirminarius Notarius ad vicem Theotonis re-
cognovi. Data XIII Kalend. Decembr. anno, Christo propitio, XIX Imperii
Domni Ludovici Piissimi Augusti, Indict. X. Actum Caduppavillâ, in Dei No-
mine

[a] Cap. 6. §. 6.

mine feliciter. Amen. In hoc quoque Diplomate super Characteribus Chronologicis nulla difficultas occurrit, quia decimo-tertio Kalendas Decembris Indictio decima jam currebat, & annus Ludovici Augusti decimus-nonus à die, quo consors Imperii dictus à patre fuerat, jam numerabatur. Anno Redemptoris octingentesimo decimo-tertio Ludovicus à Carolo patre dictus est Imperator; quo die, nemo determinatè prodit, certè ante diem Novembris undevicesimum, qui notatur in Kalendario decimus-tertius ante Kalendas Decembris. Sic enim Astronomus in vita Ludovici Pii scribit. *Imperator Carolus tandem Imperiali eum, nempe Ludovicum, Diademate coronavit, & rerum summam penes eum futuram esse Christo favente innotuit, & hoc peracto negotio reditum ad propria concessit. Qui mense Novembri, à patre regrediens, Aquitaniam repetiit.* Erat igitur Theoto Majoretanus Abbas decimo-tertio Kalendas Decembris, hoc anno Redemptoris octingentesimo tricesimo-primo, quamvis in Catalogo Majoretanorum Abbatum hactenus desideretur, imò censeatur Abbas Sam-Martinianus, & in Abbatum Sam-Martinianorum Nomenclatura locum post Fredegisum obtineat. Tomo sexto [a] vulgatum exhibuimus Indicem Abbatum, qui Majus Monasterium Ludovico Imperatore gubernarunt. His medium insere Theotonem, eúmque successorem Anfridi decessorémque Siomiri constitue.

AN. CH. 831. LUDOV. IMP. 18. LOTHAR. IMP. 15. PIPPINI R. 17. LUDOV. R. 15. CAROLI R. 2.

[a] Ad an. 798. n. 35.

XV. Annalista Bertinianus Placitum autumnali tempore habitum hoc anno in Theodonis villa, quoniam Aquisgranense & Ingelheimiense præcesserant, tertium sic appellat. *Tertium verò generale Placitum in Theodonis villa habuit.* Res ibi gestas per ordinem exponemus.

XVI. Primò, *tres Legati Sarracenorum à transmarinis partibus venere (quorum duo Sarraceni, unus fuit Christianus) afferentes grandia munera suæ patria, odorum scilicet diversa genera & pannorum. Qui pace petitâ & acceptâ remissi sunt.* Hæc Astronomus.

AUDIUNTUR VARIÆ LEGATIONES.

XVII. Secundò, *Missi Danorum eadem exorantes venerunt, & fœdere firmato ad propria repedarunt*, ut Annalista Bertinianus affirmat.

XVIII. Tertiò, *multæ Legationes Sclavorum*, ut idem Annalista proximè subjungit, *ad eum*, id est, ad Ludovicum Augustum, *venientes, audita, disposita, & absoluta sunt.*

XIX. Quartò, *affuit etiam Bernardus, qui modo prædicto fugiendo se salvans, diu in finibus Hispaniæ exulaverat. Is ergo Imperatorem adiens, modum se purgandi ab eo quærebat, more Francis solito, scilicet crimen objicienti semet objicere volens, armisque impacta diluere. Sed quum accusator, licèt quæsitus, deesset, cessantibus armis purgatio facta est juramentis.* Ita scribit Astronomus. Breviùs Annalista Bertinianus, sic. *Bernardus Comes adveniens, de quibus accusatus fuerat, Domno Imperatori filiisque suis jurejurando satisfecit*, id est, Ludovico Augusto ejusque filiis Lothario & Ludovico, de quibus audi Theganum [b]. *Imperator in Palatio Theodonis erat cum filiis suis Lothario & Ludowico, & ibi prædictus Dux Bernhardus purificavit se de objecto stupro, postquam nullus inventus est, qui ausus fuisset cum armis jam dictam rem ei imponere.* Peracto placito Lotharius & Ludovicus ad sua Regna redierunt, Imperator autem post festum Sancti Martini reversus est Aquisgranum ibique hyemavit: sic enim addit Annalista Bertinianus. *Filii quoque ejus, qui adfuerant, ad sua remearant. Ipse verò ad hyemandum post Missam Sancti Martini Aquis venit.*

BERNARDUS PURGAT SE JURAMENTO.

[b] Cap. 38.

LOTHARIUS ET LUDOVICUS AD SUA REDEUNT REGNA.

XX. Huic Placito non interfuit Pippinus Rex Aquitaniæ. Qualem tunc erga patrem se gesserit, docent Astronomus & Annalista prælaudati. *Præceperat porrò Imperator*, ait Astronomus, *ut huic Placito filius ejus Pipinus interesset. Sed ille Conventui semet subtraxit, post Placitum autem advenit. Imperator volens & hanc inobedientiam plurimámque in eo castigare morum insolentiam, secum eum morari jussit, & usque Natalem Domini secum Aquis tenuit. Sed ille ultra suum se velle teneri gravatus fugam capessit, & inscio patre*

PIPPINUS SERIUS QUAM VOCATUS EST, AD PATREM VENIT, ATQUE AB EO CLAM SE SUBTRAHIT.

AN. CH. 831. LUDOV. IMP. 18. LOTHAR. IMP. 15. PIPPINI R. 17. LUDOV. R. 15. CAROLI R. 2.

in Aquitaniam concessit. Imperator verò in hybernis, ut cœperat, Aquisgrani permansit. Hoc loco fusior est Annalista, sic. Imperator *Pippinum inibi*, id est, in Theodonis villa, *diutiùs expectans, plures ad eum Legatos direxit, ut veniret. Qui se venturum promisit, & venire distulit. Ipse verò ad hyemandum post Missam Sancti Martini Aquis venit. Ibi Pippinus paucis diebus ante Natalem Domini ad eum venit. Quem Domnus Imperator propter inobedientiam illius, non tam benignè suscepit, quam anteà solitus fuerat. Indignatus Pippinus, quod à patre non fuerat honorificè susceptus, inito consilio, in vigilia Innocentium primâ noctis horâ cum paucis suorum fugâ lapsus est, & sub omni festinatione Aquitaniam petiit. At Dominus Imperator graviter inde commotus est, nunquam æstimans filio talia debere contingere, aut patris præsentiam fugere. Tunc igitur convocatis undique Consiliariis, habitóque cum eis consilio, quid de his agendum esset, statutum est ut futurum generale Placitum in Aurelianis civitate habendum denuntiaretur, illúcque Hlotharium de Italia, Ludoicum verò ad Aquis venire, pariterque cum patre ad condictum Placitum pergere.* Herus Insula, ubi Wala Corbeiæ veteris Abbas exulabat, ad Aquitaniæ Regnum pertinebat. Quapropter Ludovicus Augustus, ubi Pippino Aquitaniæ Regi cœpit diffidere, statim eundem Walam, ne Pippino ut anno præterito apud Werimbriam fecerat, iterum se sociaret, ex Hero Insula in Germaniam abduci jussit. Audi Walæ Panegyristen, apud quem Pippinus tralatitio nomine Melanius appellatur. *Melanius Rex illis erat adfinis in partibus, super quem manus mittere decreverant. Ne consilio juvaretur, provisum est, quia idem multis cæcabatur peccati actibus. Hac quippe occasione, quamvis cum honore, quia venerabatur meritis, & timebatur consiliis, relevatur cum injuria exsilio, & deportatur officiosissimè, quasi incendium odoriferum, per medias Gallias ad Germaniam. Ipse verò semper ubique secum patriam ferebat, quia ubique notus, ubique dilectus, ubique ab omnibus quantò innocentior, tantò cariùs amabatur. Equidem jam perfunctus tentationibus, nullam vim, nullum metuebat imperium, etsi necdum expleverat animos adversariorum, neque placaverat odia improborum, saturaverat tamen tantisper perfidiam & scelus proditorum, quamvis non ad plenum, quia reluctabatur animo quod volebant. Et ideo timore afficiebantur, ne bonis subveniret consiliis, & fraus detecta deperiret. Non enim ei hostes erant expulso, sed ejus virtutibus, quas ubique amittere non valebat Deo protegente auxilio. Quid plura? Reliquit Monachorum alvearium virtutibus mellificatum, & ecce cum gaudio rursus, ubi perducitur ad Germaniam, Monachorum chorus eum suscipit, rursus Episcoporum ducatu ad eumdem locum & Abbatum, quamvis inhonestè quodammodo honestatur.* Quis ille Germaniæ locus fuerit, nec hic Auctor, nec quis alius certò prodit. In textu suprà descripto, reatus Pippini non excusatur, imò detegitur. *Melanius* enim dicitur *multis* cæcatus *peccati actibus*. Suis igitur rebus optimè consuluit Ludovicus Augustus, cùm Walam, quem ex præteritorum tumultuum experientia hostem sibi, amicum Pippino fore præsentiebat, ex Hero Insula in Germaniam abduci jussit.

WALA EX HERO INSULA TRANSPORTATUR IN GERMANIAM.

XXI. Gautbertus, alio nomine Simon, qui post Anscharii Hammaburgensis reditum ex Italia, sub anni prioris finem, ordinatus fuerat Episcopus, in Sueciam hoc anno profectus est. Quo successu, Rembertus in ipsius Anscharii vita sic exponit. *Visum est illis*, Ebboni videlicet Archiepiscopo Remensi & Anschario Archiepiscopo Hammaburgensi, *de eadem Legatione*, id est, de Legatione per Daniam & Succiam, *inter se conferentibus necessarium esse, ut aliquis illis, nempe Anschario, ordinaretur adjutor, qui in partibus Sueonum ministerii Episcopalis officio fungeretur, quoniam in regione tam longè posita præsens adesse deberet Pontifex & ipse solus ad utrumque locum minùs sufficeret. Cum consensu itaque & voluntate prædicti Imperatoris* Ludovici, *venerabilis Ebbo quemdam propinquum suum, Gautbertum nomine, ad hoc opus electum, & Pontificali insignitum honore, ad partes direxit Sueonum; cuique ministeria Ecclesiastica & necessarios sumptus tam ex sua quàm ex datione*

GAUTBERTUS EP. IN SUECIAM MITTITUR.

AN. CH. 831.
LUDOV. IMP. 18.
LOTHAR. IMP. 15.
PIPPINI R. 17.
LUDOV. R. 15.
CAROLI R. 2.

Regis abundè tribuit, cúmque quasi vice suâ, qui idem prædicandi officium priùs auctoritate Apostolicâ suscepisset, Legatum in gentibus Sueonum esse constituit. Cui etiam posteà Clementissimus Augustus, suggerente eodem venerabili Præsule Ebbone, Cellam, quam ipse in loco memorato Welanao construxerat, quasi locum refugii tradidit, ut scilicet ad ipsius ministerium officii perpetuâ stabilitate deserviret. Prædictus itaque Gautbertus, quem ipsi consecrantes honore Apostolici nominis Simonem vocaverunt, ad partes veniens Sueonum, honorificè & à Rege & à populo susceptus est, cœpitque cum benevolentia & unanimitate omnium Ecclesiam inibi fabricare, & publicè Evangelium Dei prædicare, fiebâtque gaudium salutis Christianis ibi degentibus, & de die in diem numerus credentium augebatur. Interim quoque Dominus & Pastor noster Anscharius *in Diœcesi sibi commissa & in partibus Danorum strenuè suum implebat officium, & exemplo bonæ conversationis multos ad fidei gratiam provocabat. Cœpit quoque ex gente Danorum atque Sclavorum nonnullos emere pueros, aliquos etiam ex captivitate redimere, quos ad servitium educaret. Quorum quosdam ad Cellam prædictam Turholt nutriendos posuit.* Utinam Ebbo hisce temporibus suâ quoque Legatione functus esset, nec Palatinis se negotiis, imò tumultibus immiscuisset Franciam, ad ultimas, ut infrà dicemus, angustias penè redacturis. Sub hoc tempus, Anschario sive Ansgario trans Albim revertenti multa præbuit Sanctorum corpora, de quorum translatione sic Adamus [a] in Historia Ecclesiastica. *Eodem tempore Beatus Ansgarius corpora Sanctorum, quæ dono Ebonis Archiepiscopi susceperat, trans Albiam fertur deportasse, & corpus quidem Sancti Materniani apud Heiliganstad reposuit, Xisti verò & Sinnicii cum aliorum Martyrum patrocinijs in urbe Hammaburg collocavit, Beati verò Remigii cimilia cum ingenti honore servavit Brema.* Quatuor hi fuerunt Remenses Metropolitæ, Sancti Sixtus & Sinnicius tertio seculo, Sanctus Maternianus quarto, Sanctus Remigius quinto cùm Remi Francis parere cœperunt.

HONORIFICE SUSCEPTUS A REGE CONDIT ECCLESIAM.
ANSCHARIUS INCUMBIT CONVERSIONI DANORUM.
[a] Lib. 1. c. 19.
MULTA CORPORA SS. TRANSFERT TRANS ALBIM.

XXII.
WILLERICUS EPISC. BREMENSIS MULTAS EXTRUIT ECCLESIAS, TRANSFERTQUE CORPUS S. WILLEHADI.

Quod attinet ad Willericum Bremensem Episcopum, hic, teste eodem Adamo, *Diœcesim suam sollicitè circumeundo, gentiles baptizando, & fideles in Christo confortando, strenuum prædicatoris officium peregit. Ecclesias ubique per Episcopium congruis erexit in locis. Tres verò Bremæ, quarum primam, scilicet domum Sancti Petri, de lignea lapideam fecit, & corpus Sancti Willehadi exinde translatum in Australi, quod fecit, Oratorio recondidit. Quod etiam Scriptor vitæ ejus præterire noluit. Narrántque posteri hoc factum pro timore piratarum qui propter virtutem Miraculorum Confessoris nostri corpus auferre malueruнt.* Alludit hic Auctor ad Sancti Willehadi vitam, in cujus ultimo capite scriptum reperitur, quòd idem Sanctus Willehadus, qui sepultus in Ecclesia quiescebat à se constructa, *in alteram posteà translatus est Basilicam, temporibus successoris ipsius bonæ memoriæ Willerici Episcopi.*

XXIII.
RACLETUS EP. LAUDENSIS MUNIFICUS ERGA MON. S. PETRI.

Racletus in Mediolanensi provincia Laudensis Episcopus Gregorio Papæ & Ludovico Pio synchronus floruit. Ecclesiam Sancti Petri, quæ Clericorum priùs erat, in Monasterium Monachorum rogantibus ipsis Clericis atque Imperatore annuente commutavit, eundémque locum [illegible] ac privilegiis mirum in modum hoc anno locupletavit, ut docet [illegible] [b] in Italia Sacra.

[b] Tom. 4. in Laud Ep. 7.

XXIV.
EPISCOPI SUESSIONENSES.

Rocaldus Episcopus Suessionensis hujus nominis primus, quem anno [illegible] cum Anschario Hamburgensi Archiepiscopo Romam profectum [illegible] hoc anno vitam clausit. Nam qui successit Rotaldus Secundus, [illegible] privilegio pro Monasterio Sancti Remigii Senonensis anno Redemptoris octingentesimo tricesimo-tertio subscripsit, annóque sui Pontificatûs [illegible] cum Hincmaro Archiepiscopo suo litigare cœpit, id autem in [illegible] Annalibus Bertinianis anno Redemptoris octingentesimo sexagesimo-primo [illegible] signatur, ad illum enim annum hæc ibi leguntur. *Hincmarus Durocortori Remorum Archiepiscopus Synodo comprovinciali apud Martyrium Sanctorum [illegible] & Crispiniani, secus civitatem Suessionis Rothardum ipsius urbis Episcopi[illegible]*

AN. CH. 831. LUDOV. IMP. 18. LOTHAR. IMP. 15. PIPPINI R. 17. LUDOV. R. 15. CAROLI R. 2.

pum Regulis Ecclesiasticis obedire nolentem Episcopali privat communione secundum Decreta Canonum, donec obediat. In Episcoporum Suessionensium Nomenclatura, quam Claudius Dormayus [a] ut antiquam laudat, inter utrumque Rotaldum locus Bertario & Ansaloni tribuitur. At horum nomina in Catalogis *melioris notæ* desiderari testantur Sammarthani. Dormayus supponit ab anno Redempturis octingentesimo vicesimo-quinto quo Reliquias Sancti Sebastiani Suessionem translatas ait, ad annum usque Redemptoris octingentesimum tricesimum-tertium quo Privilegium Monasterio Sancti Remigii Senonis concessum est, neutrius Roraldi mentionem fieri, illâque annorum octo intercapedine Pontifices Bertarium & Ansalonem constituit. Omittit autem tria, quæ de Rotaldo Seniore post annum Redemptoris octingentesimum vicesimum-quintum adhuc superstite memorantur. Primò Rotaldus Sancti Sebastiani Reliquias Româ Suessionem allatas anno Redemptoris octingentesimo vicesimo-sexto suscepit. Deinde idem Rotaldus Concilium Parisiense cum aliis Episcopis anno Redemptoris octingentesimo vicesimo-nono celebravit. Denique idem quoque Rotaldus anno Redemptoris octingentesimo tricesimo Romam cum Anschario Hamburgensi Archiepiscopo pertexit. Hæc suis locis sunt probata; nec ullum tempus ficticiis Episcopis Bertario & Ansaloni relinquunt. Prævalent igitur Dormayo Sammarthani, nec in dubium vocari debet, quin Rotaldo primo Rotaldus Secundus proximè successerit.

[a] Lib. 4. c. 14.

XXV. Inter Acta [b] Sanctorum, qui fuerunt Ordinis Benedictini, celebratur Sancti Momboli Latiniacensis quondam Abbatis Translatio. De Sancti Momboli sepultura & Translatione Tomo tertio [c] conglobatim ea retulimus, quæ scripta deprehendimus in Martyrologio Gallicano & in ejus Supplemento. Beati Momboli corpus in Cœnobio Latiniacensi Diœcesis Parisiensis sepultum, atque inde translatum ad Cagniacum agri Noviomensis oppidum hodie ibi quiescere diximus. Lucas Dacherius & Joannes Mabillonius secundum Seculum Benedictinum seriùs ediderunt, & exploso, quem allegavimus, Martyrologo, Beati Momboli corpus observarunt primò tumulatum *in loco à se constructo, qui antiquo vocabulo Gundrinus nuncupatur* in Diœcesi Cameracensi, atque inde translatum in agrum Noviomensem, cùm Cameracenses Infulæ penes Halitgarium, Noviomenses penes Achardum erant, in Augustiniano Canonicorum Regularium Cœnobio, cui nomen Fons Sancti Eligii, prope Calniacum in Noviomensi Diœcesi etiamnum custodiri. Translationis narratio sic exhibetur. *Postea disponente Deo visum est Alithgario Pontifici Cameracensis Ecclesiæ, ad cujus dominium pertinet ipse locus*, nempe Gundrinus, *& Achardo Præsuli Noviomagensi, in cujus Diœcesi requiescit, ut ob virtutes, quas Dominus per merita ipsius ostendebat, inde transferrent sanctissimum corpus, quia sui parvitate ex affluentia populi (ut tanto viro dignum est) erat incongruus, atque in alia innularent Ecclesia, quæ est Principis Apostolorum Petri nomine dedicata. Hi itaque ad Dedicationem istius Basilicæ ad transferendas in illam sacri corporis Reliquias venerunt; ubi verò tumulo sacro removerunt coopertulum, repererunt inspe-ratum Divinæ virtutis Miraculum, corpusculum videlicet Sancti Patris, ut ibi per multa annorum curricula jacuerat incorruptum. Tunc demùm tam inopinatâ stupefacti novitate Miraculi, gratias egerunt summæ Divinitati, quia Sanctitas, quæ in vivente claruerat, in mortuo non latebat. Deportatum itaque beatissimum Confessoris Christi corpusculum in jam memorata Basilica intravit habitaculum.* Annus hujus Translationis ex Halitgarii & Achardi ætate ac Pontificatu colligitur. Uterque floruit Ludovico Pio Imperatore. Anno Redemptoris octingentesimo vicesimo-nono Ragenarius Achardi decessor Concilium Parisiense cum aliis Præsulibus celebravit, & Theodoricus Ragenario successor Episcopatum anno Redemptoris octingentesimo tricesimo-secundo gessit. Ex his observationibus nemo non concludet Achardum Ragenario

[b] Sec. 2. Benedict. pag. 654.

[c] Ad an. 657. n. 20.

TRANSLATIO S. MOMBOLI.

successisse anno Redemptoris octingentesimo tricesimo, & Sancti Momboli Translationem, quæ per eundem Achardum & Halitgarium Episcopos facta est, in annum Redemptoris octingentesimum tricesimum-primum incidisse. Paulò pòst obiit idem Halitgarius Atrebatensis ac Cameracensis Episcopus, eique successit in regimen utriusque Ecclesiæ Theodoricus, de quo plura dicemus anno sequenti, quo reformationem Canonicorum in Monasterio Laubiensi facturus est.

AN. CH. 831.

HALITGARIUS EP. CAMERAC. ET ATREBAT. OBIIT. SUCCEDIT THEODORICUS.

Ludovico Pio Imperatore, incertum quo anno, Frodoaldus, Sammarthanis Fredaldus, Gabalitanus Episcopus palmam Martyrii pridie Nonas Septembris accepit. Ad illum diem sic Andreas Saussayus in Supplemento Martyrologii Gallicani. *Pridie Nonas Septembris, Mimate Gabalorum Natalis Sancti Frodoaldi Episcopi & Martyris, qui sub temporibus Ludovici Pii Imperatoris hanc Ecclesiam magnâ pietatis gloriâ administrans, sive regionis incolarum animos adhuc agrestes & gentilitatis superstitionibus deditos strenuè excolendo, verbi divini copiâ & omnium virtutum exemplo, ad purum veri numinis cultum, & Christianæ fidei obsequium feliciter perduxit. Sanctisque semper occupationibus intentus, dum orationi vacaret, à proprio nepote, proditorio sub osculo salutatus, invasus, ac capite truncatus est. Porrò sacer Præsul decisum caput, propriis manibus resumens, consque mirabiliter gradiendo detulit, ubi à gemente fideli populo honorificè sepultus est non longè ab oppido & castro de Canonica, ubi in Asceteriolo sui nominis Ordinis Sancti Benedicti nunc usque asservatur & colitur. Tradunt Acta ejus passionis parricidam illum nepotem à dæmone illicò arreptum, Dei justo judicio pœnas immanis flagitii, populo stupente, luisse.*

XXVI. FRODOALDUS, EP. GABALITANUS MARTYR.

A Roberto in Gallia Christiana memoratur Odacer sive Odachar Lemovicensis Episcopus, Bernardo Guidonis Odator, Sammarthanis Audacher, qui mansum Ramnaci hoc anno Canonicis Sancti Stephani donavit. Ab iisdem Sammarthanis hoc anno commendatur Albertus Carpentoractensis Episcopus, & in Armorica Sancta Salomon hoc eodem anno Dolensis Episcopus constituitur. Est autem ab anno Christi septingentesimo undequinquagesimo, quo Sanctus Thurianus in cælum migravit, ad hunc usque annum mutilus Episcoporum Dolensium Catalogus.

XXVII. ODACER EP. LEMOVICENSIS. ALBERTUS EP. CARPENTORACTENSIS. SALOMON FIT EP. DOLENSIS.

Salvinus seu Salvius aut Galvius Ausciensis Episcopus obiit hoc anno, nam teste Chenutio sedit annis duobus ac viginti, quorum initium ab anno Redemptoris octingentesimo nono repetimus. Successit in Episcopatum Helisæus.

XXVIII. EPISCOPI AUSCIENSES.

Apud Gewoldum in Additionibus ad Hundium extat Index Abbatum Wessobrunnensium, in quo collocantur hoc anno mors Adelmari & subrogatio Reimundi, quorum ille Monasterio annis duobus ac triginta, hic annis tribus ac quadraginta præfuit.

XXIX. ABBATES WESSOBRUNNENSES.

In Chronico [a] Monasterii Vincentini prope Vulturnum legitur hoc Ludovici Augusti Præceptum. *In Nomine Domini Dei & Salvatoris Jesu Christi. Hludowicus divinâ ordinante providentiâ Imperator Augustus. Omnibus Episcopis, Abbatibus, & Ducibus, Comitibus, Castaldeis, Actionariis, Vicariis, Centenariis, ceterisque fidelibus nostris, præsentibus scilicet & futuris, notum sit quia venerabilis Epiphanius Abbas Monasterii Sancti Vincentii Martyris, quod situm est in territorio Beneventano super fluvium Vulturnum, per legatos suos direxit ad nos quandam confirmationem, quam Lupus quondam Dux Monasterio memorati Sancti Vincentii Martyris, de quibusdam casis in Amiterno & Savino fecerat, necnon & quatuor Judicata de quibusdam servis & ancillis ex villa Trita, quæ se subtrahere à debito servitio, quasi per Præcepta Ducum nitebantur. Quæ in præsentia Supponi Comitis, ac Benedicti, Hilpiani, & Ansfridi, Castaldorum, ceterorumque Scabinorum de prædictorum hominum statu acta fuerant, & petiit ut firmitatis gratiâ nostræ confirmationis auctoritatem super ea fieri juberemus. Cujus petitionem exaudientes, super nominatam confirmationem ac Judicata hoc nostræ confirmationis Præceptum fieri decrevimus, per quod decernimus atque jubemus,*

XXX. [a] l. 2. LUDOVICI AUG. PRÆCEPTUM PRO MON. VINCENTINO PROPE VULTURNUM.

AN. CH. 831. LUDOV. IMP. 18. LOTHAR. IMP. 15. PIPPINI R. 17. LUDOV. R. 15. CAROLI R. 2.

ut nullus vestrum aut successorum vestrorum de memoratis locis, in quibus secundùm memoratorum Legatorum assertionem casa viginti-quatuor cum totidem hominibus in eis consistentibus sita esse noscuntur, quorum nomina hæc sunt, Joannes, Theopo, item Joannes, Certulus, Petrus, Theodobertus, Hiso, Maio, Acepertus, Hisimundus, Roppolus, Marinus, Georgius, Halo, Audactus, Audebertus, Audoaldus, Hildulfus Paulerissi, Robertus filius Marta, cum Barbano, Sico, Alaysio, Senepergas, atque Gemula. Hæc de statu prædictorum hominum, qui, sicut dictum est, de memorata Trita villa se à debito servitio quasi per Præcepta Ducum subtrahere nitebantur, ad pristinum servitium revocati sunt, ullam inquietudinem aut contrarietatem injustè facere præsumat. Sed liceat Agentibus & Ministris ejusdem Monasterii memoratas casas cum hominibus in eis consistentibus, ac servos, qui ad memoratam Tritam villam per auctoritatem genitoris nostri Domni Caroli Præstantissimi Imperatoris ad debitum servitium revocati sunt, quietè possidere, & juxta opportunitatem & utilitatem ejusdem Monasterii absque cujuslibet contrarietatis impedimento quidquid de eisdem vel in eisdem rebus & hominibus justè facere vel ordinare decreverint, libero in omnibus perfrui arbitrio faciendi. Et ut hæc nostra confirmationis auctoritas ab omnibus verius certiùsque credatur, ac diligentiùs conservetur, manu propriâ subter eam signavimus, & annuli nostri impressione signari jussimus. Signum Hludovici Serenissimi Imperatoris. Data Kal. Aprilis, anno, Christo propitio, XVIII Imperii Domni Hludovici Piissimi Augusti, Indictione . . . . . Actum in Palatio Regio, in Dei Nomine. Amen. Annus Imperii Ludoviciani decimus-octavus per mensem Aprilem cum anno Redemptoris octingentesimo tricesimo-primo convenit. Auctor Chronici non reticuit Indictionem, sed in Codice, quem Franciscus Duchesnius consuluit, numerus legi non potest, reponenda quæ tunc currebat Indictio nona. Locus, ubi datum est Diploma, prætermissus à librario videtur, Aquisgranum restitue, nam Ludovicus Imperator *Quadragesimale tempus, Paschaque solemnitatem* postridie Kalendas Aprilis *in eo loco celebravit*, ut Astronomus in ejus vita testatur.

XXXI. Epiphanii Abbatis Vincentini, cujus nomen in hoc habetur Diplomate, decessor fuit Josue, quem Tomo sexto ad annum Christi septingentesimum nonagesimum-secundum & Tomo septimo ad annum Redemptoris octingentesimum decimum-sextum memoravimus. Annos utriusque sic partitur Chronographus Vincentinus [a]. *Venerandus Pater Josue, postquàm annis viginti-quatuor, mensibus sex, & diebus sexdecim, Sanctæ Congregationis rexerat gregem, sumptus in gloria migravit à seculo, IV Non. Maii mens. anno Dominicæ Incarnationis octingentesimo decimo-octavo, Indictione XIII. Epiphanius Abbas S. Vincentii præfuit annos XVII, mens. XI, dies VIII.* Sed hic Auctor, ut Duchesnius ad oram libri tertii notat, *in annorum computis sæpiùs erravit.*

ABBATES VINCENTINI.

[a] Lib. 2.

XXXII. Annus octingentesimus decimus-octavus Incarnationis Dominicæ per mensem Maium cum Indictione undecima non autem cum decima-tertia comparatur. Ergo si computo, qui sumitur ab Incarnatione Dominica, præferenda censetur Indictio, ut usus illorum temporum & observatio Duchesnii suadent, Josue moritur quarto Nonas Maias, Indictione decimâ-tertiâ, sive anno Dominicæ Incarnationis octingentesimo vicesimo, postquàm Monasterium, præter minutias mensium ac dierum, rexit annis septem ac viginti completis. Hanc opinionem alteri præponendam docet Diploma, quod Josue cùm apud Aquisgranum esset, à Ludovico Augusto accepit datum tertio Idus Januarias, anno ejusdem Imperatoris Ludovici sexto, Indictione duodecimâ, id est, anno Redemptoris octingentesimo decimo-nono. Legitur integrum hoc Præceptum in Chronico Vincentino. Fragmenta tantùm recitavimus. Initium tale est. *In Nomine Domini Dei & Salvatoris nostri Jesu Christi, Hludovicus divinâ ordinante Clementiâ Imperator Augustus. Cùm petitionibus Sacerdotum & servorum Dei, quas nostris au-*

ribus insinuaverint, libenter annuimus, non solùm Regiam consuetudinem exercemus, sed etiam hoc nobis tam ad præsentis vitæ prosperitatem quàm ad futuræ beatitudinem adipiscendam non minimum afferre emolumentum confidimus. Idcircò notum sit omnibus fidelibus Sanctæ Dei Ecclesiæ & nostris, præsentibus scilicet & futuris, quia vir venerabilis Josue Abbas Monasterii Beati Martyris Vincentii, quod situm est in territorio Beneventano super fluvium Vulturnum, nostram adiens Serenitatem obtulit obtutibus Præcepta Longobardorum Principum & Ducum, videlicet Gisulfi & Sicardi, necnon & Præceptum piæ recordationis Domini & genitoris nostri Caroli Piissimi Augusti. In quibus illi tam antecessorum suorum Regum quàm & Ducum, vel aliorum quorumlibet Deo devotorum hominum concessiones, & offertiones, vel legales scriptiones, quas illi pro amore vitæ futuræ & remedio animarum suarum atque remissione peccatorum, in partibus præfati Monasterii de suis rebus spontaneâ voluntate contulerunt. Suggerens ac petens, ut eadem Præcepta, & offertiones legales, nostræ confirmationis Præcepto confirmaremus. Cujus petitioni ob amorem & honorem Domini nostri Jesu Christi, & propter reverentiam ejusdem Martyris Christi Sancti Vincentii, cujus honori atque nomini prædictum Monasterium dicatum esse cognoscitur, assensum præbentes, juxta quod rogaverat, præfata Præcepta, & omnes offertiones vel legales scriptiones concedimus & confirmamus ac penitus corroboramus, &c. In fine apponuntur hi Characteres Chronologici. *Data III Idus Januarias, anno, Christo propitio, VI Imperii Domni Hludovici Piissimi Augusti, Indictione duodecimâ. Actum Aquisgrani Palatio Regio in Dei Nomine feliciter.*

AN. CH. 831. LUDOV. IMP. 18. LOTHAR. IMP. 15. PIPPINI R. 17. LUDOV. R. 15. CAROLI R. 2.

Hæc igitur de Josue certa sunt & indubitata. Munus Abbatiale suscepit anno Christi septingentesimo nonagesimo-secundo, à Ludovico Augusto Præceptum obtinuit anno Redemptoris octingentesimo decimo-sexto, Conventui Aquisgranensi interfuit anno Redemptoris octingentesimo decimo-septimo, à Ludovico Augusto alterum accepit Præceptum anno Redemptoris octingentesimo decimo-nono, vitámque clausit anno Redemptoris octingentesimo vicesimo. Cetera, quæ scribuntur in Chronico Vincentino, nullius aut dubiæ sunt fidei. Alibi enim non legimus Liguriam, Æmiliam & Apuliam, à Ludovico Augusto peragratas esse, vel Paschalem Papam in Italia cum eo collocutum fuisse. XXXIII.

Quod ad Epiphanium Abbatem attinet, hic Monasterii Vincentini curam gerere cœpit anno Redemptoris octingentesimo vicesimo, gessitque annis septemdecim, mensibus undecim, diebus octo. Hic calculus non refragatur Diplomati suprà descripto, cujus author Ludovicus patrem suum Carolum Imperatorem vocat, & Epiphanium Abbatem agnoscit anno Imperii sui decimo-octavo, id est, anno Redemptoris octingentesimo tricesimo-primo, qui numeratur Epiphanii Abbatis undecimus. XXXIV.

Meinradum Augiensem Monachum ac Presbyterum, cujus mentionem anno priori fecimus, hoc anno præfectum Scholæ putamus in Cella prope Tigurinum * lacum Augiensi Monasterio subjecta. Sic enim Auctor vitæ: *...dum polleret virtutibus, à præfato Abbate* Erlebaldo *destinatus est ad Cellulam quamdam ad jam dictum Monasterium* Augiense *pertinentem, sitam juxta lacum Turicinum, quem interfluit Lindemacus fluvius, ut ibidem Scholæ præesset, talentum, quo ipse ditatus erat, ad lucra Dominica in plurimos dispergeret.* Cellam illam Hartmannus Bollingam vocat in dextro Tigurini lacûs margine supra vicum Jonam. Anonymus, qui vitam Sancti Meinradi Germanicè scripsit, hanc opinionem variis stabilit conjecturis, quòd Bollinga, incolis *Oberbollingen*, è regione Chamæ vici & solitudinis sita sit; quòd propè fluat Lindemacus seu Limagus * amnis, quòd nusquam alibi ad dextram illius lacûs oram vestigia Monasterii cernantur; quòd denique ea ibidem à majoribus vigeat accepta traditio. Lege Bollandum [a] in Observationibus ad vitam [b] Sancti Meinradi. XXXV.

* de Zurich.

MEINRADUS MONACHUS AUGIENSIS PRÆFICITUR SCHOLÆ IN CELLA BOLLINGA.

* Limmat.

a D. 21. Jan.
b Cap. 1.

AN. CH. 831.

Centulensis Mon. possessiones ac Vassalli describuntur.

XXXVI. Hariulfus librum tertium Chronici Centulensis orditur ab Herieo Abbate, cujus res gestas tribus complectitur capitibus, horúmque postremo descriptionem habet de Thesauro & rebus seu Vassallis Cœnobii Centulensis factam hoc anno. *Hludoguicus Imperator promulgatâ Praceptione super possessionibus Monasterii vocavit ad se Monachos, rogans ut omnia quacumque haberi poterant, tam in thesauro Ecclesia, quàm in bonis forensibus, scriberentur sibique monstrarentur. Anno igitur Incarnationis Domini* DCCCXXXI, *Indictione* IX, *facta est descriptio de Abbatia Sancti Richarii rogante Serenissimo Augusto, anno Imperii sui* XVIII. *In primis de Ecclesiasticis rebus, & sic de prædiis & possessionibus, sive & de Vassallis, qui ex eadem Abbatia beneficia retinebant.* Ipsam descriptionem consule, longior enim est quàm ut hic describenda videatur.

Albericus Ep. Lingonensis emit servos.

XXXVII. Hoc eodem anno, *sive anno 18 Imperii Hludovici*, ut Chronographus Besuensis testatur, *emit Domnus Albericus Lingonensis Episcopus servos, Arlebardum atque Hayconem cum ancilla nomine Humeldi, & filiabus suis Adalberga & Eldeardi, de quodam, Nerduno nomine, qui accepit in pretium solidos 55.*

Paschasius Monachus Corbeiensis edit librum de Sacramento Corporis et Sanguinis Christi.

XXXVIII. Hisce temporibus, exulante Walâ Corbeïæ ad Somonam Abbate, cùm dissensiones Ludovicum Augustum inter ejusque filios ciebantur, & Francia *discordiarum anfractibus* penè labebatur *effusâ super Magnates contentione Imperii*, Paschasius Ratbertus ejusdem loci Monachus librum edidit de Sacramento Corporis & Sanguinis Christi. Plerique illud opus exaratum putant anno Redemptoris octingentesimo decimo-octavo. Cur ab hac opinione recedendum censeamus, rationem Tomo superiore jam reddidimus cùm ad illum annum [a] tum ad octingentesimum vicesimum-sextum [b]; si lubet, utrumque consule.

[a] Num. 1.
[b] Num. 3.

XXXIX. Paschasius ob illam lucubrationem illustri prorsus encomio sic à Saussaio [c] commendatur. *De Sacramento Altaris adorando librum edidit insignem, in quo clarè ac dilucidè Corporis & Sanguinis Domini in Eucharistiæ Mysterio veritatem demonstravit, & tanti Sacramenti Majestatem & Dignitatem etiam adversùs futuras hæreses tutatus est. Quamobrem & tanquam Propheticus Scriptor habitus est à posteris, quòd ducentis ferè annis hæresim Berengarianam antequàm nasceretur extinxerit.*

[c] D. 2. Jan.

XL. Totus liber in duo ac viginti capita distinguitur, quorum hi sunt Tituli. I. *Christi communionem verum Corpus ejus & sanguinem esse non dubitandum.* II. *Quòd hoc Mysterium Christi nullus fidelium debeat ignorare.* III. *Quid sint Sacramenta, vel quare dicantur.* IV. *Utrùm sub figura, an in veritate hoc mysticum Calicis fiat Sacramentum.* V. *Quid intersit inter immolationes veterum figurásque legalium, & inter Sacramentum Dominici Corporis & sanguinis.* VI. *Quid sit dignè ad vitam percipere Corpus & Sanguinem Christi.* VII. *Quibus modis dicitur Corpus Christi.* VIII. *Quòd in hac communione, aut judicium percipiatur aut præmium.* IX. *Quid necesse fuerit, quod semel gestum est, Christum quotidie immolari, & quid boni tribuant hæc Mysteria dignè accipientibus.* X. *Cur in pane & vino hoc Mysterium celebratur.* XI. *Cur in Calice aqua misceatur.* XII. *Utrùm plùs aliquid habeat hoc Mysterium quoties à bono, an minùs quippiam quàm veritas repromittit, si à malo conficiatur Ministro.* XIII. *Ut quid hæc colorem & saporem in Sacramento minimè permutant.* XIV. *Quòd hæc sæpè visibili specie apparuerint.* XV. *Quibus verbis hoc Mysterium conficiatur.* XVI. *Utrùm hoc Corpus post consecrationem panis jure queat vocari.* XVII. *Utrùm plùs ex eo habeat qui majus an qui minus acceperit.* XVIII. *Cur hoc Mysterium ante Passionem discipulis traditur.* XIX. *Cur in Sanguine Christi fragmen Corporis admisceatur.* XX. *Quare generaliter nunc à jejunis Mysterium sacra communionis celebratur, aut Dominus post cœnam Apostolis hoc tradiderit.* XXI. *Quid sit quod Dominus ait, non bibam à modò de hoc genimine vitis, donec illud bibam novum in Regno Patris mei.* XXII. *An aliqua differentia sit in hoc Mysterio, justo & pænitenti reconciliato.* Tria capita, tertium, quar-

tum

AN. CH. 831. LUDOV. IMP. 18. LOTHAR. IMP. 15. PIPPINI R. 17. LUDOV. R. 15. CAROLI R. 2.

tum & decimum-quintum, Jacobus Sirmondus notatiunculis illustravit, quas hoc loco prætermittere non debemus, ne quid Paschasius vel pravè, vel contra receptum Ecclesiæ usum scripsisse censeatur.

Capite tertio Paschasius sic habet. *Sunt autem Sacramenta Christi in Ecclesia, Baptismus, & Chrisma, Corpus quoque Domini & Sanguis.* Ad hunc textum ita Sirmondus. *Ex septem Sacramentis Ecclesiæ tria tantùm enumerat hoc loco Paschasius, exempli duntaxat causâ. Neque enim ex professo hîc agit de numero Sacramentorum, sed ad institutum satis ei erat aliqua Sacramenta commemorasse. Vide Bellarminum lib. 2. cap. 27.* de Sacramentis in genere. Philippus Labbeus in addendis de Paschasio Ratberto ad alteram partem Dissertationis de Scriptoribus Ecclesiasticis, præcitatum ejusdem Paschasii textum in editione Haganoensi, quam Jobus Gastius homo Lutheranus apud Joannem Secerium anno Christi millesimo quingentesimo duodetri- XLI.
cesimo procuravit, depravatum fuisse sic observat. *Sunt autem Sacramenta Christi, inquit Paschasius, in Ecclesia Baptismus, & Chrisma, Corpus quoque Domini & Sanguis. Hîc Gastius perfidè omisit [& Chrisma] adjecítque de suo post vocem, Ecclesia, [Catholica] quasi vera & Catholica Ecclesia tantùm duo habeat & agnoscat Sacramenta; insupérque in margine, ut perfidiam hanc augeret, annotavit, [duo tantùm sunt Sacramenta] cùm tamen Paschasius tria ponat, neque vocem hanc [tantùm] habeat, ut ad ternarium numerum Sacramenta Ecclesiæ restringat.*

Capite quarto Paschasius sic habet. *Quia Christum vorari fas dentibus non est, voluit in hoc Mysterio hunc panem & vinum verè carnem suam & sanguinem consecratione Spiritûs Sancti potentialiter creari; creando verò quotidie pro mundi vita mysticè immolari, ut sicut de Virgine per Spiritum vera caro sine coitu creatur, ita per eundem ex substantia panis ac vini mysticè idem Christi Corpus & Sanguis consecretur.* Ad hunc textum sic Sirmondus. *Solet Paschasius interdum ita loqui, ut creari Corpus & Sanguinem Domini sumat pro incipere esse in Sacramento, & ita transubstantiari panem & vinum. Alioqui scimus à Theologia, ut differant transubstantiatio & creatio, tametsi in aliquo conveniant. Vide S. Thomam 3. p. q. 75. art. 8.* XLII.

Capite decimo-quinto Paschasius sic habet. *Propheta suspirans, quia necdum venerat Christus, aiebat in Lamentationibus suis. [Parvuli petierunt panem, nec erat qui frangeret eis.] Et ideo hic solus est qui frangit hunc panem, & per manus Ministrorum distribuit credentibus, dicens. Accipite & bibite ex hoc omnes, tam Ministri quàm & reliqui credentes.* Ad hunc textum ita Sirmondus. *Abutuntur hoc loco Novatores, ut communionem Calicis omni populo promiscuè concedant; sed clarâ nimiùm conjecturâ, Joannes à Lovanio, Bellarminus, & alii existimarunt locum esse depravatum, & pro bibite, legendum edite vel manducate, nam proximè præmiserat Paschasius. Et ideo hic solus est qui frangit hunc panem, & per manus Ministrorum distribuit credentibus dicens. Accipite & bibite ex hoc omnes, tam Ministri quàm & reliqui credentes. De pane non de Sanguine loquutus, comedite, non bibite dixisse jure existimandus est. Et, si locus sit integer, vult Paschasius bibendum Sanguinem Domini cunctis fidelibus, non sub specie vini, sed sub specie panis, sub qua cum sumitur Christi Corpus, non sumitur exangue, sed cum Sancto Sanguine, qui ibi adest, non ex vi Sacramenti, sed ex vi natura Corporis viventis, &, ut aiunt Theologi, per concomitantiam. Vide Bellarminum lib. 4. de Eucharistia, cap. 26. ad 16.* XLIII.

Paschasius *Catholicos Ecclesiæ Doctores, ex quibus pauca de pluribus quasi lac teneritudinis* ad Placidum Monachum eliquaverit, enumerat in Operis sui Prologo, *Cyprianum scilicet, Ambrosium, Hilarium, Augustinum, Joannem, Hieronymum, Gregorium, Isidorum, Isichium, & Bedam.* Horum Ducum vestigia secutus aberrare non potuit. Capite primo, *Christi Communionem verum Corpus ejus & Sanguinem esse* disertis verbis sic asseruit. *Omnia quæcumque voluit Dominus fecit, in cælo & in terra. Et quia voluit, licèt in figura panis & vini, hæc sic esse, omnino nihil aliud quàm caro Christi & sanguis post* XLIV.

AN. CH. 831. LUDOV. IMP. 18. LOTHAR. IMP. 15. PIPPINI R. 17. LUDOV. R. 15. CAROLI R. 2.

consecrationem credenda sunt. Unde ipsa Veritas ad Discipulos, hec, inquit, caro mea est pro mundi vita. Et, ut mirabilius loquar, non alia planè, quàm qua nata est de Maria, & passa in carne, & resurrexit de sepulchro. Hac, inquam, ipsa est, & ideo Christi caro est, qua pro mundi vita adhuc hodie offertur, & cùm dignè percipitur, vita utique in nobis aeterna reparatur. Aliis supersedemus testimoniis, quibus hic Auctor eandem veritatem sæpiùs inculcat. Temperare verò non possumus, quin editionem Haganoensem aliquot observationibus refellamus, quas Philippus Labeus simul congessit loco jam citato.

XLV. Primò, qui procuravit illam publicari, *sic ritus Ecclesia Romana exosos habuit, ut ubicumque in Paschasio vel Sacerdotis, vel Altaris, vel Immolationis, vel Consecrationis, vel Pœnitentiæ nomen invenit, id aut omiserit, aut eo expuncto aliud subrogaverit, nimirum loco Sacerdotis ubique ministrum Ecclesia aut ministrum verbi Christi posuerit, quod non est Paschasianum; loco Altaris, mensam Domini; loco Immolationis, intercessionem; loco Consecrationis, benedictionem; loco Pœnitentia, agnitionem peccati. Fidei vocabulum, & credentis, & credulitatis, ubique de suo ad nauseam usque pro more nova ipsorum Ecclesia inculcat & ingerit.*

XLVI. Secundò, textum capitis tertii jam descriptum, in quo Paschasius ex septem Sacramentis Ecclesiæ tria tantùm commemorat exempli duntaxat causâ Gastius adeò corrupit, ut posita in margine notaciuncula non dubitarit asserere, quòd Ecclesia Catholica duo tantùm agnoscat Sacramenta. Ea de re disputatum suprà [a].

[a] Num. 41.

XLVII. Tertiò, textum capitis quarti, in quo Paschasius ita scripsit, *Sacramentum, quod per Sacerdotem super Altare in verbo Christi per Spiritum Sanctum divinitus consecratur*, sic corrupit. *Sacramentum, quod à credente in verbo Christi divinitus per Spiritum Sanctum reverà esitatur.*

XLVIII. Quartò, Gastius ferre non potuit hunc Paschasii textum, qui legitur capite nono, *quotidie pro nobis Christus mysticè immolatur*, ideóque reposuit istum sensu longè diverso, *quotidie Christi intercessione opus est.*

XLIX. Sunt & alia, de quibus adversùs Gastium jure queritur Labbeus, hæc sufficiant ut intelligas quàm cautè legendi sint Auctorum etiam Orthodoxorum libri, quos typis edendos curarunt heterodoxi.

L. HERSFELDENSIS ECCLESIÆ FUNDAMENTA JACIUNTUR.

Hoc quoque anno referri debet, quod de fundamentis Ecclesiæ Hersfeldensis seu Sancti Wigberti scriptum est à Lamberto Monacho, nec omissum est à Joanne Mabillonio in notis ad caput vicesimum-quintum vitæ ejusdem Sancti Wigberti, Tomo primo Seculi tertii Benedictini. *Anno* DCCCXXXI *Brun & Raban Abbates fundamentum Ecclesia Sancti Wigberti foderunt* VI *Idus Julii, feriâ secundâ.* Currebat tum litera Dominicalis A. Brunus erat Abbas Hersfeldæ, Fuldæ Rabanus.

LI. ANSEGISUS ABB. FONTANELLENSIS ÆGROTAT.

Ansegisus Fontanellensis Abbas *quodam tempore*, ut Chronographus illius loci testatur [b], *in passionem incidit illam, quam Medici Paralysim vocant, móxque vocatis domesticis ac fidelibus seu intimis suis, hanc rerum suarum distributionem gratuito animo facere curavit. Qua elargitio seu distributio ipsius jussu ac supplicatione edita est à Venerabili Viro Hildemanno Bellovacensis urbis Episcopo, adjuncto Berteningo & Gerlone laicis, simúlque Landone Monacho.* Si vulgatis [c] editionibus fides est, Ansegisus incidit in Paralysim *anno regiminis sui decimo-octavo.* Sed hæc assertio stare non potest, quia teste eodem Chronographo *rexit hoc Cœnobium idem gloriosus vir per annos decem, menses quinque, dies* XVIII. Anni decimi-octavi loco legendus videtur octavus, quocum annus Redemptoris octingentesimus tricesimus-primus coincidit, Ansegisus enim, ut Tomo superiore [d] dictum est, anno Redemptoris octingentesimo vicesimo-tertio, Ludovici Augusti decimo, mense Aprili, Indictione primâ, Fontanellense Monasterium administrare cœpit. Hæc ad Chronologiam. Sequitur textus distributionis. *In hoc Fon-*

[b] Cap. 16.

[c] Tom. 3. Spicil. Dacher. Tom 1 Sec. 4. Benedict.

[d] Ad an. 823. n. 58.

AN. CH. 831.

MUNIFICUS ERGA ECCLESIAS ET MONASTERIA.

*tinellenſi Cœnobio largitus eſt fratribus libras nonaginta, nam omnibus annis
triginta in cenſu dare conſueverat, famulis laicis libras decem, ſenibus in illo
Xenodochio & ceteris manſionibus pauperum ſolidos decem, univerſa familiæ hu-
jus Cœnobii libras quadraginta.* Sic habent editiones vulgatæ. Sed in largi-
tione pro ſenibus in Xenodochio & ceteris manſionibus pauperum, *ſoli-
dos decem* ne legas, at *libras decem*, ut adhibitâ hac emendatione, ſumma
librarum *nonaginta* colligatur ex quatuor partitionibus, quarum prima ſit
librarum *triginta*, ſecunda librarum *decem*, tertia librarum quoque *decem*,
quarta librarum *quadraginta*. Pergit Chronographus. *Ceterorum Monaſterio-
rum nomina, ad quæ eadem largitio eleemoſyna pervenerit, ſigillatim exprimam.*
Eandem locorum enumerationem faciemus, illuſtrabimúſque brevibus no-
tis, imitati Joannem Mabillonium, qui Tomo primo Seculi quarti Bene-
dictini ſic agendum duxit, ne quid ad exornandam Sancti Anſegiſi vitam
deeſſe videretur.

I. *Ad Gemmeticum Cœnobium libras v direxit.* Huic Cœnobio ad Sequa- LII.
nam in Diœceſi Rotomagenſi præerat Fulco Preſbyter & Archicapella-
nus Palatii.

II. *Ad Logium libram unam.* Erat Loglum ad Sequanam in Diœceſi LIII.
Rotomagenſi Monaſterium puellare, de quo locuti ſumus Tomo quarto [a].

III. *Ad Fiſcamnum libram unam.* Erat etiam in Diœceſi Roromagenſi LIV.
hoc puellare Monaſterium, de cujus initiis conſule Tomum tertium [b].

IV. *Ad Villare libram unam.* Erat & hoc puellare Monaſterium in Diœ-
ceſi Roromagenſi. Lege Tomum quartum [c]. LV.

V. *Ad Longogilum libram unam.* Hoc de Monaſterio nihil occurrit.

VI. *Ad Sanctum Walericum libram unam.* Hoc Monaſterium ad oſtium LVI.
Somonæ in Ambianenſi Diœceſi Leuconaenſe à loco dictum eſt, deinde LVII.
à conditore nomen accepit Sancti Walerici. Lege Tomum ſecundum [d].

VII. *Ad Beatum Richarium libras duas & ſemis.* Centulam ſeu Monaſ- LVIII.
terium Sancti Richarii in pago Pontivo & Diœceſi Ambianenſi regebat
Hericus Abbas, cujus meminimus anno priore.

VIII. *Ad Sanctum Audomarum libras duas & ſemis.* Monaſterio Siti- LIX.
venſi ſeu Sancti Audomari in Epiſcopatu Taruannenſi præerat Fridugiſus
ſeu Fredegiſus vel Fridogiſus Abbas, cujus obitum anno Redemptoris oc-
tingenteſimo triceſimo-quarto conſignabimus.

IX. *Ad Sanctum Audoenum in Rotomago libras quinque. Ad Sanctam Ma-* LX.
*riam in domo ejuſdem Eccleſiæ libras duas. Ad Sanctum Martinum in eadem urbe
& ceteris Cellis ſolidos viginti-quinque. Ragnoardo ejuſdem urbis Archiepiſcopo
libras decem, videlicet ut quinque Presbyteris, & alias quinque pauperibus eroga-
ret.* Obſervat Mabillonius Sancti Audoeni Monaſterium etiamnum vigere
Rotomagi, ubi Eccleſia Cathedralis Beatæ Mariæ ſacra eſt, duæque ſunt
Eccleſiæ parœciales Sancti Martini. De Rotomagenſi Monaſterio Sancto-
rum Petri & Pauli, ſeu Sanctorum Apoſtolorum, vel Sancti Petri, quod
poſteà nomen accepit Sancti Audoeni, lege Tomum primum [e]. De
Ragnoardo Archiepiſcopo Rotomagenſi ſermonem jam fecimus facie-
múſque.

X. *Ad Penthale Monaſterium ſolidos quindecim.* Mabillonius hoc Monaſ- LXI.
terium collocat ad Lirizinum * amnem, qui Sequanæ miſcetur, nec aliud
innuit quàm Pentallium in Diœceſi Rotomagenſi, de quo nos Tomo ter-
tio [f].

XI. *Ad Penante ſolidos quindecim.* Apud Mabillonium hoc Monaſte- LXII.
rium idem eſt ac Penetale in Diœceſi Dolenſi, de quo conſule Tomum
primum [g].

XII. *Ad Pratellos ſimiliter*, id eſt, ſolidos quindecim. Pratellenſe * LXIII.
Monaſterium ad Riſellam fluvium uno milliari à Ponte Audomari in Diœ-
ceſi Lexovienſi Auctores Galliæ Chriſtianæ & Neuſtriæ Piæ ab Hunfrido

[a] Ad an. 713. n. 14.
[b] Ad an. 661. n. 13.
[c] Ad an. 683. n. 3.
[d] Ad an. 614. n. 3.
[e] Ad an. 533. n. 45.
* *la Lizaine.*
[f] Ad an. 648. n. 37.
[g] Ad ann. 529. n. 8.
* *Preaux.*

AN. CH. 831. LUDOV. IMP. 18. LOTHAR. IMP. 15. PIPPINI R. 17. LUDOV. R. 15. CAROLI R. 2.

prænobili viro constructum primò volunt undecimo seculo. Sed ab eo tunc instauratum arbitrare, cùm anteà florentissimum fuerit ætate Ansegisi Fontanellensis Abbatis, cujus Donationem hic examinamus. In libro de Sancti Wlfrani Miraculis, *Humfredus* sive Hunfridus *Cœnobium in proprio fundo, qui Pratellis nuncupatur*, ædificasse dicitur, *quem & antiquitatis auctoritas & situs loci tali negotio opportunus commendabat.* Hæ verò voces, *antiquitatis auctoritas*, satis innuunt Monasterium antiquitus ibi fuisse. Solo æquatum videtur à Nortmannis in Neustriam irrumpentibus. Abbatum series à primo conditu ad eversionem usque desideratur, ideòque nobis hactenus quidquam illo de loco non licuit scribere.

LXIV. XIII. *Ad Ebroicas civitatem libram unam. Ad illam Crucem Sancti Audoeni libras duas.* Ebroicæ ad Itonem fluvium, qui paulò inferiùs in sinistram Auduræ ripam egeritur, civitas est sub Rotomago Metropoli; & in Diœcesi Ebroicensi ad Auduram altero ab Ebroicis milliari conspicitur Crux Sancti Leufredi, olim Crux Sancti Audoeni, vetus Monasterium, de quo consule Tomum quartum [a].

[a] Ad an. 690. n. 12.

LXV. XIV. *Ad Lixovium urbem libram unam. Ad Fontanas Cœnobium solidos duodecim.* Lixovium seu Lexovium ad Tolcam * fluvium civitas est sub Rotomago Metropoli. Largitio Ansegisi, de qua loquimur, ut in Ebroicensi Diœcesi Crucem Sancti Audoeni, sic & Fontanas in Lexoviensi collocat, atque in Bajocensi Monasterium duorum Gemellorum, ut mox patebit. Vetat hæc observatio ne Fontanas confundamus vel cum vetere Fontaneto, quod antequàm Nortmanni Neustriam devastarent, in Sagiensi Diœcesi stetit, vel cum recentiore Fontaneto, quod etiamnum ad amnem Omam supra Cadomum in Episcopatu Bajocensi floret. Antiqui Fontaneti primordia non omisimus Tomo quarto [b]. De novo Fontaneto nihil occurret ante undecimum seculum. Fontanæ, quæ, priusquàm Nortmanni Neustriam infestarent, in Diœcesi Lexoviensi celebres erant, ab iisdem Nortmannis excisæ sunt. Ideòque nomina perierunt Abbatum, nec illius loci mentionem hactenus fecimus.

* in Tonque.

[b] Ad an. 688. n. 18.

LXVI. XV. *Ad Bajocas civitatem libras duas. Ad duorum Gemellorum Monasterium libras duas.* Bajocæ ad Auram * fluvium civitas est sub Rotomago Metropoli. De Monasterio Gemellensi seu duorum Gemellorum, quod in Bajocensi Diœcesi quondam floruit, consule Tomum secundum [c].

* Aure.

[c] Ad an. 565. n. 11

LXVII. XVI. *Ad Sanctum Martinum Turonensem libras quinque, illis Canonicis in domo libram unam.* Illos Canonicos regebat Fridugisus seu Fredegisus vel Fridogisus Abbas, de quo suprà in Donatione *ad Sanctum Audomarum* sive ad Monasterium Sitivense, cui quoque præerat.

LXVIII. XVII. *Ad Sanctum Anianum Aurelianensem libram unam, illis Canonicis in domo libram unam.* Horum Canonicorum suspicamur Abbatem tunc fuisse Lintboldum, qui postremus Abbas Canonicus in Aurelianensi Monasterio Sancti Aniani fuit, vitámque clausit Carolo Calvo post Ludovicum patrem regnante, ut in Antiquitatibus [d] istius Ecclesiæ legimus. Nihil enim prohibet quominus post Theodulphum anno Redemptoris octingentesimo vicesimo-primo regimen Cœnobii susceperit.

[d] Lib. 2. c. 5.

LXIX. XVIII. *Ad Sanctum Benedictum in Floriaco libram unam.* Monasterio Floriacensi seu Sancti Benedicti ad Ligerim in Aurelianensi Diœcesi cum Abbatis titulo præerat Boso, de quo plura post biennium.

LXX. XIX. *Ad Ferrarias libras duas.* Ferrariense Monasterium ad Lupam fluvium in Diœcesi Senonensi regebat Abbas Odo jam laudatus.

LXXI. XX. *Ad Sanctum Carilefum libram unam & semis.* Sancti Carilephi Monasterium ad amnem Anisolam Ragnemundus seu Ragnemodus Abbas in Diœcesi Cenomannensi gubernabat.

LXXII. XXI. *Ad Carbionem Monasterium libram unam.* De Curbionensi Monasterio in Diœcesi Carnotina & pago Drocensi consule Tomum secundum [e].

[e] Ad an. 565. n. 6. & 593. n. 2.

XXII. *Ad Sanctam Columbam in Senonis, illis Monachis libras duas. Illis Canonicis in eadem civitate libras duas. Item ad Sanctum Petrum illis Monachis in eadem urbe libram unam.* Superstes fortè tunc erat Remigius Abbas Sanctæ Columbæ, cujus mentionem Tomo superiore fecimus ad annum Redemptoris octingentesimum duodevicesimum [a]. In Cœnobio Sancti Petri sextum regiminis annum agebat Albertus Abbas. LXXIII.

[a] Num. 23.

XXIII. *In Autisiodoro urbe, illis Canonicis libram unam. Ad Sanctum Remigium illis Monachis similiter. Ad Sanctum Heracleum in eadem urbe similiter. Item in Autisiodoro ad Sanctum Germanum illis Monachis libram unam.* Cœnobio Sancti Germani præerat Deusdedit anno priore memoratus Abbas, cui successit Christianus fusiore post biennium elogio celebrandus. De Monasteriis ad Sanctum Remigium & ad Sanctum Heracleum nihil occurrit hîc adnotandum. LXXIV.

XXIV. *In Trecas illis Monachis ad Sanctum Petrum libram unam.* Cellensi Monasterio Sancti Petri fortè jam præerat in suburbano Trecensi Bodo Abbas, cujus successor Haldegingus apud Camuzatum ante annum Redemptoris octingentesimum sexagesimum ex Diplomate Caroli Calvi memoratur. LXXV.

XXV. *Ad Sanctam Crucem Meldis, illis Monachis similiter*, id est, libram unam. Monasterio Sanctæ Crucis, quod posteà nomen Sancti Faronis accepit, in suburbano Meldensi præerat Rainerius, qui munus Abbatiale gessit annis decem; vitámque clausit anno Redemptoris octingentesimo tricesimo-tertio. LXXVI.

XXVI. *Ad Fossatos Monasterium, illis Monachis libras duas. Ad Sanctam Genovefam Parisius libras duas. Ad Sanctum Germanum Parisius libras tres. In eadem urbe, illis Canonicis libram unam. Ad Sanctum Dionysium libras quinque. Ad Calam Monasterium libras duas.* Monasterio Fossatensi præerat Ingelbertus, Hilduinus Cœnobiis Sancti Dionysii & Sancti Germani, Kalensi seu Calensi Monasterio Hegilewich sive Hegilvidis Abbatissa. De Monasterio Sanctæ Genovefæ, quod olim Sanctorum Petri & Pauli, seu Sanctorum Apostolorum, vel Sancti Petri Cœnobium vocabatur, consule Tomum primum [b]. LXXVII.

[b] Ad an. 508. n. 38. a. 537. n. 2.

XXVII. *Ad Sanctum Lucianum, illis Monachis libras duas. Belloaci, illis Canonicis libram unam. Ad Flaviacum illis Canonicis libras quindecim. Ad opus famulorum eorum libras decem. Hildemanno Episcopo ad Presbyteros & pauperes libras decem. Ad Oratorium Monasterium solidos quindecim. Ad Fontanidum Monasterium solidos decem. Ad insulam Monasterium solidos decem.* Hildemannus erat Episcopus Bellovacensis. Tunc in Episcopatu Bellovacensi prædicta stabant Monasteria diversi ordinis diversique sexûs. In Monasterio enim Sancti Luciani & in Insula degebant Monachi; in Flaviaco & Fontanido Canonici, Virgines in Oratorio. Flaviaco præerat Adebrardus Abbas, hunc locum largiore præ ceteris munificentiâ donavit Ansegisus, quia in ejus regimine præcesserat Adebrardum. Fontanidi, quod & Fontanetum Nicolaus Papa in suis ad Odonem Bellovacensem Episcopum literis vocat, nondum meminimus. De Insula, de Oratorio, & de Monasterio Sancti Luciani consule Tomos tertium [c] & quartum [d]. LXXVIII.

[c] Ad an. 642. n. 56. a. 678. n. 11.

[d] Ad an. 696. nn. 22. & seqq.

XXVIII. *Ad Andelagum * Monasterium solidos duodecim.* Mabillonius hoc puellare Monasterium, cujus mentionem nondum fecimus, in Diœcesi Rotomagensi collocat ad Sequanam supra Rotomagum, observátque laudatum à Beda. LXXIX.

* *Andely.*

XXIX. *Ad Malardum vallem solidos decem.* Illo de loco nihil legimus. LXXX.

XXX. *Ad Resbace Monasterium libram unam & semis.* De conditu Monasterii Resbacensis in Meldensi Diœcesi ad torrentem Resbacem, unde illi nomen, consule Tomum tertium [e]. LXXXI.

[e] Ad an. 634. nn. 11. 14.

AN. CH. XXXI. *Ad Sanctum Salvium in Brago ſolidos decem. Ad Malam Monaſ-*
831. *terium libram unam.* De illis locis nihil occurrit adnotandum.
LXXXII. XXXII. *Ad Sanctum Vedaſtum in Atrebato libras duas.* Huic Monaſte-
LXXXIII. rio præerat Adalungus Abbas.
LXXXIV. XXXIII. *Ad Corbeiam libras quinque.* Huic Cœnobio ad Somonam in Ambianenſi Diœceſi præerat Abbas Wala.
LXXXV. XXXIV. *Ad Cameracum libras duas. Ad Sanctum Gangericum libram unam.* De Cameracenſi Monaſterio Sancti Gaugerici, quod ab ipſomet Sancto Gaugerico Cameracenſi Epiſcopo conſtructum fuit, & olim Cœ-
[a] Ad an. 619. n. 21. nobium Sancti Medardi vocabatur, conſule Tomum ſecundum [a].
LXXXVI. XXXV. *Ad Sanctum Eligium in Noviomo civitate libram unam. Item ad eamdem urbem Canonicis libram unam.* Quod hic Monaſterium Sancti Eligii ſimpliciter appellatur, à primo conditu dictum fuit Cœnobium Sancti Lupi, deinde conjunctim Sanctorum Lupi & Eligii. Prætermiſſum eſt à nobis hactenus, quia nullum illius veſtigium apud antiquos Auctores re-
[b] Ap. Vaſſor. l. 2. c. 87. perimus, ne quidem apud Audoenum in vita Sancti Eligii, quamvis ab eodem Sancto Eligio conditum perhibeatur in Annalibus [b] Noviomenſibus.
LXXXVII. XXXVI. *Item ad Sueſſionis civitatem Canonicis libram unam. Ad Sanctum Criſpinum ſolidos quindecim. Ad Sanctum Medardum Monachis libram unam. Illis Sanctimonialibus libras tres.* De Sancti Criſpini Monaſterio nihil anteà reperimus obſervandum. Cœnobio Sancti Medardi præerat Abbas Agobardus Lugdunenſis Archiepiſcopus. Puellari Monaſterio Sanctæ Mariæ præerat Abbatiſſa Theodrada.
LXXXVIII. XXXVII. *Ad Remis, illis Canonicis libram unam. Ad Sanctum Remigium in eadem urbe Monachis libram unam.* Huic Monaſterio præerat Ebo Junior, cujus mentionem anno priore jam fecimus.
LXXXIX. XXXVIII. *Ad Sanctum Memmium in Catalauno libram unam. Ad eandem urbem ſolidos quindecim.* Ante aliquot annos Monaſterio Sancti Mem-
[c] Ad an. 815. n. 19. mii præfuerat Anſegiſus, priuſquàm Abbas fieret Flaviacenſis, ut probatum eſt Tomo ſuperiore [c].
XC. XXXIX. *Ad Altum-Montem Monaſterium, quo Sanctus Ansbertus quondam exilio fuit intruſus, atque conſortiis inde ereptus humanis, ſolidos quindecim. Ad Malbodium Cœnobium libram unam. Ad Caſtrilocum Monaſterium ſimiliter. Ad Laubias Monaſterium libram unam.* Erant in Diœceſi Cameracenſi quatuor hæc Monaſteria, Altus-Mons & Laubacum ſeu Laubiæ Monachorum, Malbodium & Caſtrilocus Monialium. Laubaco ſeu Laubiis ad
[d] An. 649. n. 17. a. 656. n. 3. a. 663. n. 9. Sabim præerat Eggardus Abbas. De Alto-Monte, de Caſtriloco, & de Melbodio ſeu Malbodio conſule Tomum tertium [d].
XCI. XL. *Ad Indam Cœnobium libras duas.* Hoc de Cœnobio in Diœceſi
[e] Ad an. 814. n. 73. Colonienſi ad Indam rivum qui Ruram ſubit lege Tomum ſeptimum [e].
XCII. XLI. *Ad Lingonas illis Canonicis libram unam.*
XCIII. XLII. *Ad Luxovium libras viginti-quinque, id eſt, in ipſo Monaſterio libras decem,* (lege libras viginti,) *ad Fontanas Cellam ejuſdem Cœnobii libram*
* Cuſance. *unam & ſemis, ad Cuſantiam * ſimiliter, ad Anagrates libras duas.* Erga Luxovium in Diœceſi Veſontionenſi ſuam præcipuè munificentiam oſtendit Anſegiſus, quia factus eſt Abbas Luxovienſis anno Redemptoris octingenteſimo decimo-ſeptimo, potéſtque in dubium vocari, utrùm regimen illius loci dimiſerit anno Redemptoris octingenteſimo viceſimo-tertio, quando conſtitutus eſt Abbas Fontanellenſis, an ad obitum uſque, ſive ad annum uſque Redemptoris octingenteſimum triceſimum-tertium Luxovienſis Abbas ſimul ac Fontanellenſis permanſerit. Monaſticen in Cœnobio Fontanellenſi reſtituit, ad illud opus ex Aſceterio Luxovienſi *Monachos Deum timentes viróſque religioſos ſecum adduxit*, indéque colligimus utrique illum Monaſterio præfuiſſe cum Abbatis titulo, donec adminiſtrationem Luxovienſis in Fulbertum abdicatione ſpontaneâ refuderit. In Abbatum Luxo-

AN. CH. 831. LUDOV. IMP. 18. LOTHAR. IMP. 15. PIPPINI R. 17. LUDOV. R. 15. CAROLI R. 2.

viensium Catalogo post Ansegisum ponitur Fulbertus, deinde Drogo Metensis Episcopus. Solum Fulberti nomen hodie superest. Quando munus Abbatiale susceperit, quot annis illud obierit, quando vitam clauserit, nemo prodit. Abbas videtur fuisse, cùm Ansegisus suam edidit largitionem. Tunc Luxovio tres hæ suberant Cellæ, Anagrates, Fontanæ, & Cusantia. In prima, quæ *plùs minùs octo milliaribus* à Luxovio distabat, annos duos ac viginti mansit Sanctus Columbanus, priusquàm Luxoviense construeret Monasterium, quod lapsu quoque temporis pro numerosa Monachorum multitudine nimis angustum reperit, ideóque & aliud erexit ab aquarum irriguitate Fontanas appellatum, cui *dedit gubernatores Præpositos*, ita ut Anagtares, Luxovium, & Fontanæ, uni eidémque Abbati, *sexcentorum fermè Monachorum* Rectori subjacerent. Lege illis de locis quæ scripta sunt Tomo secundo ad annos Christi quingentesimum duodeseptuagesimum [a] & quingentesimum nonagesimum [b]. Etmenfredus Luxoviensis Monachus sub Walberto Abbate seriùs *ad Cusantiam* Monasterium extruxit, ubi *tricenos circiter Monachos coadunavit*, atque *Monasterium ipsum Luxoviensi subjecit Abbatiæ anno tertio Dagoberti Regis*, ut ex Luxoviensi Breviario refert Mabillonius in Appendice subjecta Tomo secundo Seculi tertii Benedictini. Ceterùm annus tertius Dagoberti Regis intelligitur de Regno Burgundiæ, numeratúrque ab anno Christi sexcentesimo duodetricesimo, quo Dagobertus Austrasiæ Rex in Neustriam & Burgundiam Clotario patri successit. Erat igitur hic Sanctus Etmenfredus, quem Monachi Luxovienses septimo Kalendas Octobris colunt, alius à Sancto Hermenfrido Sancti Columbani apud Luxovium discipulo, qui factus est ex Luxoviensi Monacho Virodunensis Episcopus, & ad Deum migravit sexto Idus Decembris anno Christi sexcentesimo decimo-quarto. Andreas Saussaius utrumque commemoravit, Abbatem Cusantiensem septimo Kalendas Octobris in Martyrologio Gallicano, Episcopum Virodunensem quinto Idus Februarias in supplemento ejusdem Martyrologii.

[a] Nu. 17. 18.
[b] Num. 16.

XLIII. *Ad Romarici montem libram unam*. In Monte Romarici sive in XCIV.
Monte Sancto Diœcesis Tullensis prope Mosellam duo florebant Monasteria, unum virorum, alterum puellarum. De utroque consule Tomum secundum [c].

[c] Ad an. 620. n. 2.

XLIV. *Ad Balmam similiter libram unam & semis*. In hoc textu vox *similiter* XCV.
videtur redundare, largitiones enim ad Romarici montem & ad Balmam non sunt similes, cùm monti Romarici tribuatur una libra, Balmæ concedatur una libra & semis. Tomo primo [d] duas distinximus Balmas Monialium erectas in Galliis stante Romanorum Imperio, unam in Diœcesi Vesontionensi, alteram in Lugdunensi, illam ad Dubim fluvium, hanc in saltu Jurensi. Cujus meminerit Ansegisus, haud compertum habemus. Agemus infrà de tertia Balma, quæ pro viris extructa est, atque etiamnum subsistit in Vesontionensi Diœcesi.

[d] Ad an. 534. nn. 24. 28.

XLV. *Ad Morbach Cœnobium libram unam. Ad Sanctum Gregorium libram* XCVI.
unam. Erant hæc duo Monasteria in Episcopatu Basileensi. Præerant illis Cœnobiis Abbates jam laudati; Gregoriano Bertholdus, Murbachiensi Guntramus, cujus successor in Monasteriologia [e] Imperii Germanici *sub Lothario Imperatore & Gregorio IV Summo Pontifice* celebratur.

[e] Part. 2.

XLVI. *Ad Monasterium Mauri libram unam*. Monasterio Mauri seu XCVII.
Cellæ Leobardinæ præerat Celsus Abbas, cujus mentionem sub finem prioris Tomi fecimus.

XLVII. *Ad Molundas libram unam*. De Monasterio Melundensi seu XCVIII.
Molundensi vel Molomiensi in Episcopatu Lingonensi consule Tomum primum [f].

[f] Ad an. 496. n. 154.

XLVIII. *Ad Sanctum Reginbertum, ubi primò elementa didicerat literarum* XCIX.
per manus quoque matris suæ in usus egenorum viginti libras expendit. Simili

AN. CH. 831. C. *modo per manus Berteningi libras viginti.* Hoc Monasterium Mabillonius interpretatur Cœnobium Sancti Ragneberti in Diœcesi Lugdunensi.

Largitiones & eleemosynas Ansegisi claudit in hunc modum Chronographus. *Sibi in Domo sua famulantibus libras quadraginta largiri fecit. Tribus vicibus omnes opes suas egenis ac pauperibus erogari fecit, nihil sibi reservans.* Ex hoc loco Mabillonius colligit *Abbates etiam Regulares eo tempore opes quasi proprias habuisse*, additque id patere *multorum Abbatum exemplo, qui Testamenta condiderunt.*

AN. CH. 832. LUDOV. IMP. 19. LOTHAR. IMP. 16. PIPPINI R. 18. LUDOV. R. 16. CAROLI. R. 3.

ANNUS			
CHRISTI		832.	
LUDOVICI	IMP.	19.	
	REG.	52.	27. 15.
LOTHARII	IMP.	16.	10.
	REG.	18.	10.
PIPPINI III.	REG.	18.	16.
LUDOVICI	REG.	16.	7.
CAROLI	REG.	3.	
INDICTIO		10.	

I. LUDOVICUS AUG. AUDITA PIPPINI FUGA CONVENTUM INDICIT HABENDUM AURELIÆ.

ANNALISTA Bertinianus, qui principium anni à die Natali Domini repetit, res anno Redemptoris octingentesimo tricesimo-secundo gestas sic orditur. *Anno ab Incarnatione Domini* DCCCXXXII, *indignatus Pippinus, quòd à patre non fuerat honorificè susceptus, inito consilio, in Vigilia Innocentum, primâ noctis horâ cum paucis suorum fugâ lapsus est, & sub omni festinatione Aquitaniam petiit. At Domnus Imperator graviter inde commotus est, numquam æstimans filio suo talia debere contingere, aut patris præsentiam fugere. Tunc igitur convocatis undique Consiliariis, habitóque cum eis consilio, quid de his agendum esset, statutum est, ut suum generale Placitum in Aurelianis civitate habendum denuntiaretur, illúcque Hlotharium de Italia, Ludoicum verò ad Aquis venire, pariterque cum patre ad condictum Placitum pergere.* In hoc textu multa sunt attendenda. Pippinus Aquitaniæ Rex Aquisgrano, ubi diem Natalem Domini cum Imperatore celebravit, fugâ lapsus in Regnum revertitur. Imperator, ne præceps hic filii discessus causa jurgiorum aut etiam bellorum fiat, indicit Placitum Aurelianis habendum in ipso Aquitaniæ limite. Illuc vocantur à patre, Lotharius ex Italia, Ludovicus è Bojoaria; ille viâ rectâ, hic obliquâ utpote Imperatorem aditurus apud Aquisgranum, atque inde ad locum Conventûs unà cum illo profecturus. Imperator erga Ludovicum propensiori quàm erga Lotharium animo ferri videtur, quoniam hactenus nullam ab eodem Ludovico passus est molestiam, secus à Lothario ac Pippino.

ILLUC LOTHARIUM ET LUDOVICUM FILIOS VOCAT.

Apud

AN. CH. 832. LUDOV. IMP. 18. LOTHAR. IMP. 15. PIPPINI R. 17. LUDOV. R. 15. CAROLI R. 2.

II. PRÆCEPTA, PRO MON. DERVENSI,

Apud Andream Duchesnium in Notis ad primum librum epistolarum Petri Venerabilis, extat datum hoc anno Præceptum, quo Ludovicus Augustus Dervensi Monasterio, quod abierat in Collegium Canonicorum, nuperriméque redierat ad Ordinem Monasticum, Dodiniacam Curtem insigni dono concessit. Extat & apud Hundium epitome Præcepti, quo Ludovicus Bojoariæ Rex erga Ecclesiam Pataviensem hoc anno munificum se præbuit. Primum horum Diplomatum, quod Aquisgrani decimo-quarto Kalendas Martias, anno Imperii Ludoviciani decimo-nono, Indictione decimâ datum fuit, in lucem sic editum reperitur. *In Nomine Domini Dei & Salvatoris nostri Jesu Christi, Lucdowicus divinâ ordinante providentiâ Imperator Augustus. Si locum, quo olim Monasticus Ordo viguerat, in ædificiis relevari, & eandem vitam Monasticam reformari facimus, & liberalitatis nostræ munere de beneficiis à Deo nobis collatis eidem loco, unde servi Dei inibi consistentes in hanc mortalem vitam aliquod subsidium habere valeant, aliquid conferimus, id nobis & ad hanc transitoriam vitam feliciter peragendam, & ad æternam perpetualiter obtinendam profuturum liquidò credimus. Idcircò nosse volumus omnium nostrorum fidelium tam præsentium quàm futurorum industriam, qualiter Haudo Venerabilis Abbâ Monasterii, cujus vocabulum est Ders, quod constat esse constructum in pago Pertense * super fluvium Ivera, quod olim vocabatur Puteolus, & dicatum in honore Sancti Petri Principis Apostolorum, ac Sancti Berchari, cujus corpus ibidem requiescit, quíque idem ipsum Monasterium a novo opere construxerat, & Monachos sub Regula Sancti Benedicti vitam degentes collocaverat, nostram adiens Serenitatem innotuit mansuetudini nostræ, quòd eadem Monastica vita penitus in eodem loco abolita esset, & in Canonicum Ordinem transierat. Petiítque ac supplici postulatione deprecatus est, ut nostrâ authoritate eandem Monasticam vitam reformari, & habitacula ad hanc vitam congrua reficiendo aptari permitteremus. Cui, sicut dignum erat, gratias egimus, & ea, quæ deprecabatur, ei fieri permisimus. Insuper & ut hoc quod idem ipse deprecabatur meliùs peragere, & servi Dei, qui inibi degere constituti & constituendi erant, aliquod subsidium ex nostra largitione habentes libentiùs Deo deservire potuissent, complacuit nobis pro mercedis nostræ augmento & æternæ retributionis fructu quasdam res nostræ proprietatis sitas in Comitatu Breonense, id est, villam ac beneficium illud, cujus vocabulum est Dodiniaca Curtis, habentem mansos duodecim, quam hactenus Vassallus noster, nomine Hiseimbertus, nostrâ largitione in beneficium habuisse dinoscitur, cum omni integritate, id est, cum mancipiis utriusque sexûs, cum domibus, ædificiis, Ecclesiis, terris cultis & incultis, sylvis, pratis, pascuis, aquis, aquarúmque decursibus, molendino, vel quicquid ad denominatam villam justè & legaliter pertinere dignoscitur, & nostri juris ac possessionis in re proprietatis est, totum & ad integrum per hoc nostræ authoritatis conscriptum ad antedictum Monasterium, quod, sicut diximus, Ders nuncupatur, solemniter delegare; eâ videlicet conditione, ut à Prælatis & Monachis Deo inibi militantibus perpetuâ possessione teneatur ac possideatur. Et ut hæc nostræ concessionis atque largitionis authoritas inconvulsam & inviolabilem obtineat firmitatem, manu propriâ nostrâ subter eam firmavimus, & annuli nostri impressione adsignari jussimus. Signum Lucdowici Serenissimi Imperatoris. Data* XIIII *Kal. Mart. anno, Christo propitio,* XVIIII *Imperii Domni Lucdowici Piissimi Augusti, Indictione* X. *Actum Aquisgrani Palatio Regio in Dei Nomine feliciter.* Pagus Pertensis seu Partensis alluitur Iverâ seu Vierâ vel Vigerâ *, qui dexteram Albæ ripam subit, Alba * verò in dexteram Sequanæ ripam egeritur. Porrò, qui nominatur Haudo Dervensis Abbas in Diplomate proximè citato, vocatur Odo in libro de diversis casibus Cœnobii Dervensis & Miraculis Sancti Bercharii, idémque est ac Ando Stabulensis & Malmundariensis Abbas, qui Tomo superiore [a] jam laudatus est à nobis, obiitque anno Redemptoris octingentesimo tricesimo-sexto. Stabuletum & Dervum Ludovici Pii temporibus uni Abbati paruisse testatur Stabulensis Monachus, qui rogatus ab Airico

* *Parthois.*

* *la Voire.*

* *l'Aube.*

[a] *Ad an. 817. n. 246.*

AN. CH. 832. LUDOV. IMP. 19. LOTHAR. IMP. 16. PIPPINI R. 18. LUDOV. R. 16. CAROLI R. 3.

Indensi Abbate sub Lothario Imperatore prædicti Ludovici filio Miracula Sancti Remacli conscripsit. Surius præ manibus habuit hunc Auctorem, sed *ob Lectoris vitandum tædium multa in compendium redegit* ad diem tertium Septembris, apposuitque nomen Notgeri Leodiensis Episcopi, qui seculo integro recentior fuit. Genuinum Anonymum publicarunt Lucas Dacherius & Joannes Mabillonius in secundo Seculo Benedictino. Editio Suriana sic habet. *In eo loco, quem incolæ Dervum vocant, Abbas noster, qui per id tempus utrique loco præerat, summoperè connitebatur, ut Regularis augeretur cultus, nam hactenus instar Canonicorum illic vixerant. Itaque è nobis seniores fratres ibi commorari voluit, qui hortarentur eos ad Regularis sive Monasticæ vitæ studium.* Benedictina, sic. *Non arbitror reticendum Miraculum factum in loco, qui ab incolis commanentium Dervus nominatur. Hujus rei talis fuit occasio, quam narro. Erat enim Abbatis nostri, qui tunc temporis ambobus præerat locis, per maximum omnino studium, ut in superiùs denominato loco Regularis cresceret cultus, quia ad ejus usque tempora Canonici insudabant, fecerásque seniores fratres ex nobis illic commorari, qui suaderent eis omnem Ordinem Regularem firmiter tenendum jugitérque observandum.* Urrobique nomen Abbatis reticetur, exprimitur autem in libro de casibus Dervensis Monasterii, quem Nicolaus Camuzatus publici juris fecit in promptuario Sacrarum Antiquitatum Tricassinæ Diœcesis. Auctor enim istius libri de Dervo ad Ordinem Monasticum revocato sic disserit. *Magnificentia ipsius loci, facie mutatâ, pessundari atque in deterius labi variis impulsionibus cœpit, donec miseratione divinâ & meritis beatissimi Protectoris nostri Berchari, rumor tanta perditionis attigit aures Augusti Ludovici. Hic adeò omni bonitatis luce refulsit, ut jure proprium sibi Pii nomen adsciverit, cujus prudentissimis consiliis assiduè interterant Sacerdotes Sanctissimi, Abbates etiam Religiosissimi, inter quos spectabilis vita honestate, omnisque scientia probitate Odo Abbas loci, quem Stabuletum vocitatum anterioris textûs descriptio prælibavit extructum à Sancto Remaclo Pontifice, cujus conditioni felix Martyr Bercharius quondam tradidit imbuendos primævos flores suæ adolescentiæ, relinquens eò loci conspicuum memoriale proprii tyrocinii. Cùm itaque Rex memoratus Ecclesiarum Dei cultum variis tribulationibus depravatum satageret in melius restaurandum reformare, Regalis decreto consilii, suprà nominato Abbati curam delegavit Dervensis Cœnobii, quò ejus industriâ, quiret capescere idem locus alimenta & monimenta prisca institutionis ac nobilitatis, quam plurimam extitisse etiam Annales Regii testabantur. Itaque Domnus Odo Abbas venerandus, memoranda operationis executione susceptâ, Pontificum ac Coabbatum collegio fultus, præfatum locum adiens, Religiositate omni ab ævo proturbatâ, fratribusque sui Ordinis strenuissimis inibi ordinatis, Ecclesiæ prædia sive exenia innumeris casibus profligata, Regiâ insimúlque Pontificum auctoritate, distributâ etiam pretii maximâ quantitate, usibus fratrum restituit, perquirens prisca Privilegia Imperiali ut decuit munificentiâ roborata, nec destitit donec ad unguem polita cuncto Francorum Orbi refulsit Religio ipsius loci.* Habes in hoc textu Odonem Abbatem; habes duo quibus præest Monasteria Stabuletum & Dervum; habes & Ludovicum Augustum cognomento Pium. His attentè lectis in dubium minimè vocabis, quin Odo Abbas idem sit ac qui suprà in Diplomate Ludovici Pii nominatus est Haudo, aspiratione *h* omissâ, & *au* diphtongo in *o* mutatâ. Tomo superiore ad annum Redemptoris octingentesimum vicesimum-septimum [a], quo Dervum Monasticen denuò suscepit, Præceptum Ludovici & Lotharii Augustorum tunc editum recitavimus, in quo Dervensis Abbas nec Haudo nec Odo, sed Hauto nuncupatur. In Abbatum Dervensium Catalogo, quem Andreas Duchesnius in Notis [b] ad epistolas Petri Venerabilis publicavit, Hauto similiter vocatur. *Anno* DCCCXV *Hauto Abba.* Ibique dicitur & *Abba Stabelaus.* Literæ *d & t* in plerisque vocabulis commutantur. Apud Bartholomæum Fisenum [c] in Abbatum Stabulensium Nomencla-

[a] Num. 69.
[b] Lib. 1. ep. 14.
[c] D. 3. Sept.

tura per hoc tempus recensetur Ando, qui certè & idem est ac Haudo, aspiratione sublatâ, & literâ *u* in *n* deflexâ. Dervensis igitur Abbas erat anno Redemptoris octingentesimo decimo-quinto, serius post Absalonis obitum anno Redemptoris octingentesimo decimo-septimo factus est & Abbas Stabulensis, imò Stabulensis & Malmundariensis Abbas, quia Stabuletum & Malmundarium ab antiquis temporibus uni suberant Abbati, ut Tomo tertio & sequentibus osteusum est. Dervum ætate Caroli Martelli desierat esse sub Ordine Monastico, Stabuletum & Malmundarium Monasticen excolebant. Hauto, cùm Regularis disciplinæ studiosissimus esset cultor, Malmundarii Stabuleríque Præfecturam non recusavit, ut in illis locis cum suis fratribus Monasticen observaret, quam à Dervo procul eliminatam dolebat. Quamvis autem gloriam ac splendorem Monasteriorum Stabulensis & Malmundariensis plurimùm auxerit, curam Dervensis Cœnobii neutiquam neglexit. Testes sunt literæ Ludovici & Lotharii Augustorum datæ pridie Idus Februarias anno Redemptoris octingentesimo vicesimo-septimo, postquàm crebris ejus postulationibus & Imperatorum adnitente conatu restitutus est apud Dervum Ordo Monasticus. Testes sunt & aliæ literæ, quibus Ludovicus Imperator erga Dervense Monasterium illiúsque loci Monachos munificum se præbet decimo-quarto Kalendas Martias, hoc anno Redemptoris octingentesimo tricesimo-secundo. Utrasque recitavimus, Hauto posterioribus superstes aliquot annos vixit, *obiit* enim *inclinante anno 836*, ut Fisenus restatur, & ad illum annum dicturi sumus. Quod attinet ad alterius Diplomatis epitomen, apud Hundium [a] *Hludovicus divinâ favente gratiâ Rex Bojariorum concedit Ecclesiæ Pataviensi, quæ est constructa in honore Sancti Stephani protomartyris, cui Vir Venerabilis Reginarius Episcopus præesse videtur, quasdam res proprietatis* suæ, *quæ sunt in provincia Avarorum, in loco qui dicitur Lytha, super fontem qui dicitur Schonprunn.* Et ipsum Diploma munit hisce Notis Chronologicis. *Datum quarto Non. Martii, anno 20 Imperii Ludovici, & anno Regni nostri 7. Actum Osterhoven in Palatio nostro.* Hundius hos Characteres cum anno Redemptoris octingentesimo tricesimo-secundo componit. Rectè quidem per mensem Martium cum hoc anno comparatur annus Ludovici Regis septimus, si principium Regni ducas ab anno Redemptoris octingentesimo vicesimo-quinto, quo Ludovicus Augustus Aquisgrani generalem Conventum celebravit mense Augusto, completísque negotiis, quæ visa sunt ad illud Placitum pertinere, Ludovicum filium in Bojoariam direxit. At cum anno Ludovici Regis septimo nequaquam convenit Ludovici Imperatoris annus vicesimus, ejúsque loco reponi debet annus decimus-nonus, qui legitur appositus Diplomati suprà descripto pro Monasterio Dervensi.

AN. CH. 832. LUDOV. IMP. 19. LOTHAR. IMP. 16. PIPPINI R. 18. LUDOV. R. 16. CAROLI R. 3.

PRO ECCLESIA PATAVIENSI.

[a] Tom. 1. in Reginario Ep. Pataviensi.

III. LUDOVICUS AUG. AUDITA LUDOVICI R. DEFECTIONE,

Pascha nono Kalendas Apriles hoc anno celebratur. Ludovicus Augustus ut hyemem sic & Paschalem Solemnitatem Aquisgrani transigit; posteà Ludovicum quoque filium, qui suis se fratribus socium jungit, adversarium experitur. Pippinus & Ludovicus fratres in administrando Francorum Regno præcipuam authoritatem ambiunt, eámque contendunt sibi jure debitam, quia suppetias anteà patri contra Lotharium tulerunt. In ipsa Imperatoris Aula lis est inter Guntbaldum Monachum & Bernardum Septimaniæ Ducem. Guntbaldus primum ab Imperatore locum in Regno tenet, eâque gratiâ meritò se gaudere jactitat ob operam in eodem Imperatore restituendo strenuè navatam; Bernardus illo se dejectum gradu dolet, & ut æmulum deturbet nulli parcit industriæ. Nithardus [b] has contentiones sic attingit. *Guntbaldus Monachus, quem suprà memoravimus, quia multùm in restitutione ejus laboraverat, secundus in Imperio esse volebat. Quod quoniam Bernardus, ut præmissum est, olim fuerat, summâ industriâ iterum esse certabat. Pippinus quoque & Lodhwicus quamquam eis Regna, sicut*

[b] Lib. 1.

AN. CH. 832. Ludov. Imp. 19. Lothar. Imp. 16. Pippini R. 18. Ludov. R. 16. Caroli R. 3.

Walam ad veterem Corbeiam remittit,

promissum fuerat, aucta fuissent, tamen ut in Imperio post patrem primi essent, uterque laborabat. At illi, per quos tunc res publica tractabatur, voluntati eorum resistebant. Ludovicus Bojoariæ Rex pravo Lotharii fratris consilio deceptus contra patrem primus insurrexit, & ad Monasterium usque Sancti Nazarii seu Laureshamense, quod ultra Rhenum in Diœcesi Wormatiensi positum est, cum copiis accessit. Imperator audito Bojoarici tumultûs nuncio, cùm apud Aquisgranum hyemasset, séque itineri jam ad Aurelianense Placitum accingeret, mutato statim consilio Moguntiam profectus est, & Walam Abbatem, ne transiret ad castra Ludovici Regis, è Germania, ubi tunc exulabat, ad veterem Corbeïam remisit. De perbrevi mora, quam Wala fecit apud Germanos, Auctor vitæ sic scribit. *In eodem, ad quod pervenerat Monasterium, non diu rursus licuit permanere, ne fortè Gratiano* (Ludovicum Bojoariæ Regem tralatitio nomine sic appellat) *illis in partibus misceretur consilio vel colloquio, quoniam ipse ubique idem erat, & secundùm Deum qua semel velle debere deliberaverat, infatigabiliter tenebat, ne virtus animi ullis frangeretur molestiarum injuriis. Quid plura? Reducitur ad proprium eisdem privatus honoribus Cœnobium, quia venerabatur ubique, ne locum haberet contra voluntatem semel inlapsam agendi. Qua de causa cùm redisset, non minùs mærore quàm gaudio suffusi sumus, quia hinc mæsti, quòd eum saltem videre meruissemus, nobiscúmque habere licuisset.* Wala laudatur ab hoc Encomiaste, quòd in reatu perseveret obstinatissimè, nec unquam rebellionis animum semel susceptum deposuerit. Hæc autem cùm ita se habeant, insignem prorsus Imperatoris agnosce prudentiam; seu Corbeiensem illum Abbatem, qui filiorum contra patrem tumultuantium partes sequitur, & discordias in Regia familia pro viribus fovet, è Monasterio pellit, ablegátque ad lacum Lemanum; seu Cœnobio reddit, exilii sede ter mutatâ, semel propter Lotharii viciniam, iterum propter suspectam Pippini fidem, tertiò propter imminentem Ludovici defectionem. Auctor proximè citatus, ne noceat Walæ, causámque tam festini reditûs ad Somonam prodat, nullam motûs Bojoarici mentionem facit. At audi quæ scribuntur ab Astronomo. *Hyemis sanè rigore transacto, & vernali successu reducto, nunciatum est Imperatori quosdam motus excitatos in Bajoaria. Ad quorum compressionem festinus abiit.* Et à Thegano [a]. *Post Pascha auditum est, quòd aquivocus filius ejus cum consilio Lotharii voluisset visitare patrem inhonestè, & venit usque ad Monasterium Sancti Nazarii, & modico tempore ibi residens, usque dum pater ejus Moguntiam veniens, & coadunato exercitu secutus est eum.* Necnon fusiùs ab Annalista Bertiniano, sic. *Subitò perventum est ad aures Piissimi Imperatoris, Ludoicum cum omnibus Bajoariis liberis & servis, & Sclavis, quos ad se vocare poterat, Alemaniam qua fratri suo Carolo à patre jamdudum data fuerat, ingredi velle, eámque vastare & diripere ac suo Regno adunare, cunctúmque populum Regni illius ei fidelitatem promittere, & his peractis in Franciam cum ipso exercitu hostiliter venire, & de Regno patris sui quantò plurimùm potuisset invadere sibíque subjicere. Cúmque hoc compertum esset, statim Domnus Imperator mutato Placito, omnes Francos Occidentales & Australes, necnon & Saxones, obviam sibi XIV Kalend. Maii Maguntiam venire pracepit. Hoc audientes omnes alacriter ad Domnum Imperatorem venire festinaverunt, ei in omnibus auxilium prabere cupientes.*

IV. Astronomus res ultra Rhenum ab Imperatore gestas brevissimè sic perstringit. *Nunciatum est Imperatori quosdam motus excitatos in Bajoaria. Ad quorum compressionem festinus abiit, ad Ausburgum usque pervenit, insurgentia sedavit, continuò rediit.* Annalista Fuldensis id mense Maio confectum sic affirmat. *Imperator mense Maio contra Hludowicum filium ad Augustam Vindelicam cum exercitu venit.* Rex Bojoariæ *revertens domum*, ut Thegamus [b] testatur, *expectavit adventum patris, & voluit se defendere. Pater itaque veniens jussit eum venire ad se, quem benignè suscipiens habuerunt colloquium pacificum,*

[a] Cap 39.

[b] Cap. 39.

AN. CH. 832.

& non post multos dies cum gaudio magno amore diviserunt se. De his multò fusiùs ac distinctiùs Annalista Bertinianus. *Domnus Imperator cùm Maguntiam venit, ubi & ad Placitum, quod eis constituerat, omnis populus occurrit, mox in crastinum cum valida Francorum & Saxonum manu Rheno & Moin fluminibus transitis, circa Tiburim * villam castra metatus est. Ludovicus verò filius ejus juxta Wormatiam in villa, qua vocatur Langbardheim * cum suo exercitu residebat, vanis pollicitationibus spem suam habens intentam, quia hoc illi à suis promissum est, necnon & ab aliis, qui cum eo erant, Comitibus & Vassallis Domni Imperatoris & Caroli, ut omnes Australes Franci & Saxones ei auxilium ferre deberent. Et hoc maximè Mathfridus dolosè meditatus & machinatus est, cui Domnus Imperator anno priore, cùm ad mortem dyudicatus fuerat, vitam & membra & hereditatem habere concessit. Cúmque Ludoicus patrem suum cum tanta fidelium copia Rhenum transisse cognovit, minorata est ejus audacia, & expetita injustæ potentiæ spes ablata est. Nec mora, cum suis hominibus Bajoariam per eandem viam quâ venerat festinanter reversus est, plurimíque eorum, qui cum illo erant, ad Domnum Imperatorem regressi sunt. Audiens Domnus Imperator subitaneam ejus reversionem perrexit ad locum, de quo ille redierat, ibíque plurima devastata invenit, quæ omnia adversa, sicut ei mos est, patienter tulit, & lento gradu non filium persequendo, cum omni exercitu in Alemanniam perrexit, pervenítque ad Augustburg super Lech. Ibíque filium suum, qui taliter seductus fuerat, ad se venire fecit, ac solitâ pietate, quæ contra se facta fuerant, omnia illi indulsit. Qui tamen jurejurando promisit, ne ultrà talia perpetraret, neque aliis ad hoc consentiret.*

RHENO ET DANUBIO TRAJECTIS COMPONIT, MOTUS BOJOARIÆ.

* al. *Tiburim.*

* al. *Langardheim.*

V. Firmatâ pace, quæ patri filium apud Augustam Vindelicorum reconciliavit, *filius domi sedebat, & pater reversus est in Franciam.* Verba sunt Thegani [a]. Nec dissimilia scribit Annalista Bertinianus. *Peracto*, inquit, *Placito, filium suum* Imperator *cum pace Bajoariam redire permisit, & exercitu dimisso ipse per Austriam ad Salz venit, ibíque illi Domna Imperatrix obviam occurrit. Qui unà navali itinere Maguntiam venerunt, ubi & Lotharius patri occurrit; ubi etiam denuò annunciatum est Placitum generale Kalendas Septembris Aurelianis habendum, ibíque unumquemque hostem liberè adventre.* De loco, ubi Lotharius patri se stitit, non convenit Theganus [b], reponit enim Francofurtum ad Mœnum. Sed hæc discrepantia levis est momenti, quia Francofurtum quatuor tantùm leucis à Moguntiaco distat. Facilè credimus Lotharium in conspectum patris apud Francofurtum venisse, simúlque Moguntiacum secundo Mœno devectos fuisse. *Cùm ergo venit* Imperator *ad Palatium Franconofurt, ibi obviam ei venit Lotharius filius ejus, postulans patrem ut semetipsum purificare licuisset, quòd nec per voluntatem ejus, nec per exhortationem frater ejus ullas molestias patri fecisset. Sed quòd verum hoc sit, nonnullis est cognitum.* Ita Theganus.

[a] Cap. 39.

LOTHARIUM SUSCIPIT.

[b] Cap. 40.

VI. A die, quo Hilduinus Abbas in gratiam cum Ludovico Augusto rediit, ut anno priori dictum est, Hincmarus *prout potuit, cum Imperatore & præfato Abbate, sub Episcoporum auctoritate laboravit, ut Ordo Monasticus in prædicto Monasterio* Sancti Dionysii *quorumdam voluptuosâ factione diu delapsus restauraretur. Et ut opere quoque adimpleret, quod sermone suadebat, etiam ipse religiosæ conversationi cum aliis se subdidit, castigans corpus suum, & spiritali subjiciens servituti.* Hæc Flodoardus [c]. Imperator Moguntiâ digressus, cùm ad Aurelianense Placitum proficisceretur, iter per agrum habuit Parisiensem, duóque Præcepta dedit septimo Kalendas Septembris, in Monasterio Sancti Dionysii prope Parisios, hoc anno, Imperii sui decimo-nono, Indictione decimâ. Primum, quod totum est de Monastice ibi restituta, Tomo secundo Conciliorum Gallicanorum à Jacobo Sirmondo sic editum reperies. *In Nomine Domini Dei & Salvatoris nostri Jesu Christi, Hludowicus divinâ ordinante providentiâ Imperator Augustus. Divinis præceptis & Apostolicis monitis incitamur, sed & Imperatorii regiminis officio commonemur, ut pro Ec-*

[c] Lib. 3. c. 1.

EMITTIT PRÆCEPTA PRO MON. S. DIONYSII.

AN. CH. 832.
LUDOV. IMP. 19.
LOTHAR. IMP. 16.
PIPPINI R. 18.
LUDOV. R. 16.
CAROLI R. 3.

clesiæ statu atque Sanctæ Religionis augmento, impigro semper vigilemus affectu, ac pernecessario seu fructuoso studiosóque laboremus effectu, & si quid usquam reprehensioni invenitur obnoxium, Regiæ auctoritatis sollicitudine corrigamus: quatinus avia revocantes, superflua amputantes collapsa quoque reparemus, atque reparata, & ab Ecclesiasticis viris Apostolorúmque Domini successoribus, Spiritu Sancto regente, benè statuta, Edictis Imperialibus confirmemus. Quia dignum profectò est, ut quod Sacerdotalis dignitas divino illuminata Spiritu corpori Christi, quod est Ecclesia ejusdem Dei ac Domini & Salvatoris nostri redempta sanguine, adinvenit in salute, vel reformata statuit in Religionis augmento, id Imperialis Majestas inviolabiliter permansurum in perpetuum potestatis suæ studeat roborare Præcepto. Quoniam quicquid in hujusmodi negotiis laboratum, seu pio cultu à nobis fuerit dedicatum, hoc proculdubio nostræ mansuetudinis regno & populo regendo credimus specialiùs profuturum. Idcircò notum esse volumus omnibus fidelibus, præsentibus scilicet & futuris, quia postquàm Deo auspice Imperium paternum suscepimus, studii nobis semper maximè fuit, ut Domini Ecclesia, ejus magnificentiâ humilitati nostræ divinitus regenda tuendáque commissa, felicibus polleret successibus, eámque, quantùm nostræ attinet Augustæ devotioni, incessanter ad meliora provehere, & ab illa quicquid noxium erat eradicare, atque in ea incrementa virtutum plantare. Quapropter sæpissimè Sacerdotes Domini, quorum id officii esse noveramus, admonere curavimus, ac nostram Principalem auctoritatem adjutricem ad eorum ministerium juxta voluntatem Dei exequendum promptè exhibuimus, ut quicquid in Ordinibus Ecclesiasticis vel in quacumque persona emendatione dignum invenirent, Pastorali auctoritate, postpositâ qualibet torporis negligentiâ, vel personarum acceptione, incunctanter corrigere, & ad statum rectitudinis perducere decertarent. Verùm cùm ipsi, nostrâ sedulò exhortatione admoniti, suâque sollicitâ vigilantiâ, de statu & profectu Sanctæ Ecclesiæ, & sacris Ordinibus, & iis, quæ emendatione digna videbantur, Conventu apud Parisius jussione nostrâ habito, strenuâ & devotâ perspicacitate tractarent, inter cetera visum est illis, ut Monasterium præclarissimi & eximii Christi Martyris beati Dionysii, sociorúmque ejus, quod constat tantorum Martyrum nomine Deo dedicatum, & à Regibus Francorum progenitoribúsque Gloriæ nostræ amplissimis rebus ditatum, quò in eo Monasticus Ordo religiosè Deo deserviret, magnâ emendatione & correctione opus haberet, quoniam ab eo idem Ordo ad multorum discrimen, nullâ necessitate præpediente, nullius rei inopiâ obsistente, penitus erat avulsus. Quam causam tam per se quámque & per venerabilem virum Hilduinum, memorati Monasterii Religiosum Abbatem, nostræ Serenitatis auribus intimaverunt, uti nostrâ piissimâ Imperiali potestate per eorum auctoritatem corrigeretur. Unde dignitas Imperii nostri tantorum virorum saluberrimâ admonitione, & ejusdem venerabilis Abbatis Hilduini preces humillimas more tranquillitatis nostræ solito gratanter benignéque suscipiens, atque in omnibus emendabile judicans, ne tanti Ordinis collapsio salutis nostræ quoquomodo fieret damnatio, ad eosdem Præsules Ecclesiarum idem censuimus referre negotium, ut nostri Principatûs auctoritate, eorúmque judicio, quibus tanta est collata potestas à Domino, idem Ordo in eodem loco absque retractatione restitueretur. Veniens ergo Aldricus Metropolita Senonicus cum Suffraganeis suis, necnon & Ebbo Metropolita Durocortorum cum suis Suffraganeis ad memoratum Monasterium, habito Conventu, primùm quòd idem Monasterium Ordini Monastico constructum, dedicatum, & rebus ditatum fuit, & in eo ipse Ordo usque ad tempus quo sceptra Imperialia supernâ largiente gratiâ Clementia nostra suscepit, & suprà memorati Hilduini Abbatis Prælationem ibidem utcumque viguerit manifestis indiciis Regúmque antiquis & modernis Præceptis, & Episcoporum Privilegiis, ac fidelium donationibus, palàm cunctis est factum. Deinde diligentem inquisitionem fecerunt super iis, qui in eodem loco Regularem promissionem fecerant. Ex quibus quidam, qui eamdem professionem fecerant, desertores ejusdem propositi effecti, rebus humanis jam erant exempti, quorum perditio non sine magno animi ferri potest mærore. Quidam etiam non eamdem professionem se

AN. CH. 832.
LUDOV. IMP. 19.
LOTHAR. IMP 16.
PIPPINI R. 16.
LUDOV. R. 16.
CAROLI R. 3.

fecisse mentiti sunt, sed testibus patentibus convicti, pro sua contumacia Canonica pœnitentia sunt subacti. Quidam verò, immò maxima pars, qui hactenus in apostasiam prolapsi fuerant, coràm venientes, solóque se prosternentes, confessi sunt eamdem professionem in eodem loco regulariter se promisisse, suique misereri, & à Domino veniam pro tanto admisso dari humiliter flagitavere. Quâ confessione factâ, cucullis sui propositi coram cœtu Episcoporum & ceterorum Sacerdotum cunctique sequentis Ordinis Cleri, nobiliúmque virorum non modicâ circùm adsistente turbâ, se induerunt; atque in communione, ne aliquando, sicuti sibi aliísque jam in eodem loco contigerat, sanctæ professionis proposito, diabolico propulsarentur instinctu, regularem promissionem iteraverunt. Pars denique quædam eorum, illi scilicet, qui divinæ inspirationis munere acti, & amore devincti, in Sancta Religionis proposito adprimè, absque ulla refragatione vel interpolatione elegerunt viriliter permanere, & in Cella ejusdem majoris Monasterii, postquàm ceteri Monasticam vitam & habitum deseruerunt, usque ad hanc nostræ demandationis habitam Synodum degere, ante jam memoratos venerabiles Patres venerunt, locúmque pristinum, in quo promissionem fecerant, & regulariter licèt minùs perfectè vixerant, sibi, & se petierunt loco restitui. Quorum semotio ob id acciderat, quoniam ut prædiximus, mox ut divina dignatio nos paternâ sede susceptâ Imperialibus sceptris inniti voluit, piæ intentionis nostræ sollicitudo exequi procuravit, ut religio, decor, & omnis honestas à Domno & genitore nostro divæ memoriæ Karolo cœpta & instituta liquidò & veraciter, remotâ omni simulatione, in propriis quibusque maneret & vigeret Ordinibus. Unde ad Monasticæ Institutionis normam corrigendam, duos religiosos & venerabiles vitæ viros Benedictum & Arnulfum Abbates constituimus, qui per nostrum à Deo gubernandum & conservandum Imperium seduli huic negotio studiosè insisterent. Iidem verò boni & devoti, sed simplicissimi Patres, supradictorum fratrum calliditate & duritiâ, suâque simplicitate abducti, non studio, sed minùs subtili & necessariâ investigatione seu providentiâ fallentes, eos, qui soliditate suæ professæ salvationis perduraverunt, à Monasterio removerunt, atque in memorata Cella collocaverunt, & illos, qui propriæ voluntatis libitus non virtute, sed versutiâ quæsierunt, ac collo de sub jugo Regulæ excusso, loro distigatioris vitæ soluti, ampliori itinere cælestem patriam petere sunt conati, in domiciliis reverendi habitûs & vitæ Monasticæ reliquerunt. Sed laudabiliùs hi Patres Ecclesiæ auctoritate suâ digna petitioni fratrum, quos in suæ Religionis virtute diximus permansisse, quia sic nostri assensûs jussio fuerat, annuentes rationabiliter & canonicè satisfecerunt. Et ob suggestionis notitiam, ut nostræ panderetur Celsitudini, qualiter vel quo ordine tam devotissimum factum ab iisdem religiosissimis viris sit celebratum, duas super hoc jure pari tenore conscriptiones fecerunt, eásque manibus firmaverunt propriis, ut altera earum in Archivo ipsius Monasterii, ob memoriam & stabilitatem inibi hujus ordinis per futura tempora servaretur; alteram nostræ Magnitudini direxerunt, ut illam Palatinis scriniis juberemus recondi, ob monimentum videlicet & istius rectè facti perpetuam firmitatem. Sed cùm idem Ordo Deo annuente, quantùm divinitus videri dabatur, in eodem loco feliciter incederet, antiquus salutis humanæ inimicus quosdam ex ipsis fratribus sua organa efficiens, adeò insidiarum suarum furiis exagitavit, ut, conspiratione & conjuratione factâ, & propositum Monasticum abnegarent, & sine licentia sui Abbatis, eorum Legati Dignitatis nostræ Dominationem adirent, offerentes nobis tomum in accusationem & blasphemiam Episcoporum, qui se de apostasia, in qua versabantur, paternâ sollicitudine nostrâ auctoritate correxerant, & ad propositum quod abdicaverant redire suaserant, addentes etiam in eadem schedula alia, quæ digna non sunt Imperialibus nostris scriptis interseri. Porrò nostra sollertia, auditis eorum querimoniis, suprà memorato venerabili viro Hilduino nostra jussit Clementia, ut eosdem Episcopos, contra quos querebantur, necnon & alios ab accusatione immunes jussione nostrâ ad ipsum venire mandaret Monasterium. Et quia ad nostram notitiam ipsi fratres suos misere clamores, unde nihil ambiguum & sine justa definitionis decreto fas est abscedere, complurium

AN. CH. 832. LUDOV. IMP. 19. LOTHAR. IMP. 16. PIPPINI R. 18. LUDOV. R. 16. CAROLI R. 3.

Episcoporum diligenti examine rem reventilari, & canonicè definiri, & consopiri præcepimus, non quasi de præfata memoratorum Patrum sententia, quæ Excellentiæ nostræ benè per omnia manebat cognita, vel in aliquo hæsitantes, sed ut major Domino Deo nostro de proculcato hoste, qui jam dictos excutaverat fratres, triumphus fieret, & in eodem loco firmiori, quia iterata, stipulatione idem Ordo confirmaretur. Et quoniam super Pastores Ecclesiæ Dignitati nostræ Imperiali quæcumque ingerebatur accusatio, non sine certo & rationabili obliteraretur judicio. Qui ad condictum tempus & diem ad suprascriptum venere Monasterium, & ipsis accusatoribus cum scripto, quod Clementiæ nostræ obtulerunt, coràm exhibitis, cuncta, quæ in eorum accusatione dixerant vel scripserant, falsa esse veris assertionibus idoneisque prolatis testibus probaverunt, sicut ex ordine in scripto manifestatur, quod ex hac causa & secunda constitutionis nostræ Synodo, Archivo nostri Palatii cum Chartulis, quæ nomina testium continent, qui utrisque Conventibus interfuerunt, directum ob gestorum memoriam conservatur. Unde aliud etiam ab ipsius Monasterii scriniis, retinetur. Ipsi de cetero fratres, respectu divino processu temporis corda illorum tangente, propositi sui strenui & præteritorum negligentiarum pœnitentia devoti executores effecti, consensu salubri atque prudenti, tres Chartulas conscripserunt, ut una earum ad caput gloriosissimorum Christi Martyrum fieret, altera Regia Dominationis nostræ custodiâ servari demandaretur, tertiam verò ipsius Monasterii Abbas haberet; in quibus se à Beato Patre Benedicto, Spiritu Sancto docente, descriptam Regulam sunt servare velle professi, & unusquisque eorum nomen proprium cum gradu & Monachi appellatione eisdem Chartis subterfirmavit. Quarum unam Benignitatis nostræ præsentia exhibuerunt, humiliter postulantes, sicut & sæpememorati Venerabiles Patres, à quibus Synodales definitiones celebratæ sunt, auctoritatem nostram sedulò petierunt, quatenus hoc, quod tam subtili & diligenti investigatione inventum, & justa ratione definitum, seu salubri restitutione reparatum, atque Canonicâ auctoritate statutum esse dinoscitur, Amplitudinis nostræ Privilegio scriptis Imperialibus confirmaremus, ut quod Canonica docet auctoritas, & vota Regum cunctorúmque fidelium, qui ipsum locum propter Monasticum Ordinem ibi servandum rebus suis ditaverunt, demonstrant, cùm nequaquam ab eo sine periculo & Regis & Regni possit avelli, nostra Imperialis potestas confirmatione provideat, ne ex eodem loco modernis futurísque temporibus idem Ordo destituatur, sed potiùs Christo Domino largiente ad cumulum mercedis nostræ, conjugis quoque, & prolis, eorúmque salutem, quorum post tantum lapsum reparatio facta est, necnon & eorum, per quos Deo annuente nostrâ auctoritate eadem reparatio celebrata est, simul & illorum informationem, qui pòst ad Monasticum Ordinem Domino inspirante ad eundem confluxerint locum, remotâ omni simulatione semper in eodem Monasterio Regularis Ordo permaneat, floreat, & felicibus successibus Deo opem ferente polleat. Et ut hæc auctoritas, quam ob Dei amorem, & animæ nostræ, conjugis, & prolis, ut prædiximus, salutem, atque Imperii nostri statum, constituimus, firmiorem obtineat vigorem, & deinceps inconvulsa debeat perdurare, duas inde pari tenore conscriptas firmationes fieri jussimus, ut una Imperialis aulæ reconditoria Palatinis salvetur excubiis; altera ab ipsius Monasterii custodibus in perpetuum diligenti curâ debeat provideri, eásque manûs nostræ subscriptione subter firmavimus, & anulo nostro sigillari jussimus. Signum Ludovici Serenissimi Imperatoris. Hirminmarus Notarius ad vicem Theodonis recognovit. Data VII *Kalendas Septembris, anno Christo propitio* XIX *Imperii Domni Ludovici Serenissimi Imperatoris, Indictione* X. *Actum in Monasterio Sancti Dionysii, in Dei Nomine feliciter. Amen.* Hujus Diplomatis nonnulla jam fragmenta, ut ordo rerum postulare visus est, Tomo superiore descripsimus ad annos Redemptoris octingentesimum decimum-quartum [a] & octingentesimum decimum-septimum [b]. Placuit tamen hic integrum recitare ad annum quo datum fuit, ut meliùs ac faciliùs uno deprehendas intuitu, quis San-Dionysiani Monasterii status sub Carolo Magno & Ludovico Pio fuerit. Alterum Ludovici Præceptum, quod ad victum, vestitum

[a] Num. 72.
[b] Num. 136.

AN. CH. 832.
LUDOV. IMP. 19.
LOTHAR. IMP. 16.
PIPPINI R. 18.
LUDOV. R. 16.
CAROLI R. 3.

vestitum ceteraśque Monachorum San-Dionysianorum necessitates spectat, iisdem anno, die, ac loco, datum extat in Antiquitatibus [a] illius Monasterii. Posterioris hujus Diplomatis editio non videtur satis syncera, sed in plerisque locis facilè potest emendari, si consulatur aliud Præceptum Ludovici & Lotharii Augustorum, quod in eadem materia pro Monasterio Sancti Germani versatur, & à nobis recitatum fuit ad annum Redemptoris octingentesimum undetricesimum [b]. Factâ utriusque collatione Diploma Ludovicianum, de quo nobis hîc sermo, sic accipe. *In Nomine Dei & Salvatoris nostri Jesu Christi. Hludovicus Divinâ ordinante providentia Imperator Augustus. Notum sit omnibus fidelibus Sanctæ Dei Ecclesiæ ac nostris præsentibus ac futuris, quia Vir Venerabilis Hildoinus Abba Monasterii Apostolorum Principis Excellentissimorúmque Martyrum, Dionysii, Rustici & Eleutherii, qui peculiares Patroni nostri adesse videntur, nostræ suggessit Serenitati, quòd pro Dei Omnipotentis amore & futuro ejusdem Congregationis cavendo periculo, ne aliquâ successorum suorum negligentiâ aut parcitate Ordo in ea Monasticus futuris temporibus perturbaretur, stipendia eorum, quæ annuatim in cibo & potu accipere debeant, necnon quasdam villas necessitatibus eorumdem speciatim deserviendas eis concessisset & delegasset, quatenus nullâ occasione nec rei publicæ servitio, quisquam ex successoribus suis impedimentum illis in futuro inferre potuisset, pro quo à via rectitudinis & observatione regulari eos aberrare necesse foret, sed sibi deputatis rebus & stipendiis contenti, absque necessitate & inopia Regularem normam tenere, & sine prævaricatione, quantùm humana sinit fragilitas, observare quivissent, auctoritatis nostræ Præceptum pro divino intuitu & ipsorum Sanctorum reverentia fieri juberemus. Nos verò petitioni illius, quia necessaria & rationabilis erat, aurem accommodantes statuimus atque jubemus, ut dentur eis annis singulis de tritico puro ad eorum & hospitum in refectorio venientium opus modiorum duo millia & centum, ad præbendam famulorum illis servientium secale modii nongenti, de vino puro ad eorum & hospitum suprà scriptorum opus modiorum duo millia & quingenti, bracii* ad siceram componendam *modii triginta & tres, de spelta modii triginta, de tribus festis, id est, Pascha, Natalis Domini & Sancti Dionysii, leguminum modii trecenti, de formatico pensa trecenta & triginta, de adipe modii triginta-quinque, de sale modii ducenti cum ipsa modio qui solvitur in salinis, ad cordovesos* seu calceamenta *& in solas* seu soleas *earum componendas modii uncti ducenti, de butyro sextaria triginta. Volatilia de duobus festis, id est, Pascha & Natalis Domini recipiant de villis, quæ in scripto præfati Venerabilis Viri Hilduini annumerantur; item saponem de ipsis villis fratribus persolvi ut habetur constitutum. De lignis dentur eis mensura, quæ nudi* [vel, ut aliis [c] placet, moli) *appellantur, mille centum; de melle secundùm consuetudinem; de tibrillo carra duo de modiis sexdecim; olera quoque, fruges arborum, pix, carpentarii, circuli ad vasa vinaria præparanda, & operimenta tectarum, sed & ædificatio & restauratio officinarum dictante necessitate ministretur & fiat. Ad vestimenta etiam, vel etiam eorum necessitates omnes secundùm Regularem institutionem procurandas, confirmamus easdem villas, quas præfatus Hilduinus per suam concessionem eis visus est condonasse, præcipientes ut nullus Abbatum per successiones quicquam subtrahere, vel minuere, aut ad suos usus retorquere audeat & præsumat, nec alicui quiddam inde in beneficium tribuat, nec ex eis villis servitia exactet, neque paraveredos aut expensas ad hospitum susceptiones recipiat, aut ullas in aliqua re exactiones vel mansionaticos inde exigat. Suprascripta omnia ad centum quinquaginta Monachorum numerum sunt ordinata, ex quibus nihil cuiquam Abbatum licebit unquam subtrahere. Augere verò qui fortè voluerit, multiplicatis ad usum eorum opibus accumulentur & servitii divini cultores. Qui verò aliter facere præsumpserit, & post decessum nostrum hanc nostram confirmationem violare voluerit, querela ad successores nostras, qui tunc temporis nobis superstites fuerint, deveniat, ipsíque agnitâ nostrâ auctoritate nostræ Constitutionis statuta defendant, & sua auctoritatis Præcepto confirment, sicut à se benè gesta*

[a] Lib. 3. c. 7.
[b] Num. 1.
[c] Glossar. med. & inf. Latinit.

Tomus VIII.

AN. CH. 832. LUDOV. IMP. 19. LOTHAR. IMP. 16. PIPPINI R. 18. LUDOV. R. 16. CAROLI R. 3.

defendi & confirmari à suis successoribus Deo annuente voluerint, qualiter futuris temporibus fratres absque perturbatione Deo liberè deservire queant, nobísque pro rata confirmatione & illis pro pia observatione merces in perpetua recompensetur æternitate. Obnixè etiam & devotissimè .. omnes successores nostros per Omnipotentem Dominum æterna retributionis remuneratorem, ob illius amorem & piam justorum nostrorum specialium Protectorum reverentiam, ut hanc Constitutionis confirmationem, quam ad Monachorum providendas Regulares necessitates Imperiali firmavimus auctoritate, intemeratam studeant custodire, & speciali sollicitudinis curâ provideant, ne aliquâ antiqui hostis satagente calliditate inde sacer Ordo amoveatur, aut minùs perfectè, quantùm humana sinit fragilitas, in eodem loco prævalente negligentiâ gradiatur, sed sicut nos singularem curam, quia ita prædecessores & progenitores Excellentia nostra habuisse compertum est, quoniam inibi pia sepultorum corporum amplectimur eorum memoria, nos etiam inde habere videmur, sollicitè studeant divino intuitu, ne talium Rectorum manibus jam dictum sacratissimum locum committant, quorum versutiâ aut negligentiâ ab eo religio decidat, & inopia vel torporis negligentia crescat, sed potiùs ita eundem sacratissimi Cœnobii locum sollicitè piéque tractent, quatenus nobis & illis æternæ beatitudinis gloria inde à Christo opem ferente maneat & accrescat. Et ut hæc auctoritas, quam ob amorem Dei & animæ nostræ remedium statuimus, firmiorem obtineat vigorem, & deinceps inconvulsa valeat perdurare, manus nostræ subscriptione eam subter firmavimus, & annulo nostro sigillari jussimus. Signum Hludovici Serenissimi Imperatoris. Hirminmarus Notarius ad vicem Theodonis recognovit & subscripsit. Data septimo Kalend. Septemb. anno, Christo propitio, decimo-nono Imperii Hludovici Serenissimi Imperatoris, Indictione decimâ. Actum in Monasterio Sancti Dionysii, in Dei Nomine feliciter. Amen. Si quæ voces in hoc Diplomate tibi videntur obscuriores, de singulis consule quod satis laudari non potest locupletissimum Caroli Fresnæi Glossarium ad Scriptores mediæ & infimæ Latinitatis. Imprimis modius, ut est mensura liquidorum, sextariis constat sexdecim. In veteribus Gallicæ Corbeïæ Statutis, quæ Tomo quarto Spicilegii Dacheriani publicata sunt, hæc occurrunt libro primo [a]. *De potu quotidie detur modius dimidius, id est, sextaria* VIII. Porrò Ludovicus Imperator ut ante triennium concessionem Cœnobio Germanensi pro victu, vestitu, ceterísque Monachorum necessitatibus ab Hilduino Abbate factam, sic & hoc anno similem concessionem ejusdem Abbatis Hilduini pro Monasterio San-Dionysiano confirmavit. At fortè miraberis, cur in apicibus Imperialis Præcepti pro Monasterio Germanensi Lotharius cum Ludovico patre conjunctim nominetur, nequaquam verò in apicibus Imperialis Præcepti pro Cœnobio Dionysiano. Ratio disparilitatis ex Lotharii perduellione proficiscitur. Anno Redemptoris octingentesimo vicesimo-nono, cùm Imperiale Præceptum pro Monasterio Germanensi datum est, Lotharius contra Ludovicum patrem nondum rebellarat, rebellavit autem anno Redemptoris octingentesimo tricesimo, & Ludovicus ejus pater, ut de filio levem utcumque pœnam sumeret, publicis deinceps instrumentis omisso Lotharii nomine suum duntaxat apposuit. Qua de re posteà Lotharius ejúsque fautores, ut infrà probabimus, gravissimè conquesti sunt.

[a] Cap. 4.

VII. POST AURELIANENSE PLACITUM PROFICISCITUR IN AQUITANIAM CONTRA PIPPINUM.

Ludovicus Imperator iter prosecutus Aurelianensi Placito ad Kalendas Septembres indicto præsens interfuit. *Conventum publicum*, inquit Astronomus, *Aurelianis fieri jussit, ibique sibi Pippinum occurrere mandavit, qui licèt invitus occurrit.* Annalista Bertinianus observat de Conventu Aurelianensi, quòd Imperator, *cùm illuc venisset, dona annualia more solito suscipiens, mox inde ad Lemodicas festinavit.* Ludovicum ad territorium usque Lemovicense profectum testantur etiam Theganus & Astronomus. Itineris hæc causa fuit. Bernardus Septimaniæ Dux, ubi Guntbaldum Monachum, quem ab Imperatore sibi prælatum ægerrimè ferebat, è gradu deturbare

non potuit, amicitiam Pippini Regis expetiit. Pippinus Aurelianis iterum fugit inscio patre, résque novas in Aquitania moliri statim cœpit, Bernardo pravis, ut erat multorum opinio, consiliis clàm instigante. Ludovicus audito hoc nuncio Lemovicas quamprimùm perrexit. *Auditum est,* inquit Theganus [a], *quòd Pippinus filius ejus aliquam commotionem patri facere voluisset. Qui concitè perrexit Lemovicam civitatem obviam ei.* Situm erat in pago Lemovicino Jocundiacum Palatium, ibi causa cùm Pippini Regis tum Bernardi Ducis agitata. Sic enim Astronomus. *Considerans Imperator quorundam malorum hominum consilia, filii animum tam minis quàm promissionibus ad deteriora festinantium pervertere, maximéque Bernardum verens, cujus consilio uti tunc dicebatur Pippinus, qui & ipse tunc in Aquitania morabatur, Ligeri transmeato, cum suo commeatu ad Jocundiacum Palatium venit in territorio Lemovico situm. Quo ventilata utrinsque causa. Bernardus quidem, quum insimularetur infidelitatis, nec tamen usque ad congressionem probator procedere vellet, honoribus privatus est. Pippinum verò ob pravorum morum corruptionem sub custodia privata Treveros perduci jussit.* Honores, quibus privatus est Bernardus, Palatinos interpretamur, neque enim militaribus exutum atque ad privatam redactum vitam putamus. Quandiu vixit, Dux Septimaniæ, Barcinonæ Comes, ac Præfectus Marcæ Hispanicæ fuit. E Jocundiaco Palatio in Septimaniam dimissus videtur, quia Guntbaldus Monachus, præter æmuli discessionem ab aula, nihil prorsus expetebat. Quod ad Pippinum Regem attinet, vera quidem sunt, quæ de illo leguntur apud Astronomum suprà citatum, sed nonnulla ex aliis Auctoribus præmitti debent. Imperator, ut habet Annalista Bertinianus, *ad Lemodicas festinavit. Tunc filium suum Pippinum ad se vocans, inter cetera increpavit eum, cur de ejus præsentia sine licentia aufugisset. Paternóque illum affectu corripere cupiens, in Franciam ire præcepit, ut in loco, quo eum esse injunxit, moram faceret, quousque suâ emendatione patris animum mitigaret. Ille verò se facturum simulans, & de incæpto itinere regrediens paternam jussionem implere contempsit.* E Jocundiaco Palatio ad Theotwadum sive à pago Lemovicino ad Andegavensem venit, atque inde in Aquitaniam interiorem reversus est. Id Theganus [b] his testatur verbis. *Imperator jussit filium ire cum uxore & liberis in Franciam. In primis audiens imperium patris, incipiebat ire usque ad Theotwadum Palatium, inde revertens perrexit in Aquitaniam.* Posteà captus est à patre, túncque contigerunt quæ narrantur ab Astronomo. *Imperator Pipinum ob pravorum morum corruptionem sub custodia privata Treveros perduci jussit. Quò quum duceretur, & indulgentiùs haberetur, à suis custodia noctu subducitur, & usque ad Imperatoris reditum ab Aquitania, quaquaversum valuit & voluit, pervagatur. Et tunc quidem Imperator inter filios suos Lotharium atque Carolum quandam divisionem Regni constituit.* Ad istam Regni divisionem refer hanc Nithardi periodum. *Per idem tempus Aquitania Pippino dempta Karolo datur, & in ejus obsequio primatus populi, qui cum patre sentiebat, jurat.* Tunc Ludovicus Augustus Lotharium & Carolum filios amore prosequebatur, iratus autem erat Pippino & Ludovico propter nupertimos Bojoariæ & Aquitaniæ tumultus. Ut Pippini sortem sive Aquitaniam Carolo tribuit, sic & Ludovici sortem seu Bojoariam Lothario concessit. Auctionem Carolinam confirmat Nithardus jam citatus, Lotharianam conjecturâ niti credimus admodum probabili. Novâ igitur divisione Franciæ, vocati sunt Lotharius in consortium Imperatoriæ Dignitatis & Regnorum Longobardici ac Bojoarici, Carolus in consortium Regnorum Alamannici & Aquitanici. Novam hanc Regni divisionem, quam Ludovicus Imperator fecit, & juramenta, quæ populus præstitit, Agobardus Lugdunensis Archiepiscopus in apologia pro filiis Imperatoris ita damnat initio capitis tertii. *Attendite & videte si factum est unquam hujusmodi. Juratum est ergo Imperatori seniori, & eodem jubente iidem ipsi juraverunt Imperatori juniori; & iterum ipso facien-*

AN. CH. 832.
LUDOV. IMP. 19.
LOTHAR. IMP. 16.
PIPPINI R. 18.
LUDOV. R. 16.
CAROLI R. 3.

[a] Cap. 41.

BERNARDUM DUCEM PALATINIS HONORIBUS PRIVAT.

[b] Cap. 41.

AQUITANIAM A PIPPINO AD CAROLUM, BAJOARIAM A LUDOVICO AD LOTHARIUM TRANSFERT.

AN. CH. 832. LUDOV. IMP. 19. LOTHAR. IMP. 16. PIPPINI R. 18. LUDOV. R. 16. CAROLI R. 3.

te, aliqui ex ipsis juraverunt Regi fratri, & ad postremum penè omnes compulsi sunt jurare puero. Ut Carolum in contemptum & invidiam vocet, puerum illum appellat, & omnem penè populum ei fidelitatem cum juramento pollicitum dicit. Lege quæ superiùs ex eodem libro apologetico recitata sunt ad annum Redemptoris octingentesimum tricesimum quo Juditha in exilium pulsa est, & ad annum Redemptoris octingentesimum tricesimum-primum quo revocata est in Palatium. Ubique Agobardus non Ludovicum duntaxat Imperatorem, sed & Juditham Augustam eorúmque filium Carolum passim contumeliis & calumniis afficit. Portò Ludovicus Augustus, in Regni divisione de qua loquimur, Lotharium filium natu maximum in consortium Imperatorii Nominis ac Regnorum Longobardici atque Bojoarici, & Carolum filium natu minimum in consortium Regnorum Alemannici & Aquitanici sic adsciscit, ut ceteras Franciçæ Monarchiæ ditiones, quæ cis Rhenum in Galliis, ultra Rhenum in Germania spatiosissimæ sunt, absque filiorum consortio sibi soli reservet administrandas, easdem alio pòst Testamento certis ut visum fuerit legibus cuilibet aut quibuslibet filiorum suorum quando voluerit assignaturus. Agobardus Abbas est Monasterii Medardini, nec adhuc ad Lotharium transiit, de illius defectione agemus anno proximo. Interim observa partitionem Regni, quam Ludovicus Augustus hoc anno constituit, suum non esse sortitam effectum propter civiles discordias, de quibus ad subsequentes annos fusè nobis disserendum erit. Id breviter Astronomus sic innuit. *Imperator inter filios suos Lotharium atque Carolum quandam divisionem Regni constituit. Quæ tamen ingentibus impedimentis, quæ dicenda sunt, pro vota minimè cessit.* Pergit hic Auctor. *Eo porrò tempore visum est Imperatori ab Aquitania recedere, sed post paucum tempus idem ad Missam Sancti Martini populum convocavit.*

VIII. Mense Octobri, cùm Lemovicis esset, in celebri Monasterio, cui nomen Sancti Martialis deinceps impositum fuit, Basilicam Salvatoris dedicandam curavit. Ademarus in suo Chronico sic habet Tomo secundo Bibliothecæ Labbeanæ. *Ludovicus Conventum generalem tenuit in Palatio Jogentiaco* seu Jocundiaco *in Lemovicino, & cum glorio magna dedicare jussit Basilicam Salvatoris Regalem mense Octobri, & levatum corpus Sancti Martialis anno Incornationis Domini* DCCCXXX, repone DCCCXXXII. *Eodem mense positum est post Altare Salvatoris ad cryptam majoris vitreæ, præsente ipso Imperatore. Tunc hyems asperrima fuit, & reversus Imperator Franciam, post modicum tempus captus est à tribus Regibus, filiis suis, Lothario, Ludovico, & Pipino.* Hæc postrema periodus mendum arguit, quod in anni numeros irrepsit, restituendúmque suadet annum DCCCXXXII, sub cujus exitum Imperator ex Aquitania in Franciam seu cis Ligerim per asperrimam hyemem remeavit, annóque postero captus est & exauctoratus à suis filiis, ut ad illum annum dicturi sumus. Interim audi quid Astronomus memoret de Ludovici reditu ex Aquitania. *Eo porrò tempore visum est Imperatori ab Aquitania secedere, sed post paucum tempus idem ad Missam Sancti Martini populum convocavit, filiúmque Pipinum fugientem ad se quoquo modo revocare voluit. Sed illo id refugiente, asperrima hyemis incubuit inclementia, primò quidem pluviarum plurimarum inundantiâ, deinde humectationem terræ glaciali rigore astringente, qua adeò noxia fuit, ut subtritis pedibus equinis rarus quisque foret, qui vectione equorum uteretur. Fracto ergo exercitu multo laboris incommodo, & improvisos excursus Aquitanorum subinde & molestè ferente, statuit Imperator ad villam, cujus vocabulum est Restis* * in Andegavia prope Montem Sorelli, *venire, ibíque Ligeris amne transmeato in Franciam hyematum redire. Quod & fecit, licèt minùs honestè quàm decuit.* Natalem Domini Cenomannis celebravit. Observat enim Bertinianus Annalista Ludovicum Augustum, quia Pippinus spretâ patris jussione à cœpto Franciam versùs itinere regressus

LEMOVICIS BASILICAM SALVATORIS DEDICANDAM ET CORPUS S. MARTIALIS ELEVANDUM CURAT.

* *Saint Pierre de Rez proche Montsoreau.*

RECEDIT EX AQUITANIA.

AN. CH. 832. LUDOV. IMP. 19. LOTHAR. IMP. 16. PIPPINI R. 18. LUDOV. R. 16. CAROLI R. 3.

fuerat, in Aquitania diutiùs quàm statuerat moratum esse, atque in Festo Nativitatis Dominicæ Cenomannis degisse. *Pippinus de incæpto itinere regrediens paternam jussionem implere contempsit, Domno Imperatore per alias partes Aquitaniæ in Franciam revertente. Dùmque hoc illi nunciatum esset, non tam citò in Franciam venit, sicut dispositum habuerat, sed propter hoc aliquantis diebus illis in partibus moras faciens, tandem ante Natalem Domini Cinomannis pervenit. Nam ibi celebratis sanctis diebus, recto itinere Aquis pervenit.*

IX. A Clarissimo Viro Stephano Baluzio vitam Sancti Convoionis manuscriptam atque tres in libros digestam accepimus. Primus liber in duodecim distribuitur capita, quorum octavum res hoc anno gestas complectitur. *Venerabilis Convoion perrexit ad Palatium Lodovici Imperatoris, qui tunc temporis exercitum ducebat in provincia Aquitania, in loco Lingdia, qui tunc consistebat in Palatio in Cadrico monte.* In dubium vocari non potest, quin ille textus debeat ad hunc annum referri, quo Ludovicus Augustus cum copiis in Aquitaniam contra Pippinum filium res novas molientem profectus, adiit Lemovicas civitatem, Annalistæ Nazariano [a] Limodiam, corruptè biographo vel exscriptori Lingdiam, diúque moratus est in Jocundiaco * Palatio. Covoionus seu Convoïon, *cùm ante Imperatorem extitisset, rogavit eum pro Dei misericordia, ut ei daret locum Sanctum, nomine Rothonum.* In eorum numero, *qui* beato viro *in illis diebus erant contrarii*, ponuntur *Ricowinus Comes & Rainarius Pontifex.* Hic Rainarius non alius est à Ragenario Venetensium Episcopo, qui licentiam in Rothonensem eremum secedendi cum sociis eidem Convoioni priùs fecit, ut Tomo superiore [b] diximus. Illo igitur Episcopo & Ricowino Comite apud Ludovicum agentibus, repulsam ab hoc Imperatore passus est Convoion, eo prætextu, quòd locum in confinio Britanniæ situm, qui potiùs muniri propter utilitatem Regni debebat, sibi suísque fratribus dari postularet.

[a] Ad an. 761.
* Joac.

COVOIONO ROTHONUM SIBI DARI POSTULANTI NON ACQUIESCIT.

[b] Ad an. 820. n. 26.

X. Hoc anno, Indictione decimâ, Vuolfeon Constantiensis ad Rhenum Episcopus Formatas literas Bernalto Argentariensi seu Strasburgensi Episcopo scripsit pro Annone Clerico Constantiensi, ut in Bernalti parochia manere & ad sacros Ordines ab eo promoveri posset. Tenor epistolæ talis est. Π. Υ. Α. Π. *Sanctissimo in Christo Fratri, summâque dulcedine amplectendo, Bernalto Argentariensis civitatis Episcopo, Vuolfeon Constantiensis Ecclesiæ Præsul perpetuæ beatitudinis optat in Christo salutem.* Υ. Ε. Ν. Σ. *De cetero noverit sancta Fraternitas vestra, quòd iste Clericus, nomine Anno, nostra in Parœcia instructus ac detonsus parvitatem nostram rogavit, quatenus illo commendatitias literas conscriberemus, quibus vestra Celsitudini commendatus sub tuitione vestri regiminis degere possit. Cujus voluntati consentientes, secundùm Canonicam auctoritatem literas ei dimissorias dedimus, per quas & ipsi concedimus, ut sub vestro Magisterio divina servituti insistens, sua deserviat utilitati, & vobis licentiam tribuimus, ut si dignum eum judicaveritis, ad sacros Ordines promoveatis. Commendatum ergo eum curæ vestræ suscipite, & nostris ex partibus absolutum in vestrarum ovium numero custodite. Quas literas, ut vigore veritatis firmatæ indubitanter à vobis suscipiantur, literis Græcis, ut Canonica docet auctoritas, confirmare satagimus. Sancta Trinitas vestram beatitudinem ad regimen sanctæ suæ Ecclesiæ perpetualiter benè valere concedat.* ϟ θ. *Indictione* X. *Continet hac Formata Epistola summam numeri* MCCCCXXV.

LITERÆ FORMATÆ EPISCOPI CONSTANTIENSIS AD STRASBURGENSEM PRO ANNONE CLERICO.

XI. Ad hanc epistolam ita Sirmondus [c]. *Indictio* X *& Vuolfeonis Episcopatus annum denotant* DCCCXVII. *Summa verò totius numeri sub finem Formatæ adscripta constatur ex numero communi* DCLX, *& ex proprio* DCLXV, *qui exsurgit ex literis* Υ. Ε. Ν. Σ. *& Indictione* X. De numeris communi ac proprio lege quæ Tomo superiore dicta sunt ad annum Redemptoris octingentesimum decimum [d]. Hîc tantùm observa Bernaltum, cui Vuolfeon Constantiensis Episcopus scribit, anno Redemptoris octingentesimo decimo-septimo nondum Episcopum fuisse, ideóque quærendum alium an-

[c] In Append. ad Tom. 2. Conc. Gall.

[d] Num. 103.

AN. CH. 832. LUDOV. IMP. 19. LOTHAR. IMP. 16. PIPPINI R. 18. LUDOV. R. 16. CAROLI R. 3.

num, cui pariter Indictio decima conveniat. Talis est annus post Christum natum octingentesimus tricesimus-secundus, illo enim anno Vuolfeonem & Bernaltum Episcopos in vivis superstites extitisse multa, quæ discutientur inferiùs, egregiè confirmabunt.

XII. MEINRADUS IN EREMUM SECEDIT.

Meinradum Augiensem Monachum, quem in Cella Ballinga Scholæ præfectum diximus, circa hunc annum in eremum secessisse scribit Christophorus Hartmannus. Quomodo se res habuerit, Auctor vitæ sic enarrat [a]. *Quadam die sumpsit secum Scholasticos quos nutrierat, & prædictum lacum*, nempe *Turicinum* seu Tigurinum [*], *transnavigans intravit eremum, qua ipsius laci littori adjacet, & usque ad Alpes Penninas tendit, atque ad villam Chama, caussâ piscationis, & ad loca eremi intuenda. Perveniunt itaque ad fluvium quemdam, qui in ipsa decurrit solitudine, ibíque vir beatus ad piscandum occupat comites, ipse verò in consideratione solitudinis solus spatiabatur, accensus enim erat nimiùm amore solitariæ sedis. Quâ consideratione dum mentem diu pasceret, rediit ad socios, invenítque eos non parvâ prædâ piscium oneratos, quos taliter affatur. Gratias largitori, qui nos suis misericorditer ditavit donis. Jam filii, si placet, redeundum est proprios invisere lares. Regrediuntur, villámque deveniunt non longè à littore distitam. Ibi cujusdam matronæ hospitium intrantes paullulùm quieverunt, reficientes se cibo & potu. Vir autem Dei prædictam matronam cernens Dei timore plenam, & ad obsequendum hospitibus promptissimam, ardorem sui animi occultum ei aperuit, his verbis incipiens. Cara Christo fœmina, si velles audire, secretum cordis mei tibi manifestarem, sed antequàm id agam posco ut verba mea atque voluntatem occultes, quousque cernas si possit opere compleri, quod credo me devotâ mente concepisse. Habitatione hujus eremi ultra omnes divitias delector, cuperémque jam in ea collocare mansiunculam meam, ut familiariùs possem precibus vacare, si quempiam reperirem, qui necessaria corporis mihi ministrare ob Dei amorem vellet. Sed quia adhuc hoc solatio defraudor, posco interim occultari quod cupio. Illa à Deo inspirata (ut credo) respondit. Secretum nulli te nolente revelabo, noveris autem, si in cœpto persistere vis, me necessaria propter Dominum tibi ministraturam, & quantùm possum tuo voto satisfacturam. Ille promissis rependens gratias repedavit ad Cellam unde digressus est, ibíque jejuniis & orationibus continuis à Deo poposcit, ut quicquid de hoc negotio ei placuisset, in suo animo confirmare dignaretur. Tandem confortatus divinâ inspiratione reliquit Cellam Scholámque cui præerat, & revisit hospitam suam explorare volens utrùm in sua promissione persistere vellet, an non. Quam dum in præbendo sibi promisso solatio perdurasse sensisset, non longè ab ipsa villa, in qua eadem fœmina commanebat, in eremo sibi habitaculum construxit, atque ibidem jejuniis & orationibus indefessus Creatori servivit, necessaria præbente ei prædictâ matronâ necnon & aliis religiosis viris.* Hæc Auctor vitæ. Addit Hartmannus Meinradum in eremum non priùs secessisse, quàm ab Erlebaldo Abbate suo licentiam accepisset, atque in eadem eremo Cellam mediocrem necnon & Sacellum ex pia prælaudatæ fœminæ munificentia constructum fuisse.

[a] Ap Bolland. d. 21. Jan.

[*] de Zurich.

XIII. FELIX FIT EP. CORENTINOPOLITANUS.

In Armorica Sancta Felix hoc anno Corentinopolitanus ordinatur Episcopus. Antecessorum, qui post annum Christi septingentesimum primum sederunt, interierunt nomina.

XIV. CANONICI LOBIENSES REFORMANTUR A THEODORICO EP. CAMERACENSI.

Baldricus in suo Chronico [b] sic scribit de Theoderico Episcopo Cametacensi. *Iste etiam anno Domini* DCCCXXXII, XVI *Kal. Decembris ordinationem Clericorum fecit in Monasterio Laubiensi.* Fulcuinus illam ordinationem, cujus nec diem nec annum in Gestis Abbatum Lobiensium notat, primam appellat, asserítque factam temporibus Abbatis Eggardi, qui post Fulradum anno Redemptoris octingentesimo vicesimo-sexto Laubias administrare cœpit, ut ad illum annum Tomo superiore probavimus. Textus Fulcuini talis est capite undecimo. *Decessit prædictus Abbas* Fulradus *triennio post præfatam Elevationem* (id est, post Elevationem Sancti Ursmari, quæ capite præcedenti consignatur *anno Domini octingentesimo vigesimo-tertio*,

[b] Lib. 1. c. 42.

relinquens post se Eggardum Abbatem, cujus tempore ordinatio prima facta est in Monasterio nostro, agente Theoderico Cameracensi Pontifice, adhuc Hludovico Imperatore superstite. Ad textum Baldrici suprà descriptum rectè Colvenerius ita ratiocinatur. *Non videtur velle significare, quod ibi sacros Ordines contulerit, quia hoc non solet fieri* XVI *Kal. Decemb. id est 16 Novembris, cùm non tunc quatuor tempora, sed fortè quòd ibi Clericos constituerit aut reformarit. Quò pertinet quòd Massæus & ex eo Demochares hunc Theodoricum vocet fundatorem Monasterii Lobiensis, quod rectè accipias eò quòd auxerit & amplificaverit idem Monasterium. Alioqui ex 2 lib. c. 37 constat multò antè fuisse fundatum & extructum à S. Landelino tempore S. Autberti.* Existimamus ordinationem à præcitatis Auctoribus usurpari pro reformatione, textuúmque, quos allegavimus, genuinum hunc esse sensum, quòd Theodoricus Cameracensis Episcopus ordinarit in Monasterio Lobiensi, quomodo illius loci Clerici seu Canonici vivere deberent, & hæc prima fuit Monasterii Lobiensis reformatio post Synodum Aquisgranensem, quæ celebrata fuerat ante annos quindecim, multáque statuerat ad vitam Canonicorum laudabiliter instituendam. Canonicos autem Abbates ab anno Redemptoris octingentesimo primo in Lobiensi Monasterio fuisse non obscurè docet Fulcuinus [a], ubi de proximis Ansonis successoribus ita scribit. *Hic*, nempe Anso Abbas Monasticus, *sub præfato obiit Karlo eo quo idem Imperator factus est anno. Post quem eamdem Abbatiam usurpavit Hildricus Canonicus sub ipso Imperatore, & post eum Ramnericus tempore Domni Hludovici Imperatoris.* Ramnerico successit Foltadus, huic Eggardus, cujus tempore facta est prædicta ordinatio seu reformatio.

AN. CH. 832. LUDOV. IMP. 19. LOTHAR. IMP. 16. PIPPINI R. 18. LUDOV. R. 16. CAROLI R. 3.

[a] Cap. 9.

XV. TRANSLATIO S. CARILEPHI.

Albanus Abbas Anisolensis seu Carilephianus in Diœcesi Cenomannensi, Basilicam Sancti Carilephi renovavit à fundamentis, & in ea collocandum curavit corpus ejusdem Sancti Carilephi per Franconem Episcopum Cenomannensem, hujus nominis Secundum, Ludovico Pio Imperatore. Lege Joannem Mabillonium [b] in notis ad librum quem Adalhelmus Sagiensis Episcopus de Miraculis Sanctæ Opportunæ conscripsit. Quonam anno consignanda sit hæc Sancti Carilephi Translatio, nemo determinatè prodit. Totus Franconis Secundi seu Junioris Pontificatus cum Imperio Ludovici Pii coincidit. Obiit enim hic Episcopus octavo Idus Novembres, hoc anno, ut Corvaisierus & Bondonnetus affirmant; seditque annos sexdecim, menses quatuor, dies octo, ex Bondonneti calculo; nec aliò recedit Auctor epitaphii cùm anno Pontificatûs decimo-septimo sublatum è vivis testatur hoc apud Corvaisierum distícho.

[b] Tom. 2 Sec. 3. Benedict.

FRANCO EP. CENOMANNENSIS OBIT.

Jámque decem & septem fermè volventibus annis
Abstractus carni fertur ad astra poli.

XVI. SUCCEDIT ALDRICUS

Successit in Episcopatum Aldricus. Ejus vitam ex antiquis Codicibus à Joanne *Moreau* Canonico Cenomannensi publicatam, & à Petro Viello sermone vernaculo donatam, Latinè rursum reddidit Joannes Bollandus ad diem septimam Jannuarii; nuperrimè verò vitam eamdem, ut ab ipsius Aldrici discipulis scripta fuit, & in veteri Codice manuscripto Cenomannensis Ecclesiæ continetur, Stephanus Baluzius libro tertio Miscellaneorum in lucem emisit Nonis Martiis anno Christi millesimo sexcentesimo octogesimo. Initium operis in editione Baluziana sic reperitur. *Dominus Aldricus Cenomanica urbis Episcopus, natione patris ex parte Francus sive Saxo, matris quoque ex parte Alamannus, atque Bajuvarius. Pater ejus nominabatur Sion, mater quoque ejus Gerildis. Prædictus ergo Episcopus Regia ex progenie ortus, atque aliis nobilissimis parentibus est procreatus. Ab infantia autem cum Episcopis enutritus atque ab eis nobiliter & sapienter est instructus; Ecclesiasticis quoque disciplinis voluntariè se submittens, ordinabiliter congruentérque est inconnexus. Jam enim duodecim annos habens, à jam dicto patre suo ad palatium deductus est & glorioso Karolo Francorum Regi atque Domno Hludovico ejus filio*

AN. CH. 832.
LUDOV. IMP. 19.
LOTHAR. IMP. 16.
PIPPINI R. 18.
LUDOV. R. 16.
CAROLI R. 3.

honorificè commendatus, & ab eo est decenter susceptus. Ipse videlicet omnibus bonis moribusque dulcibus ornatus, omnia omnibus factus est, & tam Regi quàm omnibus ejus optimatibus & Regi famulantibus Domino annuente placere meruit. Per diem itaque Regi & fidelibus suis amabiliter militans Domino autem nocte & secretè totis nisibus & vigiliis atque orationibus serviens, gratiam divinam meruit assequi. Sed sollicitè evenerat, ut quandocumque locus ei eveniret in Ecclesia Sancta Maria quæ est constructa in Aquisgrani Palatio secretè psalmos decantaret & orationes faceret. Quadam autem die in prædicta Ecclesia Sancta Maria in sinistra parte altaris secretè Psalmos suos cantans instinctu divino corde admonitus est, ut militiam secularem dimitteret, & Domino solummodò famulari studeret. Ipse quoque adhuc teneræ ætatis erat, atque pube tenus. Tunc primò is... se incipiebat, timens valdè ne hoc illi diabolica ex parte suggereretur, obnixè Deum deprecatus est, ut intercessione Beatæ Mariæ in cujus Ecclesia orabat, si divinitus jam dicta voluntas in ejus corde versaretur, manifestum ei pro sua misericordia faceret; sin autem diabolica immissio esset, similiter & hoc illi notum faceret. Totis itaque nisibus & flectendo genua, pectusque tundendo, ante prædictæ Sanctæ Mariæ aram deprecatus est ut Domini ex hoc meruisset facere voluntatem, ut diabolus eum seducendi nullum locum haberet. Ipse enim divinitus in ante dicta bona voluntate confortatus & firmiùs subjugatus est & pleniùs corroboratus. Deinde cœpit toto corde rogare Deum ut si diaboli esset exhortatio, recederet ab eo, & si divina esset gratia, pleniter eam secundùm Dei voluntatem adimplere meruisset. In hac autem intentione fermè dimidium annum corde angens, Angelica & divina confortatione suffultus, ad Regem deprecaturus accessit ut secularem militiam dimittere ei liceret & militia spirituali se conjungere atque eum Domino famulari permitteret. Nullo tamen nisi tantummodo uno Deum timenti amico suo & carissimo familiari hoc confessus est, timens quippe ne si hoc sui intelligerent parentes & amici, ei hoc facere minimè permitterent. Rex autem hæc audiens, oppidò tristatus est, promisitéusque ei duodecim & ampliùs comitatus se daturum si hoc dimitteret & in sua militia perseveraret. Ipse vero à Rege hoc audiens ait, etiamsi dimidium suum Regnum ei daret, ipsam voluntatem propter hoc non dimitteret. Videns autem Rex se illum à sua intentione non posse avertere, concessit ei licentiam & locum ubicunque eligeret in suo regno. Tunc ergo ipse inspirante divinâ gratiâ petivit locum sibi dari in quadam civitate cujus vocabulum est Mediomatricis, quæ & alio nomine Mettis vocatur; sibique cum duobus Clericis tantummodo postulavit dari præbendam. Rex autem & hoc concessit, & quantum volebat sibi dare spopondit. Tali enim conditione licentiâ acceptâ, à Rege osculatus est, & ad jam dictam urbem festinando profectus est; ibique amabiliter & devotè ab omnibus susceptus, & Clericus ab Episcopo ejusdem civitatis & cuncto Clero divinis benedictionibus decantantibus & hymnis spiritualibus modulantibus confortatus est, & vestimentis clericalibus indutus, & manuum impositionibus ab Episcopo & à cunctis Sacerdotibus clericali benedictione consecratus, inter seniores fratres est collocatus. Deo igitur ibi totis nisibus die noctuque deserviens, factum est ut multos Domino lucrifaceret. Cantum quippe Romanum, atque Grammaticam sive divinæ scripturæ seriem humiliter discere meruit, quibus & donante omnium Domino pleniter atque doctissime instructus est. Post duos quoque clericatus sui annos ab Episcopo ejusdem civitatis nomine Gundulfo in Ecclesia Sancti Stephani Diaconus est ordinatus. In ipso igitur gradu tres fermè annos militans mirabiliter & doctè quotidie Diaconatus sui adimplere certavit officium. Mortuo quoque jam dicto Gundulfo prædicto ordinatore suo alius Episcopus in eadem civitate nomine Drogo filius Karoli piissimi Imperatoris subrogatus & ordinatus est: qui videns prædicti Aldrici Levitæ, intentionem & studium bonum, quod tam in ministerio suo quàm & erga omnes habebat, cœpit eum exhortari ut Sacerdos efficeretur. Noluit autem jam dictus Diaconus Aldricus neque ausus est divinam repellere benedictionem, ad quam sæpiissimè vocabatur à Drogone ejusdem civitatis Episcopo & successore jam dicto ordinatori suo, dum nobiliter degebat in Diaconatus officio, eligente eum clero & populo Presbyter est ordinatus.

AN. CH. 832. LUDOV. IMP. 19. LOTHAR. IMP. 16. PIPPINI R. 18. LUDOV. R. 16. CAROLI R. 3.

Ipse autem meliùs ac meliùs virtutum pollens actibus multósque erudiens suis prædicationibus sive bonis exhortationibus, multos & innumerabiles Deo & Sanctæ Ecclesiæ lucrari meruit. Demùm quoque eligentibus fratribus, & suadente sive exhortante Episcopo suo Drogone, licèt coactè, senior cantor ibi sublimatur. In Scholis verò in quibus jam magister erat constitutus sapienter multos & innumerabiles in supradictis artibus erudiens, magnum lucrum in Sancta Dei Ecclesia facere meruit, immò innumerabiles in jam dictis artibus doctissimè erudivit. Videntes igitur eum antedictus Pontifex Domnus Drogo & cunctus Clerus sive populus in jam dictis ministeriis & doctrinis magnum habere studium & multos doctores & magistros nobiles fecisse, in majus eum ministerium, quamvis coactè sublimaverunt, & Primicerium secundùm Romanum ordinem eum esse constituerunt, totúmque clerum tam civitatis quàm & Monasteriorum sive totius civitatis parrochia ei subditum esse præceperunt, & magistrum omnium eum constituerunt. Ille enim in his studiosissimè Domino serviens omnibus bonis hominibus amabiliter famulari meruit; eúmque cuncti boni ita amabant quasi semetipsos; & quidquid eis imperabat, libenter faciebant. Audiens autem Hludovicus Imperator Francorum ejus opinionem, ad se eum vocavit, & in suo Palatio, volente vel nolente, eum seniorem Sacerdotem suúmque Confessorem præesse constituit. Qui & ibi omnibus Palatinis bonis placens, ut solitus erat, omnibus omnia factus ab omnibus honorabatur, atque venerabatur. Ita quoque omnes eum diligebant si fieri potest, quasi semetipsos, ejúsque jussionibus in omnibus quasi senioris voluntarie & bono animo obtemperantes erant. Quatuor autem menses cum Imperatore in suo Palatio nobiliter degens, eíque amabiliter serviens, nec ad unum diem licentiam exinde evadendi & in patriam pergendi impetrare valebat. Episcopatum ei quippe quoddam, cujus vocabulum est Cenomanis, eligente eum ejusdem provinciæ Archiepiscopo Landramno, atque Comite ejusdem parrochiæ Rorigone, sive omnibus præfixæ parrochiæ nobilibus hominibus, atque cunctis Palatinis & clero & populo, per baculum Landramni Turonicæ civitatis & prædictæ parrochiæ Metropolitani jam dictum Episcopatum in sua præsentia & eo instigante à Hludovico gloriosissimo Imperatore orantibus cunctis cura pastorali est commissum; qui & hoc refugiens, & nolens prædictum Episcopatum suscipere, omnibus tamen, licèt coactus, hortantibus, ipsum sacrum suscepit ministerium. Ordinatus quoque à suo prædicto Metropolitano & cæteris nobilibus & sapientibus Episcopis in idipsum convenientibus eligente eum clero & populo in prædicta civitate & in ipsa matre Ecclesia die XI Kal. Januarii est, anno igitur incarnationis Domini nostri Jesu Christi DCCCXXXII Episcopus est consecratus. Tertio autem die post ordinationem suam jam dictus Domnus Imperator in suam adveniens civitatem, gratias agens Dominum laudavit quod jam ordinatus erat Episcopus. Prædictus ergo Pontifex Domnum Hludovicum Imperatorem cum psallentio & hymnis & canticis sive crucibus & cæteris divinis oraculis benignè & sapienter suscipiens, eúmque ad Ecclesiam manu tenens & deducens per altaria orando suis precibus eum Domino commendavit. Suprascripto igitur Imperatori omnibúsque suis nobiliter & dulciter famulari studuit, ibíque Domnus Imperator Hludovicus nativitatem Domini Nostri Jesu Christi, præfato Aldrico Episcopo & suo clero sapientissimè & honorificè officium peragente solemniter celebravit. Octo quoque dies in eadem civitate Domnus Imperator residens, villam quandam quæ Brogilus & Novavilla nuncupatur cum omnibus ad se pertinentibus, quæ dudum inde abstracta & in beneficium data fuerat, per suum Præceptum ei atque Ecclesiæ suæ sedis sive Clericis & Domini servis inibi Domino famulantibus jure firmissimo perpetuis temporibus possidendam reddidit.

XVII. In hoc textu ut & in editione Bollandiana nonnihil difficultatis oboritur circa diem undecimum ante Kalendas Januarias, quo Aldrici Pontificis ordinatio consignatur. Hæc diei nota servari non potest, omittitur à Corvæsiero, mutatur à Bondonneto in v. Id. Novembris. At utrobique manifestus est error, Aldricus enim nec quinto Idus Novembris, nec undecimo Kalendas Januarii consecratus est Episcopus. Certè non quinto

AN. CH. 832. LUDOV. IMP. 19. LOTHAR. IMP. 16. PIPPINI R. 18. LUDOV. R. 16. CAROSI R. 3.

Idus Novembris, nam octavo easdem Idus cùm decessor obiit, in Aquitania morabatur adhuc Ludovicus Augustus, ut ex hoc Astronomi textu jam citato liquet. *Visum est Imperatori ab Aquitania recedere, sed post paucum tempus idem ad Missam Sancti Martini*, sive ad III Idus Novembris, *populum convocavit, filiúmque Pipinum fugientem ad se quoque modo revocare voluit.* Quis autem sibi persuadeat intra triduum à Franconis obitu successorem electum, nuncium electionis Cenomanno in Aquitaniam directum ad Imperatorem, & annuente Augusto ipsum electum Turonis à Turonensi consecratum fuisse Metropolita? Corvæsierus & Bondonnerus undecimo Kalendas Januarii non ordinationem Aldrici Episcopi, sed ejus ingressum in civitatem Cenomannensem consignant. Huic opinioni nihil refragari videtur. Ab octavo Idus Novembris ad undecimum Kalendas Januarii, dies effluxerunt sex & quadraginta. Tanto temporis spatio confici potuerunt, quæcumque de Aldrici electione Cenomanni peracta & ad Imperatorem in Aquitania commorantem relata, necnon & de ejus ordinatione per Landrannum Turonensem Archiepiscopum Turonis facta, & adventu in urbem Cenomannicam circumferuntur. Joannes *Maan* in Historia Turonensium Archiepiscoporum inter alia de Landranno scribit, quòd *Aldricum Cenomanorum Episcopum, Ludovici Pii jussu electum in locum Franconis, ordinavit Turonis mense Decembri 832.* Si facta fuit hæc ordinatio Turonis undecimo Kalendas Januarii, quis credat Aldricum tantâ pòst usum festinatione, ut Turonis Cenomannum venerit, ibique susceperit Imperatorem ante Nativitatem Domini, quæ celebratur octavo easdem Kalendas? Existimamus Aldricum ordinatum Episcopum fuisse Turonis decimo-octavo Kalendas Januarii, die Dominico, & civitatem Cenomannicam ingressum undecimo easdem Kalendas, & postridie sive in pervigilio Dominicæ Nativitatis Imperatori adventanti occurrisse. Bollandus Aldricum *ad Caroli Magni aulam à Patre* deductum ait, postquàm *ad omnem virtutem ac sapientiam efformatus disciplinâ ac domestico convictu duorum Cenomannensium Præsulum Franconis primi ac secundi* fuisset. Sed hæc periodus benignâ eget interpretatione, quia Franco Primus Carolo Magno superstes vixit, obiitque anno Redemptoris octingentesimo decimo-sexto. Censemus Aldricum ab utroque Francone institutum, fuit enim sub utriusque disciplinâ nempe Franconis Senioris seu Primi tunc Episcopi & Franconis Junioris seu Secundi nondum Episcopi cum Francone Seniore Patruo suo ac Episcopo tunc commorantis.

XVIII. MONASTERII BODECENSIS ERECTIO ET DEDICATIO.

Hoc anno bissextili, qui Dominicalibus literis, G ante bissextum & F post bissextum, præditus fuit, quarto Idus Novembris, die videlicet Dominico, dedicata est Ecclesia Monasterii Bodecensis in Episcopatu Paderbornensi. Puellaris hujus Cœnobii conditor fuit Meinulphus Paderbornensis Diaconus, cujus vitam apud Gobelinum Personam, apud Lautentium Surium, & apud Christophorum Browerum consule. Personæ stylum passim mutavit Surius, Browerus manuscriptos Codices consuluit, & stellulis notavit amputatas à se digressiones & omissa brevitatis ergò Miracula. Meinulphus, quem anno Christi septingentesimo nonagesimo-nono, cùm *per ætatem ambulare jam posset*, baptizatum probavimus [a] *puer ad primariam sive Cathedralem Ecclesiam* Paderbornensem *literis addiscendis est admotus. Cúmque ætate & scientiâ proficeret, Baduradus Episcopus eum Monasterii Ecclesia Paderbornensis Canonicis accuratè commendavit, ut sub instituto regulari pietatis & bonorum morum acciperet incrementa. Ubi ille sanè cum ætatis accessione tantos habuit in vera pietate progressus, ut Episcopus morum ejus gravitate & haud obscuris virtutum indiciis multivariis permotus eum sibi peculiariter à secretis esse voluerit. Erat namque ingenio perspicax, corpore castus, mente pius, ac Deo devotus, justitiâ pollens, instructus temperantiâ, consilio providus, fortis in adversis, largus eleemosynis, sermone facundus, corporis formâ decorus. Deinde*

[a] Tom 6 a. 799 n. 46.

AN. CH. 832. LUDOV. IMP. 19. LOTHAR. IMP. 16. PIPPINI R. 18. LUDOV. R. 16. CAROLI R. 3.

sacris initiatus, Diaconus ordinatus est, in quo ordine ad supremum usque vitæ diem permansit. Accidit autem, ut quandoque Baduradus in familiari colloquio circumstantibus quæstionem proponeret, quid sibi vellent ea Salvatoris verba; [Vulpes foveas habent, & volucres cæli nidos; filius autem hominis non habet, ubi caput suum reclinet,] & quidam ex eis responderet, Meinulpho audiente, Christus filius hominis, cordis nostri domicilium sibi expetit, sed peccata nostra eum inde excludunt. Quod responsum, cùm Episcopus illud mox approbasset, Sancti Meinulphi animum tanto Christum in pectoris sui hospitio recipiendi accendit desiderio, ut non satis putaret suum illi præparare pectus, sed etiam Templum materiale illi construere modis omnibus peroptaret. Cùmque de loco opportuno multa apud se sollicitus pertractaret, subulcus ejus pro more porcorum gregem pascens in valle patrimonii illius, de improviso mira lucis splendorem inter arbusta conspexit. Eâ visione obstupefactus in eum locum, ubi splendor apparuit, cùm curiosiùs intenderet, multas vidit cervas, modò circumeuntes locum illum, modò in illo subsistentes. Tanta igitur rei novitate perculsus, relicto grege, abit ad inquirendum Meinulphum Dominum suum, inventóque exponit quid videret. His auditis, vir Deo devotus sibi piè persuadet hac subulci visione voluisse Dominum locum ipsi fabricandæ Ecclesiæ opportunum indicare. Sed cùm nihil ea in re, ut par erat, absque Episcopi consilio statuere auderet, Episcopum adit; quid subulcus dixerit, ei exponit. Episcopus magno affectus gaudio ait. Non nobis subulci persona vilescat, cùm constet pastoribus ante omnes nuntiatam esse Salvatoris Nativitatem. Interim tamen cogitans nonnumquam Angelum satanæ transfigurare se in Angelum lucis, mox adjecit. Expedit locum illum denuò adiri, si fortè visum sit Deo voluntatis suæ aliud signum exhibere. Itaque Sanctus Meinulphus cum subulco petit locum illum, & noctis caligine terrâ circumfusâ, dum in supplices preces genibus flexis incumbit, & splendorem lucis & cervarum gregem, perinde ut subulcus, videt. Laudans ergo Dei benignitatem surgit ab oratione, venit lætus ad Episcopum, quid viderit ordine commemorat. Episcopus de tanto Dei munere ei congratulans ita respondet. Ut ambiguitas omnis excludatur, mihi quidem consultum videtur, tertiam super hac re divinitus expetere visionem. Paret vir humilis, redit ad locum, offert pias Deo preces, fruitur eâdem quâ priùs visione. Tum verò ingenti repletus gaudio ad Episcopum properat, sui eum gaudii participem facit. Agunt ambo pariter gratias Summæ Trinitati, quòd idem Mysterium trinâ visione sub eadem forma revelare dignata sit. Etsi verò de illo eligendo loco ad structuram Templi jam nulla apud eos relicta esset ambiguitas, censuit tamen Episcopus hac in re deferendum authoritati Regiæ, ut sine illa nihil operis ibidem inchoaretur. Eâ autem tempestate Ludovicus, filius Caroli Magni, Imperii habenas moderabatur, & in Concilio Provinciali apud Aquisgranum anno tertio (legendum anno quarto [a]) *Imperii ejus habito, Ordo Canonicarum, quas seculares vocant, tum recèns constitutus erat. Itaque cùm non nisi sexûs feminei fera in ea, quam diximus, visione conspecta essent, Sanctus Meinulphus tum Majestati Divinæ, tum Imperatori quoque gratum fore piè sibi persuadebat, si in loco memorato ejusmodi Canonicarum ex bonis suis & patrimonii sui facultatibus Monasterium conderet, ut illic continenter viventes devotum Deo impenderent famulatum. Adit igitur Imperatorem, pium animi sui desiderium aperit. Imperator illud gratum habet, ejúsque precibus annuens literas ei suo obsignatas annulo impertit. Inde revertens Meinulphus in ipso itinere nova quadam cælestis beneficii consolatione afficitur. Cernit enim capsam, sacris condendis Reliquiis aptam, inter arbusta juxta viam hærentem, eam quidam ex familiaribus ejus deponit, offértque illi inspiciendam. At ille priùs circumquaque jubet inquiri, num quis ejus dominus sit; nemine autem aliquid juris in ea sibi vendicante, divinæ benignitatis muneri rem totam acceptam ferens, eam sibi divinitus transmissam piâ quadam fiduciâ arbitratur, nec tamen eam, nisi Episcopo præsente atque jubente, aperiendam censet. Mox igitur apportat eam ad Episcopum, isque eam reverenter aperiens, multas Sanctorum Reliquias veneratione dignissimas in ea contemplatur. Inde verò ad construendam Deo sacram*

[a] Vide Tom. 7. a. 817. n. 26.

AN. CH. 832. LUDOV. IMP. 19. LOTHAR. IMP. 16. PIPPINI R. 18. LUDOV. R. 16. CAROLI R. 3.

Ædem beatus Meinulphus fidentiùs inflammatur. Cúmque rursus locum diligentiùs inspecturus, solus eò se conferret, ut ejus capacitatem & totius structura rationem accuratiùs expenderet, alia ei visio oblata est. In eodem enim loco, ubi anteà viderat cervas motibus instabiles, cervum praestanti corpore, cornibus in sublime erectis, accubantem videt, mox verò ad Beati viri conspectum tanquam sibi, illo adventante, accubare non liceret, sese erigentem. Ipso autem ad cervi conspectum nihil territo, sed propiùs etiam accedente, cervus humi se prosternit. Eum insolitum bruti animalis gestum vir Sanctus Divino muneri tribuens, in cervum suos defigit obtutus, videtque inter ejus cornua radiare Crucis Dominica signum, omni auro rutilantius. Eo conspecto, intelligens adesse Dominum suum, multúmque eâ re lætatus in hujusmodi prorumpit verba. Jam mihi spes certa affulget, eum, qui quondam cum hoc vexillo inferorum claustra penetravit, adversùs diabolicos incursus hujus loci fore protectorem. Cúmque hac & id genus alia diceret, cervus ab ejus oculis disparuit. Tum ille accitis operariis exscindit arbores, extirpat vepres, & spinas, locum ocyus repurgat, Monasterium & ejus Ecclesiam extruit, & quarto Idus Novembris eam curat dedicari, multáque ex paternis bonis ei loco prædia largitur, instituítque illic Congregationem Secularium, ut vocant Canonicarum. Huc usque editio Suriana.

XIX. In Cosmodromio Gobelini Personæ, capite quadragesimo-ptimo ætatis sextæ, *Legati* Paderbornensis *Episcopi Baduradi*, qui *pro Reliquiarum Sanctarum receptione* Cenomannum missi sunt, hi *principales* nominantur, *Folodagus Advocatus Episcopi Baduradi, Meinulphus Archidiaconus, Adelbertus Presbyter, Aldricus Diaconus & Drudwinus Subdiaconus*, additúrque *quòd Meinulphus in Ecclesia Sancti Vincentii Cenomanensi vovit Monasterium Sanctimonialium fundare in honorem Beata Maria & Sancti Liborii in loco qui dicitur Bodicon.* Et in Metropoli Alberti Krantzii, capite duodetricesimo, *ferunt Sanctum Meinulphum*, qui Cenomannum cum aliis Baduradi Paderbornensis Episcopi Legatis venerat, *Cenomanis in Ecclesia Divi Vincentii, ut prosperare dignaretur Deus Legationem eorum, votum emisisse, ut in loco Budekem in suo patrimonio Dominarum erigeret Monasterium, quod devotus implevit.* At hi Scriptores in Notis ad duodevicesimum Monumentum Paderbornense sic refelluntur. *Nulla hujus voti apud Cenomanos nuncupati fit mentio in vita Sancti Menolphi, qua extat, & quam ipse Gobelinus conscripsit. Imò huic narrationi adversari videtur, quòd Sanctus Menolphus jam antè, quàm ad Cenomanos Legatus iret, Ludovicum Pium Imperatorem suasu Baduradi Episcopi, an. 816 Aquisgrani in Concilio Provinciali accesserit, facultatem ædificandi Monasterium ab eo impetraturus, & quòd Ludovicus grato animo petitionem ejus acceptans, litteras suo signatas sigillo super suo consensu gratiosè concesserit.* Et in istius refutationis confirmationem producuntur *vita Sancti Menolphi & ex ea Baronius ad an. 816.*

XX. Nobis nec assertio Gobelini & Krantzii, nec ejusdem assertionis prædicta refutatio placet. Paderbornensis enim Legatio Cenomannum ante annum Redemptoris octingentesimum tricesimum-sextum, ut ad illum annum infrà probaturi sumus, haud pervenit, & Baronius mentem Auctoris, qui vitam Sancti Meinulphi conscripsit, ad annum Redemptoris octingentesimum decimum-sextum non benè videtur assecutus. *Hoc*, inquit, *anno, tertio Ludovici, ab eo celebratum constat Conventum Provincialem Aquisgrani, in eóque Sanctum Meinulphum accepisse licentiam ædificandi Monasterium virginibus Canonicis regularibus, habent vita ejus Acta à Gobelino conscripta. Fuit hic Diaconus Ecclesia Paderbornensis, qui egregiâ claruit sanctitate, ut ejus vita Acta significant.* Aquisgranensis ille Conventus non anno Ludovici Augusti tertio sive anno Redemptoris octingentesimo decimo-sexto ut plerique censuerunt, sed anno Ludovici Augusti quarto sive anno Redemptoris octingentesimo decimo-septimo celebratus est, ut Tomo superiore multis argumentis ad illum annum ostendimus. Deinde

AN. CH. 832. LUDOV. IMP. 19. LOTHAR. IMP. 16. PIPPINI R. 18. LUDOV. R. 16. CAROLI R. 3.

ut Aquiſgranenſem illum Conventum adiiſſe credatur Meinulphus jam Archidiaconus Paderbornenſis, ejus certè nec ætas, nec Acta patiuntur. Baptiſmum priùs non ſuſcepit, quàm Leo Tertius Papa Paderbornam venit, *filiolus* tunc appellatur, & *per ætatem ambulare jam* poteſt. Hæ ttes obſervationes ſimul collatæ demonſtrant illum anno ſeu tertio ſeu quarto Ludovici Auguſti, cùm Regula Canonicarum in Aquiſgranenſi Conventu ſancita eſt, ad eam nondum ætatem perveniſſe, quâ ſecundùm Canones ad Diaconatum promoveri poſſet. Auctor quoque vitæ non innuit illum *anno tertio Ludovici* in Aquiſgranenſi Conventu *accepiſſe licentiam ædificandi Monaſterium virginibus Canonicis regularibus.* Sed tantummodo teſtatur de conſtruendo Monaſterio conſilium ab illo ſuſceptum eſſe, cùm Ludovicus Catoli Magni filius imperabat, & Otdo Canonicarum poſt Aquiſgranenſem Conventum florere jam cœperat. Textum ſuperiùs allegatum denuò repetimus. *Etſi verò de illo eligendo loco ad ſtructuram Templi jam nulla apud eos*, id eſt, apud Baduradum Paderbornenſem Epiſcopum & apud Meinulphum Diaconum, *relicta eſſet ambiguitas, cenſuit tamen Epiſcopus hac in re deferendum authoritati Regiæ, ut ſine illa nihil operis ibidem inchoaretur. Eâ autem tempeſtate Ludovicus, filius Caroli Magni, Imperii habenas moderabatur, & in Concilio Provinciali apud Aquiſgranum anno tertio Imperii ejus habito, Ordo Canonicarum, quas Seculares vocant, tum recèns inſtitutus erat.* Tota quæſtio vertitur circa hanc vocem *recèns*, cujus ſignificatio ad annos duodecim & ampliùs extendi potuit ab Auctore, qui ſcribebat ſeculo decimo-quinto ſeu poſt annos ſeptingentos ab Aquiſgranenſi Conventu & ab inſtituta Canonicarum Regula. Secundùm hanc interpretationem Dedicatio Eccleſiæ Bodecenſis hoc anno, quarto Idus Novembris, die Dominico, rectè conſignatur.

XXI. Bodecenſe Monaſterium, ut in vita Sancti Meinulphi legitur, nomen traxit à villa propinqua cui nomen *Bodeken*. Hoc vocabulum Saxonicâ ſeu Weſtphalicâ linguâ doliolum ſignificat. Ut autem illa lòca ſuis deinceps appellationibus diſtinguerentur, villa vetus doliolum, Monaſterium novum doliolum dici cœperunt. In Notis ad duodeviceſimum Monumentum Paderbornenſe veteres extant Bodecenſis Monaſterii literæ, quas maxima ex parte placet hîc deſcribere, quia de Cœnobii fundatione ſic aliquantò accuratiùs agunt. *Beatus Maynulfus divina revelationis inſtinctu cœleſtique viſione inſtructus, quoddam Monaſterium, quod Weſtfalicâ linguâ Bodeken, quaſi parvum dolium appellavit, in terra patrimonii ſui, approbante Imperatore, qui tunc Aquiſgrani fuerat, ſolemniter conſtruxit, & ipſum Monaſterium de bonis ſuis temporalibus, quæ multa erant, largiter dotavit, & inibi nobiles fœminas & devotas, quæ vulgariter Doemurouwen nuncupantur, inſtituit, quibus ſanctus vir omnem foris evagandi occaſionem in vim majoris ſtabilitatis præcludere volens, providâ diſpenſatione conſtituit ſex armigeros circumjacentes, tanquam Procuratores Monaſterii prædicti, quibus bona ſua abundanter diſtribuit, tam in villis, quàm in grangiis, ut de his bonis Monaſterio prædicto certis temporibus anni omnia neceſſaria pro victu & veſtitu miniſtrarent. Sed & aliis vaſallis armigeris bona pheodalia contulit, ut & ipſi eſſent fideles defenſores Monaſterii prætacti, & ſubjecti eidem. Propter hoc omne jus infeodandi, & conferendi ipſa bona pheodalia, tranſtulit in ipſas Dominas & earum Monaſterium. Porrò his munitionibus fœminarum non contentus Sanctus Pater Maynulphus, potentiorem nobilem de vicinis conſtituit in præfectum & ſuperiorem defenſorem omnium bonorum Monaſterii ac cauſarum emergentium, quantumcumque certis ſibi bonis ac penſionibus de ſingulis officiis, ut commodiùs onus hujuſmodi portare poſſet, deputatis, ut his vallata circumquaque tutoribus prædictæ fœminæ Deo devotis famularentur obſequiis. Cujus quidem ordinationis & inſtitutionis depoſitio literis ſigillatis expreſſiùs habetur in prædicto Monaſterio, & ſtetit hæc ordinatio per plures annos poſt mortem beati viri Maynulphi*, de qua nos infrà ſuo loco.

AN. CH. 832. XXII. Tomo superiore ad annum Redemptoris octingentesimum vicesimum-quintum [a] Guniberto Abbati Fabariensi tum mortuo Joannem suffecimus. Quot annis hic Monasterium gubernarit, Auctores haud produnt. Successit Hatto sive Hesso vel Esso, qui vitam hoc anno, septimo Kalendas Junii, terminavit, insigne consecutus elogium *Præsulis à Deo commendati.* Subrogatus est Udalricus, quem nonnulli Henricum appellant. Lege Bucelinum ad hunc annum in Chronologia Rhætiæ.

[a] Num. 61.

ABBATES FABARIENSES.

XXIII. Intereà Erlafridus Comes in Hirsaugiensis Monasterii constructione perstabat, &c, teste Trithemio in Chronicis illius loci, *Nottingus Reverendus Antistes* Vercellensis, *ut tam sancti operis se faceret participem, magnum pondus auri argentique misit, quo non solùm incæpti operis juvaretur intentio, verùm & Monachis inibi coadunandis de vita necessariis ad serviendum Deo liberiùs provideretur. Misit etiam Cruces aureas argenteásque, & Calices, in Ministerium divini cultûs, libros quoque & diversa ornamenta ad decorem domûs Domini, quæ omnia ad hæc noverat esse necessaria.* Huic Donationi diu superstes haud vixit Nottingus, nam successor Auserius sive Autherius vel Anterus Synodo Mantuanæ subscripsit anno Redemptoris octingentesimo trigesimo quinto.

NOTTINGUS EP. VERCELLENSIS MUNIFICUS ERGA MON. HIRSAUGIENSE.

AN. CH. 833. LUDOV. IMP. 20. LOTHAR. IMP. 17. PIPPINI R. 19. LUDOV. R. 17. CAROLI R. 4.

ANNUS

CHRISTI		833.		
LUDOVICI	IMP.	20.		
	REG.	53.	28.	16.
LOTHARII	IMP.	17.	11.	
	REG.	19.	11.	1.
PIPPINI III.	REG.	19.	17.	
LUDOVICI	REG.	17.	8.	
CAROLI	REG.	4.	1.	
INDICTIO		11.		

I. ANNO DCCCXXXIII. *Francorum dedecus.* Nihil aliud ad hunc annum memorat Auctor [b] veteris Chronici, quod in Monasterio San-Gallensi scriptum fuit, & in anno Christi nongentesimo vicesimo-sexto definit. An plura scriberemus, hæsimus aliquandiu dubii. Visum tamen æquius res hoc anno gestas consueto more per ordinem recensere, quia multæ cum isto Francorum dedecore nullam prorsus habent connexionem, nec ipsius dedecoris, quod in nefaria & impia Ludovici Imperatoris exauctoratione consistit, enarratio prætermitti debet, ne qui strenuè constantérque conati sunt illud avertere, suâ careant laude, simúlque cum scelestissimis adeò detestandi facinoris authoribus oblivione consepeliantur.

[b] Tom 3. Collect. Hist. Franc.

AN. CH. 833. LUDOV. IMP. 20. LOTHAR. IMP. 17. PIPPINI R. 19. LUDOV. R. 17. CAROLI R. 4. II.

Ludovicus Augustus qui Cenomannum imminente Festo Dominicæ Nativitatis anno priore pervenit, octo tantùm diebus illic mansit, atque Aquisgranum citissimè contendit; in itinere Kalense Monasterium adiit, ubi Hegilwich socrus ejus Abbatiale munus tunc obibat. Sexto Idus Januarii villam Brogilum seu Novamvillam quæ dudum in beneficium data fuerat, perpetuis temporibus Aldrico ejusque Successoribus Cenomanensibus Episcopis ut apud Cenomannum rogatus fuerat, per hoc Præceptum possidendam reddidit. *In Nomine Domini Dei & Salvatoris nostri Jesu Christi, Hludovicus divinâ ordinante providentiâ Imperator Augustus. Si supplicationibus Sacerdotum quando pro suis vel Ecclesiarum sibi commissarum necessitatibus aliquid nobis intimare voluerint, aurem benigniter atque libenter accommodamus, eorúmque justas & rationabiles petitiones ad optatum effectum pervenire facimus, non solùm Regiam atque Imperialem consuetudinem in hoc exercemus, sed etiam eosdem Sacerdotes ad Domini misericordiam pro nobis exorandam promptiores atque devotiores facimus. Idcircò notum fieri volumus omnium fidelium nostrorum tam præsentium quam futurorum industriæ, qualiter, cum nos de Aquitania reverteremur & in urbem Cenomanis pervenissemus, Aldricus ejusdem urbis venerabilis Episcopus accedens ad aures nostras retulit nobis de quadam villa quæ Brogilus vocatur & Novavilla nominatur, quæ ante hos complures annos de jure ejusdem Ecclesiæ cum appendiciis & omnibus ad se pertinentibus subtracta atque ad publicum nostrum redacta, moderno tempore ab Heremberto Vassallo nostro in beneficium data possideretur, & sic præcedenti tempore de manibus Rectorum prædictæ urbis eandem villam cum appendiciis & omnibus ad se pertinentibus elapsam esse. Sed cùm nos ad rei veritatem diligentiùs vestigandam fideles nostros Simonem Presbyterum & Venerabilem Abbatem & Heidemannum Vassallum nostrum mitteremus, renuntiaverunt nobis per omnia ita verum esse. Cúmque eorum relatione memoratum beneficium Heremberti non ad publicum nostrum sed ad jus prædictæ Ecclesiæ Cenomanis justè pertinere cognovissemus, complacuit Clementiæ nostræ præfatum beneficium Heremberti, id est, forestem illam quæ Gauciacinsis dicitur, cum duabus forestulis quæ Dovera & Tulpiacus vocantur, cum ædificiis in eadem constructis, quæ Brogilus nominatur, necnon & Novamvillam cum omnibus ad se pertinentibus, id est Salvariam, Coloniscam, Cauqueriolas, curtem Herilavan, Fetrarias, villarem Saviniacum, Buxarias, in Monticellis Capellam unam cum omnibus ad se pertinentibus, & in Caliniaco dimidium mansum, & in Vincariis mansum unum, & in Cipido atque Belino eos quos jumentarios dicunt, cum redditione census quem singulis annis solvere noscuntur, id est mel & ceram, & in Cabanido eos quos porcarios vocant & eos qui in illa ruba quæ est contra orientem manere noscuntur, necnon & illos qui super fluvium qui dicitur Sartha consistere noscuntur, similiter & medietatem telonei quod de illo porto annis singulis persolvitur, & quemadmodum sæpedictus Herembertus memoratum beneficium cum omni integritate, sicut illa die sub jure nostræ dominationis erat quando à largitione nostra ipsum beneficium accepisse constat pro emolumento animæ nostræ memorato venerabili Aldrico Episcopo ad partem præscriptæ suæ Ecclesiæ reddere, ut in perpetuum in utilitates & usus ejusdem Ecclesiæ Deoque in ea deservientium pertineat. Idcircò suggerente atque rogante prædicto venerabili Episcopo hanc nostræ confirmationis atque redditionis præceptionem ei vel ad partem jam dictæ urbis fieri jussimus, per quam decernimus atque jubemus ut nullus fidelium nostrorum de prædicta villa vel de his omnibus quæ ad præfata loca pertinere noscuntur memorato venerabili Aldrico Episcopo sive successoribus ejus ullo unquam tempore inquietudinem facere aut quamlibet calumniam ingerere præsumat, sed liceat ei & successoribus ejus quieto ordine memorata loca cum omnibus ad se pertinentibus jure Ecclesiastico tenere & possidere & quicquid pro opportunitate & commoditate præfatæ Ecclesiæ exinde facere decreverint, liberam in omnibus habeant potestatem faciendi. Ut autem hæc nostra auctoritas perpetuam obtineat firmitatem, de anulo nostro jussimus sigillari. Hirminmarus Notarius ad vicem Throtonis recognovi & sub-*

AN. CH. 833.
LUDOV. IMP. 20.
LOTHAR. IMP. 17.
PIPPINI R. 19.
LUDOV. R. 17.
CAROLI R. 4.

scripsi. Data VI *Idus Januar. anno Christo propitio* XVIII *Imperii Domni Hludovici Piissimi Augusti, Indictione* XI. *Actum Bes villa in Dei Nomine feliciter. Amen.* In hoc Diplomate quod apud Baluzium libro tertio Miscellaneorum in Gestis[a] Aldrici reperies, nævus est corrigendus, & ut habeatur annus Redemptoris octingentesimus trigesimus tertius quocum per mensem Januarium undecima convenit Indictio, reponi debet annus Imperii Ludoviciani vicesimus, si priorem Ludovici Imperatoris epocham à suscepta Dignitate Imperatoria, vel undevicesimus si posteriorem epocham ab obitu Caroli Magni sequaris. Nobis annus placet vicesimus, quem vetus Anonymus in Historia de Translatione Sanctæ Balthildis ita notavit. *Anno vigesimo, imperante cum magna felicitate Hludovico Serenissimo Augusto in Regno Francorum, venit Kala Monasterium, ubi Venerabilis Abbatissa Hegilwich, genitrix Judith Imperatricis, magno gregi Sanctimonialium præerat, actúsque & conditionem Beatissimæ Baltechildis, quia vera erat Dei cultrix & Sanctorum amatrix, magno desiderio inquirere cœpit, sibique reperta recitari jussit. Cujus admirabilem conditionem sanctámque vitæ conversationem miratus, tactus illicò Dei ac Sanctæ Baltechildis amore, prædicta Hegilwich Abbatissa, quæ tunc octavo anno ipsum sanctum locum sub regimine sancto gubernabat, suadendo præcepit, ut Sanctum & Venerabile corpus Beatissimæ Baltechildis à loco ubi jacebat, in sanctam Ecclesiam Dei Genitricis Mariæ, quo multitudo sacrarum virginum die noctúque laudes Deo personabant, transferret.* Imperator diuturnam in illo loco moram non fecit, Cenomanno enim, ut inferiùs patebit, Aquisgranum citissimè contendit. Post ejus discessionem Kalensis Abbatissa de Translatione Sanctæ Balthildis seriò cogitavit. Narrationem suam sic persequitur idem Auctor. *His freta jussis* Imperatoris *sacratissima Abbatissa, prout citiùs opportunitas accessit, quod ipsa jam mente conceperat, desideriis operam dedit. Igitur quarto Kalendas Martii, quæ tunc æquè in quarta feria evenerat* (currebat enim litera Dominicalis E) *jam dicta Venerabilis Hegilwich Abbatissa perfusa gratiâ Dei ejúsque adjutorio, accersivit Cleri Dei Sacerdotes sanctásque virgines & pudicas viduas, & quod votis conceperat, quódque ei à Domno Imperatore jussum fuerat omne enarravit. Illi itaque alacres unanimiter effecti, Deo gratias egerunt, sanctámque Matrem exhortati sunt, ut nullam moram ageret, sed freta Dei Clementiâ ac Sanctæ Baltechildis auxilio, citiùs perficere satageret quod facere desiderabat. Venientes autem in hac devotione simul in Ecclesiam Sanctæ Crucis, quam ipsa Sancta Baltechildis, sicut & omnem locum, à fundamento construxerat, & ubi sanctum ejus corpus humatum jacebat, Missarum sollemnia cum supplicatione salutari celebraverunt. Transactâ Missarum sanctarum sollemnitate ad tumulum accesserunt, & cum contritione magna cordis fodere cœperunt. Cúmque rastris humum à fossa ejicerent, sarcophagum, ubi Beata Baltechildis jacebat, repererunt, & circumcirca fodientes ipsum super solum terræ posuerunt. Cum ingenti autem reverentia & pavore psallentes Deo, sarcophagum aperientes, ipsum sanctum corpus ita post multa annorum curricula sanum & incolume repererunt, quasi ipsâ die sepulturæ traditum fuisset. Et gratias agens sacratissima Abbatissa Deo cum omnibus sanctis Sacerdotibus ac Sanctimonialibus permisit, omnes, quotquot voluerunt, desiderabilem thesaurum intueri, & cum summa reverentia adorare. Visum est Venerabili Hegilwich Abbatissæ hæc Episcopo Parisiacæ urbis enuntiare quatenus ipse veniens præsentiam suam his lætus intermisceret, & cum exultationibus gaudiorum corpus venerandum per semetipsum in aliam Ecclesiam transmutaret. Dum autem Episcopi adventus tardaretur, & sanctum corpus, ut effossum fuerat, super terram condignè frequentaretur, Sanctimonialis quæ erat ægritudine nimiâ prægravata, & Baldramnus qui erat contractione membrorum curvatus,* sanitatem recuperarunt. *Nuntiantur autem hæc sacra Miracula Ludovico Serenissimo Augusto, & in Palatio tam Principibus quàm & omnibus Imperatori militantibus divulgabantur. Exultat Cæsar, jocundantur Principes, lætantur omnes, & in honore tantæ Matris laudes attollunt. Cupiens verò sancta ac Beatissima Baltechildis*

[a] Cap. 10.

TRANSLATIO S. BALTHILDIS.

AN. CH. 833. LUDOV. IMP. 20. LOTHAR. IMP. 17. PIPPINI R. 19. LUDOV. R. 17. CAROLI R. 4.

childis gratiam promereri, atque ejus auxiliis adjuvari, villam Colon cum omni integritate sitam in pago Meldico, eidem in Translatione Sanctissimi ejus corporis contulit, quatinus de collatione ejus terrena famulantes in eodem Cœnobio subsidium haberent, & pro statu Imperii ejus ac pace, & conjugis ac filiorum ejus sanitate Regem cælestem exorarent. Octavo autem decimo die, postquàm corpus venerandum à terra effossum fuerat, secundùm postulationem sacratissimæ Abbatissæ Hegilwich, evocatus sacer Episcopus Erkanradus, qui tunc Sedem Parisiaca urbis regebat, cum caterva Clericorum venit. Non enim anteà locus veniendi fuit. Et ab eadem sacrata Deo Abbatissa honorificè susceptus, causam accersionis licèt piam audisset, amicabiliter requisivit. Vidénsque sanctissimum corpus ut positum fuerat integrum, & cernens in duorum sanitate restituta divinum Miraculum, exhilaratur corde, exhilaratur & animo. Cum omni igitur Clericorum ordine & sacrarum virginum condenso munimine, post celebrationem Missarum sanctarum veniens prædictus Pontifex ante sanctum corpus in° orationibus se cum omnibus dedit. Peractâ oratione mox venerabile corpus contingunt, & cum divinis laudibus in Ecclesiam Genitricis Dei ac Domini nostri Jesu Christi sempérque Virginis Sanctæ Mariæ quam Domina Gisla Caroli Magni soror illiúsque Cœnobii quondam Abbatissa *à fundamentis extruxerat, detulerunt, ac retro altare medianum condignè posuerunt, fiúntque ibi meritis Beata Baltechildis divina quotidie Miracula, & declarantur continuò beata ejus merita. Pontifice præterea urbis Parisiaca ad propria remeante cum lætitia & exultatione, contulit secum Venerabilis Abbatissa, ne vacuus relinqueretur locus, ubi sanctum Baltechildis positum fuerat corpus. Divinâ verò gratiâ administrante consilium duxit dignum, ut quia mater exinde sublata fuerat, filia ejus, quæ septimo ætatis suæ anno, nomine Radegundis, ab hoc seculo migraverat, collocari deberet. Pro hac siquidem, sicut in ejus vita sancta reperimus, ante horam obitûs sui Deum postulavit, ut eam in morte præcederet. Celebratur autem Translationis Sanctæ ac Venerabilis Baltechildis dies sexto die Kalendarum Aprilium*, lege *decimo-sexto Kalendarum Aprilium*, ut habetur in Titulo prædictæ narrationi præfixo. Quo die nunc etiam in Monasteriis Corbeïensi & Kalensi memoratur Sanctæ Balthildis Translatio, cujus Historiam superiùs allegatam, & editione Bollandianâ longè accurratiorem Joannes Mabillonius ex Codicibus Corbeïensibus in quarto Seculo Benedictino publicavit. Ceterum Erkanradus Parisiensis Episcopus, qui Reliquias Sanctæ Balthildis transtulit, istius nominis fuit secundus, successitque Inchado, qui cæcitate præ senio ad annum Redemptoris octingentesimum undetricesimum laborabat. Quarto Kalendas Martii, sive in capite jejunii, quo die corpus beatæ Balthildis elevatum est, Ludovicus Augustus Aquisgrano Wormatiam jam pervenerat. Paucissimis enim diebus mansit apud Aquisgranum. Sub idem tempus, cùm Guthardus Monasterii San-Quintiniensis apud Augustam Viromanduorum Abbas anno sui regiminis septimo decessisset, datus est ei successor Hugo, ipsius Ludovici Augusti frater, cujus annum secundum vetus Charta cum anno Redemptoris octingentesimo tricesimo-quinto componit. De San-Quintiniensibus Abbatibus consule Claudium *de la Fons* in Historia San-Quintiniensi [a]. Cur Ludovicus Imperator Aquisgrani haud longas moras fecerit, breviter sic exponit Annalista Bertinianus. *Recto itinere Aquis pervenit, ubi non multis diebus demoranti nunciatum est illi, quòd iterum filii sui adunati pariter in illum insurgere & cum multa copia hostium irruere vellent. Qui consilio inito Wormatiam ante initium Quadragesima pervenit.* Hæc Thegano nituntur Auctore longè vetustiore, qui Ludovicum ex Aquitania Wormatiam usque sic perducit [b]. *Imperator rediens* ex Aquitania *venit ad Aquis Sedem suam, & fuit ibi non multum tempus. Inde digrediens venit Wormatiam ante sanctum tempus Quadragesima.* Porrò cùm degebat Aquisgrani, Præceptum emisit pro Monasterio Fossatensi, cui Glannafoliense tunc subjiciebatur. Illud Diploma Stephanus Baluzius in Ap-

HUGO FRATER IMP. FIT ABB. S. QUINTINI.

[a] Lib. 2. c. 6.

LUDOVICUS AUG. DE NOVA FILIORUM CONJURATIONE NUNCIUM ACCIPIT.

[b] Cap. 41.

AN. CH. 833. LUDOV. IMP. 20. LOTHAR. IMP. 17. PIPPINI R. 19. LUDOV. R. 17. CAROLI R. 4.

a Act. 52.

DAT PRÆCEPTUM PRO MON. FOSSATENSI.

pendice veterum Actorum [a] post Capitularia publicavit cum hac subscriptione. *Data VIII Kal. Septemb. anno, Christo propitio, Imperii Domni Hludovici Serenissimi Imperatoris XX. Indictione XI. Actum Aquisgrani Palatio Regio.* Annus Ludovici Augusti vicesimus & Indictio undecima cum anno Redemptoris octingentesimo tricesimo-tertio rectè comparantur. At illo anno Ludovicus Imperator octavo Kalendas Septembris, ut inferiùs patebit, ab Aquisgranensi Palatio procul aberat. Recurrendum igitur ad brevem moram, quam Ludovicus apud Aquisgranum fecit, antequàm se Wormaciam conferret. Quamvis autem in vulgatam editionem circa diei Characterem nævus irrepserit, insertæque sint per malitiam à Neoterico quopiam voces nonnullæ, quas ex industria consultóque reticebimus, utpote remotas ab usu illorum temporum injuriásque Dignitati cum Imperatoriæ tum Regiæ, cui privatum Judicem anteponunt, haud rejiciendum videtur Præceptum, cujus authoritate res multæ confirmantur, quas partim suprà retulimus, partim infrà narraturi sumus. *In Nomine Dei & Salvatoris nostri Jesu Christi. Hludovicus Divinâ ordinante providentiâ Imperator Augustus. Si petitionibus servorum Dei justis & rationabilibus divini cultûs amore favemus, supernâ nos gratiâ muniri non diffidimus. Noverit ergo omnium fidelium, tam præsentium scilicet quàm futurorum, sollertia, quod venerabilis Comes, Rorigo nomine, retulit Serenitati nostræ, qualiter quoddam Cœnobium in pago Andegavo in loco qui dicitur Glannafolium situm super fluvium Ligerim, quo venerabile corpus Sancti Mauri, patris Benedicti discipuli, jacet humatum, ubi olim ipse Deo dilectus cum sibi subjectis multis fratribus sub sancta Regula deguit, destructum inveniens, ammonitione divinâ commotus, ob redemptionem suæ animæ, eundem locum cum sua conjuge Bilechilde assumpto labore restaurare & ad pristinum statum pro posse restituere curaret. Postmodum verò Venerabilem Abbatem Engilbertum Cœnobii Fossatensis evocavit, eidémque & sibi subjectis fratribus commisit, ut religio regularis de divinis, sicut dudum, perpetuò conservaretur. His ergo ita nobis patefactis, exhortatus est Magnitudinis nostræ Excellentiam, ut ipsum locum sub nostra suscipere dignaremur defensione & Immunitatis tuitione, & quemadmodum ceteri Abbates Monachorum per Imperium nobis divinitus concessum consistunt, ita & illum cum Abbate & Monachis & rebus vel hominibus eidem Monastrrio justè subjectis consistere faceremus, & per nostros Imperiales apices Abbati jamdicto Fossatensis Cœnobii, cunctísque ejus successoribus; providentiam & dominationem atque subjectionem, ne à regularis ordinis tramite ampliùs decidat, habere concederemus. Cujus petitionem, quia rationabilem immo Deo amabilem esse cognovimus, libenter suscepimus, & sicut petiit, ita & concessimus. Volumus ergo ut prædictus Abba sive Rectores supradicti Monasterii, atque fratres Deo devoti ipsius loci, ipsum locum, de quo ratio agitur, videlicet Glanna, perpetuò habeant, teneant, atque possideant, & gubernent, magnámque providentiam semper de eodem loco habeant, instantiam suæ sollicitudinis tam loco quàm Congregationi, vigilantem curam omnibus adhibeant. Tales quoque ibidem præponant Provisores atque Rectores, Magistros & Præpositos, quorum nutu atque dispositione cuncta secundùm Dei voluntatem atque secundùm Regulam Sancti Benedicti interiùs & exteriùs perficiantur, & ad modum & similitudinem Fossatensis Monasterii Christo Deo devotè famulentur, & in omnibus eam sectentur formam, ut cunctis peculiaribus postpositis juxta traditionem Apostolicam cuncta possideant communia, ut sibi salutem mereantur perpetuam adquirere, atque semper dominationi, gubernationi, & potestati unius Abbatis subjiciantur, ac obedientes existant. Et quoniam in jam dicto loco Fossatensi nemo mortalium absque eis, qui ibi in Christo militant, nullam consuetudinem aut redibitionem requirere nisi injustè valet, in simili ratione eundem locum commendamus persistere. Cuncta autem, quæ nunc habere noscuntur, vel deinceps juste adquirere poterint, sub nostra defensione & Immunitatis tuitione persistant. Et jubemus atque modis omnibus decernimus, ut non Episcopus, non Archidiaconus, non Comes, non Judex publi-*

AN. CH. 833. LUDOV. IMP. 20. LOTHAR. IMP. 17. PIPPENI R. 19. LUDOV. R. 17. CAROLI R. 4.

*cus, vel quilibet ex Judiciaria potestate, quicquid ex his, quæ ipsius loci sunt vel fuerint, in sua dominatione redigere præsumat, nec in Ecclesias, aut loca, vel agros, seu reliquas possessiones prædicti Monasterii, quas moderno tempore justè & rationabiliter possidere videtur in quibuslibet pagis & territoriis, quicquid ibidem propter divinum amorem conlatum fuit, quæque etiam deinceps in jure ipsius sancti loci voluerit divina pietas augeri, ad causas audiendas, vel freda exigenda, aut mansiones, vel paratas faciendas, aut fidejussores tollendos, nec homines ipsius loci tam ingenuos quàm & servos, qui super terram ipsius residere videntur, injustè distringendos, nec ullas redibitiones aut inlicitas occasiones requirendas, ullo unquam tempore ingredi audeat, vel ea, quæ suprà memorata sunt, penitus exigere præsumat. Quicquid autem de rebus præfati Monasterii fiscus sperare poterat, totum nos pro æterna remuneratione ipsi loco concedimus, ut perennis temporibus in alimoniam pauperum & stipendium Monachorum ibidem Deo famulantium proficiat in augmentum, & semper habeat defensionis nostræ Regalis libertatem absque militari servitio, à quo eundem locum absolvimus per omnia. Et quandoquidem divinâ vocatione supradictus Abbas Engilbertus vel successores ejus ab hac luce migraverint, ille qui substitutus fuerit ei, eandem potestatem & dominationem possideat, quam & prædecessor suus, dum vixit, habuit. Præcipientes ergo auctoritamus atque confirmamus, ut non Episcopus, non Comes, aut Judiciaria potestas, hoc nostræ Excellentiæ Præceptum audeat violare, sed hac visá auctoritate, sicut sua voluerit acta esse firma & stabilia, ita & hoc nostrum sinant factum manere inviolatum, ita videlicet ut sub hac ratione duæ conscribantur membranæ uno tenore, ut una sub theca Sancti Mauri habeatur, & altera à prædicto Abbate Engilberto in Fossatensi Cœnobio conservetur. Si quis autem insanus & Deo contrarius fuerit, qui hoc nostræ auctoritatis Præceptum violare præsumpserit, à liminibus Sanctæ Dei Ecclesiæ expulsus, & ab omnibus Episcopis totius Galliæ excommunicatus, à cœtu Christi fidelium sit segregatus, & cum Caipha & Pilato, Juda quoque traditore Domini, pœnas æternas sustineat, atque cum principe dæmoniorum sedem gehennalem, cùm à corpore ejus anima exierit, sibi paratam inveniat. Ut ergo hæc auctoritas obtineat firmitatem per secula....... manu firmantes propriá, cum anulo nostro jussimus sigillari. Signum Hludovici Imperatoris. Glorius Notarius ad vicem Hugonis recognovit. Data * .... anno, Christo propitio, Imperii Domni Hludovici Serenissimi Imperatoris XX. Indictione XI. Actum Aquisgrani Palatio Regio, in Dei Nomine feliciter, Amen.* Cur diem, quo datum hoc Diploma dicitur, expungendum censeamus, exposuimus suprà. Engilbertus sive Ingelbertus Abbas Fossatensis, cujus mentio fit in eodem Præcepto, jam laudatus est à nobis Tomo superiore, tanquam proximus Optati successor. Benedictum enim, quem vulgati Catalogi Optato sufficiunt, ostendimus haud esse distinguendum à Benedicto Anianensi sive Indensi Abbate, qui Fossatum, ut & alia pleraque Galliarum Monasteria lustravit, nec Abbas dici debet illorum Cœnobiorum, in quibus ad instaurandam tantùm Monasticen aliquandiu degit. Nuperrimè nostras in manus venit Codex Fossatensis, in quo duas legimus Chartas eodem die datas, nempe duodecimo Kalendas Julias, anno Imperii Ludoviciani tertio, sive anno Redemptoris octingentesimo decimo-sexto. Produnt hæc Diplomata varias vicissitudines Monasterii Fossatensis, quod cùm penè destructum jaceret, instauratum est à Begone Comite, ac Monasticæ disciplinæ restitutum à Benedicto Anianensi Abbate, necnon & locupletatum à Ludovico Imperatore. Nolumus hæc silentio premere, quamvis seriùs accepta suo loco reddere non possimus. Tomo superiore Benedictum Abbatem Anianensem multorum Monasteriorum Reformatorem ac Patrem ostendimus ad annos Redemptoris octingentesimum quintum, octingentesimum-septimum, octingentesimum nonum, octingentesimum duodecimum, octingentesimum decimum-quartum, & octingentesimum decimum-septimum. Adde & ad annum Redemptoris octin-

* Edit. malè VIII *Kal. Septembr.*

AN. CH. 833.
LUDOV. IMP. 20.
LOTHAR. IMP. 17.
PIPPINI R. 19.
LUDOV. R. 17.
CAROLI R. 4.

gentesimum decimum-sextum reformationem Monasterii Fossatensis, de qua Ludovicus Augustus in iisdem Diplomatibus testis est locupletissimus. In primo, sic. *In Nomine Domini Dei & Salvatoris nostri Jesu Christi, Ludovicus Divinâ ordinante providentiâ Imperator Augustus. Cùm petitionibus servorum Dei justis & rationabilibus divini cultûs amore favemus, supernâ nos gratiâ muniri non diffidimus. Idcircò notum sit omnibus fidelibus nostris, præsentibus scilicet & futuris, quia Bego fidelis noster retulit Serenitati nostræ, qualiter quoddam Cœnobiolum in pago Parisiaco, in loco qui dicitur Fossatus, in honore Beatæ Mariæ semper Virginis & Sanctorum Apostolorum Petri & Pauli constructum, situm super fluvium Maternam, ubi olim Monachi sub sancta Regula deguerunt, penè destructum inveniens ob emolumentum animæ suæ eundem locum assumpto labore restaurare & ad pristinum statum revocare curavit. Sed his peractis veniens ad præsentiam nostram commendavit nobis eundem Monasterium cum Abbate nomine Benedicto unà cum Monachis eidem Abbati ad regendum commissis, obsecrans ut deinceps sub nostra defensione & Immunitatis tuitione, quemadmodum ceteros Abbates Monachorum per Imperium nobis divinitus concessum consistunt, ita & illum unà cum Monasterio vel Monachis & rebus vel hominibus eidem Monasterio justè subjectis consistere faceremus. Cujus petitionem, quia rationabilem, immò Deo amabilem esse cognovimus, libenter suscepimus, & per hos nostros apices, sicut petiit, ita & concessimus. Proinde volumus, ut prædicti Abbas & Monachi in prædicto Monasterio degentes cum rebus, quas nunc habere noscuntur, vel deinceps justè acquirere poterunt, sub nostra defensione & Immunitatis tuitione persistant, & jubemus atque modis omnibus decernimus, ut nullus Judex publicus, vel quislibet ex Judiciaria potestate, in Ecclesias, aut loca, vel agros, seu reliquas possessiones prædicti Monasterii, quas moderno tempore justè & rationabiliter possidere videtur, in quibuslibet pagis & territoriis, quicquid ibidem propter divinum amorem conlatum fuit, quæque etiam deinceps in jure ipsius sancti loci voluerit divina pietas augeri, ad causas audiendas, vel freda exigenda, aut mansiones, vel parotas faciendas, aut fidejussores tollendos, nec homines ipsius Monasterii tam ingenuos quàm & servos, qui super terram ipsius residere videntur, injustè distringendos, vel ullas redibitiones, aut illicitas occasiones requirendas, ullo unquam tempore ingredi audeat, vel ea quæ suprà memorata sunt pariter exigere præsumat, & quicquid de rebus præfati Monasterii fiscus sperare poterat, totum nos pro æterna remuneratione prædicto Monasterio concedimus, ut perhennis temporibus in alimonia pauperum & stipendia Monachorum ibidem Deo famulantium proficiat in augmentum, & quandoquidem Divinâ vocatione supradicti Abbas vel successores ejus ab hac luce migraverint, quamdiu ipsi Monachi inter se tales invenire potuerint, qui ipsam Congregationem secundùm Regulam Sancti Benedicti regere valeant, per hanc nostram auctoritatem & consensum licentiam habeant eligendi Abbates, quatinus ipsos servos Dei, qui ibidem Deo famulantur, pro nobis & conjuge proléque nostra atque stabilitate totius Imperii nostri à Deo nobis concessi atque conservandi, jugiter Domini misericordiam exorare delectet. Et ut hæc auctoritas nostris futurísque temporibus Domino protegente valeat inconvulsa manere, subter firmavimus, & annuli nostri impressione signari jussimus. Signum Ludovici Piissimi Imperatoris. Durandus Diaconus ad vicem Helisachar recognovit. Data* XII *Kl. Julias, anno Christo propitio Imperii Domini Ludovici Piissimi Augusti* II (lege III) *Indictione nonâ. Actum Aquisgrani Palatio Regio, in Dei Nomine feliciter *. Amen.* In altero, sic. *In Nomine Domini Dei, & Salvatoris nostri Jesu Christi. Ludovicus divinâ ordinante providentiâ Imperator Augustus, omnibus Episcopis, Abbatibus, Ducibus, Comitibus, Vicariis, Centenariis, Telonariis, Actionariis, vel omnibus rem publicam administrantibus, seu ceteris fidelibus Sanctæ Dei Ecclesiæ & nostris, tam præsentibus quàm & futuris. Notum sit quòd ad petitionem Begonis illustris Comitis Monasterium, quod est situm in pago Parisiaco in loco qui dicitur Fossatus constructum in honore Beatæ Dei Genitricis Mariæ & Sanctorum Apostolorum Petri & Pauli super fluvium Maternam, unà cum ejus Abbate*

* Cod. fideliter.

AN. CH. 833.
LUDOV. IMP. 20.
LOTHAR. IMP. 17.
PIPPINI R. 19.
LUDOV. R. 17.
CAROLI R. 4.

*nomine Benedicto & fratribus ibidem degentibus unà cum rebus & hominibus eidem Monasterio justè subjectis, sub nostro suscepimus mundeburdo atque defensione, & deprecatus est, ut *, quandocumque libuisset Monachos in eodem Monasterio degentes Missos suos in aliquam partem Imperii nostri negotiandi gratiâ dirigere cum carris videlicet & saumis seu navigio vel cum quolibet negotio, licentiam haberent pergendi ubi voluerint absque alicujus infestatione vel contrarietate. Cujus petitioni in elemosina nostra libenter accommodare placuit, & has nostræ auctoritatis litteras fieri jussimus, per quas cunctis fidelibus nostris præsentibus & futuris jubemus, ut ubicumque Missi prædicti Abbatis aut successorum ejus infrà jurisdictionem Imperii nostri negotiandi causâ directi fuerint, nemo teloneum, neque quod vulgò dicitur ripaticum, neque rotaticum, aut pontaticum, vel portaticum, aut carvaticum, atque cispitaticum, necnon & salutaticum, aut ullum censum, vel ullum occursum, aut ullam redibitionem, ab ipsis accipere aut exactare præsumat. Sed liceat tam eos quàm homines vel omnia illorum cum pace discurrere, & negotia libenter peragere, & ad quascumque civitates aut portus vel loca accessum habuerint, nullam inquietudinem aut detentionem aut contrarietatem ab aliquo fidelium nostrorum patientes, sed ubicumque directi fuerint sive navigio aut terreno securi & quieti cum omnibus quæ deferunt, per præsentem nostram auctoritatem ire & redire valeant. Et ut hæc auctoritas firmior habeatur, & à fidelibus Sanctæ Dei Ecclesiæ & nostris diligentiùs observetur, de anulo nostro subter jussimus sigillari. Durandus Diaconus ad vicem Helisachar recognovit. Data XII Kl. Julii, anno Christo propitio III Imperii Domini Ludovici Piissimi Augusti, Indictione nonâ. Actum aquisgrani Palatio Regio in Dei Nomine feliciter. Amen.* Utrumque Diploma datum legitur Aquisgrani duodecimo Kalendas Julii, rectè quidem, anno enim Redemptoris octingentesimo decimo-sexto Ludovicus Augustus Aquisgrani mansit ad mensem usque Julium quo Remos profectus est, ut ad illum annum probavimus. In primo Diplomate annum Imperii Ludoviciani tertium loco secundi restituimus, ut annus Imperii Ludoviciani cum Indictione nona per mensem Junium compatari possit. Hanc emendationem nemo non admittet. In altero Diplomate servavimus has voces, *salutaticum* & *carvaticum*, quamvis Lindenbrogius in nonnullis Chartis *saltuaticum* pro salutatico legat, & *carnaticum* vitiosè in carvaticum abüsse videatur. Vir clarissimus ac doctissimus Carolus *du Fresne* Dominus *du Cange* consulendus in eruditissimo Glossario ad hæc vocabula, *salutes, salutaticum, carnaticum & carvaticum. Salutes* dicuntur eulogiæ, xenia, exenia, seu præstationes, quæ fiunt ultra debitum censum vel debitam pensitationem statutis temporibus, eámque nuncupationem ideo sortiuntur, quòd qui Dominis eas deferunt, salutem illis cum ejusmodi xeniis impertiuntur. *Salutaticum* non vectigal pro sale ut Goldastus, sed jus interpretare pro salutibus seu xeniis exigendis. *Carvaticum* idem ac *carraticum*, nempe tributum pro carris transeuntibus. *Carnaticum* verò species est tributi ex animalibus.

* Cod. ex.

III. PRÆCEPTUM PIPPINI R. PRO MON. MAUZIACENSI.

Hoc anno, Kalendis Februariis, Indictione undecimâ, Pippinus Aquitaniæ Rex, cùm annum Regni decimum-nonum numeraret, pro Mauziacensi Monasterio Præceptum emisit, quod Dubouchetus inter probationes [a] veræ Origini Domûs Francicæ subjectas è Tabulario Mauziacensi primus evulgavit, & ex Codice Joannis Savaronis recuderunt in Gallia Christiana [b] Sammarthani. Utramque editionem simul conferemus. *In Nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. Pipinus opitulante [1] Divina Majestatis gratiâ Aquitanorum Rex. Si quando fidelibus domûs [2] Dei opportunis petitionibus benignum accommodamus assensum, Regiæ Majestatis opera frequentamus. Ac per hoc ...... [3] fideles Sanctæ Matris Ecclesiæ Mauziacensis nostri Monasterii, quod antiquitus novimus constructum à Nobilissimo Senatore Romanorum, nomine Calminio, quem pravitas malorum hominum de pristino honore jam jámque magna ex parte à suo dejecerat, & Ecclesias ac villas amplissimáque dona, quæ in*

[a] Part. 2. c. 3.
[b] Tom. 4. in Mauziaco.
[1] Sammarth. opitulante divinâ grand
[2] Dubouch. Domni
[3] Deest aliquid.

AN. CH.

eodem loco [4] *supradictus vir ac ejus uxor nomine Namadia dereliquerant cum authoritate Gloriosissimi Regis Theuderici* [5], *quæ sub sigillo ejus signata invenimus, cuncta* [6], *ut suprà diximus, à malignis Christianis direpta invenimus. Igitur Abbas Lanfridus supradicti Cœnobii à nobis obnixiùs* [7] *expetiit, ut nostro Archisterio adiremus, proclamationésque Fratrum ibidem commorantium audiendo reciperemus. Idcircò fieri voluimus omnium in notitia fidelium nostrorum magnitudinis, scilicet* [8] *præsentium sive futurorum, qualiter Lanfridus Abbas ac ejus Congregatio adeuntes præsentiam Dignitatis nostræ obtulerunt statuta Gloriosi Patris Calminii supradicti ac Regis suprà memorati, qualiter suâ magnificentiâ per authoritatem suorum Præceptorum honoraverint eundem locum quibusdam rebus denominatis, petentes denuò authoritatem nostri Præcepti, veluti ab Antecessoribus Theuderico scilicet ac* [9] *ejus filio Clodoveo, ut* [10] *quæ, Calminio uxoríque Namadiæ ac Abbati Euterio totique Congregationi Sancti Petri Apostoli paritérque Sancti Caprasii Martyris, pro remedio animarum suarum concessa erant, & nos iterum concedamus eorum sequendo exempla. Denique petitionibus Lanfridi Abbatis cunctæque Congregationis nostri Monasterii denegare noluimus; insuper & ipsis, quorum avi atque* [11] *patres injustè abstulerunt, vetando vetuimus* [12], *ut relinquerent, & ideo servientibus ejusdem loci traderent, & hoc nostra magnificentia scriptum fieri jussimus. Id est, Ecclesiam Sancti Caprasii, quæ vocatur Podangas* [13] *cum villis in circuitu sibi adhærentibus, cum servis* [14], *ancillis ac mancipiis, cunctísque ad se pertinentibus, &* [15] *est in pago Lemovicensi. Itémque* [16] *aliam Ecclesiam sitam in Vicaria Brivatensi, vocabulo vetus Brivate, & ipsam cum cunctis ad se pertinentibus mansis, cultis & incultis sibi adjacentibus terris, vel aquis. Nam &* [17] *Ecclesiam Sancti Victoris, vocabulo Eremi* [18], *& est in valle Dorensi, cum servis, & mancipiis, & universis ad se pertinentibus, & est Ecclesia Sancti Portiani* [19] *cognomine Born, cum sylvis, & mansis, & sibi pertinentibus villis ac terris. Ecclesiam namque Sancti Petri* [20] *Apostoli de Peignans* [21], *quæ sita est in Vicaria Turiacensi, cum mansis, & servis, & cunctis sibi adhærentibus terris. Item Ecclesiam Sancti Desiderii cum villa Laurigas, sylvas, atque prata, mansósque, qui in circuitu ejus habentur, ex ipsa hæreditate servos ac mancipia, aquarúmque discurrentia, & villa Nintringas, quæ sita est in Vicaria Niganensi* [22], *cum mansis, & vineis, & molendinis, & universis ad se pertinentibus terris. In Vicaria Cantellensi Ecclesiam, vocabulo Navas cum mansis & cunctis sibi adjacentibus terris. Ecclesiam namque Sancti Boniti, cognomine Corbonerias, cum villis, & servis, ancillísque, & mancipiis, sylvis, pratis, ac universis terris, quæ ad ipsam Ecclesiam scimus pertinere in montana sita* [23]. *Item Ecclesiam de Modon cum* XXV *mansis ad se pertinentibus. Villam namque Belenatensem cum mansis & vineis, servis & ancillis, & universis sibi pertinentibus. Item villam de Plumberias cum mansis, & cuncta ad se pertinentia. In Vicaria quoque Rigomensi Ecclesiam, quæ sita est prope Monasterium, quæ in honore Sancti Martini est consecrata, vocabulo Sadoc, cum vineis, mansis, pratis, molendinis, servis, ancillis, cunctísque adjacentibus terris in circuitu, totam* [24] *& ab integro Domino Deo deliberamus cum villa Progolina* [25], *quæ sita est in Vicaria Randanensi, cum suis omnibus appendiciis* [26], *& unam Capellam in honore Sancti Hilarii, in molino, villam sitam pertinentem ad Progolinam* [27], *villam* [28] *in Cassaniolas, mansos & vineas ibidem ad Progolinam* [29] *villam aspicientes. Quicquid in Arvernico, vel Biturico, ac Lemovicino, necnon Burgundia visum est fuisse de ipsa hæreditate deliberamus, & ex* [30] *nostra hæreditate vel auctoritote Beato Austremonio primo Præsuli Arvernorum, cujus sacra ossa ab* [31] *Vulvico ad ipsum nostrum Cœnobium transtulimus, pro beneficio quasdam villas in Comitatu Arvernico sitas, unam in Brivatensi quæ vocatur Flagiciacus* [32], *aliam in Rigomensi vocabulo Primiliacus* [33], *cum mancipiis utriusque sexûs, vineis, pratis, sylvis, aquis, aquarúmve* [34] *decursibus, vel quicquid ad jam dicta aspicere vel pertinere videtur, totum & ab integro de jure supradictorum ac de nostro in jus ac dominationem Sancti Austremonii primi Præsulis Arvernorum & Sancti Petri Apostoli & Sancti Caprasii*

[4] Sammarth. *deest loco*
[5] Sammarth. *Theodorici,*
[6] Sammarth. *deest, cuncta, ut suprà diximus, à malignis Christianis direpta invenimus.*
[7] Sammarth. *enixiùs*
[8] Dubouch. *scilicet &*
[9] Sammarth. *atque*
[10] Sammarth. *usque,*
[11] Sammarth. *&*
[12] Sammarth. *volumus, vel.*
[13] Sammarth. *Podangas*
[14] Sammarth. *& ancillis.*
[15] Sammarth. *id est*
[16] Sammarth. *Item*
[17] Sammarth. *deest &*
[18] Sammarth. *Cremi.*
[19] Sammarth. *Iohiani cognomine Borne.*
[20] Sammarth. *Andreæ*
[21] Sammarth. *Paignans,*
[22] Dubouch. *Rigomensi.*
[23] Dubouch. *situm.*
[24] Dubouch. *totum ab integro*
[25] Sammarth. *Poglina.*
[26] Sammarth. *appendentiis.*
[27] Sammarth. *Golinam,*
[28] Dubouch. *& in*
[29] Sammarth. *Golinam*
[30] Sammarth. *à*
[31] Sammarth. *à Vulvico ad Cœnobium*
[32] Sammarth. *Flaggiacus,*
[33] Sammarth. *Primiliacus.*
[34] Sammarth. *aquarúmque*

AN. CH. 833.

Martyris, jure proprietario Cœnobitis ibidem .... [35] *solenni donatione transferimus; eo scilicet tenore & ab hodierna die hæredibus ac Christicolis in eodem nostro Monasterio commorantibus jure perpetuo sint tradita. Hac ergo authoritas ut semper maneat inconvulsa, monogramma nostrum inserere curavimus, ac de annuli nostri impressione insigniri subter* [36] *jussimus. Signum Pipini Præcellentissimi Regis. T* [37]*. Diaconus ad vicem Adeberti Episcopi recognovi. Data Kal. Februarii, Indict.* XI, *anno* XVIIII [38]*, regnante Pipino inclyto Rege. Actum Arverius* [39] *civitate publicè in Dei Nomine feliciter. Amen.* Tomo quarto ad annum Christi sexcentesimum octogesimum-primum [a] allatis aliquot hujus Chartæ fragmentis multa scripsimus de prima Monasterii Mauziacensis origine; de Euterio illius loci primo Abbate; de Sancto Calminio, qui sub Theodorico Tertio Francorum Rege perperam in Charta Pippinina Senator Romanorum dicitur; de Namadia Sancti Calminii uxore; de Francorum Regibus, Theodorico Tertio, ejúsque filio Clodoveo quoque Tertio; de Sancto Caprasio, cui Titulus Martyris in eadem Charta malè tribuitur. Ista, si lubet, ad locum jam citatum consule. Inter varias lectiones, quas duæ nobis editiones suppeditarunt, hæc potissimùm observari debet. Apud Duboucheturn prædicta Charta consignatur Pippini Regis *anno* XVIIII, apud Sammarthanos *anno* XXIV, quinario numero in denarium sive V in X vitiosè mutato, utrobique enim notatur Indictio XI, quæ per mensem Februarium cum anno Redemptoris octingentesimo tricesimo-tertio, Pippini Regis decimo-nono, componitur. Quod attinet ad Sancti Austremonii Translationem, cujus mentionem Pippinus in suo facit Diplomate, vel eodem die quo datum à Rege Præceptum, vel pridie videtur facta, Regium enim Diploma Kalendis Februariis emissum est, & tempus Translationis in ejus Actis isa designatur. *Erat hyems. Janus quippe tunc Februo locum dabat, & alterno tunc successu vicem ipse sumebat.* In Bibliotheca Labbeana [b] prolixè narrantur duæ Sancti Austremonii Translationes, brevitétque in quodam Additamento, partim Sirmondi, partim alterius manu descripto, sic perstringuntur. *Beatus Avitus Claromontensis Episcopus, oraculo instructus Angelico, corpus Beati Austremonii ab Yciodoro transtulit Wlvicum. A quo loco Pipinus inclytus Rex Francorum, ad petitionem Lanfredi Abbatis Mauziacensis, Adeberto Claromontano Episcopo præsente, posteà deportavit Mauziacum.* Priorem Translationem non omisimus Tomo tertio [c], cùm nobis esset sermo de Sancto Avito Arvernorum Episcopo, hujus nominis secundo, qui Pontificatum ab anno Christi sexcentesimo septuagesimo-quarto ad annum Christi sexcentesimum undenonagesimum tenuit, erexitque Volovicense * Monasterium, in quo Sancti Austremonii corpus Isoriaco * sive Isiodoro translatum collocavit. Nævos aliquot in istius Translationis narratione deprehendimus, quos hîc denuò notare supervacaneum esset. Posterioris Translationis Historia mendis quoque non caret. Facta hæc Translatio regnante Pippino & Adeberto Arvernorum Episcopatum gerente. Sed de illo Pippino, utrùm Caroli Magni pater, an Ludovici Pii filius extiterit, disputant Auctores, ideóque Nomenclatores in suis Catalogis Episcopatum Adeberti vel citiùs vel seriùs ponunt. Ab anno Christi septingentesimo quinquagesimo-secundo ad annum Christi septingentesimum duodeseptuagesimum solus apud Francos regnavit Pippinus Caroli Magni pater. Ab anno Redemptoris octingentesimo decimo-quarto ad annum Redemptoris octingentesimum tricesimum-octavum regnavit Pippinus, superioris pronepos, in consortium Aquitanici Regni, cujus pars Arvernia, vocatus à Ludovico Augusto patre. Narratio Translationis apud Labbeum sic clauditur. *Anno ab Incarnat. Do. nostri Jesu Christi* DCCLXIIII. *Indict. 2. regnante verò Domno Pipino anno 24 acta est hæc Translatio. Eodem tempore imperabat Romanis Constantinus filius Leonis Imperatoris.* Anno Christi septingentesimo sexagesimo-quarto, quocum

[35] locus corruptus.
[36] Sammarth. *subtus*
[37] Sammarth. deest, *T. Diaconus ad vicem Adeberti Episcopi recognovi.*
[38] Sammarth. XXIV.
[39] Dubouch. *Arverna civitate publicè.*
[a] Nu. 71. & seqq.

TRANSLATIO S. AUSTREMONII.

[b] Tom. 2.

[c] Ad an. 674. n. 19.

* *De Volvic.*
* *Issoire.*

AN. CH. 833. LUDOV. IMP. 20. LOTHAR. IMP. 17. PIPPINI R. 19. LUDOV. R. 17. CAROLI R. 4.

Indictio secunda convenit, regnabat quidem in Francia Pippinus Caroli Magni pater; & Imperium Orientale, cum parte Occidentalis ubi Roma, Constantino Copronymo Leonis Isauri filio morem gerebat; sed hic Pippinus annum Regni sui vicesimum-quartum non attigit, & Kalendis Februarii, circa quas Sanctus Austremonius ad Mauziacense Monasterium translatus asseritur, anno Christi septingentesimo sexagesimo-quarto annum Regni sui duodecimum illigavit. Fortè quis exordium Regni Pippinini suspicabitur à Caroli patris obitu repetendum, & annum Christi septingentesimum quadragesimum-primum, quo Carolus Martellus vitam clausit, primum Pippini Regis numerabit, deinde auspicabitur secundum à proximis Kalendis Januarii, sicque deinceps procedendo Pippini Regis annum vicesimum-quartum à Kalendis inchoabit Januariis anni post Christum natum septingentesimi sexagesimi-quarti. Subtilis hæc interpretatio nullo nititur fundamento, nam Pippinus, nec statim postquam patrem amisit, nec toto tempore quo Childericus Tertius in solio sedit, Regem se Francorum dixit, sed tantùm Majorem-domûs aut Francorum Principem se nuncupavit. Nullum certè Diploma reperies, in quo Rex appelletur ante annum Christi septingentesimum quinquagesimum-secundum, qui primus suscepti Regni debet solétque censeri. Cave igitur ne Pippinum Aquitaniæ Regem, qui Reliquias Sancti Austremonii è Vulvico ad Mauziacum transferendas curavit, cum Pippino ejus proavo, Caroli Magni patre, confundas. Adfuerunt Translationi Lanfridus Mauziacensis Abbas & Adebertus Avernorum Episcopus. Euterii primi Mauziacensis Abbatis successores ad hunc usque Lanfridum desiderantur. In Arvernensium Episcoporum Catalogis post Stabilem, qui sedebat anno Redemptoris octingentesimo vicesimo-tertio, ponendus est Adebertus, ut ad illum annum [a] Tomo superiore jam insinuavimus.

LANFRIDUS ABB. MAUZIACENSIS. ADEBERTUS EP.

[a] Ad an. 823. n. 55.

IV. Ludovicus Augustus, cùm ante initium Quadragesimæ Wormatiam pervenisset, *ibi* teste Annalistâ Bertiniano, *peractis illis diebus* Quadragesimalibus, *Pascha & Pentecostes Festivitates*, illam Idibus Aprilis, hanc Kalendis Junii *celebravit*. Ceterùm *post Pascha*, ut Theganus [b] testatur, *audivit quòd iterum filii sui ad eum venire voluissent non pacificè*, & *congregavit exercitum*. Hic autem Auctor cum Astronomo, qui Ludovicum *mense Maio* Wormatiam venisse scribit, necnon & cum Annalista Bertiniano jam citato, sic conciliari potest. Imperator *ante initium Quadragesimæ* Wormatiam pervenit, illic Quadragesimale tempus ac Solemnitatem Paschalem transegit. Post Pascha verò de pravis filiorum consiliis certior factus exercitum congregavit, & mense Maio reversus est Wormatiam, ubi Pentecosten egit Kalendis Junii. Textum Astronomi nunc accipe. *Humano porrò generi pacique contrarius diabolus, nequaquam ab infestatione Imperatoris feriabatur, sed per satellitum suorum versutias filios sollicitabat, persuadens illis, quòd pater illos ultrò perdere vellet. Non considerantes, quòd qui mitior hominibus externis esset, immanis non poterat effici suis. Sed quia corrumpunt bonos mores colloquia mala, & lapidum etiam duritiam mollis aqua guttula sæpius illisa terebrare solet, tandem ad id ventum est, ut filios Imperatoris*, Lotharium, Pippinum ac Ludovicum, *in unum cum copiis quibus poterant coire facerent, Gregoriúmque Papam advocarent, sub ornatu quasi qui patri solus filios reconciliare deberet & posset. Rei tamen veritas post claruit. Imperator porrò è contrario mense Maio Wormaciam venit cum valida manu, ibique quid agendum sibi foret diu deliberavit.* Imprimis jussit, ut præter militarem ordinem Ecclesiasticus etiam contra præsentes commotiones paratus esset. Id docet Agobardus Lugdunensis Archiepiscopus in epistola, quæ titulo caret in Codice Regio, in vulgatis autem editionibus hunc habet certè non benè congruentem. *De comparatione utriusque regiminis Ecclesiastici & Politici, & in quibus Ecclesia dignitas præfulgeat Imperiorum Majestati.* Literarum hoc est initium.

[b] Cap. 42.

LUDOVICUS AUG. IT OBVIAM CONJURATIS.

Domno

AN. CH. 833. LUDOV. IMP. 20. LOTHAR. IMP. 17. PIPPINI R. 19. LUDOVI R. 17. CAROLI R. 4.

Domno Clementissimo & Christianissimo ac per hoc omni laude dignissimo Imperatori Hludowico Agobardus. Jubet vestra prudentissima sollertia contra commotiones hujus temporis paratum esse utrumque ordinem, militarem videlicet & Ecclesiasticum, id est, & eos qui seculari militia, & illos qui sacris ministeriis inserviunt; & illos quidem ad certandum ferro, istos autem ad disceptandum verbo; ut similes similibus obsistere valeant. In qua re summoperè sciendum est, quòd in congressione armorum plùs expectanda est justitia superni regiminis, quam robur brachiorum; in altercatione autem sermonum plùs expectanda est veritas quàm copia verborum. &c. *Ego igitur servulus vester, cùm cognovissem ex vestro Sacro Præcepto jussum mihi esse ad vestram præsentiam properare ita paratum, ut cum ceteris Ecclesiasticis viris contra injustos reprehensores justæ reprehensionis oppositionem adhibere possem, visum mihi est, ut in Dei & vestro servitio, de anteriorum Patrum actibus & sensibus hæc verba, quæ subter annexa sunt, Gloriosissimæ vestræ Excellentiæ mitterem, quatinus sancta Religio vestra piè perpendere dignetur, cujus reverentiæ debitores estis ad vestrum cotidianum profectum erga Sedem Apostolicam.* Missos facimus textus, quos Agobardus ex Pelagio, Leone & Anastasio Romanis Pontificibus subjicit pro Sedis Apostolicæ Primatu, sempiternâque stabilis petræ soliditate, *super quam Dominus Salvator noster propriam fundavit Ecclesiam.* Videnrur enim exrra causam proferri, quia Ludovicus Imperator Ecclesiam Romanam Romanósque Pontifices debitâ semper reverentiâ coluit colitque. Quicquid autem Agobardus ad commendationem Sedis Apostolicæ scribat, non alius est ei scopus, quàm ut Imperatori suadeat pacem concordiámque Regni redintegrandam ex legibus à Gregorio Papa præscribendis, quem Lotharii Lotharianæque conjurationis fautorem fore temerè credit. Rectè quidem & laudabiliter de Gregorii literis, quas in diebus Paschalibus accepit, hæc addit. *In his sacratissimis diebus Paschalibus perlatæ sunt ad me literæ illius Apostolici, præcipientes jejunia & orationes cum abstinentia faceremus, si fortè Omnipotens Dominus effectum conatui ejus præstare dignetur, quatinus apud vos obtineri possit, ut pax & concordia pristina Domui & Regno vestro restituatur. Quod ego audiens, compunctus faciem cordis mei, quantùm valui, ad Jesum Christum Dominum nostrum levavi, vehementer exoptans ut sine sanguinis effusione tam injustus tumultus per benignissimam omnipotentiam ejus sedaretur.* Sed quæ præcedunt, dolosa sunt ac fraudulenta. *Certè*, inquit, *Clementissime Domine, si nunc Gregorius Papa irrationabiliter & ad pugnandum venit, meritò & pugnatus & repulsus recedet. Si autem pro quiete & pace populi & vestra laborare nititur, benè & rationabiliter obtemperandum est illi, non repugnandum. Si enim quod vestrâ voluntate & potestate cum consensu totius Imperii vestri factum est, & posteà in Apostolica Sede roboratum, hoc vult in pristinum reducere statum, satis rationabilis & opportunus est ejus adventus. Quia nullatenus quod ita est constitutum à vobis, debetis mutare. Nec enim sine gravi periculo & reatu animæ fieri potest.* Fraus omnis in hoc consistit, quòd Agobardus insinuat irritas esse divisiones Regni, quantascumque Ludovicus Augustus fecit post annum Redemptoris octingentesimum decimum-septimum, quo Lotharium in consortium Imperatoriæ Dignitatis adscivit, ceterósque filios, quos tunc habebat, Reges appellavit, Pippinum videlicet Aquitaniæ, Ludovicum Bojoariæ. Mentem suam clariùs adhuc explicat in aliis ad eundem Ludovicum Imperatorem literis, de quibus hîc nobis disserendum.

A CALUMNIA VINDICATUR, EXPLOSIS SCRIPTIS AGOBARDI LUGDUNENSIS ARCHIEP.

V. Harum literarum talis est titulus. *De divisione Imperii Francorum inter filios Ludovici Imperatoris, Agobardi flebilis epistola.* Talis est & inscriptio. *Domino Gloriosissimo Hludowvico Imperatori Agobardus servulus.* Agobardus in superioribus literis non dissimulavit *ex Sacro* Ludovici Augusti *Præcepto jussum sibi esse ad* ejus *præsentiam properare, ut cum ceteris Ecclesiasticis viris contra injustos reprehensores justa reprehensionis oppositionem exhibere* posset. At quia nomen inter præcipuos Lotharianæ factionis fautores nuperrimè de-

AN. CH. 833. LUDOV. IMP. 20. LOTHAR. IMP. 17. PIPPINI R. 19. LUDOV. R. 17. CAROLI R. 4.

derat, Imperatoriæ Jussioni minimè paruit. In Abbatum Medardinorum Caralogo [a] memoratur Abbas annis tribus; Hilduino in exilium ablegato subrogatur anno Redemptoris octingentesimo tricesimo; deponitúrque anno Redemptoris octingentesimo tricesimo-tertio, restituto in pristinum apud Suessiones gradum eodem Hilduino. Quòd hoc anno defecerit ad partes Lotharii, præter librum apologeticum pro filiis Imperatoris indicio sunt duæ ad Ludovicum Augustum epistolæ, quarum unam superiùs examinavimus, alteram hîc examinamus. De modo, quo Nomen Imperatoris Lothario collatum est à Ludovico patre, præcedente Francorum applausu cum triduano jejunio & eleemosyna solito largiore convenimus cum Agobardo, cujus textum recitavimus ad annum Redemptoris octingentesimum decimum-septimum [b] quo res gesta est. At apud illum Auctorem alia sequuntur, quæ probari nullatenus possunt. *Ceteris*, inquit, *filiis vestris*, id est, Pippino & Ludovico, *designastis partes Regni vestri*, nempe Aquitaniam Pippino, Ludovico Bojoariam, *sed ut unum Regnum esset, non tria, pratulistis eum illis quem participem Nominis vestri* sive Imperatorii *fecistis, ac deinde gesta scribere mandastis, scripta signare, & roborare, & consortem Nominis vestri factum, Romam misistis à Summo Pontifice gesta vestra probanda & firmanda; ac deinde jurare omnes jussistis ut talem electionem & divisionem cuncti sequerentur ac servarent. Quod juramentum nemini visum est spernendum aut superfluum, sed potiùs opportunum atque legitimum, eò quòd ad pacem & concordiam pertinere videretur.* Anno Redemptoris octingentesimo decimoquarto Ludovicus Augustus, cùm tres filios, Lotharium, Pippinum & Ludovicum haberet, omisso propter teneriorem ætatem Ludovico Lotharium & Pippinum Reges appellavit, illum Bojoariæ, hunc Aquitaniæ. Deinde anno Redemptoris octingentesimo decimo-septimo, cùm iidem ei filii nec plures essent, Lotharium Imperatorem dixit, Pippinum in Aquitaniæ Regno confirmavit, Ludovicum Bojoariæ Regem constituit. Agobardus posterioris hujus divisionis aggressus expositionem, errores in ea multos eósque gravissimos commisit. Partes Regni, quas Auctores synchroni nominibus Aquitaniæ Bojoariæque complectuntur, Pippino & Ludovico sic attribuit, ut Lothario Imperialem Dignitatem ac reliquam Franciam assignarit. Eosdem Pippinum & Ludovicum partibus Regni sic à patre donatos censuit, ut Lothario fratri tanquam soli Francorum Regi subessent Franciâ in tria Regna neutiquam separatâ. Falsæ sunt autem assertiones hujuscemodi. Sic enim ad annum Redemptoris octingentesimum decimum-septimum scribit Annalista Lauteshamensis. *Imperator generalem populi sui Conventum Aquisgrani more solito habuit, in quo filium suum primogenitum Lotharium coronavit, & Nominis atque Imperii sui socium sibi constituit. Ceteros Reges appellatos, unum Aquitaniæ, alterum Bajoariæ præfecit.* Et Astronomus in vita Ludovici Pii. *Imperator in eodem Placito Aquisgranensi filium primogenitum Lotharium Imperatorem appellari & esse voluit, & duorum filiorum suorum Pippinum in Aquitaniam, Ludovicum in Bajoariam misit, ut scilicet sciret populus, cujus deberet potestati parere.* Testantur hi Scriptores filios à patre, qui simul & Imperator & Rex erat, consortes esse dictos, Lotharium Imperatoriæ Dignitatis, Regiæ ceteros, per Aquitaniam Pippinum, Ludovicum per Bojoariam; nihil prætereà. Lotharius igitur in consortium Imperatorii tantùm Nominis adscitus, auctoritatem nec in Regni partes fratribus attributas, nec in reliquum accepit Regnum, cùm Imperatori ratione Dignitatis Imperatoriæ ne vicus quidem subjaceret, ut sæpiùs inculcavimus ex quo Carolus Magnus Imperatorem & Augustum se dixit. Fratres verò Lotharii, quos pater Reges appellavit, verè Reges extiterunt; simúlque cum patre, Pippinus in Aquitania, Ludovicus in Bojoaria, regnarunt; & annos Regnorum suorum numerarunt à die, quo Reges illarum regionum nuncupati sunt à patre. Nec occurrit ratio,

[a] Tom. 4 Gall. Christ.
[b] Num. 334.

eur ad Franciæ divisionem in plura Regna sub Ludovico Pio magis obstupesceas quàm sub Carolo Magno. Hic anno Christi septingentesimo octogesimo-primo, cùm quatuor filios, Pippinum videlicet ex Himiltrude prima uxore, Carolum, Carolomannum & Ludovicum haberet ex Hildegarde altera conjuge, Romam pervenit cum Carolomanno & Ludovico. *An.* DCCCLXXXI, inquit Auctor Appendicis ad Chronicon Nibelungi Comitis, *perrexit Carlus Rex Romam, & baptizatus ibi filius ejus, qui vocabatur ei Carlomannus, quem Adrianus Papa mutato nomine vocavit Pippinum, & unxit in Regem super Italiam, & fratrem ejus Hludowicum super Aquitaniam.* Incertus Auctor in vita Caroli distinctiùs observavit Pippinum & Ludovicum unctos quidem in Reges à Pontifice, sed à Carolo patre præfectos, Pippinum Italiæ, Ludovicum Aquitaniæ. *Baptizatus est Domnus Pippinus filius Domni Regis Karoli ab Adriano Papa, & duo ejusdem filii uncti sunt Reges à supradicto Pontifice, Pippinus scilicet & Ludovicus. Præfecitque eos pater, Pippinum Italiæ, & Ludovicum Aquitaniæ.* Carolus in hac partitione, quam suo loco [a] non omisimus, partem tantùm Regni junioribus filiis suis ex Hildegarde susceptis, Pippino videlicet ac Ludovico divisit, nec indicavit quid consilii super reliquo Regno cepisset, quámque sortem essent accepturi Pippinus senior & Carolus, quorum ille filius Himiltrudis unicus, hic primogenitus Hildegardis fuit. Patrem imitatus est Ludovicus anno Redemptoris octingentesimo decimo-septimo, nam Regni partem duntaxat, id est, Aquitaniam & Bojoariam, inter juniores filios Pippinum ac Ludovicum partitus est, nihilque prorsus statuit vel de reliquo Regno, vel de sorte Lotharii filii natu maximi, cui solam tunc Imperatoris Dignitatem contulit. Carolus Magnus anno Christi septingentesimo undenonagesimo Carolum filium Regem Neustrasiæ constituit, ut ante annos octo Pippinum Italiæ, Ludovicum Aquitaniæ præfecerat. Anno Christi septingentesimo nonagesimo-tertio seniorem Pippinum ob nefandam conjurationem tonderi præcepit. Anno Redemptoris octingentesimo coronatus est Imperator. Anno Redemptoris octingentesimo sexto, nullâ Imperii factâ mentione, nobilissimam Regni divisionem fecit, totum enim Regnum, quantumcumque erat, inter prædictos filios, Carolum, Pippinum, & Ludovicum, quos Reges jam appellarat, æqualiter adeóque prudenter partitus est, ut invicem auxilio sibi possent esse quotiescumque res postularet. Annis octingentesimo decimo & octingentesimo undecimo filios duos Pippinum & Carolum à multis annis in consortium Regiæ Dignitatis assumptos amisit. Ideóque anno Redemptoris octingentesimo decimo-tertio novam iniit divisionem, & Ludovicum filium non tantùm Imperii sive Imperatorii Nominis, sed etiam totius sui Regni consortem fecit, exceptâ duntaxat Italiâ, quam Bernardo nepoti suo, Pippini Regis ante triennium mortui filio concessit. Partitionum, quarum author Carolus, hæc ultima vigebat anno Redemptoris octingentesimo decimo-quarto, quo mortuus est; vigebat & anno Redemptoris octingentesimo decimo-septimo, quo Ludovicus Augustus Lotharium filium natu maximum dixit Imperatorem, ceteros Reges appellavit, Aquitaniæ Pippinum, Ludovicum Bojoariæ. Ut autem Carolus anno Redemptoris octingentesimo decimo-tertio Franciam in duas partes distinxit, sic & Ludovicus Regnum suum in plura secuit anno Redemptoris octingentesimo decimo-septimo; atque ut Carolus Ludovico sive Regi sive Imperatori nihil juris in Bernardum Italiæ Regem, sic & Ludovicus Lothario Imperatori vocato nihil juris in Pippinum Aquitaniæ Regem aut in Ludovicum Bojoariæ Regem attribuit. Perperam igitur Agobardus Ludovicum Augustum sic allocutus est. *Ceteris filiis vestris designastis partes Regni vestri, sed, ut unum Regnum esset, non tria, prætulistis eum illis quem participem Nominis vestri fecistis.*

AN. CH. 833.
LUDOV. IMP. 20.
LOTHAR. IMP. 17.
PIPPINI R. 19.
LUDOV. R. 17.
CAROLI R. 4.

[a] Tom. 6. a. 781. n. 2.

AN. CH. 833. LUDOV. IMP. 20. LOTHAR. IMP. 17. PIPPINI R. 19. LUDOV. R. 17. CAROLI R. 4. VI.

Obscurior est quæ proximè sequitur hæc periodus. *Ac deinde gesta scribere mandastis, scripta signare & roborare, & consortem Nominis vestri factum, Romam misistis à Summo Pontifice gesta vestra probanda & firmanda.* Tota difficultas in his vocibus consistit, *& consortem Nominis vestri factum.* Claræ sunt enim quæ vel præcedunt vel subsequuntur. Existimamus ut in libro apologetico quem ad annum Redemptoris octingentesimum tricesimum [a] allegavimus, sic & hic accusativum absolutè positum pro ablativo, nam si legas, *& consorte Nominis vestri facto*, cuncta rectissimè sic procedunt. *Ac deinde gesta scribere mandastis, scripta signare & roborare, & consorte Nominis vestri facto, Romam misistis à Summo Pontifice gesta vestra probanda & firmanda.* Qui textum suprà citatum sic interpungunt, *& consortem Nominis vestri factum Romam misistis, à Summo Pontifice gesta vestra probanda & firmanda*, non advertunt deesse conjunctionem, *&*, quæ duas res valdè diversas ita connectat, ut Ludovicus Augustus Romam misisse censeatur, & *consortem Nominis* Imperatorii *factum* Lotharium, & *à Summo Pontifice gesta* sua *probanda & firmanda*. Deinde Ludovicus Lotharium filium nec in Italiam misit ante annum Redemptoris octingentesimum vicesimum-secundum, nec Romam ire præcepit. Lotharius à Ludovico patre dictus est Imperator anno Redemptoris octingentesimo decimo-septimo, Rex Longobardorum anno Redemptoris octingentesimo vicesimo, secundo pòst anno missus est in Italiam ut Longobardis jus diceret; ineunte autem anno Redemptoris octingentesimo vicesimo-tertio cùm de reditu ad patrem cogitaret, rogatus à Paschale Papa Romam proficisci, postulationi Pontificis acquievit, adiit Romam, ibique ab eodem Paschale in Solemnitate Paschali coronatus est Imperator. Lege Tomo superiore ad prædictos annos Redemptoris, octingentesimum decimum-septimum [b], octingentesimum vicesimum-secundum [c], & octingentesimum vicesimum-tertium [d], quæ scripta sunt de Lothario in consortium Imperii vocato, in Italiam primà vice profecto, & Romæ coronato in Augustum à Romano Pontifice. In Lotharianis Diplomatibus ab anno Redemptoris octingentesimo decimo-septimo ad octingentesimum vicesimum-tertium, quatuor ipsius Lotharii sive Imperatoris sive Regis Longobardici reperiuntur epochæ; Imperatoriæ duæ, una anno Redemptoris octingentesimo decimo-septimo, altera octingentesimo vicesimo-tertio; Regiæ totidem, una anno Redemptoris octingentesimo vicesimo, altera octingentesimo vicesimo-secundo. Harum prima, quamvis Ludovici Pii mortem annis antecesserit viginti, tamen in usu non fuit ante obitum ejusdem Ludovici, ut ad annum Redemptoris octingentesimum quadragesimum fusè dicturi sumus. Par est ratio posterioris epochæ Imperatoriæ, licèt enim initium sortita sit anno Redemptoris octingentesimo vicesimo-tertio, Lotharius hanc non usurpavit ante civiles discordias, postquàm rebellavit contra patrem, studuitque Romanum Pontificum suas ad partes allicere. Talem Lotharianarum epocharum usum ignorare non potuit Agobardus. Quapropter ab eo nunquam arbitrare scriptum de Ludovico Augusto, quòd eodem tempore & Lotharium Imperatorem & gesta sua Romam miserit à Summo Pontifice probanda & firmanda; sed nobiscum existima potiùs Agobardum objecisse Ludovico, quòd Lothario Imperatore dicto, gesta sua, in quibus illa Nominis Imperatorii collatio continebatur, Romam à Summo Pontifice probanda & firmanda miserit. Habebat Ludovicus in Carolo patre quod imitaretur exemplum. Anno Redemptoris octingentesimo sexto Carolus Magnus Regnum suum tres in partes pro tribus filiis, Carolo, Pippino & Ludovico divisit. *De hac partitione est Testamentum factum, & jurejurando ab Optimatibus Francorum confirmatum, & constitutiones pacis conservandæ causâ factæ: atque hæc omnia literis mandata sunt, & Leoni Papæ ut ipse suâ manu subscriberet per Eginhardum missa. Quibus Pontifex lectis*

[a] Num. 13.
[b] Nu. 33. & seqq.
[c] Num. 100.
[d] Num. 2.

& assensum præbuit, & propriâ manu subscripsit. Ita scribunt Annalistæ, Loiselianus, Laureshamensis ac Bertinianus, necnon incertus Auctor & Monachus Egolismensis in vita Caroli. Breviùs Annalista Fuldensis, sic. *De hac partitione Testamentum conscriptum, & ab Optimatibus Francorum confirmatum, & Leonis Apostolici subscriptione roboratum est.* Et Ado, sic. *Testamentum inde factum, & jurejurando ab Optimatibus Francorum confirmatum, Leoni Papæ missum, ut manu suâ subscriberet.* Consentit Annalista Metensis sic. *De hac divisione Testamentum fecit, & sacramentis interpositis à Francis confirmatum est, & Leoni Papæ transmissum, ut hæc decreta manu suâ firmaret. Quod & factum est.* Apud Reginonem eadem ac apud Annalistam Metensem legitur periodus, hac duntaxat intercedente differentiâ, quòd Annalista Metensis usus est istis vocibus, *sacramentis interpositis*, in ablativo absoluto, his autem Regino, *sacramentum interpositum*, in accusativo æquè absoluto, sic. *De hac divisione Testamentum fecit, &, sacramentum interpositum, à Francis confirmatum est, & Leoni Papæ transmissum, ut* &c. Id studiosiùs observamus, quia in Agobardi textu, de quo disputamus, has voces, *consortem Nominis vestri factum*, in accusativo absoluto positas contendimus. Inter prædictos Auctores, qui partitionem Regni factam à Carolo laudarunt ad annum Redemptoris octingentesimum sextum, & exemplar Romam Leoni Papæ transmissum asseruerunt, non desunt qui & divisionem anno Redemptoris octingentesimo decimo-septimo factam à Ludovico memorarunt. In horum numero sunt Annalistæ, Laureshamensis, Fuldensis, Bertinianus, & Metensis, cum Adone, quibus accedit & Astronomus in vita Ludovici. Sed nullus exemplar istius partitionis, quam Ludovicus fecit, Romam Summo Pontifici transmissum testatur. Ex hoc silentio suspicari licet id temerè dolosèque sparsum in vulgus ab Agobardo ceterisque conjurationis Lotharianæ fautoribus. At esto. Patris exemplum secutus sit Ludovicus, anno Redemptoris octingentesimo decimo-septimo factâ Regni partitione per Nuncium à Romano Pontifice postularit, ut ei *& assensum* præberet, & *propriâ manu* subscriberet. An perjurii reus habendus anno Redemptoris octingentesimo tricesimo-tertio quia prædictorum filiorum, Lotharii, Pippini & Ludovici sortes post annum Redemptoris octingentesimum decimum-septimum novis auxit Regni divisionibus, & Carolo Regi vocato suam sortem assignavit? Anno Redemptoris octingentesimo vicesimo Lotharium jam Augustum in consortium Regiæ Dignitatis per Italiam seu Longobardiam adscivit. Lotharius epocham illam Longobardicam post Ludovici patris obitum usurpare cœpit, & eum Francica, cujus initium ab ejusdem Ludovici morte petitur, ita contulit, ut testatus sit solido se vicenario Regem Longobardiæ priùs fuisse, quàm patri cis Alpes in partem Regni successerit, adnotatis annis Regni *in Italia* XXI, *in Francia* I; item *in Italia* XXIV, *in Francia* IIII. Parcimus aliis exemplis, quæ post Ludovici Pii mortem frequenter occurrent. Lotharius in Italiam à patre primùm directus est anno Redemptoris octingentesimo vicesimo-secundo, & epocham Italicam ex hoc in Italiam adventu numeravit, quandiu patet ejus in vivis fuit. Extat Lotharii Diploma *datum* II *Nonas Junii, anno, Christo propitio, Imperii Domini Ludovici Serenissimi Imperatoris decimo, Regnique Lotharii Gloriosissimi Augusti in Italia primo* adhuc currente, *Indictione primâ.* Lotharius enim in Italiam à patre missus est post Attiniacensem Conventum, qui mense Augusto celebratus est anno Redemptoris octingentesimo vicesimo-secundo, ut observatum Tomo superiore. Ceteras attingamus Regni partitiones, quas Ludovicus Augustus proximo fecit decennio. Anno Redemptoris octingentesimo vicesimo-nono Carolum Regii quoque Nominis consortem per Alemanniam seu Sueviam, per Rhætiam, & per Burgundiæ partem dixit. Anno Redemptoris octingentesimo tricesimo, post recuperatam auc-

AN. CH. 833. LUDOV. IMP. 20. LOTHAR. IMP. 17. PIPPINI R. 19. LUDOV. R. 17. CAROLI R. 4.

toritatem, quam sibi Lotharius arrogarat, promissis stetit, & Pippini ac Ludovici Regum, quorum ope recreatus fuerat, ditiones amplificavit. Anno Redemptoris octingentesimo tricesimo-primo; post Conventum Aquisgranensem Lotharium Imperatorem solâ Italiâ contentum dimisit. Anno Redemptoris octingentesimo tricesimo-secundo iratus Pippino ac Ludovico Regibus rerum novarum tunc cupidis, inter filios suos Lotharium & Carolum quandam Regni divisionem constituit, *quæ tamen ingentibus impedimentis*, ut Astronomus subjungit, *pro voto minimè cessit.* Omnes hæ Regni partitiones ante annum Redemptoris octingentesimum tricesimum-tertium ab Imperatore Ludovico factæ, præter Italiam, Aquitaniam, Bojoariam, Alemanniam, Rhætiam, partémque Burgundiæ nihil omnino complexæ sunt, eodémque anno Redemptoris octingentesimo tricesimo-tertio, cùm in consortium Regiæ Dignitatis priùs vocati regnarent cum patre, Lotharius in Italia, Pippinus in Aquitania, Ludovicus in Bojoaria, Carolus in Alemannia in Rhætia & in parte Burgundiæ, Lothariúsque Imperatorio præterea titulo gauderet, Ludovicus Augustus perjurii reus haberi non debuit, ex integro enim subsistebant electio Imperii & partitio Regni, quas anno Redemptoris octingentesimo decimo-septimo fecerat, quando tribus è filiis quos tunc habebat unum elegerat Imperatorémque renunciarat Lotharium ceteris Regibus dictis, Aquitaniæ Pippino, Ludovico Bojoariæ.

VII. Porrò cùm ad annum Redemptoris octingentesimum sextum apud Auctores suprà citatos partitio Regni Caroli vel *jurejurando ab Optimatibus Francorum* sive *à Francis confirmata*, vel *Leonis Papa* sive *assensu* sive *subscriptione roborata* seu *firmata* legitur, aut apud Agobardum Ludovicus Augustus, postquàm Lotharium Imperii consortem, ceterósque filios, Pippinum videlicet ac Ludovicum, Reges vocavit, anno Redemptoris octingentesimo decimo-septimo *Romam* asseritur misisse *à Summo Pontifice gesta sua probanda & firmanda*, cave ne credas has loquendi formulas strictè sumendas esse, quasi quæcumque Regni partitiones cùm à Carolo tum à Ludovico fierent, forent irritæ, nisi Procerum vel omnium Francorum jusjurandum cum assensu vel subscriptione Romani Pontificis accederet. Hæc enim ut interponerentur, haud exigebat necessitas, nec interposita sunt ut Imperialibus Decretis auctoritas adderetur, sed tantùm ut populus, propter metum temerandi juramenti, proptérque reverentiam erga Sedem Apostolicam, studiosior Imperialium Sanctionum observator esset. Agobardus, ut perfidiæ reatum procul à se suisque sociis removeat, objicit frustrà Ludovico, quòd *jurare omnes* jusserit *ut talem electionem & divisionem cuncti sequerentur ac servarent*, id est, ut quem ipse suis è filiis anno Redemptoris octingentesimo decimo-septimo consortem Imperatorii Nominis elegerat, omnes Imperatorem deinceps agnoscerent, nec violarent divisionem quam tunc fecerat ceteros inter filios Pippinum & Ludovicum, quorum unum Aquitaniæ Regem, alterum Bojoariæ Regem appellarat. Nihil horum non observabatur anno Redemptoris octingentesimo tricesimo-tertio, Reges colebantur, Pippinus ab Aquitanis, Ludovicus à Bojoariis. Lotharius Imperatorio gaudebat titulo, quin & Rex erat Longobardorum ab anno Redemptoris octingentesimo tricesimo.

VIII. Frustrà quoque queritur Agobardus, quòd *in processu temporis, quotienscumque aut quocumque Imperiales literæ mitterentur, amborum Imperatorum*, Ludovici videlicet ac Lotharii, *nomina continebant; postea verò mutatâ voluntate, convulsa sunt statuta, & de literis nomen omissum est* Lotharii. Post annum Redemptoris octingentesimum decimum-septimum, quo Lotharius à patre dictus est Imperator, in Diplomatibus frequentissimè nomen solius Ludovici, nonnumquam Lotharii vel utriusque reperitur appositum. Chartarum, quas suis locis recitatas consulere poteris, brevem hic texe-

AN. CH. 833.

mus indicem. Nullâ Lotharii Augusti mentione factâ, Ludovicus Imperator varia Præcepta emisit, anno Redemptoris octingentesimo decimo-octavo [a] pro Monasterio Tevenecensi; anno Redemptoris octingentesimo decimo-nono [b] pro Ecclesia Magalonensi, Cœnobiisque, Dervensi, Conchensi, & Gandensi; anno Redemptoris octingentesimo vicesimo [c] pro Monasterio Cormariceno Ecclesiisque Placentina & Parisiensi; anno Redemptoris octingentesimo vicesimo-primo [d] pro Ecclesia Parisiensi & Monasterio Inferioris Altaichii; anno Redemptoris octingentesimo vicesimo-secundo [e] pro Ecclesiis Mutinensi & Paderbornensi ac Monasteriis Senonensibus & Sanctæ Christinæ; anno Redemptoris octingentesimo vicesimo-secundo [f] pro Monasterio Elnonensi; anno Redemptoris octingentesimo vicesimo-tertio [g] pro Cœnobio Corbeiæ Saxonicæ; anno Redemptoris octingentesimo vicesimo-quarto [h] pro Ecclesia Ultrajectensi; anno Redemptoris octingentesimo vicesimo-quinto [i] pro Ecclesiis Matisconensi & Basilica Brivatensi; anno Redemptoris octingentesimo vicesimo-sexto [k] pro civitate Cæsaraugustana. Lotharius autem omisso Ludovici patris nomine Præceptum solus emisit annis Redemptoris octingentesimo vicesimo-tertio [l] & octingentesimo vicesimo-quarto [m] pro Ecclesia Comensi. Annis proximè sequentibus Ludovicus & Lotharius Augusti sua simul nomina variis Præceptis & Epistolis inscripserunt; anno Redemptoris octingentesimo vicesimo-quinto Præceptum ediderunt pro Monasterio [n] Sancti Maximini ad Ligerim, literásque scripserunt Eugenio Papæ, quæ Romam perlatæ sunt anno Redemptoris octingentesimo vicesimo-sexto [o], quo pariter anno [p] Præceptum emiserunt pro nova Corbeia, ut & anno Redemptoris octingentesimo vicesimo-septimo pro Monasterio Dervensi; anno Redemptoris octingentesimo duodetricesimo Præceptum etiam ediderunt pro Ecclesia [q] Andegavensi, literásque scripserunt [r] universo populo legendas & epistolam encyclicam pro celebratione quatuor Conciliorum; anno Redemptoris octingentesimo undetricesimo [s] nominati sunt simul in Præfatione Concilii Parisiensis. Anno Redemptoris octingentesimo tricesimo [t] post Epiphaniam in Conventu Aquisgranensi cœpta contra Ludovicum Augustum conjuratio cujus particeps Lotharius cum fratre Pippino, eodémque anno variæ inchoandorum Diplomatum usurpatæ sunt formulæ, quia Lotharii defectio Ludovicum aliquandin latuit, nec Lotharius in reatu per totum annum mansit; Ludovicus & Lotharius mense Martio [u] Præceptum emiserunt pro Monasterio Sancti Florentii sito in Diœcesi Placentina; tertio Nonas Aprilis [x], omisso Lotharii nomine, Ludovicus Præceptum pro Monachis Centulensibus dedit; at Idibus Augustis [y], Ludovicus & Lotharius, cùm post redintegratam pacem è Compendiensi Palatio simul in Noviomagense proficiscerentur, simul quoque Præceptum ediderunt pro Cœnobio Carrofensi, necnon & aliud [z] post Kalendas Octobres pro Besuensi Monasterio. Mense Octobri celebratus est Conventus Noviomagensis. Eo peracto cessatum est à bello domestico. Tunc Ludovicus Imperator plerosque conjurationis priùs initæ conscios vel dimisit è custodia, vel ab exilio revocavit, nonnullis tamen, quos ad tumultum procliviores noverat, nihil remissionis indulsit. Ut autem auctoritate se pristinâ pollere palàm significaret, in Diplomatibus suum duntaxat nomen apposuit nullâ Lotharii factâ mentione, decimo-tertio Kalendas Decembris [aa] anno Redemptoris octingentesimo tricesimo pro Monasterio Sancti Zenonis in Episcopatu Veronensi; anno Redemptoris octingentesimo tricesimo-primo [bb], pro Barisiaco, pro Ecclesiis Viennensi & Strasburgensi, pro Monasteriis Turonensibus Sancti Martini, & pro Vincentino prope Vulturnum; necnon & anno Redemptoris octingentesimo tricesimo-secundo [cc], pro Monasteriis Dervensi & San-Dionysiano. Scripsit Agobardus anno Redemptoris octingentesimo tricesimo-tertio, & apud Ludovicum Au-

[a] Num. 10.
[b] Nu. 3. & seqq.
[c] Nu. 10. 19. 31.
[d] Nu. 83. 85.
[e] Nu. 1. & seqq.
[f] Num. 154.
[g] Num. 12.
[h] Num. 2.
[i] Nu. 36. 37.
[k] Num. 37.
[l] Num. 2.
[m] Num. 8.
[n] An. 825. n. 5.
[o] Num. 4.
[p] Num. 24.
[q] Tom. 7. a. 828. n. 22.
[r] Tom. 8. a. 828. nn. 5. 8.
[s] Num. 12.
[t] Nu. 1. 2.
[u] An. 830. n. 48.
[x] An. 830. n. 11.
[y] An. 830. n. 27.
[z] An. 830. n. 78.
[aa] An. 830. n. 82.
[bb] Nu. 1. 6. 11. 14. 30.
[cc] Nu. 2. 6.

AN. CH. 833. LUDOV. IMP. 20. LOTHAR. IMP. 17. PIPPINI R. 19. LUDOV. R. 17. CAROLI R. 4.

gustum questus est in gratiam Lotharii Imperatoris, quòd *in processu temporis*, ut dictum est suprà, *quotienscumque aut quocunque Imperiales literæ mitterentur, amborum Imperatorum nomina continebant, posteà verò, mutatâ voluntate, convulsa sunt statuta, & de literis nomen omissum est* Lotharii. Diplomata, quorum Indicem texuimus, à die quo Lotharius Imperator est appellatus ad annum usque Redemptoris octingentesimum vicesimum-quintum, solo vel Ludovici vel Lotharii nomine pro diversis locis consignata sunt. *In processu temporis* ab anno videlicet octingentesimo vicesimo-quinto ad octingentesimum tricesimum insignita sunt amborum Imperatorum nominibus. Anno Redemptoris octingentesimo tricesimo Ludovicus Imperator cùm Lotharii defectionem proximúmque tumultum jam præsentiret, suo tantùm nomine literas Imperiales inscripsit, eodémque pòst anno cùm Lotharium in amicitiam recepisset, ut suum sic & illius nomen initio literarum apposuit. At sub ejusdem anni finem sequentíque biennio cùm pristinam recuperasset auctoritatem, iterúmque Lothario diffideret, inchoandorum Diplomatum formulam suo tantùm nomine voluit exornari. Talem mutationem tanquam scelestissimum facinus legibus cùm humanis tum divinis valdè contrarium atrocissimis verbis insectatus est Agobardus, id autem quo jure fecerit, haud capimus. Vocatus à Ludovico per literas, ut cum aliis Episcopis & Conventui Francorum interesset, & cladem Regno per turbulenta tempora tunc imminentem averteret, Imperiali Jussioni parere noluit, maluitque scriptis etiam falsis ipsummet Augustum semel atque iterum lacessere, ne quid dicamus hic de libro apologetico, quem paulò pòst exaravit, ut infrà narraturi sumus. Nemo sanæ mentis non arguet Agobardum, quòd contra parrem adhæserit rebellanti Lothario, suámque culpam causis inanissimis atque Archiepiscopo prorsus indignis prætexuerit. De juramenti vinculo, quod obtendebat, egimus suprà, probavimúsque nihil à Ludovico factum contra sacramentum, quod à Francis exegit anno Redemptoris octingentesimo decimo-septimo cùm Lotharium in consortium Imperatorii Nominis adscivit, Imperialem enim titulum eidem Lothario quantoscumque tumultus cienti numquam ademit. Octavo quidem anno postquàm Lotharium Imperatorem dixerat, eundem Lotharium sibi tunc obedientissimum initio literarum honoris causâ nominare cœpit, nominavitque donec Lotharius à reverentia fidéque patri debitâ flagitiosissimè defecit. Quis ex hac mutatione jus Agobardo vel alii cuipiam datum censeat, ut in procinctu civilis belli, cujus author Lotharius, Ludovicum deserat, ipsúmque Lotharium perduellem sequatur? Agobardi reatus locum dissidio dedit, quod illum inter & Amalarium Metensem Chorepiscopum exarsit. Hic objecit Agobardo, quod Ordinem psallendi in Ecclesia Lugdunensi receptum immutasset. Agobardus inde sumpsit occasionem scribendi tres libellos; unum *de Divina Psalmodia*, secundum *de correctione Antiphonarii*, tertium contra libros quatuor *Amalarii*. Libellum de Divina Psalmodia sic exorsus est. *Quia nuper stultus & improbus, ipsáque stultitiâ & improbitate suâ omnibus notus calumniator erupit, qui Sanctam Ecclesiam nostram, id est, Lugdunensem, non solùm verbo sed etiam scriptis lacessere non cessat, quasi non rectè, nec more paterno sive usu, divina decantationis sollemnia peragentem, necesse fuit omnem sacrorum Officiorum seriem, qua solito Cantorum Ministerio per totum anni circulum in Ecclesiasticis Conventibus exhibetur, sicut in eadem Ecclesia favente Dei gratiâ custoditur, diligentiùs & pleniùs in libello, quem usitato vocabulo Antiphonarium nuncupant, colligere atque dirigere.* Libellum de correctione Antiphonarii *Dilectissimis in Christo fratribus & præcipuè Cantoribus Ecclesiæ Lugdunensis* inscripsit. Quamvis in exordio libelli de Divina Psalmodia nomen Amalarii non expressérit, à quo læsum se quereretur, imus tamen in sententiam Stephani Baluzii fidentissimè scribentis Amalarium intelligi, nec

in

AN. CH. 833. LUDOV. IMP. 20. LOTHAR. IMP. 17. PIPPINI R. 19. LUDOV. R. 17. CAROLI R. 4.

in hujus assertionis confirmationem leve ducimus argumentum, quòd Agobardus libellis de Divina Psalmodia & de correctione Antiphonarii tertium adjecerit, cum expresso titulo *contra libros quatuor Amalarii*, sive contra quatuor libros quos Amalarius de Ecclesiasticis Officiis composuit. Quicquid autem Agobardus scripsit, id minimè nocuit Amalario, qui post aliquot annos jussu Ludovici Augusti, cui quatuor libri de Ecclesiasticis Officiis acceptissimi fuerant, iterum profectus est Romam ad Antiphonarios Ecclesiæ Romanæ consulendos, & ex Italia reversus, ut suo loco dicturi sumus, Ordinem Antiphonarii concinnavit.

IX.

CONSILIA CONJURATORUM.

Nithardus [a] Agobardi ceterorúmque conjuratorum consilia sic exponit. *Populum quasi ad justum regimen sollicitant, Walanam, Elisachar, Mathfridum, ceteròsque, qui in exilium retrusi fuerant, custodiâ emittunt; Lodharium, ut rem publicam invadat, compellunt; insuper autem & Gregorium Romanæ Summæ Sedis Pontificem, ut suâ auctoritate liberiùs quod cupiebant perficere possent, sub eadem specie magnis precibus in supplementum suæ voluntatis assumunt.* Inter exules, quos seditiosi revocarunt ab exilio, tres præcipuè nominantur, Walana seu Wala Corbeïensis Abbas ad Somonam, Helisachar Sancti Maximini Abbas in Diœcesi Trevirensi, & Mathfridus Comes. Hic Aurelianensem Comitatum recepit Odone rursum expulso. De Wala multa scribuntur [b] ab ejus Encomiaste, quæ pertinent ad hunc locum & indigent examine. Imprimis hic Auctor agit de duplici ad veterem Corbeiam Legatione, ut inde Wala in Alsatiam evocaretur, quò se Gregorius Papa filiique Imperatoris contulerant. *Advenerunt*, inquit, *Missi Apostolici, Regúmque filiorum & Seniorum, quòd omnes simul cum eodem Sanctissimo advenissent, pro pace & unitate, pro indulgentia & satisfactione patris, ut veniam impetrarent auctoritate Pontificis, & salvaretur Imperium. Qui detulerunt epistolas ex omni auctoritate divina valdè gravidas, & præcipiunt cum omni adjuratione, quamvis pro his multa jam perpessus, ut in adjutorium Summi Antistitis obviam veniret. Quòd si nollet, jusserunt Augusti vi eum abducere, cum omni tamen honore & reverentia. Quod cùm audissemus omnes, pertimuimus valdè, maximè quia totum à militibus nostrum occupabatur Cœnobium. Nos tamen primùm nesciebamus quid sibi vellent. Unde plurimùm expavimus, & quæsivimus quid esset. Tum illi rei veritatem pandentes; sed idem ire tum eis recusavit. At illi in nos irruentes dicebant, quòd, si aliter non possent, vi eum auferre deberent. Quibus profectò dictis, hinc inde valdè mærore ac terrore afficiebamur, quoniam multùm nobis & illi pariter imminebat periculum, facere aut non facere quod rogabant; siquidem pro multis ejus jam periculis nimiùm tristabamur, & quia in nullo priùs profecerat, ne rursus repeteret, deterrebamur. Ostendebatur coràm auctoritas & legebatur Summi Pontificis, pro pace, pro reconciliatione patris & filiorum, Principum & Seniorum, pro statu Ecclesiarum, pro adunatione populi & salvatione totius Imperii. Erant autem & alii ex parte filiorum pro eis rogantes eum, ne illis suis succurreret consiliis, qui jam pro eis multa pertulisset, ne eos in fine desereret discriminis. Nuntiabatur & virtus divina, quæ prærupta viam Alpium Penninarum totam sacrosancto complanasset Apostolico, quæ obstrusa multis fuerat argumentis, ne ultra de illis in partibus ullus ampliùs huc transiret exercitus, quæ ultrò, ut fertur, aperta est eis. Quibus ita prolatis, & aliis innumeris dictis, cœpimus exhortari eum, ut obediret pro pace Summo Dei Pontifici, etiamsi eum mori cum eo contingeret, quoniam multa est, inquimus, auctoritas quâ vocaris. Nec minor itaque obedientia, sub qua devotus Deo bonis & sanctis congruit tanti Pontificis, unà cum ceteris sanctis Dei fidelibus, jussis.* Duplicis hujus Legationis examen hîc subnectendum. Gregorius Papa causam exilii, quod irrogatum Walæ fuerat ab Imperatore, variásque deportationes ad lacum Lemanum, in Herum Insulam, in Germaniam, & ad Somonam, ignorare vix potuit. Anno Redemptoris octingentesimo tricesimo, cùm primùm inter Ludovicum Augustum & aliquot Proceres qui filios ejus magis dili-

EIS SE ADJUNGIT WALA ABB. CORBEIENSIS.

FABULOSA ILLIUS ACTA REPELLUNTUR.

[a] Lib. 1.

[b] Tom. 1. Sec. 4. Benedict.

AN. CH. 833. LUDOV. IMP. 20. LOTHAR. IMP. 17. PIPPINI R. 19. LUDOV. R. 17. CAROLI R. 4.

gebant, orta est dissensio, Wala rebellionem frequentibus fovit colloquiis, cùm apud Aquisgranum ubi Conventus ab Imperatore tunc habebatur, tum in vetere Corbeia ubi postmodum degit eodem Imperatore pagos Oceano vicinos lustrante, nec expectato adventu Lotharii qui conjurationis particeps erat, Pippino ex Aquitania venienti atque in patrem multa jam molito se junxit, deinde Lothario ex Italia reverso adhæsit. Ideóque cùm se contulisset Noviomagum, ut Conventui per mensem Octobrem illic celebrando interesset, à Ludovico Augusto, qui *vires adversariorum* [a] *attenuare* satagebat, *jussus est ad Monasterium redire Corbeia, ibique regulariter* juxta professionem suam vivere. Sed anno Redemptoris octingentesimo tricesimo-primo, cùm fides ejus Imperatori suspecta plurimùm esset, timendúmque videretur, ne res novas in adjacentibus provinciis cieret, ablegatus primùm est in Regnum Caroli prope lacum Lemanum, post Conventum autem Ingelheimiensem, cùm Lotharius, cujus partibus addictissimus erat, in Italiam dimittebatur, secundò deportatus est in Herum Insulam, quia Pippinus Aquitaniæ Rex, cui parebat Herus, in patris amicitia tunc erat; tertiò abductus est in Germaniam, statim ac Imperator eidem Pippino filio cœpit diffidere. Post istas migrationes anno Redemptoris octingentesimo tricesimo-secundo suam ad Corbeiam remissus est ab Imperatore verito, ne se reciperet ad Ludovicum Bojoariæ Regem, qui pravis suorum fratrum consiliis abripi se patiebatur. Sanè vel hæc omnia, vel ex his plurima sciebat Papa. Quapropter ab eo directos ad Walam Nuncios inficiari potes, maximè cùm istius Legationis coætanei Scriptores nusquam meminerint. Si pertinaciùs asseris à Romano Pontifice vocatum è Corbeia Walam, Gregorium necesse est fatearis egisse minùs prudenter, occasionémque non levem Imperatori dedisse conquerendi, quòd componendæ paci perutilem, ne dicamus necessarium, missâ Legatione judicarit, quem ipse Imperator adversarium suum hostémque patriæ declararat, eóque nomine non tantùm ante sesquiannum è Noviomagensi Conventu ignominiosè repulerat, sed etiam postmodùm procul abegerat à Monasterio, crebróque, prout sibi timebat à filiis, mutandam imperati exilii sedem propter viciniam Lotharii, propter suspectam Pippini fidem, propter imminentem Ludovici defectionem præscripserat. Eundem Imperatorem ad iracundiam provocare quoque debuit quæ profertur Legationis Pontificiæ causa. Cùm enim Walam in hostium suorum numero collocaret, æquo non potuit animo ferre, quòd is Romano Pontifici adeò acceptus esset, ut ab illo per Nuncios honorificentissimè accessiretur *pro pace, pro reconciliatione patris & filiorum, Principum & Seniorum, pro statu Ecclesiarum, pro adunatione populi & salvatione totius Imperii.* Cum Missis Apostolicis à filiis Imperatoris ad Walam directi quoque perhibentur Nuncii *pro eis rogantes eum, ut illis suis succurreret consiliis, qui jam pro eis multa pertulisset ne eos in fine desereret discriminis.* Wala certissimè vel à tribus Regibus, vel ab horum quopiam nuncium accepit, certiórque factus de fratrum conjuratione statim è Corbeia discessit. Id autem priùs factum videtur, quàm Imperator defectionem filiorum audiret. Nam si pulsum è Monasterio disjunctissimis in regionibus, in specu prope lacum Lemanum, in Hero Insula, in Germania, exulare jussit, atque ex uno loco in alium pro diversis causis deportari præcepit, è specu in Herum Insulam ne Lotarium in vicina Italia commotantem adiret, ex Hero Insula in Germaniam ne Pippino se sociaret Aquitaniæ Regi suspectæ tum fidei, denique ex Germania in veterem Corbeiam ne Ludovicum Bojoariæ Regem res novas meditantem conveniret, an auditâ trium filiorum conjuratione reliquisset adeò liberum, ut è vetere Corbeia tutò in Alsatiam ad castra conjuratorum transire posset? Wala igitur, ut recordatio prætteritarum rerum facilè persuadet, in ipso belli procinctu suum deseruit Monasterium,

[a] Astron. in Vita Lud. Pii.

nec hortationibus sodalium fuit opus, ut quod animo jamdudum concupiebar, opere perficeret. In textu suprà descripto non capimus cur in plurali numero mentio fiat Augustorum, hique dicantur jussisse, ut Wala, *si nollet*, è Cœnobio *vi* abduceretur. Duo quidem erant Augusti, Ludovicus ejúsque filius Lotharius, sed inter se tunc adeò dissidebant, ut nec in unam conspirare sententiam, nec eandem de Wala jussionem simul edere potuerint. Si Gregorium Papam & Lotharium Imperatorem duos interpretaris Augustos, inusitatus est hic loquendi modus, nec Imperatoris Augustive nomen Pontifici Romano tribui solet. Si recurris ad tres Ludovici Augusti filios, eósque collectivè vocas Augustos, reus es adulationis, quia solus Lotharius in consortium Imperatoriæ Dignitatis à patre vocatus est, solúsque nomen Augusti gessit, fratribus Pippino ac Ludovico Regibus tantùm appellatis. Tarendum tamen est eosdem fratres infrà non quidem simpliciter *Augustos*, sed *Augustos Reges* nuncupari. Quod attinet ad *præruptam viam Alpium Penninarum*, quam Auctor divinâ virtute *coram sacrosancto Apostolico* complanatam scribit, nullum hic Miraculum agnoscimus, sed Lotharianæ defectionis, quam detestamur, primum deprehendimus indicium. Anno Redemptoris octingentesimo tricesimoprimo Ludovicus Augustus post Aquisgranense Placitum, ut ex Nithardo [a] probavimus, *Lodharium solâ Italiâ contentum, eâ pactione abire permisit, ut extra patris voluntatem nihil deinceps moliri in Regno temptaret*. Anno Redemptoris octingentesimo tricesimo-secundo Lotharius Ludovicum Bojoariæ Regem clandestinis consiliis ad bellum movendum sollicitavit, apertè verò nihil molitus est adversùs patrem, quocum aliquandiu moratus in Italiam eodem anno rediit. At hoc anno, post Christum natum octingentesimo tricesimo-tertio, idem Lotharius, cùm non ampliùs Italiâ contentus esset, conjurationémque cum Pippino & Ludovico fratribus contra Ludovicum patrem fratrémque Carolum iniisset, ejusdem Caroli Regnum invasit, actis in fugam militibus, qui, nomine seu Ludovici Augusti seu Caroli Regis, Alpium Penninarum claustra custodiebant.

AN. CH. 833. LUDOV. IMP. 20. LOTHAR. IMP. 17. PIPPINI R. 19. LUDOV. R. 17. CAROLI R. 4.

[a] Lib. 1.

X. Adeodatus unus ex interlocutoribus in encomio Walæ multos ait inveniri, qui discessionem ejusdem Walæ è Corbeïa vituperent, utpote proposito Monastico valdè contrariam. *Hoc est*, inquit, *quod multi calumniantur, quasi non oportuerit de his cum ultrà turare, neque talibus se admiscere negotiis, cùm omnino Spiritûs Sancti gratia nulla præscribit auctoritas cujuslibet Regulæ, immo cuncta Christi dispensat providentia, singulis quantùm in singulis vel quomodo proficiant officiis. Siquidem considerandum quid quisque agat, vel quomodo, & ubi. Quia, sicut in eadem legitur Regula, claustra sunt Monasterii virtutum instrumenta & bonorum operum, quò diligentiùs omnia regulariter compleantur. Qua de causa cui non licet sine jussione Abbatis quidpiam agere, providendum si licuit ad tam grandia & incerta sine transgressione insilire, quia periculosissimum est quempiam suum relinquere propositum, & ad ea quæ non expediunt, neque suo congruunt officio, inconsideratè se admittere.* Respondet Encomiastes istam *multorum* vocem esse, *sed eorum, qui non adtendunt cujus dignitatis esset iste vel ordinis. Nam postquàm electus ab omnibus est Pastor & Rectoris officium vocatus à Deo suscepit ut creditur, Consiliarius totius Imperii unà cum ceteris prælectis constitutus, etiam in fide ac consilio reliquis antepositus. Quod & anteà jam erat etiam quàm idem esset electus, quia pro genere, pro vitæ merito, pro institutione quam perceperat penè ab ineunte ætate infra Senatum & Sapientes Regni, pro mentis efficacia & nobilitate sensûs, plurimùm ab omnibus audiebatur, & venerabatur à singulis. Idcircò qui jam cùm esset Prælatus unà cum ceteris Ecclesiarum Pastoribus, est ordinatus Senator cum eisdem ipsis & cum aliis quibuslibet Palatii vel Regni Senatoribus, ut consilium daret de singulis; non mihi videtur*, inquit, *quòd sine periculo sui prætermittere posset, priùs ne consilium de his inveniret, quæ annumeravimus, in quibus unus omnium pro-*

AN. CH. 833. LUDOV. IMP. 20. LOTHAR. IMP. 17. PIPPINI R. 19. LUDOV. R 17. CAROLI R. 4.

fectò imminebat interitus. Alioquin nullus Monachorum major vel sanctior Johanne qui ideo decollatus est, nullus acceptior Heliâ, nullus religiosior Heliseo, seu ceteris Sanctis & Prophetis, qui viriliter Regibus restiterunt, & pro justitia decertarunt usque ad mortem. Nam Zacharias ideo peremptus, Isaias secatus, Hieremias in lacum dimersus, sed iste longè inferior in specu altissima est levatus. Nobis plurimùm displicent hæ comparationes, Wala enim cum Joanne Baptista & Prophetis suprà nominatis comparari non potest, quin Ludovicus Augustus Herodi & aliis Regibus, qui eosdem Prophetas occiderunt, similis asseratur, quod iniquissimum est. Pergit Panegyristes, atque ita concludit adversùs Adeodatum. *Errat igitur, quicumque dicit, quòd pro justitia non debuerit stare, pro fide non decertare contra tot mala taliáque, quæ acciderunt, non debuerit, quia armis non licebat, saltim consilio, exhortatione, persuasionibus non resistere.* Wala, si pro justitia, si pro fide erga Ludovicum Augustum servanda suum desereret Monasterium, maximis à nobis extolleretur laudibus. At partes longè alias amplectitur, totum se causæ devovet injustissimæ, domesticos Regni tumultus pravis fovet consiliis, filios adversùs patrem rebelles pessimis hortationibus acuit. Ubi justitia, ubi fides erga Principem? Spernenda est igitur Adeodati ad opinionem Encomiastæ post levem disputationem accessio cum his verbis. *Arsenius seu* Wala *à fratribus impulsus; à Summo Pontifice cum adjurationibus vocatus; à filiis Augusti Regibus imploratus; à populo, & Præsulibus, cum quibus olim fuerat in * exordio hujus causa, deprecatus, pro concordia & pace tandem censuit aliquando coactus illuc venire, summóque Antistiti obedire, seque illi conjungere, qui tantum pro omni populo Dei assumpserat laborem, si fortè cum eo pacem in Regno restituere posset & discordias removere. Quapropter detrahendi nullus est locus, immo major esset reprehensio, si desereret tanta auctoritatis jussionem pro ullius discriminis præsentis vitæ periculo, quoniam laudabilius est benè mori, vel periclitari cum bonis & optimis, quàm malè vivere, aut consentire cum pessimis. Aliud quippe pœna judicii est, aliud verò augmentum peccati. Et ideo non inconsultè, ut aiunt, neque contra propositum vera religionis rursus idem tradidit se discrimini, sed valdè officiosissimum & laudabiliter se obtulit, & medium pro utriusque partibus, si reciperetur æquè ab omnibus; neque suis deterreri poterat periculis, qui se multotiens ingesserat pro alienis.*

* Edit. in causa hujus exordii.

XI. Encomiastes, qui socium itineris se dicit, quomodo Wala per multas provincias quæ Ludovico Augusto addictissimæ erant, & per medias legiones quæ eidem Imperatori militabant, in Alsatiam ad Gregorium Papam trésque conjuratos Reges post maximos pervenerit labores, novísque consiliis animum Romani Pontificis penè deficientem roborarit, suo modo sic exponit. *Iter suscepimus inter medias concursiones insidiantium, inter legiones huc illúcque qui nobis adversabantur discurrentium; inter quos, donec, ad Augustos Reges & ad ipsum sacrum Pontificem venimus, satis periculosissimè semper cum metu ac tremore incessimus, timentes ne non venire ad destinatum licuisset, quia omnino, si comperium esset, arctior nos susciperet custodia, quàm olim ei esset inlata, quia erat cum Augusto Justina* seu Juditha *tunc temporis, quæ movebat totius Monarchia rursus sceptra, concitabat fluctus & maria, impellebat ventos, & corda virorum ad omnia quæ vellet convertebat, à qua quia unum ejecerant, de quo diximus, flagitiosissimum, alii serviebant facinorosissimi. Nos autem, quia declinare, nisi inter medias eorum cohortes iremus, non potuimus, per medium protegente Deo prosperè pervenimus, ubi cùm venissemus, cum nimio suscepti sumus gaudio à Regibus, à Principibus, & ab omni populo. Deinde oblati Sanctissimo Pontifici, satis venerabiliter cum magna alacritate nos excepit, quia cruciabatur & ipse animo pro talibus quæ repererat, qualia numquam priùs credere potuisset. Terrebatur autem (quod valdè dolendum est) ab Augusto, & ab omnibus suis, etiam ab Episcopis, qui sibi pridie quàm venissemus dextras dederant, quòd unanimes essent ad resistendum his, qui ex adverso erant, Regibus fi-*

AN. CH. 833. LUDOV. IMP. 20. LOTHAR. IMP. 17. PIPPINI R. 19. LUDOV. R. 17. CAROLI R. 4.

liis, Principibus & populo; insuper consiliabantur firmantes, prô dolor! quòd eundem Apostolicum, quia non vocatus venerat, deponere deberent. Erat enim ibi Phasur seu Guntbaldus, ut interpretamur, *& reliqui eadem cum Justina sentientes. Quibus auditis, Pontifex plurimùm mirabatur, ac verebatur. Unde & ei dedimus, nonnulla Sanctorum Patrum auctoritate firmata, prædecessorúmque suorum conscripta, quibus nullus contradicere possit, quòd ejus esset potestas, immo Dei & Beati Petri Apostoli suáque auctoritas, ire, mittere ad omnes gentes pro fide Christi & pace Ecclesiarum, pro prædicatione Evangelii & assertione veritatis; & in eo esset omnis auctoritas Beati Petri excellens & potestas viva, à quo oporteret universos dyudicari, ita ut ipse à nemine judicandus esset. Quibus profectò scriptis, gratanter accepit, & valdè confortatus est.* Auctor in hoc textu Walam perduellionis reum probat. Illum enim hostem Ludovici Augusti, Judithæ Augustæ, necnon & Episcoporum, Procerum, militum, ac Francorum, qui constanter in Ludovici Augusti fide & obsequio permanent, amicum verò filiorum contra patrem rebellantium, fautorémque seditiosorum, qui stant ab eorum partibus, graphicè depingit. Deinde Juditham rursum contumeliis afficit; Bernardum Septimaniæ Ducem, cujus consilio Ludovicus aliàs utebatur, *flagitiosissimum* vocat; Consiliariósque, quos idem Imperator in suo nunc habet comitatu, *facinorosissimos* dicit. Horum præcipuus, qui tralatitio nomine *Phasur* appellatur, nobis est Guntbaldus Monachus, qui pro Ludovico Augusto contra Lotharium anno Redemptoris octingentesimo tricesimo-primo multùm laboravit, & in Imperio secundus deinceps esse voluit, etiam post Bernardi reditum è Septimania, ut testatur Nithardus [a] à nobis jam citatus. Addit Encomiastes Walam ad Lotharium ejúsque fratres postridie pervenisse, quàm Ludovicus Augustus illorum pater à fidelibus suis atque inter hos ab omnibus quoque Episcopis, qui præsentes adesse potuerant, contra filios suos eorúmque fautores novum fidelitatis sacramentum exegisset. Id actum dubio procul à Ludovico, statim ac certior de filiorum conjuratione factus est. Atque hæc observatio nostram confirmat assertionem de Wala per nuncios à conjuratis è Corbeia priùs evocato, quàm Imperatori consilia filiorum innotuissent. Denique Walæ Panegyristes ait Episcopos, qui stabant ab Imperatore Ludovico, comminatos esse, *quòd* Gregorium Papam, *quia non vocatus venerat, deponere deberent.* At ista de comminatione inferiùs. Agobardus Lugdunensis Archiepiscopus, per literas ad Francorum Conventum ab Imperatore Ludovico vocatus, non tantùm Jussionem Imperialem neglexit, sed & sacramentum fidelitatis, quod turbulentissimis hisce temporibus cum aliis Episcopis Ludovico præstare debuit, irrisit in libro apologetico pro filiis ejusdem Imperatoris. Postquàm enim illorum sprevit sacramenta, qui jubente Ludovico Imperatore fidem anno priori promiserunt, Carolo Regi tum puero, de juramentis, quæ seriùs, hoc videlicet anno, facta sunt, per contemptum similiter ita locutus est [b]. *Et ne ibi quidem remansit. Sed quasi nihil horum fuisset, adhuc exorta sunt juramenta.* Scripsit illum librum in procinctu belli civilis hoc eodem anno, priusquàm Ludovicus in filiorum potestatem veniret exauctoraretúrque. Totum opus in tredecim distinxit capita, séque passim infensissimum Ludovici Imperatoris, Judithæ Augustæ, Carolique Regis hostem, & acerrimum Lotharianarum partium defensorem reúmque perduellionis ostendit. Lege quæ superiùs ad annos Redemptoris octingentesimum tricesimum [c] duósque [d] proximè sequentes ex capitibus secundo, tertio, octavo & nono, descripta sunt fragmenta. Reliquam lucubrationem paucis hic examinabimus. Caput primum tale est. *Audite hæc omnes gentes, audiat terra & plenitudo ejus à Solis Ortu & Occasu, ab Aquilone & mari, & sciant & recogitent pariter Domni & Imperatoris Hludouvici filios justè fuisse & esse indignatos, & benè sentire & intendere ad expurgandum paternum Palatium à sordibus facino-*

[a] Lib. 1.

[b] Cap. 5.

[c] Num. 13.

[d] An. 831. n. 2, a. 832. n. 7.

AN. CH. 833. LUDOV. IMP. 20. LOTHAR. IMP. 17. PIPPINI R. 19. LUDOV. R. 17. CAROLI R. 4.

rum & iniquis factionibus, & Regnum ab amarissimis & tumultuosis inquietudinibus, tantùm ut inter eos germana fides & fraterna sinceritas Deo digna & omni fideli populo beneplacita persistat, & inviolabiliter perseveret. Apud æquum judicem hoc unum sufficiet caput, ut Agobardus nefandæ conjurationis ac rebellionis in Ludovicum fautor habeatur. Ex capite tertio discimus exaratam illam apologiam hoc anno, cùm utrarumque partium exercitus ab invicem non longè distabant. *Ecce*, inquit Agobardus, *patefactis abyssis stultitiarum, ad quid perventum est? Cùm enim deberent exercitus mitti adversùs exteras gentes, & ipse Imperator adversùs barbaras nationes dimicare, ut eas fidei subjugaret ad dilatandum terminum Regni fidelium; sic námque orat universalis Ecclesia in solemnibus illis orationibus, diebus Passionis Dominicæ, [ut Deus illi subjectas faciat barbaras nationes.] Nunc è contrario omne Regnum cum extremitatibus suis conglobatur in unum in medio sui, diversâ tamen intentione, dum alii parantur ad intestina viscera disrumpenda, alii ad pacandum, si fieri potest, injustissimam discordiam.* Caput quartum initio pietatem aliquam redolet, totum tamen ad seditionem componitur, multarum fabularum congerie sic conglobatâ. *O Domine Deus cœli ac terræ, cur permisisti fidelissimum & Christianissimum servum tuum Imperatorem nostrum in tantam devenire negligentiam, ut videre nolit quibus malis circumdatus sit? Diligit enim odientes se, & odit diligentes se. Quid si verum est quod plerique, qui subtiliùs intelligere videntur, affirmant, quòd scilicet sint aliqui in latere ejus, qui inhianter expectant exterminium filiorum ejus? Quod si viderint, conlatum habent inter se, ut in Imperatorem mittant manum, & dispertiant sibi Regnum. Hoc utrùm verum sit, ipsi norunt. Multi tamen sunt, qui non ambigunt illos, de quibus dicitur ita incumbere Regno, tanquam parieti inclinato & maceriæ impulsæ. Unde constat, quia nisi Deus subvenerit, aut exteris dabitur Regnum, aut in multos tyrannos dispertietur, aut forsitan Antichristo, cui præparabitur, quod in hoc assimilatur, quoniam Imperator, qui adversùs barbarorum Reges bella justa disponere debuerat, adversùs dilectores sui filios injusta agere parat.* Ex capite quinto rursum discimus apologiam, de qua loquimur, hoc anno scriptam fuisse, cùm Ludovicus Imperator Juditham Augustam in suo cohabitantem haberet Palatio, nec adhuc captivus à filiis sub custodia detineretur. Tale est enim istius capitis initium. *Dicunt etiam aliqui, quòd Domina Palatii senioris, extra illa, quæ de ejus occultis & non occultis dicuntur, ludat pueriliter, spectantibus etiam aliquibus de Ordine Sacerdotali, & plerìsque conludentibus.* Multa per calumniam de eadem scripta sunt Juditha capitibus secundo, octavo & nono, quæ recitata sunt ad annos Redemptoris octingentesimum tricesimum [a] & octingentesimum tricesimum-primum [b]. Capite autem quinto non parum torquetur Auctor, quòd hæc Imperatrix non litigiosa sed suavis habeatur & blanda. *Fortè dicturus est aliquis. Hæc non est litigiosa, sed suavis, & blanda. Quibus verbis respondendum est non esse majus litigium, quàm boni patris bonos filios irritare, exacerbare, exhonorare, & penitus à patre alienare velle.* Proximis capitibus sexto & septimo, *omnes timentes & amantes Deum, Regem quoque & Regnum*, hortatur ad operam *omni conamine* collocandam, *ut exprimatur vulnus iniquitatis, & obducatur cicatrix iniquitatis, absque sanguinis effusione, absque strage interfectionis, absque amaritudine jurgiorum, absque turbulenta & fœtida commixtione spirituum immundorum.* Id autem, ut mox observaturi sumus, eventurum insinuat, si Judithæ irrogetur exilium, si Ludovico agenda indicatur pœnitentia, si patre exauctorato filii Regnum suscipiant. In fine capitis noni, filios illos, quorum partibus adhæret, ait convenisse *iterum ad succindendam recidivam malorum stirpem*, quia *timebant ne patri eveniret quod de quodam Rege Scriptura Sancta loquitur dicens. [Igitur non fuit alter talis ut Achab, qui venundatus est ut faceret malum in conspectu Domini. Concitavit enim eum Jezabel uxor sua, & abominabilis factus est.]* Capitibus, decimo, undecimo & duodecimo, con-

[a] Num. 13.
[b] Num. 2.

AN. CH. 833. LUDOV. IMP. 20. LOTHAR. IMP. 17. PIPPINI R. 19. LUDOV. R. 17. CAROLI R. 4.

gerit exempla mulcatum mulierum, quæ gravissimorum malorum auctrices extiterunt. Tandem opus in gratiam Lotharii claudit capite decimo-tertio, ibique de Ludovico tanquam de Imperatore exauctorato non semel loquitur, additâ voculâ *quondam*, quâ mentem suam suáque consilia non obscurè significat. *Neque ullo modo*, inquit, *hac idcircò dicimus, ut Domnum quondam nostrum Imperatorem impiis & infidelibus Regibus comparemus. Sed quia permisit se à muliere iniquâ decipi, contigit illi quod scriptum est [Qui conturbat domum suam, possidebit ventos] . Per quam conturbationem & ventorum possessionem, perpetrata sunt innumerabilia perjuria, & depradationes immensæ, cum homicidiis, adulteriis & incestis: pro quibus omnibus pœnitentiis necessarium est religiosissimo quondam Imperatori, ut redeat ad cor suum, agátque pœnitentiam, sub potenti manu Dei humiliatus, cui non est impossibile tribuere illi exaltationem aterna vita: quia exaltatio temporalis vita jam non congruit illi, qui conturbatâ domo & mente, divinâ dispensatione & judicio cessit alteri, & locum dedit non cuilibet inimico aut externo, sed carissimo filio. Propter quod omni jucunditate & exultatione cordis sui summas gratiarum actiones summo omnipotenti Deo indesinenter persolvere debet, quia sicut semper optavit, non successit illi in Regnum inimicus expugnator, sed filius amator.*

XII. Agemus infrà de Ludovico exauctorato, de Juditha in exilium pulsa, de Lothario Regnum per nefas adepto atque invitis etiam fratribus retinente. Interim accipe res à Ludovico priùs gestas, quàm captivus à filiis detineretur. Exercitu collecto Wormatiam, ut dictum est suprà, mense Maio rediit. Ibi Præceptum emisit pro nova Corbeïa, quod in Monumento Paderbornensi decimo publicatum sic reperies. *In Nomine Domini Dei & Salvatoris nostri Jesu Christi. Hludowicus divinâ ordinante providentiâ Imperator Augustus. Omnibus Sanctæ Dei Ecclesia nostrísque fidelibus, præsentibus scilicet atque futuris, notum esse volumus. Quomodo Corbagense Monasterium in Saxonia, propitiante Domino, cum consensu fidelium nostrorum in honore Sancti Stephani protomartyris Christi devotissimâ intentione fundavimus, & ibi competentia subsidia quaque pra manibus invenimus debitâ largitate pradicto sanctificationis loco nostra in elimosina contulimus. Insuper etiam quia locum mercationis ipsa regio indigebat, monetam nostra auctoritatis publicam ultrà ibi semper inesse Christo militantibus proficuam statuimus. Quatenus cum omni integritate absque ullius contradictione vel impedimenti occasione locus ipse sanctitatis omnem inde reditum nostra auctoritatis publicum possideat, & utilitatibus Monasterii perpetuis temporibus multiplicatum nostrum hoc largitatis donum proficiat, & ut fiduciali perpetuitate hac omnia auctoritatis nostra dona sibi potiatur & teneat, anuli nostri impressione subter roborando firmare decrevimus. Signum Hludowici Serenissimi Imperatoris. Hirminmarus Notarius ad vicem Theogonis recognovi. Data Kal. Junias. Anno, Christo propitio, XX Imperii Domni Hludowici Piissimi Augusti, Indictione XI. Actum Wormaciâ civitate, in Dei Nomine feliciter, Amen.*

LUDOVICUS AUG. DAT PRÆCEPTUM PRO NOVA CORBEÏA.

XIII. Quid post Pentecosten gestum sit, ex variis Auctoribus per ordinem accipe. *Imperator Missis destinatis, Bernardo scilicet* seu Bernhario *Episcopo* Wormatiensi *cum reliquis, filios hortabatur ad se veniendum & redeundum. Sed & Papam Romanæ Sedis conveniebat, ut si more pradecessorum suorum adesset, cur tantas nelteres moras non sibi occurrendo. Quum verò rumor usquequaque diffusus ferret de ceteris quod verum erat, de Papa verò Romano, quòd ideo adesset, ut tam Imperatorem, quàm Episcopos excommunicationis vinculis irretire vellet, si qui inobedientes essent sua filiorúmque Imperatoris voluntati, parum quid subripuit Episcopis Imperatoris præsumptio audacia, asserentibus nullo modo se velle ejus voluntati succumbere, sed si excommunicaturus adveniret, excommunicatus abiret, quum aliter se habeat antiquorum Canonum auctoritas.* Hæc Astronomus. At Encomiastes Walæ jam citatus vult Episcopos Ludovicianarum partium comminatos esse, *quòd eundem Apostolicum* Gregorium, *quia non vocatus venerat, deponere deberent.* Literæ circumferuntur, in quibus Gre-

NUNCIOS MITTIT AD FILIOS SUOS ET AD GREGORIUM PP.

AN. CH. 833.

COMMENTITIA GREGORII PP. EPISTOLA REFELLITUR.

XIV.

gorius Papa de prædictis Episcopis & depositionis interminatione non parum queritur. Papirius Massonus hanc epistolam Agobardo Lugdunensi Metropolitæ, Petrus *de Marca* Gregorio Quarto Papæ tribuit, edidit inter Agobardinas Stephanus Baluzius cum hoc titulo, *Epistola Gregorii IV Papa ad Episcopos Regni Francorum*, Nos opus ab homine factionis Lotharianæ suppositum arbitramur, illúdque per partes distinctum atque aliquot observationibus confutatum subjicimus.

Initio caret hæc epistola, quod enim ex ea superest sic inchoatur. *Romano Pontifici scribentes, contrariis eum in Præfatione nominibus appellastis, fratrem videlicet & Papam, dum congruentius esset solam ei paternam reverentiam exhibere. Adventu quoque ejus comperto, lætari vos dicitis credentes omnibus Principi scilicet subjectis profuturum, & optasse occursum vestrum nobis non negandum, nisi sacra Jussio Imperialis præveniret. Quæ verba reprehensibilia, uno quidem modo quia Jussio Apostolica Sedis non minùs vobis sacra videri debuerat, quàm illa quam dicitis Imperialem; non enim illa prævenit, sed nostra, id est, Pontificalis. Neque ignorare debueratis majus esse regimen animarum, quod est Pontificale, quàm Imperiale, quod est temporale.* Sequuntur ad hujus rei confirmationem textus ex Sancto Gregorio [a] Nazianzeno & ex Sancto [b] Augustino descripti, quibus supersedemus, ne prolixitatem affectare videamur, maximè cùm nulla Gregorium inter ac Ludovicum de Sacerdotio & Imperio lis vertatur. Epistola, cui Gregorius respondere dicitur, non extat. Supposititia quoque nobis videtur facto plerarumque responsionum examine. Prima de titulis est querela. Ludovicianarum partium Episcopi Gregorium Fratrem & Papam appellasse perhibentur. At Fratris nomine non dignitatis æqualitatem sed societatem communionis explicare voluerunt, addito pòst, quod dignitatis est, Papæ nomine. Quapropter Pontifex questus tantùm fertur, quòd omisso Fratris nomine *congruentius esset solam ei paternam* Papæ nomine *reverentiam exhibere.* Causâ conquerendi tam levi quis abreptum credat Pontificem, qui pacem totus ex officio spirare debuit spiravitque? Falsò quoque disseminatum putamus, quòd Episcopi Francorum scripserint se, ne Pontifici occurrerent, præveniente Jussione Imperiali prohibitos fuisse. Tres Romani Pontifices in Francia jam visi fuerant, Stephanus Tertius Pippino Rege; Leo Tertius, semel Carolo Rege, iterum Carolo Imperatore; Stephanus Quintus Ludovico, cujus Gesta narramus, Imperatore. Anastasius [c], cùm agit de adventu Stephani Tertii, nullius Episcopi qui obviam ei processerit mentionem facit. Et in primo [d] Leonis adventu solum memorat Hildivaldum sive Hildebaldum vel Hiddeboldum Coloniensem Archiepiscopum & Archicapellanum Sacri Palatii, quem unà cum Ascario Comite Carolus Rex Francorum & Longobardorum atque Patritius Romanorum obviam direxit. *Misit*, inquit, *in obviam ejus Hildivaldum Archiepiscopum & Capellanum, & Ascharium Comitem.* Idem Carolus tunc Imperator Leonem iterum venientem *misso ad Sanctum Mauritium Karolo filio suo honorificè suscipere jussit, ipse ad Remorum civitatem obviam illi profectus est.* Verba sunt Annalistæ [e] Laureshamensis, apud quem nulla fit Episcoporum mentio. Denique Astronomus adventum Stephani Quinti sic describit [f]. *Imperator Ludovicus ejus adventu præcognito, Bernardo quidem nepoti eum comitari jussit. Sed & adpropinquanti alios Missos, qui eum cum debito honore perducerent, direxit. Ipse autem adventum ejus Remis sustinere statuit. Cui etiam obviam Hildebaldum Archicapellanum Sacri Palatii, Theodulphum Episcopum Aurelianensem, Johannem Arelatensem, aliorúmque Ministrorum Ecclesiæ copiam, procedere jussit, Infulis indutos Sacerdotalibus. Ad ultimum Imperator miliario processit à Monasterio Sancti Confessoris Remigii, & tanquam Beati Petri Vicarium honestissimè suscepit.* Ex hac enumeratione rerum, quæ gestæ sunt à Francis in susceptione Romanorum Pontificum, liquet nec Romanos Pontifices Episcopis Francorum,

[a] De Jeremiæ dictis.
[b] De civit. Dei l. 5. c. 24.
[c] In vita Steph. III.
[d] In vit. Leonis III.
[e] Ad a. 804.
[f] In vita Lud. Pii.

corum, ut obvii sibi fierent, per literas Apostolicas significasse, nec eosdem Francorum Episcopos ipsis Romanis Pontificibus occurrisse, nisi perpaucos, & ex speciali Regis mandato, cùm ei placuit ita fieri. Supposititiæ sunt igitur literæ, quæ prædictis Episcopis Jussionem Apostolicam priùs notam volunt quàm Imperialem, indignatúmque Papam quòd illi Præsules Imperiali potiùs Jussioni quàm suæ paruissent. Longè alius erat Gregorius, nec ea tantùm, quæ dicuntur ab Episcopis Francorum scripta, sed etiam atrociora, si prolata fuissent, spe conficiendæ pacis ultrò dissimulasset.

Pergit auctor epistolæ Pontificiæ, & querelas Papæ contra Francorum Episcopos ita prosequitur. *Postquàm dixistis vos lætatos esse de adventu nostro, iterum intulistis quorumdam relatione magno moerore affectos. Quod utique facit instabilitas mentis. Verum est omnino, quoniam qui hæsitat similis est fluctui maris, qui à vento movetur. Sed inter has hæsitationes nimis stolidè nos judicatis immemores esse Pastoralis Officii & districtissimæ moderationis. Deinde, sicut scriptum est, cùm sit timida nequitia, dat testimonium condemnata. Adjungitis quod omni verecundiâ dignum est, dicentes nos venire propter quandam præsumptuosam & omni ratione carentem excommunicationem faciendam, & admonetis nos nimis involutis & confusis sermonibus & sensibus, ut neque nostrâ voluntate, neque alterius hortatu, præsumptione prorumpamus, eò quod, ut dicitis, pertineat ad injuriam ac dehonestationem Imperialis potestatis, & ad minorationem & reprehensionem nostræ auctoritatis. Dicite, quæso, quæ sunt ista portenta verborum? & quid potiùs pertinet ad dehonestationem Imperialis potestatis, opera digna excommunicatione, an ipsa excommunicatio? Sed quia hæc verba vestra exaggerare laboriosum est, eò quòd plena sint nausea, tantùm illud flagito, ut dicatis quomodo potest fieri, ut manente Apostolicæ Sedis honore, mea tantùm persona in causa reprehensionis & vituperationis remaneat? Nullomodo enim fieri potest, ut si is, qui locum beati Petri tenet, exhonoratur, sine crimine duntaxat Cathedra ejus honorata permaneat. In tantum autem honoranda est Cathedra Pontificalis, & propter Cathedram sedens in illa, ut etiam de Caipha crudelitate & incredulitate impio dicat Evangelista, [hoc autem à seipso non dixit, sed, cùm esset Pontifex anni illius, prophetavit, quia Jesus moriturus erat pro gente.] Unde constat etiam impium Caipham propter Cathedram honoratum esse prophetiâ. Vos autem fidelem & cultorem pietatis Pontificem dehonestandum prædicatis absque injuria Sedis. Quod omnino falsum est. Benè autem subjungitis, memorem me esse debere jurisjurandi, causâ fidei, facti Imperatori. Quod si feci, in hoc volo vitare perjurium, si annuntiavero ei omnia quæ contra unitatem & spem Ecclesiæ & Regni committit. Quod si non fecero, perjurus ero, si tamen juravi. Vos tamen quia procul dubio jurastis & rejurastis, promittentes ei erga illum omnia fideliter vos agere, & nunc videntes illum agere contra fidem, & præcipitari in perniciem, non revocatis cum quantùm ex vobis est, perjuri estis, quia pro ejus salute secundùm fidem promissam non laboratis. Deinde promittitis mihi venerabilem receptionem, si tamen ita ad illum venero, ut ejus voluntas est. Hæc non in libris divinis, sed in vestris conscientiis legitis, qui omnia facitis propter temporalem retributionem, eò quòd sitis arundines vento agitatæ, & omnes auræ vos flectant.* Hujus textûs duæ sunt præcipuæ partes, una de excommunicatione, altera de perjurio. De illis nec Francorum Episcopos ad Papam scripsisse, nec Papam ad eosdem Episcopos rescripsisse credimus. Testatur quidem Astronomus rumorem diffusum fuisse *de Papa Romano, quòd ideò adesset, ut tam Imperatorem quàm Episcopos excommunicationis vinculis irretire vellet, si qui inobedientes essent suæ filiorumque Imperatoris voluntati,* illósque Episcopos asseruisse, *nullo modo se velle ejus voluntati succumbere, sed, si excommunicaturus adveniret, excommunicatus abiret.* At nemo vel ea, quæ rumore spargebantur incerto, Papæ putabit ab Episcopis Imperatoris partis exprobrata scripta fuisse, vel ad istiusmodi literas quæ nullo fulciebantur fundamento, vehementer excanduisse Pon-

AN. CH. 833. LUDOV. IMP. 20. LOTHAR. IMP. 17. PIPPINI R. 19. LUDOV. R. 17. CAROLI R. 4.

tificem, qui rerum suprà dictarum suspicionem omnem à se sine stomacho removere debuit. Neque vocamus in dubium, quin ita se Gregorius in tali causa gessisset. Opinionem nostram infrà validè confirmabit quod habiturus est cum Imperatore Ludovico colloquium. Fictitia quoque sunt, quæ de perjurii reatu utrimque proferuntur. Episcopi legitimâ carent occasione, cur Pontificem in suspicionem perjurii vocent. Gregorius enim se hactenus adversarium Imperatoris minimè prodidit, idque facilè colligi potest ex mutuo utriusque colloquio, de quo sermonem nos hoc eodem anno facturos jam polliciti sumus. Isti colloquio manifestissimè repugnant Pontificiæ literæ, de quibus nunc agimus. In his enim Auctor reum se multis argumentis ostendit, cùm in Episcopos, qui non defecerunt ab Imperatore, crimen perjurii rejicere conatur. Perjuros eos dicit Episcopos, qui vident Imperatotem *agere contra fidem & præcipitari in perniciem*, nec revocant eum quantùm in illis est, nec *pro ejus salute secundùm fidem promissam* laborant. Eos autem ait expertes perjurii fore, qui annuntiaverint Imperatori *omnia, quæ contra unitatem & spem Ecclesiæ & Regni committit.* Atque in horum numero se collocat. Gregorio in mentem nunquam venerunt istæ cogitationes. Imperator filios suos, quibus non semel pepercit, audit novâ coadunatos conjuratione; collectisque copiis, ut pax Regno restituatur, obviam perduellibus progreditur. Agitne *contra fidem?* committitne quidpiam *contra unitatem & spem Ecclesiæ & Regni?* Id flagitii tribuendum filiis rebellibus. Hi fidem sæpiùs Imperatori datam fallunt, quia bellum civile redintegrant. Dividunt unitatem Ecclesiæ, quia seditione factâ complures Archiepiscopos, Episcopos, Clericos, ac Monachos, cum numerosâ plebe, suas ad partes pertraxerunt. Scindunt unitatem Regni, quia domesticis tumultibus Franciam dilacerant. Spem quoque cùm Ecclesiæ tum Regni plurimùm imminuunt, quia divisionibus intestinis unitatem seu concordiam tollunt, in qua spes illa tota consistit. Hære jam dubius, cujus partis Episcopos censeas perjuros, utrùm eos qui constanter in obsequio Ludovici Augusti permanent, an eos qui Lotharianæ se factioni sociarunt. Agemus infrà de Pontificis adventu ad Imperatoris Comitatum, & ex synchronis Auctoribus probabimus Gregorium longè alium ab eo fuisse, quem supposititiarum literarum concinnator exhibuit.

XVI. In eadem epistola Pontifex de divisione Regni, quam Ludovicus Imperator inter filios suos fecit mutavitque, sermonem ad Episcopos Francorum sic habet. *Dicitis illam primam divisionem Regni, quam inter filios suos fecerat Imperator, nunc juxta rerum opportunitatem esse mutatam. Quod omnino dupliciter falsum est. Uno quidem modo, quia non est opportunitas sed importunitas, eò quòd sit causa & origo conturbationis & dissensionis, commotionis & deprædationis, & omnium malorum, quæ per singula dicere longum est. Alio verò modo, quia necdum scitis, utrùm sit commutata, an per verum Regem & Dominum maneat inlibata. Ista enim commutatio, quam vos dicitis juxta rerum opportunitatem factam, inde cognoscitur quia non fuerit per Deum, quia multorum peccatorum origo existit. Illud namque, quod per voluntatem Dei fit, plerunque causa est pressura & persecutionis, sicut factum est adversùm Sanctos Apostolos & Martyres, qui non propter aliud passi sunt, nisi propter defensionem & confirmationem Evangelicæ veritatis. Causa autem peccatorum & scelerum esse non potuit, sicut vestra divisio est, quam dicitis fuisse opportunam. Deinde, quod grandi supercilio dicitis, quia si reverenter venerimus ad Imperatorem, per ipsum cognoscemus omnem rei veritatem, quare opportunè & utiliter mutata sit divisio, hoc loqui cogit vos magnitudo superbiæ, æstimantes solos vos posse rerum cognoscere causas. Verè dico vobis, quia non solùm stultus, sed & infelix est, qui non intelligit quantos & quales fructus malorum protulit vestra commutatio, & de cujus thesauro maligni cordis processit, & pro qua re vos laudatores & defensores estis*

hujus malignitatis. Ludovicus Augustus eodem anno quo Carolum patrem amisit, id est, anno Redemptoris octingentesimo decimo-quarto, cùm tres filios haberet, Lotharium Bojoariæ, Pippinum Aquitaniæ, Reges dixit, omisso Ludovico *puerilibus in annis* [a] adhuc consistente. Anno Redemptoris octingentesimo decimo-septimo, ut Annales Lauteshamenses habent, *generalem populi sui Conventum Aquisgrani more solito habuit, in quo filium suum primogenitum Lotharium coronavit, & Nominis atque Imperii sui socium sibi constituit; ceteros Reges appellatos, unum Aquitania, alterum Bajoariæ præfecit.* Sive, ut Astronomus in ejus vita scribit, *filium primogenitum Lotharium Imperatorem appellari & esse voluit, & duorum filiorum suorum Pippinum in Aquitaniam, Ludovicum in Bajoariam misit, ut scilicet sciret populus cujus deberet potestati parere.* Anno Redemptoris octingentesimo vicesimo-secundo Lotharium in Regni Longobardici consortium ante biennium, jam adscitum misit in Italiam teste Annalistâ Laureshamensi, & cum eo *Walachum Monachum propinquum suum, fratrem videlicet Adelhardi Abbatis, & Gerungum Ostiariorum Magistrum unà misit, quorum consilio & in re familiari & in negotiis ad Regni commoda pertinentibus uteretur.* Adstipulatur Astronomus, sic. *Lotharium filium suum Dominus Imperator in Italiam misit, & cum eo Walam affinem suum Monachum, sed & Geruntium Ostiarium, quorum consilio res Italici Regni componeret, erigeret, tueretur, tam publicas quam privatas.* Anno Redemproris octingenresimo vicesimo-nono, Imperator Carolum filium, quem ex Juditha susceperat, Regem renuntiavit, *venit* enim, teste Thegano [b], *Wormaciam, ubi & Karolo filio suo, qui erat ex Judith Augusta natus, terram Alamannicam, & Rethicam, & partem aliquam Burgundiæ, coram filiis suis Lothario & æquivoco suo Lodewico tradidit.* Anno Redemptoris octingentesimo tricesimo, post recuperatam auctoritatem, quam sibi Lotharius arrogarat, promissis stetit, & Pippini ac Ludovici Regum, quorum ope recreatus fuerat, ditiones auxit, ut affirmat Nithardus [c]. Anno Redemptoris octingentesimo tricesimo-primo, post Conventum Aquisgranensem, *Lodharium solâ Italiâ contentum* dimisit, ut idem Nithardus [d] prodit. Anno Redemptoris octingentesimo tricesimo-secundo iratus Pippino ac Ludovico Regibus, rerum novarum tum cupidis, *inter filios suos Lotharium atque Carolum quandam divisionem Regni constituit, quæ tamen ingentibus impedimentis*, ut Astronomus subjungit, *pro voto minimè cessit.* Hæ Regni partitiones priusquàm Gregorius Pontifex in Galliam veniret, ab Imperatore Ludovico factæ, præter Italiam, Aquitaniam, Bojoariam, Alemanniam, Rhætiam, partémque Burgundiæ, nihil omnino complectuntur. Cùm de singulis hisce divisionibus egimus, accuratè notavimus nullum Lothario jus fuisse vel in Regna fratrum, vel in ceteras Franciæ provincias, quas pater nulli filiorum assignarat. Si quid secus à quopiam vel scriptum vel fictum fuit, illud prævalidè refutavimus. Infrà non deerunt aliæ partitiones, quæ nostram opinionem egregiè confirmabunt. In pseudoepistola Gregoriana Pontifex ait Episcopos Francorum scripsisse, quòd opportunè mutata sit prima Regni divisio. Mutationem autem illam improbat, causam enim discordiarum civiliúmque motuum extitisse constanter affirmat, additque dubium non videri quin displicuerit Deo, cùm secuta sint inde mala tam atrocia. Sed fictitia est illa prima Regni divisio, quâ nonnulli Lotharium non modò dictum Imperatorem, sed etiam hæredem Franciceæ Monarchiæ designatum contendunt, demptis Aquitaniâ duntaxat & Bojoariâ, quarum Reges Pippinum ac Ludovicum eidem quoque Lothario summissos volunt. Ergo de tali divisione nihil à Francorum Episcopis scriptum, nihil à Papa rescriptum arbitrare. Quid, si primam illam Regni partitionem admittamus, concedamúsque mutationem illius ab Episcopis Francorum per literas laudatam fuisse, debuitne sapientissimus Pontifex contrariam opinionem accurato rescripto tueri, quod &

AN. CH. 833.
LUDOV. IMP. 20.
LOTHAR. IMP. 17.
PIPPINI R. 19.
LUDOV. R. 17.
CAROLI R. 4.

[a] Astron. in vita Lud. Pii.

[b] Cap. 35.

[c] Lib. 1.

[d] Ibid.

AN. CH. 833. Ludovicum Imperatorem, & Pippinum ac Ludovicum ejusdem conjurationis adversùs patrem cum Lothario participes offenderet?

LUDOV. IMP. 20. LOTHAR. IMP. 17. PIPPINI R. 19. LUDOV. R. 17. CAROLI R. 4.

XVII. Denique Gregorius de Francorum Episcopis questus dicitur, quòd hi suis in literis obedientiam, quam Pontifici debebant, se rejecturos, ipsúmque Papam se depositturos interminarentur. *Subjungitis*, inquit, *quia nisi secundùm voluntatem vestram venero, non habeo Ecclesias vestras consentaneas, sed in tantùm contrarias, ut nihil mihi in vestris Parrochiis agere vel disponere liceat, nec quempiam excommunicare vobis obsistentibus.* Et infrà. *Illud verò, quod minari vos cognoscimus periculum gradûs, quis explicare poterit quantùm sit absurdum quantúmque inconveniens & stultum, cùm vestra comminatio non sit propter crimen, homicidium scilicet, sacrilegium, aut furtum, vel aliquid hujusmodi, sed nisi ita venerimus, sicut ipsi vultis, cui rei in argumento adjungitis juramentum, & non recordamini erubescentes, quia perjuri degradare non possunt, etiamsi essent. Denique vos non me scitis esse pejeratum. De vobis autem nemo qui dubitet hoc esse.* De excommunicationis interminatione ab utraque parte, & de objecto utrimque perjurio, quid sentiamus, expositum est suprà. Quod attinet ad depositionem Pontificis, istius depositionis comminatio perstringitur etiam in vita Walæ jam citata, fictitia tamen nemini non videbitur, si legatur attentè colloquium, quod cum Ludovico Augusto, ut mox narraturi sumus, habuit Gregorius Papa.

XVIII. *Festivitate Sancti Præcursoris Christi Johannis*, inquit Astronomus, *conventum est in locum, qui ab eo, quod ibi gestum est, perpetuâ nominis ignominiâ notatus est, ut vocetur Campus mentitus. Quia enim ii, qui fidem Imperatori promittebant, mentiti sunt, locus, in quo id contigit, testis nequitiæ in suo nomine remansit.* Theganus [a] locum illum inter Argentariam & Basileam sic collocat. *Imperator congregavit exercitum, & perrexit obviam eis*, nempe filiis, *inter Argentariam & Basileam, qui usque hodie nominatur Campus mendacii, eò quòd ibi plurimorum fidelitas extincta sit.* Annalista Bertinianus loco nomen tribuit *Columb*, asserit enim filios Imperatoris cum Papa consedisse *juxta Columb, qui deinceps Campus mentitus vocatur.* Haud procul ab illo loco steterunt apud Rubeum Campum iidem Imperatoris filii cum Romano Pontifice. *Imperator*, ait idem Annalista, *convocato exercitu obviam illis ire disposuit, ut si eos verbis pacificis ab hac audacia avertere nequivisset, armis, ne Christianum populum læderent, compesceret. Denique filii ejus cœptum peragere cupientes, in pago Helisacia * in loco qui dicitur Rotfelth, id est, Rubeus Campus, juxta Columb qui deinceps Campus mentitus vocatur, se conjunxerunt, id est, Lotharius de Italia Gregorium Apostolicum secum adducens, Pippinus de Aquitania, & Ludoicus de Bajoaria cum plurima hominum multitudine.*

[a] Cap. 42.

LUDOVICUS AUG. DE PACE CUM FILIIS SUIS COLLOQUITUR PRÆSENTE GREGORIO PP.

* l'Alsace.

XIX. Maximam certè laudem promeretur Imperator, quòd injuriarum oblitus filios rebelles ad pacem ac concordiam missâ Legatione provocarit; eisque iniqua prorsus petentibus vitio verti debet, quod, ut Theganus [b] observat, *quicquid postulabant, nihil erat eis pater consentiens.* In vita Walæ, querelæ Ludovici Augusti sex in Capitula distribuuntur. De singulis hic per ordinem nobis agendum, necnon & de filiorum responsis, ut ab homine Lotharianæ factionis in eadem lucubratione proponuntur.

[b] Cap. 41.

ACTA ISTIUS COLLOQUII COMMENTITIA REFUTANTUR.

XX. Primò, Ludovicus Imperator *rememorari* Lotharium, Pippinum, ac Ludovicum, *monet, quòd filii ejus sint, & ipse eos Deo auctore genuerit. Ad quod ipsi. Gratias omnipotenti Deo, inquiunt, qui quod verum est de nobis, talia recogitare vobis concessit: & quia non solùm recogitare, verùm etiam mandare dignati estis. Nos enim, præcellentissime Augustorum, in vita nihil post Deum carius, quàm vos Sacratissimum genitorem; nihil gloriosius possidemus, quàm quia vestri filii censemur & sumus; nihil locupletius, nihil ditius, nihilque magnificentius nobis ad honores, ad excellentiam & dignitatem, ad laudem nominis & splendorem gloriæ. Idcircò, gloriosissime, venimus humiles & devoti subditi, ut decet & subjecti; tantùm dignetur pietas vestra & mansuetudo recogitare de nobis, ne

condemnemur injustè, ne abdicemur sine crimine, ne exheredemur sine culpa. Non enim insurgimus contra vos, sicut loquuntur & accusant nos, qui nos perdere inimici moliuntur: sed supplices veniam, Indulgentiam & misericordiam postulamus. Supplicibus ac modestis hisce sermonibus plurimùm repugnant, inita fratrum contra patrem conjuratio, exercitus collecti, plebes ad rebellionem concitatæ, aliàque id genus de quibus actum suprà.

XXI. Secundò, *mementote etiam*, inquit Ludovicus, *quòd mei Vasalli estis, mihique cum juramento firmastis. Ad quod rursus iidem. Benè, inquiunt, recolimus ita esse uti mandastis, quoniam & à natura & à promissis, & ab omni vera fidei sacramento profectò fideles sumus. Unde sicut nunquam deseruimus militia vestra servitutem, ita, donec spiritus in nobis superest, nunquam desertores erimus, quia nobis gloria vestra, honor, & prosperitas carior est, quàm vita nostra. Et ideo non contra vos venimus, sed pro vobis in omnibus parati sumus, tantùm ut gratiam pristinam & misericordiam impetremus. Neque contra vos, hos qui nobiscum sunt, conduximus: sed quia, ut decuerat, simpliciter venire non audemus, pro his qui nobis insidiantur, volentes nos perdere, & Imperium gloria vestra pervertere, etiam animum vestrum Serenissimum, pium, & mansuetum, à natura summa generositatis bonis omnibus repletum, & Christi gratiâ illustratum, conantur conturbare & corrumpere contra nos, & contra fideles quoque, ac permutare in amaritudinem natura aliena: quia nihil aliud olim egerunt, nisi etiam ut vos perimerent, contra qua sic venimus ad vestram clementiam, ut ipsi & detegantur, & thronus imperii vestri, & majestas, eorum clarescentibus culpis, admodum gloriosiùs confirmetur: nósque reconciliemur ad veniam, qui in nullo, quantùm in nobis est, unquam volendo contraximus culpam.* Utrùm hi vera protulerint an falsa, manifestissimè docet, quod de patre exauctorando superioribus annis inierunt consilium, & post varias molitiones hoc tandem anno apud Compendium flagitiosissimè sunt executuri.

XXII. Tertiò, *scire vos oportet*, addit Ludovicus, *quia longè diu defensionem Sedis Apostolicæ devotissimè suscepi, quamvis nunc indebitè usurpetis contra me illud, ut excludatis me hujuscemodi officia, quod quamdiu advixero, prætermittere non queo.* Ad hoc Lotharius, qui tralatitio nomine vocatur Honorius, ita respondet. *Perpendat Sublimitas vestra, & recordari dignetur, quòd aquè me præstantissima in Christo Providentia vestra suscipere fecit hanc curam & defensionem ipsius permaximè ceterarumque Ecclesiarum, quando me consortem totius Imperii Celsitudo vestra unà cum voluntate populi constituit in omni potestate & honore, in omni conscriptione & nomismate, in omni dispositione, vestro conservato honore & providentiâ. Equidem & ad eamdem Sedem clementer me vestra Imperialis Eximietas misit, ad confirmandum in me quidquid pia dignatio vestra decreverat, ut essem socius & consors non minùs sanctificatione quàm potestate & nomine. Unde quia coram sancto altare, & coram sancto corpore beati Petri Principis Apostolorum, à Summo Pontifice, vestro ex consensu, & voluntate, benedictionem, honorem & nomen suscepi Imperialis Officii, insuper diademata capitis & gladium ad defensionem ipsius Ecclesiæ & Imperii vestri; nemo vobiscum magis, qui eam, quam ego defendere velit aut debeat. Et quia audivi, quòd plurimi insidiantur huic; manifestum esse omnibus volo, quòd ei sine me nemo nocebit, quem pro pace & concordiâ conduxi Vicarium Beati Petri, ad vestri reconciliandam Serenissimam animi pietatem.* In hoc responso multæ res occurrunt observandæ. Imprimis Lotharius solus loquitur, séque unum inter Ludovici Augusti filios Defensorem Sedis Apostolicæ gloriatur, quia consors Imperatorii Nominis à patre factus est in Aquisgranensi Placito, deinde Romæ in Basilica Sancti Petri coronatus est Imperator à Paschale Papa. Sed injurius hoc loco suis est fratribus. Nono enim seculo, quando Monarchia Francorum in plura dividebatur Regna, defensio Sedis Apostolicæ non solis Francorum Regibus qui essent & Imperatores, at omnibus universim Francorum Regibus committebatur. Lege illa de re Tomum

AN. CH. 833. LUDOV. IMP. 20. LOTHAR. IMP. 17. PIPPINI R. 19. LUDOV. R. 17. CAROLI R. 4.

superiorem ad annum Redemptoris octingentesimum vicesimum-quartum [a]. Lotharius, ut sæpè jam inculcavimus, à patre Rex Bojoariæ dictus est anno Redemptoris octingentesimo decimo-quarto, Imperator anno Redemptoris octingentesimo decimo-septimo, Longobardiæ Rex anno Redemptoris octingentesimo vicesimo, missus est in Longobardiam anno Redemptoris octingentesimo vicesimo-secundo, coronatúsque est Imperator in Ecclesia Sancti Petri Romæ à Paschale Pontifice anno Redemptoris octingentesimo vicesimo-tertio in Solemnitate Paschali. Hanc coronationem, à qua, quantumvis honorifica magnificàque fuerit, nihil auctoritatis nihilque juris accepit, in præcitato textu nimiùm extollit, quasi defensionem Ecclesiæ Romanæ tunc primùm sibi commissam susceperit. Certè Ludovicus Augustus, ut post biennium ex Astronomo probaturi sumus, *misit Legatos ad eundem Lotharium, monens ut memor esset, quia quando ei Regnum Italiæ donavit, curam etiam Sanctæ Romanæ Ecclesiæ simul commisit.* Ergo Lotharius, non quia Romæ coronatus est Imperator à Paschale Papa, sed quia in consortium Regni Longobardici sive Italici vocatus est à patre, defensor haberi debet Ecclesiæ Romanæ. Nec ejus fratribus negandus est idem Titulus, quamvis enim ex Urbis situ satis innotescat è Francorum Regibus, cùm plures erant, illum, qui Longobardiæ præerat, propiorem, ideóque promptiorem ad auxilium ferendum extitisse, ceteri tamen, licèt ab Urbe longiùs abessent, ad illud officium se non minùs obligatos existimabant. Suo loco vetus referemus monumentum, quo Ludovicus Pius ut Lothario sic & ejus fratribus, Pippino, Ludovico, & Carolo, defensionem Ecclesiæ Romanæ sic imperavit. *Super omnia jubemus atque præcipimus, ut ipsi tres fratres curam & defensionem Ecclesiæ Sancti Petri simul suscipiant, sicut quondam à proavo nostro Carolo, & avo nostro Pipino, & beatæ memoriæ genitore nostro Karolo Imperatore, & à nobis postea suscepta est, ut eam cum Dei adjutorio ab hostibus defendere nitantur, & justitiam suam, quantùm ad ipsos pertinet & ratio postulaverit, habere faciant.* Tomo superiore [b] duas quidem Imperii Lothariani distinximus epochas, unam sumptam ab anno Redemptoris octingentesimo decimo-septimo, quo Lotharius Imperator à patre renuntiatus est, alteram ductam ab anno Redemptoris octingentesimo vicesimo-tertio, quo idem Lotharius à Paschale Papa coronatus est Imperator. At Lotharius, ut observavimus, in Diplomatibus ante annum Redemptoris octingentesimum tricesimum, quo civile bellum concitare cœpit, annos Imperii sui non exorsus est à die, quo Romæ coronatus est Imperator à Paschale Papa, sed vel initium Imperii sui repetiit à die, quo particeps Imperatorii Nominis à patre factus est, vel omisso Imperii anno annum Italici seu Longobardici Regni publicis instrumentis apposuit, neque etiam Longobardicum Regnum in computandis illius annis exorsus est à Paschali Solemnitate, in qua Rex Longobardiæ coronatus est à Romano Pontifice, sed à præcedenti mense Augusto, quo missus est in Longobardiam à Ludovico patre. Quod igitur patri responsum à Lothario datur, larvam pietatis ac venerationis erga Sedem Apostolicam ac Romanum Pontificem gerit, animum verò tegit rebellem ac seditiosum, nec mendaciis caret. Asserit Lotharius missum se Romam, ut Imperii consors à Papa confirmaretur. Id autem quàm alienum sit à vero, docent Auctores coætanei. Scribunt enim Lotharium jussu patris in Italiam ad justitias faciendas anno Redemptoris octingentesimo vicesimo-secundo perrexisse, annóque postero, cùm reditum pararet, rogatum esse à Paschale Papa, ut Romam se conferret, ubi cùm Longobardiæ Rex tum Imperator ab eodem Romano Pontifice in Solemnitate Paschali coronatus fuit, inscio certè atque inconsulto Ludovico patre. Annalista Laureshamensis ad annum Redemptoris octingentesimum vicesimum-secundum sic habet. *Imperator Lotharium filium suum in Italiam misit.* Et ad

[a] Num. 22.

[b] Ad an. 823. n. 1.

AN. CH. 833.
LUDOV. IMP. 20.
LOTHAR. IMP. 17.
PIPPINI R. 19.
LUDOV. R. 17.
CAROLI R. 4.

annum sequentem, sic. *Lotharius, cùm secundùm patris jussionem in Italia justitias faceret, & jam se ad revertendum de Italia præpararet, rogante Paschale Papâ Romam venit, & honorificè ab illo susceptus, in Sancto Paschali die apud Sanctum Petrum Regni coronam, & Imperatoris & Augusti nomen accepit.* Haud alia scribit Astronomus. *Lotharium*, inquit, *filium suum Dominus Imperator in Italiam misit.* Et inferiùs. *Lotharius, filius Domini Imperatoris, quum, sicut suprà dictum est, à patre in Italiam missus esset, & secundùm virorum, qui cum eo erant, consilium opportunitates negotiorum ordinasset, & quibusdam perfectis, quibusdam adhuc infectis, de singulis respondere, & ad patrem de reditu cogitaret, rogatu Paschalis Papæ Romam, imminente Sanctâ Paschæ Solemnitate adiit, atque ab eodem Papa clarissimâ ambitione susceptus, ipso Sancto die apud beatum Petrum Diadema Imperiale cum nomine Augusti suscepit.* Ex his Auctoribus synchronis, necnon & ex recentioribus Annalistis, putà Fuldensi, Bertiniano, ac Metensi, quos consulere poteris, apertè constat Lotharium anno Redemptoris octingentesimo vicesimo-tertio Romam non ex patris jussu sed ex rogatu accersitúque Papæ profectum fuisse. Probare quoque non possumus quod addit Lotharius multos insidiari cùm Romanæ Ecclesiæ tum Gregorio Papæ, quem pro pace & concordia secum adduxit. Talium insidiarum suspicio nec in Ludovicum Augustum nec in ejus Consiliarios cadit. Et Nithardus [a] ubi de conjuratis loquitur, cur Româ Gregorium evocarint, syncerè sic prodit. *Gregorium Romanæ Summæ Sedis Pontificem, ut suâ auctoritate liberiùs quod cupiebant perficere possent, sub eadem specie magnis precibus in supplementum suæ voluntatis assumunt.*

[a] Lib. 1.

XXIII. Quartò, *mandavit* filiis suis *Gloriosus Cæsar non justum esse, quòd eumdem Apostolicum* Gregorium *ad se venire* minimè permitterent, eique vias veniendi prohiberent. *Ad quod Honorius* seu Lotharius. *Nequaquam, Serenissime, vias ei prohibuimus veniendi, sed auxiliante Deo reseravimus, cùm essent jussu vestro obstrusa inter angustias Alpium, & prærupta, ita ut nemo mortalium liberè transire posset, donec virtute Dei nostróque labore complanata sunt; ita ut queam dicere cum Propheta, quòd facta sint prava in directas, & aspera in vias planas. Ad hoc quippe ut ad vos tam ille quàm & nos devotissimi veniremus, quem profectò hunc tanto laborem assumere cogimus, ut ipse vobis summus intercessor vice Beati Petri occurreret, cujus potestas in eo vivit & auctoritas excellit. Propterea non prohibemus, ut culpamur, sed officiosissimè exhibemus quem audiri suppliciter in causa Dei & nostra humiliter deprecamur.* Inanis est hæc responsio. Ludovicus Imperator Alpium transitu non Gregorium sed Lotharium prohibere voluit. Erat in amicitia cum Gregorio, Lotharium verò, quem *solâ Italiâ contentum eâ pactione* trans Alpes *abire* Nithardo [b] teste permiserat, *ut extra patris voluntatem nihil deinceps moliri in Regno temptaret*, interdixerat reditu, quia novarum rerum sciebat esse cupidissimum, ideóque fauces Alpium occluserat. Ex eodem quoque Nithardo suprà genuinam protulimus causam, propter quam factiosi Gregorium Româ magnis precibus accersiverunt, scilicet *ut suâ auctoritate liberiùs quod cupiebant perficere possent.* Illúdque vel ex eo satis constat, quòd Gregorius, superatis Alpibus, ad Imperatoris comitatum, ut viri boni sponte facturum opinabantur, haud statim contendit, & ob diuturnam moram de filiis meritò questus est Imperator, *quòd eumdem Apostolicum ad se venire minimè permitterent.*

[b] Lib. 1.

XXIV. Quintò, Ludovicus Lotharium sic arguit. *Injustè agis, quòd filios nostros, fratres tuos, tecum retines, & eos contra me insurgere facis.* Ad hoc Lotharius ita respondet. *Absit, absit, mi Domine, siquidem quia fugati erant & abjecti, longéque persecutionibus expulsi, ad vestram eos Clementiam reducere decrevi, rogans suppliciter, dignetur sancta paternitas vestra recogitare, quia vestri sumus filii, ne nos sine culpa abdicare vel perdere dignetur Majestas vestra; imò moveat*

AN. CH. 833. LUDOV. IMP. 20. LOTHAR. IMP. 17. PIPPINI R. 19. LUDOV. R. 17. CAROLI R. 4. XXV.

viscera pietatis vestra affectus carnis, & justitia non minùs legis naturæ, quàm & legis Dei, nostríque misereri dignemini. Quæ narrabuntur infrà justam Ludovici querelam, lusorium Lotharii responsum ostendent.

Postremò, Imperator Lotharium denuò sic redarguit. *Vassallos quoque nostros indebitè recepisti, & eos tecum retines.* Ad hoc Lotharius. *Non itaque, sciat Beatitudo vestra, ita est; sed cùm essent & ipsi dispersi, fugati, aut in custodiis & exsiliis detenti, fecerunt ad nos & ad istum beatum Antistitem confugium, quatinus pro illis apud vestram Serenissimam Clementiam intercedat, ne injustè damnentur, qui pro fide vestra & justitia exstiterunt, ne fraus prævaleret & dolus scelestissimorum. Hoc semper audivi in vestro sacro Consilio, & in clarissimorum Senatu virorum; hoc semper in vestris recognovi factis; hoc à vobis audivi; hoc legimus in Gestis antiquorum, fortes viros & clarissimos ac benè meritos honorari magis debere & gloriâ inlustrari, quàm depelli, qui pravorum hominum impetus & conatus providè represserunt, qui auctoritate, qui fide, qui constantiâ, qui magnitudine animi & consiliis insidiantium audaciæ restiterunt; eorum scilicet hominum, qui levitate suâ & pernicie vestrum cum omni improbitate fœdaverunt Imperium, quos quia isti detexerunt & fugarunt, honorandi essent & glorificandi potiùs, quàm à pestilentissimis viris criminandi; quia & ipsi primùm vestris sunt enutriti disciplinis, vestrísque edocti consiliis, vestrâ sublimati dignitate & inlustrati honoribus, semper habiti sunt primi & eximii Palatii. Unde censuimus eos reducere ad vestram misericordissimam pietatem, vestrísque repræsentare adspectibus, & ideo non debemus offensam contrahere, si quos fraus factiosorum perdidit, vestris restituimus & reconciliamus profectibus.* Cùm Ludovicus Augustus Lotharium sive Regem vel Bojoariæ vel Longobardiæ, sive Imperatorem dixit, ejusdémque Lotharii fratres, Aquitaniæ, Bojoariæ, & Alemanniæ Reges appellavit, filios suos Dignitatis cùm Imperatoriæ tum Regiæ consortes tantùm fecit, nec id diffitetur Lotharius in responsione ad tertiam patris querelam, cùm ita loquitur. *Me consortem totius Imperii Celsitudo vestra unà cum voluntate populi constituit, vestro conservato honore & providentiâ.* Prætereà Ludovicus Imperator reliquas Franciciæ Monarchiæ provincias, quæ per Galliam ac Germaniam extra filiorum Regna, sive extra Longobardiam, Aquitaniam, Bojoariam & Alemanniam, latissimè diffundebantur, sibi soli reservavit administrandas, nemine Regii Tituli per illas consorte. Istarum provinciarum incolas Vassallos suos speciatim vocat, eósque meritò queritur à Lothario *indebitè* recipi ac retineri. In horum Vassallorum numero collocandus est Wala Corbeiensis ad Somonam Abbas, qui relicto suo Monasterio, quod à limitibus ditionum filiis Imperatoris attributarum procul distabat, abiit ad castra Lotharii; quò se quoque receperunt alii quamplurimi, quos idem agebat animus ad fovendas inter patrem filiósque discordias paratissimus. Lotharius, ne vituperetur ob patrocinium quo tales homines fovet, eos ait carcerem & exilium passos esse fraude *factiosorum*, atque ad se & ad Papam *confugium* fecisse. Sed his habere fidem quis possit? Est & aliud, quod in textu Lotharii proximè citato ferendum non videtur. *Me consortem*, inquit, *totius Imperii Celsitudo vestra unà cum voluntate populi constituit.* At quo jure quóve sensu se *consortem totius Imperii*, & *unà cum voluntate populi* constitutum dicit? Primò, quid intelligit nomine *totius Imperii?* Imperium nomen est dignitatis, non ditionis; & Lotharius ex eo quòd Imperator aut consors Imperii factus est à patre, ne vicum quidem obtinet. Si relictâ significatione propriâ, Imperium usurpat pro Regno, consors totius Imperii seu totius Regni vel Monarchiæ Franciciæ non est à patre constitutus, eodem enim anno, quo dictus est Imperator, ejus quoque fratres à patre renuntiati sunt Reges, Pippinus Aquitaniæ, Ludovicus Bojoariæ. Laureshamensis Annalista sic ad annum Redemptoris octingentesimum decimum-septimum scribit. *Imperator generalem populi sui Conventum Aquisgrani more solito habuit,*

AN. CH. 833. Ludov. Imp. 20. Lothar. Imp. 17. Pippini R. 19. Ludov. R. 17. Caroli R. 4.

habuit, in quo filium suum primogenitum Lotharium coronavit, & nominis atque Imperii sui socium sibi constituit. Ceteros Reges appellatos, unum Aquitaniæ, alterum Bajoariæ præfecit. Imò Lotharius, quia Bojoariam, cui per triennium cum Regia Dignitate jam præfuerat, fratri Ludovico tunc cessit, deinceps absque Regio titulo mansit, donec vocatus est à patre in consortium Regni Longobardici. Secundò, cur ubi consortem Imperii se constitutum ait, addit id factum *unà cum voluntate populi?* Quomodo res gesta sit, accipe ex Chronographo Moissiacensi qui tum vivebat. *Anno* DCCCXVII, *Ludovicus Imperator apud Aquis Palatium celebravit Pascha, & in ipsa æstate jussit esse ibi Conventum populi de omni Regno vel Imperio suo, apud Aquis Sedem Regiam, id est, Episcopos, Abbates, sive Comites, & Majores natu Francorum. Et manifestavit eis mysterium consilii sui, quod cogitaverat, ut constitueret unum de filiis suis Imperatorem. Habebat enim tres filios ex uxore Ermengarda Regina. Nomen uni Clotarius. Nomen secundi Pipinus. Et nomen tertii Ludovicus. Tunc omni populo placuit, ut ipse, se vivente, constitueret unum ex filiis suis imperare, sicut Carolus pater ejus fecerat ipsum. Tunc tribus diebus jejunatum est ab omni populo, ac Letania facta. Post hoc jamdictus Imperator Clotarium, qui erat major natu, Imperatorem elegit, ac per coronam auream tradidit ei Imperium, populis acclamantibus & dicentibus: vivat Imperator Clotarius. Facta est autem lætitia magna in populo die illo.* In hoc textu Lotharius à patre solo eligitur fitque Imperator, nec requiritur aut expectatur assensus seu voluntas populi. Lotharius igitur rebellem se prodit, cùm *totius Imperii* consortem *unà cum voluntate populi* se factum asserit, ut omnes Franciciæ Monarchiæ provincias cunctúmque populum suas ad partes contra patrem pertrahat. Nec alio consilio secum in castris habet Romanum Pontificem, cui Francos præ ceteris gentibus addictissimos ob eximium illorum amorem erga Sedem Apostolicam novit.

XXVI. Gregorius PP. adit Ludovicum Aug.

Astronomus adventum Gregorii Pontificis ad castra Ludovici sic perstringit. *Quum haud procul inde aciebus ordinatis consisterent, jam jámque ruendum in arma putaretur, nuntiatum est Imperatori advenire Papam Romanorum. Quem venientem Imperator in ipsa acie consistens suscepit, licèt indecentiùs quàm debuit, imputans ei quòd ipse sibi talem susceptionem præparaverit, qui inusitato modo ad se venerit.* Eximios honores, quos Pippinus, Carolus & Ludovicus Romanis Pontificibus habuerunt, clarissimi collaudarunt Auctores, ut superioribus Tomis, quinto, sexto ac septimo, probavimus. Si Ludovicus in suscipiendo Gregorio nec cum avo Pippino, nec cum patre Carolo, nec cum semetipso consensit, totius disparilitatis causa rejici debet in ipsummet Gregorium, qui dedit occasionem suspicandi conquerendique quòd filiis adversùs patrem rebellantibus faveret, quoniam ex Italia cum Lothario venit, diúque in eorumdem filiorum castris moratus ipsum adire distulit Imperatorem, quem citiùs convenire potuerat, debuerátque seu propter Imperatoriam Majestatem, seu propter componendæ pacis studium. Hinc sinistri de Papa sermones. Absit ut incerto rumori credamus; absit ut probemus quas Astronomus damnavit quorumdam Episcoporum responsiones ad hujuscemodi rumorem; absit denique ut Gregorium existimemus in Franciam malo contra Ludovicum Imperatorem animo venisse. Qualem enim se gesserit, & quomodo se purgaverit Imperatori, sic idem Auctor subjungit. *Ductus autem Papa in habitationem castrensem, multis assertionibus perdocuit, non se tantum iter ob aliud suscepisse, nisi quia dicebatur, quòd inexorabili discordiâ contra filios laboraret, ideóque pacem in utramque partem serere vellet. Auditâ verò parte Imperatoris, mansit cum eo aliquot diebus. Remissus autem ab Imperatore ad filios, ut pacem mutuam necteret, quum penè omnis populus, partim donis abstractus, partim minis territus, ad eos populúmque cum eis consistentem more torrentis desflueret, nequaquam ut fuerat jussus, est permissus redire.* Theganus [a] indicia mutuæ Papam inter

[a] Cap. 41.

AN. CH. 833. LUDOV. IMP. 20. LOTHAR. IMP. 17. PIPPINI R. 19. LUDOV. R. 17. CAROLI R. 4.

atque Imperatorem amicitiæ non omisit. *Venerunt ad colloquium Imperator & jam dictus Pontifex, qui non diu loquentes, honoravit eum Pontifex in primis magnis & innumeris donis. Postquàm uterque rediit ad tabernaculum, misit Imperator dona Regalia per Adalungum Venerabilem Abbatem & Presbyterum supradicto Pontifici.* Erat hic Adalungus Abbas Vedastinus, qui *probatâ industriâ secretioribus negotiis persæpè à Cæsare Pio adhibitus* laudatur à Chronographo Vedastino, ut Ferreolus Locrius [a] in Chronico Belgico testatur. Papa, cùm ad filios Imperatoris reversus esset, suis postulationibus obtinere numquam potuit, ut illorum patrem denuò conveniret, quamvis pro studio restituendæ pacis ultrò citróque ire vellet, atque ita se facturum Imperatori promisisset. Inde collige nec Gregorium malevolo in Ludovicum Augustum animo fuisse, nec Imperatoris filios Gregorio confidisse post ejus reditum è castris Ludovici, quia causæ suæ diffidebant & ipsius Pontificis æquitatem probè noverant.

[a] Ad an. 825.

XXVII. Ludovicus Aug. a suis deseritur.

Astronomus, quomodo Ludovicus Imperator in potestatem Lotharii venerit, sic enarrat. *Tot copiis inibi* ad Lotharium *adductis, & Imperatori subductis, adeò defectia in dies invaluit, ut in Festivitate Sancti Pauli, plebeii contra Imperatorem, adulando filiis ejus, irruptionem facere minarentur. Quibus viribus obniti non valens, filiis mandavit, ne se populari direptioni exponerent. Cui remandant, ut castris relictis ad se veniat; se autem maturrimè obviam ipsi processuros. Quibus altrinsecus sibimet occurrentibus, Imperator filios admonuit, equis desilientes & sibi occurrentes, ut promissionis suæ memores, tam sibi quàm filio & uxori, illibata quæ olim promiserant conservarent. Quos congruè respondentes osculatur, & ad castra illorum est profectus. Quò pervenienti uxor subducitur, & ad Ludovici tabernacula convertitur. Ipsum verò Lotharius ad sua cum Carolo admodum puero deduxit, & cum paucissimis in papilione ad hoc deputato consistere fecit. Post hæc autem jam populo juramentis obstricto, Imperium inter fratres ternâ sectione partitur. Uxor patris à Ludovico Rege recepta, exilio iterum deportatur in civitatem Italiæ Tartonam. Gregorius Papa talia cernens cum maxima mœrore Romam regreditur, & duorum fratrum Pipinus in Aquitaniam, Ludovicus in Bajoariam revertitur.* Astronomo vetustior Theganus, qui Ludovico Augusto in vivis adhuc superstite lucubrationem suam absolvit, in eadem materia sic versatur. *Consiliati sunt nonnulli, ut Imperatorem derelinquerent, & ad filios ejus pervenirent, in primis illi, qui eum anteà offenderant, ceteris sequentibus. Quadam nocte maxima pars dimisit eum, & tentoria eorum derelinquentes pervenerunt ad filios. In crastinum verò aliqui, qui remanserant, venerunt ad Imperatorem, quibus præcepit dicens. Ite ad filios meos, nolo ut ullus propter me vitam aut membra dimittat. Illi infusi lachrymis recedebant ab eo. Jam tunc separatam ab ea habebant uxorem suam, cum juramento confirmant ut nec ad mortem nec ad debilitatem eam habere desiderarent. Quam statim miserunt partibus Italiæ in civitatem Dartonam, ibi eam habentes. Non multo tempore posteà susceperunt patrem, & duxerunt eum cum illis, quo facto diviserunt se ibi. Pippinus perrexit in Aquitaniam, Lodewicus in Bawariam.*

In potestatem Lotharii venit cum Carolo filio.

XXVIII. Encomiastes Walæ refellitur.

Nunc inspiciamus, quomodo totum hoc negotium, quo nullum flagitiosius excogitari potest, excusare conetur qui vitam Walæ Corbeiensis Abbatis conscripsit, unáque cum illo stetit à partibus Lotharii. Postquàm Ludovici querelas in filios, & horum responsiones ad singula capitula retulit, ad Pontificis colloquium cum eodem Ludovico, & ad res proximè secutas ita transit. *Hæc est alterna altercatio, hæ querelæ ad invicem: hæc propositio paterna, & responsio. Cùm nec sic ullum adsensum obtinere quivissent veniæ, mittitur Sanctus & Summus Pontifex intercessor, Vicarius Beati Petri. Qui cùm venisset, nullo susceptus est honore condigno, tamen more suo datâ benedictione proposuit pro quibus venerat. Cui Imperator inquit. Nos ideo te more antiquorum Regum, Sancte Pontifex, non suscipimus cum hymnis & laudibus aliòque Dignitatis tuæ & Religionis honore, quia tu non sic venisti, sicut tui prædecessores ad*

AN. CH. 833. LUDOV. IMP. 20. LOTHAR. IMP. 17. PIPPINI R. 19. LUDOV. R. 17. CAROLI R. 4.

nostros vocati venire consueverant. Cui ille; nos, inquit, benè venisse scias, quia pro pace venimus & concordia, quam auctor salutis nostra nobis reliquit, & mihi praedicanda universis commissa est, & proferenda omnibus. Idcircò, Imperator, si nos & pacem Christi dignè susceperis, requiescet in vobis ipsa, necnon in Regno vestro: sin autem, pax Christi ad nos revertetur, uti legistis in Evangelio, & nobiscum erit. Et paulò inferiùs. *Legati non impetratâ pace, unde venerant, redierunt: ita & iste,* nempe Gregorius Papa, *sine effectu, sine honore, & sine fructu tanti laboris regressus est. Veruntamen post diem quâ rediit, insequenti nocte facta est manus Domini super omnem populum justo Dei judicio, & immutatae sunt mentes singulorum, terrore Dei concussi ac tremefacti omnes. Unde in eadem nocte reliquerunt Augustum sine ullius (quantùm rescire potui) persuasione, aut exhortatione; adieruntque omnes, à minimo usque ad maximum, Honorium,* id est, Lotharium, *suisque castris se junxerunt, & apparuerunt in mane omnium eorum circa eum fixa tentoria; ita ut singuli dicerent à parte filiorum & Pontificis. Manhu* * (fuit haec vox filiorum Israel viso primùm mannâ) *quod interpretatur quid est hoc? Quia omnino nescientibus cunctis valdè mirabile fuit, qui pridie tam fortes erant & constantes, confisi in multitudine, in promissis omnium, in consilio Pontificum & Senatorum, in auctoritate paterna, in promissionibus multiplicibus; quòd tam permutabiles inventi sunt & infirmi, ut sine consultu & sine aestimatione alicujus, Caesarem solum relinquerent cum Justina sua* sive cum Juditha Augusta, *& ad Filium* Lotharium, *contra quem venerant, & firmarant; circumcircà, quasi pulli sub alas, tota in nocte convolarent; & mane castra metati, unus populus appareret. Unde valdè diluculo ad eumdem Pontificem venimus pro miraculo, quod acciderat: & ecce in medio unus Romanorum exclamans, ait voce canentis: [dextera Domini fecit virtutem,] & caetera quae sequuntur. Tunc ab eodem sancto viro, & ab omnibus qui convenerant, adjudicatum est, quia Imperium tam praeclarum & gloriosum de manu patris ceciderat, ut Augustus Honorius* seu Lotharius *qui haeres erat, etiam consors factus & procreatus à patre & ab omnibus, eum relevaret, & acciperet. Alioquin nisi fecisset, dixerunt omnes quòd sibi eligerent unanimiter, qui eis auxilium & defensionem ferret. Quibus dictis consensit Honorius* seu Lotharius, *& suscepit, nescio quo judicio, patrem ducens secum totius Monarchiam Imperii.* Multa sunt adversùs hunc Auctorem adnotanda.

* Edit. Manu.

XXIX. Imprimis vi veritatis cogente, quamvis aliud intendat, filios Imperatoris reos ac rebelles agnoscit, ubi dicit eos *adsensum veniae* non obtinuisse, veniam enim illi duntaxat petunt qui sunt in reatu. Similiter post irritam Legationem addit Gregorium Papam ab iisdem Imperatoris filiis missum intercessorem, id est, rogatorem seu deprecatorem qui veniam reis deposceret, intercessorem enim in hac significatione Scriptores istius aetatis ac recentiores usurparunt. Deinde Ludovicum Augustum redarguit, quòd Romanum Pontificem non eo, quo decessores sui consueverant, honore susceperit. Lotharium, Pippinum, ac Ludovicum, fratres, conjurationis in patrem reos non inficiamur, sed eos, ut decebat, à patre veniam nec per Oratores nec per Gregorium postulasse credimus. Inanis omnino fuit Legatio, quia conjurati nullum resipiscentiae signum in suis expostulationibus ostendebant. Colloquii, quod Ludovicus Imperator habuit posteà cum Pontifice, felicior sperabatur exitus, quia Gregorius ardentissimo restituendae pacis desiderio tenebatur. At rebelles in suo consilio perstiterunt, suaeque diffisi causae prohibuerunt, ne Papa Ludovicum, quocum sermonem de componendis discordiis jam fecerat, denuò conveniret. Alio non opus est argumento, ut nec Ludovicum tunc iratum Gregorio, nec Gregorium Ludovico infensum putes. Ludovicus Gregorium quidem minùs honorificè suscepit, quàm Pippinus avus Stephanum Tertium, Carolus pater Leonem Tertium, ipse quoque Stephanum Quintum; exprobravitque Gregorio, quòd sibi *talem susceptionem* praeparasset, quia

AN. CH. 833. LUDOV. IMP. 20. LOTHAR. IMP. 17. PIPPINI R. 19. LUDOV. R. 17. CAROLI R. 4.

insusitato modo veniebat. Rectè Gregorium dixit *insusitato modo* venisse, nam Stephanus Tertius & Leo Tertius in maximo discrimine positi confugerunt, ille ad Pippinum anno Christi septingentesimo quinquagesimo-quarto, hic ad Carolum anno Christi septingentesimo nonagesimo-nono; deinde cis Alpes expectati venerunt Leo Tertius anno Redemptoris octingentesimo quarto & Stephanus Quintus anno Redemptoris octingentesimo decimo-sexto, ut inviserent, ille Carolum, hic Ludovicum, seque singulari prorsus amicitiâ conjunctos utrique restarentur; Gregorius autem Româ non ab Imperatore Ludovico sed ab ejus adversariis evocatus fuit, diúque mansit in horum castris priusquàm ad Imperatorem se conferret. Cæterùm ira Ludovici, si quæ fuit non simulata, citò deferbuit, Gregorius enim per aliquot dies cum Ludovico moratus est, & ut Gregorius Ludovico, sic & vicissim Gregorio Ludovicus eximia contulit dona, de quibus Theganum [a] jam citatum consule. Fidem igitur asperioribus habere noli sermonibus, quibus ex Evangelii sententia Ludovicum duriùs à Gregorio reprehensum fingit Auctor quem examinamus.

[a] Cap. 42.

XXX. A veritate multò longiùs recedit, seque perduellionis reum ostendit, cùm impensè laudat defectionem ab Imperatore ad filios ejus rebelles, eámque habet *pro miraculo*, ac *justo Dei judicio* factam affirmat. *Maxima pars*, inquit Theganus [b], *dimisit eum*, nempe Ludovicum Imperatorem, *& tentoria eorum derelinquentes pervenerunt ad filios.* Et apud Astronomum, relicto Ludovico, *penè omnis populus partim donis abstractus, partim promissis illectus, partim minis territus ad eos*, id est, ad ipsius Ludovici filios, *populúmque cum eis consistentem, more torrentis* defluit. Hoc flagitium non auctore Deo sed suadente diabolo commissum arbitrare, nec miraculi loco reputa quod posteris exemplum semper execrandum fuit. Fabularum concionator, quem refellimus, duas res Papæ multùm injurias ad mendaciorum cumulum addit. Gregorium participem facit conjurationis in Ludovicum Augustum, quam idcircò conjunctivè partem *filiorum & Pontificis* sic appellat. *Apparuerunt in mane omnium eorum circa eum Lotharium fixa tentoria, ita ut singuli dicerent à parte filiorum & Pontificis; Manhu; quod interpretatur, quid est hoc?* Deinde auctoritate ejusdem Gregorii, Monarchiam Francorum Lothario delatam sic asserit. *Tunc ab eodem Sancto viro* Gregorio Papa, *& ab omnibus qui convenerant, adjudicatum est, quia Imperium tam præclarum & gloriosum de manu patris ceciderat, ut Augustus Honorius* seu Lotharius, *qui hæres erat, etiam consors factus & procreatus à patre & ab omnibus, eum relevaret & acciperet.* Gregorius ut numquam in exauctorationem Ludovici consensit, ita nec unquam Lothario Monarchiam Francorum adjudicavit. Pacis erat amantissimus, quamvis Ludovico nonnullam de se conquerendi dederit occasionem, quia cum Lothario, postea & cum ejus quoque fratribus diu moratus est, antequàm ipsum Ludovicum Imperatorem adiret. Iter Româ suscepit in Gallias haud aliâ mente, quàm ut sedato tumultu filios patri reconciliaret. In opus tam pium strenuus incubuit, quando venit ad colloquium cum Imperatore. Rem multùm tunc promovit, confecissétque, nisi conjurati fratres obstitissent, vetuissentque, ne, sicut pollicitus fuerat, ad eorum patrem rediret. Varia, quæ postmodum subsecuta sunt, ob oculos intuitus est scelera, Juditham Augustam Imperatori subductam, Ludovicum Augustum à filiis exauctoratum, Carolum Ludovici & Judithæ filium sub custodia detentum. Hæc facinora nec approbavit, nec à suis laudari passus est, imò tantam calamitatem deflevit, & cùm nullam ei medelam afferre posset, *cum maximo mœrore*, ut Astronomus in vita Ludovici scribit, Romam repetiit. Eodem tempore, quo Gregorius in Italiam reversus est, redierunt & in sua Regna Pippinus ac Ludovicus. Sic enim idem Astronomus. *Gregorius Papa talia cernens cum maximo mœrore Romam regreditur, & duorum fratrum Pipinus in*

[b] Cap. 42.

AN. CH. 833. LUDOV. IMP. 20. LOTHAR. IMP. 17. PIPPINI R. 19. LUDOV. R. 17. CAROLI R. 4.

Aquitaniam, Ludovicus in Bajoariam revertitur. Et Theganus [a] de tribus fratribus, Lothario, Pippino & Ludovico testatur, quòd postquàm Ludovicum patrem in sua tenuerunt potestate, *diviserunt se, Pippinus perrexit in Aquitaniam, Lodewicus in Bawariam.* Adde & ex Astronomo, quòd Lotharius post exauctorationem Ludovici, *populo juramentis obstricto Imperium inter fratres ternâ sectione partitur.* Atque ex hac partitione, quam tot Auctores coætanei confirmant, collige nec à Gregorio Papa Monarchiam Francorum adjudicatam Lothario fuisse, nec Lotharium in Francorum Monarchiam quamvis ad eam aspiraret, jus ullum sibi tunc arrogasse, nedum hæredem illius fuisse, ut vult Auctor in quem inquirimus. Idem Scriptor, etsi Lotharianis partibus faveat, dissimulare non potest reatum sequacium, quos ait eò prorupisse temeritatis, ut dicerent *omnes, quòd sibi eligerent unanimiter, qui auxilium & defensionem ferret*, si Lotharius oblatum Imperium accipere nollet, id est, quòd, si Lotharius oblatam Franciæ Monarchiam recusaret, unanimi consensu Regnum Francorum ad alium transferrent. Ad tales sermones atque ad audaciam tam effrænem quis non obstupescat?

[a] Cap. 42.

XXXI. Mirari certè subit, cur is qui talia scripsit, proximè subjiciat cùm à se tum à Wala repentinam improbari mutationem, quâ Lotharius universam Francorum Monarchiam sibi post exauctorationem patris evindicavit. *Honorius*, inquit, id est, Lotharius, *suscepit totius Monarchiam Imperii. Quæ cùm vidissem, interpellavi pro his Arsenium*, seu Walam, *ac dixi, quòd malum mihi videretur tam fortuita res sine majori consilio, & ordinatione diligentiori, tantum Imperium in subito permutari; qui erat consors factus in fide, ut mox omnem Monarchiam ex casu patris sibi evindicaret. Ad quod idem. Nostrum fuit*, inquit, *huc venire, pro omnibus bonâ voluntate laborare, pacisque consilium dare, intestinum bellum, quod imminebat, sedare. Nunc autem, sicut nemo nos audit, ita nemo quæ dicimus qui attendat, quia omnes, ut legisti, aut metuunt, aut cupiunt, aut gaudent, aut dolent. Metuunt pridem quod accidit, ne rursus quod factum est vindicetur. Cupiunt autem omnes, & unusquisque eorum, dum tempus est, ad ea quæ habuit, ocyùs pertingere, vel quæ nondum habuit, adquirere. Gaudent verò pro eis de honoribus avidiùs, & exultant, quia sua omnes quærunt, pauci quæ Dei sunt & utilia. Ergo dolent reliqui, qui timent perdere, quorum audaciâ vel consiliis talia Cæsar Augustus contra filios gessit.* At Wala, si necesse fuit, ut sua digrederetur è Corbeïa, non Lotharium sed Ludovicum ejus patrem adire debuit, atque hujus lateri constanter adhærere, prout præstiterunt, *Drogo* Metensis Episcopus, *Modoinus* Episcopus Augustodunensis, *Wiliricus* Bremensis Episcopus, *Aldricus* Cenomannensis Episcopus, *cum nonnullis Episcopis aliis, Abbatibus*, ac *Comitibus*, quorum fidem laudavit Annalista Bertinianus. Deinde Wala quanto studio feratur erga filios Imperatoris, in fine sui sermonis satis ostendit, cùm ipsummet Ludovicum Augustum vituperat, quasi pravorum virorum *audaciâ vel consiliis* delusus multa *contra filios* iniquè gesserit. Certè Ludovicus ob hoc tantùm culpari debet, quòd erga filios, quos perduellionis reos sæpè vidimus, nimiâ sit usus indulgentiâ.

XXXII. LOTHARIUS LUDOVICUM PATREM ET CAROLUM FRATREM SUB CUSTODIA DETINET.

Quæ trimestri spatio, seu mensibus, Julio, Augusto, & Septembri, sive à Festivitate Sancti Pauli ad Kalendas Octobres gesta sunt, Astronomus paucis ita describit. Imperatori ad filiorum castra *pervenienti uxor subducitur, & ad Ludovici* Regis *tabernacula convertitur. Ipsum verò Lotharius ad sua cum Carolo admodum puero deduxit, & cum paucissimis in papilione ad hoc deputato consistere fecit. Post hæc autem jam populo juramentis obstricto, Imperium inter fratres ternâ sectione partitur. Uxor patris à Ludovico Rege recepta, exilio iterum deportatur in civitatem Italiæ Tartonam. Gregorius Papa talia cernens, cum maximo mœrore Romam regreditur, & duorum fratrum Pipinus in Aquitaniam, Ludovicus in Bojoariam revertitur. Porrò Lotharius patre assumpto,*

AN. CH. 833. LUDOV. IMP. 20. LOTHAR. IMP. 17. PIPPINI R. 19. LUDOV. R. 17. CAROLI R. 4.

*& seorsum cum deputatis equitante atque privatim manente; Merlegium * villam devenit, ibique prout libuit commorans, & quæ visa sunt ordinans, ac populum absolvens, sed & Conventum populo Compendii indicens, Vosagum per Mauri-Monasterium transiit, & Mediomatricum, quæ altero nomine Metis vocatur, pervenit. Quâ relictâ civitate Virdunum appulit, & Suessionum urbem adiit, ibique in Monasterio Sancti Medardi patrem sub arcta custodia esse præcepit, & Carolo Prumiæ commendato, nec tamen attonso, ipse venationi institit, donec autumni tempore, id est, Kalendis Octobris, sicut erat constitutum, patrem secum ducens Compendium venit.* De singulis capitibus hic agemus.

* Marley.

XXXIII. JUDITHAM EXULEM IN ITALIAM MITTIT.

Postquàm Juditha Augusta Imperatori subducta fuit, Lotharius ejúsque fratres juramento confirmarunt, *ut nec ad mortem nec ad debilitatem eam habere desiderarent, quam statim miserunt partibus Italiæ in civitatem Dertonam, ibi eam habentes.* Ita Theganus [a]. Dartona seu Tartona, usitatiùs Derthona, tunc Episcopum habebat Joannem, de quo jam locuti sumus. Alterum hoc exilium Judithæ non approbavit Gregorius Papa, qui primum ante triennium damnarat, ut patet ex eodem Thegano [b] asserente Juditham post suum è Pictaviensi Monasterio reditum, *honorificè* ab Imperatore susceptam fuisse, *jubente Gregorio Romano Pontifice cum aliorum Episcoporum justo judicio.*

[a] Cap. 42.
[b] Cap. 37.

XXXIV. PAPAM PERMITTIT ROMAM REDIRE.

Judithâ *in Italiam apud civitatem Tartonam in exilium directâ, Lotharius,* ut Annalista Bertinianus proximè subjungit, *arreptâ potestate Regiâ, Apostolicum Romam, Pippinum in Aquitaniam, & Ludoicum in Bajoariam redire permisit.* Hincmarus [c] de Gregorii Pontificis adventu in Franciam & ejus reditu in Italiam sic scribit in literis ad Hadrianum Secundum Papam. *Gregorius subreptus cum Lothario, patre suo repugnante, in Franciam venit, & pax posteà in Francia ut anteà non fuit, & ipse Papa cum tali honore sicut decuerat, & sui antecessores fecerunt, Romam non rediit.* Hic Auctor non dissimulat Gregorium in Franciam *cum Lothario* venisse, Ludovico *patre* Lotharii *repugnante*, sicque genuinam innuit causam, propter quam idem Papa minùs honorificè susceptus est ab eodem Ludovico. Indicat & vituperandum magnoperè Lotharium, quòd, ubi Gregorium, quem Româ evocarat, in Italiam remisit, abeuntem iisdem non prosecutus est honoribus, quibus in pari discessu Pippinus quondam proavus Stephanum Tertium, avus Carolus Leonem Tertium, Ludovicus pater Stephanum Quintum affecerunt. Apud Nithardum [d] *Gregorius Papa itineris pœnitudine correptus, tardiùs quàm vellet Romam revertitur.*

[c] Ep. 41.
[d] Lib. 1.

XXXV. PIPPINO ET LUDOVICO FRATRIBUS IN REGNA DIMISSIS AUCTORITATEM OMNEM SIBI VULT ARROGARE.

Pippinus & Ludovicus ad sua reversi Regna, statim *graviter* ferre cœperunt, *quòd*, ut idem Nithardus observat, *Lotharius universum Imperium* seu Monarchiam Francorum *sibi vindicare illósque deteriores efficere vellet.* Quid secutum sit, dicemus anno proximo.

XXXVI. LUDOVICUM PATREM IN MON. S. MEDARDI; CAROLUM FRATREM IN MON. PRUMIENSI CUSTODIRI JUBET.

Lotharius Ludovicum patrem ex Alsatia Suessionem sub custodia perduxit, atque in Cœnobio Sancti Medardi reliquit, fratrem verò Carolum ad Prumiam Trevirensis Diœcesis Monasterium ablegavit. Cœnobio Medardino præerat Hilduinus Abbas, Prumiensi Marcwardus. De utroque non semel locuti sumus. Quas molestias in Monasterio Sancti Medardi passus sit, ipsemet Ludovicus amplâ narratione sic descripsit. *Fractus robusti olim brachii vires ego Chludowicus Cæsar Imperator Augustus, Dei dispensante gratiâ Orbi Romano imperans, cùm latè in populos juris habenas immoderatiùs relaxavissem, indulgentiâ nostrâ quidam dissoluti impugnando pietatem, in infidelitatis prorupere crudelitatem. Quod malum eò usque incanduit, ut ipsos quoque prædulces natos meos in me sævire compulerint, & secum de nece sui genitoris tractare fecerint. Ad locum sic fortè venitur, qui ex eventu rupta fidei pacis & sacramentorum Mentitus-Campus extunc appellatur. Hic me omnis penè meorum militum manus deserens, eò, ut retuli, perduellio filios meos horrendum facinus involvit, & præfices sceleris esse delegit, insonti mihi multo morti obnoxia*

AN. CH. 833.
LUDOV. IMP. 20.
LOTHAR. IMP. 17.
PIPPINI R. 19.
LUDOV. R. 17.
CAROLI R. 4.

imputantes: à numquam lasis multipliciter lesus & delusus, nefandorum actuum meorum non immemor, æquissimo Dei judicio hæc me dignè perpeti comminiscens, casus æquanimiter ferebam. Suessionis civitate deinde inimicâ coborte vallatus ad Sanctorum Dominorum meorum Medardi & Sebastiani Cœnobium perductus sum: & quia sciebant me illum locum diligere plurimum, consiliabantur inibi me fortuitu post desperationem sponte arma positurum. Quò cùm me publicâ custodiâ artavissent, quatinus quod callidè tractaverant, opere consummarent, quosdam submiserunt, qui uxorem meam in Monasterio virginum Sanctimonialem factam vel (quod veriùs audissent) mortuam mihi nuntiarent. Filium quoque meum parvulum & innocentem Karolum bonæ indolis puerulum, quem noverant præ omnibus mihi amantissimum, adtonsum & Monachorum firmarent cœtui adnixum. Quod ego audiens, & me continere non valens, quippe qui Regni decore spoliatus, conjuge privatus, filióque essem orbatus; diebus non paucis ejulans nullo consolatore fruitus, languoris violentissimi paullatim me persentiebam ex tristitia magnitudine æstibus aduri: & quia præter Deum consolatorem neminem habere poteram, quoniam quidem aditus & colloquium negabatur omnibus, ad Ecclesiam tantùm & ad Fratres raro via, & ipsa cum summa prospectione custodum patebat; insedit animo illuc ire. Quò cùm devenissem, omnium vestigiis provolutus, morbi, quo afficiebar, plagam medicis sapientibus retuli, quibus ut aliquantùm levaminis apud propitios dominos obtinerent supplicavi, & ut pro requie conjugis, quam exemptam vitâ arbitrabar Missas celebrarent, & attentius orarent, venerabilem religiositatem eorum obnixè efflagitavi. Qui afflictionibus & miseriis meis prudenter compassi, per merita & interventum Sanctorum quibus deserviebant, veluti futurorum præscii proximam pollicitati sunt ab Omnipotente adfuturam medelam, si tamen fidei sacramentis animum accommodarem. Sic ab eis benè confortatus, post orationem ab illis deductus, notis ergastuli antris ita demum sum restitutus sequente noctis umbrâ cogitatu sedulo lucicomum desiderabam cernere sidus: ingressúsque Sanctæ Trinitatis vicinum carceris Oratorium, post matutinalem expletionem solus inibi pernoctans, cùm per fenestram intuitum extrà dirigerem, quemdam custodem ultra vires, immeritò tamen mihi infestum, sub imbrice comminus video jacentem, & ne vel per modicum maceriei foramen elaberer, ipso statu servare cupientem. Quem somno & mero sopitum deprehendens, inter alta cordis suspiria ridiculum mihi omen meliùs adspectans oboritur. Enimverò cùm ita diffusum solo tenus & ejus ensem frequenti cervicalis, super quo fuerat expositus, repulsu viderem penes fundamina Basilicæ impexum, scalam concitè quæ ad accendendas faros angulo fuerat reposita subiens, funiculum otio torpentem super à laquearibus solvi: communúsque hastas quibus vexilla tempore letaniarum ferenda aptantur conspiciens, uni earum funiculum cum laqueo subnexui, pérque eamdem fenestram jeci. Hac comprehensum arte mucronem sustuli, ínque altas & squalentes feci jactari latrinas. Vocatóque ejus nomine aio ad eum: O custos pervigil, tuorum spes fidissima, vigilásne! Ad hæc ille: Vigilo, & benè vigilo. Cui iterum ego: & quid struis! Et ille: Quid de his, inquit, tibi! Rursus ego: si tibi fortè repentina necessitas cogeret, forsitan gladius manu abesset. Illo ad caput brachia convertente, & cum huc & illuc quæritante; si me, dixi, sic custodisses, hodie me nequaquam hîc habuisses. Quidquid, inquit, sit quod de mucrone actum est, satis supérque te, ut jussus sum servavi, & servare curabo. At ego. Vade ergo & promunere fidelitatis hujus & vigiliarum tuarum illo in loco competenti sanè armamentario quem turpiter amisisti recollige mucronem. Eâdem ipsâ die quidam fratrum explorantes, totius causa veritatis tenorem per Harduinum, qui quotidiano ministerio ante me Missas psallere consueverat, scripto miserunt. Cúmque de more ei oblationes Deo mactandas, maximè pro conjugis meæ absolutione, quam humanis exemptam rebus credebam, offerrem; ille meam cautiùs stringens manum, secus altare est, dixit. Post consummatam Hostiam, omnes cùm foras egressi fuissent, substiti solus: & sacello projectam colligens rotulam, vivere uxorem, & nihil in filium meum sinistri operatum cognovi, & perplures jam pœni-

AN. CH. 833. LUDOV. IMP. 20. LOTHAR. IMP. 17. PIPPINI R. 19. LUDOV. R. 17. CAROLI R. 4.

teri, quod taliter fidem ruperint, & à me discesserint, ferocibúsque animis certatim restitutionem Regni moliri. Lege librum [a] de Translatione ac Miraculis Sancti Sebastiani. Hilduinus San-Dionysianus Abbas, licèt agente Hincmaro in gratiam cum Imperatore Ludovico redierit, Abbatiámque Medardensem nuperrimè recuperarit expulso Agobardo, tamen occultè Lothario favere non destitit. Aliam rationem frustra quæras, cur Lotharius hoc anno in Monasterio Medardensi, anno sequenti in Cœnobio San-Dionysiano patrem suum incluserit. Observat Flodoardus [b] Hilduinum Ludovico adeò adversatum esse, ut ipsum quoque Hincmarum ad Lotharianas partes secum adtrahere voluerit. At obstitit Hincmarus, & restituto pòst Imperatore, prout potuit Abbati suo prodesse studuit profuitque. *Quando Gregorius Papa in Gallia venit regiones, & Regnum Francorum à præfato defecit Imperatore Ludovico, voluit eum,* nempe Hincmarum, *memoratus Abbas suus* Hilduinus *in obsequium contra fidelitatem Imperatoris ducere; quod nequaquam potuit ab eo exigere. Restituto posteà Imperatore, prout potuit, Abbati suo prodesse studuit.*

[a] Ap Bolland. d. 20 Jan.
[b] Lib. 3. c. 2.

XXXVII. Apud Compendium Kalendis Octobris habitus est à Lothario Conventus, de quo multa Theganus, Astrononius, & Annalista Bertinianus, scripsere. *Lotharius,* inquit Theganus [c], *duxit secum patrem ad Compendium Palatium;* sive, ut habet Astronomus, *autumni tempore, id est, Kalendis Octobris, sicut erat constitutum, patrem secum ducens, Compendium venit.* Quæ gesta sunt in hoc Placito, per ordinem accipe. Imprimis, *Episcopi, Abbates, Comites, & universus populus convenientes, dona annualia ei,* nempe Lothario, *præsentaverunt, fidelitatémque promiserunt,* teste Annalistâ Bertiniano. Eidem Lothario *ibi consistenti,* ut Astronomus scribit, *Legatio Constantinopolitani Imperatoris, Marcus Archiepiscopus Ephesi & Protospatharius Imperatoris, ad patrem missa, occurrit, munera sibi deputata obtulit, patri missa subtraxit. Quam illo, licèt ad patrem missa, ad se tamen venientem suscepit, audivit, tragœdiámque reportantem penè inauditam remisit. In eodem Conventu quum multi insimularentur devotionis in patrem, defectionis in filium; quidam verbis simplicibus, quidam juramentis objecta diluerunt. Miseratio tamen hujuscemodi rei, & talis rerum permutatio, exceptis auctoribus, omnes habebat. Unde verentes sceleris conspiratores inauditi, ne versâ vice retrolapsa ferrentur gesta quæ erant, callido, ut sibi visum est, cum aliquibus Episcoporum utuntur argumento, ut pro his, de quibus jam pœnitudinem gesserat Imperator, iterum publicâ pœnitentiâ, armis depositis, irrevocabiliter quodammodo Ecclesiæ satisfacere judicaretur, quum nec forenses quidem leges contra unam culpam semel commissam, bis invehant vindictam, & nostra lex habeat non judicare Deum bis in idipsum. Cui judicio pauci contradixere, plures assensum præbuere, maxima pars ut assolet in talibus, ne primores offenderent, verbo tenus consensere.*

[c] Cap. 43.

IN PLACITO COMPENDIENSI SUSCIPIT DONA ANNUALIA.

AUDIT LEGATOS IMP. ORIENT.

PATREM EXAUCTORAT.

XXXVIII. Petrus Pithœus exauctorationem Ludovici publicavit, & ejus Actis hanc adnotationem valdè observandam præmisit. *Quæ sequuntur, gesta sunt apud Compendium Palatium contra Christianissimum Imperatorem Ludovicum, postquàm Regno ad tempus privatus est. Acta sunt autem studio non imitandæ dejectionis ejus ab Hebone auctore ejusdem mali, & ceteris Episcopis, vel errore annitentibus, vel timore consentientibus. Non sunt autem hæc, ut salubris Concilii decreta amplectenda, sed ut exitialis commenti molimina respuenda.* Hæc Acta multis muniuntur Characteribus inter se rectè cohærentibus, annis scilicet Incarnationis & Imperii Lothariani, mense, & Indictione, sic. *Nos Episcopi super Imperio Domini & Gloriosissimi Lotharii Imperatoris constituti, anno Incarnationis Domini Jesu Christi* DCCCXXXIII, *Indictione* XII, *anno siquidem ejusdem Principis primo, in mense videlicet Octobris, apud Compendium Palatium generaliter convenimus.* Annus Redemptoris octingentesimus tricesimus-tertius per mensem Octobrem cum Indictione duodecima jam inchoata convenit, necnon etiam cum anno primo non Imperii quidem Lothariani

ACTA ISTIUS EXAUCTORATIONIS REFELLUNTUR.

sed

AN. CH. 833. LUDOV. IMP. 20. LOTHAR. IMP 17. PIPPINI R. 19. LUDOV. R 17. CAROLI R. 4.

sed Lotharianæ tyrannidis; absit enim ut in subsequentium annorum apicibus tertiam epocham Imperii Lothariani sumamus à die, quo Lotharius per insignem proditionem Ludovicum patrem auctoritate cùm Imperiali tum Regiâ privavit. Hoc anno Lotharius Monarchiam Francorum *ternâ sectione* cum Pippino ac Ludovico fratribus suis divisit, sibique soli post patris exauctorationem mense Julio nomen Imperatoris & Augusti vendicavit. Hæ duæ mutationes, quia contra jus à perduellibus factæ sunt, haud dignæ videntur, quæ novas cùm Lotharii Imperatoris ac Regis, tum Pippini ac Ludovici Regum epochas in nostris Annalibus constituant. Agobardus Conventum Compendiensem, quem mense Octobri habitum omnes consentiunt, *anno* consignat Imperii Lothariani *primo*, *mense quarto*, eòque calculo docet Lotharium ineunte Julio, statim ac patrem in sua tenuit potestate, novâ in connotandis annis Imperii usum epochâ, quam duabus aliis prætulit, quibus uti priùs consueverat, cùm à die quo consors Imperii factus à patre, tum à die quo Romæ coronatus Imperator à Paschale Papa.

XXXIX. Quam Petrus Pithœus exauctorationem Ludovici publicavit, Cæsar Baronius [a] in Annalibus Ecclesiasticis, Jacobus Sirmondus [b] in Conciliis antiquis Galliæ, Andreas Duchesnius [c] inter coætaneos Francorum Scriptores, recudendam curarunt cum adnotatione Pithœana jam laudata, cui Duchesnius titulum ipsis Actis convenientissimum sic adjecit. *Acta impia ac nefaria exauctorationis Ludovici Pii Imp.* In illa enim exauctoratione nihil non impium, nihil non nefarium.

[a] Tom. 9. [b] Tom. 2. [c] Tom. 2.

XL. Episcopi sic præfantur. *Omnibus in Christiana Religione constitutis scire convenit quale sit Ministerium Episcoporum, qualisque vigilantia atque sollicitudo eis circa salutem cunctorum adhibenda sit, quos constat esse vicarios Christi, & clavigeros Regni cælorum, quibus à Christo tanta collata est potestas, ut quodcumque ligaverint super terram, sit ligatum & in cælo, & quodcumque solverint super terram sit solutum & in cælo. Et in quanto sint ipsi periculo constituti, si ovibus Christi pabulum vitæ ministrare neglexerint, & errantes ad viam veritatis arguendo obsecrando reducere pro viribus non studuerint, juxta illud Propheticum: Si non annuntiaveris, inquit, iniquo iniquitatem suam, & ipse in impietate sua mortuus fuerit, sanguinem ejus de manu tuâ requiram. Et multa hic similia ad magisterium pastorale pertinentia, quæ in divinis sparsim continentur. Quapropter eisdem pastoribus Christi summoperè studendum est, ut erga erratu delinquentium moderationem discretissimam teneant, ut sint juxta Beati Gregorii doctrinæ documentum benè agentibus per humilitatem socii, contra delinquentium verò vitia per zelum justitiæ erecti: quatinus posthabito torpore, atque segnitie, vel humano favore, aut mundiali timore, sic exerceant ministerium suum, ut & præsentibus salubriter consulant, & futuris sint exemplum salutis. Verùm quia in agro Dei, qui est Ecclesia Christi, noxia quæque instinctu hostis antiqui pullulare non cessant, quæ necesse est ut adhibito surculo pastorali radicitus extirpentur; & propter malevolos quosque, qui benè acta aut intelligere nolunt, aut malevolâ intentione potiùs intelligere, quàm ipsam veritatem delectantur amplecti, oportet eosdem pastores, ut quandocumque generali utilitate vel publicâ coercitione, quippiam in Conventibus suis decreverint, id juxta morem Ecclesiasticum scriptis committant. Videlicèt ut posteris omnem ambiguitatem, & occasionem justè detrahendi vel reprehendendi penitus amputent.*

XLI. Deinde quid apud Compendium egerint, sic exponunt. *Proinde notum esse necessarium duximus omnibus filiis Sanctæ Dei Ecclesiæ, præsentibus scilicet & futuris, qualiter nos Episcopi super Imperio Domini & gloriosissimi Lotharii Imperatoris constituti, anno Incarnationis Domini Jesu Christi* DCCCXXXIII. *Indictione* XII. *anno siquidem ejusdem Principis primo, in mense videlicet Octobri, apud Compendium palatium generaliter convenimus, & memoratum principem humiliter audivimus. Et hoc quidem illi, sive optimatibus illius, seu omni gene-*

AN. CH. 833. LUDOV. IMP. 20. LOTHAR. IMP. 17. PIPPINI R. 19. LUDOV. R. 17. CAROLI R. 4.

ralitati populi, quæ undique illuc confluxerat, manifestare juxta injunctum nobis ministerium curavimus, qualis sit vigor & potestas, sive ministerium Sacerdotale, & quali meretur damnari sententiâ, qui monitis Sacerdotalibus obedire noluerit. Deinde tam memorato Principi, quàm cuncto ejus populo denuntiare studuimus, ut Domino devotissimè placere studerent, & in quibus eum offenderant placare non differrent. Examinata quippe sunt multa, quæ per negligentiam in hoc Imperio contigerunt, quæ ad scandalum Ecclesiæ, & ruinam populi vel Regni interitum, manifestis indiciis pertinebant, quæ necesse erat ut citò corrigerentur, & in futuro omnibus modis vitarentur. Inter cætera etiam commemoratum est à nobis, & omnibus ad memoriam reductum, qualiter Deus Regnum istud per administrationem bonæ memoriæ Karoli Præstantissimi Imperatoris, & per prædecessorum suorum laborem, pacificum & unitum atque nobiliter dilatatum fuerit, & Domino Ludovico Imperatori à Deo ad regendum sub magna pace commissum, Dominóque protegente, sub eadem pace, quamdiu idem princeps Deo studuit, & paternis exemplis uti, ac bonorum hominum consiliis acquiescere curavit, conservatum manserit. Et quomodo in progressu temporis, sicut omnibus manifestum erat, per ejus improvidentiam, vel negligentiam, in tantam venerit ignominiam & vilitatem, ut non solùm amicis in mæstitiam, sed etiam inimicis venerit in derisionem. Sed quia idem Princeps ministerium sibi commissum negligenter tractaverit, & multa, quæ Deo & hominibus displiceant, fecerit & facere compulerit, vel fieri permiserit, & in multis nefandis consiliis Deum irritaverit, & Sanctam Ecclesiam scandalizaverit, & ut cætera quæ innumera sunt omittamus, novissimè omnem populum sibi subjectum ad generalem interitum contraxerit, & ab eo divino justoque judicio subitò Imperialis sit subtracta potestas. Nos tamen memores præceptorum Dei, & nostri ministerii, atque beneficiorum ejus, dignum duximus, ut per licentiam memorati principis Lotharii, Legationem ad illum ex auctoritate sacri Conventûs mitteremus, quæ eum de suis reatibus admoneat: quatenus certum consilium suæ salutis caperet, ut quia potestate privatus erat terrenâ juxta divinum consilium & Ecclesiasticam auctoritatem, ne suam animam perderet, elaborare in extremis positus totis viribus studeret. Quorum Legatorum consiliis & saluberrimis admonitionibus libenter assensum præbuit, spatium poposcit, diémque constituit, quâ de salubribus eorum monitis certum eis responsum redderet. Cùm autem suprascriptus instaret dies, sacer idem Conventus unanimiter ad eundem venerabilem virum perrexit, cúmque diligenter de quibus Deum offenderat, & sanctam Ecclesiam scandalizaverat, ac populum sibi commissum perturbaverat, admonere, & cuncta illi ad memoriam reducere curavit. Ille verò eorum salutiferam admonitionem, & dignam congruamque exaggerationem libenter amplectens, promisit se in omnibus illis acquieturum salutari consilio, & subiturum remediale judicium. Porro de tanta salubri admonitione hilaris, illicò dilectum filium suum Lotharium Augustum sibi festinatò adfuturum supplicavit, ut ille ruptis quibuslibet morulis cum suis primatibus veniret: quatinus primùm inter eos mutua reconciliatio, secundum Christianam doctrinam fieret, ut si quid in cordibus eorum nævi aut discordiæ inerat, pura humilíque postulatio veniæ expiaret; ac deinde coram omni multitudine judicium Sacerdotale more pœnitentis susciperet. Quod & non multò pòst factum est. Quicquid hi dicant Antistites, Lectori numquam persuadebunt æquam atque à Deo approbatam fuisse Lothari causam contra patrem rebellantis, imò quia Compendiensem Conventum anno primo Imperii Lothariani consignant, eâque novâ computatione Imperium Lothari non altiùs repetunt quàm ab illo die, quo patrem utráque Dignitate, Imperiali scilicet ac Regiâ nefariè spoliavit, participes se perduellionis apud posteros ostendent.

XLII. Ludovicus Aug. Suessione cogitur arma deponere.

Ludovicus à Lothario filio Suessionem reductus in Basilica Sancti Medardi cogitur arma deponere. In Actis exauctorationis, omnes editiones habent *Basilicam Sanctæ Dei Genitricis Mariæ, ubi Sanctorum corpora requiescunt, Medardi videlicet Confessoris Christi atque Pontificis, necnon Sebastiani*

AN. CH. 833. LUDOV. IMP. 20. LOTHAR. IMP. 17. PIPPINI R. 19. LUDOV. R. 17. CAROLI R. 4.

præstantissimi Martyris. At hæ voces, *Sancta Dei Genitricis Maria*, videntur expungendæ, textúsque sic restituendus. *Veniens igitur idem Dominus Ludowicus in Basilicam, ubi Sanctorum corpora requiescunt Medardi videlicet Confessoris Christi atque Pontificis, necnon Sebastiani præstantissimi martyris, adstantibus Presbyteris, Diaconibus, & non parvâ multitudine Clericorum; præsente etiam præfato Domino Lothario filio ejus, ejúsque proceribus, atque totius populi generalitate, quotquot videlicet intra sui septum eadem continere potuit Ecclesia, & prostratus in terram super cilicium ante sacrosanctum altare, confessus est coram omnibus ministerium sibi commissum satis indignè tractasse, & in eo multis modis Deum offendisse, & Ecclesiam Christi scandalizasse, populumque per suam negligentiam multifariè in perturbationem induxisse. Et ideo ob tantorum reatuum expiationem publicam & Ecclesiasticam se expetere velle dixit pœnitentiam: quò miserante Domino, per eorum ministerium & adjutorium, percipere mereretur absolutionem tantorum criminum, quibus Deus ligandi ac absolvendi intulerat potestatem. Quem etiam iidem Pontifices, utpote medici spiritales, salubriter admonuerunt, asserentes ei quòd puram & simplicem confessionem sequeretur vera remissio peccatorum, ut apertè confiteretur errata sua, in quibus maximè se Deum offendisse profitebatur ne fortè interius aliquid tegeret, aut in conspectu Dei quippiam dolose ageret, sicut jam pridem in Compendio palatio ab alio sacro Conventu correptus coram omni Ecclesia eum fecisse omnibus notum erat. Ne sicut tunc, ita & nunc, per simulationem & calliditatem duplici ad Deum corde accedendo, ad iram potiùs quam ad veniam suorum peccatorum provocaret. Quoniam scripturâ testante simulatores & callidi provocant iram Dei. Verùm post hujusmodi admonitionem professus est se in omnibus iis præcipuè deliquisse, unde à memoratis Sacerdotibus fuerat familiariter, sive verbis sive scriptis admonitus, ut dignâ increpatione correptus. Super quibus chartulam summam reatuum suorum, unde illum specialiter redarguerent, continentem ei dederunt, quam ille in manibus gestabat.* Istius Chartulæ sequuntur octo Capitula, de quibus sigillatim hîc disserendum. OBJECTA CRIMINA DILUUNTUR.

XLIII. Primum Capitulum. *Videlicet sicut in eadem chartula pleniùs continetur, reatum sacrilegii incurrendo, & homicidii, eo quòd paternam admonitionem, & terribilem contestationem sub divina invocatione, ante sanctum altare in præsentia Sacerdotum, & maxima populi multitudine sibi factam secundùm suam promissionem non conservaverit, eo quòd fratribus & propinquis violentiam intulerit, & nepotem suum, quem ipse liberare potuerat, interficere permiserit. Et quod immemor voti sui, signum sanctæ Religionis propter vindictam suæ indignationis fieri postea jusserit.* In hoc Capitulo Ludovicum redarguunt adversarii; quòd in fratres suos, Drogonem, Hugonem, & Theodoricum; in Bernardum Italiæ Regem nepotem suum ex fratre; & in agnatos suos, Adelhardum, Walam, & Bernharium severius egerit; nepotem morti non eripuerit cùm posset; fratres tonderi, agnatos præceperit exulare. Sed hæc anno Redemptoris octingentesimo vicesimo-secundo in generali Conventu Francorum apud Attiniacum publicâ diluit pœnitentiâ, de qua fusè Tomo superiore ad illum annum [a] disseruimus. Solum hîc Annalistam Laureshamensem placet denuò describere. *Dominus Imperator consilio cum Episcopis & Optimatibus suis habito, fratribus suis, quos invitos tonderi jussit, reconciliatus est; & tam de hoc facto, quàm & de iis quæ erga Bernhardum filium fratris sui Pipini, necnon & iis quæ circa Adelhardum Abbatem & fratrem ejus Walachum gesta sunt, publicam confessionem fecit, & pœnitentiam egit. Quod tamen in eo Conventu, quem eodem anno mense Augusto Attiniaci habuit, in præsentia totius populi sui peregit. In quo quicquid similium rerum vel à se vel à patre factum invenire potuit, summâ devotione emendare curavit.* Porrò, *quum ne forenses quidem leges*, ut Astronomus jam citatus observavit, *contra unam culpam semel commissam, bis invehant vindictam, & nostra lex habeat non judicare Deum bis in idipsum*, certè quæ primo loco profertur adversùs Ludovicum accusatio, penitus evanescit.

[a] Ad an. 822. nu. 6. & seqq.

AN. CH. 833. LUDOV. IMP. 20. LOTHAR. IMP. 17. PIPPINI R. 19. LUDOV. R. 17. CAROLI R. 4.

Secundum Capitulum. *Quòd auctor scandali, & perturbator pacis, ac violator sacramentorum existendo, pactum, quod propter pacem & unanimitatem Imperii, Ecclesiæque tranquillitatem, communi consilio & consensu cunctorum fidelium suorum fuerat inter filios suos factum, & per sacramentum confirmatum, super illicita potestate corruperit: & in eo quod fideles suos, in contrarietatem ejusdem primi pacti & juramenti, aliud Sacramentum jurare compulerit, & in perjurii reatum præstatorum violatione sacramentorum inciderit. Et quantùm hoc Deo displicuerit, liquido claret: quia postea nec ipse nec populus sibi subjectus pacem habere meruit, sed omnes in perturbationem, pœnam peccati sustinendo, justo Dei judicio postea inducti sunt.* Falsa hæc est accusatio, putidóque nititur commento, quod in vulgus sparserunt adversarii de Regni divisione, quam Ludovicus inter filios anno Redemptoris octingentesimo decimo-

XLIV. septimo fecit. Illo anno Ludovicus, ut Annalista Laureshamensis testatur, *filium suum primogenitum Lotharium coronavit, & nominis atque Imperii sui socium sibi constituit. Ceteros Reges appellatos unum Aquitaniæ, alterum Bajoariæ præfecit.* Id est, Lotharium, quem ante triennium Regem Bojoariæ dixerat, mutatâ sententiâ consortem Imperatorii Nominis fecit nullâ Regni portione superadditâ. Pippinum a triennio Regem Aquitaniæ jam vocatum in ejusdem Aquitaniæ Regni consortio confirmavit; Ludovicum, cui adhuc puerulo nullam antea Regni partem attribuerat, Lotharii loco Regem Bojoariæ dixit. Adversarii vero Reges tunc appellatos, Pippinum Aquitaniæ, Ludovicum Bojoariæ consentiunt; at Lotharium non Imperatorii tantùm Nominis, sed reliqui quoque Regni, quod per Italiam, per Gallias, per Germaniam, latissimè diffunditur, consortem à patre constitutum volunt. Hoc autem mendacium, quo suam causam præcipuè tueri conantur, vel hoc uno, si cetera deessent, destrueretur argumento, quòd Lotharius ab eodem patre Rex Longobardiæ seriùs est renuntiatus.

XLV. Tertium Capitulum. *Quia contra Christianam Religionem, & contra votum suum, sine ulla utilitate publica, aut certa necessitate pravorum consilio delusus, in diebus Quadragesimæ expeditionem generalem fieri jussit, & in extremis Imperii sui finibus in cœnâ Domini, quando Paschalia Sacramenta ab omnibus Christianis ritè sunt celebranda, placitum generale se habiturum constituit. In quâ expeditione, quantùm in ipso fuit, & populum in magnam murmurationem protraxit, & Sacerdotes Domini à suis officiis contra fas amovit, & pauperibus gravissimam oppressionem irrogavit.* Adversarii res improbant à Ludovico gestas anno Redemptoris octingentesimo tricesimo; utrùm jure an injuriâ, genuina docebit enarratio. Mense Januario Ludovicus, ut Annalista Metensis testatur, *cum quibusdam Optimatibus suis Placitum Aquisgrani Palatio tenuit, in quo consideratum est, ut instanti hyemali tempore in Britanniam hostiliter pergeret, pro quibusdam Britannibus, qui eodem tempore rebellabant.* In Aquisgranensi Conventu quidam Proceres inter se de concitando tumultu sermones habuerunt. Imperator *non multò post Aquis exivit, id est,* ut Annalista Bertinianus loquitur, IV *feriâ, quæ dicitur Caput Jejunii,* seu postridie Kalendas Martias. *Statuit* in Britanniam *per maritima loca* properare, & ut insignis erat pietate, celebria in itinere Monasteria, Centulense Sancti Richarii, Leuconaense Sancti Walarici, & Sitivense Sancti Audomari, adiit, orationis causâ, Placitum posteà celebraturus apud Redonas civitatem terminis Britanniæ contiguam. In Leuconaensi Monasterio versabatur tertio Nonas Aprilis, quo die [a] Præceptum illic emisit pro Cœnobio Centulensi. Digressus è Monasterio Leuconaensi perrexit ad Sitivense, ibique morabatur, quando primum de tumultu nuncium accepit. *Cum Imperator,* inquit Annalista Metensis, *Brittanniam pergeret juxta maritimos fines, & in Monasterium Sancti Otmari, quod dicitur Sidiu, causâ orationis pervenisset, nunciatum quòd amuli sui cum filiis, quos de alia uxore olim ha-*

[a] Chron. Centul. l. 3 c. 2.

AN. CH. 833. LUDOV. IMP. 20. LOTHAR IMP. 1. PIPPINI R. 19. LUDOV. R. 17. CAROLI R. 4.

buerat, se conjungerent. Et paulò pòst *Dum prædictum iter Imperator ageret & ad Redonicum oppidum, ubi suum Placitum condictum habebat, tenderet, memorati insidiatores filios suos, Lotharium videlicet & Pippinum, convocantes adduxerunt. Sed Pippinum Aquitanicæ regionis Regem primò, quia vicinior eis erat, ad Parisiacam urbem patre nolente adduxerunt, & posteà Lotharium venire fecerunt, ut patri resisterent.* Illo anno Pascha celebratum est decimo-quinto Kalendas Maii, Cœna Domini postridie Idus Apriles. Nec Rhedonensis Conventus ad hunc diem videtur indictus, longior enim est inter Sitivense Monasterium & Rhedonensem civitatem itineris intercapedo, quàm ut Ludovicus, qui tertio Nonas Aprilis in Leuconaensi Monasterio degebat, intra spatium decem dierum ex eodem Leuconaensi Cœnobio ad Sitivense orationis gratiâ indéque Rhedonas ad indictum Placitum pervenire potuerit. Multò probabilius videtur, Ludovicum, qui Præceptum tertio Nonas Aprilis in Leuconaensi Monasterio dedit, posteà perrexisse ad Sitivense, ut ibi Pascha decimo-quinto Kalendas Maias ageret, in Britanniæ finibus mense Maio Conventum habiturus. At esto, Placitum indixerit ad Cœnam Domini, an ideò suis privandus Dignitatibus? In Aquisgranensi Conventu Rhedonense Placitum ad retundendam tumultuantium Britannorum audaciam indictum fuit. Intereà Ludovicus Regni curam solertissimè gessit, egressus est Aquisgrano in capite Jejunii, loca lustravit maritima, ne quid eis damni classis Nortmannorum inferret sapientissimè providit, orationis gratiâ celeberrima quæque per Quadragesimam adiit Monasteria. Quid eodem tempore faciunt ejus æmuli? Súntne vel erga patriæ commodum vel erga divinum cultum meliùs affecti? *Circa tempus Quadragesimale,* inquit Astronomus, *quum Imperator loca mari circumjacentia peragraret, factionis iniqua principes ultrà ferre non valentes occultatum diu vulnus detegunt. Nam primùm inter se primores fœdere quodam conjurant, deinde minores sibi aggregant, quorum pars mutationis semper cupida, more canum aviúmque rapacium, quæ alienum detrimentum suum quærunt fieri supplementi augmentum. Freti ergo multitudine & assensu plurimorum, filium Imperatoris Pippinum adeunt.* Sive, ut Annalista Metensis jam citatus refert, *Pippinum Aquitanicæ regionis Regem primò, quia vicinior eis erat, ad Parisiacam urbem patre nolente adduxerunt, & postea Lotharium venire fecerunt, ut patri resisterent.* In Annalibus Bertinianis populus, ne contra Britannos pergat, solam itineris difficultatem causatur, indéque causam concitandæ seditionis arripiunt nonnulli Primates, de quibus sic Auctor prædictorum Annalium. *Statuit* Imperator *cum universis Francis* seu Gallis *hostiliter in partes Britanniæ proficisci. Quod iter omnis populus molestè ferens propter difficultatem itineris, cum illuc sequi noluerunt. Nam aliqui ex Primoribus murmurationem populi cognoscentes convocaverunt illum, ut eum à fide, quam Domino Imperatori promissam habebant, averterent. Idcóque omnis populus, qui in Britanniam ire debebat, ad Parisium se conjunxit, necnon Hlotharium de Italia & Pippinum de Aquitania hostiliter adversùm patrem venire, ut illum de Regno ejicerent, & novercam suam perderent, ac Bernardum interficerent, compulerunt.* Quis tales accusatores admittat, aut Judices à quibus auditi laudatique fuerint, æquos putet?

Quartum Capitulum. *Quòd nonnullis ex suis fidelibus, qui pro ejus suorúmque filiorum fidelitate & salvatione, Regníque nutantis recuperatione, humiliter eum adierant, & de insidiis inimicorum sibi præparatis certum reddiderant, violentiam intulerit: & quòd contra omnem legem, divinam videlicet & humanam, eos & rebus propriis privaverit, & in exilio tradi jusserit, atque absentes morti adjudicari fecerit, & judicantes proculdubio ad falsum judicium induxerit, & Sacerdotibus Domini ac Monachis contra divinam & canonicam auctoritatem præjudicium irrogavit, & absentes damnavit, & in hoc reatum homicidii incurrendo, divinarum seu humanarum legum violator extitisset.* Hæc accusatio petitur ex XLVI.

AN. CH. 833. LUDOV. IMP. 20. LOTHAR. IMP. 17. PIPPINI R. 19. LUDOV. R. 17. CAROLI R. 4.

pœnis, quas eodem anno Redemptoris octingentesimo tricesimo Ludovicus Imperator adversarius suis apud Noviomagum in Francorum Conventu vel post illud Placitum inflixit. Nonnulla, quæ præcesserunt subsecutáque sunt, ex Astronomo repetemus, ut innocentiam Ludovici, reatum conjuratorum meliùs deprehendas. *Circa mensem Maium filius Imperatoris Lotharius ex Italiâ venit, cúmque in Compendio repperit. Ad quem venientem se contulit tota illa factio inimica Imperatoris, ipse tamen nihil tunc temporis patri intulisse visus est dedecoris, probavit autem quæ gesta erant. Denique Heribertus Bernardi frater, luminum amissione mulctatus est contra votum Imperatoris, Odo consobrinus illius armis ablatis exilio deportatus: tamquam eorum, qua Bernardo & Reginæ adclamabantur, conscii & fautores. In talibus ergo consistens, solo nomine Imperator, æstatem transegit. Quum autem instaret autumnalis temperies, ii qui Imperatori contraria sentiebant alicubi in Francia Conventum generalem fieri volebant. Imperator autem clanculò obnitebatur, diffidens Francis, magísque se credens Germanis. Obtinuit tamen sententia Imperatoris, ut Neomagum populus conveniret. Verens porrò ne multitudo contrariorum superaret paucitatem suorum fidelium, jussit ut unusquisque ad idem placitum veniens, simplici uteretur commeatu. Præcepit etiam Comitem Lambertum finium sibi deputatorum custodiam habere. Helisachar Abbatem justitias facturum eò quoque direxit. Tandem ergo Niumagum ventum est, omnisque Germania eò confluxit, Imperatori auxilio futura. Imperator autem volens adhuc vires adversariorum attenuare, Hilduinum Abbatem culpans, interrogavit: cur, quum simpliciter venire jussus sit, hostiliter advenerit. Qui quum negare nequiret, continuò ex Palatio exire jussus est; & cum paucissimis hominibus juxta Patrisbrunnam in expeditionali tabernaculo hiemare. Walach Abbas jussus est ad Monasterium redire Corbeia, ibique regulariter obversari. Hæc quum ii qui Imperatori adversaturi convenerant, providerent, ad desperationem ultimam infractis viribus sese verterunt. Denique per totam noctem coeuntes, atque ad habitaculum Lotharii Imperatoris filii convenientes hortabantur aut bello confligendum, aut aliquò secedendum absque Imperatoris voluntate. In qua deliberatione quum totam expendissent noctem, mane Imperator filio mandat, ne inimicis communibus credat, sed ad se tanquam ad patrem filius veniat. Quibus ille auditis, licet dehortantibus qui circa illum erant, ad patrem venit. A quo non est asperâ increpatione invectus, sed modestâ lenitate correctus. Ingresso autem illo intra penita Regia domûs, diaboli instigatione vulgus contra se cœpit furere, processissétque furor usque ad mutuam cædem, nisi Imperatoria prudentia prospexisset. Dum enim illi inter se tumultuantes, penè in vesanum furorem ruerent. Imperator ad cunctorum aspectum cum filio processit. Quo facto, omnis illa feralis commotio conquievit. Imperatoriâ enim oratione auditâ, omnis popularis tumultus facessit. Post hac Imperator omnes illorum hujus impia conspirationis principes sub privata custodia adservari præcepit. Quos posteà ad judicium adductos, quum omnes juris censores filiique Imperatoris judicio legali, tanquam reos Majestatis, decernerent capitali sententiâ feriri, nullum ex eis permisit occidi; sed usus, ut multis visum est, leniori quam debuerit pietate, sibi tamen consueto benignitatis & clementiæ more, laicos quidem præcepit locis opportunis adtonderi, Clericos verò in convenientibus itidem Monasteriis custodiri. His peractis ad hyemandum Imperator Aquasgrani secessit. Habuit autem per idem tempus secum semper Lotharium filium suum.*

XLVII. Quintum Capitulum. *De diversis Sacramentis sibíque contrariis atque perniciosis à filiis sive à populo eo præcipiente & compellente irrationabiliter sæpè factis, pro quibus non modicam in populo sibi commisso peccati maculam induxit, reatum perjurii nihilominùs incurrisse, quoniam hæc proculdubio in auctorem per quem fieri compulsa sunt, jure retorquentur. Sed in mulierum purgatione, in injustis judiciis, in falsis testimoniis atque perjuriis, quæ eo permittente coram se perpetrata sunt, quantùm Deum offenderit ipse novit.* In hoc Capitulo Ludovicus accusatur tanquam auctor perjuriroum, quæ commissa sunt ab ejus fi-

AN. CH. 833.
LUDOV. IMP. 20.
LOTHAR. IMP. 17.
PIPPINI R. 19.
LUDOV. R. 17.
CAROLI R. 4.

liis, & à ceteris qui participes seditionis ac conjurationis extiterunt. Anno Redemptoris octingentesimo tricesimo, Lotharius & Pippinus contra patrem rebellarunt, hic, Astronomo teste, *solo nomine Imperator æstatem transegit;* at auctoritatem paulò pòst recuperavit allectis suas ad partes Pippino ac Ludovico filiis quorum ditiones auxit. *Lotharius filius ejus*, inquit Theganus [a], *cum juramento fidelitatem promisit, ut posthac nunquam talia committere debuisset.* Et, ut apud Nithardum [b] legitur, Imperator *Lodharium solâ Italiâ contentum, eâ pactione abire permisit, ut extra patris voluntatem nihil deinceps moliri in Regno temptaret.* Lotharius sæpè perjurii reum se præbuit. Anno Redemptoris octingentesimo tricesimo-secundo, ut Theganus [c] docet, author Ludovico fratri fuit, ut patrem bello lacesseret. *Post Pascha auditum est, quòd æquivocus filius*, id est, Ludovicus Bojoariæ Rex, *cum consilio Lotharii voluisset visitare patrem inhonestè, & venit usque ad Monasterium Sancti Nazarii, & modico tempore ibi residens usquedum pater ejus Moguntiam veniens, & coadunato exercitu secutus est eum.* Illo de tumultu sic Astronomus. *Vernali successu reducto, nunciatum est Imperatori quosdam motus excitatos in Bajoaria. Ad quorum compressionem festinus abiit, ad Ausburgum usque pervenit, insurgentia sedavit.* Lotharius, ubi rescivit fratrem in gratiam cum patre rediisse, statim ad eumdem patrem pertexit, ut innocentem se probaret. *Venit* Imperator *ad Palatium Franconofurt; ibi obviam ei venit Lotharius filius ejus, postulans patrem ut semetipsum purificare licuisset, quòd nec per voluntatem ejus, nec per exhortationem, frater ejus ullas molestias patri fecisset; sed quòd verum hoc sit, nonnullis est cognitum*, ait Theganus [d]. Imperator Lotharii dictis fidem habuit, nam posteà cùm propter Aquitaniæ Bojoariæque motus Pippino ac Ludovico filiis iratus esset, *inter filios suos Lotharium atque Carolum quandam divisionem Regni constituit*, ut Astronomus testatur. At Lotharius à pravis consiliis amoveri non potuit, cum fratribus enim Pippino ac Ludovico conjurationem iniit adversùs patrem, & exauctorationis, cujus Acta nunc examinamus, author fuit, iisdem fratribus Pippino & Ludovico in Aquitaniam ac Bojoariam priùs dimissis. De tribus his fratribus ita Theganus [e]. *Susceperunt patrem, & duxerunt eum cum illis, quo facto diviserunt se ibi. Pippinus perrexit in Aquitaniam, Lodewicus in Bawariam. Lotharius verò duxit secum patrem ad Compendium Palatium, & ibi valdè afflixit eum cum Episcopis & ceteris nonnullis. Jusserunt enim eum ire in Monasterium, & ibi esse omnibus diebus vitæ suæ.* Pejeravit & sæpè Pippinus Rex Aquitaniæ. Primus è fratribus in patrem anno Redemptoris octingentesimo tricesimo insurrexit. Audi Theganum [f]. *Dominus Imperator pervenit ad Compendium, ibique venit ei obviam Pippinus filius ejus cum Magnatibus primis patris sui, Hilduino Archicapellano & Jesse Ambianensi Episcopo, Hugone & Mathfrido, & multis aliis perfidis, & voluerunt Dominum Imperatorem de Regno expellere.* Pippinus per literas à patre provocatus rediit ad officium, & in præmium auxilii, quod Imperatori tulit, auctionem ditionum accepit. Anno Redemptoris octingentesimo tricesimo-primo, *Imperator autumnali tempore in Theodonis villam conveniri generaliter suum populum præcepit. Præceperat porrò, ut huic Placito filius ejus Pipinus interesset. Sed ille Conventui semet subtraxit, post Placitum autem advenit. Imperator autem volens & hanc inobedientiam, plurimámque in eo castigare morum insolentiam, secum eum morari jussit, & usque Natalem Domini secum Aquis tenuit. Sed ille ultra suum se velle teneri gravatus fugam capessit, & inscio patre in Aquitaniam concessit.* Quâ re compertâ, statuit Imperator in Aquitaniam cum copiis proficisci, sed audito, quòd Ludovicus Bojoariæ Rex, qui constanter hactenus in fide & obsequio permanserat, pravis Lotharii consiliis deceptus, Caroli Regnum adortus esset, Rhenóque cum exercitu jam immineret, novum hunc hostem priùs coercendum putavit, coercuitque profectus ad Augustam usque Vindelicorum; deinde perrexit in

[a] Cap. 37.
[b] Lib. 1.
[c] Cap. 39.
[d] Cap. 40.
[e] Capp. 42. 43.
[f] Cap. 36.

AN. CH. 833. LUDOV. IMP. 20. LOTHAR. IMP. 17. PIPPINI R. 19. LUDOV. R. 17. CAROLI R. 4.

Aquitaniam, & *Pipinum ob pravorum morum corruptionem*, ut Astronomus affirmat, *sub custodia privata Treveros perduci jussit, & tunc inter filios suos, Lotharium atque Carolum, quandam divisionem Regni constituit.* Hæc gesta sunt anno Redemptoris octingentesimo tricesimo-secundo, annóque postero Pippinus cum fratribus Lothario ac Ludovico conjurationem iniit, quam secura est patris exauctoratio de qua loquimur. Hæc fuerunt Pippini perjuria. Ludovicus Bojoariæ Rex seriùs quàm fratres à patre defecit. Anno Redemptoris octingentesimo tricesimo-secundo *cum consilio Lotharii venit usque ad Monasterium Sancti Nazarii, &*, ut Theganus [a] subjungit, *modico tempore ibi residens usquedum pater ejus Mogonciam veniens, & coadunato exercitu secutus est eum. Filius verò ejus supradictus revertens domum expectavit adventum patris, & voluit se defendere. Pater itaque veniens jussit eum venire ad se, quem benignè suscipiens habuerunt colloquium pacificum, & non post multos dies cum gaudio magno amore diviserunt se. Filius domi sedebat, & pater reversus est in Franciam*, ut Pippinum in Aquitania tumultuantem reprimeret, quod & præstitit. Pippinus tamen & Ludovicus, ut patrem exauctorarent, anno proximo cum Lothario fratre conjurationem inierunt, de qua quoque Theganum lege capitibus quadragesimo-secundo & quadragesimo-tertio jam citatis. Perjuriorum, quæ perpetrata sunt ab Imperatoris Ludovici filiis, enumeratione factâ, causísque singulorum perpensis, æquus judicet Lector, utrùm tot scelerum reatus in ipsum Imperatorem sit rejiciendus? Par est ratio perjuriorum, quæ ceteri commiserunt seditiosi, cujuscumque dignitatis generísve fuerint, seu Clerici seu laici. Quod attinet ad mulierum purgationem, quam objiciunt adversarii, pars hæc accusationis spectat ad Juditham Augustam, quæ stupri per insignem calumniam insimulara, procùlque in Aquitaniam anno Redemptoris octingentesimo tricesimo ad Monasterium Sanctæ Radegundis à conjuratis ablegata, rediit ad Imperatorem anno postero séque legitimo judicio purgavit. Audi quid Theganus de Juditha scribat capite tricesimo-sexto. *Supradicti impii dixerunt Judith Reginam violatam esse à quodam duce Bernhardo, mentientes omnia, suscipientes Reginam Judith, eámque vi velantes, & in Monasterium mittentes.* Et capite tricesimo-septimo. *Venit Dominus Imperator Aquis ad Sedem suam, & supradicta conjux venit ibi obviam ei, quam honorificè suscepit jubente Gregorio Romano Pontifice cum aliorum Episcoporum justo judicio.* In Placito enim Noviomagensi, ut Annalista Metensis restatur, *per auctoritatem Apostolicam, & per consensum Episcoporum, consideratum & canonicè definitum est, ut Imperator suam reciperet conjugem.* De reditu ejusdem Augustæ sic Astronomus. *Imperator misit in Aquitaniam, conjugémque revocavit. Quam tamen conjugii honore non est dignatus, donec se legali præscripto modo ab objectis purgaret.* Et Annalista Bertinianus [b]. *Ad Placitum Domna Imperatrix, sicut jussum fuerat, veniens, & in conspectu Domni Imperatoris ac filiorum ejus assistens, de cunctis se objicientibus purificare velle aiebat. Percunctatúsque est populus, si quilibet in eam aliquod crimen objicere vellet. Cúmque nullus inventus esset, qui quodlibet illi malum inferret, purificavit se secundùm judicium Francorum de omnibus quibus accusata fuerat.* In hac Judithæ purgatione, Imperatori Ludovico quid sceleris imputandum?

[a] Cap. 39.

[b] Ad an. 831.

XLVIII. Sextum Capitulum. *De diversis expeditionibus, quas in Regno sibi commisso non solùm inutiliter sed etiam noxiè sine consilio & utilitate fecit, in quibus nimirum multa & innumerabilia sunt in populo Christiano flagitia perpetrata, in homicidiis & perjuriis, in sacrilegiis, in adulteriis, in rapinis, in incendiis sive in Ecclesiis Dei sive in aliis diversis locis factis, in direptionibus & oppressionibus pauperum miserabili & penè apud Christianos inaudito patratu, quæ omnia ad auctorem, sicut præmissum est, reflectuntur.* Longè aliter ratiocinandum, tot enim malorum, quæ civilem motum sequi solent, quis auctor præter eos, qui conjuratione factâ contra Ludovicum Imperatorem rebellarunt?

Septimum

Septimum Capitulum. *In divisionibus Imperii ab eo contra communem pacem & totius Imperii salutem ad libitum suum temerè factis, & in sacramento etiam quod jurare compulit omnem populum, ut contra filios suos sicut contra inimicos suos agerent, cùm ipse eos paternâ auctoritate consultúque fidelium suorum pacificare potuisset.* Hujus Capituli duæ sunt partes; prima pertinet ad varias Imperii seu potiùs Regni divisiones, quas Ludovicus Imperator inter filios suos diversis temporibus fecit, altera pertinet ad sacramentum, quod idem Imperator à populo contra suos filios tanquam contra suos inimicos exegit. Hactenus Imperator solum Lotharium Imperii consortem elegit; quatuor tantùm partes Monarchiæ Francicæ, Longobardiam videlicet, Aquitaniam, Bojoariam, & Alamanniam, filiis suis in Regiæ dignitatis consortium vocatis attribuit; ceterásque provincias, quæ cis & ultra Rhenum spatiosissimæ supererant, sibi soli reservavit. Anno Redemptoris octingentesimo decimo-quarto, Lotharium Bojoariæ, Pippinum Aquitaniæ, Reges dixit. Anno Redemptoris octingentesimo decimo-septimo, Lotharium Imperatorem, Pippinum denuò Regem Aquitaniæ, Ludovicum Lotharii loco Bojoariæ Regem appellavit. Anno Redemptoris octingentesimo vicesimo Lotharium in Regni Longobardici consortium adscivit. Anno Redemptoris octingentesimo vicesimo-nono Carolum Regem Alamanniæ fecit. Anno Redemptoris octingentesimo tricesimo molestias à Lothario passus Pippini Ludovicique ditiones auxit. Anno Redemptoris octingentesimo tricesimo-secundo eosdem Pippinum ac Ludovicum hostes expertus inter Lotharium & Carolum quandam Regni divisionem constituit. Has divisiones, nec contra communem pacem nec contra Regni salutem iniit temerè, sed exemplum secutus est Caroli patris, qui Regnum variis quoque partitionibus inter filios suos, annis Christi, septingentesimo octogesimo-primo, septingentesimo undenonagesimo, octingentesimo sexto, & octingentesimo decimo-tertio, divisit; anno enim Christi septingentesimo octogesimo-primo filios suos, Pippinum & Ludovicum, illum Italiæ, hunc Aquitaniæ, Reges dixit; anno Christi septingentesimo undenonagesimo Carolum Neustriæ Regem renuntiavit; anno Redemptoris octingentesimo sexto universum Regnum tres in partes pro tribus filiis æqualiter distinxit; anno Redemptoris octingentesimo decimo-tertio, quia Carolum ac Pippinum filios amiserat, Ludovicum Imperatorem esse voluit, totúmque Regnum inter eundem Ludovicum filium suum ac Bernardum nepotem ex Pippino filio sic partitus est, ut Italiam seu Longobardiam Bernardo, Ludovico reliquam Franciam attribuerit. Altera pars Capituli, de quo loquimur, Ludovico Augusto crimini vertit, *quòd jurare compulit omnem populum, ut contra filios suos sicut contra inimicos suos agerent, cùm ipse eos paternâ auctoritate consultúque fidelium suorum pacificare potuisset.* Ludovicus paternâ, quantùm potuit, auctoritate filios suos, Lotharium, Pippinum, ac Ludovicum, in officio continuit. At eos sæpè hostes expertus est; Pippinum & Lotharium anno Redemptoris octingentesimo tricesimo; Pippinum anno Redemptoris octingentesimo tricesimo-primo; Ludovicum & Pippinum anno Redemptoris octingentesimo tricesimo-secundo; Lotharium, Pippinum & Ludovicum anno Redemptoris octingentesimo tricesimo-tertio. Quis patrem in tali casu vituperet, si populum novo sibi sacramento contra suos filios tanquam contra hostes devinciat? Ludovicus nimiæ duntaxat in filios indulgentiæ reus apud nos audit. Anno Redemptoris octingentesimo tricesimo, ut ad illum annum ex Astronomo probavimus, *solo nomine Imperator æstatem transegit*; recuperatâ pòst auctoritate, si Lotharium eâ, quâ par erat, pœnâ in Noviomagensi Conventu mulctasset, suæ certè dignitati salutíque Regni sapientissimè consuluisset.

AN. CH. 833. LUDOV. IMP. 20. LOTHAR. IMP. 17. PIPPINI R. 19. LUDOV. R. 17. CAROLI R. 4. XLIX.

Octavum Capitulum. *Quòd non suffecerint ei tot mala & flagitia per suam* L.

AN. CH. 833. LUDOV. IMP. 20. LOTHAR. IMP. 17. PIPPINI R. 19. LUDOV. R. 17. CAROLI R. 4.

negligentiam & improvidentiam in Regno ſibi commiſſo perpetrata, quæ enumerari non poſſent, pro quibus & Regni periclitatio & Regis dehoneſtatio evidenter provenerat. Sed inſuper ad cumulum miſeriarum noviſſimè omnem populum ſuæ poteſtatis ad communem interitum traxerit, cùm debuiſſet eſſe eidem populo dux ſalutis & pacis, cùm divina pietas inaudito & inviſibili modo ac noſtris ſeculis prædicando, populo ſuo miſereri decreviſſet. Hoc Capitulum ſpectat ad res geſtas anno Redemptoris octingenteſimo triceſimo-tertio, priuſquàm Ludovicus exauctoraretur. Illo anno tres fratres, Lotharius, Pippinus, ac Ludovicus, conjuratione factâ contra patrem rebellarunt, & ut populum ſuas ad partes faciliùs pertraherent, Gregorium Quartum Papam evocarunt Româ, ſuiſque ſecum in caſtris detinuerunt. Imperator *congregavit exercitum, & perrexit obviam eis uſque in compum magnum, qui eſt inter Argentariam & Baſileam, qui uſque hodie nominatur Campus mendacii, eò quòd,* inquit Theganus [a], *ibi plurimorum fides extincta ſit.* Hanc perfidiam Aſtronomus ita deſcribit. *Copiis Imperatori ſubductis, adeò defectio in dies invaluit, ut in feſtivitate Sancti Pauli, plebeii contra Imperatorem, adulando filiis ejus, irruptionem facere minarentur. Quibus viribus Imperator obniti non valens, filiis mandavit, ne ſe populari direptioni exponerent. Cui remandant, ut caſtris relictis ad ſe veniat, ſe autem maturrimè obviam illi proceſſuros. Quibus altrinſecus ſibimet occurrentibus, Imperator filios admonuit, equis deſilientes & ſibi occurrentes, ut promiſſionis ſuæ memores tam ſibi quàm filio* Carolo *& uxori* Judithæ, *illibata quæ olim promiſerant conſervarent. Quos congruè reſpondentes oſculatus, & ad caſtra illorum eſt profectus. Quò pervenienti uxor ſubducitur, & ad Ludovici tabernacula convertitur. Ipſum verò Lotharius ad ſua cum Carolo admodum puero deduxit, & cum pauciſſimis in papilione ad hoc deputato conſiſtere fecit. Poſt hæc autem jam populo juramentis obſtricto, Imperium inter fratres ternâ ſectione partitur. Uxor patris à Ludovico Rege recepta, exilio iterum deportatur in civitatem Italiæ Tartonam.* Talem defectionem ac perfidiam homines ſeditioſi pro Miraculo haberi volunt, quis illis aſſentiat?

[a] Cap. 42.

L I. Sequitur Actorum clauſula, ſic. *Igitur pro his vel in his omnibus, quæ ſuprà memorata ſunt, reum ſe coram Deo, & coram Sacerdotibus, vel omni populo, cum lachrymis confeſſus, & in cunctis ſe deliquiſſe proteſtatus eſt, & pœnitentiam publicam expetiit, quatinus Eccleſiæ, quam peccando ſcandalizaverat, pœnitendo ſatisfaceret, & ſicut fuerat ſcandalum multa negligendo, ita nimirum ſe velle profeſſus eſt eſſe exemplum dignam pœnitentiam ſubeundo. Poſt hanc verò confeſſionem, cartulam ſuorum reatuum & confeſſionis ob futuram memoriam Sacerdotibus tradidit, quam ipſi ſuper Altare poſuerunt, ac deinde cingulum militiæ depoſuit, & ſuper Altare collocavit, & habitu ſeculi ſe exuens, habitum pœnitentiæ per impoſitionem manuum Epiſcoporum ſuſcepit, ut poſt tantam talémque pœnitentiam nemo ultrà ad militiam ſecularem redeat. His itaque geſtis, placuit ut unuſquiſque Epiſcoporum, qualiter hæc res acta fuerit, in propriis cartulis insereret, eámque ſuâ ſubſcriptione roboraret, & roboratam memorato Principi Lothario ob memoriam hujus facti offerret. Ad extremum omnibus nobis qui interfuimus, viſum eſt, omnium cartularum, immò tanti negotii ſummam in unum breviter ſtrictimque congerere, & congeſta propriis manuum noſtrarum ſubſcriptionibus roborare, ſicut ſequentia factum eſſe demonſtrant.* Huc uſque Acta hactenus edita.

L II. Exauctorationem Ludovici ſic attingit Aſtronomus. *Verentes ſceleris conſpiratores inauditi, ne verſâ vice retrolapſa ferrentur geſta quæ erant, callido, ut ſibi viſum eſt, cum aliquibus Epiſcoporum utuntur argumento, ut pro his, de quibus jam pœnitudinem geſſerat Imperator, iterum publicâ pœnitentiâ, armis depoſitis, irrevocabiliter quodammodo Eccleſiæ ſatisfacere judicaretur: quum ne forenſes quidem leges contra unam culpam ſemel commiſſam, bis invehant vindictam; & noſtra lex habeat non judicare Deum bis in idipſum. Cui judicio pauci contradixere, plures aſſenſum præbuere, maxima pars, ut aſſolet in talibus, ne primores*

AN. CH. 833.
LUDOV. IMP. 20.
LOTHAR. IMP. 17.
PIPPINI R. 19.
LUDOV. R. 17.
CAROLI R. 4.

offenderent, verbo tenus consensere. Adjudicatum ergo eum absentem, & inauditum, nec confitentem, neque convictum, ante corpus Sancti Medardi Confessoris & Sancti Sebastiani Martyris, arma deponere & ante Altare ponere cogunt, palliaque indutum veste, adhibitâ magnâ custodiâ, sub tectum quoddam retrudunt. Ad hunc textum Cæsar Baronius[a] egregiè sic ratiocinatur. *Sanè quidem rem per vim & metum actam, coloratámque falsò Religionis pigmento, nemo non dixerit ac improbaris. Cùm alioqui etiamsi facta digna solemnis sive publicâ pœnitentiâ præcessissent, eam tamen iterari non debere, Canones clamant, id Sancto Augustino ad Macedonium testante. Unde meritò boni omnes detestati sunt factum & jure visus est Theganus, quem diximus, in Ebbonem Rhemensem Episcopum, horum omnium Architectum, exprobrans facinus, declamasse.* Lege quæ Tomo primo[b] dicta sunt de pœnitentia publica seu solemni non iteranda. Quod ad Thegamum attinet, hic capitibus quadragesimo-tertio & quadragesimo-quarto sic scribit. *Lotharius valdè afflixit eum,* nempe Ludovicum Imperatorem ac patrem suum, *cum Episcopis & ceteris nonnullis. Jusserunt enim eum ire in Monasterium, & ibi esse omnibus diebus vitæ suæ. Quod ille renuens non consensit voluntati eorum. Omnes enim Episcopi molesti fuerunt ei, & maximè hi, quos ex servili conditione honoratos habebat, cum his qui ex barbaris nationibus ad hoc fastigium perducti sunt. Elegerunt tunc unum impudicum & crudelissimum; qui dicebatur Hebo Remensis Episcopus, qui erat ex originalium servorum stirpe, ut eum immaniter afflixisset cum confictionibus cæterorum. Inaudita locuti sunt, inaudita fecerunt, cottidiè improperantes ei. Abstulerunt ei gladium de femore suo, judicio servorum suorum induentes eum cilicio. Tunc impletum est elogium Jeremiæ Prophetæ dicentis: servi dominati sunt nostri. O qualem remunerationem reddidisti ei! Fecit te liberum, non nobilem, quod impossibile est post libertatem. Vestivit te purpurâ & pallio, & tu eum induisti cilicio. Ille pertraxit te immeritum ad culmen Pontificale: tu eum falso judicio voluisti expellere à solio Patrum suorum. Crudelis, cur non intellexisti præcepta Domini; non est servus supra Dominum suum? Quamobrem contempsisti præcepta Apostolica illius qui ad tertium cælum raptus erat, ut inter Angelos disceret quod hominibus ille sic præciperet? Omnibus potestatibus sublimioribus subjecti estote. Non est potestas nisi à Deo. Et iterum alius dicit. Deum timete, Regem honorificate. Servi subditi estote in omni timore non tantum bonis & modestis, sed etiam discolis, hoc est enim gratia. Tu vero Deum non timuisti, nec Regem honorasti. Si unusquisque gratiam Dei adipisci poterit talia faciendo, profectò iram Dei habebit talia contemnendo. Crudelis, quis Consiliarius tuus fuit, aut ductor tuus? Nonne ille, qui est Rex super omnes filios superbiæ? Qui dicebat Creatori suo; Hæc omnia tibi dabo, si procidens adoraveris me. O Domine Jesu, ubi erat Angelus tuus, qui omnia primogenita Ægypti unâ nocte delevit? Et ille qui castris Assyriorum sub Sennacherib Rege iniquo centum octoginta quinque millia perfidorum extinxit, testante Esaiâ Prophetâ? Aut ille qui Herodem juvenem concionantem percussit, & statim scatere cœpit vermibus? Et tu terra, quæ eum sustinuisti illo in tempore, quare non aperuisti os tuum, ut devorares eum, sicut jam olim fecisti Dathan & Abiron? Tu non intellexisti triformem legem tuam quæ dicit [Cibaria & virga & onus asino, panis & disciplina & opus servo.] Tibi vaticinavit Zacharias Propheta, [non vivas, quia mendacium locutus es in nomine Domini.] Deus manifestavit malitiam tuam, & conservavit illi Regnum & gloriam suam. Crudelis, adhuc imperfectum est canonicum judicium tuum. Necesse enim est ut perfectum fiat judicium ad majorem ignominiam tuam. Patres tui fuerunt pastores caprarum, non Consiliarii Principum. Tu cum cæterorum judicio Jesse à sacerdotio deposuisti. Nunc iterum revocasti eum in gradum pristinum. Aut tunc aut nunc falsum judicium exhibuisti.* Jesse seu Jessæus Ambianensem Episcopatum suscepit anno Christi septingentesimo nonagesimo-nono, in Noviomagensi Conventu *justo judicio Episcoporum depositus est* anno Redemptoris octingentesimo tricesimo, ut idem Theganus capite tricesimo-septimo testatur. Hoc igitur anno pulsus

EBO REMENSIS ARCHIEP. INFENSISSIMUS LUDOVICO AUG.

JESSÆUM AMBIANENSI EPISCOPATUI RESTITUIT,

[a] Hoc anno n. 21.
[b] Ad an. 538. n. 50.

AN. CH. 833. LUDOV. IMP. 20. LOTHAR. IMP. 17. PIPPINI R. 19. LUDOV. R. 17. CAROLI R. 4.

est, qui Jessæo subrogatus ante triennium fuerat Ragenarius Episcopus. De utroque non semel recurret sermo.

LIII.

Clerici Remenses in narratione, quam posteà de Ebbone deposito, restituto, atque iterum dejecto texuerunt, ipsum Ebbonem aliquo modo sed frustrà conati sunt excusare. *Deserente*, inquiunt, *omni populo Ludovicum Imperatorem, & transeunte ad filium ejus Lotharium, Ebbo etiam Episcopus inter eos ad eundem se contulit Lotharium. Qui scilicet Lotharius veniens per Imperialia Palatia, adduxit secum patrem suum usque Suessionis ad Monasterium Sancti Medardi. Ibique hortantibus & jubentibus ceteris Episcopis seu Primoribus Regni, coactus est Ebbo, quia in Diocesi ejus erat, illi imponere publicam pœnitentiam. Unde nimiam & perpetuam ejus incurrit offensam.* Sic illi. Sed apud Flodoardum [a] Nicolaus Romanus Pontifex *ab Episcopis Galliæ maximéque Belgicæ provinciæ* super Ebonis depositione interrogatis *hæc inter alia in responsis* accepisse dicitur. *Quòd Ebo Remorum Episcopus, acceptâ à Lothario pro patris proditione Abbatiâ Sancti Vedasti falsarum objectionum incentor extiterit, & taliter criminatum eundem Imperatorem idem Ebo à suis complicibus à liminibus Ecclesiæ projectum, ac publicæ pœnitentiæ mancipatum, custodiri fecerit.* A partibus Ludovici stabat Adalungus Abbas Vedastinus, in cujus locum intrusus à Lothario videtur Ebo.

[a] Lib. 2. c. 20.

EXPULSO ADALUNGO ABBATE FIT ABB. VEDASTINUS.

LIV.

ALII EPISCOPI EJUSDEM CONJURATIONIS REI.

Inter Episcopos Lotharianæ factionis, à Jacobo Sirmondo in notis ad Agobardi libellum de Conventu Compendiensi & publica Ludovici Imperatoris pœnitentia, præcipui memorantur, Agobardus Lugdunensis, Bernardus Viennensis, Bartolomæus Narbonensis, Jesse Ambianensis, Helias Tricassinus, & Hereboldus Autissiodorensis. Mulra jam examinavimus Agobardi scripta, quibus ut hostem se Ludovici Imperatoris acerrimum, sic & Lotharii contra patrem rebellantis studiosissimum fautorem ostendit. Illis adde & hunc libellum tanquam coronidem. *In Nomine Dei ac Domini nostri Jesu Christi anno Incarnationis ejus* DCCCXXXIII, *ego Agobardus, Lugdunensis Ecclesiæ indignus Episcopus, interfui venerabili Conventui apud Palatium quod nuncupatur Compendium. Qui utique Conventus extitit ex Reverentissimis Episcopis, & magnificentissimis viris illustribus, Collegio quoque Abbatum & Comitum, promiscuaque ætatis & dignitatis populo, præsidente Serenissimo & Gloriosissimo Hlotario Imperatore, & Christi Domini amatore, quo protegente & adjuvante subter adnexa disposita sunt, anno Imperii primo, mense quarto. Quibus omnibus vehementer incumbebat vera necessitas, ut sollicitè tractarent de periculo Regni in præsenti, & statu in futuro. Quod Regnum quia jamdiu nutabat & impellebatur ad ruinam per negligentiam, & ut veriùs dicam per ignaviam Domini Hludovici venerandi quondam Imperatoris, in quibus ille irretitus est per corruptas mentes & corrumpentes, & secundùm Apostolicum dictum, quia erant ipsi errantes, & alios in errorem mittentes. A quo Conventu quicquid utiliter & laudabiliter tractando & conferendo inventum est & necessariò statuendum, & judicantibus consensi & consentiens ipse judicavi. In primis videlicet, quæ ad commoditatem & soliditatem Regni & Regis pertinere videbantur, deinde quæ ad ereptionem & purgationem animæ Domini Hludovici manifestissimè noscebantur. Quæ in prædicto Conventu fideliter quæsita, & veraciter inventa, & admirabiliter executa sunt. In eo scilicet, quòd prædictus Conventus deliberavit, ut per Legatos & Missos admoneretur Dominus Hludovicus de suis erratibus, & exhortaretur, ut secundùm propheticum dictum rediret ad cor, & recognosceret acta sua, quæ adversus Deum currens per vias pravitatis & injustitiæ exegerat: ac deinceps susciperet consilium vitæ & salutis suæ; quatenus apud Omnipotentem Judicem & Dominum, qui clementissimus indultor est criminum indulgentiam & remissionem iniquitatum impetrare posset, ut qui per multiplicatas negligentias Regnum terrenum amiserat, per impensas supplices confessiones Regnum cæleste adipisceretur per eum, apud quem est misericordia, & copiosa redemptio. Propter quod & libellus editus est à viris diligentioribus, & ei oblatus, de manifestatione criminum suo-*

rum; in quo velut in speculo perspicuè conspiceret fœditatem actuum suorum, ut fieret in illo quod per pœnitentem perfectum dictum est [iniquitatem meam ego cognosco, peccatum meum coram me est semper.] Pro qua re accesserunt ad eum denuò omnes qui in prædicto Conventu aderant Episcopi, condolentes & compatientes infirmitatibus & miseriis ejus, exhortantes, atque exoptantes, & postulantes ut Omnipotens Deus manu pietatis suæ educeret eum de lacu miseriæ & de luto cœni. Quod clementissimus Dominus non solum non abstulit, sed nec distulit: sed mox resuscitatâ in mente ejus contritione humiliati cordis, prostratus coram eis, non semel, vel iterum, sed tertiò, aut ampliùs crimina cognoscit, veniam poscit, auxilium orationum precatur, consilium recipit, pœnitentiam postulat, injunctam sibi humilitatem libentissimè impleturum promittit: innotescitur ei lex & ordo publicæ pœnitentiæ, quam non renuit, sed ad omnia annuit, ac demùm pervenit in Ecclesiam coram cœtu fidelium, ante altare & sepulchra Sanctorum, & prostratus super cilicium, bis térque quatérque confessus in omnibus clarâ voce cum abundanti effusione lacrymarum, depositis armis manu propriâ, & ad crepidinem altaris projectis, suscepit mente compunctâ pœnitentiam publicam per manuum Episcopalium impositionem, cum Psalmis & orationibus. Sicque deposito habitu pristino, & assumpto habitu pœnitentis, congratulans & confidens postulat piissimi pastoris humeris reduci se ad inventa & redempta ovis unitatem. His gestis ego Agobardus indignus Episcopus interfui, & melioribus consonans & consentiens judicavi, & manu propriâ signans subscripsi. Ex hoc Agobardi libello confirmatur Actorum ad exauctorationem Ludovici pertinentium clausula, in qua Lotharianæ factionis Episcopi sic loquuntur. *Ad extremum, omnibus nobis, qui interfuimus, visum est, omnium cartularum, immò tanti negotii summam in unum breviter strictimque congerere, & congesta propriis manuum nostrarum subscriptionibus roborare.*

AN. CH. 833. LUDOV. IMP. 20. LOTHAR. IMP. 17. PIPPINI R. 19. LUDOV. R. 17. CAROLI R. 4.

LV. Lotharius, cùm hyemare Suessione nollet, timerétque, ne se absente libertas patri redderetur, eum secum primò Compendium, deinde Aquisgranum duxit. Id eruitur ex Thegano & Astronomo. Ambo enim hi Scriptores Ludovicum è Compendiensi Palatio ductum ad Aquisgranense testantur. Theganus [a], sic. *De Compendio posteà duxerunt Piissimum Principem ad Aquisgrani Palatium.* Astronomus, sic. *Lotharius patrem suum ducens, Aquisgrani hyematum regreditur.* Audiendus autem præ ceteris Annalista Bertinianus, qui varia Lotharii itinera distinctiùs sic exponit. *Tamdiu illum,* nempe Ludovicum *vexaverunt, quousque arma deponere habitúmque mutare cogentes, liminibus Ecclesiæ pepulerunt, ita ut nullus loqui cum eo auderet, nisi illi qui ad hoc fuerant deputati. Posteà verò metuentes, ne ab ipso loco à quibusdam suis fidelibus eriperetur, ipse Lotharius ad idem Monasterium veniens, patrem illo nolente secum adduxit, atque in Compendio sub eadem excommunicatione retinuit. Tunc peracto Placito, Lotharius ad hyemandum Aquis properavit, & patrem suum ire sub prædicta custodia fecit, ac Vigiliâ Sancti Andreæ Aquis pervenit.* Finitum fuit Compendiense Placitum in Festivitate Sancti Martini, seu tertio Idus Novembris, à quo die usque ad Vigiliam Sancti Andreæ, sive usque ad Lotharii reditum in Palatium Aquisgranense, dies numerantur octodecim. *Expleto hoc negotio,* id est, exauctorato Ludovico, *Missâ Sancti Martini populus,* ut Astronomus scribit, *licentiâ acceptâ pro talibus gestis mæstus ad propria revertitur.* Dirum hoc facinus ac seculis omnibus detestandum, quódque, ut Jacobus Sirmondus in suis notis observavit, *non injuriâ, Francorum dedecus cum vetere illius ævi Chronico appellare liceat, nisi paucorum errorem saniora mox, ut sequentia ostendent, sapientiorum consilia correxissent.*

[a] Cap. 43.

LOTHARIUS PATREM EXAUCTORATUM DUCIT SECUM COMPENDIUM, ET AQUISGRANUM.

LVI. Ludovicus Bojoariæ Rex, auditâ Ludovici patris exauctoratione, *recessit à Bawaria magno dolore compulsus ob injuriam patris; &* veniens ad *Palatium Franconofurt, statim inde* Lothario *direxit Legatos suos Gozbaldum Abbatem, & Morhardum Palatinum Comitem, postulans & imperans ut erga patrem humaniorem exhiberet sententiam. Quod frater ejus Lotharius benignè non suscepit. Post-*

LUDOVICUS R. BOJOARIÆ MITTIT LEGATOS AD LOTHARIUM PRO RESTITUENDO PATRE.

AN. CH. 833. LUDOV. IMP. 20. LOTHAR. IMP. 17. PIPPINI R. 19. LUDOV. R. 17. CAROLI R. 4.

quàm illi Legati reversi sunt, statim alias destinavit ad patrem, qui prohibiti sunt ne eum viderent. Posteà perrexit Lotharius de Aquisgrani Palatio, & pervenit Mogontiam, ubi obviam venit ei frater, & colloquium inæquale habuerunt ibi propter hoc, quia omnes, quas Lotharius habebat secum, adversarii erant patris sui injustè, quos autem Lodewicus habebat secum, fideles erant patri suo ac sibi. Inde revertens Lotharius venit Aquis Palatium, celebravítque ibi Natalem Domini adhuc clauso patre. Hæc Theganus [a]. Lotharius & Ludovicus fratres apud Moguntiacum ineunte mense Decembri simul collocuti sunt. Aquisgranum enim Lotharius in vigilia Sancti Andreæ pervenit. *Post paucos autem dies*, ut Annalista Bertinianus subjungit, *accidit ut ob quasdam causas Lotharius & Ludoicus Mogontiâ colloquium haberent. Ubi Ludoicus fratrem suum Lotharium obnixè deprecatus est, ut patri illorum mitior fieret, nec tam strictâ custodiâ illum teneret. Quod illo renuente, Ludoicus tristis abscessit, deinceps cum suis meditans qualiter patrem suum ab eadem custodia eriperet. Lotharius autem paucis diebus ante Natale Domini Aquis pervenit.* Nonnulli Proceres, qui constanter à partibus Ludovici Augusti stabant, in Bojoariam ad Ludovicum Regem confugerant. Hic communicato cum illis consilio nihil utilius esse duxit, quàm ut mutuum cum Pippino contra Lotharium fœdus iniretur. *A Germania* igitur, ut Astronomus observat, *Hugo Abbas in Aquitaniam missus à Ludovico* Rege, *& ab eis qui illuc confugerant, à Drogone scilicet Episcopo & reliquis.* Quæ secuta sunt anno proximo dicemus. Drogo & Hugo Ludovici Augusti fratres erant, ille Metensis Episcopus, hic Abbas San-Quintiniensis. Quod attinet ad Gozbaldum Abbatem, quem Ludovicus Rex Lothario fratri Legatum direxit, is erat Abbas Altaichii Inferioris & Palatii Bojoarici Summus Capellanus, ut ante triennium à nobis ex vetere Charta jam prædicatus fuit.

[a] Capp. 45. 46.

COLLOQUITUR CUM EODEM LOTHARIO.

LEGATOS MITTIT AD PIPPINUM FRATREM.

LVII. Lucas Dacherius Tomo secundo sui Spicilegii varia Galliæ Concilia publicavit, ac primo loco posuit Privilegium de Abbatia Sancti Remigii Senonensis ad Varellias seu Vallilias aut Valliculas transferenda concessum in Concilio, quod appellat Senonense, censétque celebratum *anno circiter* DCCCXXXIV. Philippus Labbeus septimo Conciliorum Tomo Conventum vocat Vormatiensem, eúmque Conventum consignat *anno Christi* DCCCXXXIII, *Ludovici Pii Imperatoris* XX. Super loco cum Dacherio convenimus. Hæc est enim inscriptio Privilegii. *Dominis Sanctissimis & Reverendissimis Fratribus & Coepiscopis, Religiosissimis quoque & Venerabilibus Abbatibus in ditione Domini Imperatoris Hlotharii Serenissimi Augusti constitutis; Aldricus minimus servorum Christi famulus, Sanctæ Senonicæ Ecclesiæ Archiepiscopus.* Ludovicus autem Augustus hoc anno Vormatiam bis pervenit, semel *ante sanctum tempus Quadragesimale*, ut Theganus [b] asserit, iterum *mense Maio cum valida manu, ibíque*, teste Astronomo, *quid agendum sibi foret diu deliberavit.* Porrò Ludovicus ut ante Quadragesimam, sic & mense Maio, quandiu Vormatiæ degit, Imperatoris munere functus est, seriúsque potestati filiorum se commisit. Aldricus igitur Senonensis Archiepiscopus in Conventu Vormatiensi nec ante Quadragesimam nec mense Maio Privilegium obtulit confirmandum subscriptionibus Episcoporum & Abbatum constitutorum *in ditione Domini Imperatoris Hlotharii Serenissimi Augusti.* Hæc formula spectat ad tempus vel exauctoratione Ludovici, vel ejus morte posterius, quando Lotharius solum se vocavit Imperatorem patre vel exauctorato vel mortuo. Ne Privilegium Aldrici post mortem Ludovici Pii rejiciamus, obest Diploma ejusdem Ludovici ratum habentis idem Privilegium. *Aquisgrani Palatio Regio, sexto-decimo Kalendas Decembris, anno vigesimo-secundo* Imperii sui, *Indictione decimâ-tertiâ* jam inchoatâ, id est, anno Redemptoris octingentesimo tricesimo-quarto. Sententiæ nostræ non parum refragari videtur, quæ legitur in eodem Aldrici Privilegio periodus de Sancto-

PRIVILEGIUM ALDRICI SENONENSIS ARCHIEP. DE ABBATIA S. REMIGII AD VALLILIAS TRANSFERENDA.

[b] Cap. 41

AN. CH. 833.
LUDOV. IMP. 20.
LOTHAR. IMP. 17.
PIPPINI R. 19.
LUDOV. R. 17.
CAROLI R. 4.

rum corporibus in Monasterium Sancti Remigii transferendis. *Ob amorem Dei, cui viventes in carne servierunt, & emolumentum animæ nostræ, per voluntatem & licentiam Domini ac Piissimi Ludovici ac Caroli Regum, quia congruum ad hoc locum invenimus, illò deportanda volumus.* Privilegium enim, in quo Lotharius Imperator, Ludovicus & Carolus Reges appellantur, non antè concedi potuit, quàm tres hi fratres patri suo superstites universam Francorum Monarchiam sic inter se divisissent, ut præter Imperatorium Nomen Lotharius Augustus unam partem, Ludovicus Rex alteram, tertiam Carolus Rex obtineret. At Privilegii, de quo disputamus, ut editum est à Dacherio & Labbeo, duæ sunt partes valdè distinctæ, prior est de Abbatia Sancti Remigii Senonensis ad Vallilias transferenda, posterior de corporibus Sanctorum ad Monasterium Sancti Remigii transferendis. In illa nominatur Lotharius Imperator, in hac Ludovicus & Carolus Reges memorantur. Ex hac observatione colligimus priorem duntaxat partem ad hunc annum pertinere, cùm Ludovicus exauctoratus sub arcta custodia detineretur, posteriorem verò remittendam esse post obitum ejusdem Ludovici, cùm Dignitas Imperatoria penes unum Lotharium, & Regnum Francorum penes eundem Lotharium ejúsque fratres Ludovicum ac Carolum esset. Ipsum Privilegium, quod ex duobus valdè distinctis conflatum est, ex prædictis editionibus transcriptum nunc accipe.

LVIII. *Dominis Sanctissimis & Reverendissimis Fratribus & Coepiscopis, Religiosissimis quoque & venerabilibus Abbatibus in ditione Domini Imperatoris Hlotharii Serenissimi Augusti constitutis, Aldricus minimus servorum Christi famulus, sanctæ Senonicæ Ecclesiæ Archiepiscopus. Optimè venerabilis & Deo devota sanctitas vestra novit quantâ sit curâ & sollicitudine commissum nobis pastorale regimen tuendum atque tractandum. Cùm simus igitur in specula Ecclesiæ constituti, & viam cæteris per quam ingredi ad vitam debeant, debeamus ostendere, quantùm posse & intelligere divina clementia dederit, satagendum est ea quæ nobis commissa sunt secundùm Dei voluntatem providè prudentérque tractare, ut non solùm tantùm quæ dum advivimus in præsenti tempore nostris valeant prodesse subjectis, verùm etiam & in perpetuum illis prospecta proficiant, qui in locis divino cultui mancipatis, nostraque solertia ad regendum pro tempore commissis, supernæ pietati servituri sunt. Qui dum de corporis necessitatibus, victûs duo ac vestimenti, solliciti non fuerint, animum liberè in divinæ contemplationis specie figere valeant. Cui summo ac salutari bono inhærentes, eò semper suspirant totâ spei libertate suspensi, quò se pervenire divinâ duce gratiâ æternæ vitæ præmium jam consecuti gaudebunt. Et tamen cùm sciamus res Ecclesiæ esse oblationes fidelium, pretia peccatorum, & patrimonia pauperum, easque nobis administrandas, procurandas, atque ordinandas suscepisse. Harum rerum administratores nos esse meminisse debemus, & redditus, expensásque earum eis usibus applicare, quorum gratiâ divinis altaribus allegata noscuntur. Proinde ad Sanctitatis vestræ piissimam intentionem perducere statui, qualiter Cellas Monachorum Ecclesiæ Episcopii parvitati meæ commissi, id est, Cella Sancti Remigii Confessoris Christi in suburbio civitatis constructa, quæ olim per divisiones prædecessorum meorum tempore fuit disrupta: & ob hanc negligentiam Monachi, qui ibidem Deo degere videbantur, propter inopiam & importunitatem loci Regulam Sancti Benedicti, ut debuerant, penitus observare non poterant. Idcircò unà cum consilio Fratrum nostrorum; Canonicorum videlicet & Monachorum, necnon & fidelium Laicorum, visum est nobis propter importunitatem loci, & Monachorum ibidem Deo degentium, præfatam Cellam ad Valliculas transmutare, & à fundamento ædificare, quam Rothlaus ob amorem Dei & remedium animæ viri sui Meginarii, sive pro seipsa, suorúmque liberorum, ac parentum, ad supradictam Cellam Beati Remigii per donationis titulum delegavit, vel tradidit: eâ videlicet ratione, ut divinus ibi ageretur cultus, & illis pro quorum salute traditum fuerat, augeretur merces. Volumus etiam ut loca super quæ ædificatum fuit supradictum Monasterium, id est, agros, vineas, prata, areas, vel*

AN. CH. 833. LUDOV. IMP. 20. LOTHAR. IMP. 17. PIPPINI R. 19. LUDOV. R. 17. CAROLI R. 4.

omnia quæ infra muros civitatis habuit, vel extra, absque alicujus diminutione ac impedimento habeant Rectores & Monachi, ad eorum usus qui ibidem Deo sub norma Beati Benedicti degerint. Hujus itaque rei causâ hanc seriem Libelli digestam sanctissimo Cœtui vestro relegendam, atque vestris subscriptionibus roborandam obtuli, quo statuere per vestram unanimitatem decrevi, ut nullus deinceps Episcoporum, quicumque per tempora divinâ præstante successerint gratiâ, quicquam de his rebus, quas præsenti tempore memoratæ Cellæ usibus Monachorum deputata, & quæ à timentibus Deum eidem postmodùm fuerint loco collata, absque ullâ diminutione vel substractione Cellæ & Monachis ibidem conversantibus maneant inconvulsè. Hæc autem sunt infra scripta loca Monachorum stipendiis in memorata Cella degentium destinata. Primitus Valliculas, ubi ædificare præfatum volumus Monasterium: Staticus cum adjacentiis suis, id est, Vetus Ferrarias, & Petra Ursana cum territoriis & sylvis: Chryniacus cum adjacente sibi Hermentaria, cum territoriis & sylvis: Fontanicula cum territoriis; Lansa cum adjacentiis suis, hoc est vico sancti Sidronii, cum territoriis, & sylvis, & simul latione: Bracciacus cum territoriis; Columbarius cum adjacentiis suis, hoc est, Esthiniacus, Silviacus, & territoria eorum cum sylvis; Villamanesca cum adjacente sibi ponte, & territorio: Misceriacus cum adjacente sibi Ternanta; Villanova cum adjacentiis suis, hoc est, Cavanarias & Capotenus: Noè vollis cum adjacente sibi: Caprenciis cum territoriis & sylvis, & simul puteolis. In summa sunt mansa centum nonaginta, & hospitia decem & novem. Quicquid itaque in supra-dictis locis, vel circa eandem Cellulam præsenti tempore Monachi in eadem divina gratia famulantes possidere noscuntur, vel si quæ sunt alia quæ fortè meam fugerunt memoriam, & tamen ea suis stipendiis assignata retinent cum territoriis, vineis, pratis, sylvis, aquis aquarúmve decursibus, & cæteris adjacentiis, ipsis tantum ex integro, ut præmissum est, eorúmque usibus jure perpetuo absque ulla diminutione sub prætexto memorati Episcopii nostri jure debito cedant. At verò Episcopus qui pro tempore auctore Deo præfuerit, Abbatem de eodem Monasterio, eum videlicet quem omnis Congregatio sibi ordinandum poposcerit, & sinceritas morum, & bonorum actuum probitas commendaverit, si inter eos talis inveniri quiverit, eis ordinandum procuret. Quòd si talis inter eos minimè inveniri potuerit, de eadem Parochiâ vel Diœcesi Senonicâ, consentientibus sanctis Coepiscopis ejusdem Diœcesis, & circumpositis venerabilibus Abbatibus, eis præficiendum atque ordinandum provideat. In aggregandis quoque Monachis hunc modum Abbas qui præfuerit, teneat, ut tricenarium numerum quantitatis summa non excedat, donec rerum copia major succrescat. Episcopus quoque in exigendis muneribus Abbatem ejusdem loci non gravet, sed sufficiat ei ad annua dona equus unus, scutum cum lancea. Quod si in expeditionem publicam ire jussus fuerit, addantur ei de eodem loco carra duo, unum vini, alterum farinæ, verveces decem: supra quæ in exigendis muneribus, cupiditatis avaritiæque causa gravare eos nullatenus præsumat, ne & Monachi ejusdem Cellulæ hujuscemodi negotio à suo proposito exorbitare, & Episcopus causâ eorum perditionis addictus sempiternas cogatur luere pœnas. Corpora etiam Sanctorum quæ in nostra Parochia jamdicta expectant sui beatam immutationem, à pravis & desidiosis custodibus permaximè negliguntur, ita ut officio luminaris, ac debitâ careant custodiâ. Idcircò ob amorem Dei, cui viventes in carne servierunt, & emolumentum animæ nostræ, per voluntatem & licentiam Domini ac piissimi Ludovici ac Caroli Regum, quia congruum ad hoc locum invenimus, illò deportanda volumus. Sed quia sacra authoritas vetat, ne in talibus & similibus Ecclesiis Christi per alicujus incuriam scandalum inferatur, multorum Episcoporum exposcit consensum, ad vestræ Paternitatis notitiam hæc omnia perferri volumus, quatenus vestrâ deinceps censurâ & locus ipse, quod favente Deo ordinandum stabilimus, & memoratis Sanctorum pignoribus à Dei servis ibidem Deo famulantibus dignè & laudabiliter serviatur: & pro Domini nostri ac totius Sanctæ Dei Ecclesiæ statu indefessè vota debita persolvantur. Quod opus Deo dicatum, ut per tempora labentia, omnibus sanctissimis Patribus & Fratribus in Dei nomine consentientibus,

firmiorem

AN. CH. 833.
LUDOV. IMP. 20.
LOTHAR. IMP. 17.
PIPPINI R. 19.
LUDOV. R. 17.
CAROLI R. 4.

firmiorem obtineat rectitudinis statum, & intactum permaneat, manu nostra parvitatis subter relegenda firmamus. Et ut rata deinceps manere possint quæ scripta sunt manibus vestra sanctitatis roboranda expostulamus. Sequuntur subscriptiones. *In Christi Nomine Aldricus Ecclesia Senonica indignus Archiepiscopus hoc Privilegium fieri decrevi, & subscripsi. In Christi Nomine Landramnus Turonica Ecclesia Archiepiscopus recognovi, & subscripsi. In Christi Nomine Bartholomæus Narbonensis Ecclesia Archiepiscopus feci, & subscripsi. Jonas Aurelianensis Ecclesia indignus Episcopus huic facto adstipulator subscripsi. Ego Raynardus Rothomagensis Episcopus subscripsi. Rotualdus Suessionensis Episcopus huic facto subscripsi. Aldricus Cænomanica urbis Episcopus. Carevultus Bajocensis Episcopus subscripsi. In Dei Nomine Radulfus Lexoviensis adstipulator huic facto subscripsi. Acamradus Parisiorum indignus Episcopus subscripsi. Stephanus Bituricensium indignus Episcopus subscripsi. Altadus Genevensis Episcopus subscripsi. Adalbelinus Cathalaunensis Episcopus subscripsi. Ragnerius Ambianensis Episcopus subscripsi. Helias Tricassinensis Episcopus subscripsi. Hubertus Meldensium Episcopus subscripsi. Alduinus Virdunensium Episcopus subscripsi. Delricus Basiliensis Episcopus subscripsi. Ego Fulconinus Warmatiensis Episcopus indignus. In Dei Nomine Teugrinus Albensis Episcopus. Atto Nannetensis civitatis Episcopus. Gerfredus Nivernensis Episcopus. Facona Episcopus. Boso Abbas ex Monasterio Sancti Benedicti subscripsi. Adrevaldus Abbas ex Monasterio Noviacensi. Deidonus ex Remensi Cænobio Abbas. Christianus Abbas Monasterii Sancti Germani. In Dei Nomine ego Bernoinus Carnotensis Episcopus subscripsi. Ragnemundus Abbas de Monasterio Sancti Carilelphi. Ingelnonus Sagiensis Episcopus subscripsi. Fova Cavilonensis Episcopus subscripsi.*

In prima parte, quæ pertinet ad hunc annum, & his clauditur verbis, LIX.
sempiternas cogatur luere pœnas, Aldricus Monasterium Remigianum, quod juxta muros Senonicæ civitatis extructum fuit, in alium locum, quem Vallilias, Varellias, & Valliculas, promiscuè vocant, *octavo scilicet*, ut Carolus Calvus in suo Diplomate loquitur, *ab eadem urbe milliario*, transmutare statuit, ejusdem Monasterii possessiones enumerat, editque sanctionem de Abbatis electione. Ad primam hanc Privilegii partem subjectæ pertinent cùm Episcoporum tum Abbatum subscriptiones, quas conferemus cum duabus antiquioribus editionibus, nempe Jacobi Tavelli in Aldrico Senonensi Metropolita, & Petri Roverii in Deidono Abbate Reomaensi, nævósque nonnullos expungemus, qui perperam irrepserunt.

E provincia Senonensi seu Lugdunensi quarta subscribunt præter Aldri- LX.
cum Senonensem Archiepiscopum quinque comprovinciales Episcopi; Jonas Aurelianensis; Acamradus, Tavello Arcamradus, Roverio Erchamadus Parisiensis; Helias, Roverio Elias, Trecensis seu Tricassinensis vel Trecassinus; Gerfredus Nivernensis; & Bernoinus Carnotensis. Subscribunt & Abbates duo, Boso Abbas Floriacensis seu Sancti Benedicti ad Ligerim in Aurelianensi Diœcesi, & Christianus Abbas Monasterii Sancti Germani in suburbio civitatis Autissiodorensis.

Aldricus ordinatus est Senonensis Archiepiscopus octavo Idus Junias, LXI.
anno Redemptoris octingentesimo vicesimo-nono, non semel de illo recurret sermo.

Jonas anno Redemptoris octingentesimo vicesimo-primo factus est Au- LXII.
relianensis Episcopus, vixitque Ludovico Pio superstes.

Post Inchadum, qui cæcitate præ senio laborabat anno Redemptoris LXIII.
octingentesimo vicesimo-nono, Parisienses Infulas accepit Erkanradus, hujus nominis secundus seu Junior, incertum quo anno, certum autem quod illas diu gessit Ludovico Pio superstes factus. Reliquias Sanctæ Balthildis decimo-sexto Kalendas Apriles hoc ipso anno transtulit, ut dictum suprà.

Helias Episcopus Trecensis, cujus mentionem ad annum Redemptoris LXIV.
octingentesimum vicesimum-nonum jam fecimus, in vivis superstes fuit

AN. CH. 833. ad annum usque Redemptoris octingentesimum tricesimum-sextum, ut ex Astronomo attentè lecto constat in vita Ludovici Pii.

LXV. Gerfredus Nivernensis Episcopus nostram sententiam de proximis Galdonis Nivernensis Episcopi successotibus egregiè suâ confirmat subscriptione. Galdoni Hieronymo Jonam, Jonæ Gerfredum subrogamus. Lege Tomo superiore, quæ præmissa sunt ad annum Redemptoris octingentesimum duodevicesimum [a], quo proximum Galdonis successorem memorant Chenutius, Severtius & Robertus. Illum probavimus decessorem Jonæ, nec alium ab Hieronymo, quia Jonas florebat anno Redemptoris octingentesimo vicesimo-nono, & Gerfredus Privilegio pro Monasterio Sancti Remigii Senonensis anno Redemptoris octingentesimo tricesimo-tertio subscripsit.

[a] Num. 14.

LXVI. Bernoinus seu Berninus Carnotensis Episcopus, de quo sermonem rursum post biennium facturi sumus, ad Episcopatum promotus est anno Redemptoris octingentesimo decimo-septimo.

LXVII. Boso Abbas post Adalgaudum, quem Tomo superiore memoravimus, Monasterium Floriacense seu Sancti Benedicti ad Ligerim in Aurelianensi Diœcesi gubernavit, & anno Redemptoris octingentesimo tricesimo-tertio Senonensi Conventui interfuit cum Jona Episcopo suo. In Floriacensium Abbatum Catalogo ad obitum usque Ludovici Pii hæc penè sola certa est & indubitata epocha. In Annalibus Aurelianensibus apud Sausseyum, apud Robertum & Sammarthanos in Gallia Christiana, manci sunt Indices à Mummolo Abbate cujus temporibus in Gallias ex Italia corpus Sancti Benedicti delatum, ad Medonem usque Abbatem qui Pippino Francorum Regi synchronus vixit. Plures Abbates per illam ætatem recensere nobis non licuit. Hiatum omnem in primo Miscellaneorum libro clausit nuper Stephanus Baluzius publicato Floriacensium Abbatum Catalogo à Monasterii conditu ad Theodulfum usque Abbatem decimum-quartum. In illa Nomenclatura secundus Abbas ponitur Mummolus, nonus Medo, sex intermedii, Leodardus, Ido, Auderannus, Flatbertus, Adalbertus, & Geilo. Quamvis Baluzianus hic Index desinat in Theodulfo Abbate decimo-quarto, non est opus Auctoris vel coætanei vel supparis, sed longè recentioris, qui temperare non potuit à fabulis seriùs excogitatis. Una est de Sancti Benedicti Translatione, cujus tempus sub Mummolo seu Mumolo Abbate sic exprimit. *Corpus Patris Benedicti allatum est de monte Cassino ab Aigulfo Monacho anno* DCLX *Incarnationis Domini, Regis Clodovei temporibus filii Dagoberti.* Altera est de Theodulfi Versibus, quos ab eo, cùm *apud Imperatorem Ludovicum ab æmulis accusatus conjurationis adversùs eum factæ conscius, Andegavis exiliatus, custodia etiam mancipatus* esset, *in die Palmarum, præsente ipso Rege,* cantatos affirmat *è turri in qua custodiebatur.* Priorem fabulam refutavimus Tomo tertio, probavimúsque Clodoveum Regem, Dagoberti filium, id est, Clodoveum Secundum ad annum Incarnationis Dominicæ sexcentesimum sexagesimum haud pervenisse, illóque anno Floriacensem Abbatem nondum extitisse Mummolum, à quo tamen jam Abbate susceptus est Aigulfus in Monachorum numero, posteàque directus in Italiam Sancti Benedicti Corpus in Gallias inde transtulit. Posteriorem quoque fabulam refutavimus Tomo septimo, probavimúsque de Theodulfo Aurelianensi tunc Episcopo, quòd cùm exularet Andegavi, nec Carmen cecinerit in aures Ludovici Augusti, nec tali cantilenâ libertatem in die Palmarum recuperarit. Nam Ludovicus anno Redemptoris octingentesimo duodevicesimo Theodulfum in exilium misit post Pascha, proximis annis in die Palmarum à civitate procul abfuit Andegavensi, nec anno Redemptoris octingentesimo vicesimo-primo ante mensem Octobrem, quo Conventum Francorum apud Theodonis villam habuit, ipsum Theodulfum aliósque, qui ejusdem conjuta-

tionis insimulati fuerant, ab exilio revocavit. Saussеyus [a] Abbatis Mummoli Præfecturam Regno Clotarii Tertii, qui post patrem Clodoveum Secundum regnavit, sic illigat. *S. Mummolus Abbas tempore Clotarii* III. Et ad oram ponit *an. 651*, sed malè, quia superstes illo vivebat anno Clodoveus Secundus. Robertus omisso Rege, qui Regno tunc potiebatur, eundem ac Saussеyus annum Incarnationis Dominicæ sic retinet. *S. Mummolus 651.* Nos unius numeri factâ mutatione, 5 videlicet in 6, reponendum censemus annum 661, quo Rigomarus primus Abbas Floriacensis ac Mummoli decessor obiit *expleto quinquennio*, ut Aimoinus à Duchesnio editus sub finem operis sui testatur. Lege Tomo tertio quæ dicta sunt ad annos Christi sexcentesimum quinquagesimum-quartum & sexcentesimum quinquagesimum-sextum. Apud Gabrielem *de Lurbe* in Chronico Burdigalensi, & apud Sammarthanos, quos Tomo quarto secuti sumus, Mummolus Floriacensis Abbas moritur anno Christi secundo supra septingentesimum, sed in Codice quem Baluzius publicavit, Abbatiale munus gerit annis duntaxat triginta, id est, secundùm nostram Chronologiam ab anno Christi sexcentesimo sexagesimo-primo ad sexcentesimum nonagesimum-primum, *& intra istos* XXX *annos Corpus Patris Benedicti allatum est de monte Cassino ab Aigulfo Monacho*, non quidem *anno* DCLX *Incarnationis Domini, Regis Clodovei temporibus filii Dagoberti*, ut habet iste Codex, sed ut Tomo tertio fusè probavimus, anno DCLXXIII Incarnationis Domini, regnante Childerico nepote Dagoberti. In prædicto Codice *primus Abbas Rigomarus habuit annos* V. *Secundus Abbas Mumolus annos* XXX. Et ab obitu Mumoli seu Mummoli ad Medonem Abbatem anni tres & sexaginta sic numerantur. *Tertius Abbas Leodardus habuit annos* X. *Quartus Abbas Ido habuit annum* I *& dimidium. Quintus Abbas Auderannus habuit dimidium annum. Sextus Flatbertus habuit annos* III. *Septimus Abbas Adalbertus habuit annos* XXIX. *Octavus Abbas Geilo annos* XIX. Mortui sunt igitur Leodardus anno Christi septingentesimo primo, Ido anno Christi septingentesimo tertio, Auderannus eodem anno, Flatbertus anno Christi septingentesimo sexto, Adalbertus anno Christi septingentesimo tricesimo-quinto, Geilo anno Christi septingentesimo quinquagesimo-quarto, quo nonus Abbas factus est Medo. Saussеyus de Medone sic scribit. *650 Medo tempore Pipini.* Robertus nudum servat annum 650 absque Pippini mentione. Eundem quoque retinent annum Sammarthani, seque prævalidè fultos arbitrantur *libro Miraculor. D. Benedicti.* Innuunt librum Adrevaldi de Miraculis Sancti Benedicti, capite enim decimo-sexto hæc leguntur. *Medo tunc temporis Abbas huic sancto* Floriacensi *præerat gregi.* Sed totam narrationem, quam Adrevaldus capitibus, decimo-quinto, decimo-sexto, & decimo septimo, texuit, Tomo quinto ad annum Christi septingentesimum quinquagesimum-quintum [b] fabulis accensuimus. Nihil igitur obest, quominùs ex præcitato Baluziani Codicis Indice, Geilonis Floriacensis Abbatis obitum & Medonis subrogationem anno Christi septingentesimo quinquagesimo-quarto consignemus Pippino tum Rege. In eodem Catalogo post Medonem hi sequuntur Abbates, Rodulfus, Ido, Magulfus, Fulradus, tum Theodulfus, & ab anno quo Medo munus Abbatiale suscepit, ad initia usque Theodulfi Abbatis, anni sex & sexaginta cum dimidio sic numerantur. *Nonus Abbas Medo habuit annos* XXI. *Decimus Abbas Rodulfus habuit annos* XIX. *Undecimus Abbas Ido annos* IX. *Duodecimus Abbas Magulfus annos* XVI. *Tertius-decimus Abbas Fulradus annum* I *& dimidium. Quartus-decimus Abbas Theodulfus* &c. Huic posteriori parti plurimùm refragatur Saussеyus, apud quem hæc leguntur. *750 Medo tempore Pipini. Deothimus pòst Episcopus Aurelianen. Radulfus tempore Caroli Magni. 810 Theodulphus pòst Episcopus Aurel.* Eadem prorsus apud Robertum inveniuntur. Addunt Sammarthani Deothimum obiisse *circa an. 800*, omittuntque

[a] Lib. 4. c. 12. n. 125.

[b] Nn. 106. & seqq.

AN. CH. 833. LUDOV. IMP. 20. LOTHAR. IMP. 17. PIPPINI R. 19. LUDOV. R. 17. CAROLI R. 4.

Characterem Chronologicum sive annum 810 quo Saussеyus & Robertus Præfecturam Theodulphi consignant. Catalogi adeò diversi quomodo conciliabuntur? Inter Medonem & Theodulfum Auctor editus à Baluzio quatuor intermedios agnoscit Abbates, alii duos duntaxat Deothimum & Radulfum quorum prior ignotus est Nomenclatori Baluziano. Theodulfus anno Christi septingentesimo octogesimo-primo in Galliam cis-Alpinam ex trans-Alpina primùm venit, & intra proximum quinquennium non Abbas tantùm Floriacensis sed & Aurelianensis factus est Episcopus, utrumque enim munus gerebat anno Christi septingentesimo octogesimo-sexto, Caroli Regis duodevicesimo. Hæc Tomo sexto [a] probata sunt. Ab anno igitur Christi septingentesimo quinquagesimo-quarto, quo Medonem ad Abbatialem Dignitatem assumptum diximus, haud effluxerunt anni sex ac sexaginta, donec Theodulfus ad eundem titulum promoveretur. Illa temporis intercapedo fuit annorum circiter triginta. In quot quorúmve Abbatum Præfecturas dividi debeat, & quot anni singulis attribuendi sint, manet inquirendum. Ex Saussеyo & ejus asseclis expungendum censemus Deothimum, quia non invenitur in Codice Baluziano, & ex hoc Codice delendum arbitramur Idonem, ut Theodulfus non *quartus-decimus* sed tertius-decimus Abbas Floriacensis habeatur. In Abbatum Floriacensium Catalogo decimum-tertium Theodulpho locum tribuimus, quia post eundem Theodulphum Floriacensi Monasterio successivè præfuerunt Adacalcus, Adalgaudus, Boso, tum Rodulphus, qui *numeratur decimus-septimus Abbas* apud Saussеyum & Robertum. Cur autem ex Baluziano Codice Idonem potiùs quàm alium quemlibet ex Theodulphi decessoribus abradamus, hæc peculiaris accedit ratio, quòd idem videatur cum altero Idone, qui Medonem antecessit annis quinquaginta & uno cum dimidio. Quot annis Medo singulíque successores Monasterium ad Theodulphum usque gubernarint, probè sciri non potest. Depravati sunt enim in prædicto Codice Characteres Chronologici, quos suspicamur ita corrigendos, ut Medoni non *annos* XXI sed annos XI, Rodulfo seu Radulfo non *annos* XIX sed annos XII, Magulfo non *annos* XVI sed annos VI tribuas. Hac emendatione factâ, Medo, qui Pippino jam Rege constitutus est Abbas, obit eodem Pippino in vivis adhuc superstite, successores Radulfus seu Rodulfus, Magulfus, & Fulradus, moriuntur regnante Carolo. Quod ad Theodulfum attinet, hic, ut idem Codex apud Baluzium testatur, *à Gloriosissimo Imperatore Karolo ex Hesperia sive Italia propter eruditionis scientiam, quâ pollebat, in Gallias adductus, Floriacensibus Abbas datus est*, & Monasterio præfuit *annos* XIX *& dimidium*. In Galliam cis-Alpinam, ut observatum suprà, pervenit anno Christi septingentesimo octogesimo-primo, Floriacensi Cœnobio præpositus est Abbas anno Christi circiter septingentesimo octogesimo-quarto, & paulò pòst datus est etiam Episcopus Aurelianensi Diœcesi, quam texit ad annum usque Redemptoris octingentesimum vicesimum-primum, administrationem autem Floriacensis Monasterii dimisit anno Christi circiter octingentesimo quarto. Adacalci, qui proximè successit, nudum in Historiis nomen occurrit. Adalgaudus, ut ex antiquo Diplomate liquet, florebat anno Imperii Ludoviciani quinto, Indictione undecimâ, sive anno Redemptoris octingentesimo duodevicesimo. Synodum Senonensem cum multis Episcopis & nonnullis Abbatibus hoc anno post Christum natum octingentesimo tricesimo-tertio celebravit Boso. De Rodulpho loquemur infrà suis locis. Interim Abbatum Floriacensium accuratum Indicem à Monasterii conditu ad eundem usque Rodulphum breviter accipe.

[a] An. 781. n. 116. a. 786 n. 64.

I. Abbas Rigomarus habuit annos V. Obiit anno Christi sexcentesimo sexagesimo-primo.

AN. CH. 833. LUDOV. IMP. 20. LOTHAR. IMP. 17. PIPPINI R. 19. LUDOV. R. 17. CAROLI R. 4.

II. Abbas Mumolus seu Mummolus *annos* XXX. Obiit anno Christi sexcentesimo nonagesimo-primo.

III. Abbas Leodardus habuit annos X. Obiit anno Christi septingentesimo primo.

IV. Abbas Ido habuit annum I *& dimidium.* Obiit anno Christi septingentesimo tertio.

V. Abbas Auderannus habuit dimidium annum. Obiit eodem anno Christi septingentesimo tertio.

VI. Flatbertus habuit annos III. Obiit anno Christi septingentesimo sexto.

VII. Abbas Adalbertus habuit annos XXIX. Obiit anno Christi septingentesimo tricesimo-quinto.

VIII. Abbas Geilo annos XIX. Obiit anno Christi septingentesimo quinquagesimo-quarto.

IX. Abbas Medo habuit annos XV *. Obiit anno Christi septingentesimo sexagesimo-quinto. * Edit. XXI.

X. Abbas Rodulfus seu Radulfus *habuit annos* XII *. Obiit anno Christi septingentesimo septuagesimo-septimo. * Edit. XII.

XI. Abbas Magulfus habuit annos VI *. Obiit anno Christi septingentesimo octogesimo-tertio. * Edit. XVI.

XII. Abbas Fulradus annum I *& dimidium.* Obiit anno Christi septingentesimo octogesimo-quarto.

XIII. Abbas Theodulfus annos XIX *& dimidium.* Administrationem Monasterii dimisit anno Redemptoris octingentesimo quarto.

XIV. Abbas Adacalcus.

XV. Abbas Adalgaudus florebat anno Redemptoris octingentesimo duodevicesimo.

XVI. Abbas Boso, cujus occasione hanc de Floriacensium Abbatum successione & Chronologia disputationem inivimus, Concilio Senonensi subscripsit hoc ipso anno Redemptoris octingentesimo tricesimo tertio.

XVII. Abbas Rodulphus, de quo sermonem faciemus infrà.

LXVIII. Christianus Abbas, qui sedet in Concilio Senonensi, suâ subscriptione suadet inter Abbates, qui Monasterium Sancti Germani rexerunt in suburbio civitatis Autissiodotensis, locum sibi proximè deberi post Deusdedit, cui Privilegium Heribaldus Autissiodotensis Episcopus anno Redemptoris octingentesimo tricesimo concessit. Eâdem quoque subscriptione illos refelle, qui Christianum volunt electum Abbatem anno Redemptoris octingentesimo tricesimo-quinto, ut per antecessum ad annum Redemptoris octingentesimum undetricesimum [a] jam monuimus, cùm seriem illorum Abbatum in vulgato Catalogo non parum interturbatam emendaremus. [a] Num. 110.

LXIX. E provincia Turonensi seu Lugdunensi tertia Privilegio Remigiano præter Landramnum Turonensem Archiepiscopum tres subscribunt Episcopi comprovinciales; Aldricus Cenomannensis; Radulfus Lexobiensis, corruptè Lexoviensis; & Atto Namnetensis cum Ragnemundo seu Ragnemodo Abbate Sancti Carilephi in Diœcesi Cenomannensi. De singulis jam locuti sumus, si Radulphum excipias. Hic se Lexoviensem Episcopum in vulgatis subscriptionibus dicit, at Lexobiensis Episcopus appellari debet. Hanc emendationem in margine jam insinuavit Labbeus. In Lexoviensi Cathedra tunc sedebat Freculfus, de quo sæpè mentionem fecimus faciemúsque. A Govarrano usque ad Radulfum perierunt Episcoporum Lexobiensium nomina. Quando Ragnemundus Abbatiale munus inierit, quotve annis illud administrarit, nemo determinatè prodit. Decessorem habuit Albanum, successorem nactus est Ainaldum. Albanus Translatio-

AN. CH. 833. LUDOV. IMP. 20. LOTHAR. IMP. 17. PIPPINI R. 19. LUDOV. R. 17. CAROLI R. 4.

nem Sancti Carilephi promovit, Francone Cenomannensi tunc Episcopo, hujus nominis secundo, cujus obitus exeunte anno Redemptoris octingentesimo tricesimo-secundo consignatus invenitur. Ragnemundus Senonense Concilium cum aliis Præsulibus anno Redemptoris octingentesimo tricesimo-tertio celebravit, Aldrico Cenomannensem Episcopatum post Franconis Junioris mortem jam adepto. Ainaldus anno Redemptoris octingentesimo quadragesimo-septimo Parisinæ Synodo seu Meldensis Appendici subscripsit. Istorum igitur Abbatum Chronologiam sic institue. Albanus Juniori Franconi Cenomanniensium Episcopo synchronus floret. Ragnemundus & Ainaldus sub Aldrico prædicti Franconis proximo successore laudantur, ille Anno Redemptoris octingentesimo tricesimo-tertio, hic anno Redemptoris octingentesimo quadragesimo-septimo. Pontificatum suscepit Aldricus vergente ad finem anno Redemptoris octingentesimo tricesimo-secundo, ideóque hic memoranda sunt quæcumque in ejus Gestis ad primum annum capite secundo sic recitantur. *Prædictus Pontifex in primo sui Pontificatûs anno aquam per aquaductum in prædictam civitatem Cenomanicam, quam nullus hominum ibi anteà venire viderat, suo opere & bono ingenio adducere meruit, omnibúsque qui anteà valdè aquâ indigebant, nec eam nisi per magnum laborem eatenus habere poterant, sufficientem auxiliante Domino habere fecit. Unum siquidem vel duo modia aquæ infra civitatem antea emere nemo valebat, nisi unum denarium afferentibus eam de Sartha vel de aliquo fonte dedisset, quoniam nec puteum inibi aliquem habebant. Ideo tam cara erat. In ipso quoque anno claustrum ubi sui Canonici conversari regulariter & canonicè possent ædificare cœpit, qui antea nunquam, ut fertur, claustrum habere meruerunt, sed per civitatem huc & illuc vagantes & dormientes & discurrentes tam in nocte quam in die per diversa domicilia manere solebant, & propter hoc impedimentum ad officium divinum occurrere, ut decebat, minimè valebant; eísque suam domum, in qua manerent, & solarios sive cellaria & alia ædificia, quæ ad suum opus habebat, tradidit. Et non in hoc sufficiens erat sed etiam alias domos per circuitum nobiliter, sicut ad hoc opus decebat, construere certavit. Præfatus ergo Pontifex fuit vir mitissimus & sapiens valdè, linguâ eruditus, psalmos omnes per ordinem memoriter retinens & in eorum sensibus subtilissimâ exercitatione limatus, linguâ quoque in lectione positâ, & exhortator omnium bonorum operum plebíque florentissima salutaria prædicans fidei catholicæ & apostolicæ, immaculatè conservante perenniter sua monita salutaria prædicans, corda fidelium corroborans, orthodoxæ fidei æmulator ac defensor fortissimus, paupertatis amator, erga inopes non solùm mitis, sed etiam sollicitus; captivorum etiam redemptor, orphanorum quoque & viduarum largitor, necessaria tribuens, amator religiositatis Christianæ norma, & religiosè volentibus vivere & Dei timorem habere in suis præcordiis dilectio residens. Vir verò erat mitissimus atque suavis omníque bonitate ornatus, amator cleri omnísque populi Christiani, tardus ad irascendum & velox ad miserandum, nulli pro malo malum reddens, neque vindictam secundùm meritum tribuens. Sed pius & misericors erat omnibus cunctos attrahens, neminémque dissipans. Magnum gregem adunare in unum & ingens lucrum adminiculante Domino infra sinum sanctæ Dei Ecclesiæ tam infrà suam parrochiam quàm & extra facere meruit & multos Domino lucrari meruit. Fecit igitur prædictus Aldricus Pontifex in præscripto claustro tecta nova & dupla, in quibus & diversas mansiones ad opus fratrum & ad eorum necessitates procurandas mirabiliter & nobiliter construxit. Insuper & in jam dicto claustro fecit Ecclesiam in honore Sancti Stephani à novo, quam & in honore præfixi Sancti Stephani & omnium Sanctorum quinto Iduum Novembris*, die Dominico, currente literâ Dominicali E, *solemniter consecravit; in qua & in ipso die consecrationis ejus signum apparuit mirabile. Quidam enim sacerdos inibi suos wantos perdidit dum prædictum sacraretur templum; quos quidam Clericus inveniens, furtim de ipsa Ecclesia nova exportare cupiens, de prædicta sancti Stephani & omnium Sanctorum Ecclesia exire non potuit, nec*

ipsos vivantos secum deferre valuit, antequam eos in ipsa Ecclesia videntibus multis ejecit, & fuga lapsus evasit. Fecit namque in prædicta Ecclesia altaria sex; quorum unum sursum positum in media absida collocatum in honore Sanctæ Sophiæ sacravit, & reliquias Domini nostri Jesu Christi, tam de spongia quàm & de sandaliis ejus propriis, in confessione in eo facta collocavit. Fecit quoque atque sacravit jam dictus Pontifex in superiori & in dextera parte ipsius Ecclesiæ aliud altare in honore Sancti Stephani, & Sancti Vincentii, ac Sancti Gervasii, sanctique Privati, sive Sancti Quirini, atque Sancti Naboris, nec non & Sancti Nazarii martyrum Christi, & in eo decenter eorum reliquias collocavit. Fecit namque in superiori & in sinistra parte ipsius Ecclesiæ tertium altare atque sacravit in honore Sanctæ Dei genitricis Mariæ, sive Sancti Clementis Romanæ Ecclesiæ Episcopi & martyris, & Sancti Albini, Sancti Amantii, ac Sancti Arnulphi, seu Sancti Martini, atque Sancti Clementis primi Metensis urbis Episcopi, atque Sancti Audoeni, necnon & Sancti Martialis, ac Sancti Benedicti, & Sancti Paterni, & Sancti Silvestri confessorum Domini & in eo propriis manibus decenter prædictorum Sanctorum reliquias in confessione ipsius altaris collocavit. In subteriori ergo parte & in absida ipsius Ecclesiæ fecit & consecravit quartum altare in honore Sancti Stephani & omnium Sanctorum, & in eo Sancti Stephani atque aliorum multorum sanctorum reliquias propriis manibus decenter collocavit atque conclusit. In dextera igitur & subteriori parte ipsius Ecclesiæ quintum fecit altare quod & consecravit in honore Sancti Pauli & Sancti Jacobi Apostoli & Sancti Matthæi Apostoli & Evangelistæ, & in confessione ipsius altaris prædictorum Sanctorum Apostolorum reliquias propriis manibus decenter composuit atque conclusit. In sinistra & in subteriori parte ipsius Ecclesiæ sextum fecit altare quod & consecravit in honore Sancti Theodori, & Sancti Juliani atque Sancti Lamberti Martyrum Christi, & in confessione ipsius altaris eorum pignora propriis collocavit manibus.

AN. CH. 833. LUDOV. IMP. 20. LOTHAR. IMP. 17. PIPPINI R. 19. LUDOV. R. 17. CAROLI R. 4.

LXX. E Narbonensi provincia subscribunt Concilio Senonensi Bartholomæus Narbonensis Archiepiscopus de quo jam suprà, & Stephanus Episcopus Biterrensis, corruptè Tavello ac Roverio *Bituricensis*, & Dacherio *Bituricensium indignus Episcopus*. Ad illam subscriptionem sic ratiocinatur Philippus Labbeus [a]. *Certè qui hic extra ordinem numeratur, atque indignus duntaxat Episcopus dicitur, Stephanus Bituricensium Metropolita Aiulfo Theodulfi Aurelianensis amico & Ebonis Remensis Confessori, anno demum 836, certè post 835 successit; neque, quod plurimos hactenus fefellit, ante illum annum Bituricenses Infulas gestavit.* At aliis longè temporibus hic sedit, Infulásque Carolo Magno Imperatore gessit ab anno Redemptoris octingentesimo secundo ad octingentesimum decimum, & Aiulfus sive Aigulfus easdem Bituricenses Infulas post Ebroïnum anno Redemptoris octingentesimo decimo-quinto suscepit, nec inter ejus successores annumerari Stephanum ætate Ludovici Pii patiuntur anni proximorum Pontificatuum, de quibus accuratè suis locis inquiremus. Existimamus Stephanum, qui Privilegio subscribit, séque Episcopum dicit, Episcopum duntaxat esse, non Archiepiscopum; cúmque inter titulos Biterrensem ac Bituricensem, quamvis ille Episcopum, hic Archiepiscopum spectet, magna sit vocabulorum affinitas, suspicamur Stephanum Biterrensem Episcopum in Bituricensem Episcopum perperam abiisse. Huic conjecturæ non refragantur Indices Episcoporum Biterrensium, quia temporibus Caroli Magni & Ludovici Pii Augustorum mutili sunt, nam Petrus, quem nonnulli proximum Vulfegarii successorem intrudunt, ex commentitia tantùm Charta de consecratione Altaris Anianensis eruitur, ut Tomo superiore ad annum Redemptoris octingentesimum quintum [b] adnotavimus. In vulgatis editioninibus Privilegii, de quo nunc agimus, non sola Stephani Episcopi subscriptio reperitur corrupta, sunt enim & aliæ similiter depravatæ, purà Radulfi Episcopi, qui non Lexoviensis sed Lexobiensis est Episcopus, &

[a] Tom. 7. Concil.

[b] Num. 21.

AN. CH. 833. LUDOV. IMP. 20. LOTHAR. IMP. 17. PIPPINI R. 19. LUDOV. R. 17. CAROLI R. 4.

Deidoni Abbatis, qui non ex Remensi sed ex Reomaensi Cœnobio Abbas existit.

E provincia Rotomagensi seu Lugdunensi secunda, præter Raynardum, Tavello & Roverio Ragnoardum, Rotomagensem Archiepiscopum, duo subscribunt Episcopi Suffraganei; Careviltus, Roverio mendosè Carejultus, Bajocensis Episcopus; & Ingelnonus, Tavello ac Roverio Ingelnomus, Episcopus Sagiensis; hisce tantùm subscriptionibus noti. Lege quæ dicta sunt ad annum Redemptoris octingentesimum vicesimum-nonum [a]. Careviltus locum obtinere debet in Bajocensium Episcoporum Catalogo post Thiorum, cujus mentionem Tomo priore sub Carolo Augusto fecimus. De successore Baltfrido seu Waltfrido multa dicentur inferiùs. Post Sanctum Godegrandum, cujus obitum anno Christi septingentesimo septuagesimo consignavimus, in Sagiensi Cathedra sederunt Ragimfridus, Reginaldus, Ingelnonus.

LXXI.

[a] Num. III.

LXXII. E provincia Remensi seu Belgica secunda tres subscribunt Episcopi jam laudati; Rotualdus seu Rothadus vel Rotardus Episcopus Suessionensis, hujus nominis secundus; Adalhelinus, Roverio Adalelmus, Episcopus Catalaunensis; Ragnerius Ambianensis Episcopus. Ex Ragnerii subscriptione colligimus potiori saniorique Episcoporum parti plurimùm in Conventu Senonensi displicuisse, quicquid hoc anno contra Ludovicum Augustum & ipsum Ragnerium Episcopum ab Ebbone Metropolita Remensi gestum fuit.

LXXIII. E provincia Viennensi prima subscribit *Altadus*, Tavello & Roverio Altaldus *Genevensis Episcopus*, aliis Artaldus, qui Præsulatum Genavensem anno Redemptoris octingentesimo decimo-sexto suscepit.

LXXIV. E provincia Treverensi seu Belgica prima subscribit *Alduinus* sive Hildinus *Virdunensium Episcopus*. Hic Episcopatum iniit anno Redemptoris octingentesimo vicesimo-secundo, vixitque Ludovico Pio Imperatori superstes.

LXXV. E provincia Vesontionensi seu Lugdunensi quinta subscribunt *Delricus Basiliensis Episcopus* & *Adrevaldus Abbas ex Monasterio Noviacensi*. Porrò qui subscribit *Delricus Basiliensis Episcopus*, is est Episcopus Basileensis, qui nominari solet Udalricus, successitque Theodorico, cujus initia consignantur anno Redemptoris octingentesimo vicesimo-tertio. De Noviacensi Monasterio Diœcesis Aventicensis seu Lausannensis consule quæ Tomis primo ac secundo dicta sunt ad annos sexti seculi duodequinquagesimum [b] & sexagesimum-secundum [c].

[b] Num. 96.
[c] Num. 24.

LXXVI. E provincia Moguntiacensi seu Germanica prima subscribit *Fulconinus Warmatiensis* seu Wormaciensis *Episcopus*. Hic apud Bruschium & Bucelinum in Nomenclatura Wormaciensium Episcoporum desideratur. Fulco nominatur à Tavello & Roverio, Fulcro à Roberto & Sammarthanis. Quomodo Wormaciensium Episcoporum Chronologia post annum Christi septingentesimum nonagesimum-octavum sit instituenda, rectè nos edocet suâ subscriptione. Bernharius ad Episcopatum Wormatiensem promotus est anno Christi septingentesimo nonagesimo-octavo, Romam ob motam quæstionem de processione Spiritûs Sancti missus est anno Redemptoris octingentesimo nono, Concilium Moguntiacense cum aliis Præsulibus celebravit anno Redemptoris octingentesimo decimo-tertio. Si tres ac viginti sedit annos, ut Bruschius & Bucelinus insinuant, obiit anno Redemptoris octingentesimo vicesimo-primo. Tum successit Fulconinus seu Fulcro, qui vitam ad annum usque Redemptoris octingentesimum duodequadragesimum protogavit. Eo sedente Samuel, qui posteà in Episcopatum successit, Laurissam illustre Monasterium in Diœcesi Wormaciensi construxit, & primus Abbas illius loci fuit. Lege Bruschium in Samuele & Bucelinum in Laurissa.

Ex

AN. CH. 833.
LUDOV. IMP. 20.
LOTHAR. IMP. 17.
PIPPINI R. 19.
LUDOV. R. 17.
CAROLI R. 4.

Ex Arelatensi provincia subscribit *Tengrinus*, Tavello & Roverio Tengrinus, *Albensis* seu Vivariensis *Episcopus* Thomæ proximus in Episcopatu successor. De utroque sic Joannes Columbus libro secundo [a] de rebus gestis Episcoporum Vivariensium. *Quo anno seu cœperit, seu defecerit sedere Thomas, non lego. Post eum Tengrinus anno* DCCCXXXVI *Albensis Episcopus subscripsit Privilegio S. Remigii Senonensis in Synodo apud Vormatiam.* Sammarthani rectè reposuerunt annum Redemptoris octingentesimum tricesimum-tertium, sed malè retinuerunt *Vormatiam*, cujus loco Senonas restituere debuerunt, ut suprà probavimus adversùs Labbeum. Sedebat Thomas XVII *Cal. Julii, anno* II *Imperii Domini Ludovici Augusti, Indict.* VIII, id est, anno Redemptoris octingentesimo decimo-quinto, ut patet ex ipso Ludovici Augusti Præcepto, quod Tomo superiore ad illum annum [b] recitavimus. Cur autem Vivarienses Episcopi post Auxonium Vivarienses & Albenses Episcopi promiscuè dicti sint, exposuimus Tomo primo ad annum Christi quingentesimum tricesimum-quartum [c], quo primùm Alba * & Vivarium in potestatem Francorum devenerunt. LXXVII.

[a] Num. 32.
[b] Ad an. 815.
[c] Num. 10.
* *Alb.*

Ex provincia Lugdunensi prima subscribunt *Fova Cavilonensis Episcopus*, & *Deidonus Abbas* non quidem *ex Remensi Cœnobio* ut vulgatæ produnt editiones, sed ex Reomensi seu Reomaensi, ut Petrus Roverius & Philippus Labbeus jam observarunt. Fova seu Faova Cabilonensis Episcopus à nobis celebratus est ad annum Redemptoris octingentesimum tricesimum, quia tunc Alberici Lingonensis Episcopi Privilegio pro Monasterio Besuensi subscripsit. Hujus Faovæ nomen desideratur inter Remigiani Privilegii subscriptiones, quas Tavellus & Roverius priùs recensuerunt, quàm Lucas Dacherius ipsum Privilegium Tomo secundo sui Spicilegii publicasset, fortè quia idem haberi debet ac *Facona Episcopus*, qui nominatur absque Sedis nomine cùm à Tavello & Roverio, tum à Dacherio & Labbeo. Quod ad Deidonum Abbatem attinet, hic perperam in editionibus, Tavelliana, Dacheriana & Labbeana vocatur Abbas *ex Remensi Cœnobio;* meliùs apud Roverium legitur *Reomensis Cœnobii Abba*, & in margine editionis Labbeanæ *ex Reomaensi Cœnobio Abbas*. Est autem Reomaus in Diœcesi Lingonensi, & ab illo loco nuncupationem accepit Monasterium Reomense seu Reomaense, quod & à Conditore ac Patrono Cœnobium Sancti Joannis appellatur. Anno Redemptoris octingentesimo vicesimo-septimo. Vigilius Abbas Reomaensis ac Flaviniacensis simul factus est, post aliquot annos sponte Reomaensem Præfecturam abdicavit, quam suscepit Deidonus suâ subscriptione pro Monasterio Remigiano ad hunc annum Redemptoris octingentesimum tricesimum-tertium notus. Vigilio igitur Abbatiam Reomaensem dimittente, suus utrique Cœnobio deinceps Abbas fuit, Reomaensi Deidonus, Flaviniacensi Vigilius, qui vitam ad annum usque Ludovici Augusti vicesimum-quintum prorogavit, ut Hugo Flaviniacensis Abbas in suo Chronico testatur. LXXVIII.

Hitto Frisingensis Episcopus hoc anno Romam pervenit, honorabiliter à Gregorio Quarto Papa ex Alsatia reverso susceptus est, obtinuitque corpora Sanctorum Alexandri & Justini cum multis aliis Reliquiis, quibus Diœcesim suam decoravit. Lege Additiones ad Hundium in Episcopis Frisingensibus [d]. LXXIX. HITTO EP. FRISINGENSIS RELIQUIAS ROMA DEFERT.

[d] Sub lit. L.

Mengardus sive Meingerus Osnaburgensis Episcopus *dies suos post laudabilem finem in pace Christi, Præsulatûs sui anno* 29, id est, hoc anno, *complevit* teste Cratepolio. Successit Goswinus, qui Lotharianæ parti favit, ut fusiùs exponetur infrà. LXXX. EPISCOPI OSNABURGENSES.

Obierunt etiam hoc anno Rainerius Abbas Sanctæ Crucis in suburbano Meldensi & Ansegisus Abbas Fontanellensis in Diœcesi Rotomagensi. Uterque suo Monasterio præfuit annos decem. De Rainerio testis est manuscriptus Abbatum Codex quem citare consuevimus. De Ansegiso LXXXI. OBITUS RAINERII ABB. S. CRUCIS MELDIS;

AN. CH. 833. LUDOV. IMP. 20. LOTHAR. IMP. 17. PIPPINI R. 19. LUDOV. R. 17. CAROLI R. 4.

ET ANSEGISI ABB. FONTANELLENSIS.

testis est Chronographus Fontanellensis ultimo capite sui Chronici, sic. *Rexit hoc Cœnobium idem gloriosus vir per annos decem, menses quinque, dies* XVIII. *Recessit Dominicâ illucescente, die* XIII *Kal. Augusti.* Hi Characteres dies Dominica & dies XIII Kal. Augusti designant annum Redemptoris octingentesimum tricesimum-tertium, qui præditus fuit literâ Dominicali E. Nec dissidet hic computus ab alio textu sub initium ejusdem capitis, in quo Ansegisus asseritur regimen accepisse Monasterii Fontanellensis *anno Dominicæ Incarnationis* DCCCXXIII, *qui erat annus Ludovici Gloriosissimi Augusti decimus, porrò Paschalis Apostolici circiter septimus, sub die quarto Nonarum Aprilium, Indictione I.* Quin & eodem capite Chronologia rursum vel ex eo confirmatur, quòd *anno Imperii Domini Ludovici Augusti tertio* munus Abbatiale dimisit Trasarus Fontanellensis Abbas, *post quem Einhardus Cœnobium per septem fermè tenuit annos. Quod demùm ultrò derelictum, divinâ ut credi fas est jussione ac Gloriosissimi Imperatoris Ludovici largitione, Domnus Ansegisus ad gubernandum suscepit anno jam suprà taxato.* Id est, Abbates esse desierunt, anno Redemptoris octingentesimo decimo-sexto Trasarus, Einhardus sive Eginhardus anno Redemptoris octingentesimo vicesimo-tertio, quo successor huic datus est Ansegisus, qui *rexit Cœnobium per annos decem*, obiitque *Dominicâ illucescente, die* XIII *Kal. Augusti*, anno videlicet Redemptoris octingentesimo tricesimo-tertio, currente tunc literâ Dominicali E. Quamvis autem hæc de numeris annorum verissima sint, nævus tamen est apud Chronographum in minutiis mensium ac dierum, quos Ansegisi Præfecturæ tribuit præter annos completos. Ansegisus enim, si factus est Abbas Fontanellensis *quarto Nonarum Aprilium*, vitámque clausit XIII *Kal. Augusti*, certè præter annos completos Fontanellam haud gubernavit per *menses quinque, dies* XVIII, sed per menses tres, dies X. *Eodem die*, quo *recessit* ex hac vita, *cum fletu maximo tumulatus* est *extra Basilicam Sancti Petri ad Aquilonalem plagam in porticu, in qua fratres conventum celebrare soliti sunt, ac consultis Deo dignis aures accommodare; & cessavit regiminis locus triginta & octo diebus.* Non est ejusdem Auctoris quod in quibusdam Codicibus sequitur Memoratorium, *qualiter Domnus ac Venerabilis Ansegisus Abba disposuit vestimenta & calciamenta atque alimoniam Fratribus in Monasterio Fontanella morantibus, unà cum consensu eorum ordinabiliter, ut absque ullius occasionis querela, omni egestate exclusâ, vota sua Deo reddere, atque sponsionis suæ negotium ad effectum omni tempore perducere possent.* Chronicon Fontanellense Tomo tertio Spicilegii publicatum est à Luca Dacherio, & parte primâ Seculi quarti Benedictini recusum elogium Sancti Ansegisi cum aliquot observationibus Joannis Mabillonii, quæ Luxovienses ac Fontanellenses Monachos in describendis ejus Gestis inter se non parum dissidere testantur. Adso sive Adzo Luxoviensis Abbas, qui decimo seculo seriem decessorum suorum ac breve Monasterii sui Chronicon conscripsit, asserit de Ansegiso, quòd Luxovio præfectus fuit in Pastorem ab Imperatore Ludovico, quódque *Capitula Regum Francorum, quæ diversis fuerant acta Conciliis, excepit, & uno volumine contineri fecit.* Chronographus Fontanellensis, qui longè ante Adsonem vixit, annum Redemptoris octingentesimum decimum-septimum, quo Luxoviensis Abbas constitutus est Ansegisus, hisce Characteribus consignavit. *Ludovicus anno Imperii sui* IV *Luxovium famosum Galliis Cœnobium ad regendum beneficii jure eidem* Ansegiso *contulit. Quo anno Stephanus Papa, tertio mense postquàm Romam remeaverat, reversus de Francis* VIII *Kalendas Febr. vitâ decessit.* At altum apud eundem Chronographum est silentium de Regum Capitularibus ab eodem Ansegiso collectis, mirúmque prorsus videtur, id obmissum ab Auctore synchrono, qui valdè prolixum istius Abbatis elogium contexuit. Suspicamur Ansegisum huic incubuisse operi, cùm degeret in Monasterio Luxoviensi, seu Luxoviensis tantùm, seu Lu-

AN. CH. 833. LUDOV. IMP. 20. LOTHAR. IMP. 17. PIPPINI R. 19. LUDOV. R. 17. CAROLI R. 4.

xoviensis simul & Fontanellensis Abbas esset, ideóque factum, ut in Luxoviensi Chronico decessori suo lucubrationem hanc adscripserit Adso Luxoviensis Abbas, nequaquam verò Fontanellensi Abbati Monachus Fontanellensis in Chronico Fontanellensi. Prætereà hi Scriptores de Monasterio, ubi sepultus Ansegisus, haud conveniunt. Uterque suum Cœnobium hoc illustrat ornamento. Luxovium Adso, sic. *Cùm inter Regni Proceres Francorum Regibus gratus esset, justis & piis operibus intentus vitæ finem fecit, & illic, ubi spatiosiùs Ecclesiam extenderat, dignam accepit sepulturam.* Fontanellam Chronographus Fontanellensis, sic. *Recessit Domnus Ansegisus, Dominicâ illucescente, die* XIII *Kal. Augusti; eodem die cum fletu maximo tumulatus extra Basilicam Sancti Petri ad Aquilonalem plagam, in porticu, in qua Fratres conventum celebrare soliti sunt, ac consultis Deo dignis aures accommodare.* Eundem sepulturæ locum, cùm ædificia Monasterii Fontanellensis ab Ansegiso constructa recenseret, anteà sic designarat. *Jussit aliam condere domum juxta absidam Basilicæ Sancti Petri ad plagam Septentrionalem, quam Conventûs, sive Curia, quæ Grecè Beleuterion* dicitur, appellari placuit, propter quod consilium in ea de qualibet re perquirentes convenire Fratres soliti sint. Ibi námque in pulpito lectio quotidie divina recitatur, ibi quidquid regularis auctoritas agendum suadet deliberatur. In qua etiam monumentum nominis sui collocari jussit, ut dum vitæ præsentis terminum daret, illic à suis deponeretur.* Adsoni præferendus est Auctor Chronici Fontanellensis, quia longè vetustior est Adsone, suámque lucubrationem absolvit statim ab Ansegisi morte, cùm superstes in vivis adhuc esset Ludovicus Imperator, ut constat ex hac periodo. *Defuncto Magno Carolo Imperatore Augusto Divæ memoriæ, Ludovicus ejus filius in Imperium elevatur, à quo idem Domnus Ansegisus magnificè honorari meruit.* Hæ voces enim, *Divæ memoriæ*, quæ referuntur ad Carolum Magnum, innuunt Auctorem, qui de Carolo Magno sic locutus est, ita scripsisse sub proximo ejusdem Caroli successore, id est, sub Ludovico Pio, cujus obitus anno Redemptoris octingentesimo quadragesimo, sive anno post Ansegisi mortem septimo consignatur. In Kalendario Luxoviensi, decimo-sexto Kalendas Augusti ponitur *Obitus Beati Ansegisi Abbatis*, & decimo-tertio Kalendas Junii notatur *Inventio corporis Sancti Ansegisi Abbatis atque Confessoris Christi.* Lege Sammarthanos in Gallia Christiana & Mabillonium in Observationibus jam laudatis. Hic diem obitûs corrigendum monet, expunctóque XVI Kalendas Augusti rectè reponit XIII easdem Kalendas, cùm ex præcitato Chronico Fontanellensi cujus authoritas ceteris est anteponenda, tum ex vetusto Breviario Fontanellensi quod Abbas Claudius de Pictavia typis edendum curavit cum hac inscriptione. *Breviarium Regalis Cænobii S. Wandregisili Fontinellensis, Rothomagensis Diœcesis, impressum in honore Sanctæ & Individuæ Trinitatis totiúsque curiæ cælestis, quod Reverendus in Christo Pater D. Claudius de Pictavia, ejusdem Monasterii Montísque Majoris Abbas, typis mandavit cudendum, & hoc suasione & prece honorandi viri D. Stephani Grille, Religiosi Montis Majoris, ac ejusdem D. Vicarii Generalis ann. 1535.* In hoc quippe Breviario habetur XIII *Kal. Aug. Anchisili Monachi hujus loci commemoratio.* Fortassè vox, *Monachi*, scrupulum cuipiam injiciet, Ansegisus enim Abbas fuit, talémque se dixit in Præfatione, quam Collectioni Capitularium præposuit. At Monachus à Monachis consultò potuit appellari, non ut negaretur Abbas, sed ut Abbas significaretur Ordinis Monastici. *In Ecclesiasticis Officiis nihil de eo agunt Luxovienses*, cum verò *Fontanellenses die 20 Augusti colunt, itémque Novembris die 10.* Hæc Mabillonius. Restat ut inquiramus, quis in Abbatiam Sanctæ Crucis Rainerio, quis in Fontanellensem Sancto Ansegiso successerit. Manuscriptus Codex in quo per ordinem Abbates Sanctæ Crucis recensentur, Arnulphum Rainerio subrogat. Major est difficultas super Abbatum Fontanellensium Catalogo. Chronographus Fontanellensis, cujus autho-

* Βουλευτήριον.

ARNULPHUS FIT ABBAS S. CRUCIS.

AN. CH. 833. LUDOV. IMP. 20. LOTHAR. IMP. 17. PIPPINI R. 19. LUDOV. R. 17. CAROLI R. 4.

ritas litem omnem dirimeret, definit in Ansegiso, cujus obitum *Dominicâ illucescente, die* XIII *Kal. Augusti* consignat, anno videlicet Redemptoris octingentesimo triecesimo-tertio, qui præditus erat literâ Dominicali E. Lucas Dacherius in Præfatione, quam Tomo tertio sui Spicilegii præfixit, multis rationibus probavit fœtum istius Chronographi non esse commemorationem *Genealogiæ Arnulphi Episcopi*, quæ Fontanellensi Chronico præponitur in quibusdam Codicibus, & *anno Verbi Incarnati* DCCCLXXXV, *Indictione* III clauditur. E multis unum dumtaxat argumentum suprà selegimus, quo palàm fit istum scripsisse Chronographum Ludovico Pio superstite. Chronico Fontanellensi subjectæ reperiuntur Appendices duæ. Prior sic incipit. *Fulco Venerabilis Presbyter succedit ab anno Incarnationis Dominicæ* DCCCXXXV, *qui est annus bonæ memoriæ Hludovici Imperatoris vicesimus-primus. Nam anteà Joseph Episcopus in divortio illud tenuerat menses* VII, *dies* XII, *id est à* VI *Kal. Septembris usque ad* IV *Idus Martii*. Error est in anno Incarnationis Dominicæ, & anni DCCCXXXV loco restituendus est annus DCCCXXXIIII, qui per mensem Martium, quo munus Abbatiale Fulconi delatum est, cum anno Ludovici Imperatoris vicesimo-primo rectè convenit, tollitque dissidium, quod alioquin oritur inter Chronographum Fontanellensem & Auctorem Appendicis præcitatæ. Chronographus postquàm mortem ac sepulturam Abbatis Ansegisi narravit, opus suum his absolvit verbis. *Cessavit regiminis locus triginta & octo diebus.* Id est, à *die* XIII *Kal. Augusti*, quo prædictus Chronographus Ansegisum mortuum dixit, usque ad VI *Kal. Septembris*, quo die *Joseph Episcopus* Fontanellam *in divortio* tenere cœpit, ut Auctor Appendicis jam quoque descriptus testatur. Successit igitur Ansegiso Joseph Episcopus, cujus Sedes in eadem ad Fontanellense Chronicon Appendice reticetur, Ebroïcensis verò nuncupatur in Neustria [a] Pia, quam consule, si lubet, hac præmunitus observatione, quòd Chronologiam uno anno prævertit, dum Sancto Ansegiso Josephum Ebroïcensem Episcopum *anno 832* & Josepho Sanctum Fulconem *anno 833* subrogat. Quæ superiùs dicta sunt nullum dubitationi locum relinquunt, quia decimo-tertio Kalendas Augusti Sanctus Ansegisus hoc anno Redemptoris octingentesimo tricesimo-tertio feliciter in cælum ex hac vita migraverit. Datum illi successorem Josephum, qui tunc Episcopus Ebroïcensis esset, inficiari non potes ex Ebroïcensium Episcoporum vulgatis Indicibus, per hæc enim tempora mutili reperiuntur. Joseph autem asseritur in divortio tenuisse Monasterium Fontanellense, quoniam plerique Monachorum, qui priùs ob Monastieen in eo loco post multos labores à Beato Ansegiso restitutam plurimùm lætabantur, ægerrimè ferebant Abbati se subjici, qui non esset Ordinis Monastici, curámque suscepisset Ebroicensis Episcopatûs, intra cujus fines nec esset Fontanella.

JOSEPH EP. EBROÏCENSIS FIT ABB. FONTANELLENSIS.

[a] In Abb. Fontanell.

LXXXII. In Chronico Salernitano, Sico Dux seu Princeps aut Præfectus Beneventanus sub Ludovico Augusto Præfecturam Beneventanam exercet *ann.* XV, in Chronico Beneventano, *ann.* XV. *mens.* II. id est, ab anno Redemptoris, ut interpretamur, octingentesimo duodevicesimo ad octingentesimum tricesimum-tertium. Nec te moveat, quòd Camillus Peregrinius in serie Casinensium Abbatum sub Abbate Apollinare meminerit Chartulæ in Regesto Petri Diaconi datæ *Principatûs Siconis anno primo, mense Novembrio, Indictione undecimâ*, & Indictionem undecimam per mensem Novembrem *anno Christi 817* illigarit. Questus est enim postmodum *Indictiones* in Chartis istius Regesti *fuisse negligentissimè repetitas*, & Tomo superiore cùm res anno Redemptoris octingentesimo decimo-octavo gestas enarraremus, ab illo anno Præfecturam Siconis Ducis auspicati sumus Annalistæ Laureshamensis auctoritate fulti. In Chronico Casinensi [b] *supradictus Sico* dicitur Abbati Deusdedit *Præceptum fecisse de fluvio, qui dici-*

SICO DUX BENEVENTANUS OBIT.

[b] Lib. 1. c. 24. vet. edit. c. 22. nova edit.

AN. CH. 833.

tur Lauri, cum omnibus limitibus, & piscariis suis, & omnibus, quæ juxta ipsum fluvium hinc & inde ad jus sui Palatii pertinebant. Angelus de Nuce ad hunc textum notat istius Præcepti exemplum in prædicto Regesto reperiri, ibique non Siconis Principis Beneventani sed Romualdi Longobardorum Ducis nomen adscribi cum *mensi Octobrio* & *Indictione secunda*, multiplici certè errore; post subactam enim à Carolo Magno Longobardiam, nullus in Italia remansit, qui Dux Gentis Longobardorum appellaretur, & totis sex annis Deusdedit Abbatis, ab anno videlicet Redemptoris octingentesimo duodetricesimo ad octingentesimum tricesimum-quartum, non occurrit Indictio secunda. Legimus in Chronico Beneventano Chartam Siconis Ducis, in qua mentio fit Arrichisæ Abbatissæ, quæ Monasterio Sanctæ Sophiæ præest. In dubium non vocamus, quin hæc Abbatissa Siconi Duci synchrona vixerit. At Chronologici Characteres inter se non conveniunt, annus enim Siconis quartus cum Indictione decima-quarta per mensem Augustum comparatur. Sicone Beneventanam Præfecturam gerente, Indictio decima-quarta per mensem Augustum illigatur anno Redemptoris octingentesimo vicesimo-primo. Reponendus igitur annus Siconis quartus jam inchoatus, aut si quintum retines, necesse est restituas Indictionem decimam-quintam, quæ per mensem Augustum cum anno Redemptoris octingentesimo vicesimo-secundo componitur.

Laudatur ob munificentiam erga Mon. Casinense.

Mortuo Sicone, inquit Erchempertus [a]; *Sicardus Monarchiam* seu Præfecturam Beneventanam *solus obtinuit, qui jam cum patre sæpiùs memorato per aliquot feliciter imperaverat annos, cœpitque populum sibi commissum ex levitate animi belluinâ voracitate insequi ac crudeliter laniare.* Audi & Leonem Ostiensem [b]. *Mortuo Sicone, Sichardus filius ejus factus est Princeps* seu Præfectus Beneventanus, *vir omnibus vitiis carnalibus circumfessus, ac super omnia avarissimus.* LXXXIII.

[a] Num. 12.

Sicardus subrogatur.

[b] Lib. 1. c. 24. vet. edit. c. 22. novæ edit.

Apud Panuinum in Antiquitatibus Veronensibus [c] extat vetus Charta, quæ scripto commendata est anno Redemptoris octingentesimo tricesimo-septimo, ut constat ex hac subscriptione. *Hæc omnia ob auferendam contentionem nos scripsimus, qui in his Actis ab initio hujus narrationis usque ad præsentem annum, id est, Dominicæ Incarnationis* DCCCXXXVII, *Indictione* XV, *interfuimus.* Hæc Charta, quamvis sit de Veronensium murorum reparatione, res multas complectitur, quæ spectant ad Historiam Ecclesiasticam, nec silentio prætermitti debent, quia difficultates nono seculo passim obvias enodant. Tomo sexto [d] jam citata fuit à nobis, cùm de duplici forma Judicii per Crucem examinandi loqueremur. Allegari quoque debet hoc loco propter periodum, quæ distinctè pertinet ad annum, quo Lotharius cum fratribus Pippino & Ludovico cis Alpes exercitum contra patrem movit. *Moderno igitur tempore, eo scilicet anno, quando Imperator Lotharius cum exercitu in Franciam cum fratribus ad patrem perrexit, Nuncios suos, id est, Marium Bergensem Comitem, Herimbertum Episcopum Laudensem, Veronam misit, ut muros qui ad portam, quæ dicitur nova, diruebant, sive in Castello, aliisve necessariis locis restituerent, & de his cum suis sociis pars Episcopii quartam partem pedaturæ accepit, & opus illud perfecit.* Herimbertus in Episcopatum Laudensem successerat Racleto, cujus mentionem ante biennium [e] fecimus. Sedebat adhuc Veronæ Rotaldus, de quo recurret sermo. LXXXIV.

[c] Lib. 1.

[d] Ad an. 779. n. 11.

Quarta pars murorum Veronensium reparatur ab Episcopo et nonnullis Abbatibus.

[e] Ad an. 831. n. 23.

Cur in reparandis Veronæ muris pars Episcopii cum suis sociis quartam duntaxat partem instaurandam susceperit, eadem Charta fusè sic exponit. *Tempore Regis Pipini, cùm adhuc ipse puer esset, gens Hunnorum, aliàs Avares dicta, Italiam cum exercitu invasit, cujus rei hæc causa fuit, quia exercitus Francorum, & præsertim Dux Foro-Juliensis Hunnos, qui inter Italiam & Danubium in Pannoniis habitabant, assiduis populationibus infestabant. Igitur cùm de eorum adventu Carolus Rex Francorum certior factus esset, Veronam tunc majori* LXXXV.

AN. CH. 833. LUDOV. IMP. 20. LOTHAR. IMP. 17. PIPPINI R. 19. LUDOV. R. 17. CAROLI R. 4

ex parte dirutam reparare studuit, murósque, & turres, fossásque per urbis gyrum fecit, adjectísque palis fixis à solo usque munivit, ibique Pipinum filium reliquit, & Berengarius ejus Legatus ad recipiendam civitatem missus. De faciendis autem muris & fossis orta est contentio inter cives & urbis judices, ac partem Sancti Zenonis sive Episcopii. *Judices enim ad tertiam partem domum * Episcopii facere volebant, pars verò Ecclesiæ, quòd ad comparationem tanti populi exigua esset, volebat non tertiam sed quartam, sicut antiquitus fuerat, dare. Et non sola pars Episcopii, sed cum ea Monasterium Sanctæ Mariæ, quod situm est ad portam Organi, & tria alia Monasteria Regalia, id est, Sancti Petri in Mauratica, Sancti Stephani in Ferrariis, Sancti Thomæ puellarum in urbe, sed & duo Regis Xenodochia, unum quod est ad portam Sancti Firmi, & aliud quod dicitur Calandustera. Cúmque in hac contentione diu immorarentur, & neutra pars alteri cederet, quia pars publica, quæ dicebat, probare non poterat, quòd multum tempus transiisset, ex quo hanc urbem reparare opus non erat, quia Longobardorum tempore nihil indigebat, publico studio munita. Si quid autem modicum ruebat, statim à Vicario civitatis restituebatur. Tandem habito consilio pacti sunt, ut hæc Dei & Sancti Spiritûs reservarentur judicio, eligentes duos juvenes Clericos, sine ullo crimine existimatos, statuerunt in Ecclesia Sancti Joannis Baptistæ ad domum, & ad Crucem stare fecerunt, quorum unus Aregaus, pòst Archipresbyter Ecclesiæ majoris nomine, ex parte publica; alter verò ex parte Sancti Zenonis Pacificus scilicet, qui pòst Archidiaconus Ecclesiæ Majoris fuit. Hi ambo ab introitu Missæ usque ad mediam Passionem tantùm, quæ est secundum Matthæum pariter starent. Ille qui de parte publica datus fuerat, in terram velut exanimis corruit; Pacificus verò usque ad finem Passionis stetit. His gestis, & omnibus gratias Deo agentibus, quartam partem tam civitatis quàm Castelli, pars Episcopii cum his quæ suprà memoravimus accepit.* Alludit hæc Charta, ut opinamur, ad Henricum Ducem Foro-Juliensem, & ad bellum Hunnicum quod anno Christi septingentesimo nonagesimo-sexto gestum est. Ætatis annum tunc agebant undevicesimum Pippinus, Pacificus decimum-quintum. Hæ voces igitur, *puer* de Pippino & *juvenis* de Pacifico, strictè sumi non debent. Actum de ætate Pippini Tomis sexto & septimo. De ætate Pacifici dictum jam nonnihil ad annum Redemptoris octingentesimum sextum quo factus est Archidiaconus, plura dicentur ad annum Redemptoris octingentesimum undequinquagesimum quo vitam clausit.

* *Edit. domus.*

EADE RE JUDICIUM EXPLORATUR DUOBUS CLERICIS STANTIBUS AD CRUCEM.

LXXXVI. VERENDARIUS EP. CURIENSIS PELLITUR A SEDITIOSIS.

In Episcoporum Curiensium Catalogo Bruschius Verendarium Curiensem Episcopum scribit expulsum fuisse *anno Christi 833 à seditiosis filiis Imperatoris Ludovici, quòd Ludovico fideliter adhæsisset.* Id in Chronologia Rhætiæ Bucelinus integro biennio perperam ad annum Redemptoris octingentesimum tricesimum-primum antevertit. Addit Bruschius Verendarium restitutum *post pauculos menses ab ipso Ludovico è vinculis filiorum liberato.* Meliùs autem Bucelinus Verendarium Sedi suæ redditum dicit *A. C. 835*, quo Lotharius per Nuncios ad reconciliationem à patre sollicitari cœpit, ut fusiùs ad illum annum exponemus.

LXXXVII. UMBRACHUS MUNIFICUS ERGA ECCLESIAM ULTRAJECT.

Exeunte hoc anno, nempe septimo Kalendas Januarias, Indictione duodecimâ & anno Ludovici Augusti vicesimo-primo jam inchoatis, cùm Fredericus seu Fridericus Ultrajectensis esset Episcopus, Ultrajectensem Ecclesiam multùm locupletavit Umbrachus vir nobilis, cujus munificentiam breviter cum Characteribus Chronologicis in elogio ejusdem Frederici Wilhelmus Heda sic repræsentat. *Hujus Sancti intuitu Umbrachus nobilis contulit Ecclesiæ Trajectensi quicquid in Heysterbach & in Praest possidebat; & quicquid sub lege Francorum in ejus erat Dominio, quæ ne congesta legenti generarent fastidium, quia in diversis erant speciebus, numerare desiisit. Actum publicè in villa Hysterbach, VII Kal. Januarii, anno Incarnationis Dominicæ* DCCCXXXIIII, *Indictione* XII, *anno Ludovici Imp. Aug.* XXI. Kalendæ Septembres initium dant Indictioni, die igitur septimo ante Kalendas Januarii quæ cur-

AN. CH. 833.
LUDOV. IMP. 20.
LOTHAR. IMP. 17.
PIPPINI R. 19.
LUDOV. R. 17.
CAROLI R. 4.

rit Indictio duodecima, convenit vel cum anno Incarnationis Dominicæ octingentesimo tricesimo-tertio si nobiscum anni principium sumas à Kalendis Januarii, vel cum anno Incarnationis Dominicæ octingentesimo tricesimo-quarto si annum ordiaris à die Natali Domini; nec dubium quin septimo Kalendas Januarias anno Christi secundùm nostram computationem octingentesimo tricesimo-tertio Ludovicus Augustus annum Imperii sui vicesimum-primum numerarit exordio ducto à die quo consors à Carolo patre factus est Imperatoriæ Dignitatis. Licèt autem ex observatione quam præmisimus, in textu proximè citato servari possit annus Dominicæ Incarnationis octingentesimus tricesimus-quartus, videtur tamen expungendus, quia per illud tempus instrumentis publicis anni Dominicæ Incarnationis apponi nondum consueverant.

LXXXVIII.
ODULPHUS PRESBYTER REDIT ULTRAJECTUM.

Ultrajectum hoc eodem anno rediit Odulphus Presbyter, postquàm aliquot annos, ut cum Frederico Episcopo convenerat, exegisset in parœcia Staverensi. *Cùm jam discessurus esset ab eo loco, qui Staveren dicitur, priusquàm se daret itineri, ingens ad eum convenit Frisonum multitudo, ejus saluberrimâ adhortatione muniri cupientium. Ille verò Domino eos commendans, benè precatus est eis, amantérque admonebat, ne à via veritatis unquam deflecterent, certi non sine gravi animadversione id se facturos. Et ego quidem, inquit, sat scio non vos permansuros in sana doctrina, sed eâ causâ gentiles barbari vos incurrent, quod mihi vobis jam antè prædicenti incunctanter credere potestis, iíque vestram regionem populabuntur, vósque & res vestras secum in captivitatem abducent. Evenit utrumque posteà, sicut erat à Sancto viro prænunciatum.* Hæc Auctor vitæ [a]. Quæ verò proximis annis de frequentibus Nortmannorum in Frisiam irruptionibus narrabuntur, ea prævalidè nostram confirmabunt Chronologiam circa Frederici Ultrajectensis Episcopi & Odulphi Presbyteri Gesta hactenus memorata.

[a] Ap. Sur. d. 12. Jun.

LXXXIX.
EPISCOPI COMENSES.

Leo Comensis Episcopus, cujus mentionem Tomo superiori non semel fecimus, apud Ughellum [b] *Petro* sufficitur *anno 818*, præest *annis 25*, decedit *anno 843*, sepelitur *in* Ecclesia *Cathedrali*. De anno quo suscepit Episcopatum & de loco sepulturæ non disputamus. At ejus Pontificatum spatio longè breviori circumscribimus, quia, teste eodem Ughello, Leoni Perideus, Perideo succedit Almaricus, quem Lotharius Episcopum jam designatum agnoscit, anno Redemptoris octingentesimo quadragesimo-tertio, ut ad illum annum probabimus. Fortè loco 25 annotum ponendi tantùm 15, ita ut Leo non anno 843, sed anno 833 mortuus asseratur. Hæc emendatio conjecturâ nititur satis probabili, maximè cùm nihil occurrat quod apertè refragetur.

[b] Tom. 4. Ital. Sacr.

XC.

Leoni successit in Episcopatum Perideus, cujus obitum Historici Comenses in annum Redemptoris octingentesimum quinquagesimum malè rejiciunt. Almaricus enim Peridei successor jam designatus erat anno Redemptoris octingentesimo quadragesimo-tertio. Peridei seu Peredei Pontificatus ex antiquo probatur Diplomate, in quo Ludovicus Secundus Imperator ita loquitur. *Vir Venerabilis Almaricus petiit, ut nostrâ auctoritate Preceptum, quod prædictus Dominus & Genitor noster prædecessori suo Peredeo Episcopo fecit, similiter corroboraremus.* Lotharii Præceptum seu Privilegium, cujus meminit Ludovicus ejus filius, intelligi debet de *jure piscandi in toto lacu Comensi*. Hoc enim Privilegium Ughellus inter alia Perideo concessum testatur. Hic Episcopus *Monasterium Ecclesiámque construxit cognomento veterem, illámque Christo Deo in cœlum ascendenti dicavit.* Ignoratur annus quo Pontificales Infulas suscepit. Sepultus fuit in Ecclesia quam erexerat. De Almarico successore sermonem anno Redemptoris octingentesimo quadragesimo sequentibúsque sæpè faciemus.

XCI.
GRADUS REDIT IN POTESTATEM VENETORUM.

Hisce temporibus, dum Francia domesticis dissentionibus vexabatur, Gradus Patriarchali Sede nobilis, quæ Francis ab anno Redemptoris octin-

AN. CH. 833. LUDOV. IMP. 20. LOTHAR. IMP. 17. PIPPINI R. 19. LUDOV. R. 17. CAROLI R. 4.

gentesimo decimo paruerat, ad Venetos defecit. Hanc defectionem Venerius Patriarcha suis consiliis & auctoritate multùm promovisse creditur. Maxentius Patriarcha Foro-Juliensis Istriam, quæ sub Francorum potestate permanebat, ad provinciam Foro-Juliensem revocare mox studuit. Inde nata lis inter utrumque Patriarcham, de qua sermonem faciemus annis proximè sequentibus.

XCII. Sancti Covoïoni seu Covoïonis aut Convvoïonis, primi Rotonensis Abbatis triplicem vitam consuluimus. Unam Gallico sermone publicavit ante annos quadraginta-tres Auctor Armoricæ Sanctæ. Alteram manuscriptam nobis commodavit Stephanus Baluzius. Tertiam nuperrimè Joannes Mabillonius edidit secundâ parte Seculi quarti Benedictini. Duas priores non semel allegavimus. Ultimam deinceps frequentiùs producemus, ostendemúsque distinctè quid ab invicem differant.

XCIII. Chronologia Rotonensis examinatur. Covoïonus factus est Archidiaconus Venerensis anno Redemptoris octingentesimo decimo-quarto, sexto pòst anno secessit in Rothonensem solitudinem. Utrumque Tomo superiore probavimus. Chronographus Anonymus apud Labbeum Tomo primo [a] novæ Bibliothecæ tempus erecti Monasterii Rothonensis anno Redemptoris DCCCXXIII sic consignat. DCCCXXIII. *Constructum est in Britannia minore Monasterium Rothonense sub Ludovico Piissimo Imperatore in Fisco Regio, Comnovio * primo Abbate.* Hoc opus post decennium rejicit Auctor editus à Mabillonio. *Cùm Neomenoius, qui intimus secretorum erat Regalium, precibus instaret, ut vir Dei exaudiretur, petitioni cedens Imperator, obtulit pro sua successorúmque salute, Salvatoris Altari, quemadmodum vir Dei petierat, locum Rothonensem, ab omni homine liberum & immunem, proprio confirmans Donationem annulo, anno Imperii sui vigesimo-primo, Incarnati verò verbi octingentesimo tricesimo-tertio.* Regino defectionem Murmani differt in annum Redemptoris octingentesimum tricesimum-sextum. *Anno Dominicæ Incarnat.* DCCCXXXVI. *Britones fœdera violant, & rebellare incipiunt cum Duce suo Murmano, contra quos Imperator exercitum producit, sed non adeò prævaluit.* At rerum Britannicarum Chronologiam temporibus Ludovici Pii longè aliter instituendam veteres docent Auctores.

XCIV. Marcomus, Wihormarchus, Ratvilus, & Nominoïus, quos successivè Ludovicus administrationi Britanniæ præfecit, tyrannidem affectarunt. Marcomus, Thegano Murmannus, Annalistæ Laureshamensi Mormanus, Astronomo Marmorius, initâ defectione Regium nomen usurpavit, occubuítque anno Redemptoris octingentesimo duodevicesimo, ut Tomo superiore ad illum annum ex iisdem Auctoribus coætaneis probavimus. Wihormarchus pœnas luit anno Redemptoris octingentesimo vicesimo-quinto [b], ut nos edocuit Annalista Laureshamensis. Ratvilus Wihormarchi successor has de condendo Monasterio literas Convoïoni dedit, ratus id Britonibus acceptissimum sibíque valdè proficuum fore. *Notum sit omnibus audientibus, qualiter venit Convoion ad Ratvili tyrannum, deprecans eum sedentem secus fontem in loco nuncupato Lessan, ut ei locum congruum ad opus Dei exercendum largire dignaretur, quod & fecit. Id est, donavit ei locum Rothon vocatum, quem postulabat in eleemosyna pro anima sua & pro hæreditate in Regno Dei. Factum est hoc quintâ feriâ præsente ac consentiente filio suo Catnoreto. Deinde intravit Convoion & alii fratres mundum deserentes in ipso loco, sene numero, Roton vocato. Post hoc venit supradictus Ratvili ad ipsum locum visitare fratres ibi Deum deprecantes, & firmavit supradictum locum eis in sua & Imperatoris eleemosyna, & pro hæreditate æterna. Signum Ratvili qui donavit & firmare rogavit* ✠. *Catnoret* ✠. *Cumian* ✠. *Cadon* ✠. *Romwallon* ✠. *Manworon* ✠. *Siclon* ✠. *Sulwal Presbyter* ✠. *Retworet* ✠. *Factum est hoc quartâ feriâ mensis Junii, regnante Domno Ludovico, decimo-octavo anno Imperii ejus,* sive anno Redemptoris octingentesimo tricesimo-primo.

[a] Pag. 549.
* Convvoioni.
[b] Num. 5.

Superiore

AN. CH. 833. XCV.

Superiore Tomo actum de Covoïoni sociorúmque secessu in solitudinem Rothonensem, laudatique Rathwilus sylvæ Rothonensis Dominus, quòd in ea locum ad extruendum unà cum Cellulis Oratorium servis Dei concesserit, & Nominoius Britanniæ Præfectus, quòd & Donationem Rathwili suis confirmaverit literis, & ejus munificentiam erga novos hospites imitari voluerit. Ratvili Donationem celebrant ejus literæ, mense Junio, anno Redemptoris octingentesimo tricesimo-primo confectæ, supráque recitatæ, sed suo non loco, quia seriùs nostras in manus venit pars secunda Seculi quarti Benedictini. Alteram ejusdem Ratvili Donationem, quæ longè augustior fuit, ad annum sequentem ex Gestis [a] Sanctorum Rothonensium referemus.

[a] Lib. 2. c. 4.

AN. CH. 834. LUDOV. IMP. 21. LOTHAR. IMP. 18. PIPPINI R. 20. LUDOV. R. 18. CAROLI R. 5.

ANNUS

CHRISTI		834.		
LUDOVICI	IMP.	21.		
	REG.	54.	29.	17.
LOTHARII	IMP.	18.	12.	
	REG.	20.	12.	2.
PIPPINI III.	REG.	20.	18.	
LUDOVICI	REG.	18.	9.	
CAROLI	REG.	5.	2.	
INDICTIO		12.		

I. LOTHARIUS AUDITA PIPPINI ET LUDOVICI FRATRUM AC POPULI CONSPIRATIONE FUGIT, LUDOVICO PATRE ET CAROLO FRATRE RELICTIS IN MONAST. S. DIONYSII.

ANNO Redemptoris octingentesimo tricesimo-quarto, *post Sanctum diem Epiphaniæ iterum Lodewicus* Bojoariæ Rex *misit Legatos ad patrem, Grimoldum Venerabilem Abbatem atque Presbyterum, & Gebehardum nobilissimum atque fidelissimum Ducem. Qui venientes Aquis, consensit Lotharius ut viderent patrem cum insidiatoribus, quorum unus vocabatur Otgarius Episcopus* Metropolitanus Moguntiacensis, *alter verò Richardus perfidus. Venientes Legati ad conspectum Principis, & humiliter prosternentes se pedibus suis salutaverunt eum ab æquivoco filio suo. Secreta verò noluerunt ei indicare propter insidiatores præsentes, sed aliquo motu signorum fecerunt eum intelligere, quòd æquivocus ejus hoc consentire noluisset, scilicet supplicium patris. Illis Missis abeuntibus, statim Lotharius compulit patrem, ut cum eo veniret ad Compendium. Qui consentiens filio perrexit cum eo. Hoc audiens Lodewicus, coadunatâ multitudine, secutus est eos. Qui cùm non longè abesset ab eis, Lotharius dimisit patrem, & recessit ab eo cum Consiliariis suis impiis. Lodewicus verò filius ejus pervenit ad eum, & honestè suscepit, & reduxit iterum ad Aquis Sedem suam, & Deo jubente restituit eum in Regnum & locum suum. Et ibi simul Sanctum Pascha Domini celebrarunt* Nonis Aprilibus. Hæc Theganus [a], quocum & alios Auctores rei ma-

[a] Capp. 47. 48.

AN. CH. 834. LUDOV. IMP. 21. LOTHAR. IMP. 18. PIPPINI R. 20. LUDOV. R. 18. CAROLI R. 5.

gis elucidandæ causâ conferemus. Interim observa Grimoldum seu Grimaldum Abbatem fuisse Weissenburgensem ab annis octo.

II. Astronomus, quid consilii per hyemem multi Proceres numerosæque plebes in diversis provinciis pro liberando Imperatore ceperint, sic exponit. *Intra hujus hyemis durationem, gregatim populi tam Franciæ, quàm Burgundiæ necnon Aquitaniæ, sed & Germaniæ coeuntes, calamitosis querelis de Imperatoris infortunio querebantur. Et quidem in Franciam Eggebardus Comes & Willelmus Comes Stabuli, quos poterant sibi in unione voluntatis restituendi Imperatoris coadunabant. A Germania porrò Hugo Abbas in Aquitaniam missus à Ludovico & ab eis qui illuc confugerant, à Drogone scilicet Episcopo & reliquis, Pipinum in hoc ipsum instigabat. Porrò Bernardus & Warinus in Burgundia consistentem populum suasionibus accendebant, promissionibus alliciebant, juramentis astringebant, & in unum velle fœderabant.* Deinde narrationem ad iter ineunte vere à Lothario susceptum sic convertit. *Hyeme autem exactâ, & vere jam roseam faciem prætendente, Lotharius patre assumpto per pagum Hasbaniensem iter arripuit, & Parisiorum urbem petiit, ubi obviam sibi fore cunctos fideles præcepit. Cui Eggebardus Comes & alii illius pagi Proceres cum magna coacta manu obviam pro liberatione Imperatoris pugnaturi processerunt, pervenissétque res ad effectum, nisi Piissimus Imperator cavens & multorum periculum simul & proprium, ab hoc incœpto, præcepto & obtestatione, eos inhibuisset. Tandem ergo perventum est ad Monasterium Sancti Dionysii Martyris.* Intereà nec Aquitani nec Burgundiones otiosi quieverunt. *Pipinus*, ait idem Auctor, *ab Aquitania cum maxima manu exiens, & ad Sequanam veniens, quum pontes dissipati, navésque altè demersa, transitum prohibuissent, substitit. Porrò Warinus & Bernardus Comites, plurimis sociorum ex Burgundia partibus coactis, & ad Matronam usque fluvium pervenerunt, & ibi partim asperitate & intemperie aeris retardati, partim pro colligendis sociis suspensi, in villa Bonogilo *, & iis prædiis quæ circumjacent, aliquot diebus consedere. Instabat sanè sancta Quadragesima tempus. Cujus hebdomadâ primâ, feriâ quintâ*, id est, quarto Kalendas Martii, *missi sunt ab illis Legati, Rebaldus Abbas & Gautselmus Comes, ad Lotharium filium Imperatoris, postulantes, ut eis absolutus custodia vinculis Imperator redderetur. Quorum si pareret postulationi, ipsi quoque ei causâ apud patrem salutis & honoris olim dispositi forent. Sin aliter, etiamsi necesse esset, cum sui periculo eum requisituri, & resistentibus sibi in hac re cum armis, Deo judice, essent obviaturi. Sanè huic mandato respondit Lotharius, nullum plùs se vel compati paternæ calamitati, vel congaudere prosperitati, nec debere sibi imputari culpam Senioris sibi oblati, quum ipsi eum destituissent ac prodidissent, neque carceralis custodia navum sibi jure inuri, quum constaret hoc actum judicio Episcopali. Cum hac ergo satisfactione præmissi Legati remissi sunt ad eos qui se miserant. Commendati sunt Guerinus Comes, & Odo, necnon Fulco & Hugo Abbates, ad se venirent, quatenus cum eis deliberaretur, quomodo petitio eorum impleri posset. Præcepit etiam filius ejusdem Imperatoris Lotharius, ut Missi sibi in crastinum dirigerentur, qui tempus adventûs prædictorum virorum ab eo cognoscerent, & sic ad condictum diem sibi occurrerent, de causa supradicta tractaturi. Etenim verò mutato consilio, cum his qui ejus favore ducebantur, relicto patre in Monasterio Sancti Dionysii, ipse Burgundiam petiit, Viennam usque pervenit, ibidémque stativa facere delegit.* Fugæ se commisit pridie Kalendas Martias, seu *primo Kalendarum Martiarum die*, ut Annalista Bertinianus loquitur.

* Boneuil en Brie.

III. Rebaldus Abb. in Burgundia.

In hac narratione tres memorantur Abbates, Rebaldus, Fulco & Hugo. De Rebaldo nihil aliud legimus. Celebriores sunt, Fulco Gemmeticensis Abbas & Archicapellanus, Hugo San-Quintiniensis Abbas & Ludovici Augusti frater.

IV. Fulco Abb. Gemmetic. et Archicapellanus moritur.

Fulco mortuus hoc anno videtur. Nam Ludovicus Augustus hoc eodem anno, Imperii sui vicesimo-primo, Idibus Maiis, Indictione duodecimâ, Privilegium Ecclesiæ Hammaburgensi concessit, in quo Drogonem

AN. CH. 834.

non tantùm Metensem Episcopum, sed etiam *summa sanctæ Palatinæ dignitatis Præsulem*, id est, Archicapellanum Palatii nuncupavit. Ut autem Fulconi Drogo in munus Archicapellani, sic & in regimen Monasterii Gemmeticensis successit Ricbodo seu Ricchebodus, cujus nomen in Abbatum Gemmeticensium Catalogis invenitur.

DROGO EP. METENS. FIT ARCHICAPELL.

RICBODO FIT ABB. GEMMETICENSIS.

V. Hugo San-Quintiniensis Abbas hoc anno factus est & Abbas Sitivensis. Obiit enim hoc eodem anno Fridugisus seu Fridogisus Abbas San-Martinianus & Sitivensis, cùm Monasterium Sam-Martinianum rexisset annis triginta, Sitivense quatuordecim. Primum patet ex Alcuini decessoris obitu, quem anno Redemptoris octingentesimo quarto consignavimus. Alterum constat ex capite septimo libri primi de Miraculis Sancti Bertini, quod Folcardus Sitivensis Monachus sic inchoavit. *Mortuo dicto Fridogiso quartodecimo regiminis seu potiùs tyrannidis suæ anno, successit in regimen Cœnobii Hugo venerabilis filius Caroli Regis Magni & frater Ludovici Cæsaris.* Hic Auctor regimen Fridogisi tyrannidem interpretatur, quia Fridogisus illius loci primus Abbas Canonicus fuit. *Hugo*, inquit Iperius ad hunc annum apud Locrium, *regiminis sui anno primo juvenem elegantissimum* Beatum Grimbaldum recepit, & induit hujus Monasterii Sitivensis *Monachum*. Agebat tunc annum ætatis decimum-quartum Grimbaldus, vixit enim annos tres & octoginta, decessitque anno Christi nongentesimo tertio, ut ex Gotcelino, qui vitam ejus conscripsit, refert Joannes Molanus [a]. In Monasterium autem Sam-Martinianum Fridugiso successit Adalardus, de quo recurret sermo. Supererat in vivis Fridugisius Ludovici Augusti Cancellarius, cujus mentionem post biennium adhuc faciemus, ad illius enim vicem Durandus Diploma prædicti Ludovici pro Miciacensi Monasterio recognovit *datum* XIIII *Kal. Martii, Indictione* XIIII, sive anno Redemptoris octingentesimo tricesimo-sexto. Aliâ probatione non opus est, ut duos distinguas Fridugisos, unum Ludovici Pii Cancellarium, alterum Abbatem Sam-Martinianum ac Sitivensem.

FRIDUGISUS ABB. OBIT.

HUGO FIT ABB. SITIVENSIS.

GRIMBALDUM ADOLESCENTEM SUSCIPIT.

[a] D. 8. Jul.

ADALARDUS FIT ABB. S. MARTINI.

VI. Annalista Bertinianus quodnam fuerit Lotharii consilium, quibus copiis exercitus Pippini ac Ludovici Regum constiterint, quóve die fugam Lotharius arripuerit, initio rerum hoc anno gestarum sic exposuit. DCCCXXXIV. *Domnus quidem Imperator in Aquis servabatur, nihilque humanum erga illum fiebat, sed multò crudeliùs adversarii ejus in illum sæviebant, diu noctuque satagentes tantis afflictionibus illius animum emollire, ut sponte seculum reliquisset, & se in Monasterium contulisset. At ille numquam se facturum aiebat, quamdiu de se nullam potestatem haberet, aliquod votum. Verùm cùm Ludoicus comperisset, quòd nihil ejus petitio apud germanum prævaleret, ut mitiùs apud patrem egisset, misit Legatos ad fratrem suum Pippinum, eique innotuit omnia quæ erga patrem gesta fuerant, deprecans illum, ut reminiscens paterni amoris ac reverentiæ, unà cum illo patrem de illa tribulatione eriperet. At ille statim convocavit exercitum Aquitanorum & Ultra-Sequanensium, Ludovicus Bajoarios, Austrasios, Saxones, Alemannos, necnon & Francos qui citra Carbonariam consistebant, cum quibus etiam ad Aquis properare cœperunt. Cúmque hoc Lotharius cognovisset, de Aquis abscessit, & patrem suum usque ad Parisius sub memorata custodia deduxit, ibíque jam Pippinum cum exercitu repperit Sequana insolitâ exuberatione transire prohibitum. Nam nimiùm ceterorum quoque fluminum inundatio, & ultra alveos insueta progressio multis non parvum intulit impedimentum. Verùm cùm firmiter cognovisset, Ludoicum etiam cum tanta populi multitudine in easdem partes properare, inde perterritus, in eodem loco patre dimisso, primo Kalendarum Martiarum die cum suis aufugit.* Primum Kalendarum Martiarum diem interpretare diem qui præcedit Kalendas Martii, fugam enim arripuit Lotharius die Sabbati seu pridie Kalendas Martias & postero die qui Dominicus fuit, seu Kalendis Martii, currente literâ Dominicali D, Ludovicus Augustus *in Ecclesia Sancti Dionysii, Episcopali ministerio voluit*

AN. CH. 834.

reconciliari, & per manus Episcoperum armis accingi consensit, ut infrà probaturi sumus ex Astronomo.

VII. [a] Lib. 2. c. 20.

LOTHARIUM MULTI SEQUUNTUR EPISCOPI.

Nonnullos Episcopos, qui fugæ cum Lothario se commiserunt, ex longè majori numero sic arguit Flodoardus [a]. *In anno Incarnationis Dominica octingentesimo tricesimo-quarto Lotharius, territus conventu fratrum suorum ac plurimorum fidelium patris Imperatoris, fugâ lapsus patrem suum adhuc ab ingressu Ecclesia sequestratum dimisit. Cum quo inter alios etiam quidam Episcopi, fautores ipsius in adversitate patris sui perrexerunt. Jesse videlicet Ambianensis, & Hereboldus Autisiodorensis, Agobardus Lugdunensis, & Bartolomeus Narbonensis Episcopus.* Et paulò pòst. *Sed & Hildemannus Belvacensis Episcopus insimulatus quòd sicut prafati Episcopi fugam ad Lotharium moliretur in Monasterio Sancti Vedasti detentus Synodum expectavit*, id est, Synodum anno postero in Theodonis villa celebratam. Interim observa Monasterium Vedastinum, quod anno priore post Ludovici Imperatoris exauctorationem Eboni Archiepiscopo Remensi commissum est, hoc anno postquàm Lotharius fugam arripuit Adalungo Abbati legitimo, qui Hildemannum sub custodia detinuit, redditum fuisse. Nec dubium quin & Ragnerius Ambianensem Episcopatum recuperavit, Jessæo Lotharium secuto.

HILDEMANNUS EP. BELLOVAC. SUB CUSTODIA DETINETUR.

ADALUNGUS ABBATIAM VEDASTINAM RECUPERAT.

VIII. [b] Lib. 1.

Cur Lotharius à sua spe tam citò deciderit, Nithardus his docet verbis. *Lodharius quidem iterum eo tenore Imperium adeptum, quod injustè tam facilè iteratò obtinuit, iteratò faciliùs justè amisit. Nam Pippinus & Lodhuwicus videntes, quòd Lodharius universum Imperium sibi vindicare, illósque deteriores efficere vellet, graviter ferebant. Insuper autem dum huc Lambertus atque Mathfridus, quis illorum secundus post Lodharium in Imperio haberetur, ambigerent, diffidere cœperunt. Et quoniam quisque eorum propria quarebat, rem publicam penitus negligebant. Quod quidem populus cernens, molestus erat. Occurrebat insuper etiam filiis verecundia & pœnitudo, quòd patrem bis honore privaverant; universa plebi, quòd bis Imperatorem dimiserant; ac per hoc hinc inde in restitutione ejus consentiunt, & undique ad Sanctum Dionysium, ubi tunc Lodharius patrem & Karolum servabat, affluere contendunt. Cernens Lodharius pradictam animositatem vires suas excedere, antequàm conveniant arma sumit; patrem ac Karolum dimittit, itineréque arrepto Viennam petit.*

IX.

LUDOVICUS ORNAMENTA DIGNITATIS SUÆ RESUMIT.

At verò, inquit Astronomus, *is, qui cum Imperatore remanserant, eum ad recipiendas Imperatorias Infulas hortabantur. Sed Imperator, quamquam modo, quo pradictum est, Ecclesia eliminatus communione, nequaquam tamen præproperè voluit acquiescere sententia, sed Dominicâ, qua in crastinum advenit, in Ecclesia Sancti Dionysii, Episcopali ministerio voluit reconciliari, & per manus Episcoporum armis accingi consensit. In qua re tanta exultatio populi excrevit, ut etiam ipsa elementa viderentur injuriam patienti compati, & relevato congratulari. Etenim usque ad illud tempus tanta incubuerat procellarum vis pluviarúmque vehementia, ut extra solitum aquarum superabundantia excresceret, flatúsque ventorum imperviabiles fluminum alveos redderet. Sed in illius absolutione ita quodammodo visa sunt conjurasse elementa, ut mox & venti savientes mitescerent, & cali facies in antiquam & multo tempore invisam serenitatem rediret.* Dies Dominica, quâ Ludovicus Imperatorias Infulas recepit, incidit in Kalendas Martii, fuítque Dominica *Reminiscere*, seu Dominica secunda Quadragesimæ, ídque constat ex serie rerum suprà descriptarum, quæ feriâ quintâ Hebdomadæ primæ Quadragesimalis sequentíque biduo gestæ sunt.

X. A Dominica secunda Quadragesimæ usque ad quartam sive usque ad Dominicam *Lætare*, quid Ludovicus Augustus egerit, ita subjungit Astronomus. *Imperator ab eo loco*, id est, à Basilica San-Dionysiana, *iter cæpit, sed nequaquam filium abeuntem persequi, licèt multis hortantibus, voluit. Inde ergo Nantogilum, ac pòst venit Carisiacum villam Regiam, ubi consistens operiebatur filium Pipinum, & eos qui trans Matronam residebant, sed & eos qui trans Rhenum ad Ludovicum filium ejus confugium fecerant, sed & ipsum filium, qui*

AN. CH. 834.
LUDOV. IMP. 21.
LOTHAR. IMP. 18.
PIPPINI R. 20.
LUDOV. R. 18.
CAROLI R. 5.

ad eum veniebat, Ludovicum. Quò consistenti, medio Quadragesimæ tempore, arridente etiam lætitiâ ipsius diei, & Officii exhortante cantilena Ecclesiasticâ, [Lætare Hierusalem, & diem festum agite omnes, qui diligitis eam] maxima multitudo fidelium suorum ibidem occurrit, congratulans communi lætitia. Quos Imperator benignè suscipiens, & pro fidei integritate gratias agens, Pipinum quidem filium in Aquitaniam cum lætitia dimisit, ceteros autem ad loca sibi congrua redire lætos permisit. Post Dominicam *Lætare*, relicto Carisiaco profectus est Aquisgranum, ibique Paschalem Solemnitatem cum Juditha Augusta tribúsque filiis, Pippino, Ludovico & Carolo celebravit. De Ludovico testis locuples est Theganus jam citatus, necnon & Annalista Bertinianus sic. *Illo*, nempe Lothario, *abscedente venerunt Episcopi, qui præsentes aderant, & in Ecclesia Sancti Dionysii Domnum Imperatorem reconciliaverunt, & Regalibus vestibus armísque induerunt. Deinde filii ejus Pippinus & Ludoicus cum ceteris fidelibus ad eum venientes, paterno animo gratanter suscepti sunt, & plurimas illis ac cuncto populo gratias egit, quòd tam alacriter illi auxilium præbere studuissent. Habitóque cum illis Placito, Pippinum & reliquum populum domum redire permisit, Ludoicum autem secum usque ad Aquis venire fecit.* Et Astronomus testatur, quòd idem Imperator *Carolum jam dudum secum habebat.* Anno priore Carolus in Prumiense Monasterium ablegatus est, ibique sub custodia detentus videtur, donec Ludovicus Bojoariæ Rex iter cum copiis Aquisgranum versùs ineunte hoc anno suscepit. Certè Lotharius cùm in agrum Parisiensem venit, Carolum secum adduxit, illúmque simul cum patre in Monasterio San-Dionysiano custodiri præcepit. Ideircò qui factâ conspiratione Ludovicum Imperatoriæ Dignitati restituere volunt, apud Nithardum [a] *undique ad Sanctum Dionysium, ubi tunc Lodharius patrem & Karolum servabat, affluere contendunt, & cernens Lodharius prædictam animositatem vires suas excedere, antequàm conveniant, arma sumit, patrem ac Karolum dimittit, itineréque arrepto Viennam petit.* De Juditha Augusta & Pippino Aquitaniæ Rege differemus infrà.

PASCHA CELEBRAT AQUISGRANI.

[a] Lib. 1.

XI.

Ebo Remensis Archiepiscopus audito, quòd Lotharius patrem dimisisset, & ab eo cum suis recessisset Consiliariis, fugæ pariter se commisit, sed exitu minùs prospero, quem paucis Theganus [b] ita perstringit. *Hoc audiens Hebo statim fugam iniit, sed comprehensus coactus perductus est ad præsentiam Principis, qui commendavit eum ad custodiendum.* Hoc negotium literæ Concilii Tricassini seu Trecensis ad Nicolaum Papam directæ fusiùs sic exponunt. *Hlotharius territus conventu plurimorum fidelium Imperatoris, fugâ lapsus patrem suum adhuc ab ingressu Ecclesiæ sequestratum dimisit, & abscedente illo, qui affuerunt Episcopi, Imperatorem in Ecclesia Sancti Dionysii reconciliaverunt, & Ecclesiasticæ communioni restituerunt. Quod Ebbo audiens, pondere perpetratæ in Imperatorem actionis, quæ illi maximè reputabatur, exterritus, relictâ suâ provinciâ in alteram provinciam fugam arripuit, ubi aliquamdiu delitescendo se occulere posse putavit, usquequò eventu videret, quid sibi salubrius agere posset. Quod Imperatorem latere non potuit, & famâ vulgante, quòd contrarias Imperatori partes sequi disponeret, per Rothadum Coepiscopum suum* Episcopum videlicet Suessionensem, *& per Ercanradum* Parisiensem Episcopum, *in cujus Ecclesia latitabat, sed & per alios fideles eum ad se Imperator sub custodia deduci præcepit, quem in Monasterio Sancti Bonifacii* seu Fuldensi *usque ad tempus Synodi servari præcepit.* Item narratio Clericorum Remensium, sic. *Plurima pars Procerum ac populi verterunt se iterum ad jam dictum Imperatorem, deserentes ejus filium Lotharium, & restituerunt eum in Imperium apud Monasterium Sancti Dionysii. Morabatur autem tunc temporis Ebbo Episcopus in Monasterio Sancti Basoli infra Parrochiam Remensem, claudus utroque pede, & nimiâ afflictus infirmitate. Timens verò, quia nec cum Lothario exire poterat, nec animum Imperatoris adversùm se quicquam emollitum habebat, ne, sicut tali turbine furoris fieri solet, à levibus & indisciplinatis hominibus, quasi pro fidelitate*

[b] Cap. 48.

EBONEM REMENSEM ARCHIEP. AD FULDENSE MON. ABLEGAT.

AN. CH. 834. LUDOV. IMP. 21. LOTHAR. IMP. 18. PIPPINI R. 20. LUDOV. R. 18. CAROLI R. 5.

Domni Imperatoris perderetur, jussit se deportari ad quemdam fluvium nomine Matronam, qui propiùs erat, & mitti in navim atque Parisius ad quandam deduci Cellulam cujusdam Reclusi, sperans ibi tutè posse manere, usquedum aut animum Imperatoris quoquomodo placare potuisset, aut receptâ sanitate ire post Lotharium valeret. Audiens verò Domnus Imperator eum illuc transfugisse, misit, & jussit eum deduci sub custodia ad Voldam Monasterium Sancti Bonifacii, ibíque servari. In hoc textu *Voldam* interpretare Fuldam, celeberrimum in Diœcesi Moguntina Cœnobium, cui Rabanus insignis Abbas ab annis duodecim præest. Nuperrimè prodiit in lucem pars secunda Seculi quarti Benedictini. Mabillonius observat, Ludovici Pii filiis in patrem conjurantibus, tam prudenter & religiosè se gessisse Rabanum, ut & patris & filiorum benevolentiam sibi retinuerit, fueritque apud eos sequester concordiæ & pacis, edito libro de reverentia filiorum erga patres & subditorum erga Reges, in cujus fine Ludovicum Imperatorem ad indulgendum Lothario filio & aliis hortatur. In literis, quas posteà Carolus Rex Nicolao Papæ scripsit, Ecclesia Remensis Abbati Fulconi per absentiam Ebonis ita commendatur. *His Ebo compertis, dum Remis moraretur, territus Parisiacam fugit ad urbem, ad quendam reclusum, ut saltem cum eo delitescens Imperatoris iram evaderet. Imperator námque hoc audiens, quia non longè erat, strenuos & fideles nuncios dirigens, eum comprehendi & custodiâ mancipari jussit, Ecclesiam vero Remensem Fulconi Venerabili Abbati commendavit.* Hunc Fulconem Carolus in iisdem literis iterum sic laudat. *Scriptionem à præfato Fulcone Venerabili Abbate, cui tunc Ecclesia Remensis commissa fuerat, Hincmarus* &c. Apud Flodoardum [a] Synodus, de qua sermonem anno proximo facturi sumus, *libellum sibi ab Ebone porrectum post damnationem ejus* dat *Fulconi Presbytero, qui eidem Eboni in Episcopatûs Remensis susceptione successerat.* Clerici quoque Remenses in narratione de Ebonis exilio, restitutione, atque altera dejectione sic aiunt. *Dividentes * inter se Regna paterna, Lotharius Imperator ac Domnus noster Karolus Gloriosissimus Rex, devenit jam sæpè dicta mater nostra Remensis Ecclesia in partem & ditionem Gloriosissimi Regis Karoli, cum quo erat gratissimus ac potentissimus Fulcho Abbas, qui ipsam Ecclesiam Domni Ludovici Imperatoris anteà Presbyter obtinuerat, & gratiâ ejusdem Regis, cum quo erat, iterum adeptus est eam.* Ex his apertissimè liquet hoc anno, cùm Ebo Remensis Archiepiscopus ad Fuldense Monasterium ablegatus est, curam Remensis Ecclesiæ commissam fuisse Fulconi Ludovici Imperatoris Presbytero seu Capellano, qui deinceps Abbas appellatus invenitur, ut ex præcitatis Caroli Calvi literis, ex narratione Clericorum Remensium, & ex Flodoardo constat. Guillelmus Marlotus in Abbatum Catalogo [b], qui Remensi Monasterio Sancti Remigii præfuerunt, *ut Remensis Ecclesiæ, sic & San-Remigiani Monasterii* administrationem *Fulconi* datam scribit, eundémque Fulconem *Chorepiscopum vel Remensis Episcopii administratorem* vocat. In eandem imus sententiam, & Fulconem non Archiepiscopum Remensem sed Remensem Chorepiscoporum fuisse censemus. Certè non constitutus est Archiepiscopus, Ebo enim anno sequenti sedebit in Concilio apud Theodonis villam, ibique cum aliis Archiepiscopis, Episcopis, & Abbatibus, *libellum manu suâ cum additamento Archiepiscopi scriptum* edet. Duo Chorepiscoporum genera non semel distinximus [c]. Fulco fuit ex eorum numero, qui verè erant Episcopi, & Episcoporum sive absentium sive morbo vel negotiis impeditorum vices obibant. Exemplum non longè petemus. In narratione Clericorum Remensium jam laudata commendantur, *Theodericus Camaracensis Episcopus,* & *Vitaus Chorepiscopus & Vicarius Theoderici Episcopi,* seu *Vitaus Camaracensis Ecclesia Chorepiscopus.* Ceterùm Fulco non tantùm ordinatus est Chorepiscopus seu Vicarius Ecclesiæ Remensis, sed & Abbas Monasterii San-Remigiani constitutus est, ideóque cum Abbatis titulo nominatur ab Auctoribus quos allegavimus suprà, quin

FULCONE CHOREPISCOPO REMENSI SUBSTITUTO,

FACTOQUE ABBATE S. REMIGII,

[a] Lib. 2. c. 20.

* Nominativus absolutus.

[b] Lib. 3. Hist. Remens. c. 4.

[c] Tom. 7. a. 813. nn. 345. 346. a. 820. n. 25.

AN. CH. 834. LUDOV. IMP. 21. LOTHAR. IMP. 18. PIPPINI R. 20. LUDOV. R. 18. CAROLI R. 5.

& Abbas San-Remigianus apertissimè prædicatur ut Hilduinus Abbas San-Dionysianus in literis [a] post quadriennium recitandis de societate, quam Monachi San-Remigiani cum San-Dionysianis inierunt *anno XXV Imperii Domini ac Serenissimi Hludovici*, sive anno Redemptoris octingentesimo duodequadragesimo. Textus literarum talis est. *Æquum visum est Fratribus in Beati Confessoris Remigii Monasterio sub sanctissimo ac Venerabili Patre Fulcone manentibus, cum Fratribus de Monasterio præclarissimorum Sanctorum, videlicet Dionysii, Rustici & Eleutherii, cui Venerabilis Pastor Hildoinus præesse videtur, tale decretum de pacis ac dilectionis conjunctione facere.* Literas ad annum, quo datæ sunt, integras recitabimus, examinabimúsque Catalogum Abbatum San-Remigianorum à Marloto contextum. Ex prædictis autem liquet non tantùm Seniorem Ebonem, qui Remensis erat Archiepiscopus, sed etiam Juniorem Ebonem, qui San-Remigianus Abbas erat, Remis expulsum fuisse, & ut Remensis Chorepiscopi sic & Abbatis San-Remigiani munus hoc anno collatum esse Fulconi, de quo sermo non semel recurret.

[a] Tom. 4. Spicileg.

POST EXPULSIONEM JUNIORIS EBONIS.

XII.

Interim Ludovici Augusti res gestas ex Thegano [b] persequamur. *Postquàm prævaluit Imperator, misit fideles Legatos suos partibus Italiæ, ut reducerent conjugem suam sæpè mendaciis afflictam. Qui venientes susceperunt eam honorificè, & perduxerunt eam cum jocunditate & lætitia ad præsentiam Principis, qui erat tunc temporis Aquisgrani Palatio.* Astronomus ipsos Legatos nominat, Rataldum Episcopum & Bonifacium, à quibus Juditham ex Italia reductam & Imperatori tunc apud Aquisgranum degenti redditam sic scribit. *Ipse* Ludovicus Imperator *Aquasgrani pervenit, ibique Judith Augustam ab Italia reducentibus Rataldo Episcopo & Bonifacio, sed & Pipinum filium recepit.* Si Nithardo [c] fides est, ii, qui Juditham in Italia custodiebant, illam reduxerunt in Galliam, statim ac Ludovicum à Lothario filio dimissum resciverunt, nec adventum Imperialium Legatorum expectarunt. *Intereà hi, qui Judith in Italia servabant, audientes, quòd Lodharius fugam inierat, & pater Imperium regebat, arreptâ Judith fugam ineunt, Aquis prosperè perveniunt, gratum munus Imperatori deferunt.* At hic Auctor cum Thegano & Astronomo facilè conciliari potest. Juditha Derthonæ in Longobardia servabatur. Ipsi custodes auditâ Lotharii fugâ non dubitarunt, quin Augustus uxorem suam per Oratores repetiturus esset, rebúsque suis optimè consultum existimarunt, si statim cis Alpes Augustam reducerent adventu Legatorum haud expectato. Rataldum seu Rotaldum Suessionensem Episcopum & Bonifacium Comitem, quos Ludovicus Derthonam dirigebat, obvios habuerunt itinere jam inchoato, simúlque Aquisgranum ad Imperatorem cum Juditha perrexerunt. Lotharius die Sabbati ante Dominicam secundam Quadragesimæ fugit, & ab illa die quinque supererant Hebdomades ad Paschalem usque Solemnitatem, quarum spatio nuncius ex Monasterio San-Dionysiano sive ex agro Parisiensi Derthonam delatus est, & Juditha Derthonâ pervenit Aquisgranum citissimis itineribus. Pippinus apud Carisiacum Dominicam quartam Quadragesimæ cum patre transegit, & ab eo suum, ut petierat, in Regnum dimissus moram adeò brevem trans Ligerim fecit, ut ad Imperatorem Aquisgrani tunc degentem imminente Paschali Solemnitate redierit. Hæc Astronomus ita complectitur. *Ipse*, nempe Ludovicus Augustus, *Aquasgrani pervenit, ibique Judith Augustam ab Italia reducentibus Rataldo Episcopo & Bonifacio, sed & Pipinum filium recepit. Porrò Carolum jam dudum secum habebat. Ibidémque Pascha Solemnitatem cum solita devotione peregit.* Addit Nithardus [d] Juditham *thoro Regio* non fuisse receptam, *donec se criminibus objectis innoxiam, quia criminator deerat, sacramento unà cum propinquis coram plebe effecit.*

[b] Cap. 51.

JUDITHAM AB ITALIA REDUCTAM SUSCIPIT.

[c] Lib. 1.

[d] Lib. 1.

XIII.

Qui Pascha Nonis Aprilibus Aquisgrani cum Ludovico Augusto celebraret, solus è filiis defuit Lotharius. Rationem sic reddit idem Nithar-

AN. CH. 834. dus. *Lodharium pater persequi distulit, sed Legatos, qui eum citra Alpes festinare juberent, post illum direxit.* In isto textu hæ voces *citra Alpes* difficultatem pariunt, & *citra* pro *ultra*, ut olim à Varrone, videtur usurpari. Legatos igitur à Ludovico directos putamus, qui Lotharium trans Alpes in Italiam abire præciperent. Eò magis arridet hæc interpretatio, quòd ante triennium teste quoque Nithardo Ludovicus *Lodharium solâ Italia contentum eâ pactione abire permisit, ut extra patris voluntatem nihil deinceps moliri in Regno temptaret*, ut ad annum Redemptoris octingentesimum tricesimum-primum observavimus. Patris jussioni non obtemperavit Lotharius, substitit enim Viennæ, séque civili bello rursus accinxit.

LOTHARIUM VIENNÆ SUBSISTENTEM FRUSTRA PER LEGATOS UT TRANS ALPES RECEDAT.

XIV. PENTECOSTEN CELEBRAT AQUISGRANI.

Ludovicus Augustus Aguisgrani non tantùm Pascha Nonis Aprilibus, sed etiam Ascensionem Domini pridie Idus Maias & Pentecosten nono Kalendas Junii celebravit. Post Pascha in Arduenna sylva venationi, post Pentecosten in Vosago sive ad Romarici montem venationi piscationique indulsit, donec Lingonas cum Ludovico filio perrexit, ut Lotharii palàm tunc rebellantis audaciam reprimeret. Istarum rerum partem non modicam sic perstrinxit Astronomus. *Ipse* Ludovicus Imperator *ibidem*, id est, Aquisgrani, *Pascha Solemnitatem cum solita devotione peregit. Post cujus celebritatem per Arduennam sylvam venatione se exercuit, & post sancta Pentecostes Festivitatem, in partes Romerici montis, venationi atque piscationi operam dedit.* Extat ejus Præceptum pro Missione Anschari Hammaburgensis Archiepiscopi, datum Aquisgrani proximo post Ascensionem Dominicam die, sive Idibus Maiis, unde colligimus eundem Ludovicum Aquisgrani degisse pridie easdem Idus, quo die festum agebatur Ascensionis Dominicæ. Nec huic opinioni refragatur venatio, cui post Pascha in Arduenna sylva Ludovicus operam dedit, Aquenses enim sive Aquisgranenses teste Marliano populis accensentur, quos Arduenna sylva Rhenum inter ac Mosam attingit. Illud hoc loco recitaremus Diploma, résque nonnullas enarraremus quæ spectant ad idem tempus, nisi præstaret uno contextu prætermittere quæcumque ad civile bellum hoc anno gestum pertinent, ex quo Lotharius patre dimisso fugam arripuit.

XV. DUCES ALIQUOT AD MARCAM BRITANNICAM CUM LOTHARIANIS INFELICITER PUGNANTES AMITTIT.

Apud Astronomum hæc commemorantur. *Sanè recedente filio Imperatoris Lothario à patre, & in partes prædictas*, id est, in Burgundiam, *abeunte, remanserant in Neustria partibus Lanthertus Comes & Matfridus, ceterique quamplurimi, qui easdem partes propriâ vi retinere nitebantur. Quam rem ægrè ferens Odo Comes & alii multi, Imperatoris partibus faventes, contra eos arma corripiunt, eósque pellere illis locis nitebantur, aut certè cum eis congredi. Qua res cùm segnius quàm decuit administraretur, & minùs cautè circumspiceretur, non minimam calamitatem eis intulit. Dum enim ex insperato illis hostes supervenerunt, illi autem minori quàm res postulabat cautelâ uterentur, insistentibus hostibus terga nudaverunt. Ibíque & ipse Odo cum fratre Willelmo interiit, plurimísque aliis; ceteri salutem in fuga subsidio posuerunt.* Eandem cladem sic refert Nithardus [a]. *Per idem tempus Mathfridus & Lambertus, ceterique à parte Lodharii penes Marcam Britannicam morabantur. Ad quos pellendos missus est Vodo, & omnes inter Sequanam & Ligerim degentes. Qui manu validâ collectâ hinc atque inde convenerunt. Et hos quidem paucitas, ac per hos summa necessitas unanimes effecit. Vodonem autem & suos maxima multitudo securos, discordes, & inordinatos reddidit. Quapropter prælio commisso fugerunt. Cecidit Vodo, & Odo, Vivianus, Fulbertus, ac plebis innumera multitudo.* Adrevaldus in Miraculis [b] Sancti Benedicti solum certaminis exitum, qui luctuosus fuit Imperatori, sic perstringit. *Quidam Clericus fugâ lapsus nuncians cruentissimam eadem nostrorum, adversariorum victricem insistere manum, copias omnes cum auxiliis hinc inde contractis, hac illácque fuga subsidio dilapsas; ductores belli Hodonem, fratrémque illius Guillelmum Comitem Blesensium, Teutonem denique Abbatem Sancti Martini, Guidonem Comitem Canomanensem, cum multis aliis ampla opinionis viris*

[a] Lib. I.

[b] Lib. I. c. 20.

viris, mortem oppetiisse. Breviùs Annalista Bertinianus, sic. *In expeditione, quæ contra Lantbertum & Matfridum aliósque Lotharii complices directa fuerat, interfecti sunt Odo & Wilhelmus frater ejus ac Fulbertus Comites, & Theoto Monasterii Sancti Martini Abbas, & alii quamplures.* Et Annalista Fuldensis. *Pugnatum est eodem anno cum Matfrido & Lamberto. In quo prælio perierunt Vodo Comes Aurilianensium, & Theodo Abbas Sancti Martini Turonensis, & alii multi.* Odo Comes qui Matfrido nuper ejecto Comitatum Aurelianensem denuò recuperarat, ejúsque frater Willelmus Comes Blesensis Ludovicum Augustum in quarto agnationis gradu contingebant, patrem enim habuerunt Theodobertum, avum Nibelungum, proavum Childebrandum fratrem Caroli Martelli, qui Pippini Regis pater, avus Caroli Magni, proavus Ludovici Pii fuit. Annalistæ Fuldensi *Vodo Comes* est *Aurelianensium*, idéoque censemus Vodonem & Odonem eundem esse apud Nithardum, suspicamúrque Willelmum apud eundem Auctorem in Vivianum perperam abiisse. De utriusque liberis agemus inferiùs. Quem Adrevaldus *Tentonem Abbatem Sancti Martini* vocat, is est Annalistæ Bertiniano *Theoto Monasterii Sancti Martini Abbas*, & Annalistæ Fuldensi *Theoto Abbas Sancti Martini Turonensis.* Ad annum Redemptoris octingentesimum tricesimum-primum [a] duo descripsimus Diplomata, data illo anno, mense Novembri; atque ex iisdem Diplomatibus duo Turonis distinximus Monasteria Sancti Martini, quorum uni tunc *Fredegisus*, alteri *Theoto* præerat Abbas. Alio non opus fuit argumento, ut eos redargueremus, qui successivè Fredegisum & Theotonem ejusdem Abbates Monasterii recensent. Theotonem Majoretano * restituimus Monasterio, eúmque ut Anfrisii successorem sic decessorem Siomiri constituimus. Inter exules, quos anno præterito seditiosi revocarunt ab exilio, tres à Nithardo [b] præcipuè nominantur, Walana seu Wala Corbeiensis Abbas ad Somonam, Helisachar Sancti Maximini Abbas in Diœcesi Trevirensi, & Mathfridus Comes. Mansit in perduellione Mathfridus, ut patet ex pugna, quam ab eo contra Ludovicianos Duces hoc anno initam Astronomus, Nithardus, & Annalistæ Bertinianus ac Fuldensis nuperrimè citati testantur. Mansit in eodem reatu Wala, de quo prolixiorem mox sermonem habituri sumus. Secus sentiendum de Helisachare, qui rediit in gratiam cum Ludovico Pio, & sub idem tempus post Herici mortem factus est etiam Abbas Centulensis. Chronographus hujus Cœnobii caput quartum libri tertii sic orditur. *Abbate Herico rebus humanis exempto, Helisacar elegantis gloriæ vir successit in gradu Abbaticio, quem ferunt Gemmetici quoque Monasterii fuisse Rectorem.* Ex hoc Hariulfi textu colligimus Helisacarem duobus Monasteriis præfuisse, Sam-Maximiniano videlicet Trevirensis Diœcesis & Centulensi Diœcesis Ambianensis. Absit autem ut Sam-Maximiniani loco Gemmeticense Diœcesis Rotomagensis reponamus. Haud inficiamur in Abbatum Gemmeticensium Catalogis Helisacarem reperiri. Sed hic Gemmeticense Monasterium ætate Caroli Magni gubernavit, ut Tomo sexto ad annum Redemptoris octingentesimum [c] observavimus.

[a] Num. 14.

* *Marmoutier.*

[b] Lib. 1.

[c] Num. 102.

XVI. Ludovicus Imperator hoc anno, *qui est annus Regni ejus* XXI, non tantùm, ut Theganus [d] testatur, *omnibus indulgentiam præstitit, qui eum coacti reliquerunt*, sed ipsum etiam Lotharium, ubi rescivit illum Viennæ morari, per Oratores sibi reconciliare conatus est. Sic enim scribit Annalista Bertinianus. *Imperator peractis festis diebus* seu Paschali Solemnitate, *convocavit suos Consiliarios atque Optimates, qui in circuitu erant, & cum eis tractare studuit qualiter filium suum Lotharium ad se vocare potuisset. Et missis Legatis in unamquamque partem Regni sui, ut de sua liberatione populo adnuntiarent, & admonerent, ut fidelitatem, quam ei promiserant, adimplere studerent, & quidquid contra illum deliquerant, ob amorem Dei illis indulsisset. Lotharius verò cùm de Parisio proficisceretur, in Provincia urbem Viennam pervenit, ibique commo-*

[d] Cap. 49.

AN. CH. 834.

LOTHARIUM PER ORATORES AD OFFICIUM REVOCARE FRUSTRA CONATUR.

rans multa incommoda illarum partium hominibus intulit. Domnus autem Imperator, ut eum illic esse comperit, misit Legatos qui ei nunciarent, quòd omnia, quæ contra patrem egerat, illi concessisset, & ut cum pace ad eum reverteretur. Quod spernens, venire distulit, sed in eadem pertinacia perduravit. Auxit pertinaciam victoria, quam Lantbertus & Matfridus ad Marcam Britannicam reportarunt. Astronomus enim quæ prælium secuta sunt sic aggreditur. *Quo negotio peracto, ii qui victoriâ potiti sunt, quum neque ibi consistere posse satis tutum videretur, neque Lothario se jungere valerent, verentes ne aut ibi consistentibus Imperator superveniret, aut certè ad suos properantibus in itinere obviaret, ad Lotharium quantocyùs mittunt, ut eis suppetias ferret, quos tanti discriminis metus circumvallaret. Qui audito eorum periculo & rebus gestis, deliberavit eis succurrere.* Nithardus [a] eadem breviùs ita complectitur. *Quod quidem citato cursu victores Lodhario notantes, mandant, ut, quantocyùs posset, illis cum exercitu occurrat. Qui libenter paruit.* Eo consilio Cabilonem cepit, indéque Augustodunum, Aureliam, & in pagum Cenomannensem contendit. Hæc distinctiùs per ordinem sunt exponenda.

[a] Lib. 1.

XVII.

LOTHARIUS CABILONEM EXPUGNAT INCENDITQUE.

Quâ tempestate Lantbertus & Matfridus suppetias à Lothario petierunt, *Warinus Comes cum plurimis sociis castrum Cabillonum utcumque munivit, ut si aliquid ab adversarum partium studiosis moliretur novi, sibi suisque foret receptaculo ac munitioni. Quod quum Lothario compertum foret, improvisus illuc advenire disposuit, quod tamen facere nequivit. Advenit tamen, & oppidum circumdedit, quâ in circuitu civitatis erant incendio conflagrans. Pugnatum est acriter diebus quinque, & tandem ad deditionem primùm urbs recepta est, pòst autem versâ vice, crudelium victorum more, primùm quidem direptionibus Ecclesiæ vastatæ, thesauri deprædati, & communes copiæ direptæ; ad ultimum verò civitas voraci incendio depasta est, præter unam parvam Basilicam, quæ stupendo Miraculo, quum hinc inde cincta fuerit sævientibus & lambentibus flammis, tamen non potuit aduri. Fuit autem consecrata Deo in honorem Beati Georgii Martyris. Nec tamen Lotharii voluntas fuit, ut civitas succenderetur. Adclamatione porrò militari post urbem captam Gotselinus Comes, itémque Sanila Comes, necnon Madalelmus Vassallus Dominicus, capite plexi sunt. Sed & Gerberga filia quondam Willelmi Comitis, tanquam venefica, aquis præfocata est. Quæ dum geruntur, Imperator cum filio Ludovico Lingonum civitatem advenerat, in qua urbe hujuscemodi suscepit nuncium, qui eum valdè mæstum reddidit.* Hæc Astronomus. Audi & Nithardum. *Citato cursu victores* Lantbertus & Matfridus Comites *Lodhario notantes, mandant, ut, quantocyùs posset, illis cum exercitu occurrat. Qui libenter paruit, & Cavillonum collectâ manu validâ venit, civitatem obsidione cinxit, præliando triduum obsedit, & tandem urbem captam unà cum Ecclesiis incendit. Gerbergam more maleficorum in Ararim mergi præcepit. Gozhelmum & Senilam capite punivit. Warino autem vitam donavit, & ut se deinceps pro viribus juvaret, jurejurando constrinxit. Hinc autem Lotharius & sui duobus præliis feliciter gestis magnanimes effecti, universum Imperium perfacilè invadere sperantes, ad cetera deliberaturi Aurelianensem urbem petunt.* Theganus [b] Cabilonensem cladem non omisit, *Lotharius*, inquit, *residens in civitate Cabullonum, ubi multa mala commiserat exspoliando Ecclesias Dei, fideles patris sui, ubicumque comprehendere potuerat, præter Legatos tantùm, Martyres exhibuit. Insuper & Sanctimonialem fœminam, quæ erat soror Ducis Bernhardi, nomine Gerbirch, jussit in vase vinatico claudere, & projicere in flumen Ararim.* Et Annalista Bertinianus. *Lotharius cum suis Cavillonem veniens, eam expugnavit ignique succendit, & Comites, qui ibi aderant, comprehendit, ex quibus tres interfecit. Alios autem secum inde sub custodia duxit, ac sororem Bernardi Sanctimonialem in cupa positam in Ararim fluvium demergi fecit, & deinde Aurelianis venit.* Astronomus Lotharium negat authorem incendii, & acclamatione militari post captam urbem sævitum ait in eos, quos aut capite mulctatos aut aquis suffocatos retulimus. At Theganus, Nithardus, & Annalista Berti-

[b] Cap. 52.

AN. CH. 834. LUDOV. IMP. 21. LOTHAR. IMP. 18. PIPPINI R. 20. LUDOV. R. 18. CAROLI R. 5. XVIII.

nianus, quorum fides potior videtur immanitatem illam in unum à quo jussa est Lotharium refundunt. Gorselinus seu Gozhelmus Comes, cui Lotharius caput amputari præcepit, frater erat Bernardi Ducis, eorumque soror Gerberga Sanctimonialis, quæ jussu quoque Lotharii projecta fuit in Ararim.

Festo Pentecostes apud Aquisgranum celebrato, Ludovicus Imperator Vosagum adiit, ibique cùm venationi tum piscationi dedit operam. Posteà se contulit Lingonas, ut Lotharii consilia molitionésque propiùs observaret. Interim, ut Annalista Bertinianus scribit, *classis de Danis veniens in Frisiam, aliquam partem ex illa devastavit, & inde per vetus Trajectum ad emporium, quod vocatur Dorestadus, venientes omnia diripuerunt; homines autem quosdam occiderunt, quosdam captivatos abduxerunt, partémque ejus igni cremaverunt.* Porrò Ludovicus Augustus in Lingonensi morabatur civitate, quando luctuosum de Cabilonensi clade nuncium accepit. *Post hoc*, ut Theganus subjungit [a], *misit Legatos suos ad Lotharium Marcuvardum Venerabilem Abbatem cum ceteris fidelibus suis, cum epistolis exhortatoriis, quibus admonuit eum imprimis, ut recordaretur Omnipotentis Dei & mandatorum ejus, ut averteret se à via sua prava, & intelligeret quam districtum judicium esset, Deum contemnere in præceptis suis. Dicit enim Deus inter alia præcepta [honora patrem & matrem] & [qui maledicit patri vel matri, morte moriatur.] Hoc præceptum non per Prophetas mandavit, neque per Apostolos, sed ipse Deus scribendo observare præcepit, & quàm grave sit hoc prætermittere, in libro Deuteronomii ostendit dicens. [Si genuerit homo filium contumacem & protervum, qui non audiat patris aut matris imperium, & coercitus obedire contempserit, apprehendent eum & ducent ad seniores civitatis illius, & ad portam judicii, dicéntque ad eos. Filius iste noster protervus & contumax est, monita nostra audire contemnit, comessationibus vacat, & luxuriæ atque convivio. Lapidibus eum obruet populus civitatis, & morietur ut auferatur malum de medio vestri.] Postquam Lotharius locutus fuisset cum supradictis Missis, Legationem eorum graviter ac durè suscepit, & minas eis promisit: quod adhuc non est impletum, neque postmodum fiet. Illi redeuntes ab eo venerunt ad Imperatorem nunciantes ei omnia quæ viderant & audierant. Inde pater ejus ingemiscens congregavit multitudinem copiosam, & perrexit post eum ubi audierat eum esse.* Scribebat Theganus anno pòst secundo, qui fuit *annus*, ut ipsemet loquitur [b], XXIII *Regni Domini Lodewici Piissimi Imperatoris*, id est, annus Redemptoris octingentesimus tricesimus-sextus, quo Lotharius res suas in eo nondum statu collocarat, ut minas Oratoribus patris intentatas aut implevisset, aut brevi crederetur impleturus. Si conjecturis agere licet, Lotharius minatus videtur à Legatis vindictam se sumpturum, statim ac cœpisset summâ rerum potiri, seu vis seu mors patrem exauctorasset; ab hac autem auctoritate longissimè remotus erat, quando Theganus operi suo finem imposuit. Marcuvardus Abbas, qui principem locum inter Oratores Ludovici tenuit, Monasteriis Prumiensi & Andaginensi præerat, odium fortè Lotharii gravius incurrit, quòd etsi Carolum Regem in Cœnobio Prumiæ custodiendum suscepisset, à fide tamen erga Ludovicum Augustum non desciverat, suâque dissuaserat industriâ, ne tonderetur idem Carolus, quem *Prumiæ commendatum nec tamen attonsum* dicit Astronomus. Per eundem Marcuvardum Lupus Ferrariensis Monachus, qui Rabanum in Monasterio Fuldensi Præceptorem ac sacrarum Scripturarum Interpretem audiebat, hoc anno consolatorias Regimberto literas direxit, quæ tamen in ejus manus minimè devenerunt. Id patet ex aliis Lupi literis [c] ad eundem Reginbertum datis exeunte mense Septembri, *Indictione primâ* jam inchoatâ, sive anno Redemptoris octingentesimo tricesimo-septimo. *Graviter*, inquit, *in me literæ tuæ invectæ sunt, quòd videlicet omni germanitate atque naturâ eò usque mentem exuerim, ut infelicitatem tuam saltem consolatoriis apicibus fastidissem lenire,*

FRISIA VASTATUR A DANIS.

[a] Capp. 51. 54.

LOTHARIUS LEGATOS PATRIS DURE SUSCIPIT.

[b] Cap. 58.

[c] Ep. 6.

AN. CH. 834. LUDOV. IMP. 21. LOTHAR. IMP. 18. PIPPINI R. 20. LUDOV. R. 18. CAROLI R. 5. XIX.

quando alterius subsidii conferendi nulla copia provenisset. Unde collegi litteras meas nequaquam tibi redditas, quas per Marcuvardum Abbatem à Transrhenanis partibus ante hoc fermè triennium direxi, nec tamen illius incuriâ. Nam ipse cùm te minimè invenisset, gentili nostro Bodoni, quem nobis fidum credebat, monstratas litteras tibi tradendas reliquit. Quod ille si complevisset, cognovisses me fraternâ pietate non tua modo penitus miseratum incommoda, sed etiam recuperandæ fortunæ jam tum consilium agitasse. Ex illis literis, de quibus ad annum, quo scriptæ sunt, fusiùs agemus, pater Reginbertum fuisse Monachum. Quod attinet ad Bodonem, hunc existimamus Diaconum Palatinum extitisse, cujus lapsum in Judaïsmum suo loco describimus.

Astronomus res à Lothario gestas post expugnatam Cabilonem sic persequitur. *Lotharius a Cabillono iter suscepit ad Augustodunum, indéque ad Aurelianam urbem pervenit, deinde in pagum Cenomannicum, in villam cujus vocabulum est Matualis, devenit. At Imperator cum suis maximis copiis, simul & Ludovico filio, eum sequitur. Quo audito, filius ejus Lotharius, jámque suis receptis, non multo intervallo à patre castra fixit, ibíque quatuor diebus Legatis intercurrentibus moratum est. Quartâ sanè nocte Lotharius cum suis hominibus referre pedem ad posteriora cœpit. Contra quem pater compendioso itinere obambulabat, usquequo perventum est ad fluvium Ligerim prope Castrum Blesense, quo Ciza fluvius Ligeri confluit. Positis hinc inde castris occurrit etiam patri Pippinus filius cum quanto potuit militari apparatu. Infractus ergo viribus Lotharius supplex ad patrem venit. Quem ille coercitum verbis, & obligatum tam ipsum quàm Proceres ejus, quibus voluit sacramentis, in Italiam remisit, oppilatis angustiis itinerum, quæ in Italiam transmittunt, ne quis transire posset nisi licentiâ custodientium.* Theganus [a] magnificæ meminit Legationis, quam Imperator, cùm esset in prælii procinctu, paternâ misericordiâ commotus ad Lotharium direxit. *Venerunt filii obviam ei, Pippinus ab Occidente & Ludowicus ab Oriente, uterque cum magna multitudine ad obsequium patris. Cúmque appropinquarent ad Aurelianensium civitatem, ubi erat Lotharius propè cum seductoribus suis impiis, de quibus superius mentio facta est, acquiescere exhortationibus patris noluit, sed quadam nocte elongavit se ab eo quasi fugiendo. Tunc Imperator misit Legatos suos post eum, Baradadum Episcopum Saxonicum* seu Baduradum Episcopum Paderbornensem in Saxonia, *& Gebehardum nobilissimum Ducem, & Berengarium sapientem propinquum suum. Qui venientes ad eum, statim jam dictus Episcopus præcepit ei sub edicto Omnipotentis Dei & Sanctorum ejus, ut alienaret se à societate impiorum seductorum ejus, ut liquisset fideles Imperatoris ostendere, si voluntas Dei esset, ut discordia eorum permaneret an non. Post Legationem Episcopi, supradicti Duces protulerunt quod eis imperatum fuerat. Quos statim rogavit ad modicum tempus egredi foras, & statim revocavit, deprecans eos ut ei consilium darent de omnibus actis suis. At illi instruxerunt eum ut veniret ad præsentiam patris cum ceteris seductoribus suis promittentes pacem. Et ille cum illis promisit venire. Inde revertentes Legati venerunt ad Principem, nuntiantes ei quicquid gestum erat. Postquàm venit Lotharius ubi erat Imperator pater ejus sedens in papilione suo, qui erat extensus valdè in altum in campo magno, ubi eum exercitus omnis contemplabatur, & filii ejus fideles steterunt juxta eum. Tunc veniens Lotharius cecidit ad pedes patris, & post eum socer ejus Hugo timidus. Tunc Mathfridus, & ceteri omnes qui primi erant in facinore illo, postquàm surrexerunt de terra, confessi se valdè deliquisse. Post hæc Lotharius juravit patri suo fidelitatem, & ut omnibus imperiis suis obedire debuisset, & ut iret in Italiam, & ibi maneret, & inde non exiret nisi permissione patris. Tunc juraverunt & ceteri. Post hæc Piissimus Princeps indulgentiam dedit eis, si hoc juramentum conservarent. Dimisit eos habere patrimonia, & omnia quæ habebant, præter quod ipse manu propriâ tradidit eis. Diviserunt se ibi, & Lotharius perrexit in Italiam cum consentaneis suis, & statim Mathfridus, qui erat maximus incentor omnium illorum malorum,*

PACEM PETERE COACTUS IN ITALIAM REMITTITUR.

[a] Capp. 54. 55.

AN. CH. 834.

LUDOV. IMP. 21. LOTHAR. IMP. 18. PIPPINI R. 20. LUDOV. R. 18. CAROLI R. 5.

mortuus est, & ceteri nonnulli. Hi verò qui remanserant, febre correpti sunt. Lothanus pacem non sponre sed coactus iniir, *cùm nec fugæ nec prælii locum videret*, quia Franci seu Neustrasii, qui bis ab Imperatore defeceranr, in idem flagirium tertiò labi noluerunr. Hae de re sic Nithardus [a]. *Lodharius & sui duobus præliis feliciter gestis magnanimes effecti, universum Imperium perfacilè invadere sperantes, ad cetera deliberaturi Aurelianensem urbem petunt. Quod pater audiens, è Francia manu validâ collectâ, insuper Lodhwico filio suo, cum universis qui trans Rhenum morabantur, in auxilium sibi assumpto, tantum facinus a filio in Imperium commissum vindicaturus perrexit. Lodharius quoque eâdem spe, quâ Francos abducere consueverat, animatus ire obvius ratum duxit. Ac per hoc hinc inde confluunt, supráque fluvium juxta villam, quæ Calviacu[illegible] dicitur, castra ponunt. Sed Franci, eò quod Imperatorem bis reliquerant, pœnitudine correpti, & ut deinde tale quid committerent turpe judicantes, ad defectionem impelli dedignati sunt. Quamobrem cùm nec fugæ nec prælii locum videret, eâ pactione novissimè prælium diremit, ut infra dies statutos Alpibus excederet, ac deinceps sine patris jussione fines Franciæ ingredi non præsumeret, & extra patris voluntatem in ejus Imperio deinceps nihil moliri temptaret. Quod & ita se & suos servaturos tam is quàm & sui sacramento firmaverunt.* Annalista Bertinianus rempus quo Ludovicus contra Lotharium movir, pagósque per quos irer habuit, ita commemorar. *Convocavit exercitum Lingonis medio mense Augusto, ibíque annualia dona suscipiens, continuò ad liberandum populum contra invasores Regni iter per Tricassinorum & Carnotum ac Dunensium regiones juxta Blisum Castellum unà cum filio suo Ludoico pervenit, ibíque castra metatus est.* Deinde cerera, quæ spectant ad pacem, & ex aliis Auctoribus jam relata sunr, sic perstringit. *Ibi etiam Pippinus filius ejus cum exercitu in auxilium patri occurrit. Nam Lotharius haud procul in castris residens cum suis minitabatur, quod tamen minimè efficere potuit. Tunc Domnus Imperator solitâ clementiâ motus misit ad illum, ut pacificè ad se veniret, quia universa, quæ contra illum dicta habuerat, ei suísque omnibus concederet. Et Lothario quidem Italiam, sicut tempore Domni Karoli Pippinus germanus Domni Imperatoris habuerat concessit. Ceteris verò vitam, membra, hereditatem, & multis beneficia perdonavit. Quem pater ad se cum suis venientem fortiter juramento constrinxit, ne talia facere, aut alicui sentire in postmodum tam ipse quàm sui deberent. Quibus confirmatis, eum in Italiam regredi fecit cum his qui eum sequi maluerunt.* Lotharium in Iraliam reversum mox adiit Maxenrius Patriarcha Foro-Juliensis. Hic ex quo Gradus ad Veneros defecerar, Istriam ad provinciam Foro-Juliensem revocare conabarur. Obsistebar Venereus Gradensis Patriarcha. Favir Venereo Gregorius Papa, Maxenrio Lorharius Augustus. Urriusque Patriarchæ causa discussa est in Concilio Mantuano, de quo sermonem anno proximo facturi sumus.

FAVET PATRIARCHÆ FORO-JULIENSI CONTRA GRADENSEM.

XX.

Interim placet hîc inquirere, quid Ludovicus Augustus confectâ pace dimissóque in Iraliam Lorhario peregerit ad initium usque subsequenris anni. *Aurelianis usque pervenit cum filio Ludovico, ibíque tam filio quàm aliis reditu ad propria indulto Parisius ipse pervenit. Habuit autem eo tempore circa Missam Sancti Martini Conventum generalem in Attiniaco Palatio, ubi quum multa perperam inolita purgare decrevisset, tam in Ecclesiasticis quàm publicis rebus, tunc præcipuè fuerunt ista. Mandavit filio Pipino per Ermoldum Abbatem, res Ecclesiasticas, quæ in Regno ejus erant, quas vel ipse suis attribuerat, vel ipsi sibi præripuerant, absque cunctatione Ecclesiis restitui. Missos etiam per civitates & Monasteria transmisit, statúmque Ecclesiasticum penè collapsum in antiquum statum erigi jussit. Itémque præcepit, ut Missi per singulos Comitatus irent, qui immanitatem prædonum atque latronum, quæ inaudita emerserant, cohiberent, & ubi eorum major vis incubuerat, etiam Comites vicinos & Episcoporum homines, ad tales revincendos & proterendos sibi adsciscerent, & de his singulis sibi in proximo Placito generali Wormaciam, quod futurum transactâ*

LUDOVICUS PACE PACTA CONVENTUM CELEBRAT APUD ATTINIACUM.

[a] Lib. 2.

AN. CH. 834.
LUDOV. IMP. 21.
LOTHAR. IMP. 18.
PIPPINI R. 20.
LUDOV. R. 18.
CAROLI R. 5.

hyeme & suadente vernali gratiâ indixit. Transegit ergo Imperator maximam partem hyberni temporis Aquisgrani. Indéque profectus est ad Theodonis villam ante Natalem Domini, ubi etiam populus, cui praeceptum fuerat, advenit. Annalista Bertinianus meminit Attiniacensis Placiti, sed ea reticet quæ gesta sunt in illo Conventu, transirque ab Attiniaco ad Theodonis villam nullâ mentione factâ moræ, quam Imperator, antequàm ad Theodonis villam proficisceretur, egit Aquisgrani, non quidem *maximâ parte hyberni temporis*, ut vulgatus habet Astronomi textus, at primâ duntaxat hyemis parte, pervenit enim *ad Theodonis villam ante Natalem Domini*, Festúmque celebravit Metis, deinde ad Theodonis villam reversus reliquam illic hyemem transegit. Textus Annalistæ talis est. *Ipse circa Aurelianis perveniens, Pippino & Ludoico cunctóque exercitui redeundi licentiam tribuit, & per Parisius ad Attiniacum veniens, ibi Placitum cum suis Consiliariis circa Missam Sancti Martini habuit. Ibíque negociis Regni dispositis, ad Theodonis villam ad hyemandum profectus est. Dominica Nativitatis Festum hilariter, à Drogone fratre suo & Metensis urbis Episcopo decentissimè susceptus, in eadem civitate celebravit. Ibique festis peractis diebus, ad suum Palatium in Theodonis villam reversus est.* Series igitur rerum hoc debet ordine concinnari. Ludovicus Augustus firmatâ pace Placitum apud Attiniacum habuit circa Festum Sancti Martini, peracto Conventu profectus est Aquisgranum, inde digressus ad Theodonis villam pervenit paucis ante Domini Natalem diebus, ipsam Nativitatis Dominicæ Festivitatem Metis celebravit, eâque peractâ rediit ad Theodonis villam, ubi reliquam egit hyemem. Illarum rerum maximam partem silentio prætermisit Theganus. *Imperator*, inquit [a], *inde*, id est, ex agro Blesensi, ubi Lotharius pacem cum patre pepigit, *regrediens venit ad Palatium Theodonis, & ibi totam hyemem peregit.* Nithardus [b] quia sermonem de solis divisionibus inter Ludovici filios exortis instituit, res hoc anno post instauratam pacem annísque proximis gestas omittit, totóque illo tempore id unum observat, quòd *pater, uti & cum quibus consueverat, Imperium regebat.* Herinicus Abbas, qui Miciacense Monasterium in Aurelianensi Diœcesi per illud tempus administrabat, Ludovicum Augustum in illa regione moras facientem adiit, obtinuitque corpora Sanctorum, Maximini Senioris, Theodemiri, & Maximini Junioris, qui locum eundem sexto seculo gubernarunt. Rem, ut gesta est, sic exponit vetus Auctor in Miraculis [c] Senioris Maximini. *Ludovico imperante Heriricus Abbas cum Fratribus Palatium petit, corpus Beati Patris Maximini expostulaturus, itidémque alias utilitates loci sibi commissi non neglecturus. Imperator verò faciens his petitionibus evocato Jonâ Episcopo jussit reddi corpus, quod cum magno gaudio à loco sepulcrali, in quo id Sigobertus Episcopus deposuerat, elevatum, atque ad Miciacense Monasterium cum ossibus duorum ejus discipulorum, Theodemiri scilicet atque Maximini, perlatum est.* Aurelianenses Episcopi fuerunt Sigobertus & Jonas. Sigobertum Tomo tertio memoravimus ad annum Christi sexcentesimum sexagesimum-septimum [d], tunc enim conglobatim egimus de proximis Leodegarii successoribus, eorúmque sola notavimus nomina præter Ecclesiam Sancti Maximini, quam Sigobertus extruxit in agro sui juris, & Miciacensi Monasterio contradidit. De erectione istius Ecclesiæ & de prima Sancti Maximini Translatione sic idem qui proximè citatus est Auctor. *Locus quo beatissimi Patris Maximini corpus habetur humatum, cùm multis polleret virtutum signis, primævo suo tempore magno celebrabatur honore. Cùmque multi beneficia petituri convenirent, & pro voto res pluribus cederent, ut assolet novitas nimium grata beneficiorum cœpit vilescere negligentiâ posterorum. Sed in Episcopatu Ecclesiæ Aurelianensis subrogatus Sigobertus & genere & moribus nobilissimus, videns hunc locum olim florentissimum à priscâ nobilitate defecisse, agerrimè tulit. Consilio itaque Cleri vel populi ab eodem loco ossa sancti transferuntur Maximini in Ecclesiam quam*

ADIT AQUISGRANUM, THEODONIS VILLAM, METAS,

ITERUM THEODONIS VILLAM.

[a] Cap. 56.

[b] Lib. 1.

[c] Sec. 1. Benedict.

TRANSLATIO SS. MAXIMINI SENIORIS, THEODEMIRI, ET MAXIMINI JUNIORIS, ABBATUM MICIACENSIUM.

[d] Num. 28.

idem Episcopus in agro juris sui construxerat, quæ quidem extra urbem sub muro est vicina, contiguáque Ecclesiæ B. Aniani quam Miciaco dedit. Venerabilis autem Episcopus eandem Ecclesiam propriis facultatibus dotavit, quatenus & Clericos qui Deo servirent haberet, & lucerna & alii congruentes ornatus ei non deessent. Ibi jacuit corpus Sancti Maximini, donec translatum est in Miciacense Monasterium, cum Reliquiis Sancti Theodemiri & Sancti Maximini Junioris, ut dictum suprà, Ludovico Pio tunc Imperatore, Jonâ Aurelianensi Episcopo, & Heririco Abbate Miciacensi Lege Tomo primo [a] quæ dicta sunt de Miciacensibus Abbatibus, Sancto Theodemiro & Sancto Maximino Juniore, & Saussleyum [b] asserentem corpus Sancti Theodemiri in Ecclesia Magdunienfi adhuc asservari sic interpretare, ut ex quo Magduni sepultum fuit, partem Reliquiarum illic semper fuisse credas, alterâ Miciacum nono seculo translatâ.

AN. CH. 834. LUDOV. IMP. 21. LOTHAR. IMP. 18. PIPPINI R. 20. LUDOV. R. 18. CAROLI R. 5.

Magno studio consuluimus contulimúsque synchronos ac suppares Auctores, qui literis prodiderunt, quomodo Ludovicus Imperium ac Regnum amisit recuperavítque. Post examen tam longum támque accuratum temperare non possumus, quin hoc loco Paulum Æmilium in multis redarguamus. Scribit iste in hunc modum. *Jam Lotarius in Francia castra adversùs patrem posuerat, sperans totam Italiam pro eo in patrem signa laturam. Sed procul abfuit, ut Italici generis Proceres filium in patrem armatum armis juvarent. Gregorius Pontifex Ravennatium ultrò citróque commeans pervicit ne collatis signis pugnaretur. Pacis conditiones convenere, quæ in præsentia sanctæ fuere. Gregorio in Italiam regresso, Lugduni Concilium Episcoporum, quos filii Reges contraxerant habitum, Imperiúmque patri abrogatum. Quod Decretum mox à Gregorio Pontifice Maximo rescissum est, & audacia Archiepiscopi Lugdunensis mulctata. Ex Sede enim dejectus est. Hæ res in vicesimum à Magni obitu tractæ. Intereà prætextu Lugdunensis Concilii rerum administratione motus Ludovicus, in Divi Medardi Cœnobio tondetur, Monachi habitu suscepto ac additâ custodiâ. Quâ indignitate permoti qui Francorum Optimatium à conjuratione erant, Ludovicum sibi reddi postulantes, cogunt copias adversùs Lotarii Pipinique exercitum. Drogo Mediomatricum Episcopus Magni ex pellice filius legatur ad Lotarium. Ejus Majestas parum apud insanos virium habuit. Subsecutus Anselmus Cavillonensium Comes apud Lotarium* orationem habuisse fertur, quam vitandæ prolixitatis causâ lubenter omittimus. *Respondit Lotarius patrem Concilii Decreto tonsum fuisse, se, quia reddi Optimates velint, ut antè Concilio, ita nunc illis morem gesturum. Ita redditus Augustus coacto liberiore Patrum Concilio, prioréque Decreto inducto, Insignia Imperii recepit.* Quot quantique sunt errores in hac narratione? Quando *Lotarius* ejúsque fratres Pippinus ac Ludovicus in Alsatia contra patrem castra posuerunt, Gregorius, qui Ludovicum Imperatorem è Lotharianis castris adiit, & ultrò citróque commeando filios patri se reconciliaturum speravit, non Ravennatensis Archiepiscopus, sed Romanus Pontifex fuit. Id distinctè docet Theganus [c] his verbis. *Filii ejus*, nempe Ludovici Imperatoris, *perrexerunt ei obviam cum Gregorio Romano Pontifice.* Docet & Astronomus, sic. *Tandem ad id ventum est, ut filios Imperatoris in unum cum copiis quibus poterant coire facerent, Gregoriúmque Papam advocarent, sub ornatu quasi qui patri solus filios reconciliare deberet & posset.* Item. *Imperator filos hortabatur ad se veniendum & redeundum. Sed & Papam Romanæ Sedis conveniebat, ut si more prædecessorum suorum aderat, cur tantas necteret moras non sibi occurrendo.* Et paulò pòst. *Nuntiatum est Imperatori advenire Papam Romanorum.* Denique sic. *Gregorius Papa talia cernens maximo mœrore Romam regreditur.* His Auctoribus Nithardum [d] adde, cujus hæc sunt verba. *Gregorium Romanæ Sedis Pontificem, ut suâ auctoritate liberiùs quod cupiebant perficere possent, sub eadem specie magnis precibus in supplementum suæ voluntatis assumunt. Quapropter Imperator unà cum omni quod habebat Imperio, tres Re-*

XXI. PAULUS ÆMILIUS REFELLITUR.

[a] Ad an. 549. nu. 16. 17.

[b] Lib. 3. c. 29.

[c] Cap. 42.

[d] Lib. 1.

AN. CH. 834. LUDOV. IMP. 21. LOTHAR. IMP. 18. PIPPINI R. 20. LUDOV. R. 18. CAROLI R. 5.

ges filiique ejus adversus eum cum ingenti exercitu, insuper Papa Gregorius cum omni comitatu Romano Elisatam confluunt. Et inferius. *Gregorius Papa itineris pœnitudine correptus, tardius quam vellet Romam revertitur.* Hæc certè Ravennati Metropolitæ non conveniunt. Lege si lubet Panegyristen Walæ, necnon & Annalistam[a] Bertinianum ac Fuldensem, quibus supersedemus. Quid enim opus tot auctoritatibus, cùm Gregorius, qui Ravennæ sedit, Archiepiscopus esse non cœperit ante annum secundum ab Alsatico colloquio, sive ante annum Redemptoris octingentesimum tricesimum-quintum, quo Pertinax ejus decessor vitam clausit, ut habet Ughellus apud quem hæc leguntur in Ravennatibus[b] Archiepiscopis. *Vitam liquit Pertinax anno 835, 6 Id. Martii.* Præterea Paulus Æmilius fingit celebratum Lugduni Concilium, cujus Decreto potestas omnis Imperatori Ludovico sit abrogata. Conventus autem, in quo Ludovicus exauctoratus est, non Lugduni sed *apud Compendium Palatium* habitus fuit. In Actis impiæ ac nefariæ istius exauctorationis, quæ suprà descripta sunt, ipsimet Episcopi sic loquuntur. *Nos Episcopi super Imperio Domini & Gloriosissimi Lotharii Imperatoris constituti, anno Incarnationis Domini Jesu Christi* DCCCXXXIII, *Indictione* XII, *anno siquidem ejusdem Principis primo, in mense videlicet Octobri, apud Compendium Palatium generaliter convenimus.* Commentitia sunt igitur, quæcunque scribit Æmilius de Lugdunensi seu Concilio seu Decreto. Cæsar Baronius[c] ex eodem Æmilii textu infert Ludovicum in pristinam Dignitatem auctoritate Romani Pontificis restitutum fuisse. *Quod spectat*, inquit, *ad restitutionem Ludovici in Imperium, id factum auctoritate Gregorii Papæ Paulus Æmilius haud obscurè significat, dum ait Decretum abrogationis Imperii Ludovici ab ipso Gregorio Papa fuisse rescissum, sed, ut Marianus Scotus, addit & Judith Augustam pariter voluntate Gregorii Papæ restitutam.* Anno priore Gregorius Papa Quartus rerum in Alsatia gestarum testis oculatus fuit. In dubium non vocamus, quin Procerum ac plebeiorum defectionem ab Imperatore, filiorum rebellionem contra patrem, Judithæ avulsionem à marito, ipsius Imperatoris captivitatem ægerrimè tulerit. At ut nullum pòst ea de causa coactum Lugduni Concilium, sic nec editum est Lugdunense Decretum exauctorationis Ludovicianæ, nec Gregorius Pontifex hujuscemodi Decretum rescidit. Seriùs ex Decreto Conventûs Compendiensis, quem Astronomus *Missâ Sancti Martini* seu tertio Idus Novembris finitum scribit, exauctoratus est Ludovicus, privatámque duxit vitam quatuor ferè mensibus ab Kalendas usque Martii, quo die pristinam Dignitatem recuperavit absque Pontificio Diplomate, nam Lotharius, à quo captivus sub custodia detinebatur, in fugam actus est à Francis præteritarum rerum pœnitentiâ seriò ductis. Quod ad Juditham Augustam attinet, hæc ab Imperatore bis avulsa est; semel anno Redemptoris octingentesimo tricesimo, quo ducta fuit in Aquitaniam & apud Pictavium inclusa puellari Monasterio Sanctæ Radegundis; iterum anno Redemptoris octingentesimo tricesimo-tertio, quo relegata fuit in Italiam & Derthonæ servata sub custodia. Prioris ablegationis meminit Marianus Scotus, posterioris nequaquam, sic enim ad annum Redemptoris octingentesimum tricesimum-primum scribit de illius reditu. *Rex Reginam Aquis obviam ei venientem jubente Papâ Gregorio accepit.* Nec id suo loco dissimulavimus textu Thegani[d] sic allegato. *Venit Dominus Imperator Aquis ad Sedem suam, & supradicta conjux venit ibi obviam ei, quam honorificè suscepit jubente Gregorio Romano Pontifice cum aliorum Episcoporum justo judicio.* Deinde apud Æmilium *rerum administratione motus Ludovicus, in Divi Medardi Cœnobio tondetur, Monachi habitu suscepto.* Quod apertè pugnat cum Thegano, cum Astronomo & cum Annalista Bertiniano. Theganus[e] sic habet. *Lotharius duxit secum patrem ad Compendium Palatium, & ibi valdè afflixit eum cum Episcopis & ceteris nonnullis. Jusserunt enim*

[a] Ad an. 833.
[b] Tom. 2. Ital. Sacr. in Archiep. Ravenn. 51.
[c] Hoc an. n. 4.
[d] Cap. 37.
[e] Cap. 43.

AN. CH. 834. LUDOV. IMP. 21. LOTHAR. IMP. 18. PIPPINI R. 20. LUDOV. R. 18. CAROLI R. 5.

enim eum ire in Monasterium, & ibi esse omnibus diebus vitæ suæ. Quod ille renuens, non consensit voluntati eorum. Astronomus, sic. *Adjudicatum eum absentem, & inauditum, nec confitentem, neque convictum, ante corpus Sancti Medardi Confessoris & Sancti Sebastiani Martyris, arma deponere & ante Altare ponere cogunt, pullâque indutum veste, adhibitâ magnâ custodiâ, sub tectum quoddam retrudunt.* Annalista Bertinianus, sic. *Domnus quidem Imperator in Aquis servabatur, nihilque humanum erga illum fiebat, sed multò crudeliùs* quàm Suessione & apud Compendium, *adversarii ejus in illum sæviebant, die noctúque satagentes tantis afflictionibus illius animum emollire, ut sponte seculum reliquisset, & se in Monasterium contulisset. At ille numquam se facturum aiebat, quamdiu de se nullam potestatem haberet, aliquod votum.* Denique apud Æmilium error est injurius Carolo Magno, Reginæ Augustæ, illorúmque filio Drogoni Metensium Episcopo, quem *Magni ex pellice filium* vocat. Regina, quamvis ab antiquis Auctoribus concubina dicta reperiatur, non pellex sed uxor Caroli fuit, nec ex pellicatu natus est illorum filius Drogo. Lege superioribus Tomis, quæ scripta sunt de variis concubinæ significationibus, ut Carolus & ejus uxores ac liberi vindicarentur à calumnia.

XXII. Item Encomiastes Walæ Abb. Corbeiens.

Wala Corbeïensis Abbas abiit in Italiam cum Lothario. Panegyristes, qui primâ parte Seculi quarti Benedictini publicatus est, plurimùm torquetur, ut utriusque discessionem è Gallus excuset. Imprimis flagitium in exauctoratione patris ab Honorio seu Lothario commissum elevat, & Arsenium seu Walam redintegratæ pacis authorem summoperè commendat. *Regnum,* inquit, *& Imperium, quod ceciderat,* Honorius *comitante secum Augusto patre sustinuit, & servavit; neque in eo quippiam admisit, nisi quod universus Senatus coegit & populus, in potestatis privatione & judicio Præsulum, qui eum sub pœnitentia redegerunt. Hæc omnia quidem Arsenius noster unà cum Dei gratia temperabat, ne utra eorum pars in altero crudeliùs quàm natura sinit, aut sceleftiùs pro tanto discrimine ageret. Sed cùm vorax flamma discordiarum ampliùs sæviret, nec pater Augustus in aliquo adquiescens sponte emollesceret, ne fortè parricidium proveniret, fecit suo sancto consilio, Augustus filius relicto patre rursus in solio Imperii, petitâ veniâ, cum suis omnibus, qui cum eo consenserant, liber ut abiret.* Et paucis interjectis. *Arsenius, cùm vidisset diversos dolos & fraudes hinc inde compugnare, fecit ut filius patri deferret, & cum suo exercitu inlæsus abiret, ac pater cum his, qui cum eo vellent, in Imperio remaneret.* Item inferiùs. *Arsenius persuasit, filius ut abscederet unà cum suis omnibus, & pater olim malè tractato potiretur Imperio.* Quis huic scriptioni fidem adhibeat? Lotharius plurimos ex iis, qui castra patris sequebantur, donis ac pollicitationibus ad defectionem pellexit, ipsum patrem ad se venientem sub custodia detinuit, & post varias transmigrationes quadam specie juris exauctorandum curavit, ideóque Regnum & Imperium servasse prædicatur. Quomodo Imperator à suis in Alsatia derelictus sit in prælii procinctu atque in potestatem Lotharii venerit, sic docet Astronomus jam citatus. *Cùm jam jámque ruendum in arma putaretur, nunciatum est Imperatori advenire Papam Romanorum,* nempe Gregorium Quartum. *Ductus autem Papa in habitationem castrensem, multis assertionibus perdocuit, non se tantum iter ob aliud suscepisse, nisi quia dicebatur, quòd inexorabili discordiâ contra filios laboraret, ideóque pacem in utramque partem serere vellet. Auditâ verò parte Imperatoris, mansit cum eo aliquot diebus. Remissus autem ab Imperatore ad filios, ut pacem mutuam necteret: quum penè omnis populus partim donis abstractus, partim promissis illectus, partim minis territus, ad eos populúmque cum eis consistentem more torrentis deflueret, nequaquam ut fuerat jussus, est permissus redire. Tot ergo copiis inibi adductis & Imperatori subductis, adeò defectio in dies invaluit, ut in Festivitate Sancti Pauli* pridie Kalendas Julii, *plebeii contra Imperatorem, adulando filiis ejus, irruptionem facere minarentur. Quibus*

AN. CH. 834. LUDOV. IMP. 21. LOTHAR. IMP. 18. PIPPINI R. 20. LUDOV. R. 18. CAROLI R. 5.

viribus Imperator obniti non valens, filiis mandavit, ne se populari direptioni exponerent. Cui remandant, ut castris relictis ad se veniat; se autem maturrimè obviam ipsi processuros. Quibus altrinsecus sibimet occurrentibus, Imperator filios admonuit, equis desilientes & sibi occurrentes, ut promissionis sua memores, tam sibi quàm filio & uxori, illibata qua olim promiserant conservarent. Quos congruè respondentes osculatus, & ad castra illorum est profectus. Quò pervenienti uxor subducitur, & ad Ludovici tabernacula convertitur. Ipsum verò Lotharius ad sua cum Carolo admodum puero deduxit, & cum paucissimis in papilione ad hoc deputato consistere fecit. Post hac autem jam populo juramentis obstricto, Imperium inter fratres ternâ sectione partitur. Abhinc quidam seditiosi novam epocham Imperii Lothariani duxerunt. Habitus est proximo mense Octobri Conventus Compendiensis, cujus Decreto impiè nefariéque exauctoratus Ludovicus privatam deinceps vitam quatuor ferè mensibus ad Kalendas usque Martii duxit. Pridie illas Kalendas Lotharius, Imperatore ejúsque filio Carolo, quos in San-Dionysiano Parisiensis agri Monasterio sub custodia detinebat, dimissis, abiit in Burgundiam. Cur fugam adeò præcipitem arripuerit, exponunt, Astronomus, Nithardus, & Annalista Bertinianus. Audi Nithardum. *Pippinus & Lodhuwicus videntes, quòd Lodharius universum Imperium sibi vindicare illósque deteriores efficere vellet, graviter ferebant. Insuper autem dum huc Lambertus atque Mathfridus, quis illorum secundus post Lodharium in Imperio haberetur, ambigerent, diffidere cœperunt. Et quoniam quisque eorum propria quærebat, rem publicam penitus negligebant. Quod quidem populus cernens, molestus erat. Occurrebat insuper etiam filiis verecundia & pœnitudo, quòd patrem bis honore privaverant; universa plebi, quòd bis Imperatorem dimiserant, ac per hoc inde in restitutione ejus consentiunt, & undique ad Sanctum Dionysium, ubi tunc Lodharius patrem & Karolum servabat, affluere contendunt. Cernens Lodharius prædictam animositatem vires suas excedere, antequàm conveniant, arma sumit: patrem ac Karolum dimittit, itineréque arrepto Viennam petit.* Accuratiùs ab Astronomo & ab Annalista Bertiniano varii distinguuntur exercitus, quos Pippinus & Ludovicus Reges multique Proceres initâ conspiratione contra Lotharium collegerunt. *Pippinus*, ut Annalista prodit, *convocavit exercitum Aquitanorum & Ultra-Sequanensium*, &c, ut Astronomus testatur, *ab Aquitania cum maxima manu exiens, & ad Sequanam usque veniens, quum pontes dissipati, navésque altò demersa, transitum prohibuissent, substitit.* Convocavit *Ludoicus Bajoarios, Austrasios, Saxones, Alemannos, necnon & Francos qui citra Carbonariam consistebant.* Ita scribit Annalista. Deinde, teste Astronomo, *Warinus & Bernardus Comites, plurimis sociorum ex Burgundia partibus coactis, & ad Matronam fluvium usque pervenerunt, & ibi partim asperie & intemperie aeris retardati, partim pro colligendis sociis suspensi, in villa Bonogilo* pagi Parisiensis, *& iis pradiis qua circumjacent, aliquot diebus consedere.* Prætereà, teste eodem Auctore, *Eggebardus Comes & alii illius pagi Proceres cum magna coacta manu pro liberatione Imperatoris pugnaturi processerunt.* Lotharius, cùm undequaque ab hoste cingeretur, ad ultimas redactus angustias nec de sancienda pace nec de postulanda venia cogitavit, sed insalutato patre fugâ saluti suæ suorúmque consuluit. Nuncios cùm Pippini Regis tum Warini & Bernardi Comitum jam audiverat, imò præceperat *ut Missi sibi in crastinum dirigerentur,* quando *mutato* repentè *consilio*, ut Astronomus subdit, *cum his, qui ejus favore ducebantur, relicto patre in Monasterio Sancti Dionysii, ipse Burgundiam petiit, Viennam usque pervenit, ibidémque stativa facere delegit;* sive, ut apud Annalistam legimus, *perterritus* adventu fratrum, quorum alter *Sequana* jam imminebat, alter *in easdem partes* properabat, *patre dimisso, primo Kalendarum Martiarum die cum suis aufugit.* Hac Lotharii fugâ Ludovicus Imperator libertatem cum pristina Dignitate recuperavit, at Regno pax non est restituta, rebellem enim ut anteà se gessit Lotharius, idque constat ex

AN. CH. 834. LUDOV. IMP. 21. LOTHAR. IMP. 18. PIPPINI R. 20. LUDOV. R. 18. CAROLI R. 5.

victoria quam per Lantbertum & Mathfridum Comites in partibus Neustriæ reportavit, ex clade quam intulit civitati Cabilonensi, & ex itinere quod per pagos, Augustodunensem, Aurelianensem & Cenomannensem habuit cum copiis, ut suppetias prædictis Comitibus ferret. Hæc omnia describuntur ab Astronomo sic. *Recedente filio Imperatoris Lothario à patre, & in partes prædictas*, id est, in Burgundiam, *abeunte, remanserant in Neustria partibus Lantbertus & Mathfridus ceteríque quamplurimi, qui easdem partes propriâ vi retinere nitebantur. Quam rem agrè ferens Odo Comes & alii multi, Imperatoris partibus faventes, contra eos arma corripiunt, eósque pellere illis locis nitebantur, aut certè cum eis congredi. Qua res cùm segniùs quàm decuit administraretur, & minùs cautè circumspiceretur, non minimam calamitatem eis intulit. Dum enim ex insperato illis hostes supervenerunt, illi autem minori, quàm res postulabat, cautelâ uterentur, insistentibus hostibus terga nudaverunt.* &c. *Pugnatum est acriter diebus quinque, & tandem ad deditionem primùm urbs*, nempe Cabilo, *recepta est, pòst autem versâ vice, crudelium victorum more, primùm direptionibus Ecclesiæ vastata, thesauri deprædati, & communes copia direpta, ad ultimum verò civitas voraci incendio depasta est.* &c. *Lotharius à Cabillono iter suscepit ad Augustodunum, indéque ad Aurelianam urbem pervenit, deinde in pagum Cenomannicum, in villam cujus vocabulum est Matualis, devenit. At Imperator cum suis maximis copiis, simul & Ludovico filio, eum sequitur.* Omittuntur autem in præcitato Panegyrico, cujus Auctor tempora valdè disjuncta complectitur hac unâ periodo. *Arsenius noster*, sic Walam appellat, *ne fortè parricidium proveniret, fecit suo sancto consilio, Augustus filius relicto patre rursus in solio Imperii, petitâ veniâ, cum suis omnibus, qui cum eo consenserant, liber ut abiret.* Ludovicus Imperator *rursus in solio Imperii* relictus est pridie Kalendas Martii, quo die Lotharius ex agro Parisiensi fugam præceps arripuit, atque in Burguudiam citissimè cum suis contendit. Idem autem Lotharius multò seriùs & veniam à patre petiit, & ab eo libertatem abeundi cum suis obtinuit. *Imperator* enim, teste Annalistâ Bertiniano, *convocavit exercitum Lingonis medio mense Augusto, ibíque annualia dona suscipiens, continuò ad liberandum populum contra invasores Regni iter per Tricassinorum & Carnotum ac Dunensium regiones juxta Blisum Castellum unà cum filio suo Ludoico pervenit, illícque castra metatus est; ibi etiam Pippinus filius ejus cum exercitu in auxilium patri occurrit.* Missæ pòst Legationes ad Lotharium, qui tandem *cùm nec fugæ nec prælii locum videret*, ut Nithardus loquitur, quia viribus inferior erat, & undique à patre fratribúsque cingebatur, *supplex ad patrem venit* teste Astronomo, &, ut habet Theganus, *juravit patri suo fidelitatem, & ut omnibus imperiis suis obedire debuisset, & ut iret in Italiam, & ibi maneret, & inde non exiret nisi permissione patris. Tunc juraverunt & ceteri. Post hæc Piissimus Princeps indulgentiam dedit eis, si hoc juramentum conservarent.* Portò, quæcumque hoc anno gesta sunt à Lotharii fuga ex pago Parisiensi ad pacem usque cum eodem Lothario sancitam in agro Blesensi, non aliam videntur ob causam ab Encomiaste Walæ prætermitti, quàm quia desunt rationes, quibus per illud tempus excusari possit hujus Abbatis perduellio. Cur enim in agro Parisiensi pacem non suasit? cur suum non rediit in Monasterium ad Somonam, postquàm Ludovicus Imperio restitutus fuit? cur à partibus ejusdem Ludovici deinceps non stetit? cur Lotharium pertinaciùs in rebellione perseverantem suis adhuc consiliis procul à Corbeïa juvit?

XXIII. Pergit Encomiastes, suúmque Arsenium seu Walam impensè laudat, quòd ab utroque Augusto expetitus neutri se addixit, profectúsque in Italiam Bobiense Monasterium adiit, cujus Abbas paulò pòst factus est. *Elegit*, inquit, *magis aufugere, quàm cum aliquo eorum remanere. Nam pater voluit eum, me teste, multùm instanter secum tunc cum omni honestate & reverentia summi honoris retinere, si * vellet juramentum à suis fidémque facere;*

* Edit. etiam si.

AN. CH. 834. LUDOV. IMP. 21. LOTHAR. IMP. 18. PIPPINI R. 20. LUDOV. R. 18. CAROLI R. 5.

deinde Augustus filius secum abducere. Verumtamen ille neutrum eorum andiens, immo fortiter resistens ab utrisque discessit, pennigeróque gressu Italiam ingressus, infra Cœnobium Sancti Columbani se recepit. Quod sanè Cœnobium ne invaderetur à raptoribus, ut cetera omnia sunt pervasa, ipsis petentibus Fratribus suscepit ad regendum, & quamdiu advixit, nobiliter ac pacificè eum rexit. Uterque Augustus optavit Walam secum habere; Ludovicus, quia Lotharium, si domesticos rursum tumultus ciere vellet, istius Abbatis consilio carere cupiebat; Lotharius verò, quia viro sibi fidissimo atque agnatione conjuncto destitui nolebat, pacem enim invitus pepigerat, bellúmque, quotiescumque fieri posset, quavis occasione redintegrandum meditabatur. Quas partes aut elegit, aut eligere debuit Wala? Neutras elegit, si fides est Encomiastæ; nostro judicio Lotharianas elegit, debuitque Ludovicianas eligere. Certè quid acturus esset serio cogitanti nihil æquius obversari potuit animo, quàm ut Ludovicianas partes amplecteretur, & annuente Ludovico Augusto Corbeienses Monachos reviseret regerétque pacificè. Panegyristes id aliquo modo fatetur, ait enim multos repertos esse, qui Walam reprehenderent, *quia suum* Monasterium, *in quo professus & electus est, reliquit, & aliud*, nempe Bobiense Sancti Columbani in Italia, *quasi cupiditate ductus, quolibet pacto præripuit.* A Lotharianis partibus non recessit Wala, Lotharium ex pacis initæ conditionibus abeuntem in Italiam secutus est, illóque suffragante factus est Abbas Monasterii Bobiensis. Ait Encomiastes petentibus Monachis commissum esse regimen hujus Cœnobii Walæ, *ne invaderetur à raptoribus, ut cetera omnia sunt pervasa.* Quibus verbis non attendit injuriam inferri Lothario, cui cura Regni Italici tradita fuit ab annis plurimis. Eundem Encomiasten, qui, quod negare non potuit, ingenuè fassus est Walam potuisse in Corbeïensi Monasterio *pacificè* permanere, non parum urget unus ex Interlocutoribus hac objectione. *Multi eum*, nempe Arsenium seu Walam, *reprehendere conantur, quòd suum* Monasterium, *in quo professus & electus est, reliquit, & aliud, quasi cupiditate ductus, quolibet pacto præripuit. Fortassis ergo religiosius esset, aut in suo permanere, paulò antè quod fassus es pacificè facere potuisse, aut in eodem sine regiminis onere subsistere. Esset quippe in uno eorum voti adimpletio, in altero verò humilitatis cum laude exsecutio.* Panegyristes, ut huic oppositioni faciat satis, affert exemplum Sancti Columbani, qui pulsus è Galliis, in Italiam se recepit, relictóque Luxovio ubi Monasterium priùs erexerat, adiit Bobium, ibique novum construxit Cœnobium, quod ad finem usque vitæ cum Abbatis titulo prudentissimè gubernavit. At inter utrumque maxima disparilitas occurrit. Sanctus Columbanus à Theodorico Secundo Rege, suasionibus aviæ Brunichildis, in exilium procul à Luxovio mittitur. Wala, modò cum suis fidelitatem, quod æquissimum est, Imperatori Ludovico juret, eodem Augusto reditum gratulante Corbeïam quietè securéque potest administrare. Multa subjungit Encomiastes, ut suadeat non defuisse causas, propter quas in Italiam proficisci debuerit Wala. Textum, ut editus est in quarto Seculo Benedictino, descriptum subjicimus. *Fortè non legisti Vitam & Actus ejusdem Beati Columbani, qui expulsus zelo cujusdam fœminæ à Luxovio, hunc rursus coædificavit locum*, nempe Bobium, *& præfuit ibi multis fratribus laudabiliter usque ad finem vitæ. Non enim talentum sibi creditum abscondere in terram debuit, sed erogare fratribus. Quod Beatum Benedictum & alios quamplurimos fecisse legimus. Nequaquam igitur minus videtur eum defendisse ab hostibus, & religiosissimè rexisse sub sancta Regula, & augmentasse studiosissimè in ipsa eadémque professione quàm primum illud inchoasse. Námque in suo quia non satis se credidit quietè vivere posse, neque in officio regiminis proficere, credo quòd nullus sanæ mentis eum reprehendere velit, si ad quietem & ad utilia valdè Fratribus sub eadem Religione se contulit, plurimis profuturus: qui nescio si se salvare posset nobiscum inter tot discrimina, ubi jam nulla fides, vel*

AN. CH. 834.
LUDOV. IMP. 21.
LOTHAR. IMP. 18.
PIPPINI R. 20.
LUDOV. R. 18.
CAROLI R. 5.
XXIV.
XXV.

vix rara invenitur, maximè inter eos qui summi esse cupiunt vel videntur; inter quos, honores contemnere seculi pro Religione, ignavia putatur. Walæ nulla ratio fuit, ut *in suo* Monasterio *non satis se crederet quietè vivere posse, neque in officio regiminis* apud Corbeiam *proficere.* Reliqua proferuntur gratis. Quis arbitretur Walam in Italiam abiisse, quia cis Alpes vel nulla vel rara fides inveniebatur? Ludovicus Imperator, cui Pietas cognomen fecit, jus Cis-Alpinis gentibus dicebat, filióque Lothario Italiæ Regi, cui Wala comes individuus adhærebat, plurimùm præstabat omni virtutum genere.

Actum hactenus de Ludovici restitutione in pristinam dignitatem & de Lotharii secessu cum suis in Italiam pace inter utrumque Augustum firmatâ. Nunc ad alia, quæ spectant etiam ad hunc annum, nostra convertatur narratio.

PRÆCEPTUM LUDOVICI IMP. PRO MISSIONE ANSCHARII ARCHIEP. HAMBURG.

Degebat Aquisgrani Ludovicus Imperator pridie Idus Maii, quo die memoria recolebatur Ascensionis Dominicæ, posteróque die, sive ipsis Idibus Maii, Præceptum pro Missione Anscharii Hammaburgensis Archiepiscopi dedit. Magnam istius Diplomatis partem, prout occasio postulavit, per fragmenta jam descripsimus, operæ tamen pretium est hic integrum ac genuinum subjicere. *In Nomine Domini Dei & Salvatoris nostri Jesu Christi. Hludowicus divinâ favente & propitiante Clementiâ Imperator Augustus. Si specialibus cujusque fidelium nostrorum necessitatibus perspectis subveniendum esse, Imperialis auctoritas monstrat, quantò magis ad debitam generalitatis providentiam æquum dignúmque pertinet, ut Ecclesiæ Catholica atque Apostolicæ, quam Christus suo pretioso sanguine redemit, eámque nobis tuendam regendámque commisit, piam ac sollicitam in cunctis oportet gerere curam, & ut in ejus prospectu vel exaltatione congruam exhibeamus diligentiam, novis ad ejus necessitatem vel utilitatem atque dignitatem pertinentibus rebus, nova imò necessaria & utilia provideamus constituta. Idcircò Sanctæ Dei Ecclesiæ filiis, præsentibus & futuris, certum esse volumus, qualiter divinâ ordinante gratiâ nostris in diebus, Aquilonaribus in partibus, in gentibus videlicet Danorum, Suecorum, Norweorum, Farriæ, Gronlandon, Hallingalandon, Islandon, Scredevindon, & omnium Septemtrionalium & Orientalium Nationum magnum cælestis gratia prædicationis sive adquisitionis patefecit ostium, ita ut multitudo hinc inde ad fidem Christi conversa, Mysteria cælestia Ecclesiasticáque subsidia desiderabiliter expeteret. Unde Domino Deo nostro laudes immensas persolventes extollimus, qui nostris temporibus & studiis Sanctam Ecclesiam, sponsam videlicet suam, locis in ignotis fecit dilatari atque proficere. Quamobrem unà cum Sacerdotibus ceterísque Imperii nostri fidelibus hanc Deo dignam cernentes causam valdè necessariam atque futuræ Ecclesiæ dignitati proficuam, dignum duximus, ut locum aptum nostris in finibus evidentiùs eligeremus, ubi Sedem Archiepiscopalem per hoc nostræ auctoritatis Præceptum statueremus; unde omnes illæ barbaræ nationes æternæ vitæ pabulum faciliùs uberiúsque capere valerent, & sitientes salutis gratiam præ manibus vel oculis haberent incessanter, insuper & magnorum progenitorum sacra lucrandi studia nostris in diebus numquam deficerent. Progenitor etenim noster gloriosa memoria Karolus omnem Saxoniam Ecclesiastica Religioni subdidit, jugúmque Christi adusque ad terminos Danorum atque Slavorum, corda ferocia ferro perdomans, docuit, ubi inter has utrasque gentes Danorum videlicet sive Winedorum, ultimam Saxonia partem sitam, & diversis periculis, temporalibus videlicet & spiritualibus interjacentem perspiciens, Pontificalem ibidem Sedem fieri decrevit trans Albiam. Unde postquàm terram Trans-Albianorum laxatâ captivitate, quam ob multam perfidiam in ipsis Christianitatis initiis patratam per septennium passi sunt, ne locus ille à barbaris invaderetur, Ecberto Comiti restituere præceperat, non jam vicinis Episcopis locum illum committere voluit. Sed ne quisquam eorum hanc sibi deinceps Parochiam vindicaret, ex remotis Galliæ partibus quendam Archiepiscopum*, Amalarium nomine, direxit, qui primitivam Ecclesiam ibidem consecravit. Sed & eidem Ecclesiæ sacras Reliquias ac plura Ecclesiastica munera, piâ lar-*

*Edd. Episcopum.

AN. CH. 834. LUDOV. IMP. 21. LOTHAR. IMP. 18. PIPPINI R. 20. LUDOV. R. 18. CAROLI R. 5.

*gitate, specialiter destinare curavit. Postmodum verò captivis optatam ad patriam undique confluentibus, eandem Parochiam cuidam Presbytero, Heridag nomine, specialiter commendavit, quem universa Trans-Albianorum Ecclesia, videlicet ne ad ritum relaberetur gentilium, vel quia lucrandis adhuc gentibus locus ille videbatur aptissimus, disposuerat consecrari Episcopum, ut ipsâ occasione vel auctoritate summâ in ipsis terminis gentium sedulitate prædicandi Sancta multiplicaretur Ecclesia, dum vicinorum ipsius novitatis Episcoporum multa latitudinis cura non sufficiebat discurrere per omnia. Delegavit etiam eidem Presbytero quandam Cellam, Hrodnace vocatam, quatenus eidem loco periculis undique circumdato fieret supplementum. Sed quia consecrationem jam dicti viri velox ex hac luce transitus pii genitoris nostri in diebus ejus fieri prohibuit; ego autem, quem Divina Clementia in Sedem Regni ejus asciverat, cùm in multis Regni disponendis negotiis insisterem, hoc quoque prædicti patris mei studium, velut Regni in finibus peractum, minùs cautè adtenderem suadentibus quibusdam jam dictam Cellam ad Indam Monasterium contuli, vicinam verò Parochiam vicinis Episcopis interim commendavi. Nunc autem tam propter suprascripta Ecclesiastica lucra in gentibus demonstrata, quàm & propter votum pii genitoris nostri, ne quid ejus studii imperfectum remaneat, statuimus unà cum consensu Ecclesiastico præfata ultima in regione Saxonica trans Albiam in loco nuncupato Hammaburg cum universa Trans-Albianorum Ecclesia, proprii vigoris constituere Sedem Archiepiscopalem, cui & primum praesse atque solemniter consecrari per manus Drogonis Metensis & summæ sanctæ Palatinæ Dignitatis Præsulis Anscharium fecimus Archiepiscopum, adstantibus Archiepiscopis, Ebbone Remensi, Hetti Treverensi, & Otgario Mogontiacensi cum pluribus aliis generali in Conventu totius Imperii nostri Præsulibus congregatis, assistentibus quoque specialiter & consentientibus atque consecrantibus Helingando sive Willerico Episcopis, à quibus jam dictæ Parochiæ partes, à nobis sibi olim commendatas recepimus. Cui videlicet Anschario quia præfatis in gentibus hac nostris in diebus dignissima in convocatione gentilium vel redemptione captivorum monstrata sunt lucra, tam nostrâ quàm Sanctæ Romanæ Ecclesiæ auctoritate hanc Deo dignam in præfatis gentibus commisimus Legationem, ac proprii vigoris ascribere decrevimus dignitatem. Et quia casus præteritorum cautos nos facit in futurum, ne quisquam Episcoporum aliquam sibi trans Albiam, vel alicubi in prædicta Parochia vindicet potestatem, certo limite circumscriptam esse volumus, videlicet ab Albia flumine deorsùm usque ad mare Oceanum, & sursum per omnem Slavorum provinciam usque ad mare quod Orientale vocant, & per omnes prædictas nationes Septemtrionis; omnes quoque paludes infra sive juxta Albiam positas, cultas & incultas, infra terminos ejusdem Parochiæ ponimus, ut Trans-Albiani se & sua ab incursu paganorum, qui sæpè timendus est, securiùs in his locis occultare queant. Et ut hæc nova constructio periculosis in his locis cœpta subsistere valeat, quandam Cellam, Turholt vocatam, tam huic novæ constructioni, quàm Archiepiscopi successorúmque suorum in gentibus Legationi perenniter servituram ad nostram nostraque sobolis perpetuam mercedem divinæ offerimus Majestati. Homines quoque, qui ejusdem Cellæ beneficia habere videntur, ab omnô expeditione vel militia sive qualibet occupatione absolvimus, ut idem Venerabilis Archiepiscopus * ad hanc Deo dignam peragendam in provisis temporibus Legationem, nullum in hoc patiatur impedimentum. Dona verò, quæ ex eadem Cella nostris partibus dare solebant, & nobis quoque successoribúsque nostris similiter dari volumus. His exceptis, majus minúsve in convocatione paganorum vel redemptione captivorum, sive ejusdem Sedis supplemento multimodis periculis circumdatæ *, vel ibidem Deo militantium solatio, ob amorem Dei ac Beati Sixti Confessoris ejus perpetuò delegamus. Res quoque præfatæ Sedis & jam dicti Monasterii sub plenissima defensione & immunitatis tuitione volumus ut consistant ac tueantur, ita ut nullus Judex publicus aut aliâ qualibet potestate publicâ prædita persona, de eorum rebus, freda, tributa, mansionaticos, vel paratas, aut teloneum, vel fidejussores tollere, aut homines ipsorum tam litos quàm & ingenuos, super*

* Edit. Episcopus.

* Bolland. circumdato; Baluz. circumdata.

AN. CH. 834. Ludov. Imp. 21. Lothar. Imp. 18. Pippini R. 20. Ludov. R. 18. Caroli R. 5.

terram eorum manentes distringere, nec ullas publicas functiones, aut redibitiones, vel illicitas occasiones requirere vel exigere præsumat. Sed liceat Venerabili Archiepiscopo prædicto, suisque successoribus, ac omni Clero sub eorumdem regimine constituto, quietè in Dei servitio degere, & pro nobis prolèque nostra atque statu totius Imperii nostri divinam misericordiam exorare. Et ut hæc auctoritas sui vigoris perpetuam obtineat firmitatem, manu propriâ subter eam firmavimus, & annuli nostri impressione signare jussimus. Signum Hlodewici Piissimi Imperatoris. Hirminmarus Notarius ad vicem Theodonis recognovi. Data Idus Maii, anno Christo propitio XXI *Imperii Hlodewici Piissimi Augusti, Indictione* XII. *Actum Aquisgrani Palatio Regio in Dei Nomine feliciter. Amen.*

XXVI. Ut genuinum hoc daremus Diploma, quatuor consuluimus editiones, Lindenbrogianam in Privilegiis Hammaburgensis Ecclesiæ, Lambecianam in Originibus Hamburgensibus, Bollandianam [a] in Commentario ad vitam Sancti Anscharii, Baluzianam in Capitularibus [b] Regum Francorum. Quibus in rebus inter se differant, factâ collatione didicimus; discrepantias, quæ nullius sunt momenti, lubenter omittemus, ceteras accuratiùs examinaturi.

XXVII. Primò, Diploma sic habet apud Lindenbrogium. *Nostris in diebus, Aquilonaribus in partibus, in gentibus videlicet Danorum, Sueonum, Norweon, terra Gronlandon, Hallingalandon, Islandon, Scredevindon, & omnium Septentrionalium & Orientalium nationum magnum cælestis gratiæ prædicationis sive adquisitionis patefecit ostium.* Lambecius Lindenbrogio simillimus est, excepto quòd loco *Norweon* posuit *Norweorum*, utriusque eadem est significatio, sed ambo mendosi sunt in his vocabulis, *terra Gronlandon*, quæ sic restitui debent, *Farriæ, Gronlandon*, ut ad annum Redemptoris octingentesimum tricesimum [c] observavimus. Textum autem Diplomatis Ludoviciani suprà descriptum Bollandus & Baluzius sic contrahunt. *Nostris in diebus, Aquilonaribus * in partibus, in gentibus * videlicet Danorum sive Sueonum, magnum cælestis gratiæ prædicationis sive adquisitionis patefecit ostium.* De variis populis, quos editiones Lindenbrogiana & Lambeciana recensent, fusè jam disseruimus [d], illorúmque nomina probavimus non tantùm in Diplomate Ludovici Augusti, sed etiam in Gestis Sanctorum Anscharii & Remberti, & in epistolis Gregorii Papæ Quarti aliorúmque Romanorum Pontificum reperiri. Bollandus omnes has lucubrationes ut Legationis Anschario commissæ limites extra Daniam Sueciámque protenderentur, enumeratione multarum gentium interpolatas contendit, & interpolationem ex eo profectam arbitratur, quòd illarum regionum Episcopi non pauci vitæ cùm Sancti Anscharii tum Sancti Remberti reperiuntur in editione Philippi Cæsaris ita subscripsisse. *Slepu Episcopus Scalternoldensis, Simon Episcopus Halsinodensis, Torolfus Episcopus Blasconensis, Eilbertus Episcopus Farriensis, Heribertus Episcopus Wibergensis, Ratolfus Episcopus Slesvicensis, Cristian Episcopus Arusensis, Otto Episcopus Ripensis, Magnus Episcopus Wendilensis, Willehelmus Episcopus Selandensis, Ezzo Episcopus Aldenburgensis, Ecilinus Episcopus Scarensis, Syvardus Episcopus Norwegensis, Egino Episcopus Dolboigensis, Adalbardus Episcopus Sictunensis, Joannes Episcopus Bircacensis, Thiedolfus Episcopus Sictunensis.* At istorum Episcoporum subscriptiones nec intra Daniam & Sueciam coercentur, nec gentibus in Diplomate Ludoviciano suprà recensitis adæquatè respondent. Quando prædicti subscripserunt Episcopi, ætate videlicet Adalberti Hamburgensis Archiepiscopi, qui Metropolitanas Infulas ab anno Christi millesimo quadragesimo-tertio ad millesimum septuagesimum-tertium gessit, Episcopatus octo, Slesvicensis, Ripensis, Arusensis, Wibergensis, Wendilensis, Farriensis seu Fionensis, Selandensis, & Dolboigensis, pertinebant ad Daniam, quæ Jutiam, Fioniam, Selandiam, & Sconiam seu Scaniam complectebatur; in Jutia Sedes Episcopales erant, Slesvici, Ripæ, Arhusiæ, Wibergæ, & Wendilæ

[a] D. 3. Febr.
[b] Tom. 2.
[c] Num. 7.
* Bolland. *Aquilonalibus.*
* Bolland. *gente.*
[d] Ad an. 830. n. 7.

AN. CH. 834. LUDOV. IMP. 21. LOTHAR. IMP. 18. PIPPINI R. 20. LUDOV. R. 18. CAROLI R. 5.

Farriam & Fioniam Insulas unus regebat Episcopus, nec fixam habebat Sedem, ideóque promiscuè dicebatur Farriensis & Fionensis; par erat ratio Selandiæ, cujus Episcopus Selandensis appellabatur; in Sconia Dalboia nobilitabatur Episcopali Sede. De variis Episcopis, quos prædictus Adalbertus Archiepiscopus in Dania constituit, sic Adamus in Historia Ecclesiastica *. *In Dania* novem constituit, *Ratolfum ad Slefwig, Oddonem* sive Ottonem, *ad Ripam, Christiannum ad Arhusin, Heribertum ad Wibergon, Magnum & Albricum in Wendilam, Eilbertum in Farriam & Finnem, Willelmum in Seland, Eigmonem* sive Eginonem *in Sconiam provinciam.* Eâdem ætate tres erant Episcopatus in Suecia, Scarensis, Bircacensis, & Sictunensis, quorum constitutæ Sedes, Scaræ seu Scaranæ, Byrcæ, & Sictunæ seu Sigdunæ. Sex Episcopos, quos Adalbertus Hamburgensis Metropolitanus in Suecia constituit, sic enumerat Adamus. *In Suediam verò consecravit sex, Adalwardum & Acilinum, item Adalwardum & Tadicum, necnon Simonem atque Johannem Monachum.* Adalwardus & Acelinus Sedem habuerunt Scaræ, Joannes Byrcæ, alter Adalwardus sive Adalbardus & Tadicus seu Thiedolfus Sictunæ. Quod ad Simonem Halsinodensem Episcopum attinet, hic sedit Helsingiæ, atque inde dictus est Halsinodensis Episcopus, nomen autem Helsingiæ cùm civitati tribuebatur tum provinciæ quæ Halsingalandia quoque vocabatur, & Episcopus Helsingiæ non solis præerat Helsingis, sed etiam Scritefinnis, quos Adamus *in confinio Suenonum vel Nordmannorum contra Boream* collocat. Ad Episcopatum igitur Halsinodensem pertinebant gentes, quæ in Diplomate Ludoviciano per vocabula *Hallingalandon* & *Scredevindon* designantur, atque extra Daniam Sueciámque consistunt. Porrò cùm Halsinodensis Episcopus illis accenseatur, quos Adalbertus Archiepiscopus in Suecia consecravit, inde prævalidum eruimus argumentum, ut asseramus gentes Helsingorum & Scritefinnorum in Ludovici Augusti Diplomate priùs expressas fuisse, quàm Episcoporum subscriptiones, de quibus inquirimus, Actis Sanctorum Anscharii & Remberti subjicerentur. Idem probatur ex situ Norwegiæ, quæ nec Daniæ pars est nec Sueciæ, ideóque in Diplomate Ludoviciano præter gentes *Danorum* & *Suecorum*, gens etiam *Norweon* seu *Norweorum* speciatim nominatur. Ætate Adalberti Metropolitæ, duo in Norvegia conspiciebantur Episcopi, unus in Norvegia Meridionali, alter in Septentrionali; hic Nidrosiæ sedebat, ille fixam non habebat Sedem. *In Nordwegiam duos tantùm* Episcopos *ipse* Adalbertus *consecravit, Tholf & Sewardum.* Tholf omittitur in subscriptionibus suprà recensitis; solus subscribit *Syvardus* seu Sewardus *Episcopus Norwegensis.* In descriptione gentium Septentrionalium Adamus non omisit *Insulas Island & Gronland*, quibus ab Adalberto Metropolita datus est Episcopus. Illæ Insulæ nec Daniæ nec Sueciæ accensentur, & in Diplomate Ludoviciano per gentes *Islandon* & *Gronlandon* denotantur. Inter primarias urbes Islandiæ numeratur Scalholtum, ibi fixa Sedes Episcopi, qui nuncupatus inde Scalholtanus seu Scalternoldensis ut habet subscriptio Slepni Episcopi. Præthereà si prædictæ subscriptiones interpolando Diplomati locum fecerunt, cur ibi nulla mentio fit Orcadum? Certè Adalbertus Archiepiscopus teste Adamo *ad Insulas Orchadas*, quæ *priùs ab Anglorum & Scotorum Episcopis* regebantur, *primus ordinavit Thorulfum in civitate Blascona, qui omnium curam haberet*, & is est Thorulfus Episcopus Blasconensis, corruptè in subscriptionibus suprà descriptis *Torolfus Episcopus Blasconensis.* Ludovicus Augustus in suo Præcepto non meminit Orcadum, quia cùm majori Britanniæ propinquiores essent, Anscharianæ Legationi non fuerunt attributæ. Simili modo Ludovicus, quamvis *Ezzo Episcopus Aldenburgensis* inveniatur inter subscriptiones, de quibus hic nobis est sermo, nullam Aldenburgi mentionem habet, quoniam Altenburgum in Francorum Regno situm est, nec pertinet

* Lib. 4. c. 44.

AN. CH. 834. LUDOV. IMP. 21. LOTHAR. IMP. 18. PIPPINI R. 20. LUDOV. R. 18. CAROLI R. 5.

ad Anscharii Legationem, quæ Boreales tantùm nationes extra Franciam positas complectitur. Genuinus igitur est textus Ludoviciani Diplomatis, ubi singulas illas regiones, Daniam videlicet, Sueciam, Norwegiam, Farriam, Gronelandiam, Halsingalandiam, Islandiam, & Scritefinniam, privatis nominibus distinguit, nec extra nostrum institutum erit exponere, quid Anscharius, quid ejus successores, quandiu Diœcesis Hamburgensis pars Franciæ fuit, ad promovendam earumdem Aquilonarium gentium conversionem contulerint.

XXVIII. Secundò, qui vocantur in editionibus Lindenbrogiana, Lambeciana & Baluziana Winedi, dicuntur in Bollandiana Wandali. Sed utriusque nominis eadem est significatio, nam Venedi sive Vinidi vel Vinedi, teste Cluverio in antiqua Germania [a], Vindili quoque & Vandali fuerunt appellati, postquàm è Sarmatia in Germaniam atque in agros Vandalorum cis Vistulam migrarunt. Hammaburgensis Parochiæ terminos extendunt, Helmoldus [b] *usque ad flumen Panim & urbem Dimin*, Krantzius [c] *usque ad flumen Panim & urbem Demyn*. Deinde idem Krantzius [d] Wilsos in Orientali Wandalia collocat, & quatuor in populos ita dividit. *Factus est magnus motus in Orientali Wandalia populorum inter se civili bello dimicantium. Quatuor autem sunt populi eorum, qui Luttici sive Wilsi dicuntur, quorum Kyssinos atque Circipanos citra Panim, Riaduros sive Tolenzos ultra Panim habitasse constat.* Quando igitur in Ludoviciano Diplomate *Karolus* Magnus *inter has utrasque gentes, Danorum videlicet sive Winedorum ultimam Saxoniæ partem sitam* perspicere vel prospicere dicitur, seu nomen serves Winedorum, seu nomen Wandalorum reponas, nullum veritas detrimentum patitur. Varii trans Albim populi promiscuè, ut Tomo sexto [e] jam diximus, Sclavi, Wandali & Winidi reperiuntur dicti.

[a] Lib. 3. c. 46.
[b] Lib. 1. c. 6.
[c] Lib. 2. Wand. c. 24.
[d] Lib. 3. Wand. c. 2.
[e] Ad an. 780. n. 11.

XXIX. Tertiò, quos Lindenbrogius & Lambecius Transalbianos, hos Bollandus & Baluzius Nordalbingos scribunt; utrique per gentem Transalbianorum seu Nordalbingorum, partem Saxoniæ trans Albim Boream versùs extensam intelligunt.

XXX. Quartò, licèt ætate Ludovici Pii sæpè Episcopus inveniatur usurpatus pro Archiepiscopo, & idem Ludovicus in omnibus editionibus Diplomatis de quo loquimur testetur *ex remotis Galliæ partibus* in Aquilonarem seu Transalbianam Saxoniam directum fuisse *quendam Episcopum, Amalarium nomine*, tamen cùm hic non alius extiterit ab Amalario Archiepiscopo Trevirensi, cujus res gestas Tomo superiore commemoravimus, in ipso Diplomate legendum censuimus Archiepiscopum, sic. *Ex remotis Galliæ partibus quendam Archiepiscopum, Amalarium nomine, direxit.*

XXXI. Quintò, Carolus Magnus universæ Transalbianorum Ecclesiæ consecrari disponit *Archiepiscopum* in editionibus Lindenbrogiana, Lambeciana & Baluziana, *Episcopum* in Bollandiana. Stamus à Bollando, quia non innotescit id consilii Carolo fuisse, ut Sedes Antistitis, qui curam Ecclesiæ Transalbianæ suscepturus erat, ad Archiepiscopalem Dignitatem eveheretur.

XXXII. Sextò, editiones Bollandiana & Baluziana, in quibus hæc habetur phrasis, *consecrationem jam dicti viri velox ex hac luce transitus pii genitoris nostri in diebus ejus fieri prohibuit*, anteponi debent Lindenbrogianæ & Lambecianæ, in quibus hæ desiderantur voces, *in diebus ejus*.

XXXIII. Septimò, Ludovicus Augustus in editionibus Bollandiana & Baluziana hæc de seipso testatur. *Cùm in multis Regni disponendis negotiis insisterem, hoc quoque prædicti patris mei studium, velut * Regni in finibus peractum, minùs cautè adtenderem, suadentibus quibusdam jam dictam Cellam ad Indam Monasterium contuli; prædictam * verò Parrochiam vicinis Episcopis interim commendavi.* Breviùs in editionibus Lindenbrogiana & Lambeciana, sic. *Cùm in multis Regni negotiis insisterem, hoc quoque prædictum patris mei studium ve-*

* Bolland. deest *velut*.
* Bolland. *vicinam*.

AN. CH. 834.
LUDOV. IMP. 21.
LOTHAR. IMP. 18.
PIPPINI R. 20.
LUDOV. R. 18.
CAROLI R. 5.

lus Regni in finibus minùs cautè adtenderem, prædictam Parochiam vicinis Episcopis interim commendavi. Editionibus Lindenbrogianæ & Lambecianæ Bollandianam cum Baluziana prætulimus, quia Carolus Magnus, cùm novum in Transalbiana Saxonia Episcopatum instituere vellet, Cellam Rotnacensem seu Monasterium in vico Rotnaco conditum dedit Heridago Presbytero, quem primum trans Albim Episcopum fore destinabat; sed Ludovicus post patris obitum curam Ecclesiæ Transalbianæ rursum vicinis Episcopis Bremensi & Verdensi commisit, & Cellam Rotnacensem Indensi Monasterio subjecit, ut observavimus Tomo superiore [a].

XXXIV. Octavò, in editionibus Bollandiana & Baluziana Ludovicus de Sedis Hammaburgensis erectione sic loquitur. *Statuimus unà cum consensu Ecclesiastico, præfata ultima in regione Saxonica trans Albiam in loco nuncupato Hammaburg, cum universa Nordalbingorum provincia Ecclesiæ proprii vigoris constituere Sedem.* Clariùs ac meliùs in editionibus Lindenbrogiana & Lambeciana, sic. *Statuimus unà cum consensu Ecclesiastico præfata ultima in regione Saxonica trans Albiam in loco nuncupato Hammaburg, cum universa Transalbianorum Ecclesia proprii vigoris constituere Sedem Archiepiscopalem.*

XXXV. Nonò, in omnibus Ludoviciani Diplomatis editionibus Anscharius sive Ansgarius Hammaburgensis Ecclesiæ primus Archiepiscopus solenniter consecratus dicitur *per manus Drogonis Mettensis & summa sanctæ Palatinæ Dignitatis Præsulis*, sive, ut Rembertus in ejusdem Sancti Anscharii vita scribit, *per manus Drogonis Mettensis Præsulis, & summa sanctæque Palatinæ Dignitatis tunc Archicapellani.* Ut in Ludoviciano Diplomate titulos omnes, qui Drogoni tribuuntur, retinendos censeamus, hæc Remberti suadet auctoritas. Ipsum enim Diploma consuluit, atque ex eo transcripsit, quicquid in literas retulit de ordinatione Sancti Anscharii. *Ad hanc*, inquit, *Sedem Dominum & Patrem nostrum Anscharium prædictus Imperator solemniter consecrari fecit Archiepiscopum, per manus Drogonis Mettensis Præsulis, & summa sanctæque Palatinæ Dignitatis tunc Archicapellani; adstantibus Archiepiscopis, Ebbone Remensi, Hetti Trevirensi, & Otgario Maguntiacensi, unà cum pluribus aliis in Conventu Imperii Præsulibus congregatis; assistentibus quoque & consentientibus ac pariter consecrantibus Helingando & Willerico Episcopis, à quibus jam dictas Parochiæ illius partes commendatas ceperat.* Ludovicus verò rem eandem in suo Diplomate sic exponit. *Solemniter consecrari per manus Drogonis Metensis & summa sanctæ Palatinæ Dignitatis Præsulis Anscharium fecimus Archiepiscopum, adstantibus Archiepiscopis, Ebbone Remensi, Hetti Trevirensi, & Otgario Moguntiacensi, cum pluribus aliis generali in Conventu totius Imperii nostri Præsulibus congregatis, assistentibus quoque specialiter & consentientibus atque consecrantibus Helingando sive Willerico Episcopis, à quibus jam dictæ Parochiæ partes à nobis sibi olim commendatas recepimus.* Quamvis ex utroque scripto sequi videatur Drogonem Archicapellanum Palatii fuisse, quando Anscharium Hammaburgensem Archiepiscopum consecravit, aliter tamen sentiendum, ut suprà monuimus ad annum Redemptoris octingentesimum tricesimum [b], quo Dignitatem Archiepiscopalem Anschario collatam censemus. Bollandus ordinationem Anscharii rejicit in annum Redemptoris octingentesimum tricesimum-primum, sed hæc opinio rectæ non illigatur Chronologiæ, quam per antecessum confirmavimus ad annum Redemptoris octingentesimum vicesimum-nonum [c], quo prima Sueonum Legatio in Franciam directa fuit. Adamus [d] eandem Anscharii promotionem ad Archiepiscopatum seriùs in annum Redemptoris octingentesimum tricesimum-tertium differt, at in ipsos numeros irrepserunt nævi. Textus talis est. *Habito generali Sacerdotum consilio, pius Cæsar votum parentis cupiens implere, Hammaburg Transalbianorum civitatem Metropolim omnibus barbaris statuit nationibus Danorum, Sueonum, itémque Slavorum, & aliis conjacentibus in circuitu populis, eíque Cathedra primum Archiepiscopum ordinari fecit Ans-*

[a] Ad an. 814. n. 71.
[b] Num. 3.
[c] Num. 117. & seqq.
[d] Lib. 1. c. 17.

garium. Hoc factum est anno Domini DCCCXXXIII, *qui est Luthowici Imperatoris* XVIII, *Willerici Bremensis Episcopi* XLIII. Quæ narrantur à Remberto de Anschari ordinatione ac profectione in Italiam ad Gregorium Papam, non conveniunt cum tumultibus, quos ad annum Redemptoris octingentesimum tricesimum-tertium memoravimus. Deinde Chronologici Characteres apud Adamum inter se pugnant. Annus enim Redemptoris octingentesimus tricesimus-tertius nec cum anno Ludovici Augusti duodevicesimo, nec cum anno Willerici Bremensis Episcopi quadragesimo-tertio componitur. Imperii Ludoviciani duæ sunt epochæ; prior sumitur à die, quo Ludovicus à Carolo patre dictus est Imperator, exeunte tunc anno Redemptoris octingentesimo decimo-tertio; posterior ducitur à Caroli patris obitu, qui contigit quinto Kalendas Februarias, anno Redemptoris octingentesimo decimo-quarto. Neutra illarum epocharum annum Ludovici Augusti duodevicesimum cum anno Redemptoris octingentesimo tricesimo-tertio comparat, utraque Bollando favere potest, qui contendit Anscharium ordinatum fuisse Archiepiscopum anno Redemptoris octingentesimo tricesimo-primo. Willericus Episcopatum Bremensem anno Christi septingentesimo undenonagesimo suscepit, ergo quadragesimum-tertium sui Pontificatûs annum cum anno Redemptoris octingentesimo tricesimo-tertio non contulit, sed partim cum octingentesimo tricesimo-primo partim cum octingentesimo tricesimo-secundo, atque indè Bollandus suam quoque potest opinionem roborare. Sed uno anno tardiùs, ut suo loco probavimus, hujus Auctoris procedit Chronologia. Quæstio igitur tota est, an Drogo Metensis Episcopus Archicapellanus etiam Palatii fuerit anno Redemptoris octingentesimo tricesimo, cùm Anscharius secundùm nostram computationem Hammaburgensis Archiepiscopus esse cœpit. Rembertus Anschari discipulus eundem Anscharium consecratum affirmat *per manus Drogonis Mettensis Præsulis, & summa sanctaque Palatina Dignitatis tunc Archicapellani.* Ludovicus Augustus in Privilegio, quod Hammaburgensi Ecclesiæ multò seriùs, anno videlicet Redemptoris octingentesimo tricesimo-quarto concedit, abstinet ab hac voce *tunc*, & Anscharium asserit consecratum Archiepiscopum *per manus Drogonis Mettensis & summa sancta Palatina Dignitatis Præsulis*; benignè verò sic exponi debet, ut eodem tempore, quo suum Diploma conscribit, Drogonem Archicapellanum esse significet, an autem illâ jam Dignitate poriretur cùm Anscharium ordinaret, minimè prodat. Apud Hincmarum [a] in Archicapellanorum Catalogo sub Ludovico Imperatore medius inter Hilduinum & Drogonem Fulco sic exhibetur. *Tempore Hludowici per Hilduinum Presbyterum, & post eum per Fulconem item Presbyterum, deinde per Drogonem Episcopum extitit hoc Ministerium executum.* Hilduinus Presbyter & Abbas, cùm Archicapellanus esset, anno Redemptoris octingentesimo tricesimo privatus est hoc munere, quia Ludovico Augusto adversabatur, atque in Saxoniam ablegatus exulavit. Subrogatus est Fulco Presbyter etiam & Abbas, quem eodem quoque anno Archicapellanum post abjectionem Hilduini laudavimus, observavimúsque superstitem ad hunc usque annum fuisse, atque ex hac vita decessisse post Kalendas Martias seu postquam Ludovicus Imperator pristinæ Dignitati restitutus fuit. Successit in munus Archicapellani Drogo Metensis Episcopus. Textus igitur, de quo disputamus, in Ludoviciano Diplomate servari quidem debet eo quo fuit editus modo, sed benignâ quam attulimus eget interpretatione.

AN. CH. 834. LUDOV. IMP. 21. LOTHAR. IMP. 18. PIPPINI R. 20. LUDOV. R. 18. CAROLI R. 5.

[a] Opusc. 14. c. 15.

XXXVI. Decimò, Ludovicus Imperator in editionibus Bollandiana & Baluziana Parochiam Hammaburgensem, priusquàm Anscharius Archiepiscopus ordinaretur, Helingando & Willerico Episcopis à se commendatam testatur. In aliis editionibus apud Lindenbrogium & Lambecium id etiam à Carolo patre factum pronuntiat. Helingandus Ecclesiæ præest Verdensi,

AN. CH. 834. LUDOV. IMP. 21. LOTHAR. IMP. 18. PIPPINI R. 20. LUDOV. R. 18. CAROLI R. 5.

Bremensi Willericus. Non inficiamur Hammaburgensem Parochiam, cui tunc Heridagus futurus destinabatur Episcopus, vicinis Episcopis, Bremensi videlicet ac Verdensi, commendatam à Carolo Magno fuisse, ipsumque Willericum Episcopum, qui sub Ludovico Imperatore floruit, Bremensibus Infulis redimitum ab anno Christi septingentesimo undenonagesimo, ante Caroli Magni mortem vicesimo-quinto. Sed Helingandus longè post obitum Caroli Magni factus est Verdensis Episcopus; Tanco enim, qui sedere cœpit anno Redemptoris octingentesimo septimo, superstes Carolo Magno vixit, atque inter eundem Tanconem & Helingandum medius in Verdensium Episcoporum Catalogis invenitur Isengerus, quem Tomo priore non omisimus. Textus igitur, in quo Ludovicus apud Lindenbrogium & Lambecium sic loquitur, *assistentibus quoque specialiter & consentientibus atque consecrantibus Helingando * sive Willerico Episcopis, à quibus jam dicta Parochia partes, à nobis & à patre nostro sibi olim commendatas recepimus*, sublatis illis vocibus, *& à patre nostro*, meliùs à Bollando & à Baluzio, quos secuti sumus, sic editus est, *assistentibus quoque specialiter & consentientibus atque consecrantibus Helingando sive Willerico Episcopis, à quibus jam dicta Parochia partes à nobis sibi olim commendatas recepimus.* Ludovicus post Caroli patris obitum anno Redemptoris octingentesimo decimo-quarto Parochiam Hammaburgensem vicinis iterum Episcopis, Willerico Bremensi & Tanconi Verdensi commendavit. A morte Caroli Magni ad ordinationem usque Anscharii Archiepiscopi, sexdecim effluxerunt anni, quibus Bremensem Ecclesiam rexit Willericus. At intra spatium eorumdem annorum bis vacavit Werdensis Episcopatus; semel post Tanconis obitum, iterum post mortem Isengeri. Ut Isengerus Tanconi, sic Isengero subrogatus est Helingandus, qui Verdensem gubernabat Ecclesiam, cùm Anscharius ordinatus est Archiepiscopus, ideóque Ludovicus ait receptas à se partes Hammaburgensis Parochiæ, quas vicinis Episcopis Helingando & Willerico commendarat.

* Lambec. *Hellingando.*

XXXVII. Undecimò, ubi Baluzius sic habet. *Ansgario, quia præfatis in gentibus hac nostris in diebus dignissima in convocatione gentilium vel redemptione captivorum monstrata sunt lucra, tam nostrâ quàm Sanctæ Romanæ Ecclesiæ auctoritate hanc Deo dignam in præfatis gentibus commisimus Legationem.* Lindenbrogius, Lambecius & Bollandus breviùs sic. *Ansgario * tam nostrâ quàm Sanctæ Romanæ Ecclesiæ auctoritate hanc Deo dignam in præfatis gentibus commisimus Legationem.* Sed ratio non occurrit, cur omitti debeat committendæ Legationis causa, quam Balnzius protulit.

* Bolland. *Anscbario.*

XXXVIII. Duodecimò, in editionibus, Lindenbrogiana, Lambeciana, & Baluziana, hæc sequuntur. *Et quia casus præteritorum cautos nos facit in futurum, ne quisquam Episcoporum aliquam sibi trans Albiam, vel alicubi in prædicta Parochia vindicet potestatem, certo limite circumscriptam * esse volumus, videlicet ab Albiæ flumine deorsum usque ad mare Oceanum, & sursum per omnem Slavorum provinciam usque ad mare quod Orientale vocant, & per omnes prædictas nationes Septemtrionis; omnes quoque paludes infra sive juxta Albiam positas, cultas & incultas, infra terminos ejusdem Parochiæ ponimus, ut Trans-Albiani se & sua ab incursu paganorum, qui sæpè timendus est, securiùs in his locis occultare queant.* Cur hæc ab uno prætermittantur Bollando, non capimus. Hæ voces, *& per omnes prædictas nationes*, ad Ansgarii Legationem spectant, ceteræ privatos Hammaburgensis Ecclesiæ limites constituunt. Audi quid illis de finibus scribat Helmoldus in Chronico [a] Slavorum. *Præter honorem Metropolitanæ Sedis, quâ omnes nationes sive regna complectitur Aquilonis, habet utique Hammenburgensis Ecclesia præscriptos terminos suæ Parochiæ, ultimam scilicet partem Saxoniæ, quæ est trans Albiam, & dicitur Nordalbingia, continens tres populos, Tethmarsos, Holsatos, Stormarios. Inde extenduntur termini ad Winithos; eos scilicet qui dicuntur Wagri *, Obotriti, Kycini, Circipani, &*

* Edit. *circumscriptum.*

[a] Lib. 1. c. 6.

* Krantz. *Wagri.*

usque ad flumen Panim & urbem Dimin *. *Ibi est limes Hammenburgensis Parochiæ.* Helmoldum transcribit Krantzius in sua Wandalia [a]. AN. CH. 834.

Decimo-tertiò, Ludovicus in editionibus Bollandiana & Baluziana, multa, quæ perperam in Lindenbrogiana & Lambeciana reticentur, de Cella *Turbolt* vocata sic scribit. *Homines quoque, qui ejusdem Cellæ beneficia habere videntur, ab omni expeditione vel militia sive qualibet occupatione absolvimus, ut idem Venerabilis Archiepiscopus* * *ad hanc Deo dignam peragendam in provisis temporibus Legationem, nullum in hoc patiatur impedimentum. Dona verò, quæ ex eadem Cella nostris partibus dare solebant, & nobis quoque successoribúsque nostris similiter dari volumus. His exceptis, majus minúsve in convocatione paganorum vel redemptione captivorum, sive ejusdem Sedis supplemento multimodis periculis circumdata* *, *vel ibidem Deo militantium solatio, ob amorem Dei ac beati Sixti Confessoris ejus perpetuò delegamus.* De Sanctis Sixto seu Xisto & Sinnicio seu Sinicio Remensis Metropoleos antiquissimis Antistitibus, quorum Reliquias Anscharius Hammaburgensis Archiepiscopus Ebonis Remensis Metropolitæ dono suscepit atque in urbe Hammaburgensi collocavit, lege Adamum in Historia Ecclesiastica [b]. XXXIX.

* Krantz. *D myn.*
[a] Lib. 2. c. 24.
* Edit. *Episcopus.*
* Bolland. *circumdato*: Baluz. *circumdata.*
[b] Lib. 1. c. 19.

Decimo-quartò, Ludovicus in editionibus quoque Bollandiana & Baluziana, formulam Immunitatis ex usu recepto sic exhibet. *Rex quoque* * *præfata Sedis* Hammaburgensis *& jam* * *dicti Monasterii*, id est, Cellæ Turholtanæ, *sub plenissima defensione & immunitatis tuitione volumus ut consistant ac tueantur, ita ut nullus Judex publicus aut alia qualibet* * *potestate publicâ prædita persona de eorum rebus freda, tributa, mansionaticos, vel paratas, aut teloneum, vel fidejussores tollere, aut homines ipsorum tam litos quàm & ingenuos super terram eorum manentes distringere, nec ullas publicas functiones, aut redibitiones, vel illicitas occasiones requirere vel exigere præsumat. Sed liceat prædicto Venerabili Episcopo* * *suisque successoribus*, &c. In editionibus verò Lindenbrogiana & Lambeciana eandem Immunitatem multò breviùs sic perstringit. *Res itaque præfatæ Sedis & jam dicti Monasterii sub plenissima defensione & immunitatis tuitione volumus ut consistant, ut liceat Venerabili Archiepiscopo prædicto suisque successoribus*, &c. Genuino Diplomati restituenda sunt ex Bollando & Baluzio, quæ desiderantur apud Lindenbrogium & Lambecium; hi tamen Anscharium rectiùs Archiepiscopum quàm alii Episcopum appellant. Prætereà observa Ludovicum in suo Diplomate solius Anscharii meminisse, quia tunc Ebonem Remensem Archiepiscopum, quem Gregorius Quartus Papa socium Legationis anno Redemptoris octingentesimo tricesimo dixerat, sub custodia detinebat ob causas superiùs enarratas. XL.

* Baluz. *itaque.*
* Bolland. *præscripti.*
* Baluz. *quali libet.*
* Lege *Archiepiscopo.*

Decimo-quintò, ex subscriptione Diplomatis apud Lindenbrogium & Lambecium expunguntur hæ voces *Christo propitio*, quas Bollandus & Baluzius meritò reposuerunt. Et in fine subscriptionis apud Lindenbrogium & Lambecium additur *annus Domini Jesu Christi* DCCCXXXIV. Hic autem Character à Bollando & Baluzio rectè rejicitur, quia Ludovici Pii ætate Regiis Diplomatibus annus Incarnationis Dominicæ non apponebatur. Quamvis hunc eraserimus Charcterem, Ludovicianum Diploma, quod hactenus examinavimus, haud inficiamur datum esse hoc anno, Redemptoris octingentesimo tricesimo-quarto, qui per mensem Maium duodecimæ illigatur Indictioni, & vicesimus-primus Imperii Ludoviciani numeratur. Irrepsit error in Historiam Ecclesiasticam [c] Adami, quæ *Luthowici* seu Ludovici Augusti annum XXI cum *anno Domini* DCCCXXXIII per mensem Maïum malè comparat. XLI.

[c] Lib. 1. c. 21.

Eodem anno, Ludovici Augusti vicesimo-primo, Pippinus Rex octavo Kalendas Decembres, cùm annum quoque vicesimum-primum sui Regni jam numerabat, hoc, ut insinuavimus suprà [d], pro Sancti Hilarii Monasterio Præceptum edidit. *Pippinus, ordinante Divina Majestatis gratiâ, Aquitaniæ Rex. Si justis servorum Dei flagitationibus fideliúmque nostrorum, quas illi* XLII.

[d] Hoc an. n. 2.
PRÆCEPTUM PIPPINI R PRO MON S. HILARII.

AN. CH. 834. LUDOV. IMP. 21. LOTHAR. IMP. 18. PIPPINI R. 20. LUDOV. R. 18. CAROLI R. 5.

*pro congruis & opportunis necessitatibus sibi à nobis fieri implorant & humiliter deprecati sunt, aurem accommodare non distulimus, eisque deprecantibus clementiam impertire non denegamus, hoc nobis procul dubio ad adipiscendam gloriam & totius Regni nostri stabilitatem pertinere non diffidimus. Quamobrem noverit solertia cunctorum Sanctæ Dei Ecclesiæ fidelium nostrorum præsentium scilicet & futurorum, quia adiens nostri Culminis Serenitatem Fridebestus Episcopus, Archicapellanus noster, seu & Abbas ex Monasterio Sancti Hilarii, quod est situm in suburbano Pictavensi, quo idem promptus & præcipuus Confessor quiescit, ex verbis senioris nostri Gloriosissimi Augusti præceptionem atque consensum petiit, ut omnes res ad suprascriptum Monasterium cum omnibus super degentibus pertinentes sub nostro mundeburdo vel Immunitatis tuitione reciperemus, quatenus sub suo proposito omnes valeant vivere & residere ejusdem Ecclesiæ, absque malorum hominum contrarietate seu & infestatione conquiescere. Cujus petitioni pro eo quòd rata nobis visa extitit, assensum non denegamus, sed, ut deprecatus est, pro nostra mercedis emolumento concessimus, necnon & sub nostro mundeburdo vel Immunitatis tuitione idem Monasterium cum omnibus rebus ad se jure & legaliter pertinentibus, tam ex prisco tempore inibi conlatis, quam & cum illis quas Divina pietas in futuro ibi augere voluerit, esse firmatum. Hanc nostræ auctoritatis præceptionem eidem Monasterio fieri jussimus, per quam præcipimus atque jubentes decernimus, ut nullus Judex publicus, aut quilibet Judiciariam exercens potestatem, aut ullus ex fidelibus nostris tam præsentibus quam futuris, in Ecclesias aut loca vel agros vel reliquas possessiones, quas moderno tempore infra Regni nostri ditionem quibuslibet in pagis & territoriis justè ac legaliter possidet, vel ea quæ deinceps in usus ipsius sancti loci consistentibus, Divina pietas voluerit augere, ad causas audiendas, vel freda ac tributa exigenda, aut mansionaticos, aut paratas faciendas, aut fidejussores exigendos, aut ipsius Monasterii homines tam ingenuos quàm servos super ipsius terra commanentes distringendos, nec ullam redibitionem aut illicitas occasiones requirendas, nostris nec futuris temporibus ingredi audeat; nec ea, quæ suprà memorata sunt, ullatenus exigere præsumat, aut à degentibus super ipsius sacri loci terram quibuscumque ex censu plùs, quàm priscis temporibus usus extitit, exigere præsumas. Quidquid etiam de præfati Monasterii rebus fiscus exigere poterat, paternâ remuneratione eidem concedimus Monasterio, scilicet ut perpetualibus temporibus in alimoniam pauperum & stipendia fratrum inibi Deo famulantium proficiat in augmentum, quatenus inibi Deo famulantes cum omnibus rebus ad ipsum Monasterium aspicientibus vel pertinentibus sub tuitionibus &c. Concedimus etiam ut si qui ex familia fratrum ad illorum villas pertinentes, de ceteris beneficiis Sancti Hilarii aut vir uxorem aut uxor virum in conjugio acceperit, proles eorum non dividantur, sed ibi permaneant, ut pro nostra incolumitate aut Regni nostri stabilitate clementissimam Dei miserationem eos in perpetuum exorare delectet. Hanc verò Immunitatis auctoritatem, ut in Dei Nomine pleniorem vigorem obtineat, & à cunctis Sanctæ Ecclesiæ fidelibus nostrísque * meliùs credatur, & per cuncta annorum curricula diligentiùs conservetur, manu propriâ subter firmavimus, & anuli nostri impressione subter eam jussimus firmari. Signum Pippini Gloriosissimi Regis. Datum 8 Kalendas Decembris, Indictione 14 anno 21 regnante Domino Hludovico Imperatore, 21 Regni nostri. Actum in Nevisio in Dei Nomine feliciter. Amen.* In hac Charta, quam Joannes Beslyus in libro de Regibus Aquitaniæ publicavit, Indictionis decimæ-quartæ loco decimam-tertiam à Kalendis Septembribus jam inchoatam repone, ut assequaris annum Redemptoris octingentesimum tricesimum-quartum, cujus dies octavus ante Kalendas Decembres cum anno Ludovici Augusti vicesimo-primo à Caroli patris obitu, necnon & cum anno pariter vicesimo-primo Pippini Regis jam cœpto rectissimè convenit. Apud eundem Auctorem in Historia [a] Pictavensium Episcoporum legitur fragmentum ejusdem Chartæ cum hac subscriptione. *Datum 8 Kal. Decemb. Indict. 12. anno 21 regnante Domino Ludovico Imp. 20 Regni nostri.*

* Edit. nobisque meliùs concedatur.

[a] In Episc. 47.

AN. CH. 834. LUDOV. IMP. 21. LOTHAR. IMP. 18. PIPPINI R. 20. LUDOV. R. 18. CAROLI R. 5.

Actum in Nerisio in Dei Nomine F. A. Meliùs autem, ut ex prædictis liquet, illam subscriptionem sic restitues. *Datum* VIII *Kalendas Decembris, Indictione* XIII. *anno* XXI *regnante Domino Hludovico Imperatore,* XXI *Regni nostri.* Fridebestus Episcopus, quem Pippinus Rex in prædicto Diplomate commendat, Episcopus fuit Pictavensis, Archicapellanus Palatii Aquitanici, & Abbas Hilariani Monasterii. Proximus ei locus in Episcoporum Pictavensium Catalogo tribuitur post Sigibrannum seu Sigibrandum, quem anno Redemptoris octingentesimo tricesimo superstitem laudavimus, ut in Abbatum Hilarianorum Nomenclatura post Fulconem, quem observavimus eodem quoque anno Redemptoris octingentesimo tricesimo interfuisse Translationi Sancti Juniani, nec dubium quin munus Archicapellani post eundem Fulconem gesserit.

XLIII. De Hero Diœcesis Pictavensis Insula vetus Anonymus in Chronico Engolismensi [a] sic ad hunc annum scribit. DCCCXXXIV. *Mense Junio Herus Insula à generali Monachorum habitatione destituitur.* Herensi ac Deensi Monasteriis unus præerat Abbas Hilbodus. Monachi, ut Ermentarius Abbas testatur, *æstivo tempore, quo navigandi arridet temperies*, cùm subitaneas atque improvisas Nordmannorum irruptiones pertimescerent, *Deas Monasterium, quod ob hoc fuerat constructum* in pago Herbatilicensi *, *petentes, hyemis tantùm tempore Herum Insulam repetebant*, ut Tomo superiore jam observavimus [b]. At Chronographus Engolismensis, cùm Herum Insulam *generali Monachorum habitatione* destitutam dicit, innuit huic Insulæ gravius hoc anno quàm superioribus imminere periculum, illúdque ad annos proximos validissimè confirmat. Addit enim anno Redemptoris octingentesimo tricesimo-quinto prælium in Hero Insula cum Nortmannis commissum fuisse, & anno Redemptoris octingentesimo tricesimo-sexto Corpus Sancti Filiberti septimo Idus Junias ex eadem Insula translatum esse. De illo prælio déque hac Translatione suis agemus locis. Impræsentiarum nobis disputandum cum Petro Francisco Chifflетio, qui quod hoc anno gestum dicimus, integro quadriennio antevertit capite decimo-tertio Historiæ Trenorciensis, & in opinionis suæ confirmationem inter operis sui probationes allegat solum Chronicon Lemovicense cum Ademaro, quorum textum quisquis attentè legerit, errorem Chronici Lemovicensis rejiciet in amanuensem, & Ademarum res valdè distinctas atque diversis annis confectas sub uno complexum anno redarguet.

HERUS INSULA GENERALI MONACHORUM HABITATIONE DESTITUITUR OB METUM NORDMANNORUM.

[a] Tom. 2. Biblioth. Labbean.
* Herbauge.
[b] Ad an. 819. n. 4.

XLIV. Chifflеtius anno Christi millesimo sexcentesimo sexagesimo-quarto Chronicon Lemovicense cum hoc edidit titulo. *Chronicon Lemovicense adjectum ad calcem Cyclorum Paschalium, in veteri Codice MS. Monasterii Lemovicensis.* Et cum hoc initio. *Anno Dominica Incarnationis* DCCCXXX. *Herio Insula à generali Monachorum habitatione destituitur mense Junio. Eo quoque anno Odo Aurelianorum Comes cum Lamberto Nannetensi Comite congreditur, & occiditur.* Haud ignoravit idem Chronicon ante annos septem sive anno Christi millesimo sexcentesimo quinquagesimo-septimo publicatum fuisse à Philippo Labbeo [c] cum hoc titulo. *Chronicon Aquitanicum, quod ab aliis dicitur Fragmentum Chronica Lemovicensis; ex Codice Memmiano.* Et cum hoc initio. *Anno Dominica Incarnationis* DCCCXXXIV. *Herio Insula à generali Monachorum habitatione destituitur mense Junio. Eo quoque anno Odo Aurelianorum Comes cum Lamberto Nannetensi Comite congreditur & occiditur.* Quærendum igitur hoc loco, utrum editio Labbeana Chifflеtianæ, an Chifflеtiana Labbeanæ sit præferenda. Labbeanæ suffragatur Chronicon Engolismense, quod jam citavimus in hunc modum. DCCCXXXIV. *Mense Junio Herus Insula à generali Monachorum habitatione destituitur.* Chifflеtius paginâ probationum duodenonagesimâ supra centesimam, fragmenta profert hujus Chronici cum hoc titulo. *Ex Chronico Engolismensi Codicis Tiliani, apud Labbeum Tom. 2. Nova Bibliotheca.* Atque inter illa fragmenta hoc

[c] Tom. 2. Biblioth.

AN. CH. 834. LUDOV. IMP. 21. LOTHAR. IMP. 18. PIPPINI R. 20. LUDOV. R. 18. CAROLI R. 5.

habet ad hunc annum. DCCCXXXIV. *Mense Junio Herus Insula à generali Monachorum habitatione destituitur.* Ad oram ponit quidem hanc notatiunculam, *lege* DCCCXXX, ut Herum Insulam *à generali Monachorum habitatione*, non anno DCCCXXXIV sed anno DCCCXXX quem in Chronico Lemovicensi perperam legit, destitutam suadeat. Verùm ut in Engolismensi Chronico annum servare debet DCCCXXXIV, sic & eundem annum DCCCXXXIV, quem in Chronico Lemovicensi apud Labbeum invenit, restituere debet exploso anno DCCCXXX. Dubium non est quin utrumque Chronicon editionis Labbeanæ præ manibus habuerit, paginâ enim probationum centesimâ octogesimâ-quintâ duabúsque subsequentibus transcripsit Chronicon Lemovicense; & paginâ centesimâ duodenonagesimâ recitavit fragmenta Chronici Engolismensis factâ in ipso titulo mentione Bibliothecæ Labbeanæ, in qua reperitur integrum Tomo primo sub hoc titulo. *Chronicon Engolismense, exscriptum ex Codice Conciliorum Bibliotheca Tiliana, ab anno* DCCCXIV *ad* DCCCCXCI.

XLV. In utroque Chronico, Lemovicensi videlicet & Engolismensi, eodem anno Herus Insula destituitur generali Monachorum habitatione, & Odo Comes Aurelianensis in prælio contra Lambertum Namnetensem Comitem perimitur. Lemovicense Chronicon ad annum DCCCXXXIV in editione Labbeana & ad annum DCCCXXX in editione Chiffletiana sic habet. *Herio Insula à generali Monachorum habitatione destituitur mense Junio. Eo quoque anno Odo Aurelianorum Comes cum Lamberto Nannetensi Comite congreditur & occiditur.* Et Engolismense Chronicon ad annum DCCCXXXIV in utraque editione, sic. DCCCXXXIV. *Mense Junio Herus Insula à generali Monachorum habitatione destituitur. Odo Comes cum Lamberto congreditur, & occiditur.* Prælium in quo cecidit Odo Comes Aurelianensis, hoc anno Redemptoris octingentesimo tricesimo-quarto commissum fuit, ut probatum est ª suprà ex vita Ludovici Pii & ex Annalibus Bertinianis ac Fuldensibus, quibus adde, si lubet, Chronicon Andegavense ad hunc annum ex primo Tomo Bibliothecæ Labbeanæ. DCCXXXIV. *Prælium inter Lambertum & Odonem Comites, in quo perierunt multi nobiles viri. Ipse Odo Comes Aurelianensium, Willelmus frater ejus Comes Blesensium, Guido Comes Cenomanensium, Teuto Abbas Sancti Martini.* Quæ superiùs per annos digesta sunt, ex quo lis inter Ludovicum Augustum ejúsque filios oriri cœpit, palàm ostendunt Odonem Aurelianensem Comitem, qui semper à Ludovicianis partibus stetit, ad hunc usque annum vixisse. Plures non congeremus probationes, ut Odonem hoc anno in prælio cæsum asseramus. Porrò, cùm omnes affirment Odonem eodem interiisse anno, quo Herus Insula generali Monachorum habitatione destituta fuit, necesse est fateatur Chiffletius utrumque anno contigisse DCCCXXXIV, atque illum annum in Chronicis Lemovicensi atque Engolismensi rectè consignari, nec carere nævo Codicem Chronici Lemovicensis, in quo notatum reperit annum DCCCXXX.

ª Hoc an. n. 11.

XLVI. Quod attinet ad Ademarum, hunc Chiffletius sic allegat. *Anno sequenti, Normanni Herio Insulam incendunt mense Junio, & destituta est à generali Manachorum habitatione. Ibi fecerat Domnus Karolus Imperator Monasterium Sancti Philiberti. Tunc Odo Aurelianorum Comes cum Lamberto Namnetensi Comite congressus occisus est. Et post annos V Rainoldus Comes Arbatilicensis, mense Septembri, cum Normannis in Herio Insula dimicat, & fugatus est.* Præstat editionem consulere Labbeanam, quæ integrum hujus Auctoris textum, res diversis annis gestas conglobatim contra leges Chronologorum sub anno Redemptoris octingentesimo tricesimo complectentem sic repræsentat. *Normanni anno sequenti cùm timerent Saxoniam intrare, reflexis navibus ad mare Aquitanicum appellunt, & Herio Insulam incendunt mense Junio, & destituta est à generali Monachorum habitatione. Ibi fecerat Dominus Imperator Carolus*

AN. CH. 834.
LUDOV. IMP. 21.
LOTHAR. IMP. 18.
PIPPINI R. 20.
LUDOV. R. 18.
CAROLI R. 5.

Carolus Monasterium Sancti Philiberti. Tunc Ludovicus Conventum generalem tenuit in Palatio Jogentiaco in Lemovicino, & cum gloria magna dedicare jussit Basilicam Salvatoris Regalem mense Octobri, & levatum Corpus Sancti Martialis anno Incarnationis Domini DCCCXXX. *Eodem mense positum est post Altare Salvatoris ad cryptam majoris vitreæ, presente ipso Imperatore. Tunc hyems asperrima fuit, & reversus Imperator Franciam, post modicum tempus captus est in traditione à tribus Regibus, filiis suis, Lothario, Ludovico, & Pipino, & à Lothario missus est in carcerem apud Sanctum Medardum, deinde apud Sanctum Dionysium, & expoliatus est ab Imperialibus indumentis, & nigrâ veste indutus; & dum parvo pòst tempore Lotharius Viennam diu demoraretur, aggregati Franci Ludovicum à custodia carceris juxta aulam Sancti Dionysii ejecerunt, & invitum in Regem iterum elevaverunt; & ab eo die quo D. Martialis Corpus positum est ubi suprà, in Basilica Salvatoris, usque ad eum diem quo Imperator restitutus est in Regnum mediâ Quadragesimâ, post asperrimam hyemem incessanter diluvia aquarum & pluvia nimia increverunt; ab ipso die restitutionis serenitas in Francia reddita est, sed & in Aquitania pluviæ non defecerunt, quousque Corpus Beati Martialis sepulchro pristino iterum reconditum est. Tunc Odo Aurelianorum Comes, qui favebat partibus Ludovici, & frater ejus Willelmus, cum Lamberto Nannetensium Comite, qui Lothario favebat, congressi, occisi sunt cum multis Principibus Neustriæ. Lotharius à Vienna reversus voluit apud Castrum Blesense cum patre suo confligere, sed impar viribus supplex venit ad eum, & indulgentiam meruit, & restitutus est honori pristino. Similiter Ludovicus & Pipinus indulgentiam à patre acceperunt, & restituti sunt dignitati solitæ. Verùm post annos 5 Rainaldus Comes Arbatilicensis, mense Septembri, cum Nortmannis in Herio Insula dimicat, & trucidatus est.* Labbeus additâ brevi adnotatione observat, quòd Rainaldus in MS. Thuano *fugatus* duntaxat dicitur.

XLVII. Hunc textum multis in locis maxima ex parte jam refutavimus. Primò ad annum Redemptoris octingentesimum decimum-quartum [a] ostendimus ab Ademaro perperam asseri de Carolo Magno, quòd in Herio Insula Monasterium Sancti Philiberti fecerit. Secundò ad annum Redemptoris octingentesimum tricesimum-secundum [b] prævalidè probavimus ab Ademaro pleraque de Palatio Jogentiaco, & de Lemovicensi Basilica Salvatoris, anno Redemptoris octingentesimo tricesimo referri, quæ dubio procul in annum Redemptoris octingentesimum tricesimum-secundum rejici debent. Tertiò, ad annum Redemptoris octingentesimum tricesimum-tertium [c] memoravimus exauctorationem Ludovici Augusti, quam Ademarus anno Redemptoris octingentesimo tricesimo malè collocat. Quartò, quam Ademarus anno quoque Redemptoris octingentesimo tricesimo, nos Ludovici Imperatoris instaurationem hoc anno Redemptoris octingentesimo tricesimo-quarto [d] consignavimus. Quintò, Lotharius [e] Ludovicum patrem in Monasterio San-Dionysiano agri Parisiensis reliquit, arreptâque pridie Kalendas Martii fugâ Viennam se recepit, Ludovicus [f] autem die postero seu Kalendis Martii, Dominicâ secundâ Quadragesimæ Imperatorias Infulas in prædicto Monasterio recuperavit, & Ademarus erroneè scribit id contigisse *mediâ Quadragesimâ, dum Lotharius Viennam diu demoraretur.* Sextò, prælium, in quo Comes Aurelianensis Odo ejúsque frater Willelmus Comes Blesensis interierunt, hoc eodem anno Redemptoris octingentesimo tricesimo-quarto [g] post Lotharii fugam & instaurationem Ludovici consertum diximus, nec audiendus Ademarus, qui nostram super hac pugna Chronologiam quadriennio prævertit. Septimò, si fides est Ademaro, *Lotharius* Odone ac Willelmo Comitibus in prælio suprà memorato jam cæsis *à Vienna reversus* anno Redemptoris octingentesimo tricesimo *voluit apud Castrum Blesense cum patre suo confligere, sed impar viribus supplex venit ad eum, & indulgentiam meruit, & restitutus est honori pristino;* de re disputationem non movemus sed de tempore, annum

[a] Num. 8.
[b] Nu. 7. 8.
[c] Nu. 37. & seqq.
[d] Nu. 1. & seqq.
[e] Hoc an. n. 2.
[f] Hoc an. n. 6.
[g] Hoc an. n. 12.

AN. CH. 834. LUDOV. IMP. 21. LOTHAR. IMP. 18. PIPPINI R. 20. LUDOV. R. 18. CAROLI R. 5.

enim noni seculi non tricesimum sed tricesimum-quartum [a] huic negotio adscripsimus. Octavò, quando Lotharius Viennâ reversus in agro Blesensi cum patre suo confligere vel voluit vel velle se simulavit, in castris Ludovici patris erant Pippinus & Ludovicus fratres; Ademarus igitur de duobus hisce Regibus falsò subjungit, quòd *similiter* ac Lotharius frater, *indulgentiam à patre acceperunt, & restituti sunt dignitati solitæ.* Quod attinet ad Rainaldum Comitem Arbatilicensem, de illo agemus anno sequenti, triáque proferemus adversùs Ademari textum, nempe quòd exitu non infelici sed prospero, mense non Septembri sed Augusto, anno non quinto sed proximo post instauratum Ludovicum Imperatorem cum Nortmannis in Heto Insula pugnarit. Hæc impræsentiarum sufficiant ad refutandam Ademari Chronologiam, qui quod anno Redemptoris octingentesimo tricesimo-quarto in Hero Insula gestum fuit, quadriennio citiùs ad annum Redemptoris octingentesimum tricesimum retulit.

[a] Hoc an. n. 16.

XLVIII. JOSEPH EP. EBROÏCENSIS ET ABB. FONTANEL. OBIT.

Joseph Ebroïcensis Episcopus Fontanellense Monasterium à VI Kalendas Septembres anni superioris ad IV Idus Martias hujus anni per menses septem diésque duodecim *in divortio* tenuit. Successit Fulco Presbyter decimo-septimo Kalendas Aprilis, hoc eodem anno Ludovici Augusti vicesimo-primo, ut legitur in priori ad Fontanellense Chronicon Appendice, cujus initium hic damus rejecto ad oram anno Incarnationis Dominicæ DCCCXXXV, qui perperam pro DCCCXXXIV in Spicilegium Dacherianum irrepsit. *Fulco Venerabilis Presbyter succedit ab anno Incarnationis Dominica* DCCCXXXIV *, *qui est annus bona memoria Hludovici Imperatoris vicesimus-primus. Nam antea Joseph Episcopus in divortio illud tenuerat menses* VII, *dies* XII, *id est, à sexto Kal. Septembris usque ad* IIII *Idus Martii. Septimo-decimo Kal. Aprilis fuit tunc datum Domno Fulconi prædictum Cœnobium.* Lege quæ dicta sunt anno priori [b] post obitum Sancti Ansegisi. Quæri potest utrùm Fontanella post Josephi mortem, an post ejus abdicationem seu spontaneam seu coactam Abbate caruerit. Abdicationem suadent hæ voces, *in divortio*, videntur enim non obscurè significare, quòd Joseph Ebroïcensis Episcopus invitis ac reluctantibus Monachis Abbas per vim ac tyrannidem mensibus septem diebúsque duodecim fuit, donec regimen Monasterii vel sponte vel coactus abdicavit. Tunc non leve dissidium erat inter Canonicos & Monachos, seu sub uno viverent Abbate seu sub diversis degerent Abbatibus. Utrique Abbatem sui Ordinis, Abbatem Canonicum Canonici, Monachi Monasticum Abbatem habere cupiebant. Inde factum sæpiùs ut Monachi, cùm Chronica suorum Monasteriorum scriberent, atrociùs in Canonicos Abbates inveherentur. Proximum habes exemplum de Fridugiso Cœnobii Sitivensis Abbate Canonico, cujus obitum hoc anno [c] suprà retulimus, nec fuis omisimus [d] locis textus eidem Abbati multùm injurios, quos apud Folquinum ac Folcardum Sitivenses Monachos & apud Yperium Abbatem Monasticum illius loci repetimus. Simili modo Fontanellensem Monachum arbitrare duriùs locutum de Josepho, quia Monasticus Abbas non erat, & curam susceperat Ebroïcensis Episcopatûs, intra cujus fines nec erat Fontanella. Josephum tamen immunem à culpa ne credas. Ex illorum enim Episcoporum numero fuit, qui partes Lotharii sequebantur. Hoc anno Lotharius pridie Kalendas Martii fugam arripuit ex agro Parisiensi, postridie sive ipsis Kalendis Martii, die Dominico Ludovicus ornamenta suæ Dignitatis in Æde San-Dionysiana resumpsit, abeunti Lothario socium se perduellionis atque itineris adjunxit Josephus. Quo comperto, Fontanellenses Monachi Josephum quarto Idus Martias exauctorarunt inierúntque consilium de novo Abbate eligendo, nec Ragnoardus Rotomagensis Archiepiscopus, in cujus Diœcesi sita Fontanella, talem deliberationem improbavit, à partibus enim Ludovicianis semper stetit. Electus est igitur

* In edit. malè DCCCXXXV.

FULCO FIT ABB. FONTANELLENSIS.

[b] Ad an. 833. n. 81.

[c] Num. 3.

[d] An. 820. nn. 11. & seqq. & 834. n. 5.

AN. CH. 834.
Ludov. Imp. 20. Lothar. Imp. 18. Peppini R. 20. Ludov. R. 18. Caroli R. 5.

Abbas Fulco, vel decimo-septimo vel septimo Kalendas Aprilis. Utrumque diem in eadem periodo sic usurpat Auctor primæ Appendicis ad Chronicon Fontanellense. *Septimo-decimo Kal. Aprilis fuit tunc datum Domno Fulconi prædictum Cœnobium, & tenuit annis undecim, & menses* v, *& dies* XXVII, *id est à septimo Kal. Aprilis usque* VI *Idus Octobris.* Neuter autem horum dierum cum allegaris mensium ac dierum minutiis convenit. Etenim à septimo-decimo Kal. Aprilis ad VI Idus Octobris sex menses diésque viginti-quinque numerantur, ut à septimo Kal. Aprilis ad VI Idus Octobris menses sex diésque quindecim, nequaquam verò menses v, & dies XXVII. Gravior adhuc in annis est error, Fulco enim nec Cœnobium annis rexit undecim, nec ad annum Redemptoris octingentesimum quadragesimum-quintum pervenit. Commodior ac facilior afferri non potest emendatio, quàm si numeros annorum ac mensium perturbatos dicas, & Fulconem non annis undecim ac mensibus quinque, sed annis quinque undecímque mensibus Abbatem fuisse pronunties. Quod ad dies attinet viginti-septem, qui præter annos ac menses superadduntur, inde colligimus Fulconem, si triduum demas, Abbatem extitisse sex annis integris, à mense videlicet Martio hujus anni ad mensem Martium anni post Christum natum octingentesimi quadragesimi, ut ad illum annum fusiùs probabimus.

XLIX. Episcopi Genavenses.

Artaldus Genavensis Episcopus, cujus mentionem anno priori fecimus, à Claudio Roberto & à Francisco Augustino ab Ecclesia memoratur in restitutione Ludovici Pii, id est, hoc anno, cujus loco perperam ab iisdem Nomenclatoribus ponitur *an. 835.* In auctiore Gallia Christiana proximi successores nominantur Domitianus & Boso. Nudum Domitiani nomen profertur. Bosoni tribuuntur in Episcopatu menses septemdecim. Quot annis Domitianus Episcopatum gesserit nemo prodit, ignoratur enim annus quo factus est Episcopus. Ei successit Boso post annum Redemptoris octingentesimum quadragesimum. Id hoc loco notasse sufficiat. Plura de Bosone, quem Abbatem Floriacensem jam laudavimus, dicemus infrà.

L. Salernitani.

Rodoaldus Salernitanus Episcopus, cùm sexdecim annos sedisset, hoc anno vitam clausit. Successit Petrus anteà Canusinus Episcopus, qui Canusiâ priùs à Saracenis captâ profugus Salernum adierat. Hic Ecclesiam miræ magnitudinis in honorem Beati Joannis Baptistæ suscepit construendam juxta Cathedralem, nec eam ad culmen perduxit morte præventus, ut Ughellus scribit in Italia Sacra [a].

[a] Tom. 7. in Ep. Salernit. 21.

LI. Abbates Casinenses.

Obiit hoc anno, regiminis sui sexto, Deusdedit Abbas Casinensis, de quo sic Leo in Chronico [b]. *Deusdedit quintus-decimus Abbas sedit annis sex.* Hos annos interpretare non integros, quia decessor vitam clausit mense Novembri, ipse verò mense Octobri animam Creatori reddidit. Sicardus Princeps seu Gubernator provinciæ Beneventanæ, quem libidini & avaritiæ deditum anno priore jam vituperavimus, *pro amore pecuniæ*, inquit Erchempertus [c], *spectabilem & Deo dignum virum Sanctitate conspicuum, Deusdedit nomine, Beatissimi Benedicti Vicarium, à Pastorali Ministerio * Monachorum, seculari magis potentiâ quàm congruâ ratione deposuit, ac custodiæ mancipavit. Cujus nunc quoque cineres, quà recubat humatus, nonnullos febre detentos varisque languoribus oppressos, ex fide poscentes, creberrimè curare noscuntur.* Leo breviùs eadem in suo Chronico [d] sic complectitur. *Hic*, nempe Sicardus, *prædictum Venerabilem Abbatem* Deusdedit, *virum omni sanctitate perspicuum causâ pecuniæ cepit, atque custodiæ mancipavit. Qui sanctus vir, cùm depositus fuisset* VII *Idus Octobris, in loco ubi reconditus est, multos febre detentos diversisque languoribus oppressos, ex fide poscentes ad suos cineres, pristinæ saluti restituit.* In Martyrologio Romano Deusdedit septimo Idus Octobris colitur cum hoc elogio. *Apud Cassinum, Sancti Deusdedit Abbatis, qui à Sicardo tyranno in carcerem trusus, illic fame & ærumnis confectus reddidit spiritum.*

[b] Lib. 1. c. 24. vet. edit. c. 28. novæ edit.
[c] Num. 13.
* Monasterio
[d] Lib. 1. c. 24. vet. edit. c. 22. novæ edit.

AN. CH. 834. LUDOV. IMP. 21. LOTHAR. IMP. 18. PIPPINI R. 20. LUDOV. R. 18. CAROLI R. 5.

Successit in Monasterii regimen Hildericus Abbas, deinde Autpertus. De utriusque Præsulatu sic Leo in primo Casinensis Chronici libro [a]. *Hildericus Abbas sextus-decimus sedit diebus decem & septem. Authpert ordine decimo-septimo Abbas effectus sedit annis tribus*, id est ad annum usque Redemptoris octingentesimum tricesimum-septimum, ut ad illum annum ex eodem Auctore probabimus. Inter Sicardum Beneventanorum Principem & Authpertum Abbatem Casinensem amicitia coaluit. *Authpertus Abbas per scriptum convenientiæ*, seu per Chartam conventionis, *Sichardo Principi* concessit *curtem, quæ dicitur Milactianum, cum Ecclesia Sancta Maria cum omnibus ornamentis & pertinentiis suis in finibus Canosinis; curtem, quæ vocatur Plazanum; curtem in Campi; curtem in Pastena; & casam unam in Canni cum substantia sua, & cum piscatione in mare, & cum omnibus pertinentiis eorum quæ suprà dicta sunt.* Et *Sichardus Beneventanorum Princeps* sylvam

LII. seu *gualdum, qui Martoranus vocatur, per suum Præceptum Sancto Benedicto*, seu Monasterio Casinensi, *concessit per fines & terminos suos, cum ripis, & aquis, fossariis, & piscationibus, & omnibus intra se positis, quemadmodum ad Palatii jus pertinere tunc temporis videbatur.* Hæc idem Leo, qui munificentiam quoque Rodegarii viri divitis sic laudat. *His temporibus vir quidam Rodegarius nomine de territorio Compsano obtulit huic Monasterio quatuor curtes suas cum omnibus pertinentiis earum, & aliquot servos & ancillas suas.* Cæterùm sub Abbate Bassacio Authperti proximo successore, *Gontarius Abbas Monasterii Sancti Modesti reddidit Beato Benedicto*, id est, Cœnobio Casinensi, *res, quas Authpertus Abbas per scriptum convenientia concesserat Sichardo Principi.* Atque inde liquet res Casinensis Monasterii Sicardo Duci non fuisse concessas, ut eas in usus suos converteret, sed ut alterius Cœnobii reditus ac possessiones adaugeret. Idque Authpertus Abbas indulgendum censuit, factâ veluti permutatione cum rebus suprà memoratis, quas ab eodem Sicardo tunc accepit. In Chronico Beneventano leguntur Chartæ

VILERONIA ABBATISSA S. SOPHIÆ. Sicardi Ducis datæ pro Monasterio Sanctæ Sophiæ, cui præest hoc anno per Indictionem duodecimam Vileronia Abbatissa; hæc successerat Arrichisæ cujus mentionem sub Sicone Sicardi decessore fecimus.

[a] Capp. 24. 25. vet. edit. c. 22. novæ edit.

LIII. GLANNENSES. Pervenit ad hunc annum Frotbertus Glannensis Abbas, de cujus successoribus Ansaldo & Gauzberto nihil præter nuda nomina reperimus in Gallia Christiana. Robertus Ansaldo Rodulphum anteponit. Sammarthani rectiùs eundem Rodulphum seu Radulphum post Didonem Gauzberti successorem rejiciunt.

LIV. FERREOLUS ABB. BRIVATENSIS. Florebat & hoc anno Ferreolus Sancti Juliani Brivatensis Abbas, cujus mentionem Tomo superiore [b] jam fecimus. In libro manuscripto de honoribus Sancto Juliano collatis laudatur Charta undenonagesima *in mense Septembri, in anno* XX, *regnante Domno Pipino Rege.*

[b] Ad an. 827. n. 92.

LV. PRIVILEGIUM GREGORII PP. PRO FLORIACO EXAMINATUR. Privilegium pro Monasterio Floriacensi nuperrimè publicatum est [c] sub nomine Gregorii Papæ Quarti. Nævo non caret ex ipsius editoris assensu, qui rejectâ Indictione VII quam in exemplari legerat, in margine posuit XII & adjecit *ann. Christi 834*, ut datum significaret hoc anno Redemptoris octingentesimo tricesimo-quarto, mense Aprili, Indictione duodecimâ. Sed illud Diploma multis argumentis ostenditur suppositiium. Imprimis totum penè conflatum est ex tribus aliis Privilegiis; ex Privilegio videlicet, quod eidem Monasterio Floriacensi Joannes Octavus Papa Gregorio Quarto recentior concessit anno Redemptoris octingentesimo septuagesimo-octavo in Synodo Tricassina; ex commentitio Privilegio quod Gregorius Magnus Suessionensi Monasterio Sancti Medardi dedisse fertur; & ex interpolatis ejusdem Gregorii Magni literis ad Senatorem pro Xenodochio Augustodunensi. Joannis Octavi Privilegium Floriacense primus evulgavit Jacobus Sirmondus Tomo tertio Conciliorum Gallicanorum. Gregorii Magni Privilegium Augustodunense Tomo

[c] Lib. 2. Miscell.

ſecundo noſtrorum Annalium examinavimus ad annum Chriſti ſecundum[a] ſupra ſexcenteſimum. Ejuſdem Gregorii Sueſſionenſe Privilegium exploſimus eodem Tomo ad annum Chriſti quingenteſimum nonageſimum-tertium[b]. Ut autem faciliùs uno videas intuitu quid ex ſingulis hiſce Privilegiis acceperit, qui ſuppoſititias Gregorii Quarti Papæ literas conſuit, eas ut editæ ſunt deſcriptas ſubjicimus, & ad earumdem latus addimus alia Privilegia ſeu Privilegiorum fragmenta, quæ ſimul conferre poſſis.

[a] Nu. 13. & ſeqq.

[b] Nu. 12. 13.

PRIVILEGIUM GREGORII IV PP. PRO FLORIACO,

ex lib. 2. Miſcellaneorum.

*Gregorius Epiſcopus ſervus ſervorum Dei omnibus Epiſcopis atque aliis Dei fidelibus per Galliam conſtitutis *. Quoniam ex Apoſtolica ſucceſſione ſollicitudinem omnibus Eccleſiis debemus impendere, ſic cupimus generali conſulere neceſſitati, ut etiam quorumcumque ſingulares cauſas ſine faſtidio cognoſcamus. Igitur cùm propter multiplices Eccleſiæ Dei curas Gallicanam adeuntes regionem ad Glorioſum deveniſſemus Imperatorem Hludovicum, inter alia ſuggeſſit auctoritati noſtræ idem Sereniſſimus Auguſtus & Venerabilis partium veſtrarum Abbas ex Cœnobio, quod nominatur Floriacus in pago Aurelianenſi, quòd idem Monaſterium quidam Religioſus Abbas Leodebodus nomine Monachis extruxerit in honorem Dei & Sanctæ Genitricis Mariæ necnon beati Principis Apoſtolorum Petri, quódque revelatione divinâ per Monachos ejuſdem loci à Capuana provincia Corpus illuc Sancti Benedicti fuerit allatum, ibíque reverenter humatum, ſicut manifeſtiſſimâ conſtat Hiſtoriâ. Nam propter ſtabilimentum Monaſticæ Religionis, piæ memoriæ Imperator Karolus pater ejus per Præceptum ſuæ auctoritatis eidem loco multa contulit, & ab aliis collata teſtamento firmavit. Unde poſtulavit idem amabilis Deo Princeps ſuprà memoratus præfatus Abbas ad reprimendam quorumdam cupiditatem Privilegium noſtræ auctoritatis eidem Monaſterio conferri. Quapropter conſtituimus, cum conſilio omnium qui adſunt Epiſcoporum, quatinus poſſeſſiones & res ejuſdem Monaſterii mobiles ſive immobiles, quæ nunc data ſunt, vel in futurum à religioſis dabuntur, ſine ulla inquietudine*

PRIVILEGIUM JOANNIS VIII PP. PRO FLORIACO

ex Tomo 3. Conc. Galliæ.

LVI.

Joannes Epiſcopus ſervus ſervorum Dei omnibus Epiſcopis atque aliis Dei fidelibus per Galliam conſtitutis. Quoniam ex Apoſtolica ſucceſſione ſollicitudinem omnibus Eccleſiis debemus impendere, ſic cupimus generali conſulere neceſſitati, ut etiam quorumcumque ſingulares cauſas ſine faſtidio cognoſcamus. Igitur cùm propter multiplices Eccleſiæ Dei curas Gallicanam adeuntes regionem, Trecas civitatem deveniſſemus, anno Incarnationis Dominicæ DCCCLXXVIII, *& ad reſecanda quælibet inutilia, vel ſtatuenda Eccleſiaſtica jura, Synodum generalem plurimorum celebraremus Epiſcoporum, inter alia ſuggeſſit auctoritati noſtræ Venerabilis partium veſtrarum Abbas, nomine Theotbertus, ex Cœnobio quod vocatur Floriacus in pago Aurelianenſi, quòd idem Monaſterium quidam Religioſus Abba, Leodebodus nomine, Monachis extruxerit in honore Dei & Sanctæ Genitricis Mariæ, necnon beati Principis Apoſtolorum Petri, quòd revelatione divinâ per Monachos ejuſdem loci à Beneventana provincia Corpus illuc S. Benedicti pervenerit olim allatum, ibíque reverenter humatum, ſicut manifeſtiſſimâ conſtat veritate, & quòd propter ſtabilimentum Monaſticæ Religionis, piæ memoriæ Glorioſus Imperator Karolus per Præceptum ſuæ auctoritatis eidem loco res denominatas delegaverit, partim à Regibus partim à Religioſis hominibus, pro amore Dei illic contributas, ut victum atque veſtitum Monachi ibidem Domino militantes deberent habere, necnon & hoc quod beatæ recordationis pater ejus Sereniſſimus Auguſtus in ipſo loco Hoſpitale Nobilium, quod Porta appellatur, juxta regu-*

* Anno Chriſti 834.

AN. CH. 834. Ludov. Imp. 21. Lothar. Imp. 18. Pippini R. 20. Ludov. R. 18. Caroli R. 5.

dine perpetualiter teneant atque possideant. Nullus deinceps Episcopus, Dux, Comes, Vicecomes, Vicarius, Telonearius, Actionarius, vel magna parváque persona audeat ipsum Monasterium vel res ad ipsum pertinentes inquietare, homines sine voluntate Abbatis distringere, vel quicquid fiscus exigere poterat aliquo modo præripere. Addimus etiam, ut quia Venerabilis Pater Benedictus Monachorum legislator & dominus, dux est Religionis Monasticæ, sit etiam qui eidem Cœnobio præfuerit primus inter Abbates Galliæ, nec aliquis de Ordine Sacerdotali, Archiepiscopus scilicet, Episcopus, aut Clericus, eum inquietare, nec sine voluntate ipsius ad idem Monasterium venire, aut aliquam ordinationem facere, vel Missas celebrare præsumat, ut omni tempore quieti & securi absque omni molestia vel controversia Monachi in eodem Monasterio Deo deservire possint. Abbas verò, qui ordinandus ibi est cum electione Fratrum, propter vitæ meritum & honestatem morum, & non propter turpia lucra seu per pecuniam eligatur, & absque ulla calumnia, à quocunque Episcopo, prout sibi placuerit, benedicatur. De Sacerdotibus aut Diaconibus ordinandis id observetur quod in Regula præcipitur, ne saltem aliquis Episcopus subjectionem ab eis requirat quos ordinavit, nec unquam officio dignos ordinare differat. Denique si contigerit ut Abbas accusetur de criminalibus causis, non unius Episcopi judicio determinetur sententia, sed provincialis Concilii expectetur censura. Aut si fortè maluerit appellare Sedem Apostolicam, res ad Romani Pontificis differatur audientiam. Et quotiescunque necessitas urget, eum venire Romam modis omnibus liceat. Solvendi & ligandi potestatem in viros & fœminas sui Ordinis habeat. Si verò Abbas vel Monachus de eodem Monasterio ad Clericatûs ordinem promotus fuerit, non illic habeat ulteriùs potestatem remorandi aut aliquid faciendi. Quia verò de eodem Monasterio Monachi exigente culpâ communione priventur, ejus Dioceseos diversa loca adeunt, & communionem sine aliqua reservatione percipiunt, Presbyteris districtiùs interdicere necesse est, ut facere de cetero non præsumant, quia regularem institutionem, itémque Hospitale pauperum, in sui parentúmque suorum eleemosyna statuerit, & res ad hoc opportunè agendum, necnon alias ad lumen Ecclesiæ administrandum jusserit deputari. Quæ omnia per jam dictos Monachos hactenus ibidem comperimus observari. Nunc verò tam seipsum, quàm unanimem Congregationem sibi commissam humiliter postulare, quamvis Privilegia multorum meruerint Episcoporum, ad reprimendam quorumlibet inlicitam cupiditatem, ut super Abbate Regulari ex eis eligendo etiam nostræ auctoritatis Privilegia consequantur. Quocircà nos potestatem, quam gratis à Christo accepimus, secundùm Evangelicam auctorisatem gratis prodesse omnibus cupientes, vice B. Petri Apostoli decernimus, ut in sæpè memorato loco servi Dei absque inquietudine debitum suæ Religionis persolvere possint servitium secundùm Regulam Patris Benedicti, à propriis Abbatibus, Monachis videlicet ex eodem Cœnobio regulariter electis, in perpetuum gubernentur. Nec illarum rerum, quæ vel in prælibato Præcepto nominatim continentur, vel à prædicto Abbate Venerabili nunc ejusdem loci Theotberto præfati Monasterii officiis deputata habentur, ullam ab aliquo unquam patiantur immunitionem, & etiam rebus, quæ deinceps à quibuslibet Religiosis hominibus eodem loco pervenerint condonata. Quòd si quis hoc nostrum beneficium irrumpere præsumpserit, & stipendia servorum Dei in alios usus converterit, ab Apostolica communione anathematis animadversione illum separamus, ut nisi admonitus è vestigio se correxerit, cum rapacibus à Regno Dei exclusus quæ meretur tormenta persolvat. Ut autem hoc Privilegium certam obtineat fidem, & Dei famulis in jam dicto Floriacensi Cœnobio securitatem conferat, quamdiu Deus & Dominus noster Ecclesiam suam durare voluerit, nostrâ id subscriptione roboravimus. Scriptum per manus Georgii Scriniarii Sanctæ Sedis Apostolicæ, in mense Augusto, Indictione XI. Benè valete.

&

FRAG-

*& regularis ordo dissolvitur, & perditionis ex hoc materia ministratur. Quod si peccatis habitatorum terræ exigentibus, anathema ad eos pervenerit, vel Privilegium eidem Monasterio indulsimus, ut fratres ejusdem Congregationis peragant divinum officium in omnibus absoluti. Visum quoque nobis est, ut hanc licentiam eidem tribuamus, quatinus fratres, qui in quibusdam Cœnobiis gemunt, quòd vivere regulariter nequeant, si voluerint studio melioranda vita ad ipsum ducem Monachorum divertere, permittatur eis tamdiu in ipso Cœnobio degere, si contenti fuerint uti Monasticâ consuetudine, quousque in suis Monasteriis videatur ordo redire. Permittimus etiam, ut si alicujus de ipsis fratribus onerosa conversatio fuerit, ipse potiùs cum suo detrimento discedat quàm alios inquinet. Hæc igitur omnia, quæ hujus Præcepti decretíque nostri pagina continet, tam eidem Abbati, quàm cunctis qui in eo quo est ordine locóque successerint, vel quorum interesse poterit, in perpetuum servanda decernimus. Si quis verò Regum, Sacerdotum, Judicum, atque secularium personarum hanc constitutionis nostræ paginam agnoscens, contra eam venire tentaverit, potestatis honorísque sui dignitate careat, reúmque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, & nisi vel illa quæ ab illo sunt malè ablata restituerit, vel dignâ pœnitentiâ illicita acta defleverit, à sacratissimo Corpore & Sanguine Domini Dei Redemptoris Jesu Christi alienus sub anathematis interdictione fiat, atque in extremo examine districtæ ultioni subjaceat. Cunctis autem eidem loco justa servantibus sit pax Domini nostri Jesu Christi quatinus & hic fructum bonæ actionis recipiant, & apud districtum Judicem præmia æternæ pacis inveniant. Scriptum per manus Theodori Notarii & Scriniarii Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, in mense Aprili & Indictione VII *.*

FRAGMENTUM PSEUDO-PRIVILEGII SAM-MEDARDENSIS, INSERTI REGISTRO GREGORII MAGNI.

AUctoritate igitur divinâ, vice beati Petri Apostolorum principis, consensu omnium Romanorum Pontificum, & voluntate totius Senatûs Romani, suadente nobis viro Apostolico Anserico Suessorum urbis Pontifice, & omnium Galliæ Episcoporum favente judicio decernimus, ut nullus Archiepiscoporum vel Archidiaconorum fratres præfata Basilica de ordinatione sui Abbatis vel Ecclesiasticorum graduum assumptione inquietet, sed secundùm prærogativam ipsius loci vobis modò recitatam beatissimi prædecessoris nostri Domini Joannis Papæ tempore decretam, & Apostolicâ auctoritate firmatam, ordinationem sui Abbatis ipsi fratres peragant, & Ecclesiasticorum graduum dignitatem suscipiant. Consecrationes quoque fontium, & scrutinii mysteria in ipso Monasterio celebrent. Chrismatis quoque ac olei, altaris, calicis, corporalis, à quocumque voluerint Pontifice benedictionem expetant, ne tantus honor à quoquam rectore ullius occasionis causâ vel necessitatis intermittatur, ne vilescat tantæ sublimitatis locus, Sanctæ Mariæ, & beati Petri, necnon & protomartyris, & Domini Medardi meritis sacratus, quem caput Monasteriorum totius Galliæ constituimus, nulliúsque ditioni patimur subesse.

FRAGMENTUM INTERPOLATI PRIVILEGII PRO XENODOCHIO ÆDUENSI, * XII.

EX REGISTRO GREGORII M. lib. II. ep. 10.

SI quis verò Regum, Sacerdotum, Judicum, personarúmque secularium, hanc constitutionis nostræ paginam agnoscens, contra eam venire tentaverit,

AN. CH. 834. LUDOV. IMP. 21. LOTHAR. IMP. 18. PIPPINI R. 20. LUDOV. R. 18. CAROLI R. 5.

taverit, potestatis honorisque sui dignitate careat, reúmque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat. Et nisi vel ea qua ab illo malè ablata sunt restituerit, vel dignâ pœnitentiâ illicitè acta defleverit, à sacratissimo Corpore ac Sanguine Dei & Domini nostri Redemptoris Jesu Christi alienus fiat, atque in aterno examine districta ultioni subjaceat. Cunctis autem eidem loco justa servantibus sit pax Domini nostri Jesu Christi, quatenus & hîc fructum bona actionis recipiant, & apud districtum Judicem pramia aterna pacis inveniant.

LVII. Auctor pseudo-privilegii, quod impugnamus, præ manibus habuit sincerum Joannis Octavi Papæ Privilegium, & ex eo primam descripsit partem, quæ circa occasionem emittendi Privilegii eireáque res à Floriacensi Monasterio cùm possessas tum possidendas versatur. Voces aliquot necessariò mutavit, ut Privilegium, quod Ludovico Balbo Rege Joannes Octavus anno Redemptoris octingentesimo septuagesimo-octavo concessit, ad Gregorium Quartum Joanne Octavo vetustiorem & ad Ludovicum Pium avum Balbi revocaret; utrùm autem benè an malè id executus sit, manet investigandum.

LVIII. Joannes Octavus quas ob causas in Galliam venerit, & Monasterio Floriacensi Privilegium dederit, sic exponit. *Cùm propter multiplices Ecclesia Dei curas Gallicanam adeuntes regionem Trecas civitatem devenissemus, anno Incarnationis Dominica* DCCCLXXVIII, *& ad resecanda qualibet inutilia, vel statuenda Ecclesiastica jura, Synodum generalem plurimorum celebrarem.: Episcoporum, inter alia suggessit auctoritati nostra Venerabilis partium vestrarum Abbas, nomine Theotbertus, ex Cœnobio quod vocatur Floriacus in pago Aurelianensi* &c. Gregorius Quartus sic in pseudo-privilegio. *Cùm propter multiplices Ecclesia Dei curas Gallicanam adeuntes regionem ad Gloriosum devenissemus Imperatorem Hludevicum, inter alia suggessit auctoritati nostra idem Serenissimus Augustus & Venerabilis partium vestrarum Abbas ex Cœnobio, quod nominatur Floriacus in pago Aurelianensi* &c. Uterque Pontifex in Galliam venit; Gregorius anno Redemptoris octingentesimo trieesimo-tertio, quo strenuam pro viribus operam navavit, ut filios perduelles patri reconciliaret; Joannes anno Redemptoris octingentesimo septuagesimo-octavo, quo Trecense Concilium celebravit. Theotbertus Abbas Floriacensis, qui Synodo Trieassinæ præsens interfuit, à Joanne Papa Privilegium petiit impetravitque. Boso, cujus jam meminimus, Abbas erat Floriacensis, quando Gregorius Ludovicum Augustum adiit. Architectus pseudo-privilegii Gregoriani nullam Bosonis memoriam fecit, Abbatem enim, qui Monasterio Floriacensi tunc præerat, à Ludovico Pio non distinxit, quem simul & Augustum & Abbatem Floriacensem sic appellavit. *Suggessit auctoritati nostra idem Serenissimus Augustus & Venerabilis partium vestrarum Abbas ex Cœnobio, quod nominatur Floriacus in pago Aurelianensi.* In eodem pseudo-diplomate, *pia memoria Imperator Karolus* dicitur *pater ejus*, qui Privilegium à Gregorio postulavit, eóque loco designatur Carolus Magnus pater Ludovici Augusti, cui tanquam Abbati Floriacensi Gregorius Privilegium concessisse fertur. Et infrà de eodem quoque Ludovico sic Gregorius. *Postulavit idem amabilis Deo Princeps suprà memoratus prafatus Abbas ad reprimendam quorundam cupiditatem Privilegium nostra auctoritatis eidem Monasterio conferri.* Quis autem non

non censeat eum ineptiisse, qui Ludovicum simul & Augustum & Abbatem Floriacensem asseruerit. Huic ineptiæ locum procul dubio fecit prava consuetudo, quæ diu viguit apud Francos, ut ipsi Reges Abbatias sibi retinerent; causas Monasteriorum Præpositis, Decanis & Thesaurariis, militiæ quoque curam Majoribus Palatii commendarent. Id Ludovico Pio superstite nusquam factum invenimus, perrarò regnante Carolo Calvo, sæpè post tempora Ludovici Balbi Regis. Atque ex hac observatione denuò colligimus pseudo-Gregorianum Diploma confictum fuisse post annum Redemptoris octingentesimum septuagesimum-octavum, quo Joannes Octavus Papa Trecis Ludovicum Balbum Regem coronavit, & Theotberto Abbati Floriacensi Privilegium dedit suprà descriptum. AN. CH. 834. LUDOV. IMP. 21. LOTHAR. IMP. 18. PIPPINI R. 20. LUDOV. R. 18. CAROLI R. 5.

LIX. In Privilegio Joannis Pontificis & in pseudo-Gregoriano par est elogium Monasterii Floriacensis. Nihil enim disparilitatis ex eo deprehenditur, quòd Sancti Benedicti Corpus illuc ab ejusdem loci Monachis allatum dicunt, Joannes à Beneventana provincia, pseudo-Gregorius à Capuana, quia Ducatus Beneventanus, cui nomen etiam provinciæ Beneventanæ tribuitur, in plures distinguitur provincias, quarum una est Capuana, in qua Casinum visitur, unde Reliquiæ Sancti Benedicti translatæ sunt in Galliam. Lege Camillum Peregrinium parte primâ libri secundi Historiæ Principis Langobardorum, ubi fusè disserit de antiquo Ducatu Beneventano.

In Privilegio, quod Ludovico Balbo Rege Joannes Papa Monasterio Floriacensi concessit, erga Floriacum munifici duo laudantur Imperatores, *pia memoria Gloriosus Imperator Karolus* & *beata recordationis pater ejus Serenissimus Augustus*, id est, Carolus Calvus & Ludovicus Pius Augusti, quorum ille Ludovici Balbi pater, hic avus extitit. In pseudo-diplomate Gregoriano munificus erga Floriacum solus commendatur *pia memoria Imperator Karolus pater ejus*, nempe Abbatis qui Privilegium postulavit, hoc est, Carolus Magnus pater Ludovici Pii, quem author pseudo-privilegii Floriacensem Abbatem fingit. Utroque Diplomate cavetur, ne quis Monasterio Floriacensi molestus res ei collatas aut deinceps conferendas auferre præsumat. Actum suprà non semel de munificentia, quâ Pippinus Rex ejúsque filius Carolus Magnus ac nepos Ludovicus Pius Floriacum locupleraverunt. Agetur infrà de Carolo Calvo. LX.

Totum Joannis Octavi Privilegium duabus in rebus consistit, ut è sua Congregatione Monachi Floriacenses Abbatem eligant, à quo secundùm Regulam Sancti Benedicti gubernentur, & ut nullam rerum suarum à quopiam patiantur imminutionem. Pseudo-diplomatis Gregoriani multò plura sunt capita, eáque falsitatem produnt. Pleraque per ordinem examinabimus. Priùs autem nonnullas observationes accipe, quæ fidem ejusdem Privilegii plurimùm elevant. Gregorius Papa Quartus anno Redemptoris octingentesimo tricesimo-tertio, mense Junio, post Festum Sancti Joannis, in Alsatia cum Ludovico Augusto collocutus est. Cur itineri se tam longo támque difficili commiserit, attentè si perpenderis, nusquam in animum induces habitum in ista congressione sermonem de Privilegio, quod Imperator postularit in gratiam cujuspiam Monasterii, proximóque Aprili mense Romanus Pontifex gratanter concesserit. Deinde quis sibi persuadeat Privilegium à Gregorio pro Monasterio Floriacensi datum anno Redemptoris octingentesimo tricesimo-quarto, mense Aprili, cùm Francia domestico tumultu laborabat, Imperatore Ludovico suæ libertati nuperrimè reddito, & Lothario filio perduelli nondum ad obsequium patri debitum reverso? Certè Pontifex, si quod Privilegium emisit, id præstare debuit, postquàm Ludovicus, cui se gratum & acceptum præbebat, dignitatem suam plenissimè recuperavit, alioquin manifestum erat periculum, ne Diploma suo careret effectu, túncque Sedis Apostolicæ læsa cen- LXI.

AN. CH. feretur auctoritas. Prætereà Constitutione Pontificiâ non opus erat, ut
834. Floriacum res suas quietè possideret; huic tranquillitati satis consulebat
LUDOV. Præceptum Regium, nec probabile videtur Ludovicum ad Sedem Apos-
IMP. 21. tolicam in tali negotio recurrisse. Dispar fuit causa Theotberti Floria-
LOTHAR. censis Abbatis, qui licet Privilegia Monachis Floriacensibus à multis Epi-
IMP. 18. scopis jam concessa fuisse non ignoraret, in Synodo Tricassina Privilegium
PIPPINI à Romano Pontifice, qui tunc aderat, *ad reprimendam quorumlibet inlicitam*
R. 20. *cupiditatem* postulavit. Nihil hic Abbas contra suam dignitatem perfecit;
LUDOV. in simili casu secus sentiendum de Rege vel Imperatore, qui suæ potestati
R. 18. & auctoritati diffidendo plurimùm derogasset.

CAROLI In pseudo-diplomate Gregoriano vult Pontifex, *ut quia Venerabilis Pater*
R. 5. *Benedictus Monachorum legislator & dominus, dux est Religionis Monasticæ, sit*
LXII. *etiam qui eidem Cœnobio* Floriacensi *præfuerit, primus inter Abbates Galliæ.* Hæc prærogativa, quâ sublimiorem vix repetias, non occurrit in Joannis Octavi Privilegio pro Monasterio Floriacensi. Tale silentium suspicionem falsitatis inducit. Nam si Grogorius Quartus anno Redemptoris octingentesimo tricesimo-quarto Floriacensem Abbatem tam insigni Privilegio donavit, eandem prærogativam, ad Theotbertum, qui tertius pòst Abbas cum laude floruit, transmissam quis neget? Porrò si Theotbertus tam præclaro gavisus est Privilegio, ut primus esset inter Abbates Galliarum, cur Joannes Pontifex titulum adeò illustrem omisit in Diplomate, quo visus est totus in exornando eodem Theotberto Abbate Monachisque Floriacensibus? Insertum est Gregorii Magni registro pseudo-privilegium, quo Suessionense Monasterium Sancti Medardi constituitur *caput Monasteriorum totius Galliæ.* Commentum semel inventum, posteà facilè à Gregorio Primo ad Gregorium Quartum & à Monasterio Sam-Medardensi ad Floriacense transferri potuit. Ut autem nullum in Historia vestigium apparet, unde cognoscas Sam-Medardense Monasterium caput olim Gallicanorum extitisse, sic nec ulla in libris memoria superest, unde concludas Abbati Floriacensi primum aliquando locum inter Abbates Galliarum attributum fuisse. Suppositirium igitur utrumque arbitrare Privilegium; Sam-Medardense de quo fusè Tomo secundo ad annum Christi quingen-
[a] Nu. 12. 13. simum nonagesimum-tertium [a] disseruimus, & Floriacense quod impræsentiarum examinamus.

LXIII. In pseudo-privilegio Floriacensi Gregorius Quartus de Sacerdotum & Diaconorum ordinationibus ita statuit. *De Sacerdotibus aut Diaconibus ordinandis id observetur quod in Regula præcipitur, ne saltem aliquis Episcopus subjectionem ab eis requirat quos ordinavit, nec unquam officio dignos ordinare differat.* Et paulò pòst. *Si verò Abbas vel Monachus de eodem Monasterio ad Clericatûs ordinem promotus fuerit, non illic habeat ulteriùs potestatem remorandi aut aliquid faciendi.* Sed ista nec inter se, nec cum Regula conveniunt. Papa decernit, ut Monachos Floriacenses, qui Diaconatu vel Sacerdotio digni fuerint, Episcopus ordinare non differat, & ut Abbas vel Monachus, si promoveatur ad Clericatum, ulteriùs in ipso Monasterio nec morandi nec aliquid faciendi potestatem habeat. Hæc pugnant inter se, nec magis consentiunt cum Regula, cujus caput sexagesimum-secundum inscribitur de Sacerdotibus Monasterii. *Si quis Abbas*, inquit Sanctus Benedictus, *sibi Presbyterum vel Diaconum ordinare petierit, de suis eligat, qui dignus sit Sacerdotio fungi. Ordinatus autem caveat elationem aut superbiam, nec quidquam præsumat, nisi quod ei ab Abbate præcipitur, sciens se multò magis disciplinæ regulari subditum, nec occasione Sacerdotii obliviscatur Regulæ obedientiam & disciplinam, sed magis ac magis in Deum proficiat. Locum verò illum semper attendat, quo ingressus est Monasterium, præter officium Altaris, etsi fortè electio Congregationis & voluntas Abbatis pro vitæ merito eum promovere voluerit. Qui tamen Regulam à Decanis vel Propositis constitutam sibi servandam sciat.*

AN. CH. 834. LUDOV. IMP. 21. LOTHAR. IMP. 18. PIPPINI R. 20. LUDOV. R. 18. CAROLI R. 5.

Præterea vult Gregorius Quartus, ut Abbas Floriacensis *solvendi & ligandi potestatem in viros & fœminas sui Ordinis habeat.* Id autem supponit Floriacum caput fuisse Monasteriorum Gallicanorum, quod suprà negavimus, origine detectâ fabulæ, quæ primùm in gratiam Monasterii Sam-Medardensis excogitata lapsu temporis ad Floriacense transiit.

Si cetera falsitatis argumenta deessent, sola hæc sufficeret clausula, *si quis verò Regum* &c, quæ sumpta est ex interpolato Gregorii Magni Privilegio pro Xenodochio Augustodunensi. Talem enim clausulam, de qua disputandi commodior alibi locus occurret, Romanus Pontifex multò seriùs usurpare cœpit.

Denique vulgatum Gregorii Quarti Privilegium uno tantùm Charactere Chronologico munitur, solâ videlicet Indictionis notâ, quæ nec vitio caret, ut mox probaturi sumus. Auctor Diplomatis sic habet. *Scriptum per manus Theodori Notarii & Scriniarii Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, in mense Aprili, & Indictione* VII. Imitatus videtur Joannem Octavum, cujus Privilegium sic clauditur. *Scriptum per manus Georgii Scriniarii Sanctæ Sedis Apostolicæ, in mense Augusto, Indictione* XI. Joannes Octavus, postquàm initio sui Diplomatis *annum* apposuit *Incarnationis Dominicæ* DCCCLXXVIII, rectè addit in fine mensem Augustum cum Indictione undecima, quæ per mensem Augustum cum anno Redemptoris octingentesimo septuagesimo-octavo componitur. At in Privilegio Gregoriano mensis Aprilis & Indictio septima servari non possunt, quia toto tempore quo Gregorius Quartus sedit, Indictio septima per mensem Aprilem cum anno duntaxat octingentesimo vicesimo-nono Incarnationis Dominicæ convenit, Gregorius autem Privilegium seriùs edidisse fertur, postquàm *Gallicanam* adiit *regionem*, & *ad Gloriosum Imperatorem Hludovicum* devenit, id est, post annum Redemptoris octingentesimum tricesimum-tertium, quo Gregorius & Ludovicus in Alsatia simul locuti sunt, Festivitate Sancti Joannis Baptistæ jam celebratâ. Difficultatem agnovit, qui Privilegium publicavit, ideóque in margine posuit Indictionem XII, quæ per mensem Aprilem cum anno Redemptoris octingentesimo tricesimo-quarto comparatur. Probaremus hanc emendationem, nisi Privilegium aliunde commentitium ostenderetur, ut multis argumentis probavimus suprà. LXIV. LXV. LXVI.

Cum eodem pseudo-privilegio prodiit in lucem Historia Monasterii Figiacensis, quæ nævis quoque non caret, maximè sub initium, ubi instauratio Cœnobii memoratur, nec id mirum, cùm Auctor ab illa procul ætate dissitus manum calamo post longam multorum seculorum intercapedinem admoverit. Operis hoc est exordium. *Abbatiam igitur Fiacensem antiquitus in honore Sancti Salvatoris constructam, & ab ipso Omnipotente Domino per semetipsum mirabiliter consecratam, à Pippino verò Rege nobiliter perfectam, à Karolo quoque Imperatore thesauris & Reliquiis honoratam, à plurimis etiam Abbatibus jam gubernatam, Aigmarus venerabilis vitæ Abbas penè destructam renovavit, & à tertio anno Ludovici Augusti usque ad quintum filii ejus Lotharii, triginta scilicet & duobus annis; regulariter tenuit. Hic primùm Fiacensis Clericus, postmodum à Paschali Papa apud Romam in Monachum & Abbatem benedictus, eò quòd in supradicto Monasterio nullus remansisset Monachus, eundem locum honoribus, thesauris, ac ædificiis plurimis decoravit, inter quæ etiam Crucifixi vultûs magnas duas fecit imagines, utrasque opere argentario undique formatas, auro lapidibúsque pretiosis adornatas, quarum majorem Fiaco posuit, minorem verò Conchis, ut per hoc cunctis clarescerent, locorum istorum quis cui præesse debuisset. Nam & eundem locum, quandiu vixit, tenuit. Obiit autem temporibus Raimundi Tolosani Comitis & Stephani Episcopi Caturcensis, anno ab Incarnatione Domini octingentesimo quinquagesimo-secundo, Indictione decimâ-quintâ; sepultúsque est in Fiaco, in cimiterio Beatæ Mariæ. Hic verò Raimundus supradictus Comes primus per sacramentum fidelitatem Fiacensi Abbati juravit; & iste* LXVII. AIGMARUS ABB. FIGIACENSIS.

AN. CH. 834. LUDOV. IMP. 21. LOTHAR. IMP. 18. PIPPINI R. 20. LUDOV. R. 18. CAROLI R. 5.

Stephanus tam ipsius quàm omnium proborum rogatu & consilio post Sedem suam primatum cunctarum Caturcensium Ecclesiarum Fiacensi Monasterio dedit, & secundam esse constituit. Post hunc Abbatem Girardus cognomento Regularis Fiacensem suscepit Abbatiam tempore supradicti Regis, qui licèt parum, tamen quandiu vixit, Conchensem Ecclesiam tenuit. Isto verò mortuo & in podio Sanctæ Mariæ Fiaco sepulto, Radulfus ejusdem loci Monachus curam pastoralem suscepit, & Karoli Regis filii Ludovici decimo-septimo anno ministerium suum implens, & ipse Conchas rexit, sepultúsque Fiaco quiescit. In hoc textu multa sunt examinanda.

LXVIII. Figiacum * seu Fiacum, illustre Monasterium in Diœcesi Cadurcensi ad Sellam * fluvium sub Meroveadis Regibus stetit. A Saracenis eversum est, Theodorico Quarto Francorum tum Rege. Præcipuum nactus est instauratorem Pippinum Aquitaniæ Regem, Ludovici Augusti filium, Caroli Magni nepotem. Supposititia sunt, quæ de Stephano Tertio Papa Pippinóque Francorum Rege in Aquitaniam atque in Diœcesim Cadurcensem anno Christi septingentesimo quinquagesimo-quarto profectis ex commentitio Pippini Regis Diplomate circumferuntur. Illis de rebus consule, quæ Tomo quinto scripta sunt ad annos octavi seculi quinquagesimum-secundum[a] & quinquagesimum-quartum[b]. Interierunt nomina Figiacensium Abbatum, qui vastationem Cœnobii præcesserunt. Ex Historia præcitata primus post instaurationem loci censendus Abbas Aigmarus, de quo sermo nobis hic instituendus.

* Figeac.
* La Sele.

[a] Num. 153.
[b] Num. 74.

LXIX. Anno Redemptoris octingentesimo decimo-septimo, cùm Paschalis Papa Pontificatum suscepit, apud Figiacum nonnulli degebant Clerici, nullus omnino Monachus. Inde patet reparando loco Pippinum Francorum Regem ejúsque filium Carolum Magnum incubuisse, quamvis nec opus perfecerint, nec ibi restituerint Monasticen. Aigmarus Figiacensis Clericus Romam perrexit, Abbas à Paschale Pontifice benedictus in Galliam rediit, & adnitente Pippino Ludovici Augusti filio, quem pater ab anno Redemptoris octingentesimo decimo-quarto per Aquitaniam in consortium Regii Nominis adsciverat, Figiaco Monachos restituit quos deinceps cum Abbatis titulo rexit. Quot autem, & quibus annis, manet inquirendum. Si textui suprà descripto fides est, Monasterio *regulariter* præfuit *à tertio anno Ludovici Augusti usque ad quintum filii ejus Lotharii, triginta scilicet & duobus annis*, vitámque clausit *anno ab Incarnatione Domini octingentesimo quinquagesimo-secundo, Indictione decimâ-quintâ.* Sed hæc stare non possunt. Ludovicus exeunte anno Redemptoris octingentesimo decimo-tertio consors Imperatorii Nominis à Carolo Magno dictus est, proximo mense Januario solus imperare cœpit eodem Carolo patre tum mortuo. Hæ duæ Imperii Ludoviciani epochæ in unam penè recidunt, utriusque enim annus primus cum anno Redemptoris octingentesimo decimo-quarto maxima ex parte componitur. Habitâ illarum epocharum ratione, annus Ludovici Augusti tertius terminatur anno Redemptoris octingentesimo decimo-sexto, vel quinto Kalendas proximi Februarii seu postridie ordinationem Paschalis Papæ. Rejectis ambabus his epochis, Historiographum, in quem inquirimus, locutum fortè dices in eorum opinione, qui ut annum Redemptoris octingentesimum decimum-quartum cum postremo Caroli, sic annum Redemptoris octingentesimum decimum-quintum cum primo Ludovici comparant, atque ita procedendo tertium annum Imperii Ludoviciani componunt cum anno Redemptoris octingentesimo decimo-septimo, sub cujus initium, nempe sexto Kalendas Februarii, Paschalis in Romana Cathedra sedere cœpit. Esto, hanc amplectamur Chronologiam. Certè si primus annus Aigmari Figiacensis Abbatis idem est cum anno Ludovici Augusti tertio, Redemptoris octingentesimo decimo-septimo, necesse est annus ejusdem Abbatis Aigmari

AN. CH. 834.

LUDOV. IMP. 21. LOTHAR. IMP. 18. PIPPINI R. 20. LUDOV. R. 18. CAROLI R. 5.

tricesimus-secundus illigetur anno Lotharii post patrem imperantis octavo, necuon anno Redemptoris octingentesimo quadragesimo-octavo, atque Indictioni undecimæ. Multùm autem ab hoc computo recedunt tres hi Figiacensis Historiæ Chronologici Characteres; annus quintus Imperii Lothariani, annus octiogentesimus quinquagesimus-secuodus Incarnationis Dominicæ, Indictio decima-quinta. Nec etiam intet se consentiunt hi numeri; simul quidem annus Redemptotis octingeutesimus quinquagesimus-secundus & Iodictio decima-quinta conveniunt, at neutri respondet annus quintus Lotharii Augusti, quamcumque Imperii Lothariani epocham sequaris. Duæ tes facilè oos adducunt, ut Imperii Lothariani Characterem hoc loco nihili faciamus. Lotharius Ludovici Pii filius nihil unquam juris in pagum Cadurcensem obtinuit, ergo ut Figiacensis apud Cadurcos Abbatis anni colligantur, Imperii Lothariani epocha consuli non debet. Deinde ab anno tertio Imperii Ludoviciani ad annum quintum Imperii Lothariani, cuicumque Chronologiæ adhæteas, annos nusquam duos ac triginta numerabis, quia Ludovicus obilt anno Imperii sui vicesimo-septimo, Redemptoris octingentesimo quadragesimò, Indictiooe tertiâ. Ceterùm expuncto Impetii Lothariani Charactere, ceteri rectissimè cohætent. Aigmarus Figiacensis Abbas anno Redemptotis octingentesimo vicesimo constituitur Paschale Papâ & Pippino Ludovici Augusti filio tunc Aqoitaniæ Rege, Monastetium *triginta & duobus annis regulariter* tenet, rebus humanis eximitur *anno ab Incarnatione Domini octingentesimo quinquagesimo-secundo, Indictione decimâ-quintâ.* Nec isti Chtonologiæ tefragantut, quæ subjunguntut de proximis Aigmari successoribus Girardo & Radulfo, quotum ille *parum* seu tempore modico regimen Monasterii gerit, hic *Karoli Regis filii Ludovici decimo-septimo anno* sive anno Redemptoris octingentesimo quinquagesimo-septimo vitam claudit. Addequòd anuo Redemptoris octingentesimo vicesimo, ut Tomo superiote [a] probavimus, memotatur *permutatio Cellula Lonante Divo Martino sacra, & in qua prima ipsius Abbatia* Figiacensis *jacta fuerant fundamenta, cum vicis aliquot in pagis Ruthenico & Cadurcino situs inita Angarium inter Cadurcensem Episcopum & Pipinum Ludovici Imperatoris filium Aquitania Regem.* Guillelmus Cruceus [b] ad illum locum perveterem Abbatiæ Figiacensis schedam allegat. Nihil ad firmandam opinionem nosttam magis appositè produci potest. Pippinus enim, qui teparando Figiacensi Monasterio studet, Cellulam, in qua pauci Clerici degunt, ab Episcopo recipit, ut illic Ordo Monasticus cum ptistino spleodore testituatut. Atque hæc esto epocha Monastices apud Figiacum instauratæ.

[a] Tom. 7. a. 820. n. 27.

[b] Num. 52.

LXX. AN ETIAM CONCHENSIS?

Aigmarus Abbas ejúsque successores ut Figiaco sic & Conchis præsunt in textu Figiacensis Historiæ suprà descripto. Sed huic assertiooi vetera tefragantur monumenta. Figiacum & Conchæ duo distinguebantur Monasteria sub Merovæicæ familiæ Regibus; Figiacum in Diœcesi Cadurcensi, Conchæ in Rutenica; utrumque dirutum fuit à Saracenis anno Christi septingentesimo tricesimo-secundo. Conchæ citiùs reparatæ sunt quàm Figiacum. Pippinus Francotum Rex Saracenos in Hispaniam è Gallia penitus summovit. Tunc Dado locum solitariæ vitæ commodum inter Coocharum rudera quæsivit. At ne talem ducetet vitam, qualem se sperabat acturum, prohibuerunt Medraldus aliique complures, qui se tradiderunt in ejus disciplinam, simúlque juncti Regularem seu Monasticam Congregationem instituerunt, Cœnoblo, quod eversom jacebat, à fundamentis instaurato. Primus igitur Abbas raparatarum Concharum fuit Dado, qui posteà Monasterii Præfecturam in Medraldum transfudit, & *in Grande Vabrum* secessit, ubi *exoptatam sibi quietem texuit, & vivendi finem fecit.* Medraldus ejus soccessor Conchense Monasterium administravit annis Redemptoris octingentesimo primo & octingeutesimo decimo-nono.

AN. CH. 834. LUDOV. IMP. 21. LOTHAR. IMP. 18. PIPPINI R. 20. LUDOV. R. 18. CAROLI R. 5.

Successit Medraldo Geoftedus, huic Anastasius, qui Cœnobium anno Redemptotis octingentesimo vicesimo-tertio gubernabat. Hæc constant ex veteribus Chartis, quas suis locis [a] ex Conchensi Tabulario citavimus. Anastasio Concharum Abbati synchronus vixit Aigmarus reparati Figiaci primus Abbas. Horum successores valdè distincti reperiuntur. Anastasium apud Sammarthanos in Conchensium Abbatum Catalogo sequuntur Helias & Gumbertus, Aigmarum in Historia Figiacensi Girardus & Radulfus. Hæc sufficiant, ut Aigmarum utrique Monasterio, Figiacensi videlicet ac Conchensi, præfuisse constanter inficieris, eadémque Cœnobia simul anterioribus temporibus unita fuisse perneges.

Quamvis ita sentiamus, haud diffitemur inter utriusque loci Monachos singularem amicitiam intercessisse, nihilque obesse, quominus Aigmarus credatur *Crucifixi vultûs duas* fecisse *magnas imagines, utrasque opere argentario undique formatas, auro lapidibúsque pretiosis adornatas, quarum majorem Fiaco* posuerit, *minorem verò Conchis, ut per hoc cunctis claresceret locorum istorum* mutua benevolentia, non autem *quis cui præesse debuisset*, ut Auctor Figiacensis Historiæ perperam interpretatur. Agemus infià de Aigmari Abbatis obitu, & ad annum quo contigit partem præcitati textûs ex eadem

LXXI. Historia denuò repetemus examinabimúsque.

[a] Tom. 5 a. 752. n. 353. Tom. 7. a. 812. n. 33. a. 819. n. 102. a. 819. n. 5. a. 823. n. 54.

LXXII. In Gestis [b] Aldrici Cenomannensis Episcopi, prior pars tertii capitis ad hunc annum pertinet, ut hi designant Characteres. *Anno Incarnationis Domini nostri Jesu Christi* DCCCXXXIV, *Indictione verò* XII, *& anno Imperii Domni Hludovici Piissimi Imperatoris* XXII, *anno verò ordinationis præscripti Aldrici Episcopi tertio.* Ne quid autem scrupuli tibi moveatur, ob Indictionem XIII, ob annum XXII Ludovici Imperatoris, & ob annum tertium Aldrici Pontificis, quia tres hi Characteres anno potiùs Incarnationis Dominicæ DCCCXXXV quàm DCCCXXXIV convenire videntur, observa paulò pòst periodo vix interjectâ diem undecimum ante Kalendas Decembris sic adnotari. *Præscripto anno Incarnationis Domini nostri Jesu Christi*, XI *quoque Kalendarum Decembris die solemniter consecravit jam dictus Aldricus Pontifex absidam Matris & Senioris civitatis Ecclesiæ.* Certè XI Kalendas Decembris per annum DCCCXXXIV currebat Indictio XIII Kalendis Septembribus incepta; numerabatur & Ludovici Imperatoris annus XXII, epochâ Imperii Ludoviciani à die ductâ, quo Carolus Magnus Ludovicum filium Imperii consortem dixit; admodum quoque probabile fit inchoatum annum tertium Aldrici Antistitis, si Præsulatûs initium à die sumas, quo primùm electus in Pontificem fuit. Capite quarto Cenomannensis Ecclesia non undecimo Kalendas Decembris sed undecimo Kalendas Januarii dedicatur. *Adjuravit ut Fratres & Canonici Cenomanica in urbe degentes habeant plenam refectionem in* XI *Kalendarum Januariarum die, quando Mater & civitatis Ecclesia Senior Cenomanica in honore Sancti Salvatoris & Sanctæ ejusdem Dei Genitricis Mariæ & Sancti Gervasii & Prothasii sive Sancti Stephani est à jam dicto Aldrico Episcopo solemniter dedicata.* Die quoque undecimo Kalendas Januarii memoratur Ordinatio Aldrici. *Similiter*, addit Auctor Gestorum post periodum proximè recitatam, *censuit ut prædictis Fratribus & Canonicis undecimo Kalendarum Januariarum die fieret plena refectio, in quo die & sæpedictus Aldricus in præscripta civitate & in præfata Ecclesia est canonicè & solemniter à Nobilissimis & Doctissimis atque Sanctissimis Episcopis Pontifex ordinatus.* Hæc ipsemet Aldricus ita confirmat capite tricesimo-secundo. *In anniversario etiam Ordinationis nostræ, qua celebratur* XII *Kal. Januarias, qua tamen anticipatur unâ die propter Dedicationem Matris & Senioris nostræ Sedis Ecclesiæ, quæ est* XI *Kal. Januarias, habeant prædicti Fratres ad eorum refectionem* &c. Cenomannensis igitur Ecclesiæ Dedicatio, quam hoc anno, Redemptoris octingentesimo tricesimo-quarto consignamus, non undecimo Kalendas Decembris sed undecimo Kalendas Januarii facta est. Et in Aldrici

[b] Ap. Baluz. l. 3. Miscellan.

VARIA PRÆCEPTA ET PRIVILEGIA PRO ECCLESIA CENOMANNENSI.

Gestis, capite tertio, ubi dies XI *Kalendarum Decembris* legitur, reponi debet AN. CH.
XI *Kalendarum Januarii*, quo die ut Indictio XIII & annus XXII Im- 834.
peratoris Ludovici numerabantur, sic & Aldrici Episcopi procul dubio LUDOV.
cœptus ab aliquot diebus erat annus tertius. Aldricus enim non in civi- IMP. 21.
tate Cenomannica sed in Metropoli Turonensi Cenomannensis Episcopus LOTHAR.
est ordinatus à Landranno Turonensi Metropolita, de quo Joannes *Maan* IMP. 18.
in Historia Turonensium Archiepiscoporum sic scribit. *Aldricum Cenoma-* PIPPINI
norum Episcopum, Ludovici Pii jussu electum in locum Franconis, ordinavit Tu- R. 20.
ronis mense Decembri 832. Existimamus Aldricum ordinatum Episcopum LUDOV.
fuisse Turonis decimo-octavo Kalendas Januarii, die Dominico, & unde- R. 18.
cimo easdem Kalendas civitatem Cenomannicam cum *Nobilissimis & Doc-* CAROLI
tissimis atque Sanctissimis Episcopis ingressum, non ut ab iis ordinaretur in R. 5.
Episcopum, sed ut solemniter in Episcopali Sede collocaretur sive ordinaretur, ordinationis vocabulo nequaquam strictè sumpto.

Characteribus, qui spectant ad annum Redemptoris octingentesimum LXXIII.
tricesimum-quartum, sic expositis, res illo anno ab Aldrico Episcopo gestas accipe. *Præscripto anno Incarnationis Domini nostri Jesu Christi, XI quoque Kalendarum Januarii * die solemniter consecravit jam dictus Aldricus Pontifex absidam matris & senioris civitatis Ecclesiæ, quam à novo fundavit & mirabiliter ornavit atque fabricavit, in qua & altare mirabiliter fabricatum & compositum construxit. Jam dictam quippe absidam unà cum præfato altari consecravit in honore Sancti Salvatoris & Sanctæ Dei genitricis Mariæ & Sanctorum Martyrum Gervasii & Prothasii sed & Sancti Stephani, in quo & Reliquias Sancti Salvatoris & Sanctæ ejusdem Dei genitricis Mariæ atque de proprio corpore Sanctorum Martyrum Gervasii & Prothasii sive Sancti Stephani in sæpedicto altari propriis manibus decenter collocavit & mirabiliter composuit. Aliam quoque partem præscriptæ matris & civitatis Ecclesiæ, cujus consecrationis dies penitus ab omnibus ignorabatur, in prædicto Domini Salvatoris nostri Jesu Christi nomine & Sanctæ Dei genitricis Mariæ Sanctorúmque Martyrum Gervasii & Prothasii atque Sancti Stephani reconciliavit atque solemniter dedicavit. In præfata namque Ecclesia seniori altaria construxit, & à novo fundavit atque in supradicta die sacravit numero decem, & nomina super ea eorum Sanctorum, in quorum memoriis ea consecravit, desuper adscribere jussit, quæ & adhuc per singula altaria inserta singillatim & distinctè ac diligenter investigantibus reperiri hodiernâ die queunt. Deambulatorio siquidem sursum per totum in circuitu ipsius Ecclesiæ fecit, in quibus & altaria quinque nobiliter construxit atque sacravit. Primum enim in dextera & in orientali parte in prædictis deambulatoriis positum sacravit in honore Sancti Martini & Sancti Hilarii ac Sancti Germani Sanctíque Vedasti sive Sancti Domnoli atque Sancti Carilefi & Sancti Rigomeri Confessorum Christi, & pignora prædictorum Sanctorum in eo propriis manibus decenter & Ecclesiastico more collocavit. Aliud verò altare in supradicta dextera parte & in eodem deambulatorio in medio positum sacratum in honore Sancti Petri & Sancti Johannis Apostoli & Evangelistæ atque Sancti Andreæ necnon & omnium Apostolorum, & Reliquias eorum in ipso collocavit altari. In occidentali quippe parte ipsius Ecclesiæ, in ipso solario fecit atque sacravit altare in honore omnium Sanctorum, in quo & multorum Sanctorum pignora propriis collocavit manibus. In sinistra autem parte ipsius Ecclesiæ & in sinistro deambulatorio in orientali parte fecit & consecravit altare in honore Sancti Dionysii & Sancti Laurentii ac Sancti Remigii Sanctíque Medardi seu Sancti Bonifacii & Sancti Rustici necnon & Sancti Eleuterii Martyrum & Confessorum Christi, & eorum Reliquias in ipso propriis manibus collocavit altari. In prædicto videlicet sinistro solario & deambulatorio in medio aliud fecit & sacravit altare in honore Sanctæ Dei genitricis Mariæ ac Sanctæ Anastasiæ Sanctæque Ceciliæ necnon & omnium Sanctarum Virginum, & pignora Sanctarum Virginum in eo multa propriis collocavit manibus. Deorsum quoque & in dextera sive orientali parte præfata Ecclesia fecit & consecravit al-*

* Edit. malè Decembris.

AN. CH. 834. LUDOV. IMP. 21. LOTHAR. IMP. 18. PIPPINI R. 20. LUDOV. R. 18. CAROLI R. 5.

tare in honore Sancti Ambrosii & Sancti Benedicti Sanctique Gregorii ac Sancti Augustini sive Sancti Juliani atque Sancti Hieronymi necnon & Sancti Vigoris Christi Confessorum, & eorum in eo decenter & Ecclesiastico more collocavit Reliquias. Extra Chorum scilicet & in dextera parte ipsius Ecclesiæ fecit & consecravit altare in honore Sancti Georgii & Sancti Felicis ac Sancti Symphoriani sive Sancti Sixti atque Sancti Tiburtii, Sanctorum quippe Marcellini & Petri, & eorum in eo decenter collocavit Reliquias. In sinistra namque & in orientali parte ipsius Ecclesiæ fecit & sacravit altare in honore Sanctæ Scholasticæ & Sanctæ Agnetis ac Sanctæ Luciæ atque Sanctæ Hlodesindæ sive Sanctæ Afræ Sanctæque Geretrudis & Sanctæ Aldegundis Virginum Christi, & in eo earum Reliquias propriis decenter collocavit manibus. Extra Chorum autem in sinistra parte ipsius Ecclesiæ fecit & consecravit altare in honore Sanctæ Agathæ & Sanctæ Felicitatis ac Sanctæ Sabinæ Sanctæque Eufemiæ sive Sanctæ Perpetuæ atque Sanctæ Brigidæ necnon & Sanctæ Genovefæ Virginum Christi, & earum in eo decenter propriis manibus collocavit Reliquias. In media quoque Ecclesia fecit altare, in quo & Crucifixum Domini nostri Jesu Christi auro & argento mirabiliter fabricatum erexit, & ipsum altare in media Ecclesia positum in honore Sanctissimæ Trinitatis in eo decenter propriis collocavit manibus.

LXXIV. Tunc in hoc valdè angebatur, tristabatúrque quòd à jure & dominatione Cenomannensis Episcopii Abbatia Sancti Vincentii perdita & injustè ablata fieret. Non enim habebat ibi cognitos homines, nec ipsam rem cognoscebat, sed Dominum obnixè deprecabatur, ut suâ negligentiâ ipsa Abbatia Sancti Vincentii de jure prædictæ Ecclesiæ perdita nec alienata fieret. Anno Redemptoris octingentesimo tricesimo-secundo, quando à largitione Domni Hludovici Piissimi Imperatoris per consensum & electionem multorum nobilium virorum accepit jam dictum Episcopatum, quidam æmuli Sanctæ Dei Ecclesiæ & sui insimaverunt atque firmiter protestati sunt præfixo Domno Hludovico Imperatori, quòd Abbatia Sancti Vincentii non esset de jure antedicti Episcopi, sed fiscus sæpedicti Domni Hludovici Imperatoris esse debebat. Domnus igitur Hludovicus Imperator ad hoc inquirendum atque veraciter investigandum suos strennos & fideles misit Missos, qui hoc inquirerent, si fiscus esse debebat, an de jure & dominatione antedicti Episcopi esse deberet. Auctor Gestorum ista scribit capite sexto, deinde capite nono refert exemplar Præcepti, quod jam dictus Aldricus à Domno Hludovico Piissimo Imperatore, quando res de sæpedicta Sancti Vincentii Abbatia & ipsam Abbatiam adjudicare & adipisci meruit, in hunc obtinuit modum. In Nomine Domini Dei & Salvatoris nostri Jesu Christi, Hludovicus divinâ ordinante providentiâ Imperator Augustus. Omnibus fidelibus Sanctæ Dei Ecclesiæ & nostris, præsentibus scilicet & futuris notum esse volumus, qualiter ad notitiam nostram de tribus Cellis perventum est, quæ una earum intra muros Cenomanis civitatis sita est & dicata in honore Sancti Albini, reliquæ verò duæ in suburbio memoratæ civitatis constructæ, & altera earum in honore Sancti Vincentii, altera verò in honore Sancti Audoeni dicata habetur, quas præsenti tempore Aldricus Episcopus sub jure præscriptæ urbis possidebat, quòd non justè ad eandem urbem sed ab publicum nostrum pertinere deberent. Ad quam causam diligenter per meliores & veraciores homines circumquaque memoratæ urbis consistentes inquirendam nobísque renuntiandam destinavimus fidelem nostrum Widonem nomine, qui cùm ad nos reversus esset retulit nobis, sicut relatione bonorum hominum circa fines memoratæ civitatis consistentium cum sacramenti assertione invenerat, quòd præscriptæ Cellæ non ad publicum nostrum pertinebant, sed sub jure memoratæ Cenomanis Ecclesiæ justè & legitimè esse deberent. Cúmque ex memorati fidelis nostri Widonis relatione per omnia ita verum esse cognovissemus, propter futuras occasiones & resultationes penitus repellendas & abiciendas complacuit nobis hoc nostræ auctoritatis atque memoriæ conscriptum super hujuscemodi factum conscribere, per quam præcipimus atque jubemus, ut, repulsâ omninò publicâ & judiciariâ potestate, præfatæ Cellæ perpetuò in jure memoratæ Cenomanis Ecclesiæ consistant, eásque memoratus

Aldricus

Aldricus Præsul suique successores jure Ecclesiastico habeant, teneant, atque possideant, & inde faciant quicquid pro commodo vel utilitate memoratæ Cenomanis Ecclesiæ faciendum esse decreverint. Et ut hæc nostra auctoritatis conscriptio firmior habeatur, & à fidelibus nostris melius credatur, & diligentius conservetur, de anulo nostro subtus eam jussimus sigillari. Hirminmarus Notarius ad vicem Theotonis recognovi & subscripsi. Data IV Kal. Januar. anno Christo propitio XVIII Imperii Hludovici Piissimi Augusti, Indictione decimâ. Actum Cenomanis civitate in Dei Nomine feliciter. Amen.

AN. CH. 834. LUDOV. IMP. 21. LOTHAR. IMP. 18. PIPPINI R. 20. LUDOV. R. 18. CAROLI R. 5.

LXXV. Ludovicus Imperator anno Redemptoris octingentesimo tricesimo-secundo, quo Pontificales Aldrico collatæ sunt Infulæ, Cenomannum venit; ibi mansit diebus duntaxat octo; nec ad eam civitatem rediit, donec Lotharium filium perduellionis reum atque illuc properantem insecutus est cum exercitu. Cenomannum in Vigilia Dominicæ Nativitatis ingressus est anno Redemptoris octingentesimo tricesimo-secundo; quo verò die illuc advenerit anno Redemptoris octingentesimo tricesimo-quarto, scriptum non reperimus. Certè Cenomanno digressus erat, & ab illa civitate procul aberat IV *Kal. Januar.* post suum enim illinc discessum pacem cum Lothario pepigit in agro Blesensi, deinde *circa Aurelianis*, ut Annalista Bertinianus jam citatus [a] loquitur, *perveniens, Pippino & Ludovico cunctoque exercitui redeundi licentiam tribuit, & per Parisius ad Attiniacum veniens, ibi Placitum cum suis Consiliariis circa Missam Sancti Martini habuit. Itaque negociis Regni dispositis, ad Theodonis villam ad hyemandum profectus est. Dominica Nativitatis Festum hilariter, à Drogone fratre suo & Metensis urbis Episcopo decentissimè susceptus, in eadem civitate celebravit. Ibique Festis peractis diebus ad suum Palatium in Theodonis villam reversus est.* Existimamus igitur nævum in Diploma Ludovicianum irrepsisse, & Kalendarum Januariarum loco reponendas esse vel Augustas vel Septembres. Huic quidem emendationi conveniet Indictio decima per annum Redemptoris octingentesimum tricesimum-secundum, sed illo anno Ludovicus mense Decembri Cenomannum adiit in Vigilia Nativitatis Dominicæ, nec Aldricus quarto Kalendas sive Augustas sive Septembres Episcopatum jam gerebat. Prædicta verò correctio, si fiat ad annum Redemptoris octingentesimum tricesimum-quartum, ut oportet, expunctâ Indictione decimâ duodecimam restituet. Ceterùm præter notas mensis & Indictionis, quæ procul dubio vitiosæ sunt in Diplomate Ludoviciano, depravatus est & annus Imperii, quamcumque enim epocham Ludovici Augusti sequaris, Præceptum asseras datum quarto Kalendas Augustas aut Septembres vel Januarias, Indictionem seu decimam serves seu duodecimam scribas, malè consignatur annus Imperii duodevicesimus, quia priùs elapsus est totus, quàm Aldricus Cenomannensis ordinaretur Episcopus. Singulis Characteribus ita discussis emendatam Diplomatis suprà recitati subscriptionem sic accipe. *Data labente æstate, anno Christo propitio XXI Imperii Hludovici Piissimi Augusti, Indictione duodecimâ. Actum Cenomanis civitate in Dei Nomine feliciter. Amen.*

[a] Hoc an. n. 10.

LXXVI. In Aldrici vita, capitibus septimo & octavo, præponuntur Ludoviciano Diplomati duo Domnoli Cenomannensis olim Episcopi Privilegia, quorum unum emissum est *Cenomannis civitate, anno XI regnante Domini Chilperici Regis pridie Nonas Martias*, alterum *anno XX Regni Domini Chilperici Gloriosissimi Regis pridie Nonas Septembris.* Utrumque à Corvaisiero & Bondonneto Cenomannensis Historiæ Scriptoribus visum, neutrum verò publicatum. Primum feliciter nacti sumus, integrúmque Tomo secundo recitavimus ad annum Christi quingentesimum septuagesimum-secundum [b], reperto, quod unà cum Baluziano conferre poteris, exemplari. Secundum breviter eodem attigimus Tomo ad annum Christi quingentesimum octogesimum-primum [c] ex Bondonneto in vita Sancti Domnoli, illud autem captâ hîc occasione placet integrum ex editione Baluziana

[b] Num. 8.
[c] Num. 8.

AN. CH. 834. LUDOV. IMP. 21. LOTHAR. IMP. 18. PIPPINI R. 20. LUDOV. R. 18. CAROLI R. 5.

subjicere, ne quid circa materiam hanc in nostro desideretur opere, meliúsque scias quibus in tebus versaretur Aldrici apud Ludovicum Imperatorem petitio. *Anno XX Regni Domini nostri Chilperici Gloriosissimi Regis, pridie Nonas Septembris, ego Domnolus in Christi Nomine Episcopus cùm evocassem Domno & Fratri meo Audoveo Episcopo Andegavæ civitatis visitare sanctis liminibus patroni peculiaris mei Victorii Episcopi, immo & solemnitatem ipsius celebrassem, cum consensu omnium Fratrum meorum Presbyterorum, quia ante tempus Testamentum meum condidi, & in ipsam voluntatem meam adhuc non complevi, quod meum conscriptum videtur volo in omnibus conservetur, & hac pagiuola plenum capiat opto robur. Dono Basilicæ Sanctorum Vincentii & Laurentii, quam meo opere construxi & ædificavi pro salvatione civitatis & populi conlocavi colonicam cognominatam Cannono, cum agris, prati, pascuis, silvis aquis aquarúmque decursibus, & mancipiola duo Waldardo cum uxore sua vel infantibus eorum, qui ibidem nunc commanere videntur, ab hodierno die prædictus Abbas antedicti loci ad stipendia fratrum nuncupatæ Ecclesiæ faciat revocare, & tamen post obitum meum, quando Deus jusserit, qui præsens fuerit ordinatus de loco præfato commemorationem meam annis singulis adimplere procuret. Ideo tibi, Niviarde Diacone defensor nostræ Ecclesiæ, indico atque jubeo ut hoc tua traditione, sicuti nunc à dicta Ecclesia possidetur, cum omni soliditate vel adjacentia Suolevoo Abbati facias consignari. Hoc verò inscrendum rogavi, ut qui voluntati meæ obvius esse voluerit, maledictionem illam incurrat, quam Propheta in Psalmo CIX decantavit, & præsens pagina maneat inconvulsa, quam pro rei veritate manu propriâ subscripsi, & Domnis & Fratribus meis muniendam rogavi. Domnolus peccator subscripsi. Audoveus peccator rogante Domno Domnolo Episcopo. Theodulfus peccator subscripsi. Leudoricus Presbyter subscripsi.*

LXXVII. In eadem Sancti Aldrici vita, capite undecimo, Præceptum legitur datum Cenomanni pridie Kalendas Januarias à Ludovico Augusto ex Aquitania reverso, ideóque referendum ad annum Redemptoris octingentesimum tricesimum-secundum, sub cujus exitum Aldricus Episcopatum iniit Cenomannensem, & paucis pòst diebus Ludovicum Imperatorem ex Aquitania redeuntem in Vigilia Nativitatis Dominicæ suscepit. Illud Diploma, licèt valdè prolixum, à nobis omitti non debet, multa enim, quæ de Cenomannensi Diœcesi déque Monasteriis in ea conditis sparsim in aliis Tomis jam dicta sunt, egregiè confirmabit. *In Nomine Domini Dei & Salvatoris nostri Jesu Christi. Hludovicus divinâ ordinante providentiâ Imperator Augustus. Si his, qui Deo debitum exhibent famulatum quiddam honoris conferimus, & ad suum ministerium liberiùs exequendum opem ferimus, hoc nobis procul dubio ad statum terreni Regni corroborandum & ad æternæ vitæ beatitudinem capessendam profuturum esse confidimus. Notum igitur esse volumus omnibus fidelibus nostris, præsentibus scilicet & futuris, quia nos de Aquitania revertentes, cùm in urbem Cenomanis pervenissemus, quam Aldricus Venerabilis Episcopus regere videtur, Clerici & Dei servi inibi consistentes in nostram advenerunt præsentiam, & conquesti sunt quòd nonas & decimas, unde necessarios sumptus habere debebant, fideles nostri, qui res Sancti Gervasii munere beneficiario possidebant, aut negligenter persolverent, aut penitus reddere differrent, ptierúmque & suppliciter deprecati sunt nos, ut nostra Imperialis potestas efficeret qualiter secundum antiquam consuetudinem & jussionem Domini & Genitoris nostri Karoli Præstantissimi Augusti ac nostram pleniter de eisdem ribus decima & nona partibus præscripta Ecclesiæ Sancti Gervasii & fratrum inibi consistentium pleniter & absque ulla dilatione persolverentur, & ædificia ejusdem Ecclesiæ sive domus Episcopalis ac fratrum inibi degentium refecta & restaurata fierent. Insuper humiliter flagitantes postularunt, ut villarum nomina, ex quibus nona & decima ad supradictam Ecclesiam persolvi debent in nostræ auctoritatis Præcepto nominatim adscribi præciperemus, ne aliquo malo ingenio aut qualibet calliditate aut potentiâ alicujus divitis vel potentis, hæ villæ vel hæ res à jure ejusdem Ecclesiæ alienatæ futuris*

*fierent temporibus, aut nonæ vel decimæ sive census vel restaurationes jam dictæ Ecclesiæ ablatæ fieri possent. Quorum deprecationes propter amorem Dei libenter audivimus, &, sicut deprecati sunt, Monasteria vel Cellulas seu vicos vel villas, quas nostrâ largitione ex jure præfixæ Ecclesiæ nostri fideles habere dinoscuntur, nominatim in hoc Præcepta inserere jussimus, ut futuris temporibus in jure & dominatione jam dictæ Ecclesiæ cum omni integritate permaneant. Id est, Monasterium Sancti Petri quod Bertrannus Episcopus ædificavit cum Monasteriolo Sancti Martini in Panteleuve, & Monasterium Sancti Victurii in quo ipse Domnus Victurius corpore requiescit, & Monasterium Sanctæ Mariæ quod est constructum intra murum civitatis & fluvium Sarthæ cum Monasteriola Sancti Ricmeri ultra fluvium Sarta ad eum pertinente, & Monasterialum Sancti Germani ultra fluvium Sartha, & Manasteriolum vel Xenodochium * Sanctæ Mariæ in quo Domnus Paduinus requiescit in corpore, & Cellulam Sancti Victurii infra civitatem, & Monasterium Sancti Carilesi in quo ipse Domnus requiescit in corpore, & Monasteriolum Sancti Juliani in quo ipse requiescit in corpore, & Monasterium Sancti Georgii, Monasterium Illidi, & Monasterium Tussiaco, & Monasterium Sancti Johannis & Sancti Trechii in Buxiolo, & Monasterium Sancti Martini in Diablentica, & Monasterium Buxido, & Cellulam in Semiliaco, & Monasterium Caladon. Hæc omnia, sicut diligenter inquisitum habemus, cum omnibus ad se pertinentibus & in scriptis authenticis Sancti Gervasii invenimus, ad prædictam Ecclesiam Sancti Gervasii justè & legaliter pertinent. Ex quibus jubentes præcipimus, ut Festivitatibus illorum Sanctorum, in quorum memoriis ipsa Cœnobia dicata esse nascuntur, per singulos annos ad præfixam Matrem & civitatis Ecclesiam, census ab ipsis, qui eadem Cœnobia nostro beneficio tenent, libenter ad opus Episcopi vel fratrum ibi degentium & ad ipsam Ecclesiam restaurandam & nunc & futuris temporibus persolvantur, & refectio Canonicis Sancti Gervasii optima ab eodem Abbate, qui ipsum Cœnobium tunc temporis habere videtur, in prædicta Festivitate libenti animo fiat, sicut nostram gratiam & ipsa beneficia habere voluerint, ut nobis seu decessoribus vel genitoribus nostris propter ablationem vel minorationem harum rerum jam dictæ Ecclesiæ aliquod detrimentum aut periculum Regni non adcrescat, sed perennis temporibus sub jure ejusdem permaneant. Dictis * enim Cananicis omnibus & Ecclesiis baptismalibus in prædictæ urbis Parrochia consistentibus, cujuscunque juris sint, census cunctos tam in oleo quàm in cera sive denariis, pleniter partibus præfatæ Ecclesiæ, sicut in plenariis & breviariis ejusdem Matris Ecclesiæ cantinentur, per singulos annos absque ulla contradictione aut mora persolvi præcipimus. De vicis verò publicis ac propriis, vel villulis jam dictæ Ecclesiæ, quas fideles nostri largâ largitione habent, amnino præcipimus ut nonæ & decimæ partibus præscriptæ Matris Ecclesiæ ab eisdem fidelibus nostris libenter & pleniter persolvantur, & ædificia ejusdem Ecclesiæ sive domarum ad eam infra civitatem pertinentium reædificare vel restaurare faciant. Id est, de villa Tavida, de villa Lugduna, de villa Baladon, de villa quæ Brogilus sive Nova-villa nuncupatur, de villa Pradellis, de Murniaco, de villa Guilis, de tertia parte de Cella Sancti Ulfacii, & de tertia parte de Cella Sancti Rigmiri, de villa Boulido, de Angona, de Solemnis villa, & vico & Cella Vitmero, & de villa Apiliaco, & de Aldino, & Clausido, de Noviliaco, & Fanisuania, & campo Sigirica, Luciaco, & monte, & de Comnis Cella Sancti Leodegarii, Angor, & Boulir, de Vinogabran cum suis appendiciis, & Ailino vico publico, & Bruslar, & Soganna vicis publicis, & Silviaco, & de villa Viliaco, & Triciono, & Silgiaco, & Sabololio, & Vinonio vico publico, & de villa longa, & de villa Campaniaco, & de Tonedralio de Geneda vicis publicis, & de villa Didas, & de Tredento, & Villena, Taurimiaco, Calsano, & villare de Verno, & Adillanita, & Vigra, & Fontanas, & Sanmuro, & Brasialo, Falcaria, Domnojorio, & partem de Fraxinido, Mandaria, Dirigero, villare de Verna, Clerinicio, & Camiliaco, de Traximarias, & Coxiaco vico publico, & villa Antoniaco, de villa Bonalfa, & de omnibus villis quæ ad Cellam Sancti Martini infra murum civitatis pertinent, & Caugiaca*

* Edit. Sinodochium.

* Corruptè dictis.

AN. CH. 834. LUDOV. IMP. 21. LOTHAR. IMP. 18. PIPPINI R. 20. LUDOV. R. 18. CAROLI R. 5.

vico publico, & de villa Limbriaco, & Verincella, & Verniaco, & villa de Ferciaco, & de Ponciaco, de Cariliaco, Priliaco, de Vigra, & de beneficio Hadingi, & de villare & de valle Bovonia, & de Breviaco, & de Carbonariis, & de Ruiliaco, & de Sidrego, & de Paciaco portu super Garronam, & de Gaureco, & de Cella quæ Longolin vocatur, & de Cajureco, & de Floreco, & de vico Diablentico, & de Cella Arciacas, & de villa Camariaco, & Eviriaco, & Callæ, & Commoriaco, & de villa Andoliaco, & de villa Griniaco, & Martiniaco, & Liverolas, & Sisciaco, & de Cella Domo Regis, & de pago Ardunense in quo sunt manentes villæ Sancti Gervasii, & de Curte Busane, & de Noviomo & Scomoiaco & Camiliaco & Comaco & Cormar & Noviomor & Bostiliaco vicis publicis. Hæc autem omnia, quæ nominatim suprà inserta sunt; ut jam dictum est, evidentius & diligentius investigatum habemus, & in authenticis ejusdem Ecclesiæ scriptis ipsis Clericis non obstantibus reperimus, sive alias villas, quæ propter prolixitatem vel propter ignorantiam nominum villarum in hoc Præcepto non sunt inserta, ad jam dictam Ecclesiam justè & legaliter pertinere, super quibus has nostræ auctoritatis literas fieri decrevimus, per quas statuentes omnibus, qui in præsenti tempore aut futuris temporibus ex memoratæ Matris Ecclesiæ beneficia assecuti sunt aut assequi potuerunt, præcipimus, ut de omnibus conlaborationibus terræ, tam fœni quàm annonæ omnium generum, tam de sua dominatione quam & de vassallorum suorum, de vivericiis quoque & perdonato, de pastionibus & pascuariis, de herbaticis & pullis, de piscationibus & pastionaticis, id est, de glandeticis, de melle, & conlaborationibus quæ in hortis sunt, de nutriminibus animalium & caseis qui fiunt de vaccaritiis dominicatis, ac de omnibus redditionibus quæ ab hominibus memoratæ Matris Ecclesiæ recipiuntur. Excepto hostilense, id est, de bubus & conjecto ad carros construendos. De his autem omnibus præcipimus & censum legitimum & nonas & decimas annis singulis partibus præscriptæ Matris Ecclesiæ absque ulla marritione vel dilatione reddere, insuper restaurationes tam in præfixa Ecclesia quàm in omnibus juxta eam adjacentibus in tegumentis & restaurationibus, pro possibilitate rerum quas in beneficium exinde possidet, facere non negligatis, si gratiam nostram & eadem beneficia unusquisque vestrum habere voluerit. Præscripta verò beneficia volo, ut fideles nostri supradicto censu cum consensu & benevolentia ejusdem Ecclesiæ Episcopi teneant, usquedum illa cum eis, quæ ex nostra datione habere videntur, mutare possimus, & sæpedicta Ecclesia, quæ justè & legitimè, ut inquisitum habemus, debentur auxiliante Domino restitui, atque reddere mereamur. Et hoc omnibus vobis notum sit, quòd si aliquis vestrum extiterit, qui hanc jussionem nostram aut contemnendo aut negligendo adimplere distulerit, quia volumus atque præcipimus, ut præscripta urbis Episcopus in jure ejusdem Ecclesiæ suæ in suam vel Canonicorum suorum potestatem vel dominationem easdem res revocare faciat, usquedum illi, qui jam dictæ Ecclesiæ res vel beneficia nostrâ largitione habebant, in nostram veniant præsentiam pro eadem negligentia atque contemptu rationes reddere. Et prævideat unusquisque ne illam ibi audiat sententiam, qui negligit censum perdat agrum, & per hanc auctoritatem, sive pro eorum negligentia vel contemptu ipsa perdant beneficia. Et ut hæc jussio nostra veriùs credatur & diligentiùs conservetur, atque per omnia à vobis perficiatur, & firmiùs futuris temporibus teneatur, de anulo nostro subter has literas nostras jussimus sigillari. Hirminmarus Notarius ad vicem Theotonis recognovi & subscripsi. Data 11 Kal. Januar. anno Christo propitio XIX Imperii Domni Hludovici Piissimi Augusti, Indictione X. Actum Cenomanis civitate in Dei Nomine feliciter. Amen. Ex tribus hisce Characteribus duo nullam pariuntur difficultatem, anno enim Redemptoris octingentesimo tricesimosecundo, pridie Kalendas Januarii Ludovicus Imperator ex Aquitania reversus in civitate Cenomannensi morabatur, annúmque Imperii sui post mortem patris numerabat undevicesimum, sed Indictionis decimæ loco reponenda est undecima quam Kalendæ Septembres jam aperuerant.

AN. CH. 834.

LXXVIII.

MUNIFICENTIA RATWILI ERGA MON. ROTHONENSE.

Ratwilus Britanniæ tyrannus hoc anno Imperii Ludoviciani vicesimoprimo, cùm in morbum incidisset, munificum se præbuit erga Rotonense Monasterium. Joannes Mabillonius [a] in Observationibus præviis vitæ Sancti Convoïonis id testatur ex antiquo Codice. Ratvilus suis literis *donatum esse* voluit *ad Monachos habitantes & exercentes Regulam Sancti Benedicti in Monasterio quod vocatur Roton, ubi ipse locum petivit, Binnon totum cum massis* seu mansis *& manentibus*, XII *Kal. Julii, regnante Domino Ludovico*, XXI *anno Imperii ejus*. Totum hoc negotium in Gestis [b] Sanctorum Rotonensium fusiùs ita describitur. *Ægrotavit Venerabilis Ratwili in infirmitate gravi, ita ut desperaretur à medicis ulteriùs vivere. Quod ille cernens jussit populo suo, ut ducerent eum in lecto ad Sanctum locum Rotonensem cum suo filio, nomine Liberio, illi verò cum planctu & ejulatu magno compleverunt præceptum Domini sui, deductúsque est ad Monasterium. Quod audiens Reverentissimus Conwoion Abbas, simul cum discipulis suis obviam ei cucurrit, & ad Monasterium secum adduxit, positúsque est in Ecclesia Sancti Salvatoris, circumdederúntque eum fratres in circuitu, pro eo Dominum incessanter postulantes. In illo autem die rogavit supradictus Ratwili Sanctum Convoion virum, ut eum tonderet, & comam ejus ac barbam raderet. At ille omnia implevit, & eum totondit, factúsque est Clericus. Postquàm autem Clericus effectus est, ipso die obtulit filium suum Liberium ad serviendum Deo Omnipotenti in eodem loco cum oblatione, sed & partem hereditatis suæ ad eumdem sanctum locum delegavit, & factâ Chartâ solemniter implevit, tradidítque Sancto Salvatori & suis Monachis villam quæ dicitur Binnon, cum ceteris villulis quæ in circuitu ejus manent, sed & in alia plebe* seu villa parœciali, *quæ dicitur Siza, ita tradidit Sancto Salvatori & suis Monachis ibi Deo servientibus villas quæ appellantur Erchiniac, & villam Moetchar, cum omnibus appendiciis earum, sicut adjacent; mansitque in eodem Monasterio per plures dies, convaluitque de infirmitate, & sanus effectus est per orationes Sanctorum virorum. Deinde ad seculum reversus, & ad suam domum rediens, pacem inter suos filios faciens, & hereditatem suam dividens, demum ad Monasterium revertens, Mausoleum suum inibi præcepit præparari, sicque adpositus est ad patres suos*, VI *Id. Januarias in Christo quievit*. Hanc narrationem, licèt multis in rebus varios ad annos pertinentibus versatur, integram recitavimus, quia nullus in ea Character occurrit Chronologicus præter annum Imperii Ludoviciani vicesimum-primum, quo Ratwilus Donationem fecit villæ cui nomen Binnon.

LXXIX.

Simili de causa conglobatim hoc quoque loco subjiciemus res multas, quarum notæ Chronologicæ in iisdem Gestis Sanctorum Rotonensium desiderantur. *Quod factum cernens filius ejus*, id est, Ratwili, *Catuvoret, sicut fecerat pater ejus, sic & ipse fecit, tradens filium suum Deo in Monasterio, necnon & partem hereditatis suæ, quæ ei computabatur jure hereditario, tam pro se quàm pro filio suo tradidit Sancto Salvatori & suis Monachis, sicut tradiderat pater ejus. Nam & ipse Catuvoret non multo tempore posteà in hac vita mansit, mortuúsque est, & corpus illius adlatum est in Monasterio, positúmque est in cimiterio patris sui. Ad cujusdem exemplum eodem tempore multi religiosi viri atque Nobiles tradiderunt filios suos Deo in eodem loco. Sed & Sacerdotes Magni, qui potestatem magnam in hoc mundo obtinebant, ad eundem Sanctum locum venerunt, mundum spernentes cum desideriis & pompis suis, cupientes in hac vita esse pauperes, ut in altera vita cum Christo forent divites.*

LXXX.

NECNON ET NOMINOII.

In Observationibus præviis vitæ Sancti Convoionis leguntur hæ Nominoii literæ. *Mundi termino appropinquante ruinis crebrescentibus jam certa signa manifestant. Idcircò ego in Dei Nomine Missus Imperatoris Ludovici Nominoe* *, *considerans querelam ac tribulationem, quam habet Domnus Imperator Ludovicus, & gravitudinem peccatorum meorum, & reminiscens bonitatem Dei dicentis, date eleemosynam & omnia munda fient vobis, ego quidem de tanta misericordia & pietate Domini confisus, per hanc epistolam dono, donatúmque in perpetuum volo esse ad illos Monachos habitantes, & Regulam Sancti Benedicti tenentes, in*

[a] Part. 2. Seculi 4. Benedict.

[b] Lib. 1. c. 4.

* Edit. nominoe.

AN. CH. 834.
LUDOV. IMP. 21.
LOTHAR. IMP. 18.
PIPPINI R. 20.
LUDOV. R 18.
CAROLI R. 5.

Monasterio quod vocatur Roton, quod & feci. Id est, donavi eis illam partem quæ vocatur Ros, circumcinctam ex duabus aquis, id est, ex Ulsone & Visnoio, & ex tertia parte de antiqua Ecclesia Bain, sita in parte quæ dicitur Spiluc, perveniens per finem hæreditatis Wethencor, & per finem villulæ quæ dicitur Mutsin usque ad flumen Ult; hoc totum dedi supradictis Monachis in eleemosyna Ludovici Imperatoris cum massis seu mansis *& manentibus, cum sylvis, pratis, pascuis, aquarúmque decursibus, & cum omnibus adpenditiis suis, ita ut quidquid exinde pro opportunitate Monasterii facere voluerint, liberam ac firmam in omnibus habeant potestatem; sicut à me videtur hodie possessum, ita trado atque transfundo totum atque integrum supradictis Monachis in eleemosyna Domni Imperatoris, ut eum Dominus per orationes eorum adjuvare dignetur. Et si fuerit aliquis post hunc diem, qui contra hanc donationem aliquam calumniam fecerit, ad me veniat, &, si rectum fuerit, ego mutabo ei in alio loco, & isti permaneant securi, & ista Donatio per omnia tempora firma & immutabilis permaneat. Factum est hoc, in loco, nuncupato Roton, XXI anno Imperii Ludovici. Signum Worworet ✠. Loresboiarn ✠. Rodalt ✠. Worworet ✠. Bledic ✠. Mormon ✠. Wotalin ✠. Kisbeipoe ✠. Conon ✠. Hintwallon ✠. Guethencar ✠. Derian ✠. Hedremarchuc ✠. Kalanhedre ✠. Archlon ✠. Gulugan ✠. Hailgugur ✠. Raginarius Episcopus subscripsit quintâ feriâ, XIIII Kal. Julii.* Dubium non est, quin annus Imperii Ludoviciani vicesimus-primus per mensem Junium cum anno Redemptoris octingentesimo tricesimo-quarto componatur, & currente litera Dominicali D, dies decimus-quartus ante Kalendas Julii cum feria quinta coincidat. Tota Chronologiæ difficultas in hoc consistit, quòd Ratvilus literas duodecimo Kalendas Julii, Nominoïus ante biduum decimo-quarto easdem Kalendas dedit. Inde colligimus Nominoium Britonibus ab Imperatore præfectum Ratvilo in vivis adhuc superstite, nec initio suæ Præfecturæ ab officio defecisse. Res ipsa clariùs patebit infrà, post mortem enim Ludovici Pii lapsus est in reatum Carolo habenas Regni post patris obitum jam moderante.

AN. CH. 835.
LUDOV. IMP. 22.
LOTHAR. IMP. 19.
PIPPINI R. 21.
LUDOV. R. 19.
CAROLI R. 6.

ANNUS

CHRISTI		835.		
LUDOVICI	IMP.	22.		
	REG.	55.	30.	18.
LOTHARII	IMP.	19.	13.	
	REG.	21.	13.	3.
PIPPINI III.	REG.	21.	19.	1.
LUDOVICI	REG.	19.	10.	1.
CAROLI	REG.	6.	3.	1.
INDICTIO		13.		

I. LUDOVICUS Augustus in Theodonis villa, pridie Nonas Januarias, anno Redemptoris octingentesimo tricesimo-quinto, Imperii sui vicesimo-secundo, Indictione decima-tertiâ, villam *Maßeces* Duserensi

Monasterio vindicavit dato Præcepto, quod inter probationes Historiæ Trenorciensis à Petro Francisco Chiffletio sic editum reperies. *In Nomine Domini Dei & Salvatoris nostri Jesu Christi, Hludovicus Divinâ repropitiante Clementiâ Imperator Augustus. Cum locis Deo dicatis, in quibuscumque indiguerint, consulere satagimus, ejus gratiam, cujus amore id noscimus efficere, abundantiùs nos promereri confidimus. Idcircò notum esse volumus cunctis fidelibus Sanctæ Dei Ecclesiæ & nostris, præsentibus scilicet & futuris, quia Hildegysus Abba ex Monasterio Duserensi, ad nostram accedens Mansuetudinem, suggessit nostra Clementia, quòd Warnarius quondam Comes eidem Monasterio dedisset quamdam villam, nomine Masteces, quæ est in pago Tricastrinensi, cum mancipiis & omnibus ad se pertinentibus, vel quantumcumque in eodem pago justè & legaliter jure proprietario visus fuit habere. Sed quoniam memoratus Comes, Warnarius nomine, easdem res ex parte cum uxore ingenua, nomine Hildinosta, illâque defunctâ, postquàm ancillam nostram, nomine Bertildim sibi sociaverat, ex parte cum ea adquisiverat, metuens ne connexio ejusdem ancillæ, de eisdem rebus sibi aliquid contrarietatis inferre posset, nostram humiliter expetivit misericordiam, ut nostram auctoritatem super hac re percipere mereretur, per quam absque cujuslibet contradictione sæpedictas res & mancipia Rectores ejusdem Monasterii perpetualiter possidere valeant. Cujus petitioni, quia dignam judicavimus, ob divinum amorem annuere libuit, & hanc nostræ auctoritatis confirmationem fieri, per quam decernimus atque jubemus, ut præscriptam villam cum mancipiis, & omnibus rebus, appendiciis, & terminis suis, & cum omnibus ad se jure & legaliter pertinentibus, vel quantumcumque in prænominato pago justè & legaliter jure proprietario visus fuit possidere, sicut eas prædictus quondam Comes Warnarius eidem Monasterio nostro contulit, in ejus Rectorúmque illius potestate & dominatione absque cujuslibet inquietudine aut contrarietate perpetim consistant, neque à quolibet fisci nostri vel alterius cujuscumque potestatis Judice sive administratore quicquam diminutionis aut infestationis, se de eisdem rebus & mancipiis vel omnibus ad se pertinentibus deinceps perpetim pertimescant; quatenus Monachos ibidem Domino famulantes pro nobis, conjuge, ac prole nostra, & stabilitate totius Imperii à Deo nobis commissi adtentius exorare debeant. Et ut hæc auctoritas Donationis nostra firmior habeatur, & per futura tempora meliùs conservetur, de anulo nostro subter eam jussimus sigillare. Ego Hirmin major Notarius ad vicem Hugonis recognovi & subscripsi. Data II Nonas Januarias, anno Christo propitio XXII Imperii Domni Hludouvici Piissimi Augusti, Indictione XIII. Actum Theodonis villâ, Palatio Regio, in Dei Nomine feliciter. Amen.* In hac Charta depravatum est nomen Notarii, qui non *Hirmin major* sed *Hirminmarus* appellari debet, ut ex aliis Diplomatibus constat. AN. CH. 835. LUDOV. IMP. 22. LOTHAR. IMP. 19. PIPPINI R. 21. LUDOV. R. 19. CAROLI R. 6.

II. HABET PLACITUM IN THEODONIS VILLA.

Apud omnes in confesso est habitum hoc anno Placitum in Theodonis villa. Quo die cœptum sit, nemo prodit; absolutum fuit Dominicâ primâ Quadragesimæ. Qui speciatim quosdam dies designent, in Actis istius Placiti tres hi reperiuntur Characteres, Dominica quæ sacræ Quadragesimæ initium præcedit, dies quartus ante Nonas Martii, & Dominica prima temporis Quadragesimalis. Hoc anno Dominica, quæ sacræ Quadragesimæ initium præcedit, seu Dominica Quinquagesimæ pridie Kalendas Martii consignatur, feria quinta ejusdem Hebdomadæ in Kalendario notatur quarta dies ante Nonas Martias, & Dominica prima Quadragesimæ cum iisdem Nonis coincidit, quia Pascha decimo-quarto Kalendas Maii celebratur. Hæc ad Chronologiam.

III. QUERITUR DE MULTIS EPISCOPIS.

In Placito apud Theodonis villam Imperator *contra quosdam Episcopos de sui dejectione conquerebatur. Sed quum quidam in Italiam confugissent, quidam vocati obedire noluissent, solus Ebo eorum, qui impetebantur, affuit.* In hoc Astronomi textu tres distinguuntur classes Episcoporum, de quibus à Ludovico motæ sunt querelæ. Prima est eorum, qui confugium in Italiam ad Lotharium fecerunt. Altera est eorum, qui vocati ad Placitum

AN. CH. 835.

noluerunt venire. Tertia est eorum qui Conventui præsentes interfuerunt.

IV. Cur nihil pronuntiatum adversùs Episcopos, qui fugerunt in Italiam.

Ex Episcopis, qui fugerunt in Italiam, nullus in Actis Placiti nominatur. Adversùs hos apud Theodonis villam nihil pronuntiatum. Rationem reddit Cæsar Baronius [a], *quòd scilicet visi essent ad Sedis Apostolicæ judicium convolasse.* Videtur id potiùs datum Lothario, cujus animum Ludovicus exulcerare noluit, rebus suis satis consultum ratus, si procul ab Ecclesiis suis exularent in Italia, nec ullum cis Alpes in Gallia tumultum erent.

[a] Hoc an. n. 2.

V. Agobardus Lugdunensis Archiep. post trinam evocationem ab Ecclesiæ suæ Præsulatu semovetur,

Ex Episcopis, qui vocati se Placito sistere noluerunt, Astronomus unum recenset Agobardum Lugdunensem Archiepiscopum, *qui, quum ter esset evocatus, ab Ecclesia Præsulatu semotus est.* Idem Auctor id actum vult ante Dominicam Quinquagesimæ, cùm Ebo Remensis Archiepiscopus indignum se Sacerdotio sponte jam confessus esset. Sic enim scribit. *Ebo tandem molestè ferens talibus extadiari, consilio petito aliquorum Episcoporum, ipse in se quandam confessionem prædicavit, confirmavítque se & indignum Sacerdotio & irrevocabiliter eo abstinere judicavit, quod & Episcopis & per eos Imperatori contradidit. Quo facto, Agobardus Lugdunensis Archiepiscopus, qui revocatus ad satisfactionem venire distulit, quum ter esset evocatus, ab Ecclesia Præsulatu semotus est, ceteris, ut diximus, in Italiam fugientibus. Sequenti verò Dominicâ, qua sacræ Quadragesimæ initium præcedebat, in Metis civitatem Dominus Imperator, sed & Episcopi, & populus universalis illius Conventûs venit.* Actam quidem Agobardi causam putamus ante Quinquagesimam, sed Ebo seriùs confessionem suorum reatuum dedit, ut infrà testabuntur res gestæ die Dominicâ Quinquagesimæ, & ipsa confessionis schedula quæ quarto Nonas Martii seu feriâ quintâ post Quinquagesimam consignata reperitur. Agobardus, cùm solus ex iis, qui aberant, post trinam evocationem damnatus asseratur, exauctorationis Ludovicianæ præcipuos post Ebonem authot censeri debet, eámque sententiam egregiè confirmat ipsius Agobardi de Conventu Compendiensi libellus, qui publicatus extat inter ejus opera, nec à nobis omissus est ante biennium [b]. Sic autem ab Ecclesiæ Præsulatu semotus est Agobardus, ut ei tamen nemo subrogatus legatur. Qua de re fusiùs disserendum occurret infrà.

[b] An. 833. n. 54.

Successore tamen haud subrogato.

VI. Hildemannus Bellovacensis Ep. innocentem se probat.

Ex Episcopis, quos Lodovicus accusavit, si fides est Astronomo præcitato, solus Ebo Remensis Archiepiscopus apud Theodonis villam adfuit. At præter hunc Ebonem adfuit etiam Hildemannus Bellovacensis Episcopus, *in Synodo* enim, teste Flodoardo [c], *præsens se à calumnia sibi impacta regulariter exuens satisfecit Synodo, & per eam Imperatori,* & apud Hincmarum in posteriori Dissertatione [d] contra Gothescalcum inter Episcopos, qui Conventum hoc anno in Theodonis villa celebrarunt, ita nominatur; *Hildemannus Episcopus.* An adjungendus quoque sit Barnardus seu Bernardus Viennensis Archiepiscopus, haud ita liquet. Astronomus innuit Bernardum ad Placitum quidem venisse, sed inde postmodum fugisse, testatur enim de Ludovico Augusto, quod posteà Conventum in loco, qui Stramiacus vocatur, unà cum Pippino ac Ludovico filiis suis habuit, *in quo causam Ecclesiarum Lugdunensis atque Viennensis vacantium ventilari fecit, eò quòd Episcopi dudum illarum, Agobardus quidem jussus ad rationem non venerit reddendam, Bernardus autem Viennensis affuerit quidem, sed rursus fugam inierit.* Ebo, priusquàm ad Theodonis villam adduceretur, in Fuldensi Monasterio sub custodia detinebatur. *Dominus Imperator,* inquiunt Clerici Remenses, *jussit eum,* nempe Ebonem, *deduci sub custodia ad Voldam* seu Fuldam, *Monasterium Sancti Bonifacii, ibíque servari, & post biennium adduci ad Teotonis villam in Parrochia Mettensi, ubi erat Placitum Imperatoris publicum.* Ebo cum Fuldensibus Monachis anno ne quidem integro degit, anno enim superiore, pridie Kalendas Martii, quando Lotharius patre dimisso fugit,

[c] Lib. 2. c. 20.
[d] Cap. 36.

Barnardus Archiep. Viennensis fugit e Synodo.

Ebo Archiep. Remensis interest Synodo,

in

iu Ludovici potestate nondum erat, & hoc anno longè ante easdem Kalendas ad Theodonis villam pervenit. Biennium igitur Remensium Clericorum benignè sic est interpretandum. Ebo apud Fuldam sub custodia biennio detentus est incomplero seu duobus annis incompletis, id est, prioris anni posteriori parte postquàm illuc ex mandato Ludovici Augusti ductus fuit, & initio hujus anni donec ejusdem Ludovici jussu adductus est ad Theodonis villam, ubi publicum Imperatoris Placitum habebatur.

AN. CH. 835. LUDOV. IMP. 22. LOTHAR. IMP. 19. PIPPINI R. 21. LUDOV. R. 19. CAROLI R. 6. VII.

Illo de Conventu sic Flodoardus [a]. *Ad Synodum anno Incarnationis Dominicæ octingentesimo tricesimo-quinto venientes omnes Episcopi qui convenerant, sigillatim libellos de restitutione Imperatoris communi consilio atque consensu adiderunt, & propriis manibus subscripserunt. Cum quibus & Ebo, ut re verâ in statu suo adhuc manens, libellum manu suâ cum additamento Archiepiscopi scriptum edidit. In quo libello professus est quicquid in ipsius Imperatoris dehonoratione gestum fuerat, injustè factum fuisse.* Duo sunt in hoc textu plurimùm observanda. Ebo manet adhuc Remensis Archiepiscopus, & in suo loco cum Archiepiscopis ceterisque Præsulibus sedet. Hi verò Pontifices per suos libellos id curæ sibi potissimùm esse significant, ut omnes exauctorationem Ludovici damnatam & pristinam eidem Ludovico Dignitatem in publico Conventu plenissimè restitutam sciant. Quoniam autem Theodonis villa pertinet ad Parrochiam seu Diœcesim Metensem, & à Meris, ubi Sedes Episcopalis, haud longè distat, omnibus placet Episcopis, aliisque, qui Conventum apud Theodonis villam celebrant, proficisci Metas, ut Ludovicus in Cathedrali Basilica Sancti Stephani coronetur, & majori cum pompa suo redditus Imperio videatur. Astronomus docet id honorificentissimè factum die Dominicâ, *quæ Sacra Quadragesima initium præcedebat*, id est, Dominicâ Quinquagesimæ, seu pridie Kalendas Martias, ut suprà jam notavimus. *Sequenti*, inquit, *Dominicâ, quæ Sacra Quadragesima initium præcedebat, in Metis civitatem Dominus Imperator, sed & Episcopi, & populus universalis illius Conventûs venit, & inter Missarum celebrationem septem Archiepiscopi septem reconciliationis Ecclesiasticæ orationes super eum cecinerunt. Atque omnes populi hoc viso, pro plenaria restitutione Imperatoris multas Deo gratias reddiderunt. Post quæ omnia, Theodonis villam tam Dominus Imperator, quàm qui ejus populus erant, reversi sunt.* Illis de rebus ita Carolus in literis ad Nicolaum Papam directis. *Ebo Metis civitatem est ductus, ubi in Ecclesia Sancti Stephani ambonem coram omnibus conscendens, professus est non æquum in gloriosum Imperatorem Dominum suum intulisse judicium. Ibi etiam idem Piissimus Imperator ab omnibus Episcopis Clero & populo, est honorabiliter coronatus & pristino restitutus Imperio.* Et Hincmarus de Ebone in posteriori Dissertatione contra Godescalcum [b]. *Ebo, postquàm in Ecclesia Sancti Stephani apud Mediomatricum civitatem ambonem conscendit, & se publicè denotavit coram Episcopis & Imperatore & Clero ac populo qui adfuerunt, quoniam eundem Imperatorem Hludowicum falsò criminatum & injustè ab Imperiali Sede depositum publicæ pœnitentiæ subdidit. De quibus & libellum manu suâ subscriptum eidem Imperatori porrexit, quem qui quæsierit, in Archivo ipsius Metensis Ecclesiæ invenire valebit.* His Auctoribus adde & Flodoardum in Historia Remensi [c]. *Post datos* apud Theodonis villam *libellos* de restitutione Imperatoris, *venientes Episcopi cum Imperatore, & quamplurimis ejus fidelibus ac Regni Primoribus, in urbem Metensium, in Basilica Beati Stephani publicè à Drogone Episcopo relecta sunt, quæ de restitutione Imperatoris omnium unanimitate inventa fuere. Post hanc annunciationem Ebo Remorum Episcopus, qui ejusdem factionis velut signifer fuerat, conscendens eundem locum, ubi Drogo steterat, coram omnibus professus est eundem Augustum injustè depositum, & omnia, quæ adversùs eum patrata fuerant, iniquè & contra totius auctoritatis tramitem fuisse machinata, meritò justéque proprio Imperii solio reformatum. Et sic omnibus laudes Deo*

ET SOLENNI RESTITUTIONI LUDOVICI IMP.

[a] Lib. 2. c. 20.

[b] Cap. 36.

[c] Lib. 2. c. 20.

AN. CH. 835. LUDOV. IMP. 22. LOTHAR. IMP. 19. PIPPINI R. 21. LUDOV. R. 19. CAROLI R. 6.

cauentibus, & quæ tunc ibidem fuerant agenda peractis, ad Theodonis villa Palatium regressi sunt.

VIII. Quid Ludovicus ad Theodonis villam egerit, ejus filius Carolus Rex in literis ad Nicolaum Papam jam laudatis sic exponit. *Iterum Placito generali convocato præfatum Ebonem*, qui reum Metis se confessus fuerat, *sibi jussit exhiberi, & eum pro inlata injuriarum contumelia, ac nonnullis Episcopis præsentibus, Episcopi siquidem Imperatori satisfacere, & Pontificalem reverentiam servare cupientes obtinuerunt apud eundem Imperatorem, ut non coram laicis, sed in sacrario, ipsius Ebonis causa disponeretur. Ebo autem omni temporali privatus subsidio, omnique humano destitutus solatio, tempori consulens, accersito quodam recluso, nomine Framegaudo, misit per eum genitrici nostræ Judith Gloriosæ Imperatrici anulum, quem ab ea quondam acceperat, quem etiam, quotiescumque aliquo tangebatur incommodo, mittere solebat, & ut sui misereretur flebiliter peroravit. Eundem verò anulum genitrix nostra in ipso nostræ Nativitatis articulo, quia Archiepiscopus erat, pro sua religione & sanctitate, ut nostri jugiter in suis orationibus memor esset, ei miserat. Tunc ipsa horum reminiscens, ejúsque lacrymabilia suspiria agnoscens, pio suasu apud Episcopos, qui illuc convenerant, obtinere curavit, quatenus & Imperatoris animum satisfaciendo lenirent, & leges divinas transgrediendo non vialarent, ne fortè vindictam severitatis exercentes in eum, qui in eos deliquerat, non viderentur dignam Deo reddere vicissitudinem, qui eos à tanto periculo misericorditer liberaverat. Statuerat enim animo, ut pro reverentia tanti Ministerii nullatenus in depositionem cujusquam Episcopi præberet assensum. Et ob hoc apud Pium Imperatorem obtinuit, ne in ejus depositianem ampliùs impelleret, quòd & secundùm moderatissimum ejusdem genitricis nostræ Gloriosæ Imperatricis consilium satisfacerent Piissimo Imperatori, & in eundem Ebonem non aliam sententiam intulissent, nisi quam ipse scripto ediderat. Hanc autem authenticam scriptionem à præfato Fulcone Venerabili Abbate, cui tunc Ecclesia Remensis commissa fuerat, Hincmarus Venerabilis Archiepiscopus accepit, & vobis eam, ut ipse nobis retulit, transmisit. Sed, utrùm purè ac simpliciter vobis sit directa, ignoramus. Hoc tamen verissimè novimus, quòd nullus Episcaporum eam propriâ manu subter firmaverit. Nam idem Ebo compertâ inevitabili sui discriminis causâ, protulit tres testes, tanquam suos Confessores, Aiulfum videlicet Archiepiscopum, Moduinum & Badaradum Episcopos, qui vicem illius obtinentes dicerent, si ita verum est, ut ipse Ebo eis confitebatur, consilium ei darent, ut à Pontificali Ministerio abstineret. Qui etiam sibi alios tres adsciverunt, Notonem scilicet Archiepiscopum, Theudericum & Actardum Episcopos. Quibus expletis reductus est in custodiam.*

IX. Ut postremas hujus textûs periodos meliùs intelligas, audi Hincmarum super eadem materia in Dissertatione jam allegata. *Ebo accusatus ab ipso Augusta in generali Synodo habita in Palatio Theodonis villâ, inducias petiit, & secundùm Canonicam institutionem elegit sibi per consensum Synodi Episcapos Judices peccatorum suorum, quos Canones Electos appellant, de quibus scriptum est in Concilio Africano, cap. LXIII, ut ab electis Judicibus provocari non liceat, & dedit libellum Synodo manu suâ firmatum hac eadem continentem. Ego Ebo indignus Episcopus, recognoscens fragilitatem meam, & pondera peccatorum meorum, testes confessores meos, Aiulfum videlicet Archiepiscopum, & Badaradum Episcopum, necnon & Modoinum Episcopum, constitui mihi Judices delictorum meorum, & puram ipsis confessionem dedi, quærens remedium pœnitendi, & salutem animæ meæ, ut recederem ab Officio & Ministerio Pontificali, quo me recognosco esse indignum, & alienum me reddens pro reatibus meis in quibus peccasse secretè ipsis confessus sum, eo scilicet modo, ut ipsi sint testes alio * succedendi & consecrandi subrogandíque * in loco meo, qui dignè præesse & prodesse possit Ecclesiæ, cui hactenus indignus præfui. Et ut inde ultrà nullam repetitionem aut interpellationem auctaritate Canonicâ facere valeam, manu propriâ meâ subscribens firmavi. ✠ Ebo quondam Episcopus subscripsi. Hac scripturâ coram Synodo prolatâ atque confirma-*

REUM SE FATETUR VIVA VOCE ET SCRIPTO.

* Flodoard. alii.
* Flodoard. deest *subrogandíque*.

AN. CH. 835. LUDOV. IMP. 22. LOTHAR. IMP. 19. PIPPINI R. 21. LUDOV. R. 19. CAROLI R. 6.

tâ, confessus est ipse vivâ voce, & dedit testes alios, exceptis Judicibus, Nothonem Archiepiscopum, Theodoricum Episcopum, & Acbardum Episcopum, & sic ab omnibus, qui in eodem Concilio fuerunt, Episcopis accepit sententiam, dicentibus per ordinem omnibus. Secundùm tuam confessionem cessa à Ministerio. Et sic coram ipso, jubente ac audiente Synodo, dictatum est à Jona Aurelianensi Episcopo Heliæ Presbytero posteà Carnotensi Episcopo, & præscripta pagina confessionis ejusdem in ipsa Synodo subscriptum atque subjunctum hoc modo. Acta est hæc Ebonis professio, ejúsque propria manûs subscriptione roborata, in Conventu Synodali generaliter habito apud Theodonis villam, anno Incarnationis Domini nostri Jesu Christi DCCCXXXV, *anno etiam Imperii Gloriosi Cæsaris Hludouvici* XXXII (lege XXII) *Indictione* XIII, *sub die Kalendarum* IV *Nonarum Martii. Hi sunt Episcopi, qui confessionem manu suâ propriâ firmatam audierunt, in qua continebatur, quòd ipse Ebo pro quibusdam criminibus, quæ confessoribus suis Aiulfo Archiepiscopo, Badarado Episcopo, Modoino Episcopo, Achardo Episcopo, Theoderico Episcopo, & Nothoni Archiepiscopo confessus est, nullatenus Officium Pontificale agere deberet. Nam & ipsi testes, eodem Ebone poscente & coràm astante, in conspectu omnium qui adfuerunt, tam Episcoporum quàm & ceterorum Sacerdotum, vivâ voce testificati sunt, quia tale peccatum eis confessus fuerat, pro quo dignus non erat Episcopale Ministerium ultrà jam agere. Sed & hoc ipsi testes & confessores sui intulerunt, quia si idem peccatum ante ordinationem admisisset, nullo modo Episcopus ordinari debuisset. Pro qua re ad eorum consilium dixit se idem Ebo coram omnibus ad Ministerium Episcopale indignum, & ab eo recedere debere, & sub pœnitentia modo Dominum sibi propitium facere velle. Nam & Episcopi, secundùm confessionem ipsius manu suâ propriâ roboratam & testimonium confessorum suorum decreverunt, ut à Ministerio recederet Pontificali, & aliis orationum officiis & excubiis Domino serviendo eum sibi propitium faceret. Hæc sunt nomina eorundem Episcoporum. Drogo Archiepiscopus, Hetti Archiepiscopus, Otgarius Archiepiscopus, Ragnoardus Archiepiscopus, Landrannus Archiepiscopus, Aldricus Archiepiscopus, Notho Archiepiscopus, Aiulfus Archiepiscopus, Ratoldus Episcopus, Jonas Episcopus, Frotarius Episcopus, Erchanradus Episcopus, Raganarius Episcopus, Wlfiuus Episcopus, Theodericus Episcopus, Acardus Episcopus, Rothadus Episcopus, Batradus Episcopus, Modoinus Episcopus, item Theodericus Episcopus, Walocharius Episcopus, Godolricus Episcopus, Godofridus Episcopus, Teutmundus Episcopus, Ermbertus Episcopus, Hubertus Episcopus, Erardus Episcopus, Albericus Episcopus, Freculfus Episcopus, Joannes Episcopus, Hildemannus Episcopus, Hildi Episcopus, Christianus Episcopus, Sisagutus Episcopus, item Raganarius Episcopus, Crispio Episcopus, Teutgaudus Episcopus, Bonus Episcopus, Favo Episcopus, Ado Episcopus, Teutbertus Episcopus, Wiladus Episcopus, Morbertus Episcopus. Et hæc scriptura, judicante Synodo post hæc omnia patrata, data est à Drogone, qui Synodo præsidebat unà cum Hetti Episcopo Treverensi, Fulconi, qui successor in Sede Remensi Ebonis fuerat designatus. Hoc autem ita verum esse, ut dicimus, etiam qui Annalem Domini Hludouvici Imperatoris Historiam de anno* DCCCXXXV *Dominicæ Incarnationis revolverit, manifestâ lectione comperiet.* Per *Annalem Domini Hludouvici Imperatoris Historiam* hic Auctor vitam intelligit ejusdem Ludovici, quam per annos ab Astronomo digestam citare consuevimus. Præter hanc observationem nonnullas necesse est hîc subjiciamus.

JUBETUR A PONTIFICALI MINISTERIO RECEDERE.

X. In Collectione Canonum Orientalium & Africanorum, quam Adrianus Papa Carolo Magno Regi, cùm Romæ esset, ad usum Occidentalium Ecclesiarum dedit anno Christi septingentesimo septuagesimo-quarto, diversorum in Africana provincia Conciliorum Canones quinque supra centum sub Africani Concilii nomine reperiuntur. Sexagesimus-tertius hoc insignitur titulo, *ut ab electis Judicibus provocare non liceat;* atque in hunc modum editus præ manibus habetur, *si autem fuerit provocatum, eligat qui provocaverit Judices, & cum eo & ille contra quem provocaverit, ut ab ipsis deinceps nulli liceat provocare.* Ebo istius Canonis auctoritate fretus tres

Præter Auctores suprà descriptos consulendus etiam Flodoardus [a], habet enim de Ebone non pauca, quæ ceteris aut illustrationi sunt aut supplemento. *Ebo in eadem Synodo præsens ab Imperatore præsente est accusatus, quòd enim falsà fuerat criminatus, & eisdem falsis criminibus appetitum à Regno dejecerat, armísque ab eo ablatis, nec confessum, nec convictum, contra Regulas Ecclesiasticas ab Ecclesia aditu ac Christianorum societate eliminaverat, sicut & idem scripto subscriptione suâ roborato, & verbis coram omnibus professus fuerat. Et enim essent alia etiam crimina, de quibus post hanc accusationem accusandus erat, & de quibus apud Imperatorem jam anteà fuerat accusatus, & non canonicè purgatus, sicut & epistola Episcoporum ad Sergium Papam demonstrat, & pro quibusdam eorum extiterat à consilio Imperatoris ejectus, quæ patefactâ veritate negare non valebat, petiit secessum, ut sine præsentia Imperatoris liceret ei in Synodo Episcoporum suam agere causam. Quod obtinens convocavit ad se quosdam Episcopos, & nullo cogente, sed suâ sponte, secundùm eorum consilium sequentium Africanum Concilium, ut parceretur ipsius verecundiæ, ac propter Ecclesiæ obprobrium ac insolentem insultationem secularium, ne Dignitas Sacerdotalis pollueretur, si publicè de his de quibus impetitus & adhuc impetendus erat, confessus aut convictus foret, libellum suæ depositionis dictavit, & scribi coram se fecit, & propriâ manu subscripsit, secundùm traditionem Ecclesiasticam, eundémque libellum propriæ ac vivæ vocis confessione attestatum in abdicationem sui, nullo ab eo quærente vel exigente, Synodo ultrò porrexit. Et sicut videri tunc ab his qui interfuerunt potuit, Sacerdotio se sponte submovit, quærens remedium pœnitendi, sicut in eodem professionis ac subscriptionis suæ libella continetur hoc modo. Ego Ebo indignus Episcopus, recognoscens fragilitatem meam,* &c. ut suprà ex Hincmaro. *Et ut omnia secundùm leges quibus moderatur Ecclesia, in Synodo legaliter adimpleret, simul cum eis, quos secundùm Africæ provinciæ Canones elegerat sibi judices, dicente Apostolo, adversùs Presbyterum accusationem noli recipere, nisi sub duobus vel tribus testibus, ut in ore duorum vel trium testium constaret etiam suæ accusationis, & ut alius se Sacerdotio defuncta ei succederet, testificationis verbum, ascivit & alios tres Episcopos, veritatis de sua accusatione & testificatione conscios in testimonium suæ professionis, Theodoricum scilicet Episcopum, & Achardum Episcopum, Dioceseos suæ, & Nothonem Archiepiscopum, & sic ipse professus, & sex Episcopis suæ professioni, attestantibus, ut prædiximus, libellum Synodo porrexit, cunctíque Episcopi, qui Synodo interfuerunt, sigillatim ac viritim dixerunt illi. Secundùm tuam professionem & subscriptionem cessa à Ministerio. Et coram omnibus hanc notitiam cum præscripto libello temporibus futuris conservandam Jonas Episcopus Heliæ Notario tradidit, qui libellum Ebonis scripserat, cui idem Ebo subscripsit secundùm* LIX *Capitulum, & item secundùm Capitulum* LXXIIII *Concilii Africani, pro omnibus dictavit, & idem Helias hæc quæ sequuntur conscripsit. Acta est hæc Ebonis professio*, ut suprà ex eodem Hincmaro. *Libellum sibi ab Ebone porrectum post damnationem ejus Synodus Fulconi Presbytero, qui eidem Eboni in Episcopatûs Remensis susceptione successerat, cum Synodali notitia dedit, quíque in Remensis Ecclesiæ scrinio conservatur. Cujus exemplar Sanctæ memoriæ Papæ Leoni directum didicimus.* Flodoardus in provincia Remensi, cui præest Ebo, Theodoricum & Achardum Episcopos rectè collocat, Ecclesias enim regunt, Atrebatensem cum Cameracensi Theodoricus, Achardus Noviomensem cum Tornacensi.

AN. CH. 835. Ludov. Imp. 22. Lothar. Imp. 19. Pippini R. 21. Ludov. R. 19. Caroli R. 6.

XI.

[a] Lib. 2. c. 20.

XII. Quæ suprà de Ebone scripta sunt ex multis Auctoribus optimæ notæ, fabulosam arguunt narrationem Remensium Clericorum, qui eundem Ebonem, ut depositionis suæ libellum scriberet, ab Imperatore Ludovico coactum sic fingunt. *Imperator jussit eum adduci ad Teotonis villam in Parrochia Mettensi, ubi erat Placitum Imperatoris publicum. Præsentatus autem Concilio Episcoporum accusatus est ab Imperatore, atque diu nimiis terroribus maceratus, inita tandem consilio cum ceteris Coepiscopis & fratribus suis, quia Episcopus nec Archiepiscopus suis omnibus bonis expoliatus, súbque custodia tentus, &*

AN. CH. 835. LUDOV. IMP. 22. LOTHAR. IMP. 19. PIPPINI R. 21. LUDOV. R. 19. CAROLI R. 6.

ab Ecclesia sua sequestratus, in Synodo Apostolicâ auctoritate non convocata, neque ejus Legatione roborata, damnari nullatenus juxta Decreta Sanctorum Patrum potuisset, ne diutiùs in talibus torqueretur, & etiam sanus corpore iram maximi principis quocumque modo declinaret, coactus scripsit libellum hunc. Ego Ebbo indignus quondam Episcopus &c. ut suprà ex Hincmaro.

XIII. *Ebo post depositionem suam*, ut Flodoardus [a] observat, *in Cisalpinis fertur regionibus conversatus usque ad obitum Ludovici Imperatoris.* Per illud tempus successor ei non est datus. Sic enim posteà Carolus Rex in suis ad Nicolaum Papam literis jam laudatis. *Domnus Imperator per Godefridum Monasterii Sancti Gregorii Venerabilem Abbatem sua Dignitatis literas prædecessori vestro Domno Gregorio Venerando Papa dirigit, ejus adsensum, si fieri posset, in depositione ipsius Ebonis expostulans. Ipse verò per præfatum Abbatem sua Auctoritatis literas ei remisit, sed quid in ipsis insertum fuerit, omnibus Episcopis & cunctis Regni nostri Ordinibus habetur incognitum. Sed Sanctitatis vestra solertia per scrinia Dignitatis vestra investigare poterit, quid isdem prædecessor vester senserit inde. Credimus tamen, quia si in abjectionem prædicti Ebonis Domnus Imperator ipsum prædecessorem vestrum fautorem habuisset, continuò vacanti Ecclesia illi alium Pontificem subrogasset. Quod quidem moderatissimo consilio agere differens efficaci egit sagacitate, ut & sic audacia in hujusmodi viris temerariis deinceps comprimeretur, & Ecclesia status non labefactaretur.* Ebo ad obitum usque Ludovici Pii sub custodia detentus fuit tribus in locis; primò in Monasterio Fuldensi, cujus regimen penes Abbatem Rabanum erat; deinde in Episcopatu Lexoviensi, cui Freculfus Episcopus præsidebat, postremò in Cœnobio Floriacensi seu Sancti Benedicti ad Ligerim, cui Boso præerat Abbas. Audi Clericos Remenses. *Finito*, inquiunt, *Concilio, reductus est sub arta custodia ad idem * Sancti scilicet Bonefacii Monasterium. Post aliquantùm verò temporis commendatus est similiter ad custodiendum Freculfo Lexoviensi * Episcopo, inde etiam Bosoni Abbati in Monasterium Sancti Benedicti, sub cujus manu exulabat, quando Dominus Imperator viam totius ingressus est carnis.* Interim Fulco mansit Chorepiscopus Remensis & Abbas San-Remigianus.

[a] Lib. 2. c. 20.

Reducitur captivus ad Mon. Fuldense.

* Edit. eundem.
* Edit. Lexoviensi.

Fulco manet Chorepiscopus Remensis et Abb. S. Remigii.

XIV. Præter Drogonem Episcopum Metensem, cui titulus Archiepiscopi tributus est honoris causâ, Synodo apud Theodonis villam interfuerunt octo Archiepiscopi, *Hetti* Trevirensis, *Otgarius* Moguntiacensis, *Ragnoardus* Rotomagensis, *Landrannus* Turonensis, *Aldricus* Senonensis, *Notho* Arelatensis, *Aiulfus* Bituricensis, & *Ebo* Remensis.

Synodo apud Theodonis villam intersunt Præsules, ex diversis provinciis.

E provincia Trevirensi, præter Hettium Metropolitam & Drogonem Antistitem jam nominatos, duo interfuerunt Episcopi, *Frotarius* Tullensis & *Hildi* sive Hildinus Virodunensis, non semel à nobis laudati, ut & Erardus in provincia Coloniensi Leodiensis Episcopus.

XV.

XVI. E provincia Rotomagensi præter Ragnoardum Metropolitam duo interfuerunt Episcopi, *Freculfus* Lexoviensis, & *Wiladus* seu Guiladus aut Vilardus vel Wilardus Constantiensis, de quibus jam locuti sumus.

XVII. E provincia Turonensi præter Landrannum Metropolitam interfuit *Raganarius* seu Ragenarius Venetensis Episcopus, cujus quoque meminimus.

XVIII. E provincia Senonensi præter Aldricum Metropolitam tres interfuerunt Episcopi, *Jonas* Aurelianensis, *Erchanradus* Parisiensis, & *Hubertus* Meldensis, quorum etiam mentionem suprà fecimus.

XIX. E provincia Moguntiacensi præter Otgarium Metropolitam interfuit *Batradus* Episcopus. Hunc Codex San-Quintiniensis in Translatione Sancti Quintini *Patratum Saxonia Præsulem*, Ludovicus Augustus in suo Præcepto [b] *Baderadum*, Carolus Rex in literis ad Nicolaum Papam & Hincmarus Archiepiscopus in posteriore contra Godescalcum dissertatione [c] *Badradum*, Theganus [d] *Baradadum Episcopum Saxonicum* vocat, nec alium arbitrare à Badurado Episcopo Paderbornensi in Saxonia.

[b] Vide Tom. 7. a. 812. n. 2.
[c] Cap. 36.
[d] Cap. 54.

E provincia Remensi, præter Ebonem Metropolitam & Fulconem AN. CH.
Chorepiscopum Remensem, sex interfuerunt Episcopi, *Raganarius* seu 835.
Ragenarius Ambianensis, *Theodericus* seu Theodoricus Attrebatensis & Ca- LUDOV.
meracensis, *Acardus* Noviomensis & Tornacensis, *Rothadus* seu Rotaldus IMP. 22.
aut Rotardus Suessionensis, *Godofridus* seu Godefridus Silvanectensis, & LOTHAR.
Hildemannus Bellovacensis, omnes nobis jam noti. IMP. 19.

E provincia Lugdunensi tres interfuerunt Episcopi, *Modoinus* Augusto- PIPPINI
dunensis, *Albericus* Lingonensis, & *Favo* seu Faova Cabilonensis, de qui- R. 21.
bus egimus quoque suprà.

E provincia Narbonensi duo interfuerunt Episcopi, *Christianus* Nemau- LUDOV.
sensis & *Sisagutus* seu Sisebutus Urgellensis, quos jam laudavimus. R. 19.

E provincia Viennensi interfuit *Ado*. Hic Valentinensis Episcopus no- CAROLI
bis videtur. Memoratur in Catalogis apud Democharem, Severtium, Ro- R. 6.
bertum & Sammarthanos, omittitur à Columbo. Non est expungendus XX.
sed suo movendus loco. Post Bonitum, qui Concilio Narbonensi subscri- XXI.
psit anno Redemptoris octingentesimo nonagesimo-primo, sederunt in XXII.
Valentinensi Cathedra, Waldus, Salvius seu Silvius, & Lambertus, ut ex XXIII.
superioribus Tomis constat. Lambertus Roberto manet incognitus, à Che-
nutio recensetur absque Charactere Chronologico, Sammarthanis decessor est Ratberti, Pontificatum ex Severtii calculis init anno Redemptoris octingentesimo tricesimo-tertio, vitámque claudit anno Redemptoris octingentesimo quadragesimo, sed nec ad annum Redemptoris octingentesimum quadragesimum pervenit, nec proximum nactus est successorem Ratbertum, anno enim Redemptoris octingentesimo tricesimo-quinto Pontificales Infulas jam gerebat Ado. De successoribus Lamberti sic Chenutius. *Bonitus, Rappetus seu Robertus, Ductrannus sive Dalvarennus circa annum 920, Eilardus, Isaac 1, Aimericus, Ado, Brocardus, Archimbertus, Agiuus, Robertus, Isaac 2. an. 1060.* Apud Severtium idem habetur Catalogus annique singulorum Episcoporum consignantur, sedet Ductrannus *ab an. 891 ad an. 925.* Ado *ab an. 981 ad an. 990.* Apud Robertum *Ductranus* notatur *anno 910.* A Sammarthanis *Ratbertus* Lamberti proximus constituitur successor, aditque *Synodum Mantalensem anno 879*, deinde solis nominibus indicantur, *Dunctrannus, Eilardus, Isaac 1, Aimericus, Ado, Brocardus, Archimbertus sive Archimbaldus, Agildus sive Ainus, Robertus, Isaac anno 887.* At quis sibi persuadeat decem Valentinenses Episcopos obiisse intra spatium annorum octo, quod ab anno Redemptoris octingentesimo septuagesimo-nono ad octingentesimum octogesimum-septimum intercessit? Anno Redemptoris octingentesimo septuagesimo-nono, quo Valentia Francis parere desiit, Ratbertus Ecclesiæ Valentinensi præerat. Id liquet ex subscriptionibus Synodi tunc apud Mantalam congregatæ. Ratbertum antecessit in Episcopatu Ratherus, Ratherum Ductanus. Hanc Episcoporum Valentinorum seriem refert approbátque Joannes Columbus [a]. Ceterùm Ratherus, ut suo loco probabimus, Episcopatum anno duodevicesimo Caroli Calvi jam obtinebat. Ergo ut Ado Lamberto, sic Adoni Ductanus successit, & donec à regno Francorum avellatur Valentia, quatuor duntaxat hi supersunt illius civitatis Episcopi à nobis memorandi, Ado, Ductanus, Ratherus, & Ratbertus.

Ex Aquensi provincia præsens interfuit Joannes Segestaricensis Episco- XXIV.
pus, qui sedere cœpit anno Redemptoris octingentesimo quinto, seditque annos quadraginta-septem.

Præter Archiepiscopos & Episcopos, quorum Diœceses per provincias XXV.
hactenus distinximus, Synodo apud Theodonis villam alii duodecim interfuerunt Episcopi, *Ratoldus, Wlfinus, Theodericus, Walocharius, Godolricus, Teutmundus, Ermbertus, Crispio, Teutgandus, Bonus, Teutbertus,* & *Morbertus.* Horum Sedes minùs notæ. Suspicamur Ratoldum eundem esse

[a] Lib. 2. de Episc. Valent. nu. 12. 13.

AN. CH. 835. LUDOV. IMP. 22. LOTHAR. IMP. 19. PIPPINI R. 21. LUDOV. R. 19. CAROLI R. 6.

ac Rotaldum Veronensem Episcopum, Godolricum eundem esse ac Udalricum Episcopum Basileensem, de quibus suprà, nec Ermbertum & Motbertum ab Herimberto Episcopo Laudensi & à Roberto Regiensi Episcopo differre, qui Synodo apud Mantuam hoc eodem interfuerunt anno, ut mox dicturi sumus.

XXVI. Ludovicus Aug. edit Constitutionem de divisione Regni inter filios.

Petrus Pithœus duodecim coætaneorum Scriptorum Codici Chartam inseruit priùs ineditam, nullóque Charactere Chronologico munitam in qua Ludovicus Augustus Regni sui divisionem *inter dilectos filios, Pipinum, Ludowicum* & *Karolum* facit. Melchior Haiminsfeldius Goldastus eandem Chartam Tomo secundo Imperialium Constitutionum editurus, audacter titulum finxit, in quo fidentissimè locum tempúsque promulgationis absque dubitatione sic adnotavit. *Ludovici Pii Imperatoris Augusti Constitutio de pace publica & divisione Regni facienda inter filios, ordinata in Carisiaco in generali Conventu Procerum Imperii, anno* DCCCXXXVII. Andreas Duchesnius Tomo secundo coætaneorum Auctorum stetit à partibus Pithœi, Chartam enim illam cecudit Chronologicis destitutam Characteribus, vocavitque *Præceptum Ludovici Imperatoris de divisione Regni sui inter filios.* Stephanus Baluzius Tomo primo Capitularium servavit annum Redemptoris octingentesimum tricesimum-septimum, quem legit apud Goldastum, sed locum mutavit, expunctóque Carisiaco substituit Aquisgranum, Titulo Chartæ sic apposito. *Charta divisionis Imperii, inter Pippinum, Ludovicum, & Carolum, filios Imperatoris, data anno Christi* DCCCXXXVII, *Aquisgrani in generali populi Conventu.* Pithœus nullum præfixit Titulum; hunc optimè Duchesnius, *Præceptum Domini Ludovici Imp. de divisione Regni sui inter filios;* alii prolixiores indiderunt Titulos cum nævis, in quos nobis hic inquirendum.

XXVII. Primò, malè dicitur *Charta divisionis Imperii*, meliùs à Goldasto *Constitutio de divisione Regni*, & à Duchesnio *Præceptum de divisione Regni.* Sic enim in ipsa Præfatione loquitur Ludovicus Imperator. *Notum fieri volumus omnium vestrum solertiæ, quòd inter dilectos filios nostros, Pipinum, Ludowicum, Karolum, Regni nobis à Deo commissi talem divisionem facere decrevimus.* Nullum de dividendo Imperio verbum habet, quia Imperium, quod in sola consistit appellatione, dividíque non potest, cùm Imperator hoc nomine ne vicum quidem obtineat, à multis annis cum Italia seu Longobardia Lothario contulit, ideóque in suo Diplomate partitur tantùm ditiones Francorum extra Italiam sitas, quas Regnis Aquitaniæ, Bajuvariæ, & Alamaniæ, seu Pippini, Ludovici & Caroli sortibus accenset.

XXVIII. Secundò, Charta malè dicitur *data anno Christi* DCCCXXXVII. Goldastus, qui primus & Chartæ Titulum & Titulo annum DCCCXXXVII præfixit, nullam Chronologiæ suæ rationem reddit. Baluzius in suis Notis recurrit ad Nithardum & ad Annales Bertinianos, quia Donationem Regni Carolo à Ludovico Imperatore factam iisdem limitibus circumscribunt Nithardus libro primo & Annalista Bertinianus ad annum Redemptoris octingentesimum tricesimum-septimum. Sed in illis locis nec Nithardus nec Annalista Bertinianus ad Chartam alludit, quâ Ludovicus Augustus tria distinguit describitque Regna pro totidem filiis, Regnum Aquitaniæ pro Pippino, Regnum Bajuvariæ pro Ludovico, & Regnum Alamaniæ pro Carolo. Certè Ludovicus Imperator cùm de Lothario & Italiæ Regno penitus sileat, servatóque ætatis gradu per ordinem distinctissimè significet quid imposterum ad Pippinum Aquitaniæ Regem, quid ad Ludovicum Regem Bajuvariæ, quid ad Carolum Alamaniæ Regem pertinere velit, non uno tantùm de Carolo sed aliis etiam de filiis solicitum se præbet.

XXIX. Tertiò, Goldastus Chartam *in Carisiaco* datam contendit, Baluzius *Aquisgrani.* Duo Conventus anno Redemptoris octingentesimo tricesimo-septimo

septimo celebrati sunt, unus Aquisgrani, alter in Carisiaco. In Aquisgranensi Placito Ludovicus Imperator *Karolo portionem Regni dedit*, quam Nithardus libro primo & Annalista Bertinianus ad annum Redemptoris octingentesimum tricesimum-septimum suis finibus circumscribunt. In Carisiacensi Conventu, cujus mentionem Astronomus in vita Ludovici Pii & Nithardus libro primo faciunt, idem Ludovicus Imperator apud Astronomum Carolo filio *Neustriam*, apud Nithardum *portionem Regni inter Sequanam & Ligerem* tradit. At in utroque Placito nec Ludovicus Bojoariæ Rex memoratur, nec tripertita fit Regni divisio pro totidem fratribus in consortium Regiæ Dignitatis à patre jam vocatis, id est, pro Pippino qui dictus est Rex Aquitaniæ, pro Ludovico qui dictus est Rex Bajuvariæ, & pro Carolo qui dictus est Rex Alamaniæ. Ut igitur Chartam, de qua disputamus, anno Redemptoris octingentesimo tricesimo-septimo emissam suprà negavimus, sic & inficiamur editam in alterutro Conventuum, qui per illum annum apud Aquisgranum & apud Carisiacum habiti fuerunt. AN. CH. 835. LUDOV. IMP. 22. LOTHAR. IMP. 19. PIPPINI R. 21. LUDOV. R. 19. CAROLI R. 6.

XXX. Quartò, Goldastus Chartam ait datam *in generali Conventu Procerum Imperii*, meliùs autem Baluzius *in generali populi Conventu*, nam Goldasti locutio sapit ætatem Imperatoribus, ex Carolidarum stirpe progenitis, certè recentiorem.

XXXI. Quamvis in tota Charta nullus occurrat Character, qui certum ac determinatum designet annum, collatione tamen multorum indiciorum factâ conjecturæ deprehenduntur ad stabiliendam Chronologiam non leves. Charta ut tres Reges, Pippinum, Ludovicum & Carolum, sic & tria distinguit Aquitaniæ, Bajuvariæ & Alamaniæ Regna; non est igitur data priusquàm Carolus à patre Rex Alamaniæ renuntiaretur in Conventu Wormatiensi, qui mense Augusto, anno Redemptoris octingentesimo vicesimo-nono celebratus fuit. Annis proximè sequentibus orti sunt tumultus, intestina sævierunt bella filiis contra patrem rebellantibus, Ludovicus Augustus & auctoritatem & libertatem amisit, modóque Pippinum, modò Ludovicum, vel etiam utrumque passus est hostem, nec de Regno inter filios tres, Pippinum, Ludovicum & Carolum, dividendo consilium inire potuit ante labentem annum Redemptoris octingentesimum tricesimum-quartum, postquàm Lotharius in agro Blesensi cùm nec fugæ nec prælii locum videret, & undique cùm à patre tum à fratribus cingeretur, supplex ad patrem venit, eique, teste Thegano [a], *juravit fidelitatem, & ut omnibus imperiis suis obedire debuisset, & ut iret in Italiam, & ibi maneret, & inde non exiret nisi permissione patris*. Ea rerum series facilè suadet Regni divisionem inter filios, Pippinum, Ludovicum & Carolum, ab Imperatore Ludovico factam in proximo Conventu, quem hoc anno Redemptoris octingentesimo tricesimo-quinto habitum in villa Theodonis, & primâ Dominicâ Quadragesimæ seu Nonis Martiis absolutum diximus. Opinioni nostræ plurimùm favet, quòd in eodem Placito aliud indictum est hoc quoque anno Wormatiæ post Pentecosten celebrandum, *ubi*, teste Astronomo, *filius Pipinus occurrit, nec Ludovicus alter filius defuit*, uterque enim tunc in amicitia patris erat cum Carolo fratre. Seriùs verò differri non potest hæc tripertita Regni divisio, quia post Conventum Wormatiensem statim investigari cœpit ratio reconciliationis inter Ludovicum & Lotharium Augustos faciendæ, annisque posteris, qui Pippini Regis obitum præcesserunt, initæ sunt aliæ Regni divisiones prætermisso Ludovico Bojoariæ Rege, qui proclivior erga Lotharium fratrem quàm erga patrem tunc videbatur. Præceptum igitur de Regno tres in partes dividendo Ludovicus Augustus apud Theodonis villam in generali Conventu promulgavit anno Redemptoris octingentesimo tricesimo-quinto, cùm Pippinum ac Ludovicum filios habebat in amicitia, pristinæque Dignitati cum ap-

[a] Cap. 55.

AN. CH. 835. LUDOV. IMP. 22. LOTHAR. IMP. 19. PIPPINI R. 21. LUDOV. R. 19. CAROLI R. 6.

plausu populi restitutus Lothario filio trans Alpes summoto formidolosum se præbebat.

XXXII. Præfatio talis est. *In Nomine Domini Dei & Salvatoris nostri Jesu Christi. Hludouvicus divinâ ordinante providentiâ Imperator Augustus omnibus fidelibus Sanctæ Dei Ecclesiæ & cuncto Catholico populo, præsenti scilicet & futuro, gentium ac nationum* *, *quæ sub imperio ac regimine nostro constituta sunt. Notum fieri volumus omnium vestrum solertiæ, quòd inter dilectos filios nostros, Pippinum, Hludouvicum, Karolum, Regni nobis à Deo commissi talem divisionem facere decrevimus, ut post nostrum ab hac mortalitate decessum unusquisque illorum scire valeat, si eos divina pietas nobis superstites esse voluerit, quæ portio sibi ad tenendum atque gubernandum à nobis adsignata sit. Quam divisionem eo modo describere ac designare volumus, ut singuli juxta ordinationem nostram & fines Regni sui, qui in alienigenas extenduntur, cum Dei adjutorio defendere statuant ac studeant, & pacem ac fraternam caritatem inter se custodire valeant. Cujus divisionis modum atque ordinationem talem nobis facere placuit.* Huic Præfationi Goldastus quatuordecim capita publicam ad pacem spectantia subjicit, intermediâ hac notatiunculâ, *deest divisio atque ordinatio Regnorum.* In aliis editionibus habetur illa divisio post capita pacis publicæ, nec occurrit ratio, cur à Goldasto prætermitti debuerit, quamvis loco non suo posita videatur. Ordinem sequemur, quem prælaudatæ offerunt editiones. Ordiemur à pace publica.

* Pithœus, Goldast. nationi.

XXXIII. Caput primum. *Hac autem tali ordinatione disposuimus, ut si post nostrum de hac luce discessum aliquis eorum, priusquàm fratres sui, diem obierit, & talem filium reliquerit, quem populus ipsius eligere velit, ut patri suo succedat in Regni hæreditate, volumus ut hoc consentiant patrui ipsius pueri, & regnare permittant filium fratris sui in eo Regno quod pater ejus frater eorum habuit. Quòd si talem filium non habuerit, tunc volumus, ut illa pars Regni quam idem habebat, dividatur æqualiter inter illos fratres qui superstites remanserunt.* Breviùs in Testamento Caroli Magni. *Quòd si talis filius cuilibet istorum trium fratrum natus fuerit, quem populus eligere velit, ut patri suo succedat in Regni hæreditate, volumus ut hoc consentiant patrui ipsius pueri, & regnare permittant filium fratris sui in portione Regni, quam pater ejus eorum frater habuit.* E Charta Ludoviciana delendæ sunt hæ voces, *post nostrum de hac luce discessum*, absunt enim à Carolina, nec dubium, quin Ludovicus Præceptum patris imitari voluerit. In utroque Diplomate Regii liberi consortes tantùm Regiæ Dignitatis à patre constituuntur, ideóque Carolus & Ludovicus in suis Chartis Regio se titulo nullatenus abdicant. *Hac autem omnia*, inquiunt, *ita disposuimus, atque eo* [1] *ordine firmare* [2] *decrevimus, ut quandiu Divina Majestati placuerit nos hanc corporalem agere vitam, potestas nostra sit super à Deo conservatum Regnum atque Imperium istud, sicut hactenus fuit, in regimine atque ordinatione & omni dominatione Regali atque Imperiali; & ut obedientes habeamus prædictos dilectos filios nostros atque Deo amabilem populum nostrum cum omni subjectione, qua patri à filiis & Imperatori ac Regi à suis populis exhibetur.* Anno Redemptoris octingentesimo sexto, Carolus diviso tres inter filios Regno, si, priusquàm ipse decesserit, unus ex illis filiis moriatur relicto puero, quem populus pro defuncto patre consortem Regiæ Dignitatis ab avo fieri cupiat, illum vi ejusdem Testamenti demortuo patri successorem sufficit, vúltque patruos ejus in hoc consentire. Genuinus est hic Capituli Carolini sensus. Cave enim ne futuri Regis electionem in arbitrio populi positam suspiceris. Carolus cùm universum Franciæ Regnum tres in partes pro totidem filiis, Carolo, Pippino & Ludovico, divisit, in nepotem, qui priùs orbaretur patre quàm avo, nihil omnino juris transmisit, aliam editurus Constitutionem, si vellet illum cum patruis regnare, tamen in gratiam nepotis adhuc pueri subjecit annuere se, ut in eadem quâ pater Regni portione regnaret, si Rex postularetur à populo. Post qua-

[1] Carol. ex. [2] Ludovic. adfirmare.

AN. CH. 835. Ludov. Imp. 22. Lothar. Imp. 19. Pippini R. 21. Ludov. R. 19. Caroli R. 6.

driennium, id est, anno Redemptoris octingentesimo decimo, Pippinus Italiæ Rex, alter ejus filius, obiit relicto filio uxori ducendæ nondum idoneo, cui nomen Bernardus. Hic statim à patris obitu Rex Italiæ non est dictus, sed post triennium ex postremo avi Testamento, quod ad annum Redemptoris octingentesimum decimum-tertium [a] exposuimus. En exemplum, quo nihil ad explicationem Capituli Carolini potest aptius afferri. Ludovici mens eadem ac Caroli fuit, nec defuit exemplum, quo pariter constaret nihil juris à Ludovico transmissum in nepotem, qui priùs patrem quàm avum amisisset. Anno Redemptoris octingentesimo tricesimo-quinto, Ludovicus Regni sui ditiones, quantascumque extra Italiam positas obtinebat, tres in partes pro totidem filiis, Pippino, Ludovico & Carolo, separavit, & in generali Conventu Chartam istius divisionis apud Theodonis villam emisit. Anno pòst tertio Pippinus Aquitaniæ Rex, prædictorum filiorum natu maximus, ex hac vita discessit relictis liberis, Pippino & Carolo, quibus ex avi Ludovici Charta præcitata nihil juris accessit in Aquitaniam, ut ad annum Redemptoris octingentesimum duodequadragesimum infrà probaturi sumus. Horum nepotum melior fuisset conditio, si Ludovicus avus ante filios suos migrasset ex hoc seculo, Regnum enim Aquitaniæ ab eodem Ludovico ad Pippinum ejus filium, deinde à Pippino ad ejus filios Pippinum & Carolum hæreditario jure sine controversia transiisset. Ex Ludoviciana igitur Charta voces has expunge, *post nostrum de hac luce discessum*, & initium primi capitis ita restitue. *Hæc autem tali ordinatione disposuimus, ut si aliquis eorum* &c.

[a] N. 158

XXXIV. Caput secundum. *Placuit etiam inter prædictos filios statuere atque præcipere propter pacem & concordiam, quam inter eos perpetuò permanere desideramus, ut nullus eorum fratris sui terminos vel Regni limites invadere præsumat, neque fraudulenter ingredi ad conturbandum Regnum ejus vel marcas minuendas, sed potiùs adjuvet unusquisque illorum fratrem suum, prout temporis opportunitas permiserit, & auxilium ei ferat contra inimicos ejus juxta rationem & possibilitatem.* Huic capiti respondet primum Carolinum, quod in fine tantùm sic differt. *Adjuvet unusquisque illorum fratrem suum, & auxilium ei ferat contra inimicos ejus juxta rationem & possibilitatem sive infra patriam sive contra exteras nationes.*

XXXV. Caput tertium. *Nec aliquis ullum hominum fratris sui pro quibuslibet causis vel culpis ad se confugientem suscipiat ad intercessionem pro eo faciendam, quia volumus ut quilibet homo peccans & intercessione indigens intra Regnum Domini sui vel ad loca sancta, vel ad honoratos homines confugiat & inde justam intercessionem mereatur.* Secundum caput Caroli, quod huic persimile est, sic incipit. *Neque aliquis illorum hominem fratris sui pro quibuslibet causis sive culpis ad se confugientem suscipiat*, &c.

XXXVI. Caput quartum duas in partes distinguitur. Prima similis est tertio capiti Carolino, cujus editionem utpote clariorem damus, rejectis in oram lectionibus Ludovici, quæ differunt. *Similiter præcipimus, ut quemlibet [1] liberum hominem, qui Dominum suum contra voluntatem ejus dimiserit, & de uno Regno in aliud profectus fuerit, neque ipse Rex suscipiat, neque hominibus suis consentiat, ut talem hominem recipiant, vel injustè retinere præsumant. Hoc [2] non solùm de liberis, sed etiam de servis fugitivis statuimus ordinandum [3], ut nulla discordiis relinquatur occasio.* Altera pars abest à capite Carolino, sic autem legitur in Ludoviciano. *Sed & hoc præcipimus, ut nullus ex his tribus fratribus, nobis in corpore consistentibus, vel nostrum vel cujuslibet alterius hominem sacramentum fidelitatis sibi promittere faciat, & per hoc eum vel à nobis vel ab altero Domino suo per hujusmodi sacramentum avertat & ad se adtrahat.*

[1] Ludovic. quemlibet illum, qui

[2] Ludovic. Nec solùm de illis, sed etiam

[3] Ludovic. observandum,

XXXVII. Capita, quintum, sextum, septimum, octavum, nonum & decimum, simillima sunt Carolinis, quarto, quinto, sexto, septimo, octavo & nono. Videtur tamen observandum, quòd Carolus vult, ut ad rei dubiæ decla-

AN. CH. 835. LUDOV. IMP. 22. LOTHAR. IMP. 19. PIPPINI R. 21. LUDOV. R. 19. CAROLI R. 6.

rationem Dei voluntas & rei veritas *judicio Crucis* inquiratur, Ludovicus *vexillo Crucis*, uterque, ut existimamus, eâdem judicii formâ.

XXXVIII. Caput undecimum cum decimo Carolino convenit. Ludovicus exemplum patris secutus filiis suis curam & defensionem cùm Ecclesiæ Romanæ tum aliarum commendat. Carolus in suo Testamento sic loquitur. *Super omnia autem jubemus, ut ipsi tres fratres curam & defensionem Ecclesiæ Sancti Petri simul suscipiant, sicut quondam ab avo nostro Karolo, & bonæ memoriæ genitore Pippino Rege, & à nobis posteà suscepta est, ut* &c. *Similiter & de ceteris Ecclesiis, quæ sub illorum potestate fuerint, præcipimus, ut* &c. Ludovicus in suo Præcepto, sic. *Super omnia autem jubemus, ut ipsi tres fratres curam & defensionem Ecclesiæ Sancti Petri simul suscipiant, sicut quondam à proavo nostro Karolo, & avo nostro Pipino, & beatæ memoriæ genitore nostro Karolo Imperatore, & à nobis posteà suscepta est, ut* &c. *Similiter de ceteris Ecclesiis, quæ sub illorum potestate fuerint, præcipimus, ut* &c.

XXXIX. Caput duodecimum idem est cum undecimo Carolino, cujus editionem, quia magis arridet, hîc subjicimus. *Quòd si de his statutis atque convenientiis * aliquid casu vel ignorantiâ, quod non optamus, fuerit irruptum, præcipimus ut quamcitissimè secundùm justitiam emendare studeant, ne fortè propter dilationem majus damnum possit accrescere.*

* Ludovic. consensiis

XL. Caput decimum-tertium duas in partes distribuitur. Priorem, quæ decimo-quinto capiti Carolino similis est, suprà descripsimus [a], cùm observaremus Regios liberos consortes tantùm Regiæ Dignitatis constitutos fuisse cùm à Carolo tum à Ludovico, quorum uterque servato Imperatoris ac Regis nomine, quandiu viveret, filios suos ac populum obedientes habere voluit *cum omni subjectione, quæ patri à filiis & Imperatori ac Regi à suis populis exhibetur.* Posteriorem partem nunc accipe. *Et si aliquis ex his tribus filiis nostris per majorem obedientiam ac bonam voluntatem imprimis Deo Omnipotenti ac posteà nobis placere cupiens, morum probitate promeruerit, ut ei majorem honorem ac potestatem conferre delectet, & hoc volumus ut in nostra maneat potestate, ut illi de portione fratris sui, qui non placere curaverit, & Regnum & honorem ac potestatem augeamus, & illum talem efficiamus, qualiter ille propriis meritis dignus ostenderit.* Hanc posteriorem partem, cui nihil in Testamento Carolino simile reperitur, adjecit Ludovicus, ut unumquemque trium filiorum, inter quos Regnum dividebat, magis in officio contineret, sibique redderet addictiorem.

[a] Hoc an. n. 33.

XLI. Caput decimum-quartum simile est decimo-quarto Carolino, quod unà cum aliis, quæ supervacaneum duximus hîc denuò repetere, habes Tomo superiore in Testamento Caroli [b].

[b] Ad an. 806. an. 5. & seqq.

XLII. In editionibus, Pithœana, Duchesniana & Baluziana, sequitur tripertitia Regni divisio, quæ non debuit à Goldasto prætermitti. Tribus constat capitibus, quæ totidem Ludovici filiis distincta tribuunt Regna, servato nativitatis ordine; primum enim est de Regno Aquitaniæ, quod datur Pippino natu maximo; secundum de Regno Bojoariæ, quod Ludovico alteri filio conceditur; tertium de Regno Alamanniæ, quod Carolo natu minimo confertur. Tria hæc Regna, in quorum consortium à Ludovico patre Pippinus, Ludovicus & Carolus adsciscuntur, omnes Franciciæ Monarchiæ provincias extra Italiam sitas comprehendunt, ut patet ex posteriori parte capitis decimi-tertii de pace publica suprà descripti, quâ Ludovicus Augustus in sua manere vult potestate, ut cuipiam ex prædictis tribus filiis, qui per majorem obedientiam ac bonam voluntatem imprimis Deo Omnipotenti ac posteà patri placere cupierit, Regnum ac honorem augeat de portione alterius filii, qui Deo patrique placere non adeò curaverit.

XLIII. Primo capite Ludovicus Aquitanico Regno præter omnem Aquitaniam quicquid Ligerim & Sequanam interjacet cum pagis duodetriginta, nostro

respectu cis Sequanam, Aquitaniæ respectu trans Sequanam sitis, sic attribuit. *Ad Aquitaniam totam inter Ligerim & Seqnanam, & altra Sequanam pagis* XXVIII, *id est, Catalonis, Meltiannm, Ambianensis & Pontium asqae in mare.* Nihil hic obscurum, vel scitu difficile, præter enumerationem pagorum, qui dicuntur esse duodetriginta, quamvis quatuor tantùm numerentur. Hi sunt, Catalaunensis, Meldensis, Ambianensis & Pontivus. Catalaunum, civitas ad Matronam, nomen dat pago Catalaunensi. Meldi * seu Meltis ad eundem fluvium nomen fecit pago Meldensi seu Meltiano. Ambianum ad Somonam caput est Ambianensis pagi. Pontius seu Pontivus * pagus inter amnes Somonam & Alteiam situs est, atque ad Ambianensem Diœcesim totus pertinet. Horum quatuor pagorum delineatio Regnum Aquitaniæ non tantùm à Pyrenæis montibus ad Ligerim atque ad Sequanam, sed etiam ad Matronam, ad Somonam & ad Alteiam extendit per Diœceses Autissiodorensem, Senonensem, Tricassinam, Catalaunensem, Meldensem, Parisiensem, Silvanectensem, Rotomagensem, Bellovacensem, Suessionensem, & Ambianensem. Nec dubium nobis videtur, quin hæ Diœceses pagos amplexæ sint XXVIII, ut habent editiones suprà laudatæ, quamvis Hadrianus Valesius admittat tantùm XVIII in Noritia Galliarum, cùm de Ponrivo sermonem instituit.

AN. CH. 835. LUDOV. IMP. 22. LOTHAR. IMP. 19. PEPPINI R. 21. LUDOV. R. 19. CAROLI R. 6.

* Meaux.

* Le Pontieu.

XLIV. Secundo capite Ludovicus Regnum Bojoariæ per provincias & pagos sic describit. *Ad Bajuvariam totam Toringiam, Ribaarias, Atoarias, Saxonia, Frisia, Ardenna, Asbania, Bragmento, Franderes, Menpiscon, Medenenti, Amau, Osterbau, Aderten, Tervanensis, Bolensis, Qaentovico, Camalecensis, Virdomadensis.* De Toringia, Saxonia, & Frisia, notissimis regionibus ultra Rhenum sæpè disseruimus. Ribuarias etiam & Atoarias trans eundem Rhenum à Ludovico poni suspicamur. Hujus enim capitis duæ videntur esse partes; una, quæ provincias Trans-Rhenanas, putà Toringiam, Ripuarias, Atoarias, Saxoniam & Frisiam complectatur; altera, quæ Cis-Rhenanas regiones, Ardennam, Hasbaniam, ceterásque suprà nominatas comprehendat. Riparios seu Ripariolos, qui corruptè Ripuarii, Ribuarii, Riboarii, & Ribuerii vocantur, Hadrianus Valesius à ripa Rheni dextra seu Germanica quam incolebant cognominatos scribit, posteàque transgressos in Galliam. Nihil autem vetat quominùs vetus illorum trans Rhenum patria nomen Ripariæ vel Ripariarum, corruptè Ribuariæ vel Ribuariarum, Ludovico Pio Imperatore retinuerit. Riparios primùm distinguimus in Trans-Rhenanos & Cis-Rhenanos, deinde hos dividimus in Superiores & Inferiores; collocamúsque Superiores inter Rhenum & Mosellam ad ripas Rheni, Blesæ, Saravi & Mosellæ; Inferiores inter Rhenum & Mosam ad ripas Rheni, Ruræ & Mosæ; omnes autem attribuimus Regno Bojoariæ, seu Trans-Rhenani sunt aut Cis-Rhenani, seu superiores aut inferiores appellantur. Triplicis quoque generis sunt Attuarii sive Attoarii vel Hattuarii; alii trans Rhenum Chattis olim finitimi dictique Chattuarii, quorum nomen oppidum *Hatterch* ad Lupiam fluvium etiamnum retinere creditur; alii cis Rhenum effusi, partim in finibus Lingonum consederunt, partim ad amnem Nersam, qui Rhenum inter ac Mosam medius defluit, atque in Mosam apud Gennapium egeritur. Bojoariæ Regno accensendi sunt Attuarii Trans-Rhenani, necnon & Cis-Rhenani ad amnem Nersam inter Rhenum ac Mosam, sed qui sedes in Episcopatu Lingonensi fixerunt, attribuendi sunt Alamanniæ Regno, cui Burgundiam, ubi Lingones, adjunxit Ludovicus, ut dicemus infrà. Inter instrumenta publica, quæ rerum Burgundicarum Historiæ conducere plurimùm possunt, Stephanus Perardus Chartas non paucas evulgavit, quæ pagum * Attoariorum in Diœcesi Lingonensi memorant, & in Chronico Lingonensi Jacobus Vignerius eundem pagum Attoariorum, cujus mentionem ad annum

* Le Pais d'Attuan

AN. CH. 835. LUDOV. IMP. 22. LOTHAR. IMP. 19. PIPPINI R. 21. LUDOV. R. 19. CAROLI R. 6.

Christi septingentesimum septuagesimum-quintum [a] Tomo sexto fecimus, prope Besuam * collocat. Ceteri pagi, quos Regno Bojoariæ Ludovicus Augustus attribuit, positi sunt cis Rhenum. *Ardenna* sive Arduenna, cùm ab Arduenna sylva cognominetur, situm suum suo nomine satis prodit. De *Asbania* sive Hasbania egimus Tomo quinto ad annum Christi septingentesimum quadragesimum-secundum [b]. De Bracbanto, corruptè *Bragmento*, recentioribus Brabantia, egimus Tomo tertio ad annum Christi sexcentesimum quadragesimum [c]. De Flandria, quæ viriosè *Franderes*, egimus Tomo primo ad annum Christi quadringentesimum quinquagesimum-sextum [d]. *Menpiscon* seu pagus Menpiscus, pagus est Menapiorum, qui Morinis & Flandris proximi dicuntur. Pagus *Medenenti*, seu pagus Medenantensis vel Medenentensis, tecentrionibus est Melanthoissa regio, de qua consule Tomum tertium ad annum Christi sexcentesimum quinquagesimum [e]. *Aman* depravatè scribitur, restitui debet *Ainau*, id est, Hainoum, sic nuncupatum ab Haina sive Aina fluvio, qui mediam regionem, Hannoniam hodie dictam, secat. *Osterban* seu pagus Austrebantensis, vel Austerbantus, aut Austerban, sive Ostrebannus, & Ostrebantus, de quo consule Tomum Tertium ad annum Christi sexcentesimum quadragesimum-quintum [f]. *Adertem* seu pagus Adertensis sive Adartisus vel Adartesus, posteris Adartesia & Artesia, cujus caput Atrebatum. *Teruuanensis* seu Teruanensis vel Taruennensis pagus, cujus caput Taruenna. *Bolensis* seu Boloniensis vel Bononiensis pagus, cujus caput Bononia. *Quentovico* nomen est ab amne Quantia seu Quanra vel Quento, quasi dicas Vicum ad Quentam seu Quentum. Pagus Camaracensis seu Cameracensis, corruptè *Camalecensis*, caput habet Cameracum. Pagus Viromadensis, vitiosè *Virdomadensis*, ubi Noviomum Episcopali Sede conspicuum.

[a] Num. 22. * B:se. [b] Num. 54. [c] Num. 4. [d] Num. 7. [e] Num. 9. [f] Num. 4.

XLV. Tertio capite Ludovicus Regnum Alamanniæ sic attingit. *Ad Alamanniam, totam Burgundiam excepto quod Pipino datum est, totam Provinciam, & totam Gotiam, & de ista media Francia Warensis, Ungensis, Castrensis, Potiano, Remegensis, Landunensis, Mosellis, Treveris.* Alamanniæ trans Rhenum sitæ conjungit Burgundiam, Provinciam, Gothiam, & aliquot pagos mediæ Franciæ. Burgundia, priusquàm Francis parere cœpisset, Reges habuit; Regium quoque Titulum sub Meroveadis Francorum Regibus gessit, seu toti Franciæ Monarcha, seu Franciæ duo vel tria in Regna separatæ duo tresve Reges imperarunt. Angustioribus modò limitibus, modò spatiosioribus, pro temporum vicissitudinibus circumscripta reperitur, fines enim Austriæ, Neustriæ ac Burgundiæ certi non erant ac fixi, frequentérque mutabantur seu variis eventibus bellorum seu diversis Regnorum partitionibus, ut multis exemplis sæpiùs ostendimus. Ætate Ludovici Pii, Burgundia complures, qui vel Austriæ vel Neustriæ quondam fuerant, pagos seu Comitatus complectebatur; Ortum versùs per Rhenum ab Alamannia, Meridiem versùs à Provincia per Rhodanum, Occasum versùs ab Aquitania per Ligerim & à Neustria per lineam à Ligeri ductam ad Sequanam, Septentrionem versùs ab Austria disterminabatur per Suram qui sinistram Mosellæ ripam supra Treviros subit. In definiendis Burgundiæ limitibus tota penè difficultas consistit in linea, quam à Ligeri trahendam ad Sequanam diximus. Lineam illam ad Occasum Stamparum, Castrorum, ac Lutetiæ designandam arbitramur, quia præter alios Burgundiæ pagos non paucos quos anno Redemptoris octingentesimo triccsimo-septimo Ludovicus Augustus Carolo filio suo tribuit, hi quinque postremi cùm apud Nithardum libro primo, tum apud Annalistam Bertinianum anno prædicto, recensentur in eadem Burgundia, Wastinensis, Milidunensis, Stampensis, Castrensis & Parisiacus, quorum tres priores ad Senonensem pertinent Archiepiscopatum, duo posteriores ad Episco-

AN. CH. 835. LUDOV. IMP. 22. LOTHAR. IMP. 19. PIPPINI R. 21. LUDOV. R. 19. CAROLI R. 6.

patum Parisiensem. Idem Ludovicus Imperator in tertio capite, quod examinamus de tripertita divisione Regni extra Italiam positi, totam Alamanniæ Regno Burgundiam non attribuit, excipit enim id *quod Pipino* Aquitaniæ Regi *datum est.* Data est autem Pippino pars Regni Burgundici, quæ Ligerim & Sequanam necnon & Sequanam atque Mosellam interjacet. Hæc de Burgundia. Per Provinciam intellige quicquid Alpes, Rhodanum, & mare Mediterraneum interjacet. Gothiæ nomine, Septimaniam accipe cum adjacente Marca Hispanica Insulisque Balearibus. Præterea Regnum Alamannicum per mediam Franciam Comitatibus augetur octo, quorum situm paucis exponemus. Pagus Vabrinsis ad ripas Alisontiæ *, Ornæ, & Cari, inter Mosellam ac Mosam latè patet, variis modis effertur, Wabrensis, Wabrinsis, Vaprensis, Waptensis, Waurensis, Vaurensis, Wauerensis, Waberensis, Wabarensis, Wauariensis, Vajurensis *, corruptè *Warensis.* Pagus Vongensis seu Vonzensis vel Vonciacus, vitiosè *Ungensis*, nomen accepit à Vongo * vico ad Axonam. Castrensis pagus, longè diversus ab eo, quem in Episcopatu Parisiensi suprà laudavimus, situs est ad Mosam & ad Barum qui Mosæ infra Doneherium à læva immiscetur. Pagus Portianus seu Poreensis aut Porticensis, corruptè *Potianus*, dicitur, ejus caput Castrum * Portianum ad Axonam infra Reiteste *. Sequuntur Comitatus, *Remensis* corruptè *Remegensis*, Laudunensis, Mosellanus corruptè *Mosellus*, & Trevirensis corruptè *Treviris*, à Remis Belgicæ secundæ Metropoli, à Lauduno urbe Episcopali, à Mosella fluvio, & à Treviris Belgicæ primæ Metropoli, sic appellati.

* *Elsitz.*
* *Le païs de Vavvre.*
* *Vonsi sur Aisne.*
* *Chasteau Porcien.*
* *Retel.*

XLVI. Qui prædictam Regni divisionem ediderunt, omnes illam arbitrati sunt mutilam atque imperfectam, & post vocem *Treviris*, in qua desinit, adjecerunt asteriscos cum hac notariuncula. *Hic vetustissima membrana deficit.* Nos opus integrum suisque numeris absolutum censemus. Ditiones enim Francorum, quantæcumque sunt extra Italiam, sub hac tripertita divisione continentur. Pippini Regnum à Pyrenæis montibus, quà Novempopulaniam seu Vasconiam vel tertiam Aquitaniam ab Hispania dividunt, protenditur usque ad Matronam qui rigat Catalaunum, imò usque ad Somonam qui lavat Ambianum, necnon & usque ad Alteiam per pagum Pontivum qui situs est inter Somonam & Alteiam. Ludovici Regnum ab ultimis Bojoariæ finibus per Germaniam ad mare usque Balticum, ad terminos usque Daniæ, & ad Oceanum usque dilatatur, deinde eis Rhenum per Galliam Belgicam usque ad Quentovicum Pontivo conterminum. Caroli Regnum Alamanniam trans Rhenum, cis eundem fluvium Galliam Narbonensem seu veterem Provinciam Romanorum, cum Marca Hispanica trans Pyrenæos montes, & Balearibus Insulis in mari mediterraneo; item in Gallia Celtica maximam Burgundiæ partem, & in Belgica multos Comitatus ad Mosellam, ad Mosam, ad Axonam, ad Vidulam, & ad alios intermedios amnes complectitur.

XLVII. In hac divisione Ludovicus Augustus Caroli patris exemplo Regnum inter filios sic partitur, ut auxilio sibi mutuo possint esse, quotiescumque necessitas postulabit. Quamvis enim Regnum Caroli medium sit inter alia duo, & ut Bojoarico ab Ortu sic & Aquitanico cingatur ab Occasu, tamen hæc tria Regna Septentrionem versùs in Gallia Belgica fiunt collimitanea. Contiguæ sunt inter se Diœceses Suessionensis, Noviomensis & Laudunensis, totidem autem Regnis accensentur, Suessionensis ponitur in sorte Pippinina, Noviomensis in Ludoviciana, Laudunensis in Carolina. In eadem partitione notandum quoque videtur, cur Ludovicus & Carolus Regnis Lothariano conterminis donentur, Pippinus nequaquam. Id consultò factum putamus ab Imperatore, quia Pippino non ita fidebat ac Ludovico. Certè Pippinus in patrem multò graviùs ac frequentiùs quàm Ludovicus peccavit, factionémque Lotharianam sæpiùs atque ardentiùs

AN. CH. 835.

fovit. Res ab anno Redemptoris octingentesimo tricesimo gestas suisque locis descriptas non repetemus. Hæc sufficiant de Regni divisione in Conventu apud Theodonis villam facta, cujus epocham aliis adjecimus in hujus anni titulo primum ab ea numerantes annum trium Regum, Pippini videlicet, Ludovici & Caroli.

XLVIII. *Verendarius Ep. Curiensis Sedi suæ restituitur.*

In illo Placito aliud indictum est hoc eodem anno Wormatiæ post Pentecosten celebrandum. Neutri Lotharius interfuit. Wormatiam Pippinus & Ludovicus Reges profecti sunt. Atque inde observa quanta tunc inter Ludovicum Imperatorem trésque filios, quibus Regnum nuperrimè diviserat, intercederet amicitia. Lotharius ex mandato patris in Italia degebat, ubi multa gessit hoc anno laude dignissima. Verendarium Curiensem Episcopum Sedi suæ restituit, ut Bucelinus in Chronologia Rhætiæ testatur, & ante biennium jam insinuavimus. Munificum ergà Casinense Monasterium & Authpertum Abbatem se præbuit. Audi Leonem in Chronico Casinensi [a]. *Huic nempe Authperto Abbati, Lotharius Rex Francorum, filius supradicti Ludovici, Præceptum fecit confirmans omnia, quæ huic sacro Cœnobio tam à Regibus quàm à Principibus* seu Præfectis *collata hactenus fuerant. Pratum etiam magnum, qui vocatur Cervarius, & servos, & hæreditates plurimas fisco suo pertinentes, in pago Marsorum, alio Præcepto in hoc Monasterio confirmavit.*

[a] Lib. 1. c. 25. vet. edit. c. 23. novæ edit.

Lotharius munificus erga Mon. Casinense.

XLIX. Angelus de Nuce in Notis ad hunc textum observat duo hæc Lotharii Præcepta in Regesto Petri Diaconi sub numeris centesimo decimo & centesimo undecimo reperiri, & primum datum fuisse *nono Calendas Martias, anno Imperii 17, Indict. 13, in Papia civitate*, additque designari per hujuscemodi Characteres *annum Christi 835.* Quæ dicta sunt anno priore de Lothario post redintegratam pacem in Italiam dimisso, facilè persuadent illum nono Kalendas Martias hoc anno moratum esse Papiæ, nec infitiamur Indictionem decimam-tertiam huic eidem anno per mensem Februarium illigari. Quapropter annum Imperii Lothariani decimum-septimum, qui nono Kalendas Martii cum anno Redemptoris octingentesimo tricesimo-quarto componitur, expungendum arbitramur, ejúsque loco substituendum censemus annum Imperii Lothariani decimum-octavum, qui nono Kalendas Martii cum anno Redemptoris octingentesimo tricesimo-quinto comparatur. Istius emendationis ratio vel ex eo manifestissimè patet, quòd anno Redemptoris octingentesimo tricesimo-quarto Lotharius, ut rerum illo anno gestarum accurata series edocet, mense Februario procul aberat à civitate Papiensi.

L. *Contentio inter Patriarchas Foro-Juliensem et Gradensem.*

Cùm autem Papiæ degebat, inter Patriarchas, Maxentium videlicet Aquileïensem seu Foro-Juliensem & Venereum Gradensem, magna hoc anno vertebatur in Italia contentio, de qua quid Dandulus & Candidus scripserint, imprimis animadvertendum videtur. *Maxentius Patriarcha Aquileïensis, Lotharii Regis fultus favore, Gradensem Ecclesiam & Suffraganeos Istriæ turbare nititur, nec à Gregorio Papa admonitus desistere voluit, imò repetito seculari subsidio antedictos Episcopos ad sibi reverentiam & subjectionem Metropolitano debitam exhibendam, in totum coegit.* Ita Dandulus. Sic verò Candidus. *Successit Maxentius, ad cujus suasionem, curante Lothario, Eugenius II Pontifex Concilium Mantuæ statuit, in quo Gradensis Insula Aquileïensi Ecclesiæ adjudicata est, Venereo, qui falsò Patriarchatûs nomine utebatur, deposito.* Ambos hos Auctores Ughellus Tomo quinto Italiæ Sacræ in Maxentio Aquileïensi Patriarcha transcripsit, deinde quid illa de controversia sentiret, eodem Tomo in Venereo Gradensi Patriarcha sic exposuit. *Venereus in Rivo-alto natus, ex patre Boetio Trasmundo sive Scornato, in defuncti Fortunati locum primus ex Veneta gente Patriarcha constitutus an. 830, Ecclesias multas antea vi bellorum dirutas restituit, cujus tempore Maxentius Aquileiensis Patriarcha, Lotharii Imp. suffultus favore, Episcopos Istriæ Gradensi Ecclesiæ subtrahere conatus,*

natus, nec Gregorii quidem Quarti Pontificis interdicto quievit. Ughellus in hoc textu Dandulum Candido rectè præfert, & Lotharium, quem Dandulus Regem vocavit, haud immeritò nuncupat Imperatorem, illum enim Ludovicus pater à multis annis in consortium Imperatoriæ Dignitatis adscivit. Duæ res apud Candidum egent examine; Venerii seu Venerei Patriarchatus & Synodus Mantuana. AN. CH. 835. LUDOV. IMP. 22. LOTHAR. IMP. 19. PIPPINI R. 21. LUDOV. R. 19. CAROLI R. 6.

Venerius *falsò Patriarchatûs nomine* non usus est, in Gradensem enim Patriarchatum Fortunato legitimè successit, atque, ut Ughellus subdit, *Pallii & omnium jurium & Privilegiorum antea à prædecessoribus Gregorii* Papæ *Gradensi Ecclesiæ concessorum confirmationem* impetravit ut & Regiorum Præceptorum *à Ludovico & Lothario* Augustis, antequàm lis inter illum ac Maxentium Aquileïensem Patriarcham oborireturur. De Patriarchatibus Aquileïensi seu Foro-Juliensi & Gradensi fusè disseruimus ad annum Christi septingentesimum septuagesimum-quartum [a], quo Carolus Francorum Rex Longobardiam subegit. Tunc Patriarcha Foro-Juliensis erat Siginaldus, Gradensis Joannes. Siginaldi successores ad hunc usque annum fuerunt, Paulinus, Urbanus & Maxentius, de quibus suprà locuti sumus, quia Foro-Juliensis provincia paruit Francis ex quo Longobardiam perdomuerunt. Post Joannem in Gradensi Cathedra sederunt Fortunatus & Venerius. Ad Gradensem provinciam, cùm Franci Regnum Longobardorum extinxerunt, pertinebant marina Venetia quæ liberi juris erat & Istria quæ Græcorum Imperatori parebat. In marina Venetia præter Gradum Episcopales hæ civitates conspiciebantur, Torcellum, Heraclea, Metamaucum, Equilium, Olivola & Caprulæ; in Istria Tergestum, Justinopolis, Æmonia, Parentium, Petinum & Pola. Post annos quindecim, cùm Joannes Patriarcha Gradensis adhuc erat, anno Christi septingentesimo undenonagesimo à Græcis ad Francos atque à Gradensi Patriarchatu ad Foro-Juliensem transiit Istria, deinde rediit ad Gradensem anno Redemptoris octingentesimo quinto, cùm Fortunatus Patriarchali Dignitate jam gaudebat, idque factum observavimus [b] annuente Carolo Augusto, cui nondum subjiciebatur Gradus. Patriarchalis hæc civitas in ejusdem Caroli ditionem anno Redemptoris octingentesimo decimo venit, ac deinceps sub Fortunato & Venerio Patriarchis in Francorum potestate permansit, donec ortis Ludovicum Augustum inter ejúsque filios discordiis, quas superioribus annis commemoravimus, iterum dominationi Venetorum se summisit. Inde datum disceptationi locum putamus, utrùm Gradensis an Foro-Juliensis Patriarcha jus Metropoliticum per Istriam imposterum exercere deberet. LI.

[a] No. 96. & seqq.

[b] Tom. 7. ad an. 805. n. 1.

LII. Venerius Gradensis Patriarcha, seu Francis seu Venetis subjaceret Gradus, Istriam aiebat huic Metropoli subesse, suámque opinionem confirmabat exemplo non longè petito, anno enim Redemptoris octingentesimo quinto, cùm Gradus in potestate Venetorum esset, Carolus Magnus Istriam, quam Græcis eripuerat ante annos sexdecim, & provinciæ Foro-Juliensi tunc attributam esse voluerat, Gradensi Patriarchatui rursum restitui permisit, à Leone Tertio Papa, ut id fieret, apud Aquisgranum rogatus. Maxentius Patriarcha Foro-Juliensis, postquàm Veneti Gradum recuperarunt, Istriam, cui Franci dominabantur, ad provinciam Foro-Juliensem revocare studuit, allegato Caroli Magni exemplo, qui statim ac eandem Istriam Francicis ditionibus adjecit, illius Diœceses avulsit à Patriarchatu Gradensi subjecítque Foro-Juliensi, ne Metropolim extra Franciæ fines positam venerarentur. Maxentio favit Lotharius Augustus. A multis enim retrò seculis atque ab ipsa ætate Clodovei Magni mos invaluerat, ut Episcopi Francorum non summitterentur Metropolitæ, qui Sedem suam intra Franciæ terminos non haberet, &, si secus quid actum anno Redemptoris octingentesimo quinto, id indulgentiæ Caroli Magni tribuendum.

AN. CH. 835. Deinde Venerius, quia patriâ Venetus, apud Francos in proditionis suspicionem facilè venit, addequòd Fortunati decessoris nuper tumultuati recens erat memoria.

LUDOV. IMP. 22. LOTHAR. IMP. 19. PIPPINI R. 21. LUDOV. R. 19. CAROLI R. 6.

Ex his observationibus nemo non intelligit, quomodo apud Dandulum *Maxentius Patriarcha Aquileiensis* seu Foro-Juliensis, *Lotharii Regis fultus favore, Gradensem Ecclesiam* Patriarchalem *& Suffraganeos Istriæ turbare nititur,* & apud Ughellum *Lotharii Imp. suffultus favore, Episcopos Istriæ Gradensi Ecclesiæ subtrahere conatus* dicitur. Causâ superior evasit Maxentius, &, teste Dandulo, *antedictos Episcopos ad sibi reverentiam & subjectionem Metropolitano debitam exhibendam in totum coegit.* Cave tamen ne scriptis Candidi deceptus arbitreris Gradensem Insulam Aquileiensi seu Foro-Juliensi Ecclesiæ adjudicatam fuisse, *Venereo, qui falsò Patriarchatûs nomine utebatur, deposito.* Venereus haud ejectus fuit è Patriarchatu, mansit Gradensis Patriarcha sed Diœcesi seu provinciâ valdè imminutâ, nam qui priùs Istriæ marinæque Venetiæ præerat, solam deinceps Venetiam rexit.

LIII.

LIV. Ne quid difficultatis hoc loco superesse videatur, rationem paucis damus, cur Maxentium, quem Dandulus, Candidus & Ughellus Aquileiensem Patriarcham vocant, Foro-Juliensem appellemus. Atila Hunnorum Rex Aquileiam Metropolim funditus evertit, Nicetâ tunc Aquileiensi Metropolitâ, cujus tamen successores inibi manserunt Templo & Pontificali Palatio testauratis, & paulò ante Longobardorum adventum in Italiam Patriarchale nomen more Græcorum & Orientalium sibi vendicarunt. Adventante Alboïno Longobardorum Rege Paulus seu Paulinus Aquileiensis Patriarcha cum Ecclesiæ suæ thesauris in Gradensem Insulam concessit. Dein Gradus Aquileia nova dicta est, & Helias, qui Paulino post Probinum proximè successit factus est Patriarcha Gradi seu novæ Aquileiæ, Patriarchali Sede Gradum translatâ. Post Heliam sedit Severus. Hoc autem mortuo, Patriarchæ duo facti sunt, unus Gradi, alter Aquileiæ veteris. Aquileienses Patriarchæ, quia sibi timebant à Græcorum incursionibus, apud oppidum, cui nomen Cormones, inter Forum-Julii & Gradiscam morati sunt, donec Calistus Sedem Patriarchalem apud Forum-Julii constituit. Abhinc ut Gradenses à Grado sic à Foro-Julii Foro-Julienses dicti sunt Patriarchæ, & Carolus Magnus, qui Forum-Julii profligatis Longobardis anno Christi septingentesimo septuagesimoquarto, Gradum pulsis Venetis anno Redemptoris octingentesimo decimo subegit, in Testamento, quod anno Redemptoris octingentesimo undecimo condidit, inter Regni sui Metropoles quarto loco Forum-Julii, quinto Gradum numeravit nullâ prorsus Aquileiæ factâ mentione. Nec te moveat quòd abstinuerit à nomine Patriarchatûs, & Forum-Julii cum Grado Metropoliticis seu Metropolitanis civitatibus accensuerit. Etenim ubi sermo fit de Aquileia, de Grado, de Foro-Julii, déque illarum civitatum Antistitibus, ex quo Metropolitanus Aquileiensis Patriarcham se more Græcorum & Orientalium nuncupavit, Metropolis & Patriarchatus, Metropolitanus & Patriarcha promiscuè solent usurpari. Quapropter apud Dandulum jam citatum Maxentius Patriarcha Foro-Juliensis Episcopos Istriæ cogit ad exhibendam sibi reverentiam & subjectionem *Metropolitano* debitam.

LV. CONCILIUM MANTUANUM. Candidus in textu, quem suprà descripsimus, causam, quæ Gradensem inter & Aquileiensem seu Foro-Juliensem vertebatur, agitatam dicit in Concilio Mantuano temporibus Eugenii Papæ. Donesmundus ejusdem Synodi meminit in Historia Mantuana [a] ut & Ughellus in multis locis Italiæ Sacræ. Tria hoc de Concilio sunt inquirenda; quo anno celebratum sit, à quibus Episcopis, & quo exitu.

[a] Lib 1.

LVI. QUANDO CELEBRATUM. Ferdinandus Ughellus Tomo primo Italiæ Sacræ in Erfulso Mantuano Episcopo sic scripsit. *Hujus Episcopi temporibus Patriarcha Aquileiensis seu*

AN. CH. 835. LUDOV. IMP. 22. LOTHAR. IMP. 19. PIPPINI R. 21. LUDOV. R. 19. CAROLI R. 6.

Foro-Juliensis, *Mantua coegit Concilium ex auctoritate Eugenii Secundi Pontificis, anno 828.* Sed ubi advertit Eugenium ad annum Redemptoris octingentesimum duodetricesimum haud pervenisse, mutatâ sententiâ reposuit annum Redemptoris octingentesimum vicesimum-quartum Tomo secundo in Episcopis Parmensibus, Regiensibus, Ferrariensibus ac Faventinis, & Tomo quarto in Episcopis Cremonensibus ac Vercellensibus. Deinde Tomo quinto in Patriarchis Aquileiensibus idem Concilium *habitum* dixit *ex auctoritate Eugenii Papæ II, anno 826*, & quæ Tomo primo præmiserat, sic emendavit. *De eo*, inquit, *Concilio suprà egimus in primo Tomo in Episcopis Mantuanis, ubi corrige, anno 828, ac repone 826, qui ultimus fuit Eugenii II.* Eodem tamen Tomo quinto, cùm sermonem habuit de Suffraganeis Aquileiensis seu Foro-Juliensis Patriarchæ, rediit ad annum Redemptoris octingentesimum vicesimum-quartum in Episcopis Cenetensibus, Feltrensibus, Patavinis ac Veronensibus. Eugenius Secundus Papa sedere cœpit mense Maio, anno Redemptoris octingentesimo vicesimo-quarto, vitámque clausit mense Augusto, anno Redemptoris octingentesimo vicesimo-septimo. Hæc Tomo superiore probavimus [a], nec ab illo computo recessit Ughellus in Romanis Pontificibus [b]. Hic igitur Auctor ut annum primum Pontificatûs Eugeniani cum anno Redemptoris octingentesimo vicesimo-quarto, sic & ejusdem Pontificatûs annum ultimum cum anno Redemptoris octingentesimo vicesimo-septimo comparare potuit. Id Tomo quoque quinto in mente nonnumquam habuit, factâ jam emendatione, quam ex Aquileiensium Patriarcharum Catalogo descripsimus. Concilium enim, de cujus epocha disputamus, anno Redemptoris octingentesimo vicesimo-septimo consignavit in Episcopis Tarvisinis, Bellunensibus, & Concordiensibus. Idem Nomenclator Tomo secundo asseruit de Vitale Comaclensi Episcopo, quòd *interfuit Mantuano Concilio in causa Pauli Patriarchæ Aquileiensis*, & Tomo quinto de Franconio Episcopo Vicentino, quòd *Concilio Mantuano interfuit anno 813*, errore utrobique manifesto, nam lis inter Maxentium Aquileiensem seu Foro-Juliensem Patriarcham & Venereum Patriarcham Gradensem fuit, & Synodus Mantuana longè post annum Redemptoris octingentesimum decimum-tertium rejici debet, fortè mutatus fuit ordo numerorum, & annus 831 abiit in annum 813. Istius vitii, quod facilè potuit irrepere, non levis est suspicio, Ughellus enim Venereum, quocum in Mantuana Synodo Maxentius Aquileiensis seu Foro-Juliensis Patriarcha litigabat, Gradensem Patriarcham non agnoscit ante annum Redemptoris octingentesimum tricesimum, quo Fortunatum ejus decessorem obiisse prodit. Fortunatus, ut Tomo priore diximus, ex hac vita sublatus est anno Redemptoris octingentesimo vicesimo-quinto. Venereus igitur, qui Patriarchales Infulas post ipsius Fortunati mortem suscepit, anno vicesimo-quarto noni Seculi non interfuit Concilio Mantuano. Vivebat autem annis ejusdem seculi vicesimo-sexto, vicesimo-septimo, vicesimo-octavo, & tricesimo-primo, nihilque vetat quominùs eidem Synodo censeatur adfuisse, si per illud tempus celebrata sit. At rejicienda videtur in hunc annum, quia lis in ea fuit de Episcopis Istriæ, quos Venereus Patriarcha Gradensis à sua nolebat avelli provincia, quamvis Gradus in potestate Venetorum esset, Foro-Juliensi verò provinciæ rursum attribui postulabat Maxentius Patriarcha Foro-Juliensis applaudente Lothario Augusto, ne qua pars Franciæ Metropoli ditionis exteræ subjaceret. Gradus autem ad Venetos rediit Franciâ domesticis laborante tumultibus, quos superioribus annis enarravimus, & Lotharius, qui sopito bello sub finem prioris anni reversus è Gallia fuerat, totum hunc annum in Italia degit ubi Mantua. Non inficiamur nostræ sententiæ refragari nomen Eugenii Papæ, cujus auctoritate coactum Mantuæ Concilium volunt Candidus & Ughellus suprà citati, sed Dan-

[a] Ad ann. 824 & 827.

[b] Tom. 2. Ital. Sacr.

AN. CH. 835. LUDOV. IMP. 22. LOTHAR. IMP. 19. PIPPINI R. 21. LUDOV. R. 19. CAROLI R. 6.

dulus & idem Ughellus superiùs etiam allegati controversiam, quæ in Concilio Mantuano agitata est, motam testantur temporibus Gregorii Papæ Quarti, qui consecratus est Pontifex septimo Kalendas Februarias anno Redemptoris octingentesimo duodetricesimo, vitámque ad annum usque Redemptoris octingentesimum quadragesimum-quartum prorogavit.

LVII. Ughellus Tomo primo [a] Italiæ Sacræ jam citato subdit Concilium Mantuæ celebratum fuisse *præsentibus, Petronazzio Archiepiscopo Ravennate, Angelperto Mediolanensi, Andreâ Ferrariensi, Leone Faventino, Vitale Comaclensi, Christophoro Bononiensi, Noderberto Regiensi, Lantperto Parmensi, Anserio Vercellensi, Lamberto Brixiensi, Herimperto Laudensi, Siniperto Cremonensi, Mattoldo Veronensi, Ersulpho Mantuano, Francaria Vicentino, Dominico Patavino, Adeodato Tarvisino, Ermonico de Cendena, Odelberto Bellonensi, Anselmo Concordiensi, Auratóque Feltrensi, cum aliis quampluribus Presbyteris, qui absentium Liguriæ Præsulum nomine assidebant.*

[a] In Episc. Mantuan. 2.

A QUIBUS EPISCOPIS, LVIII. Primo loco ponitur Ravennas Archiepiscopus *Petronazzius* seu Petronacius aut Petronax vel Pertinax, sub cujus Pontificatu Otgarius Moguntiacensis Archiepiscopus sacras Beati Severi Ravennatis olim Antistitis, Vincentiæ uxoris & Innocentiæ filiæ Reliquias in Moguntinam Diœcesim transtulit, ut anno proximo dicturi sumus.

LIX. Secundo loco in Synodo Mantuana nominatur *Angelpertus* sive Angilbertus vel Angelbertus aut Engilbertus Mediolanensis Archiepiscopus. In hujus Antistitis encomio apud Ughellum duæ Lotharii Augusti pro Monasterio Ambrosiano Chartæ reperiuntur, quæ eundem Lotharium hoc anno, Indictione decimâ-tertiâ, mensibus Januario & Maio Papiæ commoratum ostendunt. In prima Lotharius Imperator prædicto Cœnobio Lemontam nobile prædium legat rogatus ab Hirmingarde conjuge, cujus frater Hugo in eodem Monasterio sepultus quiescit. *In Nomine Domini nostri Jesu Christi Dei æterni. Hlotharius divinâ ordinante providentiâ Imperator Augustus. Quantò præcellentiùs humanitas viget prælata, tantò studiosiùs divinis obaudire * obsequiis, & qualibet postulata fidelium ad hoc pertinentia devotâ exequi * voluntate, atque perficere decertatione, quatenus ex commissis largitoris benè tractans placitis, ejus opitulante Clementiâ, & præsentia feliciter transire valeat, & æterna inenarrabili pietate collata felix feliciter adipiscere mereatur. Denique dum dilecta conjux nostra Hirmingardis divinarum rerum solicita, studiosissimè nostram sedulò monere procuraret Clementiam, ut locis Deo dicatis nostram sublimaremus munificentiam, occasione actuata ex dilectione fratris sui, puerili elegantiâ delati, Hugoni nomine, instantiùs hoc suadere decertavit, ut augmentum pietatis nostræ & emolumentum mercedis in loco, quo ipse corpore humatus extitit, cæmeterio scilicet Sancti Ambrosii, ad decorem luminis, ob procurationem Ecclesiæ ornamenta quædam conferremus, beneficia pro mercedis augmento & præfati pueri cumulo beatitudinis. Quapropter cunctorum comperiat fidelium Sanctæ Dei Ecclesiæ nostrorúmque præsentium scilicet & futurorum sagacitas, quia nos ejusdem dilectæ conjugis nostræ beneplacitis precibus dignare volentes, assensum præbuimus, idcóque eidem sancto loco pro remedio ejusdem pueri nostram beneficentiam conferamus, quandam curtem, nomine Lemonta, cum cura indomnicata, & Capellam ad se adspicientem, dicatam scilicet in honore Sancti Genesii, necnon oliveta, vel mansa, sed cum mancipiis ibidem commanentibus vel aspicientibus triginta-quatuor, vel omnibus pertinentiis seu adjacentiis suis, ita ut ab hodierna die futuri * pro tempore Rectores ejusdem loci eam ad decorem luminis & ornamenta Ecclesiastica procuranda, pro remedio animæ prædicti pueri sub pertinentia ejusdem loci teneant, atque possideant, & ut ceteras res ejusdem Ecclesiæ secundùm utilitatem ipsius loci disponant. Pro firmitatis námque gratia circa eundem sanctum & venerabilem locum solemni munere has nostras literas fieri jussimus, per quas decernimus ratéque mansurum constituimus, ut nullus fidelium Sanctæ Dei Eccle-*

* Edit. exequi.
* Edit. obaudire.
* Edit. futura.

AN. CH. 835. LUDOV. IMP. 22. LOTHAR. IMP. 19. PIPPINI R. 21. LUDOV. R. 19. CAROLI R. 6.

siæ, nostrorúmque, præsentium scilicet & futurorum, præfata Sancta Ecclesia ex hac suprascripta curte suísque pertinentiis vel adjacentiis, quamlibet inferre præsumat molestiam aut contrarietatem, sed Rectores ejusdem loci perennis temporibus eum quieto ordine foventes, & secundùm utilitatem ejusdem Ecclesiæ gubernantes, attentiùs prædicti pueri exorent veniam, & æterna beatitudinis gloria perceptionem nostrámque divinitus deprecentur felicissimam incolumitatem. Et ut hac nostra auctoritas pleniorem in Dei Nomine obtineat vigorem, & à fidelibus Sancta Dei Ecclesia nostrísque diligentiùs conservetur veriúsque credatur, manu propriâ subter eam firmavimus, & annuli nostri impressione subter adsignari jussimus. Signum Hlotarii Gloriosissimi Augusti. Druetemirus ad vicem Egilmari recognovi & subscripsi. Datum nono Kal. Februarii, anno Christo propitio Imperii Domni Hlotarii Imperatoris duodecimo, Indictione decimâ-tertiâ. Actum Papia civitate in Dei Nomine feliciter. Amen. Imperii Lothariani duplex est epocha, quia Lotharius tertio Kalendas Augustas anno Redemptoris octingentesimo decimo-septimo dictus est Imperator à Ludovico patre, & anno Redemptoris octingentesimo vicesimo-tertio in Solemnitate Paschali Romæ coronatus est Imperator à Paschale Papa. Secundùm posteriorem epocham in Diplomate proximè descripto annus Imperii Lothariani duodecimus per mensem Januarium cum Indictione decima-tertia sive cum anno Redemptoris octingentesimo tricesimo-quinto componitur. Prior epocha notatur in altero Diplomate, quo Lotharius Ambrosiano Monasterio non tantùm Donationem quam hoc ipso anno nuperrimè fecit, sed etiam Privilegium quod Angilbertus Archiepiscopus ante quadriennium concessit, ab eodem Angilberto rogatus ita confirmat. *In Nomine Domini nostri Jesu Christi Dei æterni. Hlotharius divinâ ordinante providentiâ Imperator Augustus. Dignum est, ut eorum petitiones hi studiosè obaudire & affectuosâ deliberatione procurare decertent, qui divinâ Majestate Imperiali sunt dignitate prælati, quorum studium & benevolentiam in his decertare cognoscunt, quæ ad obsequia Divinæ Majestatis pertinent, solatium & tutamen suæ stabilitatis & æternæ remunerationis compendium. Igitur futurorum fidelium Sancta Dei Ecclesiæ nostrorúmque cognoscat solertia, quia Venerabilis Engilbertus Archiepiscopus nostris detulit obtutibus quandam auctoritatem*, id est, Privilegium quod idem Engilbertus sive Angilbertus ante quadriennium, ut ad annum Redemptoris octingentesimum tricesimum-primum [a] retulimus, concessit Monasterio, *ubi Confessor Dei Ambrosius corpore humatus requiescit*, petiitque confirmationem cùm istius Privilegii tum Regiæ Donationis, ut illud Monasterium perpetuò possideret *curtes, quarum hæc sunt vocabula, Ozedutiricam, Lemontam, Clepiadam, Ceresiolam, Gratemvicum, Sinteriam, Casteniadam, & Gattunadam, seu Dublinum, & omnes res quas eadem Ecclesia justo & legali ordine quoquo modo adquisierat, vel in anteà, Divinâ tribuente Clementiâ, adquirere poterit.* &c. *Quapropter per hanc nostram auctoritatem decernimus, mansurúmque constituimus, ut nemo inde quippiam quocumque in tempore fidelium nostrorum subtrahere præsumat, aut quamlibet contrarietatem ibidem Deo famulantibus inferre, sed hac nostrâ auctoritate confirmata sua stabilis maneat institutio. Et quandoquidem Abbas ex eodem Monasterio decesserit, secundùm suam institutionem licentiam habeant per consensum Archiepiscoporum, qui tunc pro tempore fuerint, de ipsa Congregatione eligendi talem Abbatem, qui eis secundùm Regulam & justitiam præficere alios possit. Et ut hæc nostra auctoritas pleniorem obtineat vigorem, manu propriâ subter firmavimus, & annulo nostro subter sigillari jussimus. Signum Hlotarii Gloriosissimi Augusti. Druetemirus Subdiaconus atque Notarius ad vicem Egilmari recognovi & subsc. Data tertio Nonas Maias, anno, Christo propitio, Imperii Domini Hlotarii decimo-octavo, Indictione decimâ-tertiâ. Actum Papia Palatio Regio in Dei Nomine feliciter. Amen.* In hoc Lotharii Præcepto nomina villarum seu prædiorum nonnihil aliter efferuntur, quàm in Angilberti Diplomate, quod ante quadriennium recitavimus, ut ex utriusque collatione

[a] Num. 9.

AN. CH. 835. LUDOV. IMP. 22. LOTHAR. IMP. 19. PIPPINI R. 21. LUDOV. R. 19. CAROLI R. 6.

deprehendes. Lotharianorum etiam Præceptorum, quæ data sunt hoc anno, currente Indictione decimâ-tertiâ, subscriptiones inter se differre, nec uni convenire anno, suspicatus est Ughellus, quia primum illorum anno Lothariani Imperii duodecimo, alterum anno ejusdem Imperii decimo-octavo consignatur. Ideóque cùm illud, quod anno Lotharii Augusti duodecimo emissum est, adscripsisset anno Redemptoris octingentesimo tricesimo-quinto, cui quoque decima-tertia Indictio per mensem Januarium apponitur, posterius, quod anno Lotharii Augusti decimo-octavo concessum est, rejecit in annum Redemptoris octingentesimum quadragesimum-primum. Sed priusquàm in hanc opinionem iret, cur non advertit decimam-tertiam Indictionem anno Redemptoris octingentesimo quadragesimo-primo non illigari? Indictio decima-tertia *nono Kalendas Februarii* & *tertio Nonas Maias*, quibus data sunt ista Præcepta, cum anno Redemptoris octingentesimo tricesimo-quinto comparatur, quocum per eosdem dies ut duodecimus sic & decimus octavus annus Imperii Lothariani propter diversas ejus epochas componitur; duodecimus ob posteriorem epocham, quæ petitur à Solemnitate Paschali, in qua Lotharius anno Redemptoris octingentesimo vicesimo-tertio Romæ coronatus est Imperator à Paschale Papa; decimus-octavus ob priorem epocham, quæ petitur à die, quo Lotharius in consortium Imperatorii Nominis à patre Ludovico vocatus est, tertio videlicet Kalendas Augusti, anno Redemptoris octingentesimo decimo-septimo.

LX. Post Archiepiscopos Ravennatem & Mediolanensem in Synodo Mantuana sederunt, *Andreas* Episcopus Ferrariensis, *Leo* Faventinus Episcopus, *Vitalis* Episcopus Comaclensis, & *Christophorus* Bononiensis Episcopus, de quibus nihil hic speciatim dicemus, quia Diœceses extra Franciam positas rexerunt. Ughellus [a] autem fallitur, cùm sub Vitale Comaclensi Episcopo refert, quòd in Concilio Mantuano *causa Pauli Patriarchæ Aquileiensis contra Gradensem* agitata est. Paulus enim seu Paulinus Patriarcha Foro-Juliensis sive Aquileiensis anno Redemptoris octingentesimo quarto sublatus est ex hac vita, & in Mantuana Synodo lis inter Patriarchas Maxentium Foro-Juliensem sive Aquileiensem & Venereum Gradensem fuit.

[a] Tom. 2. Ital. Sacr.

LXI. Septimo loco in Concilio Mantuano ponitur *Noderbertus* Regiensis Episcopus. Tomo superiore Nordbertum seu Noderbertum Regiensem in Insubria Episcopum ad annos Redemptoris octingentesimum decimum-quartum & octingentesimum decimum-quintum, tum Vitalem ad annum Redemptoris octingentesimum vicesimum-octavum laudavimus. In Regiensium Episcoporum Catalogo sequitur Robertus, cujus successor Sigisfredus seu Sigifridus anno Redemptoris octingentesimo quadragesimo-quarto sedit. Ex hac Regiensium Episcoporum serie deprehendimus Concilio Mantuano non Nodebertum ut vult Ughellus [b], sed Robertum assedisse, qui fortè Hincmaro in posteriori Dissertatione [c] contra Godescalcum corruptè est Morbertus, apud Aquisgranum hoc anno in Ebonis Archiepiscopi Remensis depositione memoratus, nihil enim obstat quominus Regiensis Episcopus, qui mense Martio ineunte fuerit Aquisgrani, Regium eodem quoque anno redierit, adieritque Mantuam.

[b] Tom. 2. Ital. Sacr.
[c] Cap. 36.

LXII. Octavo loco ponitur *Lantpertus*, Parmensis Episcopus de quo nihil aliud legimus.

LXIII. Nono loco ponitur *Auserius* sive Autherius vel Anterus Vercellensis Episcopus. Tomo sexto ad annum Christi septingentesimum septuagesimum-quartum [d], quo Vercellæ cum reliquo Longobardiæ Regno Francis parere cœperunt, de Chronologia Vercellensium Episcoporum, Arbionis, Chrisanti, Nottingi, & Auserii, fusè disputavimus, locum illum adi si lubet. Northaudus Auserii successor, ut infrà probaturi sumus, anno Redemptoris octingentesimo quadragesimo-quarto florebat.

[d] Num. 46.

Decimo-loco ponitur *Lambertus* Brixiensis Episcopus, qui non alius est à Ramperto, de quo non semel locuti sumus Tomo superiore. AN. CH. 835.

Undecimo loco ponitur *Herimbertus*, Ughello [a] Eribertus, Laudensis Episcopus, Racleti ad annum Redemptoris octingentesimum tricesimum-primum adhuc superstitis proximus successor, qui Lothario Imperatori familiaris prædicatur. LXIV. LXV.

[a] Tom. 4. Ital. Sacr.

Duodecimo loco ponitur *Sinipertus* seu Sinpertus Cremonensis Episcopus. Ughellus [b], cùm Indicem Cremonensium Episcoporum texeret, existimabat Mantuanam Synodum habitam esse *an. 824.* ideóque Athoni, quem anno Redemptoris octingentesimo decimo-nono [c] successorem Wulfoldo dedimus, subrogavit Sinpertum, deinde Panchoardum, exploso Athone, quem *Joseph Bresanus in Catalogo apponit an. 830.* Sed Chronologia Cremonensium Episcoporum aliter est instituenda, nec vituperari quispiam debet, quòd Athonem, quem anno Redemptoris octingentesimo decimo-nono factum Episcopum diximus, anno Redemptoris octingentesimo tricesimo superstitem laudet, recenseátque decessorem Sinperti, qui Mantuanam Synodum cum aliis Episcopis anno Redemptoris octingentesimo tricesimo-quinto celebrarit. LXVI.

[b] Tom. 4. Ital. Sacr.

[c] Num. 11.

Decimo-tertio loco ponitur *Mattoldus* Veronensis Episcopus. Hic non alius est à Rotaldo, qui Veronenses Infulas anno Redemptoris octingentesimo secundo [d] suscepit, nec alius fortè censeri debet à Ratoldo, qui depositioni Ebonis Archiepiscopi Remensis hoc ipso anno mense Martio apud Aquisgranum interfuit, ut docet Hincmarus in posteriori Dissertatione [e] contra Godescalcum. *Ultima Rotaldi memoria*, si fides est Ughello [f], *extat an. 824, quo Mantuana Synodo interfuit.* At hæc Synodus longè post annum Redemptoris octingentesimum vicesimum-quartum habita est, & Rotaldus anno Redemptoris octingentesimo quadragesimo Veronensis Episcopus à Peroto memoratur. Panuinius unum duntaxat agnoscit Rotaldum, Ughellus duos Audo sive Audone intermedio. Sed hic Audo sive Audus apud ipsummet Ughellum non aliunde innotescit, quàm ex duabus Chartis, è Tabulario Monasterii Sanctæ Mariæ in Organo descriptis. In una Charta Audo Veronensis Episcopus Testamentum condit, & munificum se præbet erga prædictum Cœnobium. In altera Ludovicus Augustus Donationem ab Audone Veronensi quondam Episcopo factam confirmat. In utraque per Ludovicum Imperatorem debet intelligi Ludovicus Imperator, hujus nominis secundus, qui filius Lotharii Augusti fuit, vixítque ad annum usque Redemptoris octingentesimum septuagesimum-quintum. Absque ullo igitur Chronologiæ dispendio, de Rotaldo possumus affirmare, quòd vitam ad annum usque Redemptoris octingentesimum quadragesimum prorogavit, & de Audone, quòd longè post obitum ejusdem Rotaldi, cùm Ludovicus Lotharii filius solus imperabat, Episcoparum gessit. LXVII.

[d] Tom. 6. a. 802. n. 64.

[e] Cap. 36.

[f] Tom. 5. Ital. Sacr. in Ep. Veron 44.

Decimo-quarto loco ponitur *Ersulphus* sive Ersulfus Mantuanus Episcopus, qui sedit ab anno Redemptoris octingentesimo vicesimo-tertio ad octingentesimum duodesexagesimum. LXVIII.

Decimo-quinto loco ponitur *Francarius* seu Franconius Vicentinus Episcopus. De quo nihil aliud occurrit. LXIX.

Decimo-sexto loco ponitur *Dominicus* Episcopus Patavinus. A Synodo Mantuana cui Dominicus interfuit, ad annum usque Redemptoris octingentesimum septuagesimum quo Rosius Testamentum condidit, in Patavinorum Episcoporum Catalogo fixa non invenitur epocha. De intermediis Episcopis sic Ughellus [g]. *Aldegusius sedit an. 8. Nitingus an. 14. Hercuradus an. 8.* Hæc autem ad Chronotaxin ita reduci possunt. Anno Redemptoris octingentesimo tricesimo-quinto Concilium Mantuæ celebratur; è vita discedunt, Dominicus anno Redemptoris octingentesimo tri- LXX.

[g] Tom. 5. Ital. Sacr.

AN. CH. cesimo-sexto, Aldegusius anno Redemptoris octingentesimo quadragesimo-quarto, Nitingus anno Redemptoris octingentesimo duodesexagesimo, Hercuradus anno Redemptoris octingentesimo sexagesimo-sexto. De singulis ad illos annos agemus.

835.

LXXI. Decimo-septimo loco ponitur *Adeodatus* Tarvisinus Episcopus, de quo nihil aliud legitur.

LXXII. Decimo-octavo loco ponitur *Ermonicus de Cendena* sive Ermonius de Ceneta seu Cenetensis Episcopus, de quo sermo post quinquennium recurret.

LXXIII. Decimo-nono loco ponitur *Odelbertus Bellonensis* seu Bellunensis Episcopus, de quo nihil ampliùs nacti sumus.

LXXIV. Vicesimo loco ponitur *Anselmus* Episcopus Concordiensis, cujus reliquæ res gestæ perierunt.

LXXV. Ultimo loco ponitur *Anratus* sive Amatus Feltrensis Episcopus, de quo plura literis mandata nondum observavimus.

LXXVI. Antistites suprà nominati tribus duntaxat è provinciis, Ravennate, Mediolanensi & Foro-Juliensi, convenerunt. In ditione Romani Pontificis ex liberalitate Pippini Francorum quondam Regis, præter Archiepiscopatum Ravennatem, erant hi quatuor Episcopatus ejusdem provinciæ, Ferrariensis, Faventinus, Comaclensis & Bononiensis. Ad Longobardiam verò, quæ Ludovico & Lothario Augustis ac Regibus Francorum parebat, pertinebant Episcopatus Regiensis & Parmensis provinciæ Ravennatis; Archiepiscopatus Mediolanensis cum Suffraganeis Episcopatibus, Vercellensi, Brixiensi, Laudensi & Cremonensi; necnon & provinciæ Foro-Juliensis hi novem Episcopatus, Veronensis, Mantuanus, Vicentinus, Patavinus, Tarvisinus, Cenetensis, Bellunensis, Concordiensis, & Feltrensis.

LXXVII. Mantuanæ Synodo interfuerunt etiam Legati Pontificii Benedictus Episcopus & Leo Bibliothecarius. Agitatâ lite, quæ vertebatur inter Patriarchas Foro-Juliensem & Gradensem, causâ superior evasit Foro-Juliensis, cui Lotharius Augustus favebat. Episcopatus Istriæ, qui Gradensi Patriarchæ priùs suberant, provinciæ Foro-Juliensi sunt attributi. Lotharius Imperator auctoritate suâ Foro-Juliensem Patriarcham plurimùm juvit, quia Gradus à Francis ad Venetos nuper defecerat. Gradensis Patriarcha Sedis Apostolicæ patrocinium imploravit, & in magnam spem erectus jam videbatur, cùm lite cecidit in Mantuana Synodo præsentibus Legatis Romani Pontificis. Hæc à Dandulo jam citato satis clarè sic distinguuntur. *Maxentius Patriarcha Aquileiensis* seu Foro-Juliensis, *Lotharii Regis fultus favore, Gradensem Ecclesiam & Suffraganeos Istria turbare nititur, nec à Gregorio Papa admonitus desistere voluit, imò repetito sæculari subsidio antedictos Episcopos ad sibi reverentiam & subjectionem Metropolitano debitam exhibendam; in totum coegit.* Episcopos igitur Istriæ à Gradensi Patriarchatu deinceps avulsos Foro-Juliensi Patriarchæ subjicimus.

QUO EXITU.

LXXVIII. Post Pentecosten habitus est Conventus Wormatiensis. Audi Astronomum. *Domnus Imperator sacro Quadragesimæ tempore inchoante, unumquemque,* ex Theodonis villa, Placito videlicet absoluto, *ad propria redire præcepit. Ipse autem Quadragesima tempus ibidem exegit, sed & Pascha Sollemnitatem Metis celebravit. Post Sollemnitatem porrò Paschalem atque Pentecostes venerabilem diem, civitatem Vangionum, qua nunc Wormacia vocatur, secundùm condictum ad celebrandum Conventum generalem abiit, ubi etiam filius Pipinus occurrit, nec Ludovicus alter ejus filius defuit. More autem suo Imperator nequaquam Conventum istum à publica utilitate vacare passus est. Diligenter namque in eo examinare studuit, quid quique Missorum in diversas partes directi egerint. Et quia aliqui Comitum in repressione & exterminatione latronum segnes reperti sunt, diversis sententiis eorum segnitiem condignâ invectione castigavit, filiósque & populum admonuit, ut æquitatem diligerent raptorésque opprimerent, bonos quoque & eorum*

HABETUR PLACITUM WORMATIENSE.

AN. CH. 835.

& eorum possessiones ab oppressione relevarent, interminatus etiam severiorem in eos se libraturum sententiam, qui huic admonitioni non essent obtemperaturi. Quúmque ab hoc Placito populum dimitteret, & sequens in Theodonis villa post Pascha constituisset, ad hyemandum Aquisgrani se contulit, filióque suo Lothario mandavit, ut nobiles quosque suorum ad eundem locum dirigeret, quatenus reconciliationis mutua inter se & illum ratio investigaretur. Juditham Augustam ut illa teconciliatio fieret, habito cum Imperatoris Consiliariis colloquio plurimùm laborasse, quia propter infirmam ejusdem Imperatoris valetudinem sibi filióque Carolo multùm timebat, idem Auctot sic subjungit. *Augusta Judith cum Consiliariis Imperatoris consilio inito, eò quod valentia, ut videbatur, Imperatoris corpus mox destitueret, & mors ingrueret, & sibi & Carolo periculum immineret, nisi aliquem fratrum sibi adsciscerent, conjectantésque nullum filiorum Imperatoris tam convenientem huic rei, sicut Lotharium, hortati sunt Imperatorem, ut ad eum Missos pacificos mitteret, & ad hoc ipsum invitaret. Qui, ut paci semper studens, sempérque dilector pacis, atque amator firmitatis, quærebat non modò filios, sed & inimicos sibi charitate uniri, libenter assensus est.*

LOTHARIUS AD RECONCILIATIONEM SOLLICITATUR.

LXXIX.

Hoc anno postridie Nonas Junii celebrata Pentecoste. Sub idem tempus habitum Wormaciense Placitum, de quo perperam in annum sequentem tejecto sic Annalista Bertinianus. *Horich Rex Danorum per Legatos suos in eodem Placito amicitia atque obedientia conditiones mandans, se nullatenus eorum*, nempe Nordmannotum, qui per illud tempus in Frisiam irrupetunt, *importunitatibus assensum præbuisse testatus, de suorum ad Imperatorem Missorum interfectione conquestus est, qui dudum circa Coloniam Agrippinam quorundam præsumptione necati fuerant. Quorum necem etiam Imperator, missis ad hoc solùm Legatis, justissimè ultus est.*

HORICH R. DANORUM DE SUORUM LEGATORUM NECE QUERITUR.

LXXX.

Post Wormaciensem Conventum Ludovicus Augustus, ut ad hunc annum idem Annalista testatut, *ad Placitum suum generale, quod in Stremiaco prope Lugdunum civitatem se habiturum indixerat profectus est.* Et in illo Placito, ut Astronomus scribit, *causam Ecclesiarum Lugdunensis atque Viennensis vacantium ventilari fecit, eò quòd Episcopi dudum illarum, Agobardus quidem jussus ad rationem non venerit reddendam, Bernardus verò Viennensis affuerit quidem, sed rursus fugam inierit. Sed hæc quidem res imperfecta remansit, propter absentiam, ut prædictum est, Episcoporum. Sed & causa Gothorum ibidem ventilata est, quorum alii partibus Bernardi favebant, alii ducebantur favore Beringarii Hurouici quondam Comitis filii. Sed Beringario immaturâ morte prærepto, apud Bernardum potestas Septimaniæ quammaxima remansit, Legatis illuc missis, qui ea, quæ indigebant correctione, in meliorem componerent statum.* Episcoporum causa mansit injudicata propter illorum absentiam, Agobardus enim & Barnardus in Italiam se tecepetant ad Lotharium Augustum, cujus partes obstinatissimè sequebantur. Causa Gothorum seu lis quæ in Gothia sive in Septimania vertebatur inter Beringarium Comitem Tolosanum, & Bernardum Ducem Septimaniæ, Comitem Barcinonæ & Marcæ Hispaniex Præfectum, sopita fuit ejusdem Beringarii morte, quæ pet idem tempus Thegano [a] teste contigit. Abhinc Bernardus præter alia munera Comitatum quoque Tolosanum obtinuit. Annalista Bettinianus [b], omissâ Episcoporum causâ, de rebus tantùm Gothicis ita loquitur. *Imperator ad Placitum suum generale, quod in Stremiaco*, sive in Sttamiaco, *prope Lugdunum civitatem se habiturum indixerat, profectus est. Quo in mense Junio habito, & donis annalibus receptis, dispositisque Markis Hispaniæ, Septimaniæ, sive Provinciæ, ad Aquisgrani reversus est.* De teditu Ludovici Imperatoris ad Aquisgranense Palatium & de morte Beringarii Comitis præ ceteris audiendus est Theganus [c]. *Inde*, inquit, *reversus est Imperator, & venit ad Aquis Sedem suam, & Pippinus reversus est in Aquitaniam, Lodewicus perrexit ad partes Austriæ. Eodem anno in ipso itinere obiit Berengarius Dux fidelis & sapiens, quem Imperator cum filiis luxit multo tempore.*

STRAMIACENSE PLACITUM.

[a] Cap. 58.
[b] Ad an. 835.
[c] Capp. 57. 58.

AN. CH. 835. LUDOV. IMP. 22. LOTHAR. IMP. 19. PIPPINI R. 21. LUDOV. R. 19. CAROLI R. 6. LXXXI.

Locus, in quo celebratus est prope Lugdunum Conventus exeunte mense Junio, Stremiacum & Stramiacum ab antiquis Auctoribus vocatur, ab Astronomo Stramiacus, Stremiacus ab Annalista Bertiniano. Stremiacus autem in Strennacum abiit facillimè. Stremiacus enim & Strennacus in manuscriptis Codicibus distingui vix queunt propter affinitatem, quæ inter syllabam *mi* & literam *n* sic geminatam *nn* intercedit. Ideóque cùm apud Lucam Dacherium in Notis ad opera Guiberti legis Præceptum datum *Strennaco villâ*, expuncto *Strennaco* repone *Stremiaco*. Mansit apud Stremiacum Imperator aliquandiu, quia vicinior erat Italiæ, reditúmque præstolabatur Legatorum, quos Papiam ad Lotharium filium post Aquisgranense Placitum direxerat. *Ibi sedebat cum filiis suis* Ludovico & Pippino, *quoadusque Legati sui in Italiam venirent ad Lotharium*; verba sunt Thegani [a]. Duo data sunt illic hoc anno Diplomata; unum octavo Kalendas Julias pro Ecclesia Cenomannensi & Aldrico Episcopo, alterum duodecimo Kalendas Augusti pro Monasterio Anianensi & Ermenaldo Abbate. Utrumque accipe. Primum sic à Stephano Baluzio ex Gestis Aldrici, libro tertio [b] Miscellaneorum. *In Nomine Domini Dei & Salvatoris nostri Jesu Christi. Hludovicus divinâ repropitiante Clementiâ Imperator Augustus. Si precibus Sacerdotum, quando pro suis vel Ecclesiarum sibi commissarum necessitatibus aliquid intimare voluerint, aurem libenter accommodamus, eorúmque justas ac rationabiles petitiones ac postulationes ad optatum effectum pervenire facimus, non solùm Regiam atque Imperialem consuetudinem in hoc exercemus, sed etiam eosdem Sacerdotes ad Domini misericordiam pro nobis exorandam promptiores atque devotiores facimus. Idcircò notum fieri volumus omnium fidelium nostrorum tam præsentium quàm & futurorum Industriæ, quia Aldricus Venerabilis Cenomanica urbis Episcopus accedens ad aures nostræ Pietatis retulit nobis de quibusdam beneficiis, quæ ante complures annos de jure suæ Sedis cum appendiciis eorum fuissent subtracta & ad publicum nostrum redacta, quæ modò Ghermundus, Berthadus, Vulfardus, Bodo, & socii ejus Vassalli nostri in beneficium data possident, & sic præcedenti tempore de manibus Rectorum prædictæ urbis memoratorum Vassallorum beneficia cum appendiciis & omnibus ad se pertinentibus elapsa esse. Sed cùm nos ad rei veritatem diligentiùs investigandam fideles Missos nostros Helisacharum Venerabilem Abbatem & Widonem Comitem misseremus, renunciaverunt nobis per omnia ita verum esse. Cúmque eorumdem relatione prædictorum Vassallorum beneficia non ad publicum nostrum sed ad jus præfatæ Cenomanicæ Ecclesiæ justè pertinere cognovissemus, complacuit Clementiæ nostræ suprascriptorum Vassallorum beneficia cum omni integritate, quemadmodum ipsos ea per singula loca à largitione nostra accepisse constat, pro emolumento animæ nostræ, memorato Venerabili Aldrico Episcopo ad partem prædictæ Ecclesiæ suæ reddere, ut perpetuò in utilitates & usus ejusdem Ecclesiæ Deóque in ea servientium permaneat. Idcircò suggerente atque rogante prædicto Venerabili Episcopo hanc nostræ confirmationis atque redditionis Præceptionem ei vel ad partem prædictæ urbis fieri jussimus, per quam decernimus atque jubemus, ut nullus fidelium nostrorum de jam dictis beneficiis vel de his omnibus, quæ ad prædictorum Vassallorum nostrorum, quibuscunque in locis consistant, beneficia pertinere noscuntur, memorato Aldrico Venerabili Episcopo sive successoribus ejus ullo unquam tempore inquietudinem facere aut quamlibet calumniam ingerere præsumant, sed liceat ei & successoribus ejus quieto ordine memorata loca cum omnibus ad se pertinentibus jure Ecclesiastico tenere & possidere, & quicquid pro opportunitate & commoditate præfatæ Ecclesiæ exinde facere decreverint, liberam in omnibus habeant potestatem faciendi. Et ut hæc auctoritas nostra perpetuam obtineat firmitatem, manu propriâ subter firmavimus, & de anulo nostro jussimus sigillari. Signum Hludovici Piissimi Imperatoris. Hirminmarus ad vicem Hugonis recognovi & subscripsi. Data* VIII *Kal. Julias, anno Christo propitio* XXII *Imperii Domni Hludovici Piissimi Imperatoris, Indictione* XIII. *Actum Stramiaco supra fluvium Rhodanum in Dei Nomine feliciter. Amen.* Alterum sic à

[a] Cap. 57.

[b] Cap. 68.

PRÆCEPTA, PRO ECCLESIA CENOMANNENSI

AN. CH. 835.
LUDOV. IMP. 22.
LOTHAR. IMP. 19.
PIPPINI R. 21.
LUDOV. R. 19.
CAROLI R. 6.
PRO MON. ANIANENSE.

Luca Dacherio ex Notis ad opera Guiberti Abbatis. *In Nomine Dei & Salvatoris nostri Jesu Christri, Ludovicus Divinâ propitiante Clementiâ Imperator Augustus. Si petitionibus servorum Dei justis & rationabilibus divini cultûs amore favemus, id nobis procul dubio ad æternam beatitudinem promerendam profuturum liquidò credimus. Idircò notum esse volumus cunctis fidelibus Sanctæ Dei Ecclesiæ & nostris, præsentibus scilicet & futuris, quia Ermenaldus Abba Monasterii nostri, quod dicitur Aniana, ad nostram accedens Mansuetudinem ostendit nostræ Majestatis obtutibus quamdam Præceptionem, quam nos olim ad petitionem prædecessoris sui Benedicti Abbatis, ob amorem Dei & Monasterii utilitatem, fieri jusseramus, de Advocatione videlicet* .... *in nostram præceperamus commendationem, ut liberiùs prædicti Monasterii utilitates & necessitates procurare valeret. Et eorum Advocato divinâ vocatione rebus humanis exempto, nostram expetivit Clementiam, ut eamdem Advocationis curam Maurino Vassallo nostro committeremus. Cujus petitioni, nostris indigere auxiliis perpendentes, divino tacti munere, postulata concessimus, committentes eidem Vassallo nostro, Maurino nomine, rerum Monasterii sui curam, in adquirendis videlicet justitiis & aliis faciendis. Propter hoc hos nostræ auctoritatis apices, ei successoribúsque per tempora labentia sibi succedentibus fieri ac dari præcipimus, per quos præcipimus atque jubemus, omnia quæcumque prædictus Advocatus sæpè dicti Monasterii Anianensis, nomine Maurinus, secundùm legem quæsierit, aut quærentibus obstiterit, aut justè satisfecerit, atque legaliter ab eo deffinita fuerint, rata & stabilita permaneant, & ubicumque ad loca & potestates seu ministeria cujuscumque Comitum advenerit, undecumque de rebus ejusdem Monasterii justitiam quæsierit, absque ulla dilatione secundùm legem plenissima recipiat, atque quærentibus faciat. Et quia constat idem Monasterium nostrum proprium esse, volumus atque præcipimus, ut sæpè nominatus Advocatus nulla ullatenus testimonia super nostra ejusdem Immunitate Monasterii testes recipiat, sed quidquid justè & legaliter quæsierit sive defenderit, cum nostræ partis testibus effectum rei evindicare & perficere studeat. Si verò quilibet aliquam dilationem in justitiis faciendis opposuerit, aut aliquam injustam occasionem conatus fuerit adhibere, prædicto Advocato injunximus ut nobis renuntiet. Et nos illi, qui nostram Jussionem neglexit, secundùm facti sui meritum retribuamus. Dixit etiam nobis prædictus Ermenaldus Abba, eò quòd mancipia de Monasterio Sancti Martini, quod nos largitionis nostræ munere ad prædictum Anianense Monasterium concessimus, per loca diversa fugitiva sint, volumus ut prædictus Advocatus ea quærat, & ubicumque inventa fuerint, & secundùm Legem Romanam triennio se defendere voluerint, & hoc prædictus Advocatus ex propinquis eorum circumcinxerit, aut testimonia idonea dederit, fiant de eis secundùm Romanæ Legis sanctionem, ut triennium ea excludere non possint. Et liceat ei suas res proprias, absque cujuslibet interpellatione injusta aut inquietudine, quietè possidere. Et quia memorata ad peragendum ei injunximus, ab omni hoste, vel Wacta, sive ab omni publico servitio immunis existat, quatinus Advocationem à nobis sibi injunctam liberiùs atque utilius peragere valeat. Licentiam etiam dedimus eidem Abbati, de minoribus ac levioribus causis alterum Advocatum mittere, qui præfati Monasterii causas atque necessitates utiliter fideliterque administrare possit. Et ut has literas nostras esse veriùs credatis, de annulo nostro subter eas jussimus sigillare. Hirmannus Notarius ad vicem Hugonis recognovi. Data* XII *Kalendas Augusti, anno, Christo propitio,* XXII *Imperii Domni Ludovici Piissimi Augusti, Indictione* XIII. *Actum Strennaco*, seu Stremiaco vel Stramiaco, *villâ in Dei Nomine feliciter. Amen.* Apud Sammarthanos in auctiore Gallia Christiana, Tomo quarto, inter Abbates Monasterii Gellonensis seu Sancti Guillelmi de Desertis, memoratur Hucerandus *tempore Ludovici Pii & Episcopi Lodovensis Sisemundi, anno 824.* Fuit simul Abbas Gellonensis & Anianensis, eique Ermenaldus, qui Præceptum proximè descriptum petiit atque impetravit, in administrationem utriusque Cœnobii cum Abbatis titulo successit.

AN. CH. 835. LUDOV. IMP. 22. LOTHAR. IMP. 19. PIPPINI R. 21. LUDOV. R. 19. CAROLI R. 6.

LXXXII. Dubium non est, quin hi duo Characteres, annus Imperii Ludoviciani vicesimus-secundus & Indictio decima-tertia, quibus Diplomata superiùs recitata consignantur in Chartophylaciis Cenomannensi & Anianensi, per menses Junium ac Julium ad annum Redemptoris octingentesimum tricesimum-quintum pertineant. Hæc Chronologia Thegano quoque, qui tum vivebat, egregiè fulcitur. Ultimis enim operis sui capitibus [a] Ebonem Archiepiscopum Remensem in Synodo apud Theodonis villam damnatum & Stramiacense Placitum in territorio Lugdunensi celebratum uno eodémque sic refert anno post initam cum Lothario pacem ejusque discessum in Italiam proximo. *Lotharius juravit patri suo fidelitatem, & ut iret in Italiam, & ibi maneret, & exinde non exiret nisi permissione patris. Tunc juraverunt & ceteri. Post hæc Piissimus Princeps indulgentiam dedit eis, si hoc juramentum conservarent. Dimisit eos habere patrimonia, & omnia quæ habebant, præter quod ipse manu propriâ tradidit eis. Diviserunt se ibi, & Lotharius perrexit in Italiam cum consentaneis suis, & statim Mathfridus, qui erat maximus incentor omnium illorum malorum, mortuus est, & ceteri nonnulli. Hi verò qui remanserant, febre correpti sunt. Imperator verò inde regrediens, venit ad Palatium Theodonis, & ibi totam hyemem egit. Post Natalem Domini altero anno*, id est, hoc anno Redemptoris octingentesimo tricesimo-quinto, *habuit Conventum magnum populorum, & ibi Hebo turpissimus rusticus venit, quem alii Episcopi firmiter amovere non ausi sunt, timentes quòd eorum proditor existere debuisset. Et ideò suaserunt ei, ut sibi ostenderet Ministerium Sacerdotale minimè posse habere, quod ita fecit, & ideo sic planè dimissus est. Quod adhuc omnino emendare opus est, quia melius est justum judicium Sanctorum Patrum excercere in eo, quam falsam pietatem sub obtentu Religionis demonstrare. Ipso anno perrexit Imperator ad partes Lugdunensium, ubi obviam ei venerunt filii sui Pippinus & Lodewicus, qui natu juniores erant. Ibi sedebat Imperator cum filiis suis, quoadusque Legati sui in Italiam venirent ad Lotharium. Inde reversus est Imperator, & venit ad Aquis Sedem suam, & Pippinus reversus est in Aquitaniam, Lodewicus perrexit ad partes Austriæ. Eodem anno in ipso itinere obiit Berengarius Dux fidelis & sapiens, quem Imperator cum filiis suis luxit multo tempore.* Superest, quæ scrupulum movere possit, hæc operis postrema periodus seu clausula. *Iste est annus* XXIII *Regni Domini Lodewici Piissimi Imperatoris, quem conservare & protegere diu in hoc seculo feliciter commorantem, & post hac discurrentia tempora perducere dignetur ad societatem omnium Sanctorum ejus, ille qui est Deus benedictus in secula. Amen.* Annum fortassis Imperii Ludoviciani vicesimum-tertium hoc loco cum anno Redemptoris octingentesimo tricesimo-sexto componendum arbitraberis. At annus ille vicesimus-tertius Imperatoris Ludovici, partim anno Redemptoris octingentesimo tricesimo-quinto, partim octingentesimo tricesimo-sexto respondet; & Theganus, ut ipsemet in præcitato textu docet, lucubrationem suam absolvit, cùm Ludovicus Imperator Aquisgranum è villa Stramiaco jam reversus esset, & annum Imperii sui vicesimum-tertium jam numeraret, initio ducto à die quo factus à patre consors Imperatoriæ Dignitatis; tunc autem adhuc currebat annus Redemptoris octingentesimus tricesimus-quintus, sive à Nativitate Dominica sive à Paschali Solemnitate principium accepisset.

[a] Capp. 55. 56. 57. 58.

LXXXIII. THEGANUS CHOREPISCOPUS HETTI TREVIRENSIS ARCHIEPISCOPI.

LXXXIII. Theganus, cujus operâ per annos viginti-duos ab initio Imperii Ludoviciani frequenter usi sumus, Chorepiscopus fuit Trevirensis. Christophorus Browerus in Annalibus Trevirensibus tres Chorepiscopos Amalherii sive Amalharii Trevirensis Archiepiscopi recenset, Adalmatum, Herilandum, & Theganum, sic. *Quia Amalherio per publica Legationis & alia Regno debita obsequia, non facile fuit assiduam Ecclesiæ sui facere copiam, adlegit in muneris sui consortium præter Adalmatum & Herilandum, quos suprà memini, rarâ, ut in paucis, doctrina & probitatis opinione virum, Theganum Chorepisco-*

AN. CH. 835. LUDOV. IMP. 22. LOTHAR. IMP. 19. PIPPINI R. 21. LUDOV. R. 19. CAROLI R. 6.

pum. Ita scribit octavo libro, numero tricesimo-secundo, ad annum Redemptoris octingentesimum decimum-quartum, nec Herilandum anteà nominavit, nisi semel eodem libro, numero vicesimo-tertio, ad annum Redemptoris octingentesimum undecimum, cùm ex Flodoardo quædam observaret de Frothatii consecratione in Episcopum Tullensem, conjungerétque *Treverica urbis Archiepiscopum Amalarium cum Adalmata ipsius Coepiscopo & Herilando.* Sed præstat ipsummet recitare Flodoardum de Vulfario Remensi Metropolita sic scribentem in Historia Remensi [a]. *Nec sua tantùm Diœceseos, quin etiam Treverica urbis Archiepiscopum Amalarium cum Adalmato ipsius Coepiscopo & Herilando, jussu Imperatoris Magni Karoli, ab eodem scilicet Vulfario Metropolitano convocatum ad ordinationem Episcopalem cujusdam Frotharii præfata Treverensis Ecclesia Presbyterum, eidem paruisse reperimus.* Hunc Flodoardi textum Tomo superiore [b] jam descripsimus, & Herilandi loco restituendum probavimus Austrannum, qui Virodunensem Pontificatum gerebat, quando Frotharius ordinatus est Tullensis Episcopus. Ex Flodoardi verbis haud patet Herilandum Chorepiscopum fuisse, quis enim Adalmatum & Herilandum ejusdem Archiepiscopi Chorepiscopos simul extitisse credat? Addequòd Browerus, qui numero vicesimo-tertio libri octavi Flodoardum allegavit, in margine mentionem Herilandi non fecit, & unum Amalharii Trevirensis Archiepiscopi Suffraganeum seu Chorepiscopum agnovit Adalmatum hac notatiunculâ. *Amalarii Archiep. Suffraganeus Adalmatus.* Nullam igitur vel à Flodoardo vel ab alio quopiam Scriptore nacti videntur auctoritatem, ut Herilandum Trevirensis Ecclesiæ Chorepiscopum scriberent, Browerus in Annalibus Trevirensibus & qui Browerum in auctiore Gallia Christiana secuti sunt Sammarthani. Tomo superiore [c] Chronologiam Broweri refutavimus, & Amalharii Trevirensis Archiepiscopi mortem, quam in annum Redemptoris octingentesimum tricesimum-secundum rejecit, anno Redemptoris octingentesimo decimo-quarto consignavimus. Chronologiâ sic emendatâ, nemo tres unius Amalharii successivè Chorepiscopos hos dicet, Adalmatum, Herilandum, & Theganum. Anno enim Redemptoris octingentesimo decimo-tertio sive anno ante Amalharii mortem proximo Trevirensis Chorepiscopus erat Adalmatus, quando Frotharius Tullensis Episcopus est ordinatus à Vulfario Belgicæ secundæ Metropolitano, quia tunc in Belgica prima, ubi Tullum, numerus Episcoporum ad consecrationem Episcopi requisitus deerat, Amalhario Metropolitâ Constantinopolim profecto, & Sede Metensi vacante. Post Amalharium in Trevirensi Cathedra sedit Hettius Archiepiscopus, qui Thegano Chorepiscopo necnon & Ludovico Pio Imperatori superstes vixit. Ut igitur Adalmatus Amalharii, sic Herilandus & Theganus Chorepiscopi fuerunt Hettii, nisi malis ex albo Chorepiscoporum expungere Herilandum, cujus Chorepiscopatus validè probari non potest, sive Herilandum Chorepiscopum distinguas ab Herilando Virodunensium Episcopo, sive unum eundémque constituas Herilandum, qui Trevirensis primò Chorepiscopus, deinde Virodunensis Episcopus extiterit. Ad Episcopatum Virodunensem promotus est Herilandus anno Redemptoris octingentesimo duodevicesimo. Si priùs Trevirensis fuit Chorepiscopus, illi Theganum in eodem munere subrogatum arbitrare. Si verò Corepiscopum inficiatis Herilandum, Adalmato suffice Theganum sub Hettii Pontificatu. Desunt probationes, quibus Herilandi Chorepiscopatus fulciatur. Aliter de Adalmato & Thegano sentiendum. Adalmatum Amalharii Trevirensis Archiepiscopi Chorepiscopum vocat Flodoardus loco jam citato. Theganum Trevirensis Ecclesiæ Chorepiscopum appellat Walafridus Strabo in Præfatione, quam illius lucubrationi præposuit in hunc modum. *Hoc Opusculum in morem Annalium, Thegan natione Francus, Trevirensis Ecclesia Chorepiscopus, breviter quidem & verè potiùs*

[a] Lib. 2. c. 18.
[b] Ad an. 813. n. 344.
[c] Ad an. 814. n. 81.

Bbb iij

AN. CH. 835. LUDOV. IMP. 22. LOTHAR. IMP. 19. PIPPINI R. 21. LUDOV. R. 19. CAROLI R. 6.

quàm lepidè compoſuit. In cujus quibuſdam ſententiis quod effuſior & ardentior in loquendo videatur, ut vir nobilis & acris animi, quod de indignitate vilium perſonarum dolor ſuggeſſit, tacere non potuit; præterea nimius amor juſtitiæ & executoris ejus Chriſtianiſſimi Imperatoris, zelo naturalis exaggeravit dolorem. Unde, quantum ſit opus ejus pro bona voluntate, non faſtidiendum pro quantulacumque ruſticitate. Novimus & nos virum multâ lectione inſtructum, ſed prædicationis & correctionis ſtudiis occupatum. Huic opuſculo ego Strabo quaſdam inciſiones & Capitula inſerui, quia ſanctæ memoriæ Lodewici Imperatoris Geſta & Laudes ſæpius audire cupio vel proferre, ut faciliùs volentibus ſcire, ſingula pateant Titulorum compendio. Hanc Præfationem ſequitur Index Capitulorum duodeſexaginta, quem Opuſculo Thegani præfixum, ſi lubet, in editionibus Pithœana & Ducheſniana conſule. Theganus, quamvis flagrante bello civili, quod annis ſuperioribus deſcriptum eſt, à Ludovici partibus, ut pium virum ac Chorepiſcopum decebat, ſemper ſteterit, aures tamen nimiùm credulas adhibuit rumoribus, quos homines Lotharianæ factionis apud imperitam multitudinem ſparſerunt. Inde factum, ut in Aquiſgranenſi Conventu, qui celebratus eſt anno Redemptoris octingenteſimo decimo-ſeptimo, Lotharium à patre non Imperatorem modò ſed etiam hæredem ex aſſe dictum ſcriberet capite viceſimo-primo, quod ad illum annum numero trecenteſimo triceſimo-tertio recitavimus; ibidémque necnon & alibi paſſim, quoties occaſio fuit, multis refutavimus argumentis, quæ ſupervacaneum videtur hic repetere.

LXXXIV. Præter Theganum, cujus auctoritas ſola ſufficeret, Annaliſtæ Bertinianus ac Fuldenſis cum Diplomatibus Cenomannenſi & Anianenſi, Conventum Stramiacenſem hoc anno conſignant. Fuldenſis rerum hoc anno geſtarum narrationem ſic init. DCCCXXXV. *Imperator cum filiis ſuis Pipino & Hludewico Conventum generalem habuit apud Lugdunum*, ſive in villa Stramiacenſi, *diſpoſitiſque ibi illarum partium cauſis, ad Aquenſe Palatium reverſus eſt. Nordmanni Doreſtadum vaſtaverunt.* In Annalibus Bertinianis hæc Doreſtadii vaſtatio *in menſe Junio* facta perhibetur, & habitâ collatione cum illa, de qua locuti ſumus anno ſuperiore, dicitur *ſecunda*, ſic. *Nordmanni ſecundâ irruptione Doreſtadum irruentes, vaſtaverunt atque hoſtiliter deprædati ſunt.*

LXXXV. Imperator, auditâ Nortmannorum irruptione, citò diſceſſit ex agro Lugdunenſi, & iter Aquilonem versùs ſuſcepit, ut hoſtibus Friſiæque vicinior fieret. Nono Kalendas Septembris, cùm in Cuciaco Palatio Regio verſabatur, pro Monaſterio Floriacenſi Præceptum dedit, cujus fragmenta non pauca, quæ viſa ſunt ad ejuſdem Imperatoris munificentiam poſteris ſignificandam neceſſaria Philippus Labbeus in Miſcellaneis [a] Curioſis ita publicavit. *In Nomine Domini Dei & Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti, Hludovicus diviná repropitiante Clementiâ Imperator Auguſtus.* &c. *Boſo Venerabilis Abbas Monaſterii Sancti Benedicti, quod eſt conſtructum in pago Aurelianenſe unà cum Congregatione ſibi commiſſa noſtræ innotuit Celſitudini, eò quòd avus noſter bonæ memoriæ Pipinus Rex de ſalute animæ ſuæ ac fratris ſui Karlomanni cogitans, & de abolendis eorum peccatis, beataque ac perpetua vita præmiis conſequendis, quandam villam juris ſui, quæ dicitur Suncatus,* (Boſcio Sumcantus *) *cum appenditiis & villis ac terminis ad ſe pertinentibus, memorato Monaſterio Sancti Benedicti per auctoritatis ſuæ Præceptum delegaſſet, eóque tunc divinâ vocatione rebus humanis exempto, quidam Vaſſallus ipſius, nomine Giſlebarius, qui memoratam villam jure beneficiario poſſederat, poſtquàm legitima traditio atque veſtitura de eadem villa, cum omnibus ad ſe pertinentibus vel aſpicientibus, ad partem antedicti Monaſterii Sancti Benedicti facta fuerat, quaſdam villulas ad memoratam villam aſpicientes vel pertinentes, quarum vocabula ſunt, Mirulfivilla,* &c. *jure beneficiario ad habendum uſurpaſſet, atque injuſtè occupaſſet, & ſic præcedente tempore de jure ſæpedicti Monaſterii elapſas eſſe. Sed dum ad hanc*

[a] Cap. 6. §. 8.

PRÆCEPTUM PRO MON. FLORIACENSI.

* Sanchant.

AN. CH. 835. LUDOV. IMP. 22. LOTHAR. IMP. 19. PIPPINI R. 21. LUDOV. R. 19. CAROLI R. 6.

causam diligentiùs investigandam, nobísque renuntiandam, Missos nostros, Jonam videlicet Aurelianensem Episcopum Venerabilem & Hugonem Illustrem Comitem destinassemus, & tam ex eorum relatione quámque ex memorati avi nostri Præcepti lectione, luce clarius nobis patesceret, memoratas villulas de jure supradicti Monasterii injustè abstractas fuisse. Placuit nobis pro remedio animæ nostræ cum omnibus ad se pertinentibus eidem reddere Monasterio, &c. *Data* IX *Kalendas Septembris, anno, Christo propitio,* XXII *Imperii Domini Hludovici Piissimi, Indictione* XIII. *Actum Cuciaco Palatio Regio, in Dei Nomine feliciter. Amen.*

In Chronico Engolismensi, quod anno superiore jam citavimus, alia Nortmannorum irruptio sic ad hunc annum perstringitur. DCCCXXXV. *Hero Insulâ Rainaldus* XIII *Kal. Sept. cum Normannis congreditur.* Hunc congressum ocularus testis Ermentarius Monachus capite undecimo libri secundi de Translarionibus & Miraculis Sancti Filiberti sic describit. *Ipsâ festivitatis ejus die,* id est, decimo-tertio Kalendas Septembris, quo die Festum Sancti Filiberti celebrarur, *de novem navibus, horâ etiam nonâ pugna inchoatur, quæ vespere finitur, in qua quadringenti octoginta & quatuor ceciderunt Nortmanni, uno tantùm ex nostris corruente, equis quampluribus interfectis, equitibus nonnullis vulneratis. Hæc ita esse, qui interfuit, narratum iri censuit.* Ar hic Auctor initio prædicti capitis ita præfatur. *Nec inconveniens esse reor, si narrem, qualiter duobus, antequàm ab Hero Insula sanctissimum transferretur Corpus, annis, à nostratibus contra Nortmannos in ipsa pugnatum est Insula.* Atque inde Petrus Franciscus Chiffletius in Historia [a] Trenorciensi * contendir bis contra Nortmannos in Hero Insula pugnatum esse; semel anno Redemptoris octingentesimo tricesimo-quarto, iterum anno Redemptoris octingentesimo tricesimo-quinto; de primo prælio locutum Ermentarium, de altero Chronographum Engolismensem. Deinde ut opinionem suam confirmet, eventus præliorum diversos astruere conatur; unum prosperum ad annum Redemptoris octingentesimum tricesimum-quartum, quo victi sint Nortmanni; alterum infelicem ad annum Redemptoris octingentesimum tricesimum-quintum, quo Rainaldus Herbatilicensis Comes fugatus sir à Nortmannis. Hæc autem facilè diluuntur.

LXXXVI. NORTMANNI VINCUNTUR IN HERO INSULA.

[a] Cap. 13.

* de Tournus.

LXXXVII. Imprimis annos apud Ermentarium interpretamur incompletos, & ubi scribit initum contra Nortmannos prælium *duobus annis antequàm ab Hero Insula sanctissimum* Beati Filiberti *transferretur Corpus*, ex illis duobus annis unum comparamus cum anno Redemptoris octingentesimo tricesimo-quinto quo pugna commissa est cum Nortmannis, alterum componimus cum anno Redemptoris octingentesimo tricesimo-sexto quo facta est Sancti Filiberti Translatio ab Hero Insula in Deense Monasterium. Prætereà ut apud Ermentarium, sic & apud Chronographum Engolismensem, dies pugnæ notatur decimus-tertius ante Kalendas Septembris, ipsâ festivitate Sancti Filiberti valdè memorandus. Ex hac observatione multùm probabile fit ambos Auctores una de pugna locutos esse, *in qua* secundùm Ermentarium *quadringenti octoginta & quatuor ceciderunt Nortmanni*, & secundùm Chronographum Engolismensem *Rainaldus cum Normannis* congressus est. Duplex prævalidè probaretur prælium, si dispares ostenderentur eventus, & Nortmanni inferiores in uno, superiores in altero assererentur. De Rainaldi congressu cum Normannis sic Chronographus Engolismensis. DCCCXXXV. *Hero Insulâ, Rainaldus* XIII *Kal. Sept. cum Normannis congreditur.* Et Chronographus Lemovicensis. *Anno* DCCCXXXV. *Rainaldus Arbatilicensis Comes* XIII *Kalendas Septembris cum Northmanis dimicavit in Herio Insula.* Nullum in illis Auctoribus vocabulum de Rainaldi clade. Solus Ademarus, postquàm multa, quæ pertinent ad diversos annos, simul ad annum Redemptoris octingentesimum tricesimum conglobavit, hæc proximè subjungit in editione Labbeana [b]. *Verùm post annos 5 Rainal-*

[b] Tom. 1. Biblioth.

AN. CH. 835. LUDOV. IMP. 22. LOTHAR. IMP. 19. PIPPINI R. 21. LUDOV. R. 19. CAROLI R. 6.

dus Comes Arbatilicensis, mense Septembri, cum Normannis dimicat, & trucidatus est, vel *& fugatus est*, ut habent Codex Thuaneus & editio Chiffletiana. De mense ac die, quo pugnatum est, cum ceteris non convenit Ademarus, prælium enim *mense Septembri* consertum affirmat, alii XIII *Kalendas Septembris.* Tantæ non est auctoritatis, ut omnibus anteponi debeat, seu tempus seu rei gestionem spectes. Quid de illo sentiat, satis ostendit Chiffletius hac Notatiunculâ Chronico Lemovicensi inter probationes Trenorciensis Historiæ descripto subjectâ. *Hac eadem & iisdem ferè verbis refert Ademarus Engolismensis in Chronico ms. sed temporum Characteribus minùs diligenter adnotatis.* Rainaldus igitur hoc anno, decimo-tertio Kalendas Septembris in Hero Insula cum Nortmannis pugnavit, & adjuvante Sancto Filiberto, cujus Festivitas illo die celebrabatur, insignem retulit victoriam, qualis ab Ermentario describitur. Nec audiendi sunt, qui vel pugnam, quam Rainaldus cum Nortmannis conseruit, in duas diversis annis consignandas distinguunt, vel ipsum Rainaldum aut fugatum aut trucidatum comminiscuntur. Illo de Comite recurret sermo, vixit enim Ludovico Pio superstes.

LXXXVIII. Ex Ermentarii textu suprà citato liquet in Herum Insulam, quam anno priore *à generali Monachorum habitatione* destitutam diximus, nonnullos ex iis, qui propter Nortmannorum metum fugerant, summoto periculo per hyemem de mare rediisse, atque in horum numero fuisse Ermentarium, de cujus ætate ac scriptis hîc nobis inquirendum videtur.

LXXXIX. ERMENTARII ÆTAS ET SCRIPTA. Ermentarius in Præfatione ad Hilduinum Abbatem Carolo Calvo Rege sic habet. *Vitam Beati Filiberti, atque Miracula in ejus Translatione declarata, quæ ego tunc temporis tirunculus minùs culto composui stylo, Claritudini Vestræ mittere curavi.* Ex Hero Insula Reliquiæ Sancti Filiberti translatæ sunt ad Deense Monasterium anno Redemptoris octingentesimo tricesimo-sexto, mense Junio; Miracula in ipsa Translatione atque integro ferè pòst biennio in Monasterio Deensi perpetrata libello in capita tria & octoginta distincto complexus est Ermentarius, eáque post aliquot annos Hilduino Abbati cum vita Sancti Filiberti Carolo Calvo post patrem jam regnante transmisit. Ætatem suam satis indicavit, cùm se dixit tirunculum, quando eadem Miracula illis quibus fiebant temporibus in literas jubente Hilbodo Abbate referebat.

XC. Hunc computum Petrus Franciscus Chiffletius totis annis viginti & ampliùs antevertit. Cùm enim probationes Historiæ Trenorciensis à tribus libris de Sancti Filiberti Vita, Translationibus & Miraculis exorsurus esset, quasdam præmisit adnotationes, in quibus Ermentarium *haud procul anno Christi* DCCCXV jam tirunculum vocavit. Integram hujus Auctoris præmonitionem hîc describere, atque magna ex parte examinare non erit extra nostrum institutum. *Ermentarius primùm in Gemmetico Monachus, adhuc tirunculus (ut ipse ait) sub Coschino Abbate, ejus jussu vitam scripsit S. Philiberti Abbatis, haud procul anno Christi* DCCCXV, *per initia Ludovici Pii imperantis. Ea primo hujus Operis libro continetur, ab illis verbis,* [*Inclytus ille arbiter.*] *Cùm deinde ad Herum Insulam se transtulisset, in ea Religiosorum virorum comitatu fuit, à quibus S. Philiberti subductum inde Corpus, & per stationes ac mansiones varias circumvectum est. Per ea tempora librum alterum adjecit, qui est de S. Philiberti Translationibus & miraculis primus; quem Vita jam olim à se conscripta adjunctum, Hilduino Abbati Caroli Regis adolescentia moderatori Regióque Archicapellano nuncupavit anno Christi (ut videtur)* DCCCXLIII. *Tandem vaga S. Philiberti Monachorum familia Abbas datus, quinquennio illis præfuit: actum librum tertium conscripsit anno Christi octingentesimo sexagesimo-tertia, qui erat à primo piorum bajulorum ex Hero Insula egressu septimus & vigesimus: quo libro simul sequentis temporis Historiam complexus est, & in eundem superioris ætatis prætermissa congessit.* Hæc Chiffletius haud absque nævis.

Primò,

Primò, Sancti Philiberti vitam, cujus initium hæc faciunt verba, *inclytus ille arbiter*, ab Ermentario Gemmeticensi rum Monaeho ac tirunculo, jussu Coschini Gemmeticensis Abbatis compositam asserit, atque in opinionis suæ confirmationem duas malè detorquet Præfationes, quibus prædictæ Vitæ Scriptor & Ermentarius utuntur. Legit apud Auctorem vitæ in ipsa Præfatione hanc periodum. *Ego infimus intellectu vel opere, imperante Domno Coschino Sancti agminis Gemmeticensium Patre, quanquam indignus invoco Clementiam Christi, ut ad scribendum Vitam Beatissimi Filiberti ipse sensum meum erudiat, qui bruta labia asinæ fecit loqui, super quam cordis gressu claudicans Propheta sedebat.* Ex hoc textu colligit Ermentarium Gemmeticensem Monachum ad conscribendam Sancti Filiberti vitam manum calamo jussu Coschini Gemmeticensis Abbatis admovisse. Legit & apud Ermentarium hoc Præfationis initium ad Hilduinum Abbatem, quod suprà jam recitavimus. *Vitam Beati Filiberti atque Miracula in ejus Translatione declarata, quæ ego tunc temporis tirunculus minùs culto composui stylo, Claritudini Vestræ mittere curavi.* Atque inde concludit Ermentarium tiruneulum in Gemmetico fuisse, cùm vitam Sancti Filiberti sub Abbate Coschino scribebat.

AN. CH. 835. LUDOV. IMP. 22. LOTHAR. IMP. 19. PIPPINI R. 21. LUDOV. R. 19. CAROLI R. 6.

XCI.

Huic ratiocinationi Chronologia palàm refragatur. Ab obitu enim Coschini Gemmeticensis Abbatis ad primam Sancti Filiberti ex Hero Insula Translationem integrum seculum & ampliùs effluxit, quia Sancto Filiberto Sanctus Aichardus, huic Coschinus in administrationem Gemmeticensis Monasterii proximè successit. Vitam igitur Sancti Filiberti, quam jussu prædicti Coschini scriptam præ manibus habemus, haud scripsit Ermentarius, qui lucis usuram longè post ejusdem Coschini mortem accepit. Nec refert, quòd Ermentarius ipsam Vitam Sancti Filiberti direxit nuncupavitque Hilduino Abbati eum libro primo Translationum ae Miraculorum ejusdem Sancti Filiberti. *Id enim*, inquit optimè Joannes Mabillonius [a], *præstitit in eum finem, ut Hilduinus non solùm Miraculorum Sancti Filiberti, sed maximè ejusdem Vitæ lectione moveretur, sedémque Monachis Heriensibus palabundis à Carolo Calvo impetraret.* Audi ipsummet Ermentarium in Præfatione ad Hilduinum. *Vitam Beati Filiberti, atque Miracula in ejus Translatione declarata, quæ ego tunc temporis tirunculus minùs culto composui stylo, Claritudini Vestræ mittere curavi, quatenus talia recolentes, de ejus iterum transpositione consideretis. Quia, sicut optimè nostis, propter Nortmannorum infestationem à nullo ei præbetur officium; præsertim cùm nec ibi consistere, nec alicubi locum, quò transferri possis, obtinere valeamus. Si verò hoc negotium vestro peractum fuerit adjutorio (potestis namque id facillimè perficere, si posse comitatum fuerit velle, secundum quippe post Regem locum in omnibus tenetis) vobis quammaximè non modò impræsentiarum, verùm etiam in futurum proficietis.* In eundem finem conspirant & hi Versus ejusdem Præfationis.

XCII.

[a] Sec. 2. Benedict. in Observat. ad vit. S. Filiberti.

Hilduine Abbatum summo sit vita, salúsque,
Sit felix vita, gloria perpes, Amen.
Tu meritis almi fultus valeas Filiberti,
Vitam & virtutes cujus habenda cape.
Sis memor, oro, sui; nostri quoque sis miserescens,
Utque tui ille memor sit, memor esto sui.
Ille preces pro te Dominum fundendo precetur,
Ut felix vivas, & jugiter vigeas.
Tu quoque posce pium Regem Carolum reverenter,
Quò nobis tandem det miserando locum.
Vive diu felix, gaudens per tempora multa,
ERMEN enim vester TARIUS ista cupit.

In hac igitur prima Præfationis periodo, *Vitam Beati Filiberti, atque Miracula in ejus Translatione declarata, quæ ego tunc temporis tirunculus minùs culto composui stylo, Claritudini Vestræ mittere curavi*, vox relativa, *quæ*, non XCIII.

AN. CH. 835. LUDOV. IMP. 22. LOTHAR. IMP. 19. PIPPINI R. 21. LUDOV. R. 19. CAROLI R. 6.

ad *vitam Filiberti* refertur, sed ad *Miracula in ejus Translatione declarata*, quæ scripta sunt ab Ermentario tirunculo sub Hilbodo Abbate. Unde & Chiffletium & alios quoscumque redarguas, qui Monachis Gemmeticensibus Ermentarium accensent, nec, ut ita sentiant, aliâ ducuntur ratione, quàm quòd Sancti Filiberti vitam ab eo conscriptam putant jubente Coschino Abbate Gemmeticensi. Certè Ermentarius, qui se Monachum Heriensem sub Abbate Hilbodo, & rerum anno Redemptoris octingentesimo tricesimo-quinto in Hero Insula gestarum oculatum se testem ostendit, tertióque pòst anno, cùm primùm de Miraculis librum absolvit, adhuc tirunculum se fuisse prodit, alibi non induit Monachum, priusquàm in Hero Insula Monasticen ageret.

XCIV. Secundò, Chiffletius, ut Ermentarium Monachum Gemmeticensem & Auctorem vitæ Sancti Filiberti magis probet, Coschinum Abbatem Gemmeticensem collocat *haud procul anno Christi* DCCCXV, *per initia Ludovici Pii imperantis*, seu Coschinum, qui verè Gemmeticensis Abbas fuit, in illud tempus rejicit, seu duos distinguit Coschinos Gemmeticenses Abbates, quorum unum debito loco proximum Sancti Aichardi successorem agnoscat, alterum Carolo Magno & Ludovico Pio Augustis synchronum constituat.

XCV. Editus est Abbatum Gemmeticensium Catalogus in Gallia Christiana & in Neustria Pia, utrobique per nonum seculum copiosior quàm oportet, nonnullis Abbatibus, qui Centulæ præfuerunt, perperam insertis; nono tamen seculo non invenitur Coschinus, imò in toto Catalogo unus tantùm occurrit Coschinus, qui Sancto Aichardo proximè successit, Chilperico Tertio tum Rege, ut Tomo quarto diximus. At esto, duo fuerint Coschini Gemmeticenses Abbates, quorum Junior Præsulatum *haud procul anno Christi* DCCCXV *per initia Ludovici Pii imperantis* gesserit, an ejus jussu Vitam Beati Filiberti tunc conscripsisse censendus est Ermentarius, qui post annos tres ac viginti cùm primum de Miraculis librum anno Redemptoris octingentesimo tricesimo-octavo perficiebat, tirunculus adhuc erat, ut ipsemet posteà testatus est in literis ad Hilduinum Abbatem jam allegatis? Quis quempiam in scribendo tirunculum per annos tres ac viginti continuos dicat? Hæc aliàs cùm minùs accuratè perpendissemus, auctoritate Chiffletianâ quam laudavimus permoti Gemmeticensem Monachum & scriptorem Vitæ Sancti Filiberti censuimus Ermentarium, duósque Coschinos Gemmeticenses Abbates [a]admisimus. Hos errores quibuscumque locis aut simul aut separatim reperietis, amicâ benignitate sic emenda. Fatere nomen Auctoris ignorari, qui vitam Sancti Filiberti jubente Coschino Gemmeticensi Abbate literis commendavit. Ermentarium primò Monachum Heriensem, deinde vagæ suæ Congregationis Abbatem agnosce. Nec ullum in Abbatum Gemmeticensium Catalogo recense Coschinum præter proximum Sancti Aichardi successorem, quem Tomo quarto memoravimus integro ferè seculo, priusquàm Carolus Magnus Ludovicum filium in consortium Imperatoriæ Dignitatis assumeret.

XCVI. Quæ sequuntur apud Chiffletium de duobus Ermentarii libris, qui de Sancti Filiberti Translationibus ac Miraculis inscribuntur, suis examinabuntur locis. Hæc impræsentiarum sufficiant.

XCVII. FESTIVITAS OMNIUM SANCTORUM CELEBRATUR. Sigebertus in suo Chronico sic ad hunc annum scribit. *Monente Gregorio Papâ, & omnibus Episcopis assentientibus, Ludovicus Imperator statuit, ut in Gallia & Germania Festivitas Omnium Sanctorum in Calendis Novembris celebraretur, quam Romani ex instituto Bonifacii Papæ celebrant.* Lege sub initium Tomi prioris [a], quæ dicta sunt de institutione hujus Festi, cujus mentio fit ipsis Kalendis Novembris in genuino Bedæ Martyrologio, quocum Sigebertus facilè conciliatur, quia Ludovicus Augustus quod Romæ & in aliis quibusdam locis agi jam consuevetat, id deinceps *in Gallia & Germania*

[a] Tom. 7. a. 804. nn. 83. & seqq.

AN. CH. 835.

LUDOV. IMP. 22. LOTHAR. IMP. 19. PIPPINI R. 21. LUDOV. R. 19. CAROLI R. 6. HUGO EP. NIVERNENSIS.

fieri præcepit, Gregorio Quarto tum Pontifice. Nivernensem Ecclesiam, ut Coquillius in Nivernensium Episcoporum Catalogo testatur, Hugo per illud tempus regebat. Successerat Gerfredo, cujus mentionem ante biennium fecimus. Utriusque meminit Chenutius; at quatuor medios interponit, ipsúmque Hugonem in annum Redemptoris octingentesimum sexagesimum sic rejicit. *Hugo I anno 860. fertur instituisse Festum Omnium Sanctorum in Gallia & Germania, Nicolai & Caroli Calvi temporibus.* Robertus Chenutii Catalogum & Chronologiam sequitur; at nullum habet verbum de Solemnitate Omnium Sanctorum. Severtius à Chenutii Catalogo Chronologiâque non recedit; at negat ista convenire cum Solemnitate Omnium Sanctorum, cujus *institutionem ad Gregorium Papam Quartum & promulgationem per Gallias atque Germaniam ad Ludovicum Calvi patrem* apposité refert, culpandus tamen quòd Sigebertum ea de re siluisse scribit, nisi fortè censeas consultum ab eo Sigebertum ad annum Redemptoris octingentesimum sexagesimum, quo nomen Hugonis à Chenutio celebratur. Hugonem omittunt Sammarthani, laudat Coquillius ad hunc annum Redemptoris octingentesimum tricesimum-quintum, quo Ludovicus Imperator statuit, ut deinceps in Galliis & in Germania Festivitas Omnium Sanctorum in Kalendis Novembris celebretur. Plures autem in Cathedra Nivernensi sederunt Hugones Episcopi, quos varia Diplomata Codicis Nivernensis apertissimè distinguunt.

XCVIII.

In Annalibus Hepidanni, *Dedicatio Basilica Sancti Galli* memoratur apud Goldastum [a] *anno* DCCCXXXIII, apud Duchesnium [b] *anno* DCCCXXXIV. Auctor veteris Chronici in San-Gallensi Monasterio scripti atque in anno Christi nongentesimo vicesimo-sexto desinentis, necnon & Hermannus cùm Pistorianus tum Canisianus, eandem Dedicationem in annum Redemptoris octingentesimum tricesimum-quintum rejiciunt. Chronographus San-Gallensis, sic. DCCCXXXV. *Dedicatio Basilica Sancti Galli.* Hermannus anno Redemptoris octingentesimo tricesimo-quinto, & anno Ludovici Augusti vicesimo-secundo, in editione Pistoriana sic annotatis. *835. 22. Dedicatio Basilica Sancti Galli.* Idem Hermannus in editione Canisiana, sic. *835. Basilica S. Galli dedicata est.* Hæc Dedicatio in Necrologio San-Gallensi [c] ponitur decimo-sexto Kalendas Novembris. Dies ille, cui præfigitur in Kalendario litera C, facilè nos adducit, ut neglectâ utrâque Hepidanni editione Chronographum San-Gallensem & Hermannum cùm Pistorianum tum Canisianum sequamur, annus enim Redemptoris octingentesimus tricesimus-quintus literâ Dominicali C præditus fuit, & Ecclesiarum Dedicationes diebus Dominicis fieri consueverunt. Adversari videtur Ratpertus, novam enim Basilicam Sancti Galli, quam Gotzbertus Abbas anno Redemptoris octingentesimo tricesimo inchoavit, testatur perfectam fuisse anno ab ædificatione cœpta septimo, dedicatámque anno pòst secundo, sive ab operis inchoatione nono, id est, anno Redemptoris octingentesimo duodequadragesimo. *Gotzbertus Abbas veteri destructâ novam S. Galli cœpit ædificare Basilicam, anno videlicet Incarnationis Domini* DCCCXXX, *Hludowici verò Imperatoris* XVII, *quam utique spatio septem annorum ad plenum ædificando perduxit, annóque nono Dedicationem ipsius Basilica perpetravit.* At in hunc Ratperti textum, qui capite sexto legitur, nævum circa numeros annorum, ab inchoatione Basilicæ ad ejus Dedicationem, constat irrepsisse. Nam caput septimum, quo res post dedicatam Basilicam gestæ memorantur, ab Abbatis Bernwici substitutione sic incipit. *Tempore verò procedente idem Abbas* Gotzpertus, *cùm jam ætatis gravitatem corporísque infirmitatem non sufficere crederet ad instantium necessitatem negotiorum, à Hludowico Clementissimo Augusto impetravit, ut Bernwicus Monachus noster,* seu San-Gallensis, *successor illi existeret. Quod statim ut ille postulavit, effectum est: Ordinatus est verò Bernwicus Abbas, vivente Gotzperto, anno In-*

NOVA S. GALLI BASILICA DEDICATUR.

[a] Tom. 1. rer. Alamann.
[b] Tom. 3. Collect. Hist. Franc.
[c] Ap. Goldast. in reb. Alamann. t. 1. p. 1.

AN. CH. carnationis Domini DCCCXXXVII, Hludowici autem Imperatoris XXIIII.
835. Basilica igitur Sancti Galli, quam Gotzpertus Abbas erexit, nec anno ab
LUDOV. operis inchoatione septimo perfecta fuit, nec nono dedicata, sed multò
IMP. 22. citiùs ut perfecta, sic & dedicata, fuit enim dedicata decimo-sexto Ka-
LOTHAR. lendas Novembris, anno post cœptam ædificationem sexto, Incarnationis
IMP. 19. Dominicæ octingentesimo tricesimo-quinto, Imperii Ludoviciani vice-
PIPPINI simo-secundo. Dedicationi præsentes interfuerunt Episcopi Constantien-
R. 22. sis & Basileensis cum Augiensi Abbate. Sic enim idem Ratpertus scribit.
LUDOV. *Gotzpertus Abbas Dedicationem ipsius Basilicæ perpetravit, convenientibus ad idem*
R. 19. *Monasterium, Wolfleozo, ad cujus Diœcesim pertinebat, Constantiensi Episcopo,*
CAROLI *unàque Oadalricho Basiliensi Episcopo, Erlebaldo quoque Augensis Monasterii Ab-*
R. 6. *bate cum aliquantis suæ Congregationis fratribus.* Istorum Episcoporum atque Abbatum nomina variis modis efferuntur. Wolfleozus seu Wolfleoh vel Wolfoleus aut Wolflerus Episcopus est Constantiensis ad Rhenum. Oadalrichus sive Udalricus Episcopus est Basileensis seu Basiliensis. Gotzpertus seu Gotzbertus Abbas est San-Gallensis. Erlebaldus sive Erlaboldus Augiensis est Abbas.

XCIX. TRANSLATIO S. QUINTINI. In libro de Sancti Quintini Miraculis ac Translatione, quem ex veterum Chartarum Regesto Claudius Hemeræus Augustæ Viromanduorum vindicatæ & illustratæ subjecit, hæc leguntur capite quadragesimo. *Abbas Nobilissimus atque bona indolis, Serenissimi Karoli Augusti filius, Hludowicique Imperatoris frater, Hugo nomine, sepulturam præfati Martyris maximo dilexit amore, magnificentissimóque voluit honore decorare; sed, situ loci impediente, aliter hoc nequivit accelerare, nisi sepulchrum illius remotum fuisset. Qua de causa, anno octingentesimo vigesimo-quinto Christi Incarnationis, siquidem Hludowici Imperatoris duodecimo, necnon ipsius Abbatis secundo, die* VIII *Kl. Novembris, consultu præfati Imperatoris aliorúmque bonorum hominum plurimorum, Eichardum Episcopum Noviomacensem, & Symeonem Pontificem Laudunensem, ac Patratum Saxoniæ Præsulem, duósque eorum Chorepiscopos, atque Sacerdotes, & alios Dei quamplures Ministros convocans, ipsum sacrum de loco quo S. posuerat Eligius, corpus elevans, optimo loco quo & nunc aptimè jacet tumulatum, aromatibus conditum olosericis & deauratis vestibus involutum decentissimè sepelivit.* In Sermone de tumulatione Sanctorum Christi Martyrum Quintini ac Victorici & Cassiani Confessoris, hæc quoque de prædicta Sancti Quintini Translatione memorantur. *Anno Dominicæ Incarnationis octingentesimo vigesimo-quinto ab Hugone Monastico Abbate, & à Drogone Metensium videlicet Pontifice, ab illo loco iterum elevatur, aromatúmque liquoribus gratanter perfunditur. Dedicatâ quidem Episcopali benedictione Basilicâ, à Fulrado memorabili Abbate honorabiliter constructâ, Christi Martyris Quintini membra in honorabili crypta tertiò tumulantur.* Hic textus alludit ad Inventionem Sancti Quintini quæ per Sanctam Eusebiam priùs facta est quàm Viromandui Francis subessent, necnon & ad alteram quæ per Sanctum Eligium Noviomensem Episcopum facta est anno Christi sexcentesimo quadragesimo-primo, ut Tomo tertio [a] probavimus.

C. In textus proximè descriptos irrepserunt nævi. Hugo non Monasticus sed Canonicus Abbas fuit. Comâ depositâ Clericis annumeratus est, & in Clericorum seu Canonicorum Monasterio multis annis degit, ut observatum Tomo superiore [b]. Deinde Cœnobiis San-Quintiniensi ac Sitivensi præfuit in quibus erant Clerici seu Canonici. Quibus temporibus Abbas illorum locorum constitutus sit, accuratè perpendimus ad annos Redemptoris octingentesimum tricesimum-tertium [c], & octingentesimum tricesimum-quartum [d]. Malè secundus annus regiminis San-Quintiniensis cum anno Dominicæ Incarnationis octingentesimo vicesimo-quinto, Ludovici Augusti duodecimo componitur. Restitui debet annus Dominicæ Incarnationis octingentesimus tricesimus-quintus, Ludovici Augusti vi-

[a] Ad an. 641. n. 1.
[b] Ad an. 822. nn. 6. & seqq.
[c] Num. 92.
[d] Num. 5.

cesimus-secundus. Lege Claudium *de la Fons* in Historia San-Quintiniensi [a]. AN. CH. 835.

Interfuerunt huic Translationi, Drogo Metensis Episcopus, Achardus Episcopus Noviomensis, Simeon Laudunensis Episcopus, & Baduradus Episcopus Paderbornensis, cum duobus Chorepiscopis & aliis quampluribus Dei Ministris. De Drogone nulla difficultas. Lege de Achardo & Badurado quæ nuper ad hunc annum [b] præmisimus, cùm ageremus de Episcopis, qui Synodo apud Theodonis villam adsederunt. Simeon Laudunensis Episcopus Ostroldo, cujus mentionem Tomo superiori fecimus, hoc eodem anno successit, postquàm Ebo in Synodo apud Theodonis villam congregata jussus est à Pontificali Ministerio recedere. Hincmarus Remensis Archiepiscopus Opusculo quinquagesimo-quinto proximos Hincmari Laudunensis Episcopi decessores, Simeonem & Pardulum, sic commemorat. *Decessores*, inquit, *tui, Simeon, & Pardulus cui successisti*. De Simeone rursum recurret sermo, superstes enim in vivis erat, quando Hincmarus ad Archiepiscopatum Remensem assumptus est, ut ex prælaudato constat Opusculo. Ad annum Redemptoris octingentesimum undetricesimum [c] jam monuimus eos falli, qui *Patratum* seu Baduradum *Saxoniæ*, id est, Paderbornæ in Saxonia, *Præsulem*, in Episcopum Sajensem perperam deflectunt, ostendimúsque seriem Sagiensium Episcoporum sic instituendam esse, ut post Sanctum Godegrandum, cujus obitus anno Christi septingentesimo septuagesimo consignatur, in Sagiensi Cathedra sedeat Ragemfridus, tum Reginaldus, deinde Ingelnonus, qui Concilio Senonensi præsens interfuit, & Privilegio pro Monasterio Remigiano subscripsit anno Redemptoris octingentesimo tricesimo-tertio.

LUDOV. IMP. 22. LOTHAR. IMP. 19. PIPPINI R. 21. LUDOV. R. 19. CAROLI R. 6.

[a] Lib. 2. c. 6.

CI.

[b] Nu. 10. 20.

[c] Num. III.

CII. EPISCOPI HILDESHEYMENSES.

Guntharius seu Guntherus Hildesheymensis Ecclesiæ primus Episcopus, cùm Templum Sanctæ Cæciliæ condidisset, aliúdque Beatissimæ Virginis à Ludovico Imperatore vidisset inchoatum, obiit hoc anno, sepultúsque est in Sacello Arcis à se constructæ. Lege Bruschium in Catalogo Hildesheymensium Episcoporum & Bucelinum parte primâ Germaniæ Sacræ. Successit Remibertus seu Frembertus, de quo iidem Scriptores.

CIII. WICEBURGENSES.

Stephanus Baluzius libro primo Miscellaneorum publicavit *Chronicon Wirziburgense*, quod incipit à Martyrio Sancti Kiliani, desinitque in anno Christi millesimo centesimo primo. In hoc opere series potissimùm habetur Romanorum Pontificum, Imperatorum, Archiepiscoporum Moguntiacensium, & Episcoporum Wirceburgensium. In plerisque locis circa Chronologiam non desunt nævi. Præcipuus nobis videtur, quòd Sancti Burchardi primi Wirceburgensis Episcopi felicem ad Deum transitum rejicit in annum Christi septingentesimum nonagesimum-primum, eique tunc successorem subrogat Megingaudum, qui post eundem Burchardum anno Christi septingentesimo quinquagesimo-primo sedere cœpit. Tomo superiore dissidium illud annorum quadraginta non negligenter examinavimus ad annum Redemptoris octingentesimum decimum-quintum [d], Ludovici Augusti secundum, quo concordia inita est inter Wolfgerum Wirceburgensem Episcopum & Ratgarium Abbatem Fuldensem. Wolfgeri Wirceburgensis Episcopi mortem Gaspar Bruschius in Herbipolensium Episcoporum Catalogo & Gabriel Burelinus in prima parte Germaniæ Sacræ colloeant anno Redemptoris octingentesimo tricesimo-primo, Auctor Chronici Wirziburgensis octingentesimo tricesimo-secundo. Discrepantia istius anni ex eo proficiscitur, quòd Wolfgerus seu Wolsgerus apud Bruschium Ecclesiæ suæ præest *uno & viginti annis, mensibus sex, diebus tribus*, & in Wirziburgensi Chronico sedet *annos* XXII, *menses* VI, *dies* XI. Controvertitur etiam dies obitûs, in Chronico Wolfgerus moritur II *Id. Novembris*, apud Bruschium *quartâ Novembrium* seu II Non. Novembris. Idus & Nonæ facilè commutari potuerunt. Quidquid autem sit de die, longè majoris est

[d] Nu. 19. & seqq.

AN. CH. momenti quæ ſuper anno movetur difficultas. Wolfgeri mortem pridie
835. Nonas Novembris anno Redemptoris octingenteſimo duodevieeſimo con-
LUDOV. ſignavimus. Ad illum uſque annum à prima Wirceburgenſis Epiſcopatûs
IMP. 22. erectione ſecuti ſumus Egilwardi Chronologiam, quæ Wolfgeri Præſula-
LOTHAR. tum *annis viginti-duobus* & *menſibus ſex* circumſcribit. Wolfgero ſucceſſit
IMP. 19. Humbertus, qui Fuldenſis Eccleſiæ Dedicationi ac Tranſlationi Sancti Bo-
PIPPINI nifacii Martyris interfuit anno Redemptoris octingenteſimo deeimo-nono [a],
R. 21. ut ad illum annum ex ſcriptis Rabani & Candidi ſimul eollatis probavi-
LUDOV. mus. Atque hæc epocha pati non poteſt, ut obitus Wolfgeri poſt annum
R. 19. Redemptoris octingenteſimum deeimum-octavum rejiciatur, vel differa-
CAROLI tur in annum noni ſeculi ſeu trieeſimum-primum ſeu tricefimum-ſecun-
R. 6. dum. Humbertus ſive Hunibertus aut Hubertus apud Bruſehium ſedet
[a] Nu. 16. & ſeqq. *novem annis, tribus menſibus, octo diebus*, obitque *anno ſalutis 841, menſe Martio*. Eundem annum notat Bucelinus, poſterum Auctor Chronici Wirziburgenſis, apud quem hæc leguntur. DCCCXLII. *Humbertus Epiſcopus Wirzbur. obiit* VII *Idus Martii. Sedit annos* X. *menſes* SII. *dies* VIII. De Pontifieatûs diuturnitate convenit Egilwardus. At præter minutias menſium ac dietum, ſeu novem annos ſeu decem tribuas, Humbertus Epiſeopus, qui Diœeeſim Wirceburgenſem anno Redemptoris octingenteſimo deeimo-nono jam regebat, haud aſſecutus eſt annum Redemptoris octingenteſimum quadrageſimum-ſeeundum quem Auctot Chronici Wirziburgenſis appoſuit, imò nec præcedentem quem Bruſehius & Bueelinus adnotarunt. Longè aliter inſtituenda hoc loeo Chronologia. Proximis poſt Humberti mottem Kalendis, ut Bruſchius teſtatur, ad Epiſeopatum Witceburgenſem promotus eſt Gotzbaldus Abbas Inferioris Altaichii, qui deinceps Epiſcopale munus & Abbatiale ſimul geſſit. Inter Additiones ad Hundium, quas Chriſtòphorus Gewoldus Abbatibus Altahæ Inferioris
[b] Ch. 7. adjecit, extat Charta [b], in qua laudatur *Vir Venerabilis Gotzbaldus Wirzburgenſis Epiſcopus necnon & Rector Monaſterii cui vocabulum eſt Altaha*. Datum hoc Diploma XI *Cal. Aprilis, anno, Chriſto propitio, 19 Regni Domini Ludovici Glorioſiſſimi Regis in Orientali Francia, Indict. 14, Ratiſponâ civitate*, id eſt, anno Redemptoris octingenteſimo trieeſimo-ſexto, quocum per menſem Martium componuntur Indictio deeima-quarta & annus Ludoviei Regis decimus-nonus, initio Regni ducto à die quo conſors Regni Bojoariei dictus eſt à patre. Gotzbaldus nondum Epiſcopus erat pridie Nonas Octobris, anno deeimo-ſeptimo Ludovici Auguſti, Indictione nonâ jam inehoatâ, ſive anno Redemptoris octingenteſimo trieeſimo, ut patet
[c] Ad an. 830. n. 54. ex Diplomate ad illum annum [c] à nobis deſcripto, in quo Ludovieus Bojoariæ Rex ita loquitur. *Vir Venerabilis Gozbaldus Sacri Palatii noſtri Summus Capellanus, & Abbas Monaſterii quod dicitur Altaha, quod eſt conſtructum in honore Sancti Mauritii Martyris Chriſti, adiens Excellentiam noſtram innotuit Clementia noſtra*, &c. Eundem Gotzbaldum non Epiſcopum ſed Abbatem vocat Theganus capite quadtageſimo-quinto, ubi meminit Legationis, quam Ludovicus Bojoariæ Rex ad Lotharium frattem miſit anno Redemptoris octingenteſimo trieeſimo-tertio, poſtquàm tes apud Compendium in patris exauctoratione geſtas audivit. *Direxit*, inquit, *Legatos ſuos Gozbaldum Abbatem & Morhardum Palatinum Comitem*. Ergo non multùm à tecta Chronologia poteris aberrare, ſi mortem Humberti Witceburgenſis Epiſcopi Gotzbaldique ſubrogationem anno Redemptoris octingenteſimo tricesimo-quinto conſignaveris. Porrò Humbertus, ſi pridie Calendas Januarias, ut Bruſchius aſſerit, ad Epiſeopatum aſſumptus eſt eodem quo Wolfgerus obiit anno, certè vitam nec deeimo nec undecimo ſed decimo-ſeptimo Pontificatûs anno tetminavit. De Gotzbaldo ſucceſſote ſermo ſæpius recurret.

CIV. Mortuus eſt hoc anno Ermor Aletenſis Epiſcopus, cùm ſediſſet annos
ALETENSES. duodeviginti. Subtogatus eſt ei Jarnuvaltus. De utroque conſulendus

AN. CH. 835.
Ludov. Imp. 22. Lothar. Imp. 19. Pippini R. 21. Ludov. R. 19. Caroli R. 6.

Auctor Armoricæ Sacræ. Memorantur & hoc eodem anno à Sammarthanis in Gallia Christiana Sendardus Aptensis Episcopus & Liutadus Episcopus Vinciensis.

CV. Rabanus Abb. Fuldensis reliquias suscipit allatas Roma.

In Rabani vita, quam Rudolfus ejus discipulus literis commendavit, & Joannes Mabillonius parti secundæ Seculi quarti Benedictini nuper inseruit, Deusdona Romanus Diaconus, qui Sanctorum Reliquias ante aliquot annos Eginhardo detulerat, alias etiam hoc anno dedisse memoratur prædicto Rabano tunc Abbati Fuldensi. *Supradictus Diaconus itinere, quo cœperat, in Franciam venit, ac primùm se ad Einhardum contulit, erat enim ei familiaris. Deinde commendatis sub signaculo Sanctorum Reliquiis ibi in Ecclesia Beatorum Martyrum Marcellini & Petri conservandis Moguntiam profectus est, ubi tunc erat quidam Presbyter ex Monachis nostris* seu Fuldensibus, *nomine Theotmar, pro causis quibusdam ab Abbate ad Otgarium Archiepiscopum missus. Is cùm Diaconum vidisset, cognito quòd esset Romanus, percontatus est ob quam causam tam procul à patria peregrè esset profectus, auditísque causis itineris, hortari eum cœpit, ut partem Reliquiarum, quas se habere confessus est, suo donaret Abbati* Rabano, *sciens se procul dubio ob id benè ab eo fore remunerandum. Placuit Diacono suadentis consilium, factâque promissione dimisit Presbyterum, die quâ tunc inter eos convenerat, ad locum ubi Reliquias dimisit, obviam ei reversurum, & si Abbati conventio eorum placuisset, Reliquias suscepturum. Ille antè cum festinatione Monasterium revertens, primùm responsa Archiepiscopi retulit Abbati, deinde quomodo cum Diacono de Reliquiis condictum habuerat, intimavit. Quibus ille auditis valdè gavisus est, voléns que velociter experiri fidem sponsionis, remisit eum, & alterum cum eo Presbyterum ex fratribus nostris, nomine Artharium cum munusculis, sicut promissum erat, Diacono perferendis, ad cujus hospitium cùm venissent, allatis muneribus Reliquias quas promiserat, reposcebant. Tum ille, deliberatum, inquit, habeo vobiscum pariter ad Monasterium proficisci, & non solùm partem Reliquiarum, sicut promisi, sed etiam totum, quod modò habeo ex omnibus, quas ad hanc terram attuli, vestro Abbati offerre, ejúsque fidei me cum eis pariter committere. Erat autem eo tempore festivitas Sanctorum Martyrum Marcellini & Petri, ad quam quia magna multitudo populi confluxerat, & Diaconus quosdam ex eis, apud quos hospitabatur, suspectos habebat (veritus est enim, ne fortè eorum machinationibus, vel fraude, vel violentiá Reliquias amitteret) visum est eis non priùs loco egredi, quàm transactâ festivitate populus ad sua remearet, miserúntque ad Abbatem, Diaconi voluntatem nuntiantes, ipsi intereà qua itineri suo & subvectioni Sanctarum Reliquiarum necessaria videbantur, parare curabant. Erat etiam non procul ab eis Presbyter, unus ex fratribus nostris, nomine Authadus, Præpositus locorum in illis partibus Monasterio subjacentium, cui injunctum erat, ut statutis temporibus inde necessaria Fratribus administraret. Hunc statuerunt accersiri, quò facilius id, quod inchoatum habebant, & efficere moliebantur, fraterno roborati consilio implere potuissent. Qui cùm venisset, & finitâ Sollemnitate populus ex maxima parte jam recessisset, paratis omnibus, quæ itineris eorum usus postulabat, loculum, quo Sanctæ Reliquiæ erant recondita, elevantes cum hymnis & laudibus ferre cœperunt, undique per viam confluentibus populis, & elatâ in excelsum voce divinas laudes cantantibus, ac sic iter eorum Domino prosperante cum turba non modica, quæ feretrum sequebatur, die alterâ ad Monasterium venerunt. Fratres autem occurrerunt eis cum Crucibus ac cereis, adventum eorum præstolante Abbate in Ecclesia Beati Johannis Baptistæ, quæ erat in itinere eo, distans à Monasterio Africum versùs quasi stadiis novem. In quam pridie Nonas Junii cum sacris Reliquiis intrantes, populo, qui eos de diversis veniens per saltum secutus est & jam reverti volebat, orandi ac vota solvendi spatium dabant. Quibus peractis levantes loculum, ad Monasterium venerunt, ac Basilicam Beati Bonifacii Martyris cum laude & lætitia ingressi, juxta Altare, in parte meridiana feretrum cum sacris cineribus posuerunt. Alterâ autem die Deusdona Diaconus, & germanus frater illius, nomine Theodoricus, laïcus, primo mane, cum Abbate*

AN. CH. 835. LUDOV. IMP. 22. LOTHAR. IMP. 19. PIPPINI R. 21. LUDOV. R. 19. CAROLI R. 6.

ac duobus Presbyteris, quorum ego alter eorum, seorsum Basilicam ingressi, loculum aperuerunt, & singulorum ossa Sanctorum, sicut in pulvinis semetim condita fuerant, proferentes Abbati dederunt, coxam videlicet ac pedem Sancti Alexandri Papæ & Martyris, & brachium Felicissimi Diaconi, caput Sanctæ Concordiæ Martyris, ac partem de ossibus Sanctorum Apostolicorum Fabiani atque Urbani Martyrum Christi, pedem Beati Castuli, ac dentem Sancti Sebastiani, de ossibus Sanctorum Pamphili Presbyteri & Martyris, Papiæ, Mauri atque Victoris, Sanctæ quoque Felicitatis matris septem filiorum, & Sanctarum Virginum & Martyrum Emmerentianæ atque Basillæ partes non parvas, in singulis sacculis seorsum conditas. Quas cùm ille venerabiliter suscepisset, & cum honore ac reverentia deosculatas loculo reconderet, post paucos dies, remuneratum Diaconum ac fratrem ejus remisit in patriam, promittentes se cum aliis Sanctorum Reliquiis, si eis vita comes ac divinus favor adesset, iterum ad eum esse venturos. Postquàm illi reversi sunt ut irent in patriam suam, evolutis diebus admodum paucis, memoratus Abbas cum auctoritate Otgarii Archiepiscopi Moguntiacensis Ecclesiæ per Reginbaldum Coepiscopum ejus ossa Sanctorum Martyrum Alexandri & Fabiani cum magno honore intulit in Ecclesiam Beatæ Dei Genitricis Mariæ, ad Septemtrionalem plagam Monasterii sitam, atque in arca saxea inclusis eorum plumbeis loculis ad orientem Altaris collocavit IV *Kal. Augusti, erigens desuper ligneum ædificium, mechanicâ arte fabricatum, quod argento & auro atque lapidibus pulcrâ varietate decoravit, addens etiam Versus, quibus, unde & quò & ad quæ loca translati sunt, declaratur, metricâ lege compositos & literis aureis scriptos, hoc modo.*

CVI.

Pontifices Summi, Roma huc quos misit habendos,
Pastores fuerant Sedis Apostolicæ.
Hos servus Christi Hraban suscepit ovando,
Illorúmque ossa hoc condidit in loculo.
Levita ergo duo prædicta ex urbe secuti
Venerunt istuc digni & honore suo.
Quos idem famulus Domini mox obvius adstans
Supplex accepit, hícque simul posuit.
Martyr Alexander, Martyr Fabianus & ipse,
Huc venere simul, Doctor uterque pius.
Discipuli Syxti Papæ digníque Ministri,
Felicissimus hic Agapitúsque manent.
Omnes hi pariter aulam hanc satis ossibus ornant,
Virgo Dei Genitrix quam dicas & meritis.
Vos quoque qui instrastis Templum hoc, hos cum prece fusa
Patronos vobis quærite in auxilium.

CVII. *Reliquorum verò Sanctorum ossa, qui suprà nominati sunt, in arca, quam ad instar arcæ fœderis Dei ex ligno fabricatam atque deauratam cum Cherubin ac vectibus suis in Basilica Beati Bonifacii Martyris in absida orientali posuerat, condidit, donec venerationi eorum locum congruum pararet. Quòd & posteà cum Dei adjutorio, quamcelerrimè potuit, devotus implevit. Hæc autem gesta sunt anno ab Incarnatione Domini* DCCCXXXV, *Indictione* XIII.

CVIII. CHRISTIANUS ABBAS PRÆCEPTUM OBTINET PRO MON. S. GERMANI AUTISSIOD.

Eâdem Indictione, anno Imperii Ludoviciani vicesimo-secundo, mense Augusto, Christianus Abbas Monasterii Germanensis in suburbio Altissiodorensi Præceptum impetravit à Ludovico Imperatore, quod in secunda parte Seculi quarti Benedictini nuper publicatum sic invenies. *In Nomine Domini Dei & Salvatoris nostri Jesu Christi, Ludovicus divinâ repropitiante clementiâ Imperator Augustus. Si petitionibus servorum Dei justis & rationabilibus, quas Majestatis nostræ auribus insinuaverint, divini cultûs amore favemus, illius misericordiam nobis propensius conciliandam omnino confidimus. Quapropter notum esse volumus cunctis fidelibus sanctæ Dei Ecclesiæ & nostris, præsentibus scilicet & futuris, quia Christianus Venerabilis Abbas Monasterii Sancti Germani Confessoris Christi, quod est situm in suburbio Autissiodorensium, adiens Serenitatem Culminis*

AN. CH. 835.
LUDOV. IMP. 22.
LOTHAR. IMP. 19.
PIPPINI R. 21.
LUDOV. R 19.
CAROLI R. 6.

nis nostri suggessit mansuetudini nostræ, antecessorem suum Abbatem Deus-Dedit vocabulo, nostram jam dudum petivisse Clementiam, ut nostræ auctoritatis Præcepto licentiam sibi Monachísque in eodem Monasterio sub suo regimine degentibus daremus, Abbatibus more humanæ fragilitatis decedentibus ex semetipsis secundum S. Benedicti Regulam eligendi Abbatem. Nósque ejus rationabilibus precibus annuentes, non solùm eamdem licentiam ob divinum amorem tribuisse, sed nostro Imperiali Præcepto eam denuò confirmasse. Sed quoniam quibusdam emergentibus adversæ partis turbinibus idem nostræ confirmationis scriptum nobis fideliter obediendo excidisse, seque amisisse professus est, humillimis precibus nostræ supplicavit Clementiæ, ut memoratam auctoritatem nostri favoris benignitatísque abundantiâ rescriptam recipere mereretur. Cujus supplicationes dignas ac rationabiles judicantes, aurem illi accommodare libuit; & idcircò hos nostræ auctoritatis apices circa memoratum Christianum Abbatem ac Monachos in sæpedicto Monasterio S. Germani Confessoris Domini per tempora labentia sub regulari habitu degentibus fieri daríque decrevimus: per quos præcipimus atque jubemus, ut quandocumque quispiam Abbatum ejusdem Monasterii divinâ vocatione rebus humanis excesserit, licentiam habeant ex semetipsis, si talis inter eos inveniri poterit, qui eis secundùm Regularem Ordinem præesse valeat & prodesse, Abbatem eligere: quatenus Regularis Ordinis normam ejus sanctissimâ administratione integerrimè conservantes, immo adimplere studentes, pro nobis, conjuge, prolêque nostra, ac stabilitate & pace totius Imperii à Deo nobis commissi attentiùs eos, quietiúsque Domini misericordiam indefessis precibus exorare delectet: & ut hæc nostræ præceptionis auctoritas nostris & successorum nostrorum temporibus inviolabilem & inconvulsam obtineat firmitatem, manu propriâ nostrâ subter eam firmavimus, & anuli nostri impressione assignari jussimus. Data quarto Kalendas Augusti, anno Christo propitio vigesimo secundo Imperii Domini Ludovici piissimi Augusti, Indictione decima-tertia. Actum Luco villa in Dei Nomine feliciter. Amen. In hoc Præcepto Christianum habes proximum Deusdedit in Abbatiali munere successorem. Utrùm autem hic Christianus idem sit cum Christiano, qui post aliquot annos Autissiodorensem Episcopatum suscepit, inquiremus infrà.

CIX.
WARINUS ABB. NOVÆ CORBEÏÆ FIT ETIAM ABB. RESBACENSIS.

In libro de constructione novæ Corbeïæ, quem sæpè jam citavimus, Warinus Abbas Corbeiensis in Episcopatu Paderbornensi fit etiam Abbas Resbacensis seu Rasbacensis in Meldensi Diœcesi. Desunt Characteres Chronologici, tamen id hoc anno putamus actum fuisse, cùm Hilduinus ab exilio rediisset, & Ludovicus Imperator tranquillâ cum filiis pace potiretur, nec adhuc in Saxoniam essent delatæ Sancti Viti Reliquiæ, quarum Translationem anno sequenti describemus. Hac observatione præmissâ textum Auctoris accipe. *Imperator etiam Venerabilem Abbatem Warinum ampliavit honore, eíque Monasterium Rasbacis cognomento Hierusalem, ad gubernandum tradidit.*

CX.
AREOPAGITICA HILDUINI EXAMINANTUR.

Idem Ludovicus, ut Sancti Dionysii memoriam illustraret, in cujus Basilica pristinam auctoritatem recuperarat, Hilduino illius loci Abbati mandavit, ut quæcumque tum ex Græcis cùm ex Latinis fontibus de eodem primo Parisiorum Episcopo scripta repererat, in unum volumen congereret, Historicóque stylo prosequeretur. *In Nomine Domini Dei & Salvatoris nostri Jesu Christi, Ludovicus Divinâ repropitiante Clementiâ Imperator Augustus Hilduino Venerabili Abbati Monasterii Sanctissimorum Martyrum ac specialium Protectorum Dionysii pretiosi sociorúmque ejus, æternam in Christo salutem. Quantùm muneris atque præsidii non modò nobis ac prædecessoribus seu progenitoribus nostris, verùm etiam totius Imperii nostri populis, Domini providentia per beatissimum Dionysium sæpenumero, immo continuè in magnis gratiarum ubertatibus contulerit, cuncta per transacta tempora Gallica generationes senserunt, quæ ejus insigni Apostolatu fidei rudimenta sumpserunt, & salutis subsidia perceperunt. Prædecessores autem nostri gloriam hujus eximii testis & amici Dei non inaniter coluerunt, qui dum ejus sacras exuvias in terris ob amorem & honorem Domini nostri Jesu Christi,*

AN. CH. 835. LUDOV. IMP. 22. LOTHAR. IMP. 19. PIPPINI R. 21. LUDOV. R. 19. CAROLI R. 6.

*opibus quibus poterant honoraverunt, per ejus preces dignissimas honoris privilegio potiri & in terrenis & cælestibus meruerunt, ut videlicet unus ex priscis Francorum Regibus Dagobertus, qui eundem pretiosissimum Christi Martyrem veneratus non mediocriter fuerat, & in * mortali est vita sublimatus, & per ejus adjutorium, sicut divino ac celebris ostensio perhibet, à pœnis est liberatus, ínque vita perenni desiderabiliter constitutus. Progenitores quoque nostri mellifluum nomen Domini Dionysii (sic enim verbis ac scriptis suis eum appellare consuevere) non incongruè piô dilectione & dilectissimâ pietate amplexi sunt. Quia proavus noster Karolus Princeps Francorum inclytus, per orationes ipsius excellentissimi Martyrũ indeptum se fuisse gratulatus est apicem Principatûs eidémque decurso mortalitatis tempore, quod charius potuit habere depositum, corpus scilicet proprium, in magni die judicii suscitandum, & animam Domino præsentandam fideliter commendavit, ac per hoc maximè devotionem atque fiduciam cordis sui ergo peculiarem Patronum potenter ostendit. Sanctæ nihilominùs recordationis avus noster Pipinus propter altare, quod ante sepulchrum sæpefati sæpiúsque dicendi domini Dionysii per divinam & memorabilem revelationem jussu ipsius sanctissimi Martyris in honorem Dei & Apostolorum Petri & Pauli, qui præsentes ostendebantur, à beato & Angelico viro Stephano Summo Pontifice dedicatum est, inter sacra Missarum solemnia unà cum duobus filiis, Karolomanno videlicet & divæ memoriæ domino ac genitore nostro Karolo jure prænominato Magno, ab eodem Apostolico Papa in Regem Francorum unctus, superni muneris benedictionem percepit. Quíque cum quanto se humilitate ante limina Basilicæ Sanctorum Martyrum, defuncto hujus vitæ curriculo, sepeliri præceperit, titulus etiam ipsius conditorii innotescit. Sed & nos multis ac frequentibus largitionibus beneficia ejus sumus experti, præcipuè tamen in humano varietatis eventu, quo Dei, ut semper fatendum est, justo judicio in virga eruditionis suæ visitati, & baculo speciosæ misericordiæ ejus, ante præscriptum altare per merito & solatium domini ac piissimi patris nostri Dionysii, virtute divinâ recrecti & restituti sumus, cingulumque militare judicio atque authoritate Episcopali resumpsimus, & usque ad præsens ipsius gratioso adjutorio sustentamur. Idcircò venerabilis custos ac cultor ipsius provisoris & adjutoris nostri domini Dionisii, monere te volumus, ut quicquid de ejus notitia ex Græcorum Historiis per interpretationem sumptum, vel quod ex libris ab eo patrio sermone conscriptis & authoritatis nostræ jussione ac tuo sagaci studio interpretúmque sudore in nostram linguam explicatis, huic negotio inseri fuerit congruum, quódque etiam in Latinis Codicibus jam inde habes inventum, adjunctis eis, quæ in libello ejus passionis continentur, necnon & illis, quæ in tomis vel chartis vetustissimis armarii Parisiacæ Ecclesiæ, sacræ videlicet Sedis suæ, prolatis inveneras, & obtutibus nostræ Serenitatis ostenderas, secundùm quòd rerum, causarum etiam & temporum convenientiam noveris, in corpus unum redigas, atque uniformem textum exinde componas, quatenus devotis compendiosiùs valeant innotesci, & fastidiosis minúsve capacibus vel studiosis lectionis possit tædium sublevari, paritérque omnibus ædificationis utilitas provideri. His ita contextis, volumus ut revelationem ostensam beato Papæ Stephano in Ecclesia ejusdem sanctissimi Dionysii, sicut ab eo dictata est, & gesta quæ eidem subnexa sunt, unà cum hymnis quos de hoc gloriosissimo Martyre atque Pontifice habes, & Officium nocturnale subjungas. Sed & differenter ac cum integritate sui quæque ex eo reperta sunt, in altero volumine colligas, nobísque distincto & correctè transcripto quantocyùs dirigas aut præsentes, quoniam maximum valdéque dulcissimum pignus desiderabilis præsentiæ illius domini & solatiatoris nostri, ubicumque simus, habere nos credimus, si cum eo, vel de eo, aut ab eo dictis, oratione, collatione, lectione colloquimur. Vale in Christo, vir Dei, in sacris orationibus jugiter memor nostri.*

* Baron. malè immortali.

CXI. In his literis Ludovicus aliquid de Dagoberto Magno refert, quod Historicæ repugnat veritati, certa verò sunt quæ subjungit de progenitoribus suis, patre videlicet Carolo Magno, avo Pippino, & Martello proavo. Quam Monachus San-Dionysianus post Dagoberti Regis obitum vi-

ſionem Joanni Eremitæ Siculo primus oſtenſam finxit, fabulis accenſuimus Tomo tertio ad annum Chriſti ſexcenteſimum duodequadrageſimum [a]. Tomo quinto actum de ſepultura Caroli Martelli ad annum Chriſti ſeptingenteſimum quadrageſimum-primum [b]; de unctione Regia Pippini ac filiorum per Stephanum Papam ad annum Chriſti ſeptingenteſimum quinquageſimum-quartum [c]; de ſepultura ejuſdem Pippini Regis ad annum Chriſti ſeptingenteſimum duodeſeptuageſimum [d].

[a] Num. 3. [b] Num. 15.
[c] Nu. 34. & ſeqq.
[d] Num. 9.

CXII. Imperator poſt longam præfationem, quâ memoriam beati Dionyſii plurimùm commendat, per eaſdem literas ab Hilduino Abbate poſtulat, ut tanti Pontificis Vitam ac Martyrium edat uniformi textu, conſultis ad illud opus Hiſtoriis Græcorum, libris ab eo Græcè conſcriptis, Latinis quoque Codicibus, libello Paſſionis, ac pervetuſtis Pariſienſis Eccleſiæ monumentis; eodémque Volumine revelationem oſtenſam Stephano Papæ in Baſilica San-Dionyſiana, necnon & Hymnos Glorioſiſſimi Martyris cum Officio nocturnali complectatur; deinde altero Volumine, quæcumque de eodem primo Pariſiorum Epiſcopo literis mandata ſunt, integrè tranſcripta comprehendat. Poſterius hoc Volumen adhuc deſideratur, prius commodè dividi poteſt duas in partes, quarum unam hoc anno, alteram poſtero confectam arbitramur.

CXIII. Quas Ludovici Pii literas ſuprà recitavimus, certo determinatóque Charactere deſtituuntur, vago tantùm conſignatæ, quo teſtatur Imperator reſtitutum ſibi regimen Imperii cum priſtinis honoribus. Eodem anno, quo res-iſta contigit, literas illas ab Auguſto ſcriptas exiſtimavit Cæſar Baronius, anno videlicet Redemptoris octingenteſimo triceſimo-quarto. Sed Ludovicus hoc textu, *cingulum militare judicio atque authoritate Epiſcopali reſumpſimus, & uſque ad præſens ipſius*, nempe Sancti Dionyſii, *gratioſo adjutorio ſuſtentamur*, innuit effluxiſſe jam aliquod temporis intervallum, ex quo militare cingulum in Baſilica San-Dionyſiana reſumpſit. Quapropter eandem epiſtolam in annum Redemptoris octingenteſimum triceſimum-quintum, qui proximus ab Imperatoris redintegratione fuit, rejiciendam duximus.

CXIV. Hilduinus acceptis Ludovici literis operi ſe ſtatim accinxit, & quæcunque memoria librique præ manibus habiti ſuppeditarunt, ſimul collecta mox eidem Imperatori cum hoc tranſmiſit reſcripto. *Domino benignitate admirabili & authoritatis reverentiâ honorabili, Ludovico Pio ſemper Auguſto, Hilduinus humilis Chriſti famulus, & Domini mei Dionyſii pretioſi ac ſociorum ejus Matricularius, veſtraque Imperiali Dominationi in omnibus devotiſſimus, præſentem in Chriſto proſperitatem atque æternæ felicitatis benedictionem optat & gloriam. Exultavit cor meum in Domino, & exaltatum eſt cornu meum in Deo meo. Dilatatum eſt os meum, & gaudebunt labia mea, ut annunciem præconia Domini mei Glorioſiſſimi Martyris Dionyſii, ab eximio Imperatore Domino meo juſſus. Quæ reticere non poteram, etiamſi à quoquam fuiſſem fortè prohibitus, & reverà magna mihi eſt ratio gratulandi, quoniam cumulatiùs mihi effectum deſiderii mei præſtare voluit divina dignatio, ut mentis meæ conceptum ei placere cognoſcerem, cùm quod agere ſpontaneè diſponebat mea humilitas, in agendo datâ manu authoritatis, cooperaretur veſtra Deo placens Sublimitas. Qua de re bonorum operum & ſpiritualium omnium ſtudiorum illum authorem eſſe non dubium eſt, qui quorum incitat mentes, quo ſibi placet ingenio adjuvat actiones. Sed & in hoc valdè exultat ſpiritus meus in Deo ſalutari meo, quoniam Chriſtianus animus veſter ſic evidentiſſimè erga ſe divinæ bonitatis beneficia, & Sanctorum cognoſcit ſolatia, & tam promptiſſimè ſe accenſum oſtendit circa authoris & reparatoris ſui ſeu ſpecialium ſuffragatorum ſuorum venerationem atque obſequium. Non enim ſic ab intimis pia anima veſtra divina confiteretur vera & juſta judicia, niſi ſeipſam Sancto illuminatam cognoſceret Spiritu, nec ita devotiſſimè amici Dei benè geſta & dicta, maxima ſagacitatis veſtræ prudentia perquireret, niſi ſummum bonum, à quo &*

AN. CH. 835.
LUDOV. IMP. 22.
LOTHAR. IMP. 19.
PIPPINI R. 21.
LUDOV. R. 19.
CAROLI R. 6.

per quem omnia sunt bona, diligeret. Cujus amore religiosa devotio vestra accensa esse dinoscitur, ut Christi militum gloriosos triumphos inquireret. Quos cum noverit, per eorum adjutorium robustius contra vitia vitiorumque authores pugnabit, quatenus Martyrum exempla sectando, qui viriliter certavere, & fideliter satis vicere, ad palmam, quâ illi muneratı sunt, & ipse pertingat. Huc accedit ad voti & solicitudinis vestræ incitamentum, quia Ezras Sanctæ Scripturæ reparator, magnum remunerationis donum exinde apud Deum promeruit, & laudabile sibi nomen apud homines acqu... Quocirca & vestræ sedulitatis instantiâ, cum pro magna antiquitate hujus ...ntissimi Patris nostri, quantùm ad generationem terrenam & conversionem s... ob tum attinet, mira sanctitate & Miraculorum prodigiis, orbi penè cuncto innotuit, notitia ipsius paucis nostrorum cognita, plurimis adhuc manens incognita, cùm per vestrum studium patuerit, & meritum ut meliùs ipsi scitis, grande vobis conciliabitis, & memoriale perpetuum acquiretis. Faciat autem Dominus, ut & nos idonei cooperatores inveniamur ad bonæ voluntatis vestræ perfectionem, qui tantò sine aliqua hæsitatione vestris jussionibus obedimus, quanto illa rogatis seduli exactores, quæ exhibemus voluntaris executores. Idcircò quia reperta quæque tam in Græcis quam in Latinis Codicibus ex Domino & Patrono nostro Dionysio, quæ hactenus minùs cognovimus, vobis ocyùs in unum collecta mittere posistis, & incongruum ducimus authoritatis vestræ desiderio differri, quod ex debito servitutem nostram constat debere largiri, quantùm connivet brevitas temporis, quicquid ori suggesserit memoria citæ recordationis, favente Domino, velociter scribentium committemus Notariorum articulis, deprecantes vestram humiliter sapientiam, ne in his, quæ reverentiâ & amore Sanctissimi Martyris, & propter jussionis vestræ obedientiam scribenda aggredimur, verborum pompositatem aut dictationis leporem, sed purissimæ veritatis, sicut ab antiquorum dictis sumpsimus, quærere studeatis syncerıtatem. Nósque reprehendere de casuum, præpositionum atque conjunctionum virtute, seu literarum in subsequentes immutatione, vel punctorum secundum artem Grammaticam positione nolite, quia non id studendum, sed nostræ deservitionis obsequium ac commendationis vestræ officium accelerandum suscepimus, maxime cùm hæc, quæ ab aliena lingua expressimus, in tenoris serie, sicut de prælo sunt eliquata, teximus; quæ licet in interpretatione non redoleant supparem sermonis odorem, sapidum tamen referunt veritatis & intellectus sui saporem. Ordinem igitur Historiæ, sicut vestra jussit Dominatio, in unum congestum & singulatim posteà plenitudinem ejus discretam, cunctis legentibus atque audientibus pandemus. Nam divinæ erit inspirationis & exequutionis, id, quod desideramus fideli animo propalare, verum atque probabile demonstrare. Ex quo nos laborandum non magnoperè æstimamus, quia quid tenendum de hoc Sanctissimo Martyre Christi sit, quid credendum, notæ & probatissimæ personæ veracibus dictis declarant.

CXV. Hisce literis Hilduinus adjecit lucubrationem satis prolixam, quæ tota spectat ad vitam Sancti Dionysii. Nonnulla tantùm attingemus capita, de quibus necessariò nobis hîc disputandum videtur. *Genere*, inquit, *eum*, nempe Dionysium, *nobilissimum, & Philosophia magisterio insignem apud Athenas claruisse, & aliarum Historiarum & Actuum Apostolorum testimonio, secula prisca seu instantia cognoverunt, maximè autem ex Historia Aristarchi Græcorum Chronographi, qui in epistola ad Onesiphorum primicerium de situ Athenæ civitatis & gestis ibidem Apostolorum temporibus scribens, ortum prosapiæ & doctrinam ejus, atque conversationis ordinem, sive ætatis tempus, necnon & ordinationem ipsius, ac prædicationem, subrogationem etiam Episcopi suo loco, & adventum illius Romam ordinabiliter narrat. Quam epistolam vestræ Dominationi dirigimus, & quisque studiosius apud nos prævalet invenire, curiosius autem ex Græcorum fontibus, unde & nos illam sumpsimus, poterit mutuare.* In Actibus Apostolorum [a] commendatur *Dionysius Areopagita*, qui Christo credidit auditâ concione, quam Paulus Apostolus habuit Athenis *in medio Areopagi*. Hunc primum Athenarum Episcopum fuisse Dionysius Corinthiorum Antistes apud Eusebium

[a] Cap. 17.

bis testatur. Semel [a], sic. *Areopagitam illum, nomine Dionysium, quem post concionem illam, quam Paulus in Areopago ad Athenienses habuit, primum credidisse Lucas in Actibus scribit, Atheniensis Ecclesiæ primum Episcopum fuisse tradit alter quidam Dionysius Corinthiorum Episcopus, antiquissimus Scriptor.* Τὸν Ἀρεοπαγίτην ἐκεῖνον, Διονύσιος ὄνομα αὐτῷ, ὃν ἐν Πράξεσι μετὰ τὴν ἐν Ἀρείῳ πάγῳ πρὸς Ἀθηναίους Παύλου δημηγορίαν, πρῶτον πιςεῦσαι ἀνέγραψεν ὁ Λουκᾶς, τῆς ἐν Ἀθήναις ἐκκλησίας πρῶτον ἐπίσκοπον, ἀρχαίων τις ἕτερος Διονύσιος τῆς Κορινθίων παροικίας ποιμὴν ἱςορεῖ γενέσθαι. Iterum [b], sic. *Refert præterea* Dionysius Corinthiorum Episcopus *Dionysium Areopagitam, qui à Paulo Apostolo ad fidem conversus est, quemadmodum traditur in Actibus Apostolorum, primum omnium Ecclesiæ Atheniensis sacerdotium suscepisse.* Δηλοῖ δ' ἐπὶ τούτοις ὡς καὶ Διονύσιος ὁ Ἀρεοπαγίτης ὑπὸ τοῦ ἀποςόλου Παύλου προτραπεὶς ἐπὶ τὴν πίςιν κατὰ τὰ ἐν ταῖς Πράξεσι δεδηλωμένα, πρῶτος τῆς Ἀθηναίων παροικίας τὴν ἐπισκοπὴν ἐγκεχείριςο. Dionysius Corinthiorum Episcopus, ut beatus Hieronymus in Ecclesiasticorum Scriptorum Catalogo [c] prodit, *claruit sub Imperatore Marco Antonino Vero & Lucio Aurelio Commodo.* Alio non opus est Auctore, ut Dionysium Areopagitam, cujus mentionem Lucas in Actibus Apostolorum fecit, primum Athenarum Episcopum probemus. In Atheniensium Episcoporum Nomenclatura Dionysium Areopagitam proximè sequuntur Publius & Quadratus. Utriusque meminit etiam apud Eusebium [d] Dionysius Corinthiorum Episcopus in suis ad Athenienses literis. Κοδράτου δὲ μετὰ τὸν μαρτυρήσαντα Πούπλιον καταςάντος αὐτῶν ἐπισκόπου μέμνηται. *Meminit etiam Quadrati, qui, post martyrium Publii, Episcopus Atheniensium est constitutus.* Ab Usuardo [e] commendatur *Natalis beati Publii Episcopi, qui secundus post Dionysium Areopagitam Atheniensium Ecclesiam rexit nobiliter.* Et ab Adone [f] vetustissimi Athenarum Episcopi Dionysius & Publius ita memorantur. *Primus Dionysius, inde Publius Athenis præfuit.* Dubium igitur non est, quin Publius in Episcopatum Atheniensem Areopagitæ Dionysio successerit. At quæstio vertitur, utrùm Dionysio Martyrium jam passo, an adhuc superstite atque in Italiam abeunte susceperit Episcopatum.

CXVI. Hilduinus ex Aristarchi literis ad Onesiphorum jam citatis innuit Publium Dionysio Romam proficiscenti subrogatum fuisse. Sed refragatur Aristides in opere de Christiana Religione, ut Usuardus & Ado suis in Martyrologiis quinto Nonas Octobris affirmant. Usuardus, sic. *Natale Beati Dionysii Episcopi & Martyris, qui post clarissimam confessionem fidei, post gravissima tormentorum genera glorioso Martyrio coronatus est, ut testatur Aristides Atheniensis, vir fide sapientiâque mirabilis, in eo opere quod de Christiana Religione composuit.* Ado, sic. *Natalis Sancti Dionysii Areopagitæ, qui ab Apostolo Paulo instructus credidit Christo, & primus apud Athenas ab eodem Apostolo Episcopus est ordinatus, & sub Adriano Principe post clarissimam confessionem fidei, post gravissima tormentorum genera, glorioso Martyrio coronatur, ut Aristides Atheniensis, vir fide sapientiâque mirabilis, testis est in eo opere quod de Christiana Religione composuit. Hoc opus apud Athenienses summo genere colitur, & inter antiquorum monumenta clarissimum tenetur, ut peritiores Græcorum affirmant.* Utrùm Aristarchus Aristidem, an Aristides Aristarchum superet auctoritate, manet inquirendum. In veteribus Historiis nulla occurrit Aristarchi Chronographi memoria. Celebrant autem Aristidem, eúmque simul cum Quadrato Athenarum Episcopo pro Christianæ fidei defensione conjungunt Auctores optimæ notæ, Eusebius in Chronico & in Historia Ecclesiastica, Sanctus Hieronymus in libro de Scriptoribus Ecclesiasticis & in literis ad Magnum Oratorem Romanum, Prosper in Fastis Consularibus. Ad annum secundum Olympiadis ducentesimæ vicesimæ-sextæ, Hadriani Augusti decimum, Eusebius in suo Chronico sic scribit. *Quadratus discipulus Apostolorum & Aristides noster Philosophus libros pro Christiana Religione*

AN. CH 835.
LUDOV. IMP. 22.
LOTHAR. IMP. 19.
PIPPINI R. 21.
LUDOV. R. 19.
CAROLI R. 6.

[a] Euseb. l. 3. c. 4.
[b] Euseb. l. 4. c. 23.
[c] Cap. [illegible]
[d] Lib. 4. c. 23.
[e] D. 21. Jan.
[f] Lib. de Festivit. Apost. d. 21. Jan.

AN. CH. 835. LUDOV. IMP. 22. LOTHAR. IMP. 19. PIPPINI R. 21. LUDOV. R. 19. CAROLI R. 6.

Hadriano dedere compositos. Et libro quarto [a] Historiæ Ecclesiasticæ. *Huic*, nempe Hadriano, *Quadratus obtulit orationem, quam pro defensione Religionis nostræ idcirco conscripserat, quòd quidam malevoli homines vexare nostros atque incessere conabantur. Extat hodiéque apud plerosque ex fratribus hæc oratio, quam nos etiam habemus.* Τούτῳ Κοδράτος λόγον προσφωνήσας ἀναδίδωσιν, ἀπολογίαν συντάξας ὑπὲρ τῆς καθ' ἡμᾶς θεοσεβείας, ὅτι δή τινες πονηροὶ ἄνδρες τοὺς ἡμετέρους ἐνοχλεῖν ἐπειρῶντο, εἰσέτι δὲ φέρεται παρὰ πλείστοις τῶν ἀδελφῶν, ἀτὰρ καὶ παρ' ἡμῖν τὸ σύγγραμμα. Et paucis interjectis. Καὶ Ἀριστείδης δὲ πιστὸς ἀνὴρ τῆς καθ' ἡμᾶς ὁρμώμενος εὐσεβείας, τῷ Κοδράτῳ παραπλησίως ὑπὲρ τῆς πίστεως ἀπολογίαν ἐπιφωνήσας Ἀδριανῷ καταλέλοιπε. σώζεται δέ γε εἰς δεῦρο παρὰ πλείστοις καὶ ἡ τούτου γραφή. *Aristides quoque vir fidelis ex Religionis nostræ sectatoribus, Apologeticum pro fide nostra perinde ac Quadratus, Hadriano Cæsari nuncupatum reliquit. Qui quidem liber etiamnum servatur à plurimis.* Beatus Hieronymus in libro de Scriptoribus Ecclesiasticis observat [b] Imperatori porrectum à Quadrato *librum pro Religione nostra cùm Hadrianus Athenis exegisset hyemem, invisens Eleusinam, & omnibus penè Græciæ sacris initiatus, dedisset occasionem his, qui Christianos oderant, absque præcepto Imperatoris vexare credentes.* Deinde hæc de Aristide subjungit [c]. *Aristides Atheniensis Philosophus eloquentissimus, & sub pristino habitu discipulus Christi, volumen nostri dogmatis rationem continens eodem tempore, quo & Quadratus, Hadriano Principi dedit, id est, Apologeticum pro Christianis, quod usque hodie perseverans, apud Philologos* sive eruditionis & eloquentiæ studiosos, *ingenii ejus indicium est.* Et in literis ad Magnum Oratorem Romanum sic utrumque laudat. *Quadratus Apostolorum discipulus, & Atheniensis Pontifex Ecclesiæ nonne Hadriano Principi, Eleusinæ sacra invisenti, librum pro nostra Religione tradidit, & tantæ admirationi omnibus fuit, ut persecutionem gravissimam, illius excellens sedaret ingenium? Aristides Philosophus, vir eloquentissimus, eidem Principi Apologeticum pro Christianis obtulit, contextum Philosophorum sententiis.* Breviùs Prosper in Fastis Consularibus utrumque sic etiam commendat. *Pontiano & Rufino Coss. Quadratus discipulus Apostolorum & Aristides noster Philosophus libros pro Christiana Religione compositos edidere.* Utrùm de anno rectè cum Chronico Eusebiano conveniant hi Fasti Consulares Prosperi, non investigamus. Tota quæstio est de Aristidis auctoritate, quam suis in Martyrologiis allegant Usuardus & Ado. In assertionis suæ probationem hi Martyrologi non aliud Aristidis opus produnt, quàm illius Apologeticum pro Christiana Religione, quod à celeberrimis Auctoribus, Eusebio, Hieronymo & Prospero, laudatum reperitur. An simile quid Hilduinus suo pro Aristarcho proferre potuit? Aristides igitur suam servet auctoritatem; quicquid ex eo in Martyrologiis Usuardi & Adonis legitur, indubitatum maneat; Græci Dionysium Areopagitam primum Athenarum Episcopum ibique Martyrio coronatum quinto Nonas Octobris venerentur.

[a] Cap. 3. [b] Cap. 29. [c] Cap. 30.

CXVII. Hilduinus, postquàm Dionysium Areopagitam, dimisso Atheniensi Episcopatu atque alio Episcopo in ejus locum suffecto, Romam venisse supposuit, addit eundem Dionysium in Gallias, ubi Martyrium posteà consummarit, à Clemente Romano Pontifice directum fuisse. Sed ejus adventum in Gallias haud validiùs quàm iter è Græcia in Italiam probat hoc contextu. *Quoniam autem beatus Clemens huc eum, videlicet in Gallorum gentem, direxerat, & qualiter per Martyrii palmam diversissimis & crudelissimis afflictus suppliciis ad Christum pervenerit, & quomodo caput proprium Angelico ductu, cælestis militia in celebratione exequiarum honoratus obsequio, ad locum ubi nunc requiescit detulerit, & quo ordine à Catulla quadam matrefamilias sit sepultus, libellus antiquissimus passionis ejusdem explanat.* Hujus enim periodi sensus attentè perpendi debet. Innuit quidem Hilduinus Dionysium in Gallias à Clemente Papa missum fuisse, sed non ait id in libello contineri quem laudat, imò testatur tantùm de illius Martyrio ac sepultura sermo-

nem ibi fieri. Nec ex conscriptione Visbii Missalibúsque libris potentiora promit argumenta. *Conscriptio*, inquit, *Visbii, quæ in tomo satis supérque abdito Parisius divino nutu inventa, inter alia memoranda, sicut in ea legitis, verba Domini nostri Jesu Christi ad eum prolata, quando sacra Mysteria perageret, illi cunctis videntibus apparentis, continere dinoscitur. Cui adstipulari videntur antiquissimi & nimiâ penè vetustate consumpti Missales libri, continentes Missæ ordinem more Gallico, qui ab initio recepta fidei, usu in hac Occidentali plaga est habitus, usquequo tenorem, quo nunc utitur, Romanum susceperit. In quibus voluminibus habentur duæ Missæ, quæ sic inter celebrandum ad provocandam divinæ miserationis clementiam, & corda populi ad devotionis studium excitanda, tormenta Martyris sociorúmque ejus succinctè commemorant, sicut & reliquæ Missæ ibidem scriptæ aliorum Apostolorum vel Martyrum, quorum passiones habentur, notissimè decantant. Quarum Missarum cantus, sensus & verba, adeò passionis eorundem, quam vobis misimus, seriei concordare videntur, ut nulli dubium sit, à teste illorum Martyrii, agones eorum fuisse descriptos, & ex ipsa veraci Historia memoriam tormentorum suorum in præfatis precibus fuisse mandatam. Videtur porrò in his Missarum obsecrationibus non contemnenda authoritas de memorata passione Sanctorum, cùm extent apud nos epistola Innocentii, & post eum Gelasii, necnon & moderniùs beati Papæ Gregorii, aliorúmque Pontificum ad Episcopos urbium Galliarum & Antistitum nostrorum ad ipsos, de more Romano in cunctis Ecclesiastica authoritatis muniis imitando, quibus datur intelligi ab annis pluribus hunc Missæ tenorem de Gallica consuetudine recessisse, & hanc passionis Martyrum istorum memoriam longo superiori tempore his Occidentalibus partibus per supplicationum * postulationes inolevisse, quibus tantò certiùs fidem accommodamus, quantò in tempore vicino post consummationem eorum, easdem fuisse compositas sine dubitatione concredimus.* Hæc certè nihil ad Areopagitam. Quod enim à Visbio memoratur & in Missalibus libris repetitur Miraculum, intelligi debet de Dionysio Parisiensium Episcopo, cujus Martyrium in iisdem etiam libris describitur. Nec illos libros, quoniam *nimiâ penè vetustate consumpti* erant ætate Hilduini, continuò quis existimet scriptos fuisse statim post Areopagitæ Martyrium, à passione enim Dionysii Parisiensis Episcopi, quem Gregorius Turonensis Decio Augusto synchronum constituit, ad hunc usque annum quo Hilduinus Areopagita conscripsit, effluxerunt anni quingenti & ampliùs, tantáque temporis intercapedo satis supérque sufficit, ut libri qui post Dionysii Parisiensis Episcopi Martyrium scripti fuerint, Hilduini temporibus asserantur *nimiâ penè vetustate consumpti.* De vetere Missa Gallica, seu de ritu celebrandæ Missæ in Galliis, fusè Tomo secundo disseruimus ad annum Christi sexcentesimum primum [a], quo Gregorius Magnus interrogatus ab Augustino Anglorum Episcopo, cur *altera consuetudo Missarum in Sancta Romana Ecclesia, atque altera in Galliarum tenetur*, diversas Ecclesiarum consuetudines hoc apud Bedam [b] probat responso. *Novit fraternitas tua Romanæ Ecclesiæ consuetudinem, in qua se meminit nutritam. Sed mihi placet, ut sive in Romana, sive in Galliarum, sive in qualibet Ecclesia aliquid invenisti, quod plus Omnipotenti Deo possit placere, sollicitè eligas, & in Anglorum Ecclesia, quæ adhuc ad fidem nova est, institutione præcipuâ, quæ de multis Ecclesiis colligere potuisti, infundas. Non enim pro locis res, sed pro bonis rebus loca amanda sunt. Ex singulis ergo quibusque Ecclesiis, quæ pia, quæ religiosa, quæ recta sunt, elige, & hæc quasi in fasciculum collecta, apud Anglorum mentes in consuetudinem depone.* Cum Hilduino fatemur specialem *Missæ ordinem more Gallico, ab initio suscepta fidei, usu* habitum fuisse in Galliis, *usquequò tenorem Romanum* susceperunt, Pippino videlicet Rege, cujus pronepos Carolus Calvus in literis ad Ecclesiam Ravennatem posteà sic scripsit. *Usque ad tempora abavi nostri Pippini Gallicana Ecclesia, aliter quàm Romana vel Mediolanensis, divina celebrabant officia.*

* Supplantationum.

[a] Nu. 17. & seqq.

[b] Lib. 1. c. 27.

AN. CH. 835. LUDOV. IMP. 22. LOTHAR. IMP. 19. PIPPINI R. 21. LUDOV. R. 19. CAROLI R. 6.

Non diffitetur Hilduinus in antiquis Codicibus multa de Dionysio legi valdè diversa. *Quod autem*, inquit, *dicunt in passione istius beati Dionysii scriptum haberi, quia cùm Sanctus Clemens Episcopum ordinaverit Galliásque miserit, procul dubio sciant, quòd aut prædictam passionem ex veris & emendatioribus exemplaribus non susceperunt, aut Scriptorum vitio depravatam legerunt, quoniam non ibi scribitur eum Episcopum a Beato Clemente consecratum, sed Apostolum totius Galliæ fuisse ordinatum.* At Dionysius Areopagita, qui primus Athenarum Episcopus fuit, à Clemente Papa nec consecratus est Episcopus, nec ordinatus est Galliarum Apostolus. Primum constat ex prædictis. Alterum patet ex Galliarum statu: quis enim sibi persuadeat Apostolatûs Gallicani Sedem, Clemente Pontifice, constitutam Parisiis, tanquam in

CXVIII. primaria Galliarum civitate, cùm civitatem Parisiorum parvi tunc nominis extitisse, atque in Galliarum divisione Metropoli Senonum subjacuisse certissimum habeatur? Solus Hilduinus in Sancti Dionysii vita celeberrimam Clementis Papæ Dionysiique Atheniensis Episcopi temporibus finxit civitatem Parisiorum, quæ *ut Sedes Regia, & conventu Gallorum ac Germanorum, & nobilitate* polleret.

CXIX. Hilduinum non parum torquet Gregorius Turonensis, quia Scriptor est antiquus, & apud Francos haud tenui viget auctoritate. Putat autem Hilduinus opinioni suæ satis consultum, si Gregorium insimulet nimiæ simplicitatis, eique Fortunatum Auctorem coætaneum sic opponat. *Parcendum est simplicitati viri religiosi Gregorii Turonensis Episcopi, qui multa aliter, quàm se veritas habeat, æstimans, non calliditatis astu, sed benignitatis ac simplicitatis voto, literis commendavit. Patenter & quidem noscere possumus non adeò quadam solerter eum investigasse, cùm ei contemporalis existens vir prudens & scholasticissimus Fortunatus, qui plura & frequenter ad eum scripserat, Hymnum rhythmica compositionis pulcherrimum de isto gloriosissimo Martyre composuerit, in quo commemorat eum à beato Clemente destinatum, sicut in Latinorum paginis didicit, de natione autem, & ordinatione Episcopatûs, mentionem non facit, quia lingua Græca penitus expers fuit.* Gregorius Turonensis Metropolitanus, cujus felix ad Deum transitus cum anno reparatæ Salutis quingentesimo nonagesimo-quinto coincidit, Fortunatum Presbyterum non semel in suis laudavit scriptis, idémque Fortunatus anno quarto post obitum ipsius Gregorii factus est Pictavensis Episcopus, ut dictum Tomo secundo.

CXX. Quæ de Dionysio Parisiorum Episcopo scripta sunt à Gregorio Turonensi, gravissimas nostro seculo lites excitarunt inter eruditissimos viros, quorum alii standum à Gregorio censuerunt, alii nequaquam. Utrorumque, si lubet, lucubrationes consule. Dionysium, qui Parisiis primus sedit Episcopus, Areopagitam extitisse Atheniensique priùs Ecclesiæ præfuisse fidenter negamus, inficiamúrque Apostolum totius Galliæ à Clemente Papa constitutum fuisse. Cetera, quæ pertinent ad ejus Historiam, discutienda relinquimus accuratissimo veritatis indagatori Gerardo *du Bois* nostræ Congregationis Presbytero, qui jussu Illustrissimi ac Reverendissimi Domini Francisci *de Harlay*, Parisiensis Archiepiscopi, Ducis ac Paris Franciæ, Regiorum Ordinum Commendatoris Torquati, ac Provisoris Sorbonæ, conscribendos suscepit Annales Ecclesiæ Diœcesisque Parisiensis. Dionysius Episcopatum Parisiensem gessit florente per Gallias Imperio Romanorum, ideóque nostrarum partium numquam fuit, ejus ætatem, Pontificatum, résque gestas studiosiùs investigare. Tomo secundo [a], sub Francorum Regibus, ut occasio postulavit, maximè sub Dagoberto Magno, sermonem de loco Martyrii, de sepultura, de Inventione & Translatione Reliquiarum, de Basilicis desuper erectis instituimus. Simili modo sub Ludovico Pio nobis hic explorandum occurrit, an idem Dionysius, quem Parisienses Episcopum suum ac Martyrem colunt, Atheniensem primùm Ecclesiam rexerit, atque Galliarum Apostolus à Clemente Papa fuerit

[a] Ad an. 574. 627. 630.

fuerit ordinatus; & an Hilduinus, apud quem hæc leguntur, opinionem suam probatis confirmarit auctoritatibus, atque si quos adversarios passus est, eos idoneè confutarit. Gregorium Turonensem simplicitatis arguit; Fortunatum, quo se fretum ipse jactabat, auctoritate potiorem Gregorio dixit. Penes æquum Lectorem de Gregorio judicium esto. Apud nos maxima semper, ut Historiæ Francicæ principem decebat, in existimatione fuit, nec habitus est adeò simplex aut indiligens, ut Missales libros, quibus Ecclesia Parisiensis Romano ritui nondum addicta tunc utebatur, numquam viderit. Illos arbitramur ab eo visos esse, cùm Parisiis morabatur. Parisios autem sæpè pro rebus Ecclesiasticis celebrandisque Conciliis adiit. Verùm cùm in illis, ut ex ipso Hilduini textu jam observavimus, quoddam duntaxat Miraculum legisset cum Martyrio Sancti Dionysii, nihilque de Areopago, de Atheniensi Episcopatu, de Clemente Papa scriptum reperisset, ejusdem Dionysii adventum in Gallias Martyriúmque rejecit [a] in tertium seculum post Christi Nativitatem, allegatâ Sancti Saturnini Passione, cujus Historiam Characteribus Chronologicis optimè consignatam præ manibus habebat. Atque ex his obiter nota temporibus Gregorii Turonensis in Gallia nondum auditum esse, quòd Dionysius Martyr Episcopus Parisiensis idem fuisset cum Dionysio primo Athenarum Episcopo, relictâque Græciâ Parisios à Clemente Papa directus advenisset. Dionysius Parisiensis Episcopus patriâ Græcus fuit, ut ipsum Dionysii nomen satis indicat, ideóque Ludovicus Augustus Hilduinum per literas monuit, ut in uno volumine simul colligeret quæcumque de Dionysii notitia cùm *in Latinis* invenisset *Codicibus* tum *ex Græcorum Historiis* hausisset. Porrò similitudo nominis, eadem patria, par dignitas, locum novæ dederunt opinioni, quæ duobus è Dionysiis unum conflavit, eúmque Atheniensem Episcopum in Græcia primò, deinde Parisiensem in Galliis agnovit; & quia nemini dubium erat, quin Dionysius Parisiensis Episcopus in Gallias à Romano Pontifice directus fuisset, prædicatum est Clementis Papæ nomen, ne manca fieret Chronologia.

AN. CH. 835. LUDOV. IMP. 22. LOTHAR. IMP. 19. PIPPINI R. 21. LUDOV. R. 19. CAROLI R. 6.

[a] Lib. 1. c. 30.

CXXI. *Fortunatus*, si fides est Hilduino, refragatur Gregorio Turonensi, *Hymnum* enim *rhythmicæ compositionis pulcherrimum de isto gloriosissimo Martyre* Dionysio Episcopo Parisiensi composuit, *in quo commemorat eum à beato Clemente destinatum, sicut in Latinorum paginis didicit, de natione autem, & ordinatione Episcopatûs, mentionem non facit, quia linguæ Græcæ penitus expers fuit.* Hic textus duas in partes commodè dividi potest, quarum una contineat quid Fortunatus scripsisse de Dionysio, altera quid omisisse censeatur ab Hilduino.

CXXII. Fortunatum nec de Dionysii patria nec de ejus assumptione ad Episcopales Infulas locutum esse non inficiamur, sed allatam ab Hilduino rationem improbamus. Etenim quamvis linguæ Græcæ penitus expers esset, nihil omnino prohibebat, quominùs ea scriberet, quæ de Dionysio memorabantur, sive ex Græcorum Codicibus, sive ex Missalibus libris Ecclesiæ Parisiensis Latinè scriptis accepta narrarentur. Hinc de Dionysio, qui Parisiorum primus Episcopus fuit, haud invalidâ colligimus conjecturâ rumorem ætate Fortunati nondum fuisse sparsum, quòd antequàm in Gallias adveniret, Episcopatum Athenis in Græcia gessisset.

CXXIII. Apud Fortunatum non invenitur quod Hilduinus ab eo scriptum ait de Clemente Papa. Sæpiùs excusa sunt illius opera, notis quoque Sacris, Historicis ac Geographicis, à Christophoro Browero illustrata reperiuntur. Bis ibi fit mentio beati Dionysii, semel in primo libro [b] Carminum, iterum in Vita Sancti Martini [c].

[b] Carm. 11.

[c] Lib. 4.

CXXIV. Libri primi Carmen decimum Fortunatus *de Sancto Nazario*, undecimum inscripsit *de Basilica Sancti Dionysii*. Browerus utrumque hac exornavit notâ. *Ædem utramque cùm B. Nazarii, tum Dionysii, angustiorem, quàm pro ampli-*

AN. CH. 835. LUDOV. IMP. 22. LOTHAR. IMP. 19. PIPPINI R. 21. LUDOV. R. 19. CAROLI R. 6.

tudine Martyrum, Leontius novis utrobique tectis explicat, Burdegalensi populo & religioni suorum opportunè consulens. In posteriori autem poëmate canitur Amelius Leontii decessor, & B. Dionysii Martyris Acta. In margine quidem ad Versus, quibus hæc Acta describuntur, habetur ista notatiuncula. *B. Dionysii Areopagitæ Martyrium.* Sed malè. In ipsis enim Versibus nullum est verbum de Areopago, de Atheniensi Episcopatu, de Clemente Papa, nec de beato Dionysio quidpiam asseritur, excepto quòd capitis abscissione Martyrium complevit, idque Dionysio Parisiorum Episcopo convenire nemo non dicit. Extant autem Synaxaria, quæ longè aliam Græcorum opinionem de Dionysio Athenarum Episcopo tradunt, illum enim flammis consumptum sic testantur die tertio mensis Octobris. Ἄθλησις τοῦ ἐν ἁγίοις πατρὸς ἡμῶν, Ἐπισκόπου γενομένου Ἀθηνῶν, Διονυσίου τοῦ Ἀρεοπαγίτου, ὃς τοῦ θείου Παύλου τοῦ Ἀποστόλου κηρύξαντος ἐν Ἀθήναις, ἐπέγνω τὴν ἀλήθειαν, καὶ ἐπίστευσεν εἰς Χριστὸν, καὶ χειροτονεῖται παρ' αὐτοῦ Ἐπίσκοπος Ἀθηνῶν, οὗτος ὁλοκαυτοῦται ἐν πυρὶ συλληφθεὶς ὑφ' Ἑλλήνων, συγκαταφλεχθέντων αὐτῷ καὶ τῶν αὐτοῦ συγγραμμάτων. *Certamen Sancti Patris nostri Episcopi Athenarum Dionysii Areopagitæ, qui, divino Paulo Athenis concionante, veritatem agnovit, & credidit in Christum, Athenarúmque Episcopus ab eodem creatus est. Hic à Græcis comprehensus flammis consumptus est, libris ejus unà concrematis.* Versus Fortunati, de quibus hic quæstio, sic editi sunt in prædicto Carmine.

Quam venerandus habet propriam Dionysius Ædem,
Nomine sub cujus sanctificata nitet.
Qui fervente fide Christi solidatus amore
Vertice supposito colla secanda dedit.

CXXV. In vita Sancti Martini duo duntaxat de Basilica Parisiensi Versus occurrunt, per quos Fortunatus nullâ Clementis Papæ factâ mentione, docet eo quo scribit tempore, penes Germanum Episcopum esse regimen Ecclesiæ Parisiensis, quod olim penes Dionysium Episcopum fuit.

Inde Parisiacam placidè properabis ad arcem,
Quam modò Germanus regit, & Dionysius olim.

CXXVI. Christophorus Browerus Fortunatum notis illustrabat anno Christi millesimo sexcentesimo tertio. Jacobus Dubletius Antiquitates Dionysianas in lucem emisit anno Christi millesimo sexcentesimo vicesimo-quinto, volumen quatuor in libros distinxit, primum clausit sex hymnis de Sancto Dionysio, quorum unum opus *Sancti Eugenii Toletani Episcopi*, alterum *Fortunati viri Scholasticissimi* dixit, ut Hilduini scripta confirmaret, tertium verò cæterósque tamquam recentissimos nuperrimorum Auctorum fœtus omittimus. Anno Christi millesimo sexcentesimo tricesimo-tertio Petrus *Halloix* edidit illustrium Ecclesiæ Orientalis Scriptorum, qui sanctitate juxtà & eruditione, primo Christi seculo floruerunt, & Apostolis convixerunt, vitas & documenta cum notationibus ac quæstionibus quibusdam ad earumdem vitarum confirmationem atque illustrationem pertinentibus, & ad primam quæstionem in vitam Sancti Dionysii recitavit Hymnum Fortunati descriptum ex Dubletio. Sed Hymni, quos Dubletius Sancto Eugenio & Venantio Fortunato adjudicavit publicavítque, potentioris non sunt auctoritatis, quàm complures ejusdem voluminis Chartæ, quas suis locis commentitias aut jam ostendimus aut inferiùs ostensuri sumus. Halloixius Hymnum, quem Dubletius à Sancto Eugenio compositum dicit, haud allegat, quamvis potior non habeatur ratio, cur Hymnum Fortunati potiùs quàm Hymnum Eugenii citet, cùm Hilduinus utriusque meminerit.

CXXVII. Hymnus ab Eugenio de Dionysio Parisiorum Episcopo componi potuit, at non qualis in Dionysianis Antiquitatibus exhibetur, hæc enim editio multa supponit de Areopago, de Atheniensi Pontificatu, & de Clemente Papa, quæ fabulis accensenda censemus. Præter argumenta superiùs al-

lata, prævalidum nobis suppeditat Græcorum Menologium, nam quinto Nonas Octobris Dionysium Areopagitam Athenarum Episcopum Athenis Martyrio coronatum testatur, ut mox probaturi sumus habitâ priùs quæstione de antiquitate ipsius Menologii & de Vaticani Codicis authoritate. Græcorum Menologium jussu Basilii Imperatoris Constantinopolitani conscriptum fuit. De Basilii nomine conveniunt omnes, sed utrùm is Basilius Macedo sit, an Basilius Junior, Macedonis abnepos, haud ita consentiunt. Cæsar Baronius anno Redemptoris octingentesimo octogesimo-sexto, postquàm de Basilii Macedonis obitu locutus est, sermonem ad alia convertit, quæ Characteribus Chronologicis destituuntur. *Ad eundem Basilium*, inquit [a], *rursum spectat (ne quid prætermittatur antiquitatis) quod scribendum curavit & augendum Græcorum Menologium.* Et paulò pòst. *Extat autographum ipsius Basilii volumen*, &c. *Vidimus & legimus nobis concessum à Paulo Sfondrato Sanctæ Ceciliæ Cardinali, nepote felicis memoriæ Gregorii Decimi-quarti.* Negat Leo Allatius hæc intelligenda esse de Basilio Macedone. Basilius enim in Menologii proœmio Porphyrogenitus ita describitur. *Rex totius terræ sol rubrâ Basilius alumnus purpurâ.* Basilius autem, qui cognomen Macedonis gessit, Porphyrogenitus nullomodo dici potest, utpote nec patre natus Imperatore, nec editus in thalamo cui nomen Porphyra. Ferdinandus Ughellus Allatio suffragatur, recurritque ad Basilium Juniorem, quia in Menologio mentio fit Sanctorum, *qui longè post Basilium Macedonem vixerunt.* At utrùm Basilii Macedonis an Basilii Junioris nomen servandum sit, nostrâ non refert, quia uterque longo post edita Hilduini Areopagitica intervallo fasces Imperii suscepit, ille anno Redemptoris octingentesimo sexagesimo-septimo, hic anno nongentesimo sexagesimo-nono. Quomodo volumen illud post aliquot locorum mutationes in Bibliothecam tandem Vaticanam delatum sit, Allatius anno Christi millesimo sexcentesimo quadragesimo-sexto sic enarravit. *Menologium hoc, auro gemmisque pretiosius, Constantinopoli ad Ludovicum Sfortiam satis munificè advectum, Ludovico vitâ functo Joannes Baptista Francisci Sfondrati Cardinalis parens avúsque Nicolai Cardinalis in arbitrio & potestate habuit. Postremùm à Paulo Sfondrato Cardinali dono acceptum Paulus V in Bibliothecam Vaticanam invexit.* Adjecit præfixam hanc inscriptionem. *Paulus V. Pont. Max. hunc librum Constantinopoli ad Ludovicum Sfortiam Mediolani Ducem allatum, deinde servatum apud Sfondratorum familiam à Paulo S. Ceciliæ Cardinali Sfondrato sibi dono datum in Bibliothecam Vaticanam inferri jussit anno* CIↃIↃCXV. *Pontificatus* XI. Observavit etiam non integrum esse Menologium, sed priorem duntaxat ejus partem, quæ sex menses à principio Indictionis, sive ab initio Septembris ad finem Februarii complectitur. *Liber unam tantùm Menologii partem, quando sex tantùm mensibus, Septembr. Octobr. Novembr. Decembr. Januario & Februario absolvitur, continet.* Librum illum Petrus Archudius Latinitate donavit, & Ferdinandus Ughellus ipsam Archudii versionem, quam penes se originalem habebat, anno Christi millesimo sexcentesimo quinquagesimo-nono post Tomum sextum Italiæ Sacræ publicavit cum Præfatione, quâ res complexus est ex Allatio suprà descriptas. Ubi posterius semestre delitesceret, ignorarunt Allatius & Ughellus. At anno Christi millesimo sexcentesimo sexagesimo-primo Godefridus Henschenius, cùm in Italia versaretur, illud reperit in Monasterio Cryptæ Ferratæ, atque in prolegomenis ad Vitam Sanctæ Eudociæ Kalendis Martiis cultæ sic posteà commendavit. *In Monasterio Cryptæ Ferratæ asservatur, Basilii Porphyrogeniti nomine inscriptum, ejus qui cum fratre Constantino à Joanne Tzimisce in consortium adscitus Imperii, quod anteà Romanus horum pater, avúsque Constantinus, Leonis Sapientis filius, nepos Basilii Macedonis, tenuerant, ipse cum eodem Tzimisce ab anno 969 ad 975, dein cum fratre annis 50 administravit, ad annum 1025, fratre ad triennium superstite.* Nec hac contentus ad-

[a] Tom. 10. a. 886. n. 14.

AN. CH. 835. LUDOV. IMP. 22. LOTHAR. IMP. 19. PIPPINI R. 21. LUDOV. R. 19. CAROLI R. 6.

notatione menses Martium & Aprilem jam publicavit repetito ad primos singulorum mensium Tomos hoc titulo. *Synaxarium ex Menologio jussu Basilii Imperatoris collecto, cujus sex postremi menses extant manuscripti in Monasterio Crypta-Ferrata in Latio.* Porrò certamen Sancti Martyris Dionysii Areopagitæ Athenarum Episcopi quinto Nonas Octobris in prælaudato Menologio sic exhibetur. *Dionysius Magnus, Atheniensis gloria, divitiis & sapientiâ clarus ex Areopagitarum Collegio, profectò Athenas Apostolo Paulo & Christum prædicante, uti erat acri ingenio, veritate facilè intellectâ in Christum credidit. Baptizatúsque Athenarum Episcopus declaratur. Quod munus cùm & docendo & multos infidelium ad Christum convertendo diligentissimè obiret, scripsit & qua ab Apostolo divino didicerat arcana Dei Mysteria, & multos de divinis nominibus libros. Delatus igitur ad Athenarum Præfectum ab Idololatris comprehensus cum duobus discipulis diu primùm excruciatus obtruncatur, qui suis manibus sublatum ad duo millia passuum caput non priùs deposuit, quàm Christiana fœmina obviam factus illi commendavit. Postea & duo ejus discipuli capite damnati sunt.* In hoc encomio Dionysii Atheniensis Episcopi multa sunt de sociis ejus & capite post obtruncationem ad duo millia passuum gesto, quæ pertinent ad Dionysium Episcopum Parisiensem. Inde discimus duobus è Dionysiis unum conflatum esse nono seculo, postquàm Latini quæcumque de Dionysio Atheniensi scripta fuerant à Græcis, ac vicissim Græci quæcumque de Dionysio Parisiensi scripta fuerant à Latinis, avidè susceperunt, Latini ut Dionysium Parisiensem, Græci ut Atheniensem magis extollerent. Eò res processit lapsu temporis, ut auctor Synaxarii jam citati scripserit inter se mirè pugnantia, unúmque Dionysium bis Martyrio coronatum prædicarit, ut Martyrii generibus, sic & locis ac temporibus valdè diversis, primùm igni, deinde gladio, in Oriente semel, iterum in Occidente. Priorem textûs partem jam protulimus in qua Dionysius Areopagita, Paulo Apostolo Athenis concionante, veritatem agnoscit, in Christum credit, fit Athenarum Episcopus, ab idololatris comprehenditur, & flammis Martyrium consummat, libris ejus unà concrematis. Posteriorem partem nunc accipe. *Ad Occidentem verò profectus regnante Domitiano, multis editis Miraculis, capite cæsus cùm esset, suum ipse caput manibus excipiens, ad duo usque millia passuum progressus est. Cæsi autem cum eo sunt Rusticus & Eleutherius.* *Καταλαβὼν δὲ τὰ Ἑσπέρια ἐπὶ τῆς βασιλείας Δομιτιανοῦ, καὶ πολλὰ θαύματα ἐπιδειξάμενος, μετὰ τὸ ἀποτμηθῆναι, τὴν κεφαλὴν χερσὶν ἰδίαις ὑποδεξάμενος, μέχρι δύο μιλίων ἐβάδισε, σὺν αὐτῷ δὲ Ρουστικός τε καὶ Ἐλευθέριος τὰς κεφαλὰς ἀπετμήθησαν.* Lege Jacobum Sirmondum in Dissertatione [a] de duobus Dionysiis, ubi gratiam huic Auctori præ ceteris habendam censet, quia licèt tam inepta secúmque pugnantia literis mandarit, tamen de Dionysii Areopagitæ occasu quid monimenta Græcorum haberent haud dissimulavit, cúmque Athenis Martyrio perfunctum bonâ fide testatus ostendit Hilduino minimè credendum audacter asserenti, quòd Græci mortem Dionysii, quoniam apud illos non occubuit, penitus ignorarunt, donec illam à Latinis didicerunt. Hymnus autem, quem Dubletius sub Eugenii Toletani Antistitis nomine Dionysianis Antiquitatibus inseruit, genuinus Eugenii fœtus æstimari non debet, si Dionysius Atheniensis Episcopus Athenis Martyrium seu flammis seu gladio complevit. Quomodo enim omnes hi Versus illi uni convenirent?

a Cap. 7.

Ariopago Athena
Regis sumpsit Diadema,
Calestis gemmam fulgidam
Dionysium Sophistam.
Paulo docente speculum
Habet fides fidelium,
Et spiculum gentilitas,

AN. CH. 835. LUDOV. IMP. 22. LOTHAR. IMP. 19. PIPPINI R. 21. LUDOV. R. 19. CAROLI R. 6.

Quem antè murum noverat.
Miro clarescens dogmate
Inluminavit Graciam,
Et inclytus hinc Pontifex
Urbem Romanam adiit.
Clemente Roma Præsule
Jubente venit Galliam,
Cui jubar Solis splendidi
Inluxit signis, famine. &c.

Fortunati non est potior auctoritas quàm Eugenii, Dubletius enim ut Hymnum Eugenii sic & Fortunati desumpsit ex eodem Tabulario, nósque pariter ut Eugenio sic & Fortunato Hymnum abjudicamus editum ab ipso Dubletio. Genuinos Fortunati Versus de Dionysio Episcopo Parisiensi cùm ex primo libro [a] Carminum, tum ex vita [b] Sancti Martini suprà descripsimus, nullum ibi verbum de Areopago, de Atheniensi Pontificatu, de adventu in Italiam atque inde in Gallias, aut de Clemente Papa. Hymnus à Dubletio publicatus nec Areopagi, nec Atheniensis Episcopatûs, nec profectionis in Italiam meminit. At Dionysium, qui Parisiis Episcopus sedit, in Gallias à Clemente Romano Pontifice directum affirmat. Hoc autem commentitium reputari debet, nec admittendus est Hymnus cum tali principio. CXXVIII.

[a] Carm. 10. [b] Lib. 4.

Fortem fidelem militem
Cali secutum Principem
Dionysium Martyrem
Plebs corde voce personet.
Clemente Roma Præsule
Ab urbe missus adfuit,
Verbi superni seminis
Ut fructus esset Gallia.

CXXIX. Genuinus igitur Fortunatus in suis de beato Dionysio Versibus à sententia Gregorii Turonensis haud recedit, & Hilduinus utrumque patitur adversarium, quicquid in contrarium de Fortunato dicat. Ut autem Athenienses suum Dionysium in Martyrologiis Usuardi & Adonis colunt quinto Nonas Octobris, sic & Parisienses in iisdem Martyrologiis suum quoque Dionysium septimo Idus Octobris venerantur. Apud Usuardum, sic. *Septimo Idus Octobris, apud Parisium Natalis Sanctorum Martyrum, Dionysii Episcopi, Rustici Presbyteri, & Eleutherii Diaconi. Qui beatus Episcopus à Pontifice Romano in Gallias prædicandi gratiâ directus, ad præfatam urbem devenit, ubi per aliquot annos commissum sibi opus fideliter prosequens, tandem à Præfecto Fescennino unà cum sociis gladio animadversus Martyrium complevit.* Apud Adonem, sic. VII *Idus Octobris, apud Parisium Natalis Sanctorum Martyrum, Dionysii Episcopi, Eleutherii Presbyteri, & Rustici Diaconi. Qui beatus Episcopus à Pontifice Romano ad Gallias directus, ut prædicationis operam populis à fide Christi alienis exhiberet, tandem Parisiorum civitatem devenit, & per aliquot annos sanctum opus fideliter & ardenter executus, à Præfecto Fescennino Sisinnio comprehensus, & cum eo Sanctus Presbyter Eleutherius & Rusticus Diaconus gladio animadversi, Martyrium compleverunt.*

CXXX. Duobus Dionysiis Episcopis ac Martyribus ita distinctis, extra nostrum institutum divagari videremur, si de scriptis, quæ solent Areopagitæ tribui, prolixam hic disputationem iniremus, Auctorem enim haud nacta sunt in Francia, cùm uterque Dionysius sub Imperatoribus Romanorum, neuter sub Francorum Regibus vixerit. Temperare tamen non possumus, quin paucis opinionem refellamus, quam Hilduinus his ad Ludovicum Augustum verbis stabilire conatur. *De notitia librorum ejus*, nempe Dionysii, *quos patrio sermone conscripsit, & quibus petentibus illos composuit, lectio*

AN. CH. 835. LUDOV. IMP. 22. LOTHAR. IMP. 19. PIPPINI R. 21. LUDOV. R. 19. CAROLI R. 6.

nobis per Dei gratiam & vestram ordinationem, cujus dispensatione interpretatos scrinia nostra petentibus reserant, satisfacit. Authenticos autem eosdem libros Græcâ linguâ conscriptos, quando Oeconomus Ecclesiæ Constantinopolitanæ & ceteri Missi Michaelis, Legatione publicâ ad vestram Gloriam Compendio functi sunt, in ipsa Vigilia Solennitatis Sancti Dionysii pro munere magno suscepimus. Quod donum devotioni nostræ ac si cælitus allatum, adeò divina est gratia prosecuta, ut in eadem nocte decem & novem nominatissimæ virtutes in ægrotorum sanatione variarum infirmitatum, ex notissimis & vicinitati nostræ contiguis ad laudem & gloriam sui nominis, orationibus & meritis excellentissimi sui Martyris, Christus Dominus sit operari dignatus. Hilduinus illorum librorum auctorem eundem facit, quem priùs Areopagitam, & Atheniensem Episcopum, deinde Parisiensem constituit. De Legatione, cujus meminit, actum Tomo priore ad annum Redemptoris octingentesimum vicesimum-septimum [a]. Libros inscriptos Dionysii nomine, qui tunc in Monasterium San-Dionysianum delati sunt, genuinum esse fœtum Dionysii, qui Patronus habebatur illius loci, fama statim divulgavit. Nec ab ea recedit opinione Ludovicus Augustus in suis ad Hilduinum literis, ubi libros ab eodem Patrono prædicti Cœnobii *patrio sermone* conscriptos laudat. Hilduinus Abbas erat San-Dionysianus ab anno Redemptoris octingentesimo decimo-quarto; libros, de quibus agimus, *in ipsa Vigilia Solennitatis Sancti Dionysii* suscepit; sequenti nocte curatos asserit infirmos undeviginti; tótque prodigia facta contendit in probationem, quòd librorum Auctor is esset, qui Patronus loci colebatur. De librorum susceptione, de Miraculis & illorum numero non disputamus; fidem habemus Hilduino, qui testis oculatus fuit. At quas morborum curationes nocte proximâ post librorum susceptionem in ipso festo Sancti Dionysii Deus operari dignatus est, eas non existimamus exhibitas ad indicandum quorumdam librorum Auctorem, sed ad manifestandum beatissimi Martyris patrocinium, quod frequens in ejus Festivitate populus implorabat. Quin illo die singulis annis maximo fidelium concursu talis fieret imploratio, multæque in Æde Sancti Dionysii Parisiensis Episcopi per ejus intercessionem à Deo sanitates obtinerentur, in dubium nec vocamus, nec vocare quis potest. De libris non est par ratio. Res enim non paucæ demonstrant illorum Auctorem utroque Dionysio, Atheniensi videlicet ac Parisiensi, imò & Constantino Magno recentiorem fuisse. Capite secundo de Hierarchia Ecclesiastica titus publici solemnísque Baptismi sic explicantur, ut ad quartum aut quintum Ecclesiæ seculum Baptismus non describatur celebrior. Et capite tertio proferuntur indicia Religionis per plura secula dilatatæ pacísque cœtibus fidelium sub Christianis Imperatoribus jam concessæ. *Pontifex quidem perfectâ precum sacro, ad Dei Altare, cùm ab eo incendendi sunt odores, initium facit, sacrum obit locum. Reversus autem ad divinam aram, sacros Psalmos canere incipit, canúntque cum eo omnes Ecclesiastici Ordines. Deinceps à Ministris Sanctorum librorum lectio ordine recitatur. Eâ recitatâ, extra Templi ambitum collocantur catechumeni, & unà cum eis energumeni, atque ii quos superioris vitæ pœnitet, manent autem ii qui divinarum rerum & aspectu digni sunt & communione. Ministrorum verò alii stant pro Templi foribus, quæ occlusæ sunt; alii autem aliquid aliud eorum quæ illorum ordinem attingunt.* Ὁ μὲν ἱεράρχης εὐχὴν ἱερὰν ἐπὶ τοῦ θείου θυσιαστηρίου τελέσας, ἐξ αὐτοῦ τοῦ θυμιᾶν ἀρξάμενος, ἐπὶ πᾶσαν ἔρχεται τὴν τοῦ ἱεροῦ χώρου περιοχήν. Αναλύσας δὲ πάλιν ἐπὶ τὸ θεῖον θυσιαστήριον, ἀπάρχεται τῆς ἱερᾶς τῶν ψαλμῶν μελῳδίας, συνᾳδούσης αὐτῷ τὴν ψαλμικὴν ἱερολογίαν ἁπάσης τῆς ἐκκλησιαστικῆς διακοσμήσεως. Ἑξῆς δὲ, διὰ τῶν λειτουργῶν ἡ τῶν ἁγιογράφων δέλτων ἀνάγνωσις ἀκολούθως γίνεται, καὶ μετὰ ταύτας, ἔξω γίγνονται τῆς ἱερᾶς περιοχῆς οἱ κατηχούμενοι, καὶ πρὸς αὐτοῖς οἱ ἐνεργούμενοι, καὶ οἱ ἐν μετανοίᾳ ὄντες, μένουσι δὲ οἱ τῆς τῶν θείων ἐποψίας καὶ κοινωνίας ἄξιοι. Τῶν λειτουργῶν δὲ, οἱ μὲν ἑστᾶσι παρὰ τὰς τοῦ ἱεροῦ πύλας συγκεκλεισμένας, οἱ δὲ ἄλλο τι τῶν τῆς οἰκείας τάξεως ἐνεργοῦ-

[a] Num. 71.

στν. Et in Theoria seu Contemplatione. Τοὺς δὲ κατηχουμένους, ἐνεργουμένους τε, καὶ τοὺς ἐν μετανοίᾳ ὄντας, ὁ τῆς ἁγίας ἱεραρχίας θεσμὸς, ἐφίησι μὲν ἐπακοῦσαι τῆς ψαλμικῆς ἱερολογίας, καὶ τῆς ἐνθέου τῶν πανιέρων γραφῶν ἀναγνώσεως, εἰς δὲ τὰς ἑξῆς ἱερουργίας ἢ θεωρίας, οὐ συγκαλεῖται τούτους, ἀλλὰ τοὺς τελείους τῶν τελεσιουργῶν ὀφθαλμούς. *Catechumenos autem, & energumenos, quique in pœnitentia sunt, sancta Hierarchiæ mos patitur quidem audire sacram Psalmorum modulationem, divinámque sacrarum Scripturarum recitationem, ad sacra autem opera, quæ deinceps sequuntur, atque Mysteria spectanda, non eos convocat, sed perfectos integrorum oculos.* Si plura cupis, apud Joannem Launoium consule *judicium de libris Dionysio Areopagitæ inscriptis*, per quod Areopagitæ non tantùm liber de Ecclesiastica Hierarchia, sed etiam alii de cælesti Hierarchia & de divinis nominibus abjudicantur. Complures in Græcia Dionysii floruerunt; à quopiam, qui longè recentior Areopagitâ fuit, compositi sunt libri, quos eidem Areopagitæ posterior ætas attribuit, neque enim ante sextum seculum allegati reperiuntur.

AN. CH. 835. Ludov. Imp. 22. Lothar. Imp. 19. Pippini R. 21. Ludov. R. 19. Caroli R. 6.

CXXXI. Hilduinus ab Imperatore monitus, ut *revelationem ostensam beato Papæ Stephano in Ecclesia Sanctissimi Dionysii, sicut ab eo dictata est, & gesta, quæ eidem subnexa sunt, unà cum Hymnis quos de gloriosissimo Martyre atque Pontifice* habebat, *& Officium nocturnale* subjungeret, priorem duntaxat partem Imperatoriæ monitionis adimplevit. In Areopagiticis enim nec Hymni de Sancto Dionysio, nec Officium nocturnale reperitur. Extat autem epistola, quâ Stephanus Tertius Papa revelationem sibi factam describit; extat & narratio nonnullarum rerum, quas partim in eadem Basilica, partim Romæ peregit. Tomo quinto ad annum Christi septingentesimum quinquagesimum-quartum [a] recitavimus literas Stephani Papæ, résque commemoravimus ab eo gestas in Ecclesia Sancti Dionysii Martyris. Eget Hilduinus emendatione, cùm loquitur de Pippino ejúsque filiis Carolo & Carolomanno tunc in Reges unctis, *quos*, inquit, *& divina providentia ad sanctissimam Apostolicam Sedem tuendam eligere, & per eum, videlicet Vicarium Sancti Petri, immo Domini nostri Jesu Christi, in potestatem Regiam dignata est sublimare, & unctione sacratissimâ consecrare.* Stephanus enim Romanus Pontifex nec Pippinum nec ejus filios Carolum & Carolomannum *in potestatem Regiam* sublimavit. Pippinus ante biennium Rex esse cœperat, nec annos Regni sui numeravit unquam à die, quo Rex unctus est à Stephano Papa. Quæ scripta [b] sunt adversùs Baronium secus sentientem, si placet, denuò consule. Carolus & Carolomannus in Reges uncti quidem sunt à Pontifice Romano, sed eos priùs Reges à Pippino patre dictos atque in consortium Regiæ Dignitatis adscitos arbitrare, quemadmodum anno pòst vicesimo-septimo quos Carolus pater, Pippinum Italiæ, Ludovicum Aquitaniæ, Reges appellavit, eos Hadrianus Papa Reges inunxit, ut Tomo sexto ad annum Christi septingentesimum octogesimum-primum observavimus. Zachariæ & Stephano Tertio Romanis Pontificibus injurii certè sunt, qui vel ab utroque vel ab alterutro Regnum Francorum ablatum Childerico collatúmque Pippino volunt. Impropriè quoque loquuntur Annalistæ Tilianus & Bertinianus ad annum Christi septingentesimum quinquagesimum-quartum. *Apostolicus*, inquiunt, *Stephanus confirmavit Pippinum unctione sanctâ in Regem.* Unxit Stephanus Pippinum in Regem, sed ad possessionem vel administrationem Regni non confirmavit, Pippinus enim vel alius Francorum Rex à quopiam confirmationem Regiæ dignitatis aut potestatis numquam expetivit accepitve. Stephanus priusquam iter in Franciam susciperet, anno Christi septingentesimo quinquagesimo-tertio literas [c] inscripsit *Domno Excellentissimo filio Pippino Regi.* Pervenit ad Ponticonense Palatium octavo Idus Januarias, Indictione septimâ, sive anno Christi septingentesimo quinquagesimo-quarto, & *ibi*, ut Anastasius in ejus vita scribit, *prædictum Christianissimum Regem lachrymabiliter depreca-*

[a] Nu. 33. 34.

[b] Tom. 5. a. 754. n. 71.

[c] Cod. Carol. ep. 10.

AN. CH. 835. LUDOV. IMP. 22. LOTHAR. IMP. 19. PIPPINI R. 21. LUDOV. R. 19. CAROLI R. 6.

tus est, ut per pacis fœdera causam beati Petri & Reipublicæ Romanorum disponeret. Mense pòst Julio Pippinum in Æde San-Dionysiana Regem inunxit. Hac autem unctione Pippinus confirmationem Regni non magis accepit, quàm Ludovicus ejus nepos anno Redemptoris octingentesimo decimo-sexto confirmationem Imperii, quando Remis Stephanus Quintus Papa, ut Theganus [a] testatur, *die Dominicâ in Ecclesia ante Missarum solemnia coram Clero & omni populo consecravit eum, & unxit ad Imperatorem, & coronam auream miræ pulchritudinis & pretiosissimis gemmis ornatam, quam secum apportaverat, posuit supra caput ejus.* Ludovicus in consortium Imperatoris nominis à Carolo patre vocatus est anno Redemptoris octingentesimo decimo-tertio, & proximo mense Januarii solus post obitum patris imperare cœpit. Tunc Romanus Pontifex erat Leo Tertius, cui mense Junio Stephanus Quintus anno Redemptoris octingentesimo decimo-sexto successit. Hic, teste Annalistâ Laureshamensi [b], *nondum duobus post consecrationem suam exactis mensibus, quàm maximis potuit itineribus ad Imperatorem venire contendit, missis interim duobus Legatis, qui quasi pro sua consecratione Imperatori suggererent. Quod ubi Imperator audivit, Remis ei occurrere statuit, missis obviam iis, qui eum illo deducerent, & adventum ejus præveniens, magno cum honore suscepit. Qui statim Imperatori adventûs sui causam insinuans, celebratis ex more Missarum solenniis, eum diademate impositione coronavit.* Hac autem impositione diadematis atque unctione ad Imperatorem Stephanus Quintus Ludovicum non confirmavit ad Imperium, sed significare tantùm voluit mutuam inter se atque eundem Ludovicum Imperatorem amicitiam vigere, qualis aliàs inter Stephanum Tertium & Pippinum Regem intercesserat. Idcircò quemadmodum olim Stephanus Tertius Pippinum jam Regem in Æde San-Dionysiana solenniùs Regem inunxerat, sic & ipse Ludovicum jam Imperatorem augustiori pompâ Remis Imperatorem inunxit. Atque, ut Pippinus à die quo Rex unctus est à Stephano Tertio, numquam numeravit annos Regni sui, sic nec annos Imperii sui Ludovicus à die quo coronatus est Imperator à Stephano Quinto. Hæc attentè perpende, ne vel Areopagiticis Hilduini vel Annalistis impropriè locutis nimiùm fidas, & Pippinum ad potestatem Regiam à Stephano Tertio Papa vel sublimatum vel confirmatum suspiceris.

[a] Cap. 17.
[b] Ad an. 816.

CXXXII. Stephanus Tertius Romam reversus Sanctum Dionysium, cujus intercessione sanitatem recuperarat, maximâ veneratione coluit. Audi Hilduinum. *Idem Sanctus Pontifex Reliquias Sanctissimi Dionysii Romam detulit, & Monasterium in honore ipsius ædificare in proprio loco cœpit, quod frater ejus Paulus, illo morte prævento, quoniam ipsi in Pontificatu successerat, nobiliter consummavit, & convectis ibidem plurimis Sanctorum Martyrum corporibus consecravit, seu veluti à fratre & prædecessore suo jussus fuerat, famulatores Domini natione Græcos inibi constituit, & idem Monasterium ad sanctos Martyres in Schola Græcorum appellari fecit, ad honorem & memoriam pretiosissimi Dionysii sociorúmque ejus.* Tomo quinto multa de Stephano Tertio ejúsque fratre Paulo Primo scripsimus, nihil autem de Monasterio Græcorum ab illis Pontificibus erecto, ne divagaremur extra Franciam, Regibus enim Francorum Roma nondum parebat. Sed hoc loco silendum non videtur plerosque reperiri, qui lecto Hilduino contendunt ex textu proximè recitato Sanctum Dionysium, in cujus honorem & Monasterium Romæ prælaudati Pontifices extruxerunt, haud alium fuisse ab Areopagita, quia in illo Cœnobio constituti sunt Monachi natione Græci, & idem Monasterium ad Sanctos Martyres in Schola Græcorum à primo conditu nuncupari cœpit. At quid hæc ad Areopagitam? Nomen Dionysii Græcum est. Dionysium, quem Parisienses Episcopum suum ac Martyrem venerantur, patriâ Græcum extitisse nullus inficiatur. Stephanus Tertius Papa, cùm hujus Dionysii memoriam recoleret, inchoavit Monasterium, quod & Græcis concedi Monachis &

Monaste-

Monasterium ad Sanctos Martyres in Schola Græcorum appellari præcepit, eo tantùm consilio, ut eundem Dionysium natione Græcum fuisse significaret, nec unquam de tribuendo Areopagitæ titulo cogitavit. Si Dionysium Areopagitam censuisset, hoc illum nomine suis in literis exornasset, quibus & revelationem sibi factam & Altaris consecrationem exposuit, cùm in Monasterio San-Dionysiano agri Parisiensis moraretur. Epistolam integram Hilduinus Areopagiticis inseruit, descripsimúsque Tomo quinto [a]. Stephanus beatum Martyrem Christi Dionysium vocat, Areopagitam nequaquam. Paulus Stephani frater ac proximus successor, in literis ad Pippinum Regem, cùm de Dionysio Areopagita loquitur, nomen Areopagitæ non reticet, imò addito Areopagitæ titulo Dionysium, de quo sermonem habet, à ceteris Dionysiis distinguit. Lege in Codice Carolino epistolam vicesimam-quintam, quâ Paulus Papa *Dionysii Areopagita libros* laudat. Ceterùm de libris Dionysio Areopagitæ attributis nihil auditum ante annum Christi quingentesimum tricesimum-secundum. Gregorius Magnus [b], qui Pontificatum ineunte septimo seculo gerebat, de illis locutus est cum hæsitatione, sic. *Fertur Dionysius Areopagita antiquus videlicet & venerabilis Pater dicere, quòd* &c. Iidem libri sæpiùs in Synodis sub Martino & Agathone Romanis Pontificibus per illud septimum seculum in testimonium adducti sunt, sed nullâ priùs inquisitione factâ utrùm essent Dionysii Areopagitæ. Similiter absque prævio examine Paulus Papa post medium octavum seculum *libros Dionysii Areopagita* dixit, ut Tomo quinto ad annum Christi septingentesimum duodesexagesimum [c] jam observavimus. Quid autem de illorum librorum Auctore censeamus, exposuimus suprà.

[a] Ad an. 754. n. 33.
[b] Homil. 34.
[c] Num. 5.

AN. CH. 836. Ludov. Imp. 23. Lothar. Imp. 20. Pippini R. 22. Ludov. R. 20. Caroli R. 7.

ANNUS

CHRISTI		836.		
LUDOVICI	IMP.	23.		
	REG.	56.	31.	19.
LOTHARII	IMP.	20.	14.	
	REG.	22.	14.	4.
PIPPINI III.	REG.	22.	20.	2.
LUDOVICI	REG.	20.	11.	2.
CAROLI	REG.	7.	4.	2.
INDICTIO		14.		

ANNALISTA Bertinianus res gestas anno Redemptoris octingentesimo tricesimo-sexto sic orditur. *Imperator Natalis Domini Festivitate apud Aquisgranum celebratâ Missos iterum ad Lotharium direxit, monentes eum reverentia ac obedientia paterna, pacísque illi concordiam multipliciter inculcantes. Ad quod manifestiùs agnoscendum, jussum est, ut suos, quibus maximè fidebat,* I.

AN. CH. 836.

OTGARIUS ARCHIEP. MOGUNTINUS ET ALII MISSI LUDOVICI IMP. AD LOTHARIUM DIRIGUNTUR.

Legatos ad patrem dirigeret, cum quibus tractari de suo honore atque salute posset, & qui paternam erga illum voluntatem audire sibique fideliter nunciare valerent. Vox *iterum*, quâ pervetustus hic Auctor utitur, Legationem, de qua loquimur, distinguit ab ea, quam ad annum priorem laudavimus. Posterioris hujus Legationis ita meminit Liudolphus [a] in vita Sancti Severi. *Ludovicus Imperator Otgarium Magontiensem Episcopum & Hildi Virdunensem Antistitem, duósque Comites, quorum alter Warinus, alter Adalgisus vocabatur, ad Lotharium filium suum, qui eo tempore Ticini morabatur, destinavit pro pace & amicitiis inter eos reparandis, quæ pravorum hominum machinatione ex aliqua parte erant turbata.* Coætaneus hic Biographus omisit Marcuvardum Prumiæ & Andaini Abbatem, cujus Legationem infrà probabimus ex epistolis Lupi Ferrariensis pòst Abbatis quinta & sexta simul collatis. Directi sunt igitur ad Lotharium Oratores hi quinque; Otgarius Moguntiacensis Archiepiscopus, Hildi sive Hildinus Episcopus Virodunensis, Marcuvardus Prumiensis atque Andainensis Abbas, Warinus Comes, & Adalgisus item Comes. Atque inde patet Ludovicum Augustum nulli pepercisse industriæ, ut Lotharium filium post tot reatus ad pacem concordiámque revocaret. Legationis Principem constituit Otgarium Moguntiacensem Archiepiscopum, quem à Lothario plurimùm diligi noverat ante biennium [b]. Socium adjecit Episcopum Virodunensem Hildinum, cujus fidem exploratam habebat [c]. Tertium addidit Marcuvardum Prumiæ & Andaini Abbatem, cujus prudentiam inter domesticos tumultus anno Redemptoris octingentesimo tricesimo-tertio in Carolo Rege apud Prumiam sub custodia detento nec attonso magnoperè laudarat. Quartum elegit, quem sibi fidelissimum nec odiosum Lothario sciebat Warinum Comitem, ut res anni Redemptoris octingentesimo tricesimo-quarto [d] gestæ probant. De Adalgiso Comite nihil speciatim occurrit. Hi quinque viri Legationem obierunt exitu, ut inferiùs expolituri sumus, valdè prospero.

[a] Ap. Bolland. d. 1. Febr.

[b] An. 834. n. 1.

[c] W. sburg in Ep. Virodun. 28.

[d] Nu. 2. 17.

II. CONCILIUM AQUISGRANENSE.

Mense Februario, *in ipsis diebus, in quibus Purificatio beatissimæ semper Virginis Mariæ celebratur, Conventus quidem magnus, sed præcipuè Episcoporum, Aquisgrani convenit. In quo quum de aliis utilitatibus Ecclesiæ necessariis, tum præcipuè de his rebus quæstum est, quas Pipinus & sui multis Ecclesiis abstulerunt. Ob quam rem Imperialis auctoritas & communis Concilii Commonitorium ordinatur, quibus commoneretur Pipinus & sui, cum quanto periculo res Ecclesiasticas pervaserint. Quæ res prosperum suscepit exitum. Nam Pipinus monita pii patris sanctorúmque virorum libenter suscipiens, obedienter paruit, & omnia invasa restitui, etiam per annuli sui impressionem constituit.* Hæc Astronomus in vita Ludovici Pii, nec alia scribit, qui sub Eginhardi nomine citatur à Sirmondo [e] vetus Chronographus. *Mense Februario magnus Episcoporum præsertim Conventus Aquisgrani habitus est. In quo cùm de aliis Ecclesiæ necessitatibus, tum præcipuè de his rebus, quas Pippinus & sui multis Ecclesiis abstulerant, agebatur. Publico autem & Imperatoris & Episcoporum Decreto & consensu monetur Pippinus, ejúsque Primates, cum quanto ipsorum periculo res Ecclesiasticas invaserint, útque restitui jubeat præcipitur. Quæ res prosperum exitum habuit. Nam Pippinus monita patris pii sanctorúmque virorum libenter suscipiens, obedienter paruit, & omnia invasa, etiam per annuli sui impressionem restitui jussit.*

[e] In not. ad Tom. 2. Conc. Gallic.

III. Extat hoc Aquisgranense Concilium duas in partes distributum; quarum una tripertitos Canones complectitur de tribus Capitulis à Ludovico Imperatore ad tractandum propositis; altera tres in libros dividitur, quos Episcopi Pippino Aquitaniæ Regi direxerunt, ut quas ei res per Commonitorium anteà suggesserant, Sacræ Scripturæ testimoniis & exemplis illustrarent. Hodie desideratur istud Commonitorium, sed cujus argumenti fuerit, abundè docent cùm prædicti libri tum Auctores proximè descripti.

IV. Præfatio Concilii talis est. *In Nomine Sanctæ Trinitatis. Cùm convenissemus Episcopi, quorum nomina subter adnectentur, Synodali evocatione convocante*

nos Gloriosissimo & Orthodoxo Imperatore Ludovico, Invictissimo Augusto, gratiâ inspirante divinâ, Aquisgrani Palatii in Secretario Basilicæ Sanctæ Genitricis Dei Mariæ, quod dicitur Lateranis, anno Incarnationis Domini nostri Jesu Christi DCCCXXXVI, *Indictione* XIV, *anno verò Imperii prædicti Cæsaris* XXIII, *octavo scilicet Iduum mensis Februarii, & ibi de statu Sanctæ Dei Ecclesiæ, admonente Serenissimo atque totius Religionis devotissimo præfato Imperatore, tractare cœpissemus pari consensu. Primò visum est, normam universæ Religionis atque Ecclesiasticæ disciplinæ, in duabus consistere personis, Pontificali videlicet atque Imperiali. De qua re Gelasius Romanæ Sedis Venerabilis Episcopus ad Anastasium scripserit ita Imperatorem. Duo sunt, inquit, Imperator Auguste, quibus principaliter mundus hic regitur, auctoritas scilicet sacrata Pontificum & Regalis potestas; in quibus tantò gravius est pondus Sacerdotum, quantò etiam pro ipsis Regibus hominum in divino reddituri sunt examine rationem. Unde etiam Fulgentius in libro de veritate prædestinationis & gratia ita scribit. Quantum pertinet, inquit, ad hujus temporis vitam, in Ecclesia nemo Pontifice potior, & in seculo Christiano Imperatore nemo celsior invenitur. Cùm hæc quippe ita se habeant, primò, ô venerande Cæsar, Omnipotenti Domino vestræque benignissimæ Excellentiæ, exultantibus præcordiis immensas referimus gratias, qui nos instinctu divino per devotissimum à se electum atque constitutum admonitorem, tam misericorditer atque clementer admonere dignatus est, juxta consuetudinem beatissimæ memoriæ genitoris vestri, ut memores Ministerii nostri, divinitus nobis licèt indignis collati, pro modulo possibilitatis, officio Sacerdotali secundùm Omnipotentis Dei voluntatem operam dare studeremus. Revolutis igitur à vestra nobis benignissima devotione collatis tribus Capitulis; id est, ut ventilentur, sine quo Episcopi Episcopale Ministerium absque offensione divina ullo modo perficere non possunt; aut quid unumquemque Episcopum scire oporteat atque implere, nec omnino ignorare absque periculo liceat; vel etiam quid ad ornatum Sanctæ Dei Ecclesiæ & Ministerium Sacerdotale pertineat, sine quo nec Sacerdotis vita probabilis esse potest, nec competens honor illi à ceteris devotè impendi; quidque hoc, sine quo communis omnium salus ac salvatio esse non potest, Sacerdotum videlicet totiúsque populi. Quibus perfacilè succinctim ac debitè per singula respondere non possumus. Sed quia juxta assertionem vestram primò reperimus temporum varietate & ordinum confusione perplura, quæ ad Sanctæ Dei Ecclesiæ ornatum erigi debeant, quoquomodo neglectu elapsa, quæcumque in nobis nostrísque in his neglecta videntur officiis, omni devotione omníque expectatione, prout Omnipotens posse annuerit, erigenda, atque ut in perfectiorem statum vertantur, omnino Divinâ suffragante gratiâ operam dare desideramus. Vestram siquidem nihilominùs supplici admonitione & affectu caritatis Excellentiam admonentes, si qua sunt Ecclesiastici juris vestrâ piissimâ gubernatione erigenda, ut per vos vestrósque Christianæ Religionis commilitones subleventur. De cetero noverit Serenitas vestra, jam ut prædictum est, quæ in Ecclesiastico ordine confusa videntur, ea nos pro modulo uniuscujusque capacitatis perquirere, & inspecta, quantùm ad nos pertinet, Domini opitulante gratiâ, restaurare cupimus, & ut fiat magno desiderio optamus. Perspicientes ergo devotionem vestram sanctam & Deo ut credimus amabilem, non mediocri laude magnificentiam Dei nostri magnificandam eandémque devotionem valdè necessariam Sanctæ Dei Ecclesiæ duximus, atque benigno affectu commissa consideranda suscepimus, non aliquid novum quærentes, nec contra veritatis religionem quid statuentes, sed statuta antiquorum Patrum innovantes, quæ per desidiam quorumdam labefactari visa sunt in quocumque Ordine, ac propter inusitatum vel inveteratum usum oblivioni tradita, ut ad pristinum Domino adjuvante gradum releventur, Capitulis strictim adnectendum censuimus.* Synodi tempus ac locum, Capitulorum etiam, quæ proposita sunt ab Imperatore, materiam hæc indicat Præfatio; Episcoporum autem nomina, quæ subter adnectenda monuit, dolemus hodie non inveniri, multùm enim illorum cognitio prodesset ad Episcoporum plerosque Catalogos aut approbandos aut emendandos.

AN. CH. 836.
LUDOV. IMP. 23.
LOTHAR. IMP. 20.
PIPPINI R. 22.
LUDOV. R. 20.
CAROLI R. 7.

AN. CH. 836. LUDOV. IMP. 23. LOTHAR. IMP. 20. PIPPINI R. 22. LUDOV. R. 20. CAROLI R. 7.

V. Primum Capitulum *de vita Episcoporum* inscribitur, constátque duodecim Canonibus, quorum vel solos titulos vel epitomen hîc edidisse sufficiet. Primo Canone Patres statuunt *ut nullus Episcopale Ministerium per ambitionem munerum attentare præsumat, sed is ad Episcopale officium perveniat, si secundum Apostolum vivat, id est, irreprehensibiliter, sobrie, prudenter, pudicè, ornatè, cum hospitalitate, cum doctrina, non vinolenter, non injuriosè, modestè, non litigiosè, non cupidè.* Et quoniam secundùm eundem Apostolum *oportet etiam Pontificem propria Domui esse benè præpositum, & testimonium habere bonum ab his qui foris sunt, ut doctrina Dei nostri exornetur in omnibus,* addunt *& ab his, qui intus sunt conversantes cum Episcopo, habere testimonium omnem Episcopum oportere.* Secundo Canone sanciunt, *ut Episcopus juxta Regulam à beato Paulo Apostolo decretam Ministerium peragat Episcopale.* Tertio, ut hospitalitatem ubique sectetur, & *quocumque sit loco coram se adgreget pauperes semper ad refectionem.* Quarto, ut neque *se litigiosis immisceat contentionibus, neque irreligiosis, vel indisciplinatis locutionibus tam in domibus quàm in forinsecis conventiculis omnino indulgeat.* Quinto, *ut nullus Episcoporum vel Ministrorum ipsorum, deinceps pro distributione sacrorum Ordinum, pro dedicatione sanctæ Ecclesiæ, seu pro acceptione sacri Chrismatis, vel pro immutatione Titulorum aliquid exigere præsumat.* Sexto, ut Episcopus, qui *ebrietati deservit, aut desinat, aut deponatur.* Septimo, tribúsque proximè sequentibus egregiè monent, quòd *in vita Sacerdotum* sive Episcoporum *pensandum* sit, *qualiter quisque doceat;* quòd Episcopi vita cum ipsius doctrina debeat convenire; *quòd actio Episcopi populi actionem transcendere debeat;* & *quòd cavendum sit Episcopo, ne hominibus placere cupiat.* Undecimo sanciunt, ut Episcopi Congregationes Canonicorum, Monachorum, & Sanctimonialium, sibi subjectas diligentiùs gubernent. Duodecimo, ut extra necessitatem *propriâ civitatis suæ Sede relictâ Cleróque neglecto,* remotiora loca non frequentent. Hi duo postremi Canones sumpti sunt ex capite, quod est vicesimum-primum in libro primo Concilii Parisiensis, & à nobis ad annum Redemptoris octingentesimum undetricesimum [a] suprà descriptum fuit.

[a] Num. 32.

VI. Secundi Capituli, quod à Ludovico Augusto propositum est in Aquisgranensi Concilio, duæ sunt partes; prior *de doctrina Episcoporum,* posterior *de vita & doctrina inferiorum Ordinum;* illa duodecim Canones, hæc sexdecim complectitur.

VII. In priori parte sunt hi Canonum tituli. I. Episcopus ante omnia rectam fidem sciat ac doceat. II. Veteris novique Testamenti scripta noscat. III. Spiritalem animarum medicinam non ignoret. IV. Evangelicam & Apostolicam doctrinam Canonésque cum Pastorali Sancti Gregorii sciat. V. Sacræ legis meditationi sit intentus. VI. Noscat quâ personarum discretione prædicandum sit, *sæpè namque aliis officiunt, quæ aliis prosunt.* VII. Sciat *res Ecclesiasticas non ut proprias, sed à Domino sibi pro aliorum necessitatibus commissas,* & *nihil aliud esse res Ecclesiæ quàm vota fidelium, pretia peccatorum, & patrimonia pauperum.* VIII. Semel in anno in cœna Domini sancti olei unctionem non negligat. IX. Vespertinales in vigilia Paschæ *propter lætitiam Resurrectionis Domini* celebret. X. Litaniam majorem *juxta morem Romanum* celebret VII *Kalendas Maii.* XI. Ministros suos benè instruat. XII. Si deinceps ab Imperatore defecerit, aut fidelitatem violaverit, gradum amittat. Postremo huic Canoni condendo causam dedit recens memoria domesticorum tumultuum, quos exosa Synodus quas potest gravissimas pœnas adversùs quoscunque perduelles cùm Clericos tum laicos ita decernit. *Constat, quia quicunque potestati à Domino data resistit, juxta Apostolicum documentum, Dei ordinationi resistit. Et idcircò in commune statuimus, ut si quispiam Episcoporum, aut quilibet sequentis Ordinis Ecclesiastici, deinceps timore aut cupiditate, aut qualibet suasione, à Domino & Orthodoxo Ludovico Imperatore defecerit, aut etiam sacramentum fidelitatis illi promissum violaverit, &*

ejus contrariis malevolâ intentione quolibet modo se copulaverit, gradum proprium Canonicâ atque Synodali sententiâ amittat. Quòd si quispiam latius superius comprehensa facere tentaverit, sciat se ab universo gradu anathematizandum. AN. CH. 836.

In posteriori parte Canones sunt de Abbatibus seu Canonicorum seu Monachorum, de Canonicis, de Monachis, de Chorepiscopis, de Archipresbyteris, de Archidiaconis, de Presbyteris, de Clericis, de Abbatissis, de Monasteriis seu virorum seu puellarum. LUDOV. IMP. 23. LOTHAR. IMP. 20. PIPPINI R. 22. LUDOV. R. 20. CAROLI R. 7.

Primo Canone Synodus statuit, ut Abbates Canonicorum Congregationes suas verbo atque exemplo regant, & tam ipsi Abbates quam & Canonici suis subditi sint Episcopis. *Ut Abbates Canonici gregibus sibi commissis instanter invigilent, & geminam eis pastionem impendant, id est, cibi & verbi, quatenus absque murmurationis vitio Domino servire valeant; simul etiam ut prædicti Abbates Ecclesiasticæ jura intemerata custodiant; videlicet ut cognoscant cujus prænomine notentur in eo quòd Abbates vocati sunt, quod & intelligitur in typo Christi, nomen spiritalis patris. Ideòque semetipsos nomini quod accipiunt conforment, ut subditis & spiritalibus filiis exemplum præeundo & informando religiosè exhibeant. Ideòque non convenit ministerio ipsorum aliqua turpia aut secularia vel etiam inania quæque sectari, quæ contra Religionem esse noscuntur, sed potiùs canonicè, religiosè, castè, sobriè, atque piè & justè vita eorum omnibus sibi commissis æternæ felicitatis ducatum præbeat, & in quantùm ipsi Abbates Abbatúmque subjecti, Episcopis propriis pro se suisque omnibus rationem reddituros noverint, tantâ eorum consilio atque auctoritate modis omnibus mancipentur.* VIII. IX.

Qui sequuntur Canones, secundus & tertius, sunt de Abbatibus Monachorum & de Monachis, ut Abbates curam Monachorum sibi commissorum gerant, & Monachi nec intersint negotiis sive secularibus sive Ecclesiasticis, nisi in causa necessitatis & acceptâ Episcopi licentiâ, nec ipsum Episcopum parvipendant in cujus Parrochia consistunt. II. *Abbates verò Monachorum oportet pervigili studio gregis sibi commissi curam gerere, videlicet ut sine quibus esse non possunt, temporalia subsidia administrent, tantóque id studiosiùs decertent agere, quantò sciunt exteriùs nihil contingere licere. Simul etiam divinæ lectionis studio jugiter eos informent, ne aut temporali desolati auxilio divinum opus explere nequeant, aut torpentes otio in laqueum tentationis incidant. Ipsos etiam Monachos passim, & quasi absque Canonica auctoritatis jugo effrænatos per secularia negotia minimè oportet discurrere, & villicis atque secularibus curis inservire; sed secundùm institutionem Canonicam in quibus renuntiaverunt contentos esse, & neque secularibus neque Ecclesiasticis negotiis, nisi in causa necessitatis, acceptâ tamen propriæ civitatis Episcopi licentiâ, interesse.* III. *Monachi intereà non debent parvipendere Pastores suos, in cujusque Parrochia consistentes, sicut aliqui faciunt.* X.

Quartus Canon est de Chorepiscopis, Archipresbyteris, & Archidiaconis, ne avari constituantur. *Comperimus quorumdam Episcoporum Ministros, id est, Chorepiscopos, Archipresbyteros, & Archidiaconos, non solùm in Presbyteris, sed etiam in plebibus Parrochiæ suæ avaritiam potiùs exercere, quàm utilitati Ecclesiasticæ dignitatis inservire, populique saluti consulere. Quam negligentiam, immò eorum execrabile ac damnabile cupiditatis vitium omnes in commune deinceps vitandum statuimus.* Et paulò pòst. *Si fortè, quod absit, ullus Episcoporum deinceps sectatores avaritiæ Ministros in Parrochia sua constituerit, & eorum cognitam pravitatem auctoritate Pastorali acriter ferire detrectaverit, exemplum negligentis Heli Sacerdotis imitari se cognoscat, & Synodali correptioni modis omnibus subjiciendum. Nam & in consensu communi statuimus, ut unusquisque Episcoporum super Archidiaconos suos deinceps vigilantiorem curam adhibeat, quoniam propter eorum avaritiam & morum improbitatem multi scandalizantur, & Ministerium Sacerdotale vituperatur, & in Ecclesiis à Sacerdotibus multa propter eos negliguntur.* XI.

AN. CH. 836. LUDOV. IMP. 23. LOTHAR. IMP. 20. PIPPINI R. 22. LUDOV. R. 20. CAROLI R. 7. XII.

Canones, quintus, ſextus, ſeptimus, octavus, decimus, undecimus, & decimus-ſextus, ſunt de Preſbyteris. Quintus eſt de illorum officio erga eos qui ad ipſorum Eccleſias pertinent. *Presbyterorum, qui præſunt Eccleſiæ Chriſti, & in confectione Divini Corporis & Sanguinis conſortes cum Epiſcopis ſunt, Miniſterium eſſe videtur, ut in doctrina præſint populis, & in officio prædicandi, nec in aliquo deſides inventi appareant. Item ut de omnibus hominibus, qui ad eorum Eccleſiam pertinent, per omnia curam gerant, ſcientes ſe pro certo reddituros rationem pro ipſis in die judicii, quia cooperatores oneris noſtri eſſe procul dubio noſcuntur. Quapropter ab artu nativitatis cujuſque ad ſe pertinentis curam habeat, ne aliquis eorum abſque renatione ſacri Baptiſmatis moriatur. Poſt acceptum autem ſacrum Baptiſma, ſine manûs impoſitione Epiſcopi non remaneat; ac deinde imbuatur ſcire Orationem Dominicam atque Symbolum. Poſteà verò qualiter vivere debeat doceatur. Si fortè vitioſus vel criminoſus apparuerit, qualiter corrigatur provideat. Si autem infirmitate depreſſus fuerit, ne confeſſione atque oratione Sacerdotali, necnon unctione ſacrificati olei per ejus negligentiam careat. Denique ſi finem urgentem perſpexerit, commendet animam Chriſtianam Domino Deo ſuo more Sacerdotali, cum acceptione ſacræ Communionis, corpúſque ſepulturæ, non ut mos eſt gentilium, ſed ſicut Chriſtianorum.* Hoc Canone confirmatur vetus Eccleſiæ traditio, quam Tomo priore in obitu cùm Caroli Magni tum Adelhardi Corbeïenſis Abbatis obſervavimus, de data Infirmis poſt Unctionem Euchariſtia. Sextus Canon de negligentiis Preſbyterorum inſcribitur. *De Presbyteris & eorum Eccleſiis, unde multa negliguntur, & ſcandala generantur, in noſtra diſcuſſione quatuor nobis pericula apparuerunt. Primò, quia nonnulli eorum, ab ipſis Sacerdotibus quadam ſecuritate acceptâ* (vel ut Benedictus Levita libro quinto [a] Capitularium legit, *quia nonnulli ex noſtris Sacerdotibus quadam ſecuritate acceptâ*) *nec ea quæ ad cultum divinum pertinent faciunt, neque in reſtauratione & luminaribus Eccleſiæ ſtudium habent, nec etiam ſenioribus ſuis debitam reverentiam exhibent, & inſuper Eccleſias ſuas exſpoliant, & in prædiola ſua propria transferunt. Quæ omnia ad negligentiam eorum pertinere deprehendimus. Ob id verò quadam occaſione acceptâ ſeniores eorum permoti in tantam audaciam prorumpunt, ut eos etiam illicitè & inhoneſtè atque irreverenter tractare præſumant. Unde ſummoperè omnibus modis abhinc providendum judicavimus, ut ea, quæ à Domina Imperatore conſenſu Epiſcoporum ob honorem & amorem Dei Eccleſiis conceſſa ſunt, non in avaritiam Presbyterorum, aut in rapacitatem Epiſcopalium Miniſtrorum, ſed in utilitatem Eccleſiæ & in uſus Clericorum & pauperum deveniant.* Septimus Canon eſt de Preſbyteris, qui ſuis in domibus fœminas habent. *Illud quoque non minùs periculoſum eſſe didicimus, quòd in quorumdam Epiſcoporum Parrochiis quoſdam Presbyteros, contra interdicta Sanctorum Canonum, fœminas in domibus ſuis non ſolùm habitare, ſed etiam miniſtrare ſibi faciunt, quas & laqueum Sacerdotibus perſæpè extitiſſe, & multos hac occaſione in ſcandalum & in detractionem corruiſſe cognovimus. Quæ tranſgreſſio & tempore genitoris veſtri, & veſtro, in Conventibus Epiſcoporum ſecundùm auctoritatem Canonicam prohibita, ſed necdum ad correctionem plenè eſt perducta. Unde in commune cenſuimus, ut hi, qui tantæ tranſgreſſionis incorrectores hactenus extiterint, ſi abhinc hujus rei correctores eſſe neglexerint, juxta Apoſtoli ſententiam, quaſi conſentientes malorum coerceantur.* In eadem quoque materia verſatur Canon undecimus, & ut ſeptimus mulctat Epiſcopos qui Preſbyteros non corrigunt, ſic & undecimus ipſos punit Preſbyteros qui Conſtitutionem Epiſcoporum aſpernantur. *Decernimus etiam, ut Presbyteris nulla omnino cohabitet fœminarum, contemnentes autem hanc Conſtitutionem periculum proprii ſuſtinere gradûs.* Hic Canon nullam omnino fœminam excipit, ne quidem eas quas Nicæna Synodus [b] excepit. Parem anteà ſanctionem in ſuo ad Preſbyteros Capitulari, quod ad annum Chriſti ſeptingenteſimum octogeſimum-ſextum [c] deſcripſimus, Theodulfus Aurelianenſis Epiſcopus additâ ratione ſic edidit [d]. *Nulla fœmina cum Presbytero in una*

[a] Cap. 171.

[b] Can. 3.

[c] Nu. 66. & ſeqq.

[d] Cap. 61.

domo habitet. Quamvis enim Canones matrem & sororem, & hujuscemodi personas in quibus nulla sit suspicio, cum illo habitare concedant, hoc nos modis omnibus idcirco amputamus, quia in obsequio, sive occasione illarum, veniunt aliæ fœminæ, quæ non sunt ei affinitate conjunctæ, & eum ad peccandum illiciunt. Octavus Canon Aquisgranensis statuit, ut ab Episcopis coerceantur Presbyteri, qui contra Canones aliquid indecenter agunt. *Similiter de illis Presbyteris, qui contra statuta Canonum villici fiunt, tabernas ingrediuntur, turpia lucra sectantur, & diversissimis modis usuris inserviunt, & aliorum domus inhonestè & impudicè frequentant, & comessationibus & ebrietatibus deservire non erubescunt, & per diversos mercatus indiscretè discurrunt, observandum judicavimus, ut abhinc districtè severitérque coerceantur, ne per eorum illicitam & indecentem actionem, & Ministerium Sacerdotale vituperetur, & quibus debuerant esse in eorum exemplum, deveniant in scandalum.* Canonis decimi duæ sunt partes. Episcopi spondent quidem se curaturos, ut quorum Presbyterorum vita ridiculo habetur, illorum actus minùs perfecti debitum ad statum revocentur, sed addunt Regis hoc esse munus, ut suâ præceptione laicos ad impendendum Presbyteris honorem adigant. Sic enim Ludovicum Augustum alloquuntur. *De eorumdem Presbyterorum vita, quæ, ut vos verè fatemini, ridiculo habetur, quantùm nobis posse est, curabimus ut minùs perfecti eorum actus ad debitum revocentur statum. Vestrum autem erit præcipere laicis, ut ipsi congruum eis & debitum impendant honorem, & in eos, qui contra eos perperam gesserunt, congrua procedat castigatio, quatenus & illi corrigantur, & reliqui terreantur.* Canon decimus-sextus statuit, ut *ubicunque possibile fuerit, unicuique Ecclesiæ suus provideatur ab Episcopis Presbyter.*

AN. CH. 836. LUDOV. IMP. 23. LOTHAR. IMP. 20. PIPPINI R. 22. LUDOV. R. 20. CAROLI R. 7.

XIII. Canon nonus est de Clericis, quos necesse est & ad majorem revocari disciplinam, & amplioribus foveri stipendiis. *Necessarium etiam in quibusdam reperimus Ecclesiis, ut Clericorum ordo majori adstringatur disciplinâ & custodiâ, ampliorique foveatur stipendiorum copiâ, ut occasione temporalium subsidiorum sanctarum non depereat institutio rerum.*

XIV. Canon duodecimus est de puellarum Monasteriis, in quibus collapsa est disciplina. *Illud namque necessarium visum est de Monasteriis puellarum, quæ in quibusdam locis lupanaria potiùs videntur esse quàm Monasteria, propter negligentiam stipendiorum aut certè insolentiam Prælatarum. Unde postulandum est, ut religiosi viri ad hoc dirigantur, ut talia inquirant, & secundum religionem Deo placabilem emendare studeant, sicut superiùs de Clericis* Canone nono *decrevimus.*

XV. Ad Prælatas Monasteriorum pertinent Canones decimus-tertius & decimus-quartus. Canonis decimi-tertii duæ sunt partes; una docet quomodo erga subditas gerere se debeant Prælatæ, altera præscribit quales eligendæ sint. *Admonendæ etiam sunt Prælatæ Monasteriorum, ut subditas moribus atque exemplis præcedant, de necessariis subditarum victualibus ad proprios usus subditis detrahere non præsumant, ne & illæ inde, occasione videlicet minorationis victûs atque vestimentorum, in laqueum incidant diaboli. Sed deinceps illæ ovibus Christi præferendæ sunt, quas contagio vitiorum non coinquinet, sed Religionis devotio commendet. Nam illud perspicuum est, quæ necdum noverant esse filiæ in disciplina Religionis, nec in sese Religionis normam habentes, matres Religiosarum fieri non posse.* Canon decimus-quartus admonet Prælatas, *ut prævideant ne in ipsis Monasteriis multimodi sint anguli, vel talia loca, quæ sint tenebrosa, aut certè visui occulta, in quibus Deus pro sceleribus inibi commissis ad iracundiam provocetur.*

XVI. Canon decimus-quintus est de Monasteriis seu Congregationibus tam virorum quàm fœminarum. *In custodiis verò Congregationum, tam Canonicorum, quámque Monachorum, necnon Sanctimonialium, summoperè studendum censuimus, ut in omnibus locis claustra eis prævideantur religioni eorum congruentia; sed & habitacula domorum, in quibus religio Deum sequi volentibus perfici*

AN. CH. 836. LUDOV. IMP. 23. LOTHAR. IMP. 20. PIPPINI R. 22. LUDOV. R. 20. CAROLI R. 7.

atque augeri possit potiùs quàm vitia nutriri. Hoc tamen, ut non negligatur à Prælatis Congregationum, Missis Dominicis committatur. Modus autem erga ipsarum Congregationum disciplinam hic esse debet, id est, ut Canonici secundùm id quod continetur in libro qui de eorum vita collectus, religiosè conversentur: Monachi verò secundùm traditam à Beato Benedicto Regulam unanimiter, quantumcumque posse est, cujusque religionis regularem vitam in omnibus sectentur. Sanctimoniales denique, secundùm id quod earundem sexûs fragilitati congruit, religioni cum omni diligentia subdantur.

Tertium Capitulum, quod *de persona Regis filiorumque ejus, & Ministrorum* inscribitur, in multis convenit cum Synodo Parisiensi, de qua fusè disseruimus ad annum Redemptoris octingentesimum vicesimum-nonum, complectitúrque Canones viginti-quinque.

XVII. XVIII. I. Quòd Regis nomen ei conveniat qui rectè regit. II. Quòd Rex Ecclesiæ tuendæ causâ sit constitutus. III. Quòd Regale Ministerium sit populum Dei cum justitia & pace regere. IV. Quibus verbis Regis officium à Job & Salomone describatur. V. Ut Ludovicus Augustus Filiis suis & Proceribus potestatem ac dignitatem Episcoporum notam faciat. VI. Ut idem Imperator fideles suos moneat, ne sinistras de Episcopis opiniones sine causa sumant, néve se dicant offensos si quid Episcopi pro illorum salute suggesserint. Sex hi Canones ex Parisiensi Concilio transcripti sunt, ut patet ex capitibus primo & secundo libri secundi, necnon ex capitibus octavo, nono ac decimo libri tertii.

XIX. VII Canon. Ut accusationes Episcoporum sine causa non admittantur, & ut secundùm veritatem examinentur. VIII. Ut facultates Ecclesiæ non distrahantur per laicos, sed ab Episcopo dispensentur.

XX. Nono Canone quatuórque proximè sequentibus Episcopi rogant Imperatorem, ut magnum studium solertémque curam adhibeat in constituendis Ecclesiarum Pastoribus, Abbatibus & Abbatissis, eligendísque Consiliariis ac Ministris qui pacem & concordiam inter se habeant; útque filios suos in Dei timore diligenter erudiat, & paternâ hortetur admonitione mutuam dilectionis caritatem syncerúmque fraternitatis amorem sectari. Transcripti quoque sunt hi quinque Canones ex Concilio Parisiensi, cujus librum tertium consule, capitibus vicesimo-secundo, vicesimo-tertio, vicesimo-quarto & vicesimo-quinto.

XXI. Canon decimus-quartus est instar transitionis ad alios Canones, per quos Episcopi multa sperant correctum iri. Queruntur Canone decimo-quinto, quòd contra divinam auctoritatem Principes in causas Ecclesiasticas prosilierint, & Sacerdotes ultrà quam debuerunt secularibus se negotiis occuparint. Canonem decimum-sextum instituunt *de Episcopali libertate*, quam suffragante Imperatoris adminiculo adipisci cupiunt ad servitium Dei peragendum. Utrumque verò transcribunt ex duobus postremis capitibus Synodi Parisiensis. Canone decimo-septimo petunt, ut tempus Quadragesimæ viris Ecclesiasticis sub quiete liceat agere. *Vestram*, inquiunt, *Deo amabilis Auguste, petimus clementiam, uti absque inevitabili necessitate sanctum tempus Quadragesimæ liceat Ecclesiasticis viris sub quiete agere, quatenus tempus illud, quod purificatio esse debet aliorum temporum, non inquinetur inquietudine perturbationum.* Illo Canone monent Imperatorem, ne publicos Regni Conventus per Quadragesimam celebret. Canone decimo-octavo statuunt ut die Dominico nec jejunium teneatur, nec placita vel nuptiæ fiant. *Jejunium diebus Dominicis tenere & Canonica interdicit auctoritas & Resurrectionis Dominicæ tanta Solemnitas. Et ideo placita illis diebus, neque nuptias, pro reverentia tantæ Solemnitatis, celebrari visum est.* Canone undevicesimo de Monasteriis, quæ propter rei publicæ necessitatem secularibus dantur, ita decernunt. *Monasteria divinis solummodo cultibus dicata non debere secularibus dari & Canonica prodit auctoritas & ipsorum destructio locorum.*

AN. CH. 836. LUDOV. IMP. 23. LOTHAR. IMP. 20. PIPPINI R. 22. LUDOV. R. 10. CAROLI R. 7.

rum. Sed quia id exigit rei publicæ necessitas, saltem collapsa loca erigi debent, & Clerici locis, in quibus fuerant, restitui, quousque opportunitas id permittat emendari plenius. Canone vicesimo laicos sanè monendos aiunt, *ne Sacerdotes contemptui habeant, néve eorum monita despiciant, & tam turpiter tractent, uti hactenus.* Canone vicesimo-primo, ne familiæ Ecclesiasticæ injustè graventur, sic vetant. *Meminisse debent, qui res Ecclesiæ atque familiam sub manu sua habent, non eos debêre severè & crudeliter cum eis agere, sed cogitare, quia utrorumque Dominus est in cælis, & consuetum atque antiquum ab eis servitium exigant, nihil superaddentes.* Canone vicesimo-secundo de communicatione Corporis Domini sic præcipiunt. *Sanè communicatio Corporis Domini omni die Dominicâ debuit celebrari. Ideóque necesse est, quantùm ratio permittit, ut moderna corrigatur consuetudo, ne fortè qui longè est à sacramentis, quibus est redemptus, longè sit à salute quam fuerat consecuturus.* Canone vicesimo-tertio postulant *de Presbyteris, qui hinc inde de diversis partibus veniunt, & in Palatio morantur, ut sine proprii Episcopi consensu ibi locum consistendi non habeant nec recipiantur, quia fieri potest, ut intra Parrochiam metu perpetrati criminis, ne id palàm juxta Canonum sanctiones ulciscatur, Palatinas ædes frequentene, aut certè, licèt non sit ordinatus, ipse tamen absque literis ordinatum se attestetur.* Canone vicesimo-quarto non minùs postulant *de Monachis, ut & ipsi in publicis locis sine ratione decenti discurrere probibeantur, quia hoc à proposito ipsorum procul absistit. Fieri etiam potest, ut quidam illorum, sicut superiùs dictum est de Presbyteris, perpetrato scelere in Monasterio, causam vagandi potiùs eligant, quàm Regularibus disciplinis subjacere.* Denique Canone vicesimo-quinto dignum ducunt *de raptoribus viduarum ac virginum, ne ab universis Comitibus omni nisu investigentur, & inventi condignâ invectione Imperiali castigentur, ut à tam illicita præsumptionis audacia ipsi coerceantur, & ceteri hoc admittere volentes terreantur.*

XXII. Altera pars Aquisgranensis Concilii tres distinguitur in libros, quibus hæc ad Pippinum Aquitaniæ Regem epistola præponitur. *Inclyto cælestíque gratiâ Regio munere insigniter sublimato, Domno Pippino Regi Nobilissimo, & per immensum à Deo conservando, cœtus Venerabilium Præsulum, & sequentis Ordinis Religiosorum Sacerdotum, apud Aquasgrani jussu salutifero & ordine providentissimo Piissimi & Orthodoxi Genitoris vestri Domini nostri Ludovici Cæsaris eximii, ob honorem & decorem Sanctæ Dei Ecclesiæ procurandum, & quasdam Dignitates Ecclesiasticas magna ex parte collapsas atque fuscatas, ad pristinum statum nitorémque Domino opem ferente revocandas synodaliter congregatus æternæ beatitudinis optat felicitatem. Nos igitur fidelissimi Oratores vestri, salutísque vestræ amatores devotissimi, miseramus nuper Celsitudini vestræ per Venerabiles Fratres, Aldricum videlicet Cenomanicæ urbis & Herchinradum Parisiorum Coepiscopos nostros, quandam schedulam, quædam ex auctoritate Ministerii nostri salutaria monita continentem. Cui quia de negotiis, unde vestram magnitudinem admonuimus, testimonia Sanctarum Scripturarum, vitantes illius prolixitatem, adnectere nequivimus, utile necessariúmque judicavimus, ut in hoc opusculo ea breviter adnotaremus, vestræque prudentissimæ solertiæ legenda mitteremus, ut si fortè quispiam objicere voluerit hæc quæ vobis scripsimus non ex auctoritate divina constare, sed potiùs arbitrio cordis nostri, immò cupiditate & quadam adinventione commentata esse, his lectis atque perpensis evidenter agnoscat nos quæ Dei sunt & ad vestram salvationem hic & in æternum, & ad Regni vobis commissi stabilimentum, sæ autem ea quæ mundi sunt, ejúsque amatores diligunt, & Dei voluntati usquequaque contraria existunt, & ad animarum interitum pertinent, absque dubio loqui.*

XXIII. Primus liber capita duodequadraginta, secundus unum & triginta complectitur. Quid uterque contineat, docet hæc alterius Præfatio. *Præsens Opusculum, quod hactenus ex libris Mosaicæ Legis de religione oblatarum Deo sive offerendarum rerum, quantùm Dominus donare dignatus est, breviter congessi-*

AN. CH. 836. LUDOV. IMP. 23. LOTHAR. IMP. 20. PIPPINI R. 22. LUDOV. R. 20. CAROLI R. 7.

mus, & abhinc tam de veteri quod restat, quàm etiam de novo Testamento & Sanctorum Patrum documentis, congerere adjuvante Christi gratiâ cupimus, ob utilitatem legere volentium, & fastidiosis tædium auferendum, in tribus libellis distinguendum judicavimus. Exactus sit ergo primus, & exordium à libro Jesu Nave sumat secundus. Libri tertii capita sunt viginti-septem, quibus Præfatio quoque cum hoc initio præfigitur. *In fine præcedentis libelli nos promisisse meminimus quòd in hujus exordio, prout Deus posse dedisset, ex Sanctorum Patrum oraculis breviter ostenderemus, quòd Templum Domini, quod à Salomone ædificatum & dedicatum Domino est, figura fuerit Catholicæ Ecclesiæ per universum Orbem diffusæ, & conditor illius Salomon Rex personam gesserit Christi, quod quidem nos, Domino favente, adimplere conamur.* In eodem libello ex Sanctis Patribus, Hieronymo præsertim & Augustino, complures sententiæ proferuntur adversùs eos, qui possessiones Ecclesiarum, & ea quæ in Dei donaria collata sunt, suum in lucrum vertunt. Sequitur epilogus sic. *Te quoque, Nobilissime & Gloriosissime totáque Orbe famosissime, Optime Rex, humiles ac devotissimi Oratores vestri, vestræque salutis amatores certissimi ac devotissimi, suppliciter exoramus, & flexis poplitibus vestram Excellentiam flagitamus, ut hoc Opusculum, quod propter honorem communis Redemptoris nostri Jesu Christi vestræque animæ salvationem, & Regni vobis commissi tuitionem, atque in longinquum felicem ejus protelationem, vestrorumque hostium superationem, digessimus, vestræ Celsitudinis obtutibus sit gratum atque acceptum, vobísque prolíque ac populo vobis subjecto, Domino opem ferente profuturum, quod non ex cænoso fonte jactantiæ vel cujuslibet præsumptionis elatione emanasse, sed potiùs ex verissimæ syncerissimæque fidei integritate & Sacerdotali curam animæ vestræ incomparabiliter gerente auctoritate collectum atque conscriptum esse non dubitetis. Monemúsque salubriter Magnitudinem Culminis vestri, ut hac perpendatis, qualiter progenitores vestri & ditando & exaltando Sanctam Dei Ecclesiam Regnum hoc longè latéque dilataverint, gloriosúmque ac cunctis in circuitu nationibus terribile atque Domino se protegente insuperabile fecerint. Quapropter fideliter & humiliter vestram hortando persuademus & persuadendo hortamur à Deo sublimatam potestatem, ut eorum, qui Ecclesias Dei dehonoraverunt & humiliaverunt, rebúsque propriis exspoliaverunt, nullatenus imitatores, sed magis progenitorum vestrorum, qui eam ditatam atque exaltatam & diversis muneribus exornatam ad vos transmiserunt, existatis sectatores, & jure cum illis & cum ceteris fidelibus Deo syncerè ac devotè sua offerentibus salvari & hæredes perpetuæ felicitatis mereamini effici. Sancta & individua Trinitas, bone Rex, ad profectum & exaltationem atque defensionem Sanctæ suæ Ecclesiæ per immensum conservet, & post hujus vitæ lacrymabilem convallem, Sanctorum Regum consortem efficiat. Amen.* Res prosperè successit. Pippinus enim monita pii patris sanctorúmque virorum libenter suscepit, &, ut ex Astronomo jam diximus, *omnia,* quæ cùm ipse tum sui *multis Ecclesiis* abstulerant, *restitui etiam per anuli sui impressionem constituit.*

XXIV. PRÆCEPTA, PRO MON. MICIACENSI.

In Chartulario Miciacensi legitur Præceptum hoc anno datum Aquisgrani, decimo-quarto Kalendas Martias, Indictione decimâ-quartâ. *In Nomine Domini Dei Omnipotentis & Salvatoris nostri Jesu Christi, Ludovicus & Lotharius filius ejus, divinâ ordinante providentiâ Imperatores Augusti, notum fieri volumus imprimis successoribus nostris necnon & omnibus fidelibus, quia postulavit Magnitudinem nostram Jonas fidelis noster, Aurelianensis Præsul Ecclesiæ, ut divinæ servitutis ob honorem, & propter Monasticum veraciter religioséque servandum Ordinem, nostræ auctoritatis Privilegio committeremus illi quoddam Cænobium Regiæ potestatis, nominatum Miciacum, in Aurelianensi Diœcesi fundatum in honore Dei & gloriosi protomartyris Stephani à Clodoveo primo Christianissimo Francorum Rege, & posteriorum munificentiâ Regum amplificè sublimatum. Idem autem venerabilis Præsul Jonas præfatum Miciacensem locum speciali amore diligens ob meritum & reverentiam Sanctissimorum Patrum Euspicii, Maximini, Aviti & aliorum quamplurium, qui in eodem Cænobio cum plurium*

*fratrum numero sub Monastico Ordine probabiliter Deo vixisse & placuisse declarantur testimonio evidentium Miraculorum, non ambitiosâ cupiditate aut fastu superbia expetit, sed ut Regularis Ordo Monasticus religiosissimè custodiendo teneatur. Nostra ergo Pietas tali ratione committit sibi præfatum locum & successoribus ejus, ut magis per eos spirituali & temporali augeatur incremento quàm minuatur, & neque ullam tyrannidis dominationem super Monachos, familiam, mancipia, servos exerceant, & neque ipse aut aliquis successorum ejus à jure & potestate præfati Miciacensis Monasterii aliquid rerum suarum mobilium vel immobilium, quas nunc Christo propitia possidet, vel in futuro acquiret, aut in dominio proprio invadat, aut quoquomodo surripiat vel subtrahat, vel alicui tribuat. Ad notitiam autem futurorum placuit nobis in hoc Pragmatico, quod in præsentia nostra ipse Jonas Episcopus unà cum conniventia Metropolitani sui Aldrici * dictando composuit, & scriptum nostræ Excellentiæ corroborandum obtulit, annotari possessiones terrarum quæ in Præceptis Regum continebantur, quorum munificentiâ prædicto loco largita sunt, quas præsentialiter Dei gratiâ securè ac quietè possidet. Prior est fundus Miciacensis cum appendiciis suis, ac fluvius Ligeris & Ligerici: continuatim pertinet aqua ejusdem fluvii Ligeris ad prædictum Cœnobium ex utraque ripa, ab illo loco ex quo incipit terra ejusdem supra Capellam Sancti Maximini ab Oriente, donec finiatur tota adversùs Occidentem cum fluvio Rolleno. Tantùm verò fluvii Ligerici pertinet ad prædictum Monasterium, quantùm hic annotatur. Incipit enim possessio fluvii Ligerici à farinario cujusdam Dromedamii, & decurrit per ripam Sancti Hilarii usquedum cujusdam Mortosii nomine vici derodendo fines Ligeris alveo non modico invehitur, terminante quadam conclavi terra alterius ripæ prædicti Monasterii contrà ubi etiam publica via est, inter quam & alteram terram prædicti Cœnobii paululùm extendit se quædam terrula Sanctæ Crucis, necnon & fluviolus Rollenus, qui in eodem loco ad præsens invehitur Ligeri. Altera verò ripa prædicti fluvii Ligerici semper prædicti Cœnobii est potestatis, quamvis cujuscumque terra alterius juris desuper habeatur. Et in civitate Aurelianensi possidet præfatum Cœnobium Miciacense claustrum quod dicitur Capella Sancti Maximini, & terra ipsius alodii exit ultra murum. Et alio loco in civitate habet alodium Momberric inter Sanctum Stephanum & Sanctam Mariam boni nuncii, & ultra fluvium Ligeris habet villam Berarii, quæ dicitur Capella Sancti Maximini & Censiacum cum sylva & montem Pastoris & montem Thebaldi, & villam Marmanios. Et in alio loco habet Cambiacum villam cum Ecclesia & omnibus sibi pertinentibus. Et in alio loco villam, quæ dicitur Fontanas, ubi est rivulus aquæ, & prope illam habet villam quæ dicitur Casellagi. In Secalonia verò possidet curtem Venuensem cum Ecclesia, mancipiis, terris cultis & incultis, & sylvam quæ dicitur Tassimata. Curtem etiam Litimiacensem, quæ vulgò dicitur Mousteuranni cum servis, sylvis & aliis rebus sibi adjacentibus, ac villam Dardi cum omnibus sibi pertinentibus, ac villam, quæ dicitur Fontenellas, cum sylva, servis, & omnibus sibi pertinentibus. Et habet Ecclesiam Sancti Petri in Gaudiaco & Ecclesiam Sancti Hilarii ultra Ligericum. Ac in Marogilo, in uno loco possidet de pratis XXIIII. & in alio loco, qui dicitur ad arenos in alodio aripennos IIII. & in prospectu Aurelianis in loco, qui dicitur ad portum *, aripennos de vinea VIII. Hæc Clodovæus primus, Rex Francorum, loco Miciacensi jure hæreditario donavit. Et in pago Bituricensi infra Castellum Sancti Gundulphi habet curtem Pauliacum cum Ecclesia & aqua Nostinsa ac omnibus sibi pertinentibus. Et habet alteram curtem ibi juxta prædictum Pauliacum, quæ dicitur ad Sanctum Martinum, cum Ecclesia ac omnibus sibi pertinentibus. Hæc Clodomirus filius senioris Clodovæi præfato loco concessit. Habet quoque potestatem, quæ dicitur Vienna, cum Ecclesia & sylva de omnibus sibi pertinentibus, in qua est Collalimilus, ac potestatem, quæ dicitur villa Maria, cum omnibus sibi pertinentibus, ac sylvam, quæ dicitur Torsellis, tenentem duas leugas. Hæc Clotarius Rex prædicto loco concessit. In Belsica verò habet potestatem Ardreni * putei cum omnibus sibi pertinentibus, Bittiaco, Montemuicheth, Pirario, Sancino, Nocumento, ac sibi servis pertinentibus. Et in pago Stampensi*

* Hieremia

* Le Portereau.

* Ampuys.

AN. CH. 836. LUDOV. IMP. 23. LOTHAR. IMP. 20. PIPPINI R. 22. LUDOV. R. 20. CAROLI R. 7.

*villas duas, Cosellas & Castaneum-Villare. Ista Rex Chilpericus dedit. Ac in Belvacensi pago habet villam, qua dicitur ad Sanctum Maximinum cum Ecclesia in honore ipsius dicata, qua vicina est Sylvanectensi Parochia. Et in prospectu Aurelianis potestatem Brucrias, qua dicitur ad Sanctum Dionysium, cum Ecclesia ipsius Martyris honore dicata, cum sibi pertinentibus, Albarias, Caventono, Asinarias, servis, terris, pratis. Et in alio loco villam Nemesim cum aqua, terris, pratis, & omnibus sibi pertinentibus. Hac Dagebertus Rex est largitus. Et juxta sylvam longam habet villam, qua dicitur Villare-magnum cum Ecclesia sancta in honore Sancti Maximini. Ac in pago Dunensi cellam habet in loca, qui dicitur Mons * Letardi cum aqua Conida, molendinis, sylva, pratis, terris cultis & incultis, pascuis & vineis, & manciptis & servis. Hac Theadoricus Rex ex hareditate Lupi pessimi Ducis pradicto loco contulit. Et in pago Lemovicensi habet Ecclesiam, qua dicitur Maguiacus cum Ecclesia & aqua, molendinis, terris cultis & incultis, vineis, pratis, sylvis, pascuis, parvis exitibus & regressibus, servis, mancipiis. Hanc curtem genitor noster Gloriosus Augustus Carolus Magnus Imperator contulit Miciacensi loco. Ac in Pictavensi territorio, in portu Vitraria, in pago Herbadelico super fluvium Tannacum, habet areas salinarum ad onerandas naves, sive ad suas necessitates excludendas, & possidet pradictas areas cum vineis, terris, pratis, pascuis, sylvis, & omnibus sibi pertinentibus, qua Garotholenus de fisco Regio habuit, scilicet à nostro avo Pipino & filia ejus genitore nostro Carolo regali munificentiâ collatum est Cœnobio Miciacensi. Nos verò, ne inferiores videremur pradictis Regibus, beneficio concessimus pradicto loco per deprecationem Drucesindi Abbatis ipsius loci, & Privilegio auctoritatis nostra corroboramus discursionem trium navium per diversa Imperii nostri flumina, scilicet per Ligerim, Sequanam *, Maternam, Carum, Vigennam, Sartam, Meduanam, Lidum, pro quibuslibet Monasterii necessitatibus, ut securè & liberè ire ac redire valeant, ac non reddant ullum teloneum vel ullam consuetudinem vel aliquam redibitionem. Et ne quislibet exactor fisci, de carris vel carretis vel sagmariis vel de quocumque vehiculo sive per terram sive per aquam facto, vel de quocumque commercio pertinens ad pradictum locum exigat vel accipiat ullam consuetudinem. Nec quibuslibet negotiis factis, vel in villis, terris, aquis, sylvis pradicti Monasterii, undecumque potestas Judiciaria aliquid exigere prasumat, aliquam legem vel consuetudinem accipere vel exigere, vel quamlibet molestiam inferre. Et obeunte Abbate Monasterii ipsius volumus, ut nullâ se occasione neque Episcopus neque quilibet Regia potestatis Minister in describendis pravidendísque adquisitis adquirendísque ejusdem Monasterii rebus permisceat; Abbatem verò eidem Monasterio non alium, quàm quem dignum moribus communi consensu Congregatio tota poposcerit, ordinari volumus. Ac orandi tantummodò causâ accedendi ad prafatum locum Episcopo licentiam damus, aut si fortè ad peragenda sacra Missarum fuerit invitatus mysteria; & si voluerit pradicto Cœnobio aliquid de Episcopio suo dare, nostrâ Regali & suâ Pontificiâ auctoritate peragat; at, si voluntas & facultas denegaverit, de iis qua collata sunt rebus nihil invadere prasumat. Porrò, si contigerit aliquod infortunium cujuscumque perturbationis, quod ab Episcopo possit minimè diffiniri, vel ipse erga ipsum locum malè agens, jubemus ut nostrorum successorum Regum auribus declaretur, ut Regali judicio quidquid depravatum fuerit corrigatur. Ne ergo putent Prasules Sedis Aurelianis propter hanc commendationem ad adjutorium ac defensionem Miciacensis Cœnobii à nobis piè ac misericorditer factam, cùm fideli nostro Jona Episcopo committimus, eò quòd prasentia nostra longè remota sit ab illis partibus, res prafati Monasterii qualibet machinatione alienare vel ipsum locum inquietare, prasertim cùm & prafatus locus Regio beneficio sit fundatus, & res ipsius Cœnobii largâ Regum munificentiâ sint largita. Itaque summoperè jubendo volumus, ut Monachi pradicti loci ad divinum servitium honorificentiùs peragendum rebus superiùs memoratis ditati regulariter otium sancta quietis per adjutorium Episcopi & per hanc nostram auctoritatem adepti in his in quibus se Deo devinxerunt, divinâ juvante gratiâ immobiliter permaneant. Et pro hoc be-*

* *Monlitart, Prucuré.*

* Dele Sequanam & Maternam.

AN. CH. 836. LUDOV. IMP. 23. LOTHAR. IMP. 20. PIPPINI R. 22. LUDOV. R. 20. CAROLI R. 7.

nesicio à nobis impartito flagitamus omnimodis servos Dei præfati loci Monachos, ut pro nobis & conjuge nostra Judith & prole & stabilitate Imperii à Deo nobis collati, & per cuncta secula per successores nostros suâ gratissimâ pietate conservandi, semper Omnipotenti Deo preces fundant. Hoc autem Præceptum, ut pleniorem in Omnipotentis Christi nomine obtineat vigorem & à successoribus nostris credendo conservetur, nomine nostro & eorum qui præsentes aderant titulare voluimus, & annuli nostri impressione signari jussimus. Datum XIIII. *Kal. Martii, anno Christo propitio* XXIII * *Imperii Domini Ludovici Piissimi Augusti, Indictione* XIIII. *Actum Aquisgrani Palatio Regio, in Dei nomine. Durandus Diaconus ad vicem Fridugisii Cancellarii recognovit.*

XXV. Hoc Præceptum in elogio Fridegisi Cancellarii sub Ludovico Pio commendatur à Philippo Labbeo cum hac subscriptione. *Datum* XIV *Kalend. Martii, anno Christo propitio* XXIV *Imperii Domni Ludovici Piissimi Augusti, Indictione* XIV, *anno ab I. D.* DCCCXXXVI. *Actum Aquisgrani in Palatio Regio in Dei Nomine. Durandus Diaconus ad vicem Fridugisii Cancellarii recognovit.* In ipso Chartulario Diploma non aliter quàm Labbeus *datum* legimus XIIII *Kal. Martii, anno, Christo propitio,* XXIIII *Imperii Domini Ludovici Piissimi Augusti, Indictione* XIIII, *anno ab Incarnatione Domini* DCCCXXXVI. Sed Imperii Ludoviciani anno XXIIII, ad oram rejecto reposuimus annum XXIII, qui per mensem Februarium cum Indictione XIIII & anno ab Incarnatione Domini DCCCXXXVI convenit. Ipsum tamen annum ab Incarnatione Domini DCCCXXXVI, licèt per mensem Februarium cum Indictione XIIII rectè componeretur, delendum duximus, quia Ludovici Pii ætate publicis Instrumentis annus Incarnationis Dominicæ nondum apponi consueverat. Ad marginem quoque rejecimus nomen *Hieremiæ* Metropolitani Senonensis, ejúsque loco substituimus Aldricum. Obiit enim Hieremias anno Redemptoris octingentesimo vicesimo-octavo, eíque post aliquot menses Aldricus anno Redemptoris octingentesimo vicesimo-nono successit. Quamvis autem illud Diploma nævis aliquot in Miciacensi Tabulario fœdatum deprehenderimus, nostris tamen Annalibus existimavimus inserendum, quia multorum Regum insignem munificentiam erga Cœnobium Miciacense per capita distinguit, docétque sigillatim, quid eidem Monasterio Clodoveus Magnus, quid ejus filii Clodomires & Clotarius, quid Chilpericus Clotarii filius, quid Chilperici nepos Dagobertus, quid Dagoberti nepos Theodoricus Tertius, quid Pippinus, ejúsque filius Carolus Magnus ac nepos Ludovicus Pius contulerint.

XXVI. Tomo superiore ad annum Redemptoris octingentesimum decimum-quintum [a] transcripsimus Privilegium, quo Ludovicus Imperator Miciacensibus Monachis concessit, ut tres naves per Ligerim aliáque flumina liberè discurrentes haberent. In illo Privilegio præter alios hi duo recensentur fluvii, Taunucus & Hylarius, qui Geographis incogniti manent, nisi Taunucum interpreteris Tannacum fluvium in pago Herbatilico. Ludovicus Imperator in Præcepto proximè descripto, quo prædictum Privilegium de libera trium navium per multos amnes discursione nec Taunucum seu Tannacum nec Hylarium nominat. Verùm nævo non videtur in eo carere, quòd Sequanæ meminit ac Maternæ seu Matronæ, quid enim ad Miciacense Monasterium libera navium per Sequanam & Matronam discursio? Quapropter horum quoque fluminum vocabula censemus abradenda, ut ad oram brevi monuimus notatiunculâ.

XXVII. Dructesindus seu Dutresindus vel Drucendinus Abbas erat Miciacensis anno Redemptoris octingentesimo decimo-quinto, quando Ludovicus Augustus Præceptum suprà laudatum emisit. In Abbatum Miciacensium Catalogo [b] ponitur *Drucendinus ex veteri Privilegio*, deinde *Petrus an. 851.* Hic Drucendinus non alius est à Dutresindo, qui sexto Idus Januarias, In-

* XXIIII.

[a] Num. 4.

[b] Tom. 4. Gall. Christ.

AN. CH. 836. LUDOV. IMP. 23. LOTHAR. IMP. 20. PIPPINI R. 22. LUDOV. R. 20. CAROLI R. 7.

dictione octavâ, sive anno Redemptoris octingentesimo decimo-quinto à Ludovico Pio Privilegium accepit. Petrum ejusdem Drucendini seu Dutresindi proximum successorem inficiamur, quia Herіricus sive Henricus Miciaco cum Abbatis titulo præerat anno Redemptoris octingentesimo tricesimo-quarto, ut ex Translatione decessorum Abbatum, Maximini Senioris, Theodemiri & Maximini Junioris tunc facta constat. Ejusdem Abbatis Heririci sive Henrici mentio fit etiam in Gestis Alderici Cenomanensis Episcopi, capitibus quadragesimo-octavo & quadragesimo-nono, quæ binas Ludovici Augusti literas complectuntur inscriptas Jonæ Aurelianensi Episcopo, ut unà cum Henrico Abbate de causa Carilephianorum Monachorum diligenter inquirat. Imperator in prioribus ita scribit. *Tibi præcipimus & Henrico Abbati, ut vos omni diligentiâ* &c. In posterioribus, sic. *Volumus, ut Missus noster sis unà cum Henrico Abbate, & eosdem Monachos*, nempe Carilephianos sive Anisolenses, *plenâ auctoritate Canonum & regulari atque nostrâ ad proprium Monasterium redire compellatis. Si verò quispiam eorum vos non obaudierit, volumus ut compellatis cum venire ad nostram præsentiam in proximo Placito quod habituri sumus apud Carisiacum.* Celebratus est ille Conventus mense Septembri, Indictione primâ, sive anno Redemptoris octingentesimo tricesimo-septimo, nec ab hoc computo recedunt Diplomata, de quibus ad illum annum acturi sumus. Inde autem colligimus Heriricum sive Henricum annumerandum esse Miciacensibus Abbatibus, eique locum tribuendum inter Dutresindum & Petrum, quorum ille anno Redemptoris octingentesimo decimo-quinto, hic anno Redemptoris octingentesimo tricesimo-quarto, necnon & anno Redemptoris octingentesimo tricesimo-septimo floruerit. Unde etiam liquet suum Miciacensi Monasterio Abbatem non defuisse anno Redemptoris octingentesimo tricesimo-sexto, cùm Ludovicus Augustus Præceptum quod ante annos unum ac viginti Dutresindo concesserat, altero Diplomate confirmavit, & Miciacense Monasterium Jonæ Aurelianensi Episcopo commendavit, ut hæ docent literæ Ludovici Pii decimo-quarto Kalendas Martias, anno Imperii sui vicesimo-tertio, Indictione decimâ-quartâ sic scribentis. *Notum fieri volumus imprimis successoribus nostris necnon & omnibus fidelibus, quia postulavit Magnitudinem nostram Jonas fidelis noster, Aurelianensis Præsul Ecclesiæ, ut divinæ servitutis ob honorem & propter Monasticum veraciter religiosèque servandum Ordinem, nostræ auctoritatis Privilegio committeremus illi quoddam Cœnobium Regiæ potestatis, nominatum Miciacum, in Aurelianensi Diœcesi fundatum in honore Dei & gloriosi protomartyris Stephani.* Nihil juris in Cœnobium Miciacense vel Jonæ vel ejus successoribus Aurelianensibus Episcopis hoc Regali Præcepto collatum est. Jonas, qui Miciacenses Fratres Ordinémque Monasticum valdè diligebat, hoc unum ab Imperatore Privilegium accepit, ut cum Abbate Heririco diligenter attenderet, ne quid detrimenti caperet in Miciacensi Cœnobio Regularis Ordo Monasticus. Huc spectant varia prælaudati Pragmatici fragmenta. Tria præcipuè selegimus, quæ denuò repetere non otiosum erit. Primum, sic. *Venerabilis Præsul Jonas præfatum Miciacensem locum speciali amore diligens, non ambitiosâ cupiditate aut fastu superbiæ expetit, sed ut Regularis Ordo Monasticus religiosissimè custodiendo teneatur.* Alterum sic. *Obeunte Abbate Monasterii ipsius volumus, ut nullâ se occasione neque Episcopus neque quilibet Regiæ potestatis Minister in describendis prævidendísque adquisitis adquirendísque ejusdem Monasterii rebus permisceat; Abbatem verò eidem Monasterio non alium, quàm quem dignum moribus communi consensu Congregatio tota poposcerit, ordinari volumus.* Ultimum, sic. *Ne pateant Præsules Sedis Aurelianis propter hanc commendationem ad adjutorium ac defensionem Miciacensis Cœnobii à nobis piè ac misericorditer factam, cùm fideli nostro Jonæ Episcopo committimus, eò quòd præsentia nostra longè remota sit ab illis partibus, res præfati Monasterii qualibet machinatione alienare vel ipsum locum inquietari,*

præsertim cum & præfatus locus Regio beneficio sit fundatus, & res ipsius Cœnobii largâ Regum munificentiâ sint largita. Ad annum sequentem de Abbate Heririco recurret sermo. Nec scrupulum tibi moveat, quòd Heriricum eundem cum Henrico constituimus. Heriricus enim & Henricus seu syllaba *ri* & litera *n* facilè permutari possunt.

XXVIII. PRO MON. BRIVATENSI.

Pippinus Regiæ defensionis & Immunitatis Præceptum [a] Monasterio Sancti Juliani in Comitatu Brivatensi apud Arvernos, pro incolumitate sua, uxorísque suæ Ingeltrudæ Reginæ, & pro remedio animarum Hermeingardæ quondam Reginæ genitricisque suæ, Thetbetti & Nebelongi Comitum patris & avi ejusdem Ingeltrudæ, & prole, Regníque statu concessit quarto Idus Martias, hoc eodem anno, Regni sui vicesimo-secundo, Imperii Ludovici patris vicesimo-tertio, Indictione decimâ-quartâ. *In Nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. Pippinus gratiâ Dei Rex Aquitanorum. Si petitionibus servorum Dei justis & rationabilibus divini cultûs amore favemus, id nobis procul dubio & ad præsentem vitam feliciter transigendam & ad æternam perpetualiter capessendam profuturum nullatenus dubitamus. Quapropter notum fieri volumus omnibus Sanctæ Dei Ecclesiæ fidelibus & nostris, præsentibus scilicet ac futuris, Venerabilem Arvernorum Episcopum ad nostræ Dignitatis accessisse Clementiam, humilitérque petiisse, ut Monasterium constructum in honore Sancti Juliani in Comitatu Brivatense, cui quoque ipse Canonic ..... favente sub nostro mundeburdo ac tuitionis ope acciperemus, acceptámque nostrâ defenderemus prærogativâ, cujus religiosis suasionibus ob Dei amorem tanto libentiùs assensum præbuimus, quantò id ad nostræ remunerationis præmium ampliùs profuturum perspeximus. Præcipientésque jubemus, jubentésque decernimus, ut in suprascripto Monasterio nullus Regius, aut Abbatialis, aut Episcopalis, vel Comitialis homo, mansiones sine fratrum consensu accipere præsumat, neque in villabus prædicti Cœnobii ubicunque locata fuerint, quas nunc habere vel quæ Deo donante auctura esse potuerint, ut nullus Judex publicus, nulla cujuslibet Judiciaria potestatis persona aliquem distringere, aut fidejussores tollere, aut patentina accipere, neque mansionaticos, sive paratas, aut parafredos, vel teloneum, aut pontaticum, sive cispitaticum* * *exigere, seu aliquid quod ad publicam districtionem pertineat agere aut inferre præsumat. Sed remotâ procul, ut diximus, omni seculari vel Judiciariâ potestate liceat eis qualemcumque sibi suâ sponte elegerint Advocatum habere, ipsumque Advocatum nemo præsumat temerario ausu distringere vel in tortum mittere, sed nostro coram Comite Palatii, Ecclesiam prælibati Martyris, videlicet Sacri Juliani, absque alicujus inquietudine vel morarum dilatione liceat inquirere, etiam dictis Clericis sub prætextu nostræ Donationis. Ac pro incolumitate nostra uxorísque nostræ Ingeltrudæ Reginæ, & pro remedio animarum Hermeingardæ quondam Reginæ Genitricisque nostræ, Thetberti ac Nebelongi Comitum patris * & avi ejusdem Ingeltrudæ, & prole Regníque statu libentiùs Dei misericordiam delectet implorare. Statuere nobis nostrísque fidelibus placuit, ut qui hæc statuta à nobis firmata violare tentaverit, talenta pondera auri libras duas coactus persolvat. Quin etiam eidem Monasterio donavimus quicquid de præfati rebus Monasterii jus fisci exigere poterit, in integrum in usus Congregationis ibidem Deo famulantis, vel in alimonium pauperum proficiat in augmentum. Ut autem hoc nostræ defensionis immunitatísque edictum validiorem in Dei Nomine obtineat vigorem, manu nostrâ firmavimus annulíque nostri impressione subter jussimus sigillari. Signum Pipini Gloriosissimi Regis. Data* IV. *Id. Mart. anno* XXIII *Imperii Domini Hludovici Serenissimi Augusti, &* XXII *Regni nostri, Indict.* XIV. Episcopus Arvernorum, qui Pippinum adiit, non alius est ab Adeberto, cujus mentionem ante triennium jam fecimus.

[a] Ap. Dubouchet. in probat. part. 2. c. 3.

* Edit. cis patecum

* Edit. patre & avo

XXIX. PRO ECCLESIA CENOMANNENSI.

In Gestis Aldrici Cenomannensis Episcopi, Præcepta non pauca repeRiuntur, quæ Ludovicus Augustus Aquisgrani pro Ecclesia Cenomannensi dedit mense Martio, hoc eodem anno Imperii sui vicesimo-tertio, quamcunque sequaris epocham.

AN. CH. 836. LUDOV. IMP. 23. LOTHAR. IMP. 20. PIPPINI R. 22. LUDOV. R. 20. CAROLI R. 7.

XXX. Unum occurrit capite decimo-tertio, consignatúrque decimo-sexto Kalendas Aprilis. *In Nomine Domini Dei & Salvatoris nostri Jesu Christi. Hludovicus divinâ repropitiante Clementiâ Imperator Augustus. Si illius amore, cujus munere ceteris mortalibus prælati sumus, loca divino cultui consecrata congruis munificentiæ nostræ beneficiis ad divinum cultum uberiùs exequendum sustollimus, digna retributionis præmio nos à Domino remunerari fideliter credimus. Quapropter omnium fidelium nostrorum benevolentia tam præsentium quàm & futurorum, Episcoporum videlicet, Abbatum, Ducum, Comitum, Domesticorum, & eorum superiorum & inferioris Ordinis tam Ecclesiæ * quàm rei publicæ administratorum notum esse volumus, quia complacuit Celsitudini nostræ quandam Cellam sitam in pago Cenomanico in suburbio ipsius civitatis, id est, intra fluvium Sartha & murum præfatæ urbis, quæ est constructa & dedicata in honore Sanctæ Dei Genitricis Mariæ & Sancti Petri Apostoli atque aliorum Sanctorum, quorum Reliquiæ & Memoria inibi venerantur, sub integritate cum omnibus rebus, appendiciis, & terminis suis, & cum omnibus ad se pertinentibus, id est, Basilicis, domibus, ceterísque ædificiis, vineis, terris, pratis, silvis, campis, pascuis, aquis, aquarumque decursibus, molendinis, locis cultis & incultis, mobilibus rebus & immobilibus ac seipsas moventibus, mancipiis diversi sexûs & ætatis, Matris & civitatis Ecclesiæ Cenomanis Senioris, quæ est fundata & dedicata in honore Sancti Salvatoris & præfixæ Sanctæ Mariæ semper Virginis & Sanctorum Martyrum Gervasii & Prothasii atque Sancti Stephani, ubi præsenti tempore Vir Venerabilis nobísque fidelis Aldricus Episcopus Pastor & Rector esse dinoscitur, nostrâ largitione tradere atque concedere, & de nostro jure in jus ac potestatem illius solemni Donatione transferre, eâ videlicet ratione, ut famulis servísque Dei inibi consistentibus & stipendia necessaria uberiùs ministrentur, & necessitates ejusdem Ecclesiæ tam exteriùs quàm & interiùs faciliùs procurentur. Per hanc quoque Auctoritatem nostram, per quam memoratam Cellam cum omnibus ad se pertinentibus, sicut superiùs dictum est, præscriptæ Matris & civitatis Ecclesiæ ac præfati Aldrici ejusdem Sedis Episcopi delegamus, præcipientes interdicimus, ut nullus aut nostris aut successorum nostrorum temporibus eandem Cellam inde abstrahere, usurpare, aut invadere præsumat, sed in sæpedicta Ecclesia Pontificis successorúmque suorum Pontificum ditione jure perpetuo consistat ad ea, quæ suprà diximus, exequenda & perficienda. Et ut hæc nostræ concessionis traditionísve Auctoritas sui vigoris perpetuam obtineat firmitatem, manu propriâ subter eam firmavimus, & annuli nostri impressione obsignari jussimus. Signum Hludovici Serenissimi Imperatoris. Hirminmarus Notarius ad vicem Hugonis recognovi & subscripsi. Data XVI Kalendas Aprilis, anno Christo propitio XXIII Imperii Domni nostri Hludovici Piissimi Augusti, Indictione XIV. Actum Aquisgrani Palatio Regio in Dei Nomine feliciter. Amen.*

* Ecclesiastica

XXXI. Alterum extat capite decimo-quarto, datum undecimo Kalendas Aprilis, sic. *In Nomine Domini Dei & Salvatoris nostri Jesu Christi. Hludovicus divinâ repropitiante Clementiâ Imperator Augustus. Si Sacerdotum servorúmque Dei justis & rationabilibus petitionibus aurem accommodamus, eásque ad optatum effectum perducimus, non solùm Regalem & Imperatoriam exercemus consuetudinem, sed etiam eosdem pro excessibus nostris Domini misericordiam exorando devotiores promptiorésque facimus, atque per hoc immensam Dei misericordiam faciliùs nobis conciliandam esse confidimus. Idcircò notum esse volumus cunctis fidelibus Sanctæ Dei Ecclesiæ & nostris præsentibus & futuris, quia Aldricus Venerabilis Cenomanicæ urbis Episcopus suggessit nostræ Excellentiæ Monasterium Sanctæ Mariæ & Sancti Petri situm extra muros memoratæ urbis, à decessore suo Innocente quondam Episcopo in rebus & ex rebus sui Episcopii * fundatum atque constructum, deinceps quibusdam intervenientibus causis à jure jam dictæ suæ Sedis substractum, & ab illius dominatione hactenus fuisse dilatum. Utque quod asserebat veraciter nobis patesceret, detulit obtutibus Majestatis nostræ quædam Chartarum monimenta Regúmque, decessorum videlicet nostrorum, Auctoritates quasdam, quibus inspectis atque ...... evidenter ostenditur prædictum Monasterium juris sæpedictæ Sedis*

* Edit. Episcopus

AN. CH. 836.

Sedis Cenomanicæ sibi commissa esse & in ipsius dominatione debere persistere, humiliter nostram implorans mansuetudinem, ut quod tam evidentibus indiciis declaratur, nostrâ quoque assensione, immo auctoritate denuò roboretur. Quæ ita liquidiùs cognoscentes, eique ob amorem Dei & ejusdem Sanctæ Sedis reverentiam favorem nostri Culminis adhibere dignum judicantes, hanc Auctoritatis nostræ Præceptionem ei suisque per tempora successoribus fieri ac dari jussimus, per quam decernimus atque sancimus, ut memoratum Monasterium Sanctæ Mariæ ac Beati Petri, quod aliquandiu ab eorum jure & ditione substractum fuerat, abhinc in posterum habeant atque possideant, & quicquid more Ecclesiastico de eo disponere voluerint, liberam habeant potestatem, neque ullo deinceps tempore à jure præscriptæ Sedis seu ejus Rectorum qualibet occasione aut violentiâ segregetur, sed semper in illius Rectorúmque ejus potestate & dispositione ac voluntate ad divinum cultum propensiùs exequendum cum omnibus ad se pertinentibus integerrimè sincerriméque perpetuò consistat. Et ut hæc nostræ redditionis Auctoritas perpetuam obtineat firmitatem, manu propriâ subter eam firmavimus, & de anulo nostro jussimus sigillari. Hludovicus. Hirminmarus Notarius ad vicem Hugonis recognovi & subscripsi. Data XI *Kalend. April. anno Christo propitio* XXIII *Imperii Hludovici Piissimi Augusti, Indictione* XIV. *Actum Aquisgrani Palatio Regio in Dei Nomine feliciter. Amen.*

XXXII.

Tertium, quod est de moneta Cenomannensi, primò publicatum fuit ab Antonio Corvaisiero in Episcoporum Cenomannensium Historia capite vicesimo-tertio, deinde à Stephano Baluzio recusum libro tertio Miscellaneorum in Gestis Aldrici capite quadragesimo. Utramque editionem simul comparabimus. *In Nomine Domini Dei & Salvatoris nostri Jesu Christi. Hludovicus divinâ repropitiante* [1] *Clementiâ Imperator Augustus. Si Sacerdotum servorúmque Dei justis & rationabilibus petitionibus* [2] *acquiescimus, & ad optatum effectum perducimus, non solùm Regiam & Imperatoriam exercemus consuetudinem, sed etiam eosdem pro excessibus nostris Domini misericordiam exorando* [3] *devotiores promptioresque facimus, atque per hoc immensam Dei misericordiam faciliùs nobis esse* [4] *conciliandam confidimus. Idcircò notum esse volumus cunctis fidelibus Sanctæ Dei Ecclesiæ nostrísque* [5], *præsentibus scilicet & futuris, quia Vir Venerabilis Cenomanicæ urbis Episcopus, Aldricus nomine, nobis innotuit eò quòd Antecessores sui, Merolus & Gausiolenus* [6], *atque prædecessores eorum in* [7] *prædicta urbe monetam publicam per* [8] *Præcepta bonæ memoriæ Domini & Genitoris nostri Karoli* [9] *& Pipini* [10] *Avi nostri sive Theodorici* [11] *Regis, atque anteriorum Regum plenâ eorum auctoritate concessam prædictam monetam habuissent, quæ* [12] *propter ablationem rerum prædictæ* [13] *Ecclesiæ, sive propter vastationem earum, aliquo tempore, licèt parvo, nostróque, sive in fine Genitoris nostri, prædicta moneta dimissa* [14], *& propter prædictarum rerum inopiam atque desolationem cessata esset; quam neque nos, neque Domnus* [15] *Karolus Genitor noster, neque ullus Missus noster nostrâ aut suâ auctoritate prohibuit, sed solummodo* [16] *propter præfatam indigentiam dimissa esset. Obtulit etiam antedictus Episcopus obtutibus nostris Præcepta Regum prædecessorum nostrorum, in quibus continebatur, quòd prædicta* [17] *moneta Antecessoribus prædicti Aldrici Episcopi à* [18] *præscriptis Regibus concessa antiquis & modernis temporibus fuisset. Quæ & nos relegentes ita* [19] *invenimus, & signa atque sigilla Regum prædecessorum* [20] *nostrorum videlicet Francorum, in eis inspicientes, vera esse, quæ dicebat, cognovimus. Idcircò præcipientes jubemus, ut nullus Missus noster vel Comes ipsius* [21] *provinciæ, aut quislibet* [22] *ex Judiciaria potestate ei successoribúsque* [23] *suis ex præfata moneta ullo unquam tempore aliquam molestiam aut injustam pulsationem sive causationem aut* [24] *machinationem facere præsumat, sed nostris futurísque temporibus præscripta* [25] *moneta in præfata urbe sæpedicto Episcopo atque* [26] *ejus successoribus permaneat, ita tamen ut hoc provideat* [27] *tam præfixus* [28] *Aldricus quàm successores* [29], *ut aliqua falsitas in ipsa moneta non appareat. Et ut hæc concessio nostra de prædicta moneta futuris conserventur temporibus, quam nos pro Dei amore & pro reverentia ipsius Sancti* [30] *loci*

[1] Corvais. *repropiciante*
[2] Baluz. *petitionibus ad optatum aurem accommodamus, non solùm &c.*
[3] Edit. *exorandos*
[4] Baluz. *conciliandum esse*
[5] Corvais. *nostrisque subditis.*
[6] Baluz. *Gauzciolenus.*
[7] Corvais. deest *in*
[8] Corvais. *Praecepto*
[9] Corvais. *Caroli*
[10] Corvais. *Pipinii*
[11] Baluz. *Theoderici*
[12] Corvais. *quapropter oblatione*
[13] Corvais. *prædictæ Sedis Ecclesiæ.*
[14] Corvais. *dimissa esset, propter*
[15] Corvais. *Dominus Carolus*
[16] Corvais. *solùm*
[17] Corvais. *prædicta moneta*
[18] Corvais. *& prædictis*
[19] Baluz. *sancta*
[20] Baluz. *prædecessorum quoque nostrorum*
[21] Corvais. deest *ipsius*
[22] Baluz. *quilibet*
[23] Corvais. *& successoribus*
[24] Baluz. *atque*
[25] Corvais. *prædicta*
[26] Corvais. *successoribúsque suis*
[27] Baluz. *prævideat*
[28] Corvais. *prædictus*
[29] Baluz. *& sui successores,*
[30] Baluz. deest *sancti*

AN. CH. 836.

fieri jussimus, & [31] veriùs credatur & diligentiùs conservetur, manu nostrâ subter firmavimus, & de anulo [32] nostro sigillari jussimus. Signum Hludovici Piissimi Imperatoris. Hirminmarus [33] Notarius ad vicem Hugonis recognovi & subscripsi. Data XI *Kal. Aprilis, anno Christo propitio* XXIII *Imperii Domni [34] Hludovici Piissimi Augusti [35], Indictione* XIV. *Actum Aquisgrani in Palatio Regio in Dei Nomine feliciter. Amen.* Lege Tomo quarto ad annum Christi sexcentesimum octogesimum-quintum [a], quæ dicta sunt de moneta Cenomannensi ex Privilegio, quod Aigliberto Episcopo Theodoricus Rex, hujus nominis Tertius, anno Regni sui duodecimo concessit. Lege & Tomis quinto ac sexto quæ scripta sunt de Gausioleno seu Gauzcioleno vel Gauzioleno sive Gaucileno seu Gosleno & de Merolo Cenomannensibus Episcopis. In Aldrici Gestis laudantur precariæ, quas hi duo fecerunt Episcopi; Gauziolenus [b] Vulsingo, Merolus [c] Wiliberto, necnon & Franco Primus [d] Germundo. Multùm depravati sunt in istarum precariarum plerisque Characteres Chronologici, nec eos facile est emendare. Perbreves de singulis observationes accipe. Capite sexagesimo-secundo Gauziolenus Vulsingo precariam facit sub initium sui Præsulatûs, *in anno primo Regni Pippini Gloriosissimi Regis*, id est, anno Christi septingentesimo quinquagesimo-tertio, Pippinini Regni primo nondum evoluto, annus enim Christi septingentesimus quinquagesimus-tertius partim ad primum partim ad secundum Pippini Regis annum pertinet. Capite sexagesimo-tertio Franco precariam Germundo facit *in anno* XXXI, *regnante Domno Karolo Glorioso Rege, in mense Martio*, sive anno Christi septingentesimo nonagesimo-nono, Pontificatûs sui sexto. Capite sexagesimo-quarto Merolus precariam Wilibetto facit *in anno* XXXII, *regnante Domno Karolo Glorioso Rege in mense Aprili*, sive anno Redemptoris octingentesimo, sed illo anno jam sedet Franco Primus seu Senior, qui Pontificales Infulas post Josephi depositionem suscepit anno Christi septingentesimo nonagesimo-tertio, & Carolo Magno superstes laudatur annis duobus ac viginti cum tribus mensibus diebúsque totidem in Episcopatu transactis; fortassis in precaria de qua loquimur, expuncto Caroli Regis anno XXXII restituendus est annus XII sive annus Christi septingentesimus octogesimus, Episcopatum enim Merolus ab anno Christi septingentesimo septuagesimo - quarto ad septingentesimum octogesimum - quartum gessit. Capite sexagesimo - quinto Merolus precariam eidem Wiliberto facit *anno* XXXI, *regnante Domno Karolo Gloriosissimo Rege*, IX *Kal. Maias*; in hanc precariam ut in superiorem error irrepsit, eodémque prorsus modo corrigendus videtur. Capite sexagesimo-sexto Merolus eidem quoque Wiliberto precariam facit *anno* XXIX, *regnante Domno Karolo Glorioso Rege, in mense Maio*, sive anno Christi septingentesimo nonagesimo - septimo; sed illo anno jam sedet Franco Primus seu Senior, qui factus est Episcopus anno Christi septingentesimo nonagesimo-tertio, Caroli Regis anno vicesimo-quinto, ut observatum suprà; porrò Merolus Episcopatum ab anno Christi septingentesimo septuagesimo - quarto tenet ad septingentesimum octogesimum - quartum, ideóque deleto Caroli Regis anno XXIX cave ne retinendum putes annum XIX, quocum annus coincidit Christi septingentesimus octogesimus - septimus, Josephi mortuo Merolo Episcopi tertius; Caroli potiùs Regis annum scribe IX, ut annum Christi septingentesimum septuagesimum - septimum, Meroli Pontificis tertium assequaris. Hæc si tibi placent, unâ duntaxat eâdémque opus est emendatione in omnibus precariis quas Merolus Episcopus Wiliberto fecit. Hæc ad Chronologiam. Quibus autem in rebus prædictæ precariæ consisterent, hi docent tituli. I. *Exemplar precariæ de Fraxinedo & Sancto Gregorio in condita Sagonense vel de aliis villis Sancti Gervasii, quas Ulfingus tenet, quam ei Gauziolenus Episcopus fecit primo anno Regni Pipini Regis.* II. *Exemplar precariæ quam Franco Episcopus Germundo fecit de villa*

[31] Corvaif. deest &
[32] Corvaif. *annulo nostro sigillare*
[33] Corvaif. *Hermimnarius*
[34] Corvaif. *Domini*
[35] Corvaif. deest *Augusti*.
[a] Num. 10.
[b] Cap. 62.
[c] Capp. 64. 65. 66.
[d] Cap. 63.

AN. CH. 836. LUDOV. IMP. 23. LOTHAR. IMP. 20. PIPPINI R. 22. LUDOV. R. 20. CAROLI R. 7.

Fraxinedo, Flexebrachiale, Aciaco, Sancto Georgio in condita Sagonensi, cum appendiciis suis, & Alauniaco, seu longa silcaria, & Camiaco, atque Mundarias; cum omnibus ad se pertinentibus. III. *Exemplar precariæ de villa quæ vocatur Mansiones in conditu Diablentica, quam Merolus Episcopus Wiliberto fecit.* IIII. *Exemplar precariæ quam Merolus Episcopus Wiliberto de Cella Sancti Frambandi fecit.* V. *Exemplar precariæ quam Merolus Episcopus Wiliberto fecit de Belfaido in canonico, & de Senmuro, & Ingranda, & Vrvillare, & Fontanas, & Monasteriolum, & Bragolium, cum eorum appendiciis.* In hujuscemodi precariis *conditam* sume pro loco fixo seu territorio, & *canonicum* pro annua pensitatione.

XXXIII.

Quartum Ludovici Præceptum decimo Kalendas Aprilis datum sic legitur in editione Baluziana, capite duodequadragesimo. *In Nomine Domini Dei & Salvatoris nostri Jesu Christi. Hludovicus divinâ repropitiante Clementiâ Imperator Augustus. Si Sacerdotum servorúmque Dei justis & rationabilibus petitionibus aurem accommodamus, eorúmque justas & rationabiles postulationes ad optatum effectum perducimus, non solùm Regiam & Imperatoriam exercemus consuetudinem, sed etiam eosdem pro excessibus nostris Domini misericordiam exorando * devotiores promptioresque facimus, atque per hoc immensam Dei misericordiam faciliùs nobis conciliandam esse confidimus. Idcircò notum esse volumus cunctis fidelibus Sanctæ Dei Ecclesiæ nostrisque, præsentibus scilicet & futuris, quia Aldricus Venerabilis Episcopus obtulit nobis quasdam auctorisates Regum Francorum, scilicet decessorum nostrorum erga Monasterium, quod extra muros ejusdem urbis in honore Sanctæ Dei Genitricis Mariæ & Sancti Petri Apostolorum Principis aliorúmque Sanctorum situm atque consecratum est, factas, per quas eum immunem à quibuscunque publicis functionibus statuentes sub sua immunitate & defensione constituerunt, suppliciter postulans, ut pia facta Antecessorum nostrorum consuetâ benignitate & mansuetudine nostra Celsitudinis roboranda Imperiali auctoritate sanciremus. Cujus precibus aurem favoris libentissimè accommodantes, has auctoritatis nostræ literas circa memoratum Monasterium fieri jussimus, per quas præcipientes volumus atque jubemus, ut nullus quislibet majoris aut inferioris Ordinis, seu quisquam ex Judiciaria potestate in curtes & villas seu loca aut agros ejusdem Monasterii ad causas Judiciario more audiendas & inferenda exigenda, aut teloneos requirendos, nec freda aut fidejussores tollendos, seu mansiones aut paratas faciendas, aut homines ipsius Monasterii tam ingenuos quàm servos distringendos, nec ullas redibitiones requirendas seu exigendas, ullo unquam tempore ingredi præsumat aut exigere audeat, sed quicquid exinde fiscus sperare poterat, totum in luminaria ejusdem Ecclesiæ atque necessitates Congregationis in eo Domino militantis sublevandas ac fulciendas perpetuò cedat atque proficiat, quatenus memoratam Congregationem pro nobis, conjuge ac prole nostra, & stabilitate totius Imperii nostri, Domini misericordiam attentiùs exorare delectet. Si quis autem Judiciariæ potestatis tam temerarius extitetit, ut hanc nostram eorúmque Præceptiones violare conetur, noverit se, sicut in Prædecessorum nostrorum immunitatibus continetur, DC sol. esse mulctandum, ex quibus duas partes Rectores memorati Monasterii, tertiam verò fiscus noster recipiat. Et ut hæc nostra auctoritas inviolabilem & inconvulsam obtineat firmitatem, manu propriâ subter eam firmavimus, & anuli nostri impressione adsignari jussimus. Hirmiumarus Notarius ad vicem Hugonis recognovit & subscripsit. Data* X *Kal. April. anno Christo propitio* XXIII *Imperii Domni nostri Hludovici Piissimi Augusti, Indictione* IIII (lege XIIII.) *Actum Aquisgrani Palatio Regio in Dei Nomine feliciter. Amen.* Indictionis IIII loco reponimus XIIII, quæ per mensem Martium cum anno Imperii Ludoviciani XXIII, Redemptoris DCCCXXXVI convenit.

* Edit. exorandos

XXXIV. PRO MON. S. COLUMBÆ.

Ludovicianis Diplomatibus, quæ spectant ad Ecclesiam Cenomannensem, subjiciemus & aliud, quod idem etiam Ludovicus Imperaror, cùm Aquisgrani morabatur, quarto Nonas Aprilis pro Monasterio Sanctæ Columbæ non procul ab urbe Senonica sito sic emisit. *In Nomine Dei & Sal-*

AN. CH. 836.
LUDOV. IMP. 23.
LOTHAR. IMP. 20.
PIPPINI R. 22.
LUDOV. R. 20.
CAROLI R. 7.

*vatoris nostri Jesu Christi. Ludovicus Divinâ propitiante Clementiâ Imperator Augustus. Notum esse volumus cunctis fidelibus Sanctæ Dei Ecclesiæ & nostris, præsentibus scilicet & futuris, quia olim dum Monasticum Ordinem usquequaque depravatum esse constaret, & ad eum corrigendum atque emendandum, imò ad pristinum debitumque modum & rectitudinem auxiliante Domino reducendum, quendam Abbatem ejusdem Ordinis ferventissimum, Benedictum cognominatum, per Monasteria Imperiis à Deo nobis commissi destinaremus, contigit eum ad Monasterium, quod dicitur Sanctæ Columbæ haud procul ab urbe Senonensi, devenire, in quo cùm cetera regulariter ordinare satageret, quia tunc temporis Abbatem Canonicum, Jacob vocabulo, inibi præesse contigerat, quasdam villas, quæ priscis temporibus ad usum fratrum ibidem Deo famulantium fuerant destinata, segregavit, ut absque Regali aut publico servitio, vel quolibet Abbatis dono, aut exactione, usibus eorum perpetuò deservirent, id est, villam quæ dicitur Morus cum omnibus ad se pertinentibus, & villam quæ dicitur Sarmasia cum omnibus ad se pertinentibus, similiter & Tauriaci villam cum omnibus ad se pertinentibus, similiter villam Patricii cum omnibus ad se pertinentibus, similiter & villam quæ Longa-aqua nuncupatur cum omnibus ad se pertinentibus, similiter & illa omnia quæ in his villis pars prædicti Monasterii habere dignoscitur, quarum nomina hæc sunt, Gromenvilla, Aurosvilla, Messeriaci villa, Canapè villa, Coriaci villa, villa Gavunciaci, villa Floxi, Curtenuis villa, Spiriaci villa, Abonis villa, Baudrici villa, Paçiaci villa, Luponis villa, Syncleriaci villa, Regniaci villa, necnon desuper fluvium, quod dicitur Fullonis, hospitiola duo, atque etiam illud quod Aufridus & Donatus nepotes Jeremiæ quondam Senonicæ urbis Episcopi ad præfatum Monasterium legaliter contulerunt. Similiter vineas, & terras aratorias, ac prata quæ in circuitu memorati Monasterii Sanctæ Columbæ esse noscuntur. Sed quoniam deinceps memoratum Monasterium per surreptionem quorumdam Ecclesiæ Senonicæ subditum fuerat, licèt hoc denuò liquidiùs cognoscentes in suo eum jure & dominatione ac propriorum Abbatum regimine constituissemus, veniens Venerabilis vir Supplicius ejusdem Abbas Monasterii ad nostræ Majestatis præsentiam, humiliter nostræ supplicavit Clementiæ, ut nostram mereretur percipere Præceptionem, per quam nostris futurísque temporibus idem nostrum Constitutum firmum atque inviolabile permaneat. Cujus petitionibus favendum dignum ac rationabile judicantes, hos nostros Imperiales apices erga sæpedictum Monasterium fieri jussimus, per quos præcipimus atque sancimus, ut nulli Ecclesiæ subditum, sed in suo suorúmque Rectorum dominio & gubernatione degens, nihil obsequii aut solutionis vel quicquam servitii de memoratis villis ullo unquam tempore solvat aut solvere compellatur, sed semper absque ulla sui diminutione in usus fratrum inibi Deo militantium, variísque illorum necessitatibus fulciendis deserviant, nec quispiam earum quicquam ejusdem aut alterius professionis Abbas in beneficium cuipiam dare præsumat, sed, sicut diximus, eorum usibus pauperúmque receptionibus perenniter obsequantur. Ea verò quæ ad sarcienda ejusdem Monasterii tecta necessaria fuerint de communibus ipsius Monasterii rebus, ut reficiantur, decernimus atque jubemus. Et ut hæc nostræ confirmationis auctoritas nostris successorúmque nostrorum temporibus inviolabiliter conservetur, manu propriâ nostrâ eam subter firmavimus, & annuli nostri impressione obsignari jussimus. Signum Ludovici Serenissimi Imperatoris. Data quarto Nonas Aprilis, anno, Christo propitio, vicesimo-tertio Imperii Domni Ludovici Piissimi Augusti, Indictione quartâ decimâ *. Actum Aquisgrani Palatio Regio in Dei Nomine feliciter. Amen.* Stephanus Baluzius hoc Præceptum Notis ad opera Lupi Ferrariensis Abbatis subjecit ex Bibliotheca Sancti Germani de Pratis, Indictionem apposuit tertiam-decimam, reposuimus quartam-decimam, quia Ludovici Imperatoris annus vicesimus-tertius, quamcumque ipsius Imperii sequaris epocham, per mensem Aprilem cum anno Redemptoris octingentesimo tricesimo-sexto convenit, cui non decima-tertia sed decima-quarta per eundem mensem Aprilem illigatur Indictio. Si conferas cum hoc Præcepto nonnullas observationes, quas

* Edit. *tertiâ-decimâ.*

Tomo superiore fecimus ad annum Redemptoris octingentesimum duodevicesimum [a], quo Magnus Senonensis Archiepiscopus ex hac vita migravit, facilè deprehendes quinam Ludovico Pio Imperatore Monasterio Sanctæ Columbæ præfuerint Abbates, & quis istius Cœnobii per illa tempora status extiterit, Ordóve, Monasticus an Canonicus. Ludovico jam Imperatore & Magnone Senonensium Archiepiscopo, Hieremias Monachus & Procurator Monasterii Centulensis, cum Danorum seu Nortmannorum incursiones fugeret, ex agro Pontivo se recepit ad Senonicum Sanctæ Columbæ Monasterium, ubi tunc Abbas erat Remigius Ordinis, ut existimamus, Monastici, quis enim Hieremiam Monachum ad Canonicum Abbatem confugisse credat? Ludovicus anno Redemptoris octingentesimo decimo-quarto solus imperare cœpit. Post annos quatuor Magno Senonensium Archiepiscopus ex hac vita discessit. Intra illud quadriennium Abbati Remigio successit Jacob, quem Ludovicus Augustus in suo Diplomate Canonicum Abbatem appellat. Illâ ætate ut in plerisque Monasteriis de quibus locuti sumus, sic & in Sanctæ Columbæ Cœnobio Monastice visa tepescere; fratribus haud paucis ad Ordinem Canonicum, præsertim sub Abbate Canonico, transeuntibus; aliis verò constantissimè permanentibus in Ordine Monastico, quem professi fuerant initio suæ conversionis. Imperator ad instaurandam Monasticen usus est potissimùm operâ Benedicti Abbatis. Id in ipsomet exordio Præcepti proximè recitati non diffitetur. Fuit autem iste Benedictus Anianensis Abbas, Ordinis Monastici ferventissimus cultor, qui locupletissimam nobis materiam Tomis sexto & septimo suppeditavit, & ad Deum feliciter migravit tertio Idus Februarias anno Redemptoris octingentesimo vicesimo-primo. Nullam omisit diligentiam, ut Sanctæ Columbæ Monasterium pristino splendori & instituto restitueret. At ubi spe cassum se vidit, invigilandum præcipuè censuit, ne Canonici Monachos tædio penuriâque conficerent, ideóque villas ac redditus segregavit in usus fratrum, qui non recesserant ab Ordine Monastico. Magnoni successit in Archiepiscopatum Senonensem Hieremias. Hic in Pontificali Cathedra sedit annos decem ab anno Redemptoris octingentesimo duodevicesimo ad octingentesimum duodetricesimum. *Obtinuit*, teste Clario in Chronico Sancti Petri Vivi, *Præcepta Imperialia à Ludovico Augusto Sanctæ matri Ecclesiæ Senonensi de omnibus quæ videbatur habere ipsa Ecclesia, ad munimen & defensionem contra omnes Judiciarias potestates. Insuper addidit ei Rex Abbatiam Sanctæ Columbæ, quam antecessores sui nuper perdiderant, ut esset sub tuitione Archiepiscopi Senonicæ urbis. Valdè enim familiaris erat Regi.* Ludovicus, quem Clarius modò Augustum, modò Regem vocat, in Præcepto suprà descripto testatur *memoratum* Sanctæ Columbæ *Monasterium per surreptionem quorundam Ecclesiæ Senonicæ subditum* fuisse, posteàque Imperiali Præceptione redditum suo juri & dominationi ac *propriorum Abbatum* regimini. Quando subjectum fuit Ecclesiæ Senonensi, Jacob Abbas erat Ordinis Canonici, Diœcesimque Senonensem regebat Hieremias Archiepiscopus. Quando verò per Imperialem Constitutionem suæ restitutum fuit libertati, tunc Abbas erat istius loci Supplicius seu Sulpitius; & in Senonensi Cathedra sedebat Aldricus Hieremiæ successor. Porrò Sulpitius Abbas, ut exemptioni recuperatæ deinceps consulat, adit Ludovicum Augustum, & ab eo confirmationem Imperialis Constituti supplex postulat. Annuit petitionibus Imperator, novóque Præcepto sancit, *ut* prædictum Monasterium *nulli Ecclesiæ subditum, sed in suo suorúmque Rectorum dominio & gubernatione degens, nihil obsequii aut solutionis vel quicquam servitii de* suis *villis ullo unquam tempore solvat, sed semper absque ulla sui diminutione in usus fratrum inibi Deo militantium, variisque illorum necessitatibus fulciendis deserviant, nec quispiam earum quicquam ejusdem aut alterius professionis Abbas*, id est, Abbas seu Monasticus seu Canonicus, *in benefi-*

AN. CH. 836.
LUDOV. IMP. 23.
LOTHAR. IMP. 20.
PIPPINI R. 22.
LUDOV. R. 20.
CAROLI R. 7.

[a] Num. 13.

AN. CH. 836. LUDOV. IMP. 23. LOTHAR. IMP. 20. PIPPINI R. 22. LUDOV. R. 10. CAROLI R. 7.

cium cuipiam dare præsumat, sed eorum usibus pauperúmque receptionibus perenniter obsequantur. Lucas Dacherius [a] ad textum, quo Clarius ait à Ludovico Imperatore datam Hieremiæ Archiepiscopo Senonensi *Abbatiam Sanctæ Columbæ, quam antecessores sui nuper perdiderant, ut esset sub tuitione Archiepiscopi Senonicæ urbis*, hanc adjecit in margine notatiunculam, *posteà tamen ab eodem Ludovico pristinæ libertati & exemptioni fuit restituta rogatu Sulpitii Abbatis, anno 835.* Rectiùs scripsisset, *anno 836*, quocum annus Ludovici Augusti vicesimus-tertius, qui legitur in Diplomate, per mensem Aprilem convenit. Addequòd quarto Nonas Aprilis, qui dies in eodem Præcepto notatur, anno Redemptoris octingentesimo tricesimo-sexto Ludovicus Aquisgrani degebat, ubi & Pascha quinto Idus Aprilis eodem anno celebravit. Idem verò de anno Redemptoris octingentesimo tricesimo-quinto probari non potest, imò Astronomus illo anno, quo Pascha decimo-quarto Kalendas Maii celebratum est, quinto Idus Aprilis Ludovicum in Theodonis villa vel Metis versatum sic ostendit. *Theodonis villam tam Dominus Imperator, quàm qui ejus populus erant, reversi sunt, & Dominico sacro Quadragesimæ tempore inchoante unumquemque ad propria redire præcepit. Ipse autem Quadragesimæ tempus ibidem exegit, sed & Paschæ Sollemnitatem Metis celebravit.* Quapropter in Diplomatis editione, cùm annus Imperii Ludoviciani vicesimus-tertius aut Indictio decima-tertia necessariò corrigi debeat, quia duo hi Characteres simul non consentiunt, annum servavimus Imperii Ludoviciani vicesimum-tertium, qui per mensem Aprilem nobis annum Redemptoris octingentesimum tricesimum-sextum repræsentat, explosâque Indictione decimâ-tertiâ, quæ per mensem Aprilem cum anno Redemptoris octingentesimo tricesimo-quinto concordat, Indictionem substituimus decimam-quartam, quæ per mensem Aprilem cum anno Redemptoris octingentesimo tricesimo-sexto, Imperii Ludoviciani vicesimo-tertio, convenit.

[a] Tom. 2. Spicileg.

XXXV. OTGARII ARCHIEP. MOGUNTIN. ET ALIORUM LEGATORUM REDITUS AD LUDOVICUM IMP.

Pascha quinto Idus Aprilis hoc anno celebratum est. Peractâ Festivitate Ludovicus Aquisgrano digressus in Theodonis villam pervenit, ibique Missos Lotharii mense Maio benignissimè suscepit, necnon & quos ad eumdem Lotharium nuper direxerat, Otgarium Moguntiacensem Archiepiscopum, Hildinum Episcopum Virodunensem, & Marcuvardum Prumiensem atque Andainensem Abbatem, cum Warino & Adalgiso Comitibus. Hi quinque viri Legationem obierunt exitu valdè prospero. Lotharius rationum, quas attulerant, vi persuasus Legatos ad patrem pro sancienda pace statim direxit, singularique Dei beneficio Reliquiæ Sanctorum, quæ multis seculis in Diœcesi Ravennate quieverant, Moguntiam sunt translatæ. Hac de Translatione sermonem primò faciemus, acturi posteà de Legatione Lothariana. Priùs autem ob Chronotaxin recitanda nobis videntur duo Ludovici Bojoariæ Regis Præcepta, quorum unum Ratisponæ datum est undecimo Kalendas Aprilis pro Monasterio Inferioris Altaichii, alterum in Osttenhova Palatio Regio emissum est decimo-quarto Kalendas Maii pro Ecclesia Pataviensi.

LUDOVICUS R. BOJOARIÆ DAT PRÆCEPTA,

XXXVI.

Primum sic habetur apud Hundium Tomo secundo in Altaichio. *In Nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. Ludovicus divinâ favente gratiâ Rex. Si petitionibus Præsulum ac servorum Dei justè & rationabiliter petentium aures Serenitatis nostræ accommodamus, hoc nobis proculdubio à remuneratore omnium in æterna beatitudine credimus adfuturum. Quapropter noverit omnium fidelium Sanctæ Dei Ecclesiæ nostrorúmque, præsentium scilicet & futurorum industria, quia Vir Venerabilis Gotzbaldus Wirzburgensis Episcopus, necnon & Rector Monasterii, cui vocabulum est Altaha, nostram adiit Celsitudinem, deprecans, ut sibi nostræ munificentiæ Præceptum fieri juberemus, ut ubicunque invenire posset aliquas res, & mancipia, quæ à nobilibus hominibus aptiùs & congruentiùs suo Monasterio commutare valeret, nostræ benignitatis auctoritate sibi successoribúsque suis & Ad-*

PRO MON. ALTAICHII INFERIORIS,

AN. CH. 836. LUDOV. IMP. 23. LOTHAR. IMP. 20. PIPPINI R. 22. LUDOV. R. 20. CAROLI R. 7.

vocatis eorum licentia commutandi tribueretur, & contrà quæ à parte illius Monasterii dantur his, qui cum eis commutare voluerint, ratam & stabilem perpetuò commutationem fieri, hac auctoritate nostrâ decerneremus. Cujus petitioni, quia justè & rationabiliter inde nostram mansuetudinem hortatus est, sicut unicuique fidelium nostrorum rationabiliter petentium, aurem Benignitatis nostræ accommodamus, ita istius petitionem ad effectum dignum duximus, statuentes ut deinceps quicquid pro utilitate jam dicti Monasterii præfatus Episcopus successoresque illius & Advocati illorum commutaverint, in mancipiis, ceterisque rebus, sylvis, seu etiam territoriis, per hanc nostræ Benevolentiæ concessionem firmum & inconvulsum perpetuò permaneat. Et ut nulli liceat illam commutationem infringere vel irrumpere aut infestare, sed, ut diximus, quicquid pars altera alteri dederit, stabilitatem & incontaminatum futuris temporibus consistat. Illud tamen omnimodis præcipientes, ut cum maxima cautela & diligentia consideretur; ne pejus aut deterius vel minus in ullo isto negotio parti & potestati præfati Monasterii ex illa commutatione proveniat. Et ut hæc nostræ concessionis auctoritas firmiorem atque diuturniorem obtineat vigorem, & à cunctis fidelibus Sanctæ Dei Ecclesiæ nostrisque meliùs credatur & diligentiùs conservetur, manu propriâ nostrâ subtus firmavimus, & annuli nostri impressione signari jussimus. Data XI *Cal. Aprilis, anno, Christo propitio, 59 Regni Domini Ludovici Gloriosissimi Regis in Orientali Francia. Indict. 54. Actum Ratisponâ civitate, in Dei Nomine feliciter. Amen.* Indictio decima-quarta per mensem Martium illigatur anno Redemptoris octingentesimo tricesimo-sexto, convenitque cum anno Ludovici Regis decimo-nono, quia Ludovicus in consortium Regiæ Dignitatis à Ludovico Augusto parte *in ipsa æstate* anno Redemptoris octingentesimo decimo-septimo vocatus est.

XXXVII. PRO ECCLESIA PATAVIENSI,

Alterum in epitomen ab Hundio redactum est sub Reginario Episcopo Pataviensi, integrum verò publicatum à Gewoldo in Additionibus ad eundem Hundium sic. *In Nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. Ludovicus divinâ favente gratiâ Rex. Si liberalitatis nostræ munere, de beneficiis divinitus nobis collatis, locis Sanctorum quiddam conferimus, id nobis procul dubio ad æternæ remunerationis præmia capessenda profuturum liquidò credimus. Proinde noverit omnium fidelium nostrorum præsentium scilicet & futurorum industria, quia nos pro mercedis nostræ augmento concessimus Ecclesiæ Pataviensi, quæ est constructa in honore Sancti Stephani protomartyris, ubi etiam Sanctus Valentinus Confessor Christi corpore requiescit, cui præsenti tempore Venerabilis Vir Reginarius Episcopus præesse videtur, quasdam res proprietatis nostræ, quæ sunt in provincia Avarorum, in loco qui dicitur Kirchbach, id est, Ecclesiam unam constructam cum territorio ad mansos centum faciendum & plùs, quarum terminia sunt, ab ipso loco pergens per unam semitam ad locum qui dicitur Tumus, & inde per circuitum usque ad prædictum Kirchbach, & deinde usque ad Markam Theotherii, & inde usque sursum Cynnenberg. Has itaque res cum prædicta Ecclesia, cum vineis, terris cultis & incultis, pratis, sylvis, pascuis, aquis, aquarúmve decursibus, adjacentiis, perviis, & exitibus, & regressibus, totum & ad integrum, quemadmodum Ratbodus Comes Annoni Chorepiscopo ipsas res consignavit, ita prædicta Ecclesia pœnitentialiter concessimus, & de nostro jure in jus & ditionem ejus, liberalitatis nostræ munere conferimus, ita videlicet, ut quicquid Rectores & Ministri supradictæ Sedis de ipsis rebus jure Ecclesiastico facere voluerint, libero in omnibus perfruantur arbitrio faciendi, tantùm scilicet, ut dum Anno Chorepiscopus atque Anno nepos ejus advixerint, ipsas res tenere & usare faciant, & nullus eis ipsas abstrahere præsumat, & post illorum discessum cum integritate ad eandem Ecclesiam revertantur. Et ut hæc auctoritas largitionis nostræ per curricula annorum inviolabilem atque inconcussam obtineat firmitatem manu propriâ subter firmavimus, & annuli nostri impressione signare jussimus. Signum Ludovici Gloriosissimi Regis. Adalleons Diaconus ad vicem Grimaldi recognovi. Data* XIV *Kal. Maii, anno, Christo propitio,* III *Regni Domini Ludovici Regis in Orientali Francia, Indictione* XIV. *Actum Ostrenhovâ, Palatio Regio, in Dei Nomine feliciter. Amen.* Hactenus

AN. CH. 836. LUDOV. IMP. 23. LOTHAR. IMP. 20. PIPPINI R. 22. LUDOV. R. 20. CAROLI R. 7.

in annorum apicibus tres Ludovici Regis epochas adnotavimus, unam ab anno Redemptoris octingentesimo decimo-septimo quo Regni Bojoarici consors à patre factus est, alteram ab anno Redemptoris octingentesimo vicesimo-quinto quo profectus est in Bojoariam, tertiam ab anno Redemptoris octingentesimo tricesimo-quinto quo longè potentior quàm anteà Rex est à patre designatus. Nulli tot epocharum illigari potest Ludovici Regis annus tertius per mensem Aprilem & Indictionem decimamquartam, cujus mensis Aprilis cum anno Redemptoris octingentesimo tricesimo-sexto rectissimè convenit. Ad aliam igitur recurrendum est epocham, quam nos consultò prætermissuros monuimus, quia fundamento prorsus iniquo nititur, petitur enim ab anno Redemptoris octingentesimo tricesimo-tertio, quo Ludovicus Bojoariæ Rex ejúsque fratres Lotharius & Pippinus Ludovicum Augustum patrem suum exauctorarunt, & universum Franciæ Regnum inter se trinâ divisione partiti sunt. Vix autem ratio potest afferri, cur intra quatuor septimanas Ludovicus Rex epochis usus sit adeò diversis, ut pro Altaichio Inferiore Præceptum undecimo Kalendas Apriles anno Regni sui vicesimo-nono, pro Ecclesia Pataviensi decimo-quarto Kalendas Maias anno Regni sui tertio consignarit, & in posteriori Diplomate principium sui Regni sumere voluerit à die, quo Francorum Monarchiam cum fratribus Lothario ac Pippino divisit, patre per nefarium scelus exauctorato. Certè hac epochâ, quæ fraternæ conjurationis memoriam refricabat, inimicum infensúmque patri se præbuit, annísque proximè sequentibus in reatu persistet.

XXXVIII. TRANSLATIO SS SEVERI, VINCENTIÆ, ET INNOCENTIÆ.

De Translatione Sanctorum, Severi, Vincentiæ & Innocentiæ nunc agamus. Severus uxorem duxit Vincentiam, & ex ea filiam nomine Innocentiam suscepit. Ad Episcopatum Raveunatem posteà promotus est Constantini Magni filiis Imperatoribus, anno Christi trecentesimo quadragesimo-sexto, *quater Constantio & ter Constante Coss.* Uxori ac filiæ superstes vixit, atque in eodem cum illis tumulo sepultus est, haud procul à regione quam Salutarem vocabant, in Classe oppido, ubi jacuit ad Pontificatum usque Petri Senioris. Hic sub annum Christi quingentesimum duodesexagesimum Ravennas Episcopus esse cœpit, compertóque quòd ad prædictum tumulum assiduè Miracula fierent, Corpora in eo quiescentia elevavit, erexítque Templum desuper sub nuncupatione Sancti Severi. Hæc fuit origo Monasterii, è quo sublata sunt, & Papiam primùm à Felice Clerico, deinde Moguntiam ab Otgario Archiepiscopo translportata.

XXXIX. Sigebertus hanc Translationem anno Redemptoris octingentesimo vicesimo-quarto sic consignat. *Corpora Sanctorum, Severi Ravennatis Episcopi, & uxoris ejus Vincentia, & filia Innocentia, ab Ottigario Episcopo Moguntiam translata sunt.* At illo anno Moguntiacenses Infulas nondum adeptus erat Ottigarius sive Otgarius. Nicolaus Setarius [a] eandem rejicit Translationem post obitum Ludovici Pii, cùm *rebus* inter ejus filios *compositis* Otgarius *apud Ludovicum Germania Regem gratiâ valeret*, & *ab illo dissideret ejus filius alter Lotharius.* At Ludovico Germaniæ Regi filius non fuit, qui vocaretur Lotharius; & ipsemet Setarius in textu, quem allegat ex Breviario Moguntino, testatur *Otgarium Moguntinum Archiepiscopum in Italiam* profectum esse, *ut pacem inter Imperatorem Ludovicum patrem & Lotharium filium componeret*, id est, ut amicitiam & concordiam inter Ludovicum Pium & filium ejus Lotharium in Italia commorantem redintegraret, hoc utique anno, quo Ludovicus Augustus, ut ex Annalista Bertiniano constat, *Missos iterum ad Lotharium direxit, monentes eum reverentia ac obedientia paterna, pacísque illi concordiam multipliciter inculcantes.* Haud aliam init computationem Lambertus Schafnaburgensis. *836. Otgarius Archiepiscopus transtulit Sanctum Severum ad Franckfurt.* Hæc ad Chronologiam, quam Luidolphus mox citandus egregiè confirmabit.

[a] Lib. 4. rer. Mogunt. in Archiep. 5.

Hujus

AN. CH. 836. LUDOV. IMP. 23. LOTHAR. IMP. 20. PIPPINI R. 22. LUDOV. R. 20. CAROLI R. 7.

Hujus Presbyteri duo leguntur libelli; unus de Vita Sancti Severi, alter de Translatione Sanctorum, Severi, Vincentiæ, & Innocentiæ. Uterque publicatus est à Joanne Bollando [a]. Posterior Historiam Translationis sic exhibet. *Fuit quidam Clericus de Galliæ partibus, nomine Felix (utrùm factis necne, non est meum judicare) quem dum puer essem me vidisse memini. Huic erat consuetudo per diversas vagari provincias, & Sanctorum Reliquias, ubicumque potuit, furari quæstûs causâ. Hic ad prædictum Monasterium* Sancti Severi, *quod inter urbem Ravennam, & Sanctum Appollinarem* seu Cœnobium Sancti Apollinaris, *situm esse diximus, cum quibusdam sociis venit, ibique Religionis gratiâ quasi peregrinus susceptus est, tantámque illorum fratrum expertus est humanitatem, ut quotidiana inibi, quasi unus ex ipsis, acciperet stipendia; qui etiam, ne illi Fratres aliquid de eo suspicarentur sinistrum, sacramento firmavit se numquam de eodem Monasterio recessurum. Cúmque tam familiariter eò loci aliquamdiu conversari cœpisset, junxit se custodi Ecclesiæ, eíque sedulum exhibebat obsequium.* XL. *Tempus autem opportunum ad id propter quod venerat nactus, ossa prædictorum furatus est Sanctorum, & cum suis complicibus fugam iniit. Quod cùm Fratres comperissent, miserunt nuntios ad Optimates Italiæ, ut omnes exitus viarum de Italia præoccuparent, aut ne ullatenus inde labi potuisset. At ille cùm loca sibi effugiendi denegata cognovisset, per devia noctu incedens Ticinum venit, ibique aliquanto latuit tempore. Interea Ludowicus Imperator Otgarium Magontiensem Archiepiscopum, & Hildi Wirdunensem Antistitem, duósque Comites, quorum alter Warinus, alter Adalgisus vocabatur, ad Lotharium filium suum, qui eo tempore Ticini * morabatur, destinavit pro pace & amicitiis inter eos reparandis, quæ pravorum hominum machinatione ex aliqua parte erant turbata. Quò cùm pervenissent, prædictus Felix cum Sanctorum Reliquiis, quas furatus fuerat, ad hospitium Otgarii se contulit, & qualiter fecisset indicavit. Quas Otgarius cum gaudio suscipiens suis abscondit in scriniis, & ne alicui ad illas patesceret aditus, proprio eas signavit sigillo. Mane autem facto Hildi & prædicti Comites ad mansionem Otgarii convenerunt, quatenus invicem conferrent, qualiter Legationem sibi injunctam concorditer peragerent. Cúmque introissent cellam, ubi Sanctæ in scriniis servabantur Reliquiæ, horror & timor nimius irruit super eos, ita ut tremore agitati vix residerent. Quos Otgarius pallentes & trepidantes videns interrogavit qua causa esset tanti timoris. At illi, forsitan, inquiunt, in hac Legatione finem hujus vitæ sumus habituri. Nam nec contra hostes in bello positos talis tantúsque timor nos unquam invasit. Nolite, inquit Otgarius, timere, nullas enim in hoc itinere, Deo nos protegente, patiemur angustias. Sed, si vultis gratanter accipere, ego vobis dicam causam hujus timoris. Hesternâ quippe die allatæ sunt mihi Sanctorum Reliquiæ, quas penes me in istis habeo scriniis, quibus quoniam huc ingredientes condignum non præbuistis honorem, meritò incidistis in timorem. At illi hæc audientes genua flectunt, & sibi prospera evenire per suffragia Sanctorum postulabant. Quod & factum est. Nam sequenti die à Lothario honorificè suscepti sunt, & Legatione peractâ voti compotes redierunt ad Imperatorem, qui miserat eos. Prædictus autem Felix cum sociis suis, acceptis ab Otgario equis, & aliis muneribus, inter homines illius latitantes de Italia egressi sunt, & Italorum præparatas devitarunt insidias. Otgarius verò, peractâ Legatione, de Palatio Imperatoris Magontiacum veniens, Sanctorum Reliquias cum summa veneratione suscipi à Clero & populo præcepit. Quo facto, ossa Sancti Severi juxta Altare Sancti Albani in loculo posuit, & Sancta Vincentia ad Australem plagam, Sanctaque Innocentia ad Septentrionalem Ecclesia ejusdem, honestissimis in locis juxta singula Altaria collocavit, constructis desuper lectulis, quos vestivit auro & argento, sicut hunc usque cernentibus liquet.*

In hoc textu nonnulla sunt observanda. Luidolphus ætatem suam prodit, cùm testatur à se puero visum Feliecm, qui supradictas Sanctorum Reliquias è Diœcesi Ravennate transtulit. Deinde Translationem illam apertè declarat hoc anno factam, quo Ludovicus Augustus Legatos in XLI.

[a] D. 1. Febr.

* Pavie.

AN. CH. 836. LUDOV. IMP. 23. LOTHAR. IMP. 20. PIPPINI R. 22. LUDOV. R. 20. CAROLI R. 7.

Italiam direxit, ut pax inter illum filiúmque Lotharium redintegraretur. Præterea clarissimis verbis ostendit Otgarium ceterósque Legatos rediisse *ad Imperatorem qui miserat eos*, id est, ad Ludovicum Augustum qui tunc in Theodonis villa morabatur, Felicem autem cum sociis suis, ut ab Otgario jussus fuerat, aliò profectum insinuat, in Diœcesim nempe Moguntinam, ubi Francofurtum. Postrema hæc observatio Lambertum Schafnaburgensem cum Luidolpho facilè conciliat, licèt hi duo Scriptores in textibus suprà citatis inter se non parum hoc anno dissidere videantur, cùm Luidolphus Sanctum Severum Moguntiam, Lambertus Francofordiam translatum scribat. Felix, qui Reliquias è Monasterio Sancti Severi sustulerat, Ticino quidem cum sociis suis egressus est in Otgarii comitatu, sed postquàm cis Alpes pervenerunt, Otgarius ad Theodonis villam rectà contendit, Imperatori Ludovico rationem obitæ Legationis illic redditurus, Felix verò Francofurtum perrexit, ibi moram facturus, donec Otgarius è Theodonis villa proficisceretur Moguntiacum, ubi Sanctorum Reliquias ex Italia translatas deponere statuerant.

XLII. WALA ABB. CORBEIENS. ET ALII ORATORES LOTHARII IMP. VENIUNT AD LUDOVICUM IMP.

Porrò cùm degebant, Otgarius in Theodonis villa, Felix Francofurti, venerunt in Theodonis villam Oratores Lotharii Augusti, de quibus sic Astronomus. *In condicta villa & tempore præfinito affuere Missi à filio, quos ipse præcepit, plurimi, inter quos etiam Wala primus affuit. Causâ autem prædictâ*, quæ spectabat ad Juditham & Carolum ejus filium, *ventilatâ, atque ad calcem perductâ, Imperator cum conjuge reconciliari voluit primùm ipsi Wala, dimissis, quæcunque in eos commiserat, delictis, multâ alacritate & benignitate cordis, mandavitque per eum & ceteros filio Missos, ut quantocyùs veniret: Quod si faceret, consultissimè sibi futurum sciret. Qui redierunt, & filio rem retulerunt.* Ad hunc eundem annum illa de Legatione sic Annalista Bertinianus. *Lotharius patris jussionibus non usquequaque refragans, mense Maio in villa Theodonis ad Imperatoris præsentiam direxit Walonem Abbatem, cum quo* * *de adventu ejus tractatum est, ac nostra ex parte firmatum, ut incolumis unà cum suis ad patris veniret præsentiam, & deinceps redire potuisset. Sed & à suis similiter sacramento promissum est ei, ad genitoris sui præsentiam statuto Placito absque dilatione venturum.*

* Edit. quibus

XLIII. RELIQUIÆ SS. SEVERI, VINCENTIÆ, ET INNOCENTIÆ COLLOCANTUR MOGUNTIÆ IN MON. S. ALBANI AB OTGARIO ARCHIEP.

Otgarius Præsul Moguntinus è Theodonis villa, postquàm inde Wala Corbeiensis Abbas aliique Oratores Lothariani discesserunt, Moguntiam venit. *De Palatio Imperatoris*, ait Luidolphus, id est, *de Theodonis villa, Magontiacum veniens, Sanctorum Reliquias cum summa veneratione suscipi à Clero & populo præcepit*, Sancti videlicet Severi Sanctarúmque Vincentiæ & Innocentiæ Corpora, quæ Felix ex Italia Francofurtum ad Mœnum nuperrimè detulerat, ut dictum suprà. Celeberrima Moguntiæ tunc erat Sancti Albani Basilica, de qua sic idem Auctor in fine primi libri. *Quando in Ecclesiam Sancti Albani oratum ire volueris, ad Australem plagam ejusdem Ecclesiæ veniens, ibi ossa Sanctæ mulieris Vincentiæ condita scias, & de eadem Ecclesia Sanctum Severum in Thuringiam, Sanctámque Innocentiam ex parte ad alterum Monasterium nomine Paraciatense translatum noveris.* In Codice Budicensi, cùm agitur de Translatione Sanctæ Innocentiæ, desunt hæ voces, *ex parte*, nomen quoque Monasterii deest, in quod nova Sanctæ Innocentiæ Translatio facta est è Basilica Sancti Albani. Textus proximè citatus, quamvis posteriorem Sancti Severi & Sanctæ Innocentiæ Translationem attingat, de qua sermonem infrà facturi sumus, innuit haud obscurè Reliquias Sancti Severi & Sanctæ Innocentiæ cum Corpore Sanctæ Vincentiæ in Ecclesia Sancti Albani collocatas fuisse ab Otgario, quem Luidolphus cum allusione ad primum illum libellum in secundo sic commendat. *Otgarius ossa Sancti Severi juxta Altare Sancti Albani in loculo posuit, & Sancta Vincentiæ ad Australem plagam, Sanctaque Innocentia ad Septentrionalem Ecclesiæ ejusdem, ut in priore libello præfati sumus, honestissimis in locis juxta singula Altaria col-*

locavit. Serarius in rebus Moguntiacis [a], ubi agit de Sanctorum Reliquiis, quæ servantur in Æde sacra Sancti Albani, non satis distinguit duas Sancti Severi Translationes, insinuátque eodem tempore ab Otgatio Sanctum Severum Erphordiam, Sanctas Vincentiam & Innocentiam Moguntiacum translatas fuisse, ad duos enim numeros, ad v videlicet de Sancta Vincentia & ad vi de Sancta Innocentia sic habet. v. *S. Vincentia, S. Severi Episcopi Ravennatis, antequàm Episcopus crearetur, uxor, quæ per Otgarium Archiepiscopum Ravennâ huc advecta fuit; ipse verò S. Severus Erphordum.* vi. *S. Innocentia ejusdem filia virgo.* De priore Sancti Severi Translatione, quæ dicta sunt superiùs, hoc loco sufficiant, sermonem infrà de posteriore faciemus. AN. CH. 836. LUDOV. IMP. 23. LOTHAR. IMP. 20. PIPPINI R. 22. LUDOV. R. 20. CAROLI R. 7.

Astronomus quæ Nunciorum Lotharianorum ex Theodonis villa reditum subsecuta sunt, in Ludovici vita sic enarrat. *Redierunt, & filio suo Lothario rem retulerunt. Sed, ne mandatum Imperatoris ad effectum perduceretur, morbus febrísque intercessit, & Walam quidem rebus humanis abduxit, Lotharium verò lectulo dejiciens maximo tempore languere fecit. Imperator verò Clementissimus naturâ, ut filium adversâ valetudine correptum audivit, per Missos fidelissimos, scilicet Hugonem fratrem suum & Adalgarium Comitem, eum visitavit, atque omnia ejus incommoda rescire studuit, imitatus videlicet beatum David, qui multis insectationibus lacessitus à filio, mortem tamen ejus ægerrimè tulit. At verò postquàm deseviente languore convaluit, nunciatum est Imperatori, eò quòd conditiones sacramentorum eidem promissas irrumperet, maximéque Ecclesiam Sancti Petri, quam tam avus ejus Pipinus, quàm pater ejus Carolus necnon ipse in tutelam susceperant, homines ejus crudelissimâ clade vexarent. Quæ res animum illius mitissimum adeò exasperavit, ut quodammodo extraordinariè, ut videbatur, Missos dirigeret, nullum penè ad tantum iter conficiendum spatium tribuens. Misit Legatos ad Lotharium commonens ne talia fieri permitteret, monens ut memor esset, quia quando sibi Regnum Italiæ donavit, etiam curam Sanctæ Romanæ Ecclesiæ simul commisit, & quam ab adversariis defendendam susceperat, nequaquam à suis diripi permitteret. Commonens etiam sacramentorum nuper ab eo sibi promissorum, ne fortè oblivíscens atque parvipendens ea, Divinitatem offenderet. Quod sibi impunè non futurum non ignoraret. Simul etiam jubens parare sibi stipendiarias annonas stativásque congruas per omne iter, quod Romam transmittit. Dicebat enim se limina beatorum Apostolorum invisere velle. Quod ne fieret, irruptio Nordmannorum in Frisiam impedivit.* XLIV. [a] Lib. 1. c. 17. LOTHARIUS IMP. ÆGROTAT, SANITATI REDDITUS MONETUR OFFICII SUI PER ALIAM LEGATIONEM.

Annalistæ Bertinianus & Fuldensis hanc Nordmannorum irruptionem non omiserunt. Bertinianus ad hunc annum ita scripsit. *Nordmanni Dorestatum & Frisiam rursum depopulati sunt.* Fuldensis autem eosdem Nordmannos in Galliam quoque Belgicam progressos sic asseruit. *Nordmanni Andwerpiam civitatem incendunt, similiter & Witham emporium juxta ostium Mosæ fluminis, & à Frisionibus tributum acceperunt.* Andreas Duchesnius *Witlam* ad oram hujus textûs reponit. Cum Antuerpia Mechliniam quoque flammis consumptam tradit Joannes à *Wachlendonck* Decanus Mechliniensis [b]. *Probabile est*, addit idem Auctor, *eo tempore Sanctum Libertum cum socio suo Gosvino, vel, ut alii, Gosberto, Mechliniâ profugum, in Hasbaniam sive Sarcinium deflexisse, & ante altare Sancti Trudonis, ubi flexis genibus Dominum deprecabatur, ab his Nordmannis occisum esse, ætatis suæ anno circiter 79. A tempore quippe Martyrii Sancti Rumoldi non fuere Nordmanni aut Dani in Belgio.* Sanctus Rumoldus Martyrium Mechliniæ passus est octavo Kalendas Julias, anno Christi septingentesimo septuagesimo-quinto [c]. Libertus ejus discipulus Magistro suo superstes vixit annos unum & sexaginta, vitámque clausit major octogenario. *Hic Libertus*, ut in ejus Officio proprio canit Ecclesia Mechliniensis, *Scythis & Danis ab ora maritima usque ad Agrippinensem Coloniam bello omnia vastantibus, in Hasbaniam, ut periculo se eriperet, profugiens ante ipsam D. Trudonis oram, ubi flexis genibus Dominum depreca-* XLV. NORDMANNORUM IRRUPTIO IN FRISIAM ET IN GALLIAM BELGICAM. [b] In vit. S. Rumold. MARTYRIUM S. LIBERTI, [c] Vid. Tom. 6. a. 775. n. 14.

AN. CH. 836.

batur, occisus Martyrii palmam adeptus est. Colitur pridie Idus Julii, quo die Martyrium subiit. *Corpus*, inquit Molanus [a], *terræ infixum fuit in urna lapidea, quæ etiam hodie conspicitur.* Lege ad res gestas Sancti Liberti Martyris facem Historicam, quam dissertationibus seu capitibus novem concinnavit Joannes *à Guruez* Congregationis nostræ Presbyter. Tomo quinto [b] egimus de Sancto Gummaro, qui regnante Pippino floruit, &, ut Molanus [c] testatur, *quiescit Lyræ, ubi Collegiatam habet Ecclesiam, quæ in Historia Monasterium nominatur.* Quid in hoc Monasterio contigerit eodem anno, quo Nordmanni Mechliniam incenderunt, idem Auctor sic subjungit. *Ad hoc Monasterium venerunt Nordmanni, eversâ Malinâ sive Machliniâ, ignem injecerunt, sed Sanctus Gummarus è cælis suis meritis contra eos pugnans, ignem extinxit. Interim Fredegerum Presbyterum à palma Martyrii arcere noluit, quem Nordmanni crudeliter in altari peremerunt, summæ Majestati sacrificium mactantem.*

ET FREDEGERI PRESBYTERI.

[a] D. 14. Jul. n. 3.
[b] Ad an. 756. n. 38.
[c] D. 11. Oct. n. 5.

XLVI. Auditâ hac Nordmannorum irruptione, Ludovicus Imperator animum ab itinere in Italiam suscipiendo revocavit, & *ad insolentiam* barbarorum *comprimendam pergens misit* iterum *Missos ad Lotharium, Fulconem scilicet Abbatem* Fontanellensem *& Richardum Comitem, necnon Adrebaldum Abbatem* Flaviacensem. *Quorum Fulco & Richardus responsum sibi à Lothario referrent; Adrebaldus Romam pergeret, Gregorium Papam de necessariis consulturus, & voluntatem Imperatoris ceteráque sibi injuncta perlaturus. Sed Lotharius de his conventus, utcunque de rebus quarundam Ecclesiarum ablatis, quæ in Italia sunt, quibusdam annuit, quædam se non posse servare respondit.* Hæc Astronomus, cui lucem Annalista Bertinianus videtur afferre, dum scribit Legatos Imperatoris apud Lotharium egisse *de restitutione rerum Ecclesiis Dei in Francia constitutis, quæ in Italia sita à suis pro libitu fuerant usurpata.* Addit idem Annalista eosdem quoque Legatos egisse *de Episcopis atque Comitibus, qui dudum cum* Juditha *Augusta fideli devotione de Italia venerant, ut eis & Sedes propriæ, & Comitatus ac beneficia, seu res propriæ redderentur.* Tunc & actum putamus, ut vicissim suis restituerentur Ecclesiis, qui Lotharium secuti fuerant, Agobardus, Barnardus, aliíque cùm Archiepiscopi tum Episcopi. Nam *Piis Imperatoribus agentibus*, ut Ado scribit, *Agobardus Lugdunensem, Bernardus Viennensem Sedem recepit*, idque non contigit ante Placitum Stramiacense, quod anno priore *in mense Junio* celebratum diximus. De Josepho Episcopo Ebroïcensi & Hetibaldo Autissiodorensi Episcopo plura dicemus inferiùs.

LUDOVICUS LEGATOS ITERUM MITTIT AD LOTHARIUM.

XLVII. Nordmanni adventu Imperatoris vix audito nedum expectato suas in naves atque in natale solum se receperunt. Ludovicus è Frisia reversus ad Mœnum perrexit, ut apud Francofurtum venationi per autumnum indulgeret. Ibi Lupum Ferrariensem Monachum è Monasteriis Fuldensi ac Selingestadiensi redeuntem in patriam benignè suscepit, ut ex variis epistolis ejusdem Lupi simul collatis infrà probaturi sumus. Ibi quoque suscepit Fulconem & Richardum ex Italia reversos. *Lotharius*, inquit Astronomus, à Legatis *conventus, quibusdam annuit, quædam se non posse servare respondit. Et Fulco quidem atque Richardus Imperatori à Frisia post fugam Nordmannorum revertenti, talia nuntiant in Franconoford Palatio, ubi ipse autumnalem exercens venationem, hyematum Aquasgrani se convertit.* Quod attinet ad Adrebaldum, qui seriùs ad Ludovicum rediit, de illo sic idem Auctor. *At verò Adrebaldus Romam, ut jussum sibi fuerat, pervenit, Dominum Gregorium Papam ægrotantem repperit, & maximè fluxu sanguinis, qui licèt sensim, continuè tamen ex naribus defluebat. Sed tantâ alacritate & gaudio ad verba Imperatoris & compassiones ejus recreatus est; ut profiteretur se penè incommoditatis propriæ oblitum. Itaque & Missum ad se opulentissimè curavit apud se consistentem, & ditissimè muneravit recedentem, mittens cum eo duos Episcopos, Petrum Centumcellensis urbis & Georgium regionarium Romanæ urbis Episcopum. Lotharius porrò ut audi-*

ET AD GREGORIUM PP.

AN. CH. 836.
LUDOV. IMP. 23.
LOTHAR. IMP. 20.
PIPPINI R. 22.
LUDOV. R. 20.
CAROLI R. 7.

vit memoratorum Episcoporum ad Dominum Imperatorem adventum, misit Leonem, qui tum apud illum magni loci habebatur, Bononiam, qui magno intentato terrore ultrà progredi Episcopos prohibuit. Adrebaldus tamen epistolam Imperatori destinatam, ab eis occultè suscepit, & cuidam suorum sub obtentu mendici, quousque Alpes transiret, ferendam commisit, ac pòst Imperatori porrexit. Erat Adrebaldus sive Adebrardus Abbas ille Flaviacensis, quem manuscriptus Codex à Luca Dacherio in Compendio Historiæ Flaviacensis inter Notas & Observationes ad Guiberti Abbatis opera laudatus Imperatori Ludovico Pio adeò acceptum *merito prudentia* testatur, *ut inter ejus Principes ad pacis negotia componenda, & in Ecclesia & in Regno, in longinquas usque gentes semper fuerit primus.*

XLVIII. PRÆCIPUI FAUTORES LOTHARII MORIUNTUR.

Eâ tempestate quanta lues mortalis populum, qui Lotharium secutus est, invaserit, miserabile est dictu. In brevi enim, id est, à Calendis Septembris, ut Astronomus asserit, *usque ad Missam Sancti Martini, hi Primores ejus vitâ excesserunt, Jesse olim Ambianensis Episcopus, Helias Trecassina urbis Episcopus, Wala Corbeiensis Monasterii Abbas, Matfridus, Hugo, Lambertus, Godefridus, idémque filius ejus Godofridus, Albertus Comes Pertensis, Burgaretus quondam Præfectus Venatoribus Regalibus, sed & Richardus vix evasit, non post multùm & ipse moritur. Hi enim erant, quorum decessu dicebatur Francia nobilitate orbata, fortitudine quasi nervis succisis evirata, prudentiâ his obeuntibus annullata. Sed his subrutis ostendit Deus quàm salubre, quàm laudabile sit observare, quod ex ore ejus probatur procedere; non glorietur, inquiens, sapiens in sapientia sua, nec fortis in fortitudine sua, nec dives in divitiis suis. Sed & Imperatoris animum quis miretur dignè, quantâ hunc temperantiâ divina gubernaverit clementia? Etenim hoc suscepto nuntio, nec in se exultavit, nec morti inimicorum insultavit, sed pugno pectore tunso, lachrymísque oculis oppletis, Deum illis propitium fieri cum ingenti gemitu precatus est.* Laudandus ob insignem pietatem Imperator, qui mortem suorum deflet inimicorum, quorum obitu gloriam Regni valdè diminutam fingit imperita multitudo.

XLIX. JESSÆUS AMBIANENSIS EP.

Jesse fuit Ambianensis Episcopus. Anno Christi septingentesimo nonagesimo-nono Pontificatum suscepit. In Conventu Noviomagensi depositus est anno Redemptoris octingentesimo tricesimo, quia particeps conjurationis in Ludovicum Augustum à filiis Lothario ac Pippino recens excitatæ. Tertio pòst anno Sedi suæ per vim restitutus est à Lothario, qui patre per summum nefas exauctorato Regnum tunc occupavit. At anno postero, ne caderet in manus Ludovici, qui Regiam auctoritatem feliciter recuperaverit, præcipitem arripuit fugam cum eodem Lothario, nec ampliùs in gratiam cum Ludovico Augusto rediit, aut à fovenda perduellione tuendâque Lotharii factione cessavit. In Ambianensium Episcoporum Catalogo Jessæum sequitur Ragnerius seu Ragenarius. Hic eodem sedere cœpit anno, quo sententia depositionis ab Episcopis in decessorem lata.

L. HELIAS EP. TRECENSIS,

Helias fuit Episcopus Trecensis. Lotharianis quidem partibus adhæsit, at Episcopatu non est ejectus, hac re non absimilis Agobardo Lugdunensi & Barnardo Viennensi, dissimilis autem Jessæo Ambianensi. Dissimilitudinem hanc apud Astronomum in textu jam citato designat vox *olim*, quæ cadit in Jessæum, in Heliam nequaquam, docétque Jessæum, priusquàm moreretur, Ambianensi Episcopatu excidisse, Heliam verò Trecensi ad mortem usque potitum esse. *Vitâ excesserunt, Jesse olim Ambianensis Episcopus, Helias Trecassima urbis Episcopus.* Heliæ successit in Episcopatum Trecensem Adalbertus, de quo plura dicemus anno sequenti.

LI. WALA ABB. CORBEIENSIS,

Wala fuit Abbas Corbeiensis in Gallia, deinde Bobiensis in Italia. Quanto studio Lotharianæ rebellioni se totum addixerit, quot idcircò passus sit exilia, prodit Auctor vitæ in quarto Seculo Benedictino publicatæ. Lotharium fugientem secutus est anno Redemptoris octingentesimo trice-

AN. CH. 836. LUDOV. IMP. 23. LOTHAR. IMP. 20. PIPPINI R. 22. LUDOV. R. 20. CAROLI R. 7.

simo-quarto, factus est ab eodem Lothario Bobiensis Abbas in Italia. Directus cum aliis Lotharii Nuncius in Galliam hoc anno mense Maio venit: à Ludovico & Juditha, qui se sperabant ejus usuros consilio pro revocando ad patris comitatum Lothario, susceptus est amantissimè, sed in Italiam ad Lotharium mox reversus vitam clausit pridie Kalendas Septembris. Ejus mortem ac sepulturam sic enarrat Encomiastes. *Febre correptus sollicitior pro Augusto Imperatore* Lothario, *apud quem tunc agebat, quàm pro se erat, ne fortè quod nuper patri promiserat, obmitteret occasione acceptâ quia ipse febribus vexabatur. In quo patet, quia invictus permansit in fide, & in caritate devotus, spe consolatus suæ vocationis; quo profectò triplici funiculo religatus ad Christum, securus animam cælo reddidit. Cujus corpusculum in Basilica, quâ Beatus Columbanus requiescit, ad latus terra suscepit. Nec igitur abs re factum crediderim, ut pariter una domus ambiret, unáque vicinitas sepulturæ commendaret, quos una religio tenuit, æqua penè tentatio à suis quasi peregrinos expulit sedibus, & Italiam fugavit. Fuerunt enim Reginæ non dispari nequitiâ, quæ hoc fecerunt, duæ, non uno in tempore, sed sub uno impietatis scelere conjuncta & consociata, quæ pro consimili zelo non ferentes sanctos viros earum consimilem reprehendere nequitiam nefandam satis, neque in aliquo contraire, idcircò coegerunt dolo & fraudibus eos insidiando, ut relictis in quibus erant propriis Cœnobiis Auxoniam peterent, quâ demùm quorum una fuit conversatio, etsi parum dispar causa, una religio, unáque fuga insidiarum duarum mulierum, una esset quies laboris, & sepultura funeris. Ille siquidem ut Sanctus Confessor Christi virtutibus approbatus; iste ut ejus pedissequus meritis fulciretur, commendaretur præconiis, & auxiliaretur precibus.* Tomo secundo ad annos Christi sexcentesimum nonum & sexcentesimum decimum egimus de exilio Sancti Columbani, rationésque propter quas irrogatum est investigavimus studiosissimè. Longè dispar est causa Walæ. Columbanus Abbas odium Brunichildis Reginæ, tum Theodorici Regis, in se concitavit, quia fœminas ab aditu Luxoviensis Monasterii repulit, & septa Cœnobii duas divisit in partes, quarum exterior viris excipiendis patebat, interior minimè. Brunichildis ægerrimè tulit se, cùm Regina esset, ab ingressu Monasterii cum reliquis fœminis arceri. Theodoricus Burgundiæ Rex cùm lis inter illum ac fratrem Theodobertum Austrasiæ Regem intercederet, sermonibus flagitiosorum hominum aviæque Brunichildis accensus Columbanum putavit reum perduellionis, quasi positus in Regnorum confinio partibus Theodoberti faveret, nuncios & exploratores ex Austrasia missos occultaret, ideóque secretiora Monasterii sui septa nec sibi Regi nec aliis viris patere vellet. Aliam rationem frustrà quæras, cur Theodoricus Rex Abbatem Columbanum ablegarit, eúmque Namnetas usque perduci atque inde in Hiberniam transportari præceperit. At Columbano multùm dissimilis fuit Wala. Hic excidit ex Ludovici Imperatoris amicitia non propter rumores incertos sinistréque sparsos ab adversariis, sed propter apertissimum nefariæ proditionis crimen, quod ab amicis nec negari nec excusari potest. Anno Redemptoris octingentesimo tricesimo, quo primùm audita est adversùs Ludovicum Augustum conjuratio, nomen inter conjuratos dedit, eodémque anno, cùm Noviomagum ad indictum Conventum perrexisset, ab Imperatore, qui *vires* [a] *adversariorum attenuare* satagebat, suum ad Monasterium redire jussus est, ut ibi *regulariter* in Ordine Monastico procul à seculi negotiis viveret. Anno Redemptoris octingentesimo tricesimo-primo, missus est in exilium, & pro rerum statu, qui propter diversas Lotharii fratrúmque molitiones non semper idem fuit, in varia loca deportatus, in specum non procul à lacu Lemano, in Herum Insulam, & in Germaniam, suóque tandem Monasterio restitutus anno Redemptoris octingentesimo tricesimo-secundo. Motus est è prædicta specu propter viciniam Lotharii regnantis in Italia, ex Hero Insula propter suspectam fidem Pippini Re-

[a] Astronom. in vita Ludovici Pii.

AN. CH. 836.
LUDOV. IMP. 23.
LOTHAR. IMP. 20.
PIPPINI R. 22.
LUDOV. R. 20.
CAROLI R. 7.

gis Aquitaniæ, & ex Germania propter imminentem Ludovici Bojoariæ Regis defectionem. Ubique metus erat ne rebellibus se jungeret. Quievit apud Corbeïam, donec anno Redemptoris octingentesimo tricesimo-tertio rescivit Lotharium cum Pippino ac Ludovico fratribus contra patrem conjurasse, statim enim ad eos in Alsatiam citissimè contendit. Testis extitit rerum impiè gestarum in Alsatia, Compendii, & Suessione; nec à Lothario, cui semper addictissimus fuit, deinceps recessit; anno Redemptoris octingentesimo tricesimo-quarto fugientem ex agro Parisiensi secutus est, eóque pòst procurante factus est Abbas Monasterii Bobiensis in Longobardia. Hoc denique anno post Christum natum octingentesimo tricesimo-sexto, paucis ante mortem mensibus, cùm Ludovicus Augustus Lotharium ad pacem & ad reditum in Gallias per suos Nuncios hortatus esset, ad eundem Ludovicum directus est à Lothario. Tunc in gratiam cum Ludovico & Juditha rediit, *dimissis*, ut Astronomus loquitur, *quæcumque in eos commiserat, delictis.* Ex his vides Walam longè alium à Columbano fuisse, utrique non eandem extitisse causam in Italiam secedendi, & Encomiasten, in quem inquirimus, in concinnanda illorum Abbatum comparatione plurimùm aberrasse. Walæ post tot reatus insigni cedit gloriæ, quòd sub exitum suæ vitæ diligenter allaborarit, ut concordia Ludovicum inter ac Lotharium Augustos renovaretur. Ejus Panegyristæ lubenter assentimur scribenti, quòd *febre correptus sollicitior pro Augusto Imperatore* Lothario, *apud quem tunc agebat, quàm pro se erat, ne fortè quod nuper patri promiserat, omitteret occasione acceptâ, quia ipse febribus vexabatur.* Nec in dubium vocamus, quin mala, quæ postmodum Lotharius gessit, avertisset suo consilio, si longiorem vitam duxisset.

LII. Obitûs dies & annus hodie controvertuntur. Multi mortuum volunt anno Redemptoris octingentesimo tricesimo-quinto, séque nixos jactant Astronomo, in cujus margine Pithœus & Duchesnius annum posuerunt octingentesimum tricesimum-sextum ad illa verba, *in ipsis etiam diebus, in quibus Purificatio Beatissimæ semper Virginis Mariæ celebratur*, &c. quæ subjecta reperiuntur cladi, quam mortalis lues intulit à Kalendis Septembris ad Missam usque Sancti Martini sublatis ex hac vita per illud tempus Jessæo & Heliâ Episcopis, Walâ Abbate, aliísque viris illustribus. At quisquis Astronomum attentè legerit, annum Redemptoris octingentesimum tricesimum-sextum in ora superiùs reponet ad hæc verba, *Augusta Judith cum Consiliariis Imperatoris consilio inito*, &c. fatebitúrque Walam eodem anno Redemptoris octingentesimo tricesimo-sexto & Legatione functum esse apud Ludovicum Imperatorem, & è Galliis in Italiam reversum vitâ mox excidisse. Utrùm pridie Kalendas Septembris, an pridie Idus ejusdem mensis obierit, disputat Mabillonius in Observationibus [a] præviis ad ejus vitam, priorémque amplectitur opinionem, quia in Indice Pastuum Corbeïensis Monasterii, qui nono seculo scriptus est, hæc occurrunt. *Prid. Kal. Septemb. obiit Wala Abbas: de Busco debet fieri ejus memoria*, id est, in die obitûs Walæ procuratio fratribus fiat de Busco *, quæ Præpositura est Exemptionis Corbeïensis prope Montem-Desiderii *. Ceterùm Ermengardis Lotharii Augusti conjux post Walæ mortem, ut Encomiastes hujus Abbatis subjungit, *per diversa Italiæ loca* misit, *ut singuli beati viri animam precibus Deo commendarent*; direxit etiam *ad Monasterium suum valdè egregium, quod est infra mœnia Brixæ civitatis Domino dedicatum, distans à Ticino fermè* XL *millibus, in quo Sanctimonialium multitudo Domino famulatur, similiter eis præcipiens obnixiùs, & obsecrans, ut beatam animam viri Dei precibus commendarent.* Brixæ seu Brixiæ * florebat Sanctæ Juliæ Monasterium puellare, de quo sæpè jam locuti sumus.

[a] Num. 7.
* Bus.
* Mondidier.
* Bresse.

LIII. In Abbatum Corbeïensium Catalogo post Walam ponitur Heddo sive Hedo cum hoc apud Claudium Robertum elogio. *Hedde 835. Interest*

AN. CH. 836. LUDOV. IMP. 23. LOTHAR. IMP. 20. PIPPINI R. 22. LUDOV. R. 20. CAROLI R. 7.

Translationi corporis Sanctæ Bathildis per Ercamradum Episcopum Parisiensem. Obiit in Nativitate Sancti Joannis. Habent eadem Sammarthani, excepto quòd expuncto anno 835 restituerunt annum 836. Causam hujus discrepantiæ jam ostendimus ex eo profectam, quòd ad Astronomi marginem annus 836 non benè suo loco collocatur. Sammarthani neglecto Astronomo, cujus editio totam difficultatem pariebat, Walæ mortem anno Redemptoris octingentesimo tricesimo-sexto consignarunt allegato Annalistâ Bettiniano, apud quem hæc ad illum annum leguntur. *Tunc etiam Walo Abba, cujus consiliis Lotharius plurimùm utebatur, in Italia obiit.* Utrùm autem superstiti an mortuo Walæ subrogatus sit Hedo, non ita patet. Translatio enim Sanctæ Bathildis, cui Robertus & Sammarthani Hedonem Abbatem interfuisse volunt, facta est aliquot annis ante obitum Walæ, nempe decimo-sexto Kalendas Aprilis, anno Redemptoris octingentesimo tricesimo-tertio. Certè Hedo, si Translationi Sanctæ Bathildis jam Abbas adfuit, Abbatiales Infulas anno Redemptoris octingentesimo tricesimo-primo suscepit, quo Wala pulsus est in exilium. Sed huic opinioni palàm refragatur ejusdem Walæ reditus ad suum Monasterium, postquàm in specum non procul à lacu Lemano, in Herum Insulam, & in Germaniam deportatus fuit. Ex Germania enim propter imminentem Ludovici Bojoariæ Regis defectionem anno Redmptoris octingentesimo tricesimo-secundo suam remissus est ad Corbeiam, ibíque morabatur adhuc decimo-sexto Kalendas Aprilis, anno Redemptoris octingentesimo tricesimo-tertio, cum Erkanradus Parisiensis Episcopus ad Kalense Monasterium vocatus Reliquias Beatæ Bathildis in decentiorem locum transtulit. Multò probabilius est Hedonem, si priùs Abbas factus est quàm Wala moreretur, assumptum esse ad munus Abbatiale vel anno Redemptoris octingentesimo tricesimo-tertio postquàm Wala procul à Corbeïa in Alsatiam abiit ad Lotharium ceterósque perduelles, vel anno Redemptoris octingentesimo tricesimo-quarto postquàm Lotharius patre dimisso præcipitem arripuit fugam cum Wala & aliis seditiosis, vel anno Redemptoris octingentesimo tricesimo-quinto postquàm auditum est Walam agente Lothario Bobiensem in Italia constitutum Abbatem. Re tamen accuratè consideratâ, nullam harum opinionum approbamus. Ludovicus Imperator, postquàm Galliarum tumultus anno Redemptoris octingentesimo tricesimo-quarto sedavit, ex legibus pacis redintegratæ Lotharium in Italiam abire præcepit, & abhinc cavit diligentissimè ne filii ad rebellionem proclivis animum graviùs exulceraret, imò suum ad comitatum per Oratores eundem Lotharium anno Redemptoris octingentesimo tricesimo-quinto revocare studuit, ipsúmque Walam cum aliis Lotharii Nunciis mense Maio benignissimè suscepit hoc anno Redemptoris octingentesimo tricesimo-sexto. Series illarum rerum suadet actum à Ludovico Augusto cum Wala, ut cum plerisque Præsulibus Lotharium trans Alpes secutis, quorum Ecclesiis, quamdiu in Italia cum Lothario degerunt, alii Pastores aut Rectores haud dati. Hedonem igitur ante mortem Walæ non arbitramur Abbatialibus Infulis redimitum fuisse. Nullam illius mentionem fecit Anonymus [a] ferè æqualis, qui Translationem Sanctæ Balthildis in literas retulit. Hujus silentii Chronologiæque suprà stabilitæ si rationem habueris, Hedonem meritò vel negabis interfuisse prædictæ Translationi, vel, si secus senseris, inficiaberis Abbatem Corbeiæ tunc extitisse. Quot annos huic Cœnobio præfuerit, haud liquet. Excessit è vivis octavo Kalendas Julii.

[a] Mabillon. Sec. 4. Bened. a. 833.

LIV. HUGO SOCER, ET LAMBERTUS COMES. Inter Lotharianarum partium fautores, quos pestifera lues abstulit, è laicis tres præcipuè Comites ab Astronomo recensentur, Hugo Lotharii Augusti socer, Matfridus Comes quondam Aurelianensis, & Lambertus qui contra Ludovicum Imperatorem non semel dimicavit. At ante bienninm discessit ex hac vita Matfridus, ut ad annum Redemptoris octingentesimum

AN. CH. 836.

tesimum tricesimum-quartum [a] observavimus ex Thegano [b], qui potiorem hoc loco sibi conciliat auctoritatem, quoniam opus suum hoc anno clausit, priusquàm posset scire, quinam Lotharianarum partium fautores in Italia post Kalendas Septembres obiissent. Sub idem tempus, ut Annalista Bertinianus scribit, *Azenarius quoque citerioris Wasconiæ Comes, qui ante aliquot annos à Pippino desciverat, horribili morte interiit, fratérque illius Sancio-Sanci eandem regionem regnante Pippino occupavit.*

[a] Num. 19.
[b] Cap. 55.

ITEM AZENARIUS COMES WASCONIÆ CITERIORIS.

LV.

Ad hunc annum à Tamayo memorantur in Catalogo Gerundensium [c] Episcoporum Wimerus seu Waimerus, qui Ludovico Pio superstes vixit, & in Urgellensium [d] Episcoporum Catalogo Sisebutus, qui hoc eodem anno vitam terminavit, cùm annos sex ac triginta sedisset, successorémque nactus est Possiderium. Hic annuum gessit Pontificatum, & à Ludovico Augusto pro Sanctæ Gratæ Monasterio Præceptum obtinuit, cujus mentionem anno Redemptoris octingentesimo quadragesimo-quarto Carolus Rex ejusdem Ludovici filius in suo Diplomate sic fecit. *Geila Venerabilis Abba ex Monasterio quod dicitur Sancta Grata, quod est situm super fluvium Bosegia, constructum siquidem in honore Sanctæ Dei Genitricis Mariæ, nostris obtulit obtutibus auctoritatem Domni & Genitoris nostri Hludowici Serenissimi Augusti, quâ continebatur, qualiter prædictum Monasterium, cum Cellula sibi subjecta quæ dicitur Sancti Fructuosi, & villa quæ dicitur Serras, cum suo termino, Possedonius* seu Possiderius *Episcopus de heremi vastitate ad culturam frugum perduxisset. Et postmodum veniens in memorati Genitoris præsentiam prædictum Monasterium contulit, ut sub defensione atque mundeburdo Piissimi Genitoris nostri consisteret, & perpetuò ibidem Domino Monachi famularentur, ita ut nullius ditioni subditi essent, nisi solius Dei, & semper sub defensione atque immunitate Regis consisterent. Unde & memoratus Augustus ob deprecationem Matfridi Comitis prædictique Episcopi Possedonii* seu Possiderii, *prædictum Monasterium per Immunitatis suæ Præceptum sub sua defensione atque protectione suscepit.* Tunc Bernardus Hispanicæ Marchiæ Præfectus erat, utpote Septimaniæ Dux in Galliis, in Hispania Comes Barcinonensis. Matfridus autem, qui Comes in præcitato Carolini Præcepti fragmento memoratur, Comes erat Urgellensis. Urgella enim, Gerunda, multæque aliæ civitates cis & ultra Pyrenæum jugum sub eodem Bernardo Duce privatos Comites habebant. Wimerus Gerundensis Episcopus, qui Possiderio Urgellensi Episcopo synchronus vixit, à Ludovico Pio pro sua Ecclesia Præceptum etiam obtinuit, cujus mentionem Carolus Rex in suo quoque Diplomate sic fecit anno Redemptoris octingentesimo quadragesimo-quarto. *Vir Venerabilis Gundemarus Gerundensis Ecclesiæ Episcopus adiens Celsitudinis nostræ fastigia, obtulit Præcellentiæ nostræ quandam Domni & Genitoris nostri Lodoici Piissimi Augusti prædecessori suo Wimaro* seu Wimero *factam Præcepti auctoritatem, quâ continebatur, qualiter Domnus & Genitor noster præfata Sedis Matrem Ecclesiam unà cum jamdicto Antistite & omnibus rebus sibi pertinentibus sub Immunitatis suæ tuitione defensionísque munimine clementer susceperit, & quasdam villas vel alias quascunque res à Magno & Orthodoxo Karolo Imperatore avo siquidem nostro eidem Ecclesiæ collatas denuò corroborando ipsi sacratissimo loco piissimè confirmaverit.* Ista Caroli Diplomata Stephanus Baluzius in Appendice [e] post Notas ad Capitularia publicavit, integra describemus ad annum quo data sunt. Ceterùm qui Baluzio Gundemarus est, à Tamayo in Martyrologio Hispanico [f] Pondemarus appellatur, Wimari seu Wimeri proximus successor.

[c] D. 3. Sept.

EPISCOPI GERUNDENS.

[d] D. 3. Octob.

URGELLENSES.

[e] Act. 61. 64.

[f] D. 3. Sept.

LVI.

PATAVINI.

Pervenit ad hunc annum Dominicus Episcopus Patavinus, qui Mantuanam Synodum cum aliis Præsulibus anno priore celebravit. Ei successit in Episcopatum Aldegusius, qui sedit annos octo. Lege ad annum superiorem [g] quæ præmissa sunt de Paravinorum Episcoporum Chronologia.

[g] Ad an. 835. n. 70.

LVII.

ARCHIEP. SALISBURG.

Obiit & hoc anno, postridie Kalendas Maias Adalramus Archiepiscopus Salisburgensis, sepultus fuit in summo Templo in crypta retro altare

AN. CH. 836. Ludov. Imp. 23. Lothar. Imp. 20. Pippini R. 22. Ludov. R. 20. Caroli R. 7.

Sancti Erasmi. Successit Liupramus, qui Pallium accepit à Gregorio Quarto Papa, & Oswaldum Carantanis Episcopum præfecit. Hæc Hundius in Archiepiscopis Salisburgensibus [a]. In eadem provincia Salisburgensi mortuus est etiam hoc anno, quarto Idus Decembris, Hitto Frisingensis Episcopus, ut Gewoldus in Additionibus ad Hundium testatur. Nec ab illo computo recedit Hundius, cùm ipsum Hitronem Episcopum agnoscit *anni 24 seu 25*. Episcopatum enim Hitto suscepit anno Redemptoris octingentesimo duodecimo, gessitque annis quatuor ac viginti completis seu viginti-quinque incompletis. *Sepultus* est *in crypta Cathedralis Ecclesiæ, habens super sepulchro ciborium de lignis. Emit Ismaning, Eyting, Allershausen, Holtzhausen, Schoflorn, &c.* quibus Ecclesiam suam ditavit. Successit *Erchenbertus nepos ex fratre.* Lege Hundium in Episcopis Frisingensibus [b].

[a] Nu. 12. 13. Episcopi Frisingenses. [b] Nu. 6. 7.

LVIII. Landrannus abdicat Archiepiscopatum Turonensem. Succedit Ursmarus.

Landrannus sive Landrandus vel Landramius aut Lanthrannus seu Landrancius hoc anno Turonensem Ecclesiam administrare desiit. Successit Ursmarus sive Orsmarus. Hujus Archiepiscopi meminerunt Malliacense Chronicon, Chartularium Cormaricense in Audacro Abbate, Lupus Ferrariensis epistolâ decimâ-sextâ, veteres Synodi, necnon & antiqui Turonensium Archiepiscoporum Indices, ut observarunt Sammarthani Tomo primo Galliæ Christianæ & Joannes *Maan* capite quadragesimo-septimo Turonensis Historiæ. Sedit Ursmarus *annos decem & sex menses*. Id Auctor proximè citatus affirmat ex Codice *MS. Ambasiensi*, illúdque decennium ab anno Redemptoris octingentesimo quadragesimo-tertio ad octingentesimum quinquagesimum-tertium numerat. De numero annorum, quos Ursmarus in Pontificatu transegit, haud dubitamus. At istos annos aliter cum Chronologia Christiana componendos arbitramur, quia duo Privilegia, quæ Canonicis suis Aldricus Cenomannensis Episcopus *Kalend. Aprilis, in die Sancto Pascha, anno Incarnationis Dominicæ* DCCCXXXVII, *Indictione verò* XV, *anno quoque* XXIII *Imperii Domni Hludovici Gloriosissimi Imperatoris, & anno Ordinationis* suæ *quinto* concessit, *Ursmarus Turonicæ urbis Archiepiscopus* suâ subscriptione prius approbavit, ut constat ex ipsius Aldrici Gestis, capitibus tricesimo-secundo & tricesimo-quarto. Vetat hæc observatio, ne post hunc annum Redemptoris octingentesimum tricesimum-sextum Ordinationem Ursmari Metropolitæ rejiciamus, quam ne citiùs collocemus prohibet quoque Synodus anno Redemptoris octingentesimo tricesimo-quinto apud Theodonis villam habita, cui Landrannus decessor interfuit. Extra controversiam igitur maneat Ursmaro Pontificales Infulas hoc anno Redemptoris octingentesimo tricesimo-sexto delatas fuisse. Sammarthani duos aiunt Archiepiscopos Turonenses eodem vixisse tempore, citántque schedulam è Tabulario Sancti Albini Andegavensis cum ejusmodi subscriptionibus. *S. Lambertus Comes à me factum in Christi Nomine. S. Ursmarus indignus Turonicæ Matris Ecclesiæ Archiepiscopus S. Lanthrannus Dei gratia Turonensis Ecclesiæ Archiepiscopus S. Actardus Episcopus Dei servus Sedis Nannetica indignus Episcopus huic Decreto subscripsi. S. Dodo Andegavensium Præsul huic Decreto assensum præbui. S. Frotmundus Santonicæ Sedis Episcopus in Dei Nomine. S. Erimannus Episcopus Nivernensis Ecclesiæ huic Testamento assensum præbui. Sicmundus Presbyter, Guarinus, Raunulfus, Ebroinus.* Ex istis subscriptionibus nonnullas descripsit Joannes *Maan*, ut probaret *Ursmarum Landrannúmque Turonenses Archiepiscopos ambos simul vixisse in Ecclesia Turonensi & subscripsisse. Non tamen eos* putavit *Turonensem Ecclesiam simul rexisse, cùm duos Episcopos unà simul Ecclesia non capiat.* Hoc tantummodo judicium de Landranno tulit, quòd *multis jam defessus laboribus Ursmarum abdicatâ demum Ecclesiâ suâ cooptaverit suum in locum retento Archiepiscopi nomine & honore*, idque valdè probabile duxit, *quòd Ursmarus post Landrannum solus Episcopum egerit Turoni, & Ursmaro vitâ functo Landrannus abdicatam jam anteà Ecclesiam suam rursum receperit, & eâ functus sit dein-*

AN. CH. 836.

LUDOV. IMP. 23. LOTHAR. IMP. 20. PIPPINI R. 22. LUDOV. R. 20. CAROLI R. 7.

ceps multis annis. Utrùm Landrannus, qui successit Ursmaro, fuerit idem cum Landranno qui præcessit Ursmarum, inquiremus Tomo sequenti post obitum ipsius Ursmari.

LIX. EPISCOPI ANDEGAVENSES.

Anglearius Andegavensis Episcopus in eadem Turonensi provincia hoc anno Imperii Ludoviciani vicesimo-tertio memoratur à Guidone Artaldo Archidiacono Andegavensi in priore tabula Episcoporum Andegavensium & à Sammarthanis in secundo Tomo Galliæ Christianæ. Prætermissus fuerat à Roberto & à Severtio. Locum obtinere debet Flodegarium inter & Dodonem. Flodegarii mentionem ad annum Redemptoris octingentesimum undetricesimum [a] fecimus. Prælaudatus Andegavensis Archidiaconus, cujus studio notitiam accepimus Anglearii, testatur visas à se literas, anno Imperii Ludoviciani vicesimo-tertio datas, quibus Rex Aquitaniæ Pippinus Ecclesiæ Sancti Mauricii quasdam decimas restitui jubet, & Dodonem civitatis Andegavensis Episcopum futurum dicit. Inde colligimus Anglearium hoc eodem anno Redemptoris octingentesimo tricesimo-sexto, Ludovici Augusti vicesimo-tertio, mortuum esse, eique mox subrogatum Dodonem. Artaldum Latinitate donarunt Sammarthani, duobus adjectis Characteribus Chronologicis, anno videlicet decimo-sexto Pippini Regis in ipso contextu, & anno Redemptoris octingentesimo tricesimo-septimo in margine. *Arglearius*, inquiunt, *præfuit Andegavensi Ecclesiæ anno 23 Regni Ludovici Pii. Dodo Episcopus ordinatur eodem anno, ut patet ex notitia literarum Pipini Regis data 23 Regni Hludovici & decimo-sexto* * *Pipini pro possessione decimarum per laicos possessarum, quas Ecclesia Divi Mauricii restituit, in qua Dodo appellatur urbis Andegavensis futurus Antistes.* At nec annus Pippini Regis decimus-sextus cum anno Ludovici Augusti vicesimo-tertio convenit, nec annus Redemptoris octingentesimus tricesimus-septimus cum anno vel Ludovici Augusti vicesimo-tertio vel Pippini Regis decimo-sexto componitur. Solis igitur assertionibus Andegavensis Archidiaconi nobiscum assentire; Arglearium Andegavensem Episcopum agnosce anno Ludovici Augusti vicesimo-tertio, sive anno Redemptoris octingentesimo tricesimo-sexto; ipsius Arglearii mortem eodem anno consigna; eodem quoque anno successorem Dodonem, cujus Ordinationem in annum Redemptoris octingentesimum duodequadtagesimum perperam ab Andegavensi Chronographo sic differtur. DCCCXXXVIII. *Ordinatio Dodonis Episcopi.* Certè Dodo non Episcopum designatum sed absolutè Andegavensem Episcopum se dixit, cùm Aldrici Cenomannensis Episcopi Privilegia laudavit ante Kalendas Apriles anni post Christum natum octingentesimi tricesimi-septimi, ut ad illum annum ostensuri sumus ex Gestis ipsius Aldrici Cenomannensis Episcopi, capitibus tricesimo-secundo & tricesimo-quarto, in quibus inter varias Episcoporum subscriptiones hæc legitur. *Dodo humilis Andecavensium Antistes huic testamenti decreto assensum prebui & subscripsi.*

[a] No. 105. 109.

* In margine ponitur an. 837.

LX. ABBATES S. CRUCIS MELD.

Arnulphus Abbas Sanctæ Crucis in suburbio Meldensi, cùm per triennium Monasterio præfuisset, ejúsque bona diriperet, à Sancto Farone percussus hoc anno pœnas luctuosâ morte mox luit. Successit Hugo. Meminit utriusque Codex manuscriptus, quo solemus uti, cùm de Præsulibus istius Cœnobii nobis est sermo.

LXI. MALMUNDARIENSES, STABULENSES.

Haudo, sive Odo, vel Hauto, aliis Ando, trium Abbas Monasteriorum, Dervi scilicet, Malmundarii, & Stabuleti, vitam quinque clausit hoc anno. Non semel à nobis laudatus fuit. In Cœnobia Malmundariense & Stabulense, quorum administratio penes unum Abbatem ab antiquis temporibus erat, successit Ratholdus. De Andone & Ratholdo consule Bartholomæum Fisenum in Floribus Ecclesiæ Leodiensis, ubi Stabulensium Abbatum Indicem exhibet. Super Abbate Dervensi major est difficultas. In Abbatum Dervensium Catalogo, quem Andreas Duchesnius in Notis ad epistolas [b] Petri Venerabilis publicavit, hæc Hautonis encomio pro-

[b] Lib. 1. ep. 24.

AN. CH. 836. LUDOV. IMP. 23. LOTHAR. IMP. 20. PIPPINI R. 22. LUDOV. R. 20. CAROLI R. 7.

DERVENSES. ximè subjiciuntur. *Anno* DCCCXL. *Pardulus Vicedominus erat Remensis, qui posteà fuit Episcopus Laudunensis. Hic istam restauravit Ecclesiam, & quamplurima bona donavit huic Monasterio. Huic successit Algarius, cui Altinarus Abbas, Humfredus, Vulfaudus qui Fulfraudus praerat huic loco anno* DCCCLIX. Quæritur an Dervensis Abbas priùs extiterit Pardulus, quàm Vicedominus fieret Ecclesiæ Remensis. Id negat Claudius Robertus in Gallia Christiana, successorem enim Hautonis Algarium constituit. At nihil videtur obesse, quominus Hautoni successerit hoc anno Pardulus, qui Dervensem Ecclesiam instaurarit, Dervensi Monasterio multa bona contulerit, illícque gesserit Abbatiale munus ante annum Redemptoris octingentesimum quadragesimum, quo Vicedominus Remensis memoratur. Opinioni nostræ non parum favent hæ voces, *huic successit Algarius.* Quanam enim de successione, nisi de Præfectura Dervensis Monasterii locutum suspiceris eum, qui totus fuit in texendo Dervensium Abbatum Catologo. Algarius igitur Pardulo, hic Hautoni successit in Monasterii Dervensis administrationem.

LXII. PRUMIENSES. Fisenus in elogio Marcuvardi [a], & in Abbatum Hubertensium sive Andainensium Nomenclatura [b], scribit de eodem Marcuvardo Prumiensi & Hubertensi Abbate, quòd hoc anno Præfectutam Hubertensem abdicavit, sibique Sevoldum virum eo munere dignissimum substituit. Marcuvardus hoc anno cum quatuor aliis magni nominis viris à Ludovico Augusto missus est in Italiam ad Lotharium, peractâque Legatione rediit cum sociis ad Ludovicum, atque in ejus comitatu fuit apud Theodonis villam mense Maio, ut observatum suprà [c]. Legationem hanc Marcuvardi tempúsque nobis indicavit Lupus Ferrariensis tunc Monachus, qui hoc eodem anno in patriam è Fuldensi Monasterio remeavit, & in reditûs procinctu duas Eginhardo Cœnobii Selingestadiensis Abbati scripsit epistolas. In quarum una [d] medio se Maio viam ingressurum sic ait. *Medio Maio, vitâ comite, hinc recedere decrevi, quo tempore, Deo volente, sicut vobis, si recordamini, dixi, ad vos venturus sum, & aliquot apud vos dies facturus.* Et in altera [e] testatur id de tempore quo cis Rhenum reversurus esset, à se scriptum ex consilio Marcuvardi, qui tunc in Italiam Legatus ab Imperatore dirigebatur. *Venerabilis*, inquit, *Vir Marcuvardus, per quem mea reversio administranda est, cùm in Italiam Legatus mitteretur, ac me priùs ad suum colloquium ut amicissimum evocavisset, mihi consulnerat, ut hinc die quâ significaveram vobis recedens, Sanctitatem vestram petere debuissem.* Proximâ periodo subdit iter hortante Rabano ad Nonas usque Junii, sive ad Solemnitatem usque Sancti Bonifacii, dilatum fuisse. Deinde priusquàm posteriores hasce literas exararet, Marcuvardum ex Italia reversum sic asserit. *Itaque cùm suam post regressionem Marcuvardus ex me quæsitum, quando potissimùm reverti vellem, misisset, memorata rei causâ equos huc adducendos ut pridie Non. Jun. curaret petii, quò, Christo propitio,* VIII *Id. ejusdem mensis iter ad vos possem arripere. Quod ille, si vita comes fuerit, indubitanter adimplebit.* Paulò pòst idem Marcuvardus hoc anno curam abjecit Andainensis Monasterii. Fisenus istius abdicationis causam *fortassis* illam fuisse dicit, *quòd turbatissimis illis temporibus, quibus adversùs Ludovicum Pium parentem suum arma impia filii movebant non*

HUBERTENSES. *putaverit utrumque Monasterium sine gravi damno potuisse ab uno regi.* Sed hæc ratio non placet, quia multò quietius, quàm anteà, tunc erat Francorum Regnum. Marcuvardus sub idem tempus quo administrationem Hubertensis Monasterii dimisit, aliud in Eifflia Cœnobium ædificavit, à quo ut originem sic & nomen accepit oppidum agri Juliacensis in Diœcesi Colo-

MON. EIFFLIÆ CONDITUR. niensi non ignobile, quod Monasterium Eifliæ, vulgò *Munster Eiffel* nuncupatur. Hoc Cœnobium Monachis Prumiâ vocatis attributum fuit, addictâque illis annona, quæ satis esset, è Prumiensi Monasterio. Singularis Eiffliæ cura, quam Marcuvardus gessit, potiori causæ fuit, ut Andainum dimitteret.

[a] D. 27. Febr.
[b] D. 2. Oct.
[c] Hoc an. nu. 1. 31.
[d] Ep. 4.
[e] Ep. 5.

AN. CH. 836.
Lunov. Imp. 23.
Lothar. Imp. 20.
Pippini R. 22.
Lunov. R. 20.
Carolt R. 7.

LXIII. Translatio S. Viti Martyris,

Hoc anno, Watinus Abbas Corbeïensis in Saxonia, quem anno priore factum etiam Abbatem Resbacensem in Episcopatu Meldensi diximus, adiit Hilduinum Abbatem San-Dionysianum, cúmque rogavit ut meminisset ante aliquot annos, cùm in nova Corbeia exularet, se pollicitum esse Monachis illius loci, *quòd si se Dominus in honorem pristinum collocaret, absque retractatione aliquem Sanctorum, qui sub ditione sua erant, eis daret.* Quid hoc anno secutum sit accipe ex libro qui de constructione novæ Corbeiæ seu de Translatione Sancti Viti Martyris in Saxoniam inscribitur. *Anno Incarnationis Domini nostri Jesu Christi octingentesimo tricesimo-sexto, Indictione quartâ-decimâ, anno autem Imperii sacratissimi Imperatoris Ludovici vicesimo-tertio, Warinus Abba Monasterii Rasbacensis cognomento Hierusalem, sed & Corbeiensis novi à cujus fundatione annus vertebatur decimus-quartus, consulens salutem patriæ, salutem etiam gentis suæ, & exaltationem loci ipsius Monasterii, quod nova Corbeia dicitur, ob causam fidei & Religionis expetivit à viro Religioso & Venerabili Abbate Hilduvino Monasterii Sancti Dionysii, ut de Sanctis Martyribus Venerabilibus, quorum corpora in loco præfato humata quiescebant, aliquem ei ad confirmandam fidem gentis suæ tribueret, atque licentiam portandi concederet. Quam petitionem Hilduvinus Abba cum voluntate & licentia Piissimi Imperatoris Luduwici, consensu etiam Episcopi Parisiacæ urbis,* nempe Erkanradi, *cæterorúmque nobilium virorum, in supradicta Diœcesi commorantium, libenter annuens, dedit ei corpus Sancti Viti pueri & Martyris Lucani, qui sub Maximiani * & Diocletiani temporibus passus esse, & à quodam viro religioso, regnante Pippino, translatus ab Italia in Franciam, & in Diœcesi Parisiaca locatus narratur. Cujus merito, in loco, ubi positum fuerat corpus ipsius, multas Dominus virtutes operatus est. Fertur enim ab incolis loci illius, ubi Beatissimus Martyr in corpore quievit, quòd à tempore, quo ipso in loco positum fuerat, nunquam ibi tempestates aut fulgura nocuissent.*

* Edit. malè Valeriani.

In eundem annum rectè conveniunt quatuor hi Characteres, annus Dominicæ Incarnationis octingentesimus tricesimus-sextus, Ludovici Imperatoris annus vicesimus-tertius, Corbeïæ in Saxonia conditæ annus decimus-quartus, & Indictio decima-quarta per mensem Martium. Auctor Monachus fuit novæ Corbeiæ, & ipsi Translationi præsens interfuit. Editus primùm fuit ab Henrico Meibomio post Annales Witichindi, deinde ab Andrea Duchesnio inter coætaneos Scriptores Historiæ Francicæ [a], novissimè à Joanne Mabillonio primâ parte Seculi quarti Benedictini. Sub operis initium multa narrantur, quæ spectant ad Translationem Sancti Viti Martyris ex Italia in agrum Parisiensem regnante Pippino, & à nobis Tomo quinto recitata sunt ad annum Christi septingentesimum sexagesimum-quartum [b]. Mabillonius, cùm prælaudatum librum de Translatione Sancti Viti Martyris editionibus Meibomianâ & Duchesnianâ nonnihil auctiorem è Codice Gladbacensi publicaturus esset, observationes prævias sic inchoavit. *Legi duplicem de S. Viti Lucani Martyris Translatione Historiam; unam in Italia Sacra Tomo 7, ubi de Episcopis Polymnianensibus, factam anno* DCCCI, *sexto Kalendas Maii, in locum vocabulo Marianum, Diœcesis Canusina in Benevento; alteram ex Gallia in Saxoniam, qua de nunc agimus.* Captâ inde occasione quispiam negabit Reliquias Sancti Viti Martyris ex Italia translatas esse in Galliam Rege Pippino, cùm illarum Translatio ex uno Italiæ loco in alium facta perhibeatur Carolo prædicti Pippini Regis filio jam Imperatore. Sed quisquis in Italia Sacra legerit, quæ de corpore Sancti Viti Martyris ad Marianum oppidum translato circumferuntur, asseret nullum ex iis argumentum erui, quo Translatio ex Italia in Galliam regnante Pippino facta possit impugnari. Ferdinandus Ughellus, quid illa de scriptione sentiret, loco jam citato sic ostendit. Imprimis opus esse dixit *aliquibus erroribus* vitiatum, & conscriptum *ab aliquo imperito posterioribus seculis post Translationem in Marianum.* Deinde observavit Translationem illam *accidisse* LXIV.

[a] Tom. 2.

[b] Num. 14.

AN. CH. 836. LUDOV. IMP. 23. LOTHAR. IMP. 20. PIPPINI R. 22. LUDOV. R. 20. CAROLI R. 7.

die 26 Aprilis, feriâ secundâ Resurrectionis, & *ab anno 672 usque ad 919* Resurrectionem Dominicam haud incidisse *in 25 Aprilis*. Atque inde collegit Translationem in Marianum anno Christi sexcentesimo septuagesimo-secundo consignandam esse. Nihil autem prohibet quominus è Mariano Romam Beati Viti corpus aut potior ejus pars posteà translata censeatur, ac tandem in Galliam post annum Christi septingentesimum quinquagesimum-septimum Pippino Francorum Rege & Fulrado Monasterii Sandionysiani Abbate. Scrupulo, quem lectio Italiæ Sacræ injicere poterat, sic amoto, Translationem Beati Viti Martyris è Galliis in Germaniam jam prosequamur.

LXV. *Corpus Sancti Viti magna cum veneratione & testificatione religionis ab Hilduwino Venerabili Abbate, Warino religioso Abbati in Ecclesia Sancti Dionysii coram innumerabili multitudine populorum, tam Monachorum quàm Canonicorum, virorum ac mulierum, post peracta die Dominico Missarum solemnia, decimo-quarto Kalendarum Aprilium commendatum ac traditum est*, currente literâ Dominicali A, annus enim Redemptoris octingentesimus tricesimus-sextus bissextilis fuit, prædictúsque literis Dominicalibus, B ante bissextum, & A post bissextum. *Suscipiens autem corpus Sancti Viti Religiosus Vir Warinus Abba, habens secum turbam copiosam, tam suorum Monachorum quàm aliorum virorum, cum summa veneratione & ornatu atque omni decore Ecclesiâ exiit, tam ipse & sui, quàm Hilduwinus Abba cum suis Monachis, & omnis populus qui ad diem festum convenerat, à Monasterio Sancti Dionysii iter tendens Monasterii Rasbacensis cognomento Hierusalem. Ubi perveniens cum suis omnibus & multa turba populi comitante, honorificè custodivit ipse in loco corpus Sancti Viti Martyris usque in diem duodecimum Kalendas Junii.* Duchesnius legit *Julii*, sed legendum *Junii* rectè monet Mabillonius, ut patebit ex sequentibus, quia Beati Viti corpus Idibus Junii in nova Corbeia susceptum est.

LXVI. In itinere multa contigerunt Miracula, quorum narrationem ceteris auctiorem atque accuratiorem habet apud Mabillonium Codex Gladbacensis. *Cùm egrederentur ex Monasterio Sancti Dionysii præfato die Dominica, & illis iter agentibus, multísque ex vicinis locis turbis confluentibus, omnes qui audire poterant, obviam Sancto Martyri cum summa festinatione currere contendebant. Cumque ex diversis locis plurimi convenirent, & obviam Sancto Martyri properarent, accidit ut quædam mulier, nomine Irmingardis, quæ jam ab annis* XII *oculorum carens visu obvia procederet. Præ multitudine autem turba non valens ad feretrum, in quo Sancta Reliquia portabantur, accedere, virtute, quâ poterat, post ipsum pedetentim cœpit currere, & Dei misericordiam, ut novit, semper mente & ore non cessabat invocare, ut sibi Divina Clementia per Martyris sui merita ablatum lumen dignaretur reddere. Cernentes autem hoc viri religiosi, tam præfatus Abba, quàm alii qui simul comitabantur, quòd mulier cæca tam anhelanter post ipsos curreret, in ipso loco cum Reliquiis Sancti Martyris paululum substiterant. At ipsa veniens coram innumerabili multitudine populi corruens adoravit. Quæ mox meritis intervenientibus Beati Viti Martyris, largiente Dei misericordiâ, lumen, quo* XII *annis, ut diximus, caruerat, recepit. Omnibus namque cernentibus simúlque gaudentibus, sine duce usque ad proximam mansionem, quæ fuit in villa, nomine Mintriacus, profecta est. Adfuit maritus ejus, ceterique vicini & cognati, qui cum ipsa totam noctem insomnem in vigiliis & orationibus ac Dei laudibus duxerunt. In crastinum ergo dum iter agerent, divulgatum est hoc per itineris loca, & cœperunt undique alacri devotione dextrâ levâque occurrere. Inter quos occurrit quædam mulier, Frambildis nomine, nescientibus; à cujus manibus ablata fuerat spes propria, & facti erant digiti ejus curvi, ita ut mediis palmis fixi viderentur. Ipsa tamen cùm appropinquasset ad feretrum, invocato Sancti Martyris nomine, ad sanitatem pristinam manus ejus sunt reversæ. Sed misera hoc dum fuisset munus adepta sub silentio, nesciens Deo rependere grates, repedavit ad propria. Sed divinâ sibi reddente vindictâ, eâdem nocte, ut*

AN. CH. 836. LUDOV. IMP. 23. LOTHAR. IMP. 20. PIPPINI R. 22. LUDOV. R. 20. CAROLI R. 7.

priùs, manus ejus arefactæ sunt. Tunc illa intempestâ nocte surgens, marito, cogente necessitate, indicavit quæ fuerant gesta; quam vir suus in jumento vehens ad Monasterium Sanctæ Crucis, ubi ipsâ nocte pro corporum lassitudine quieverunt cum Reliquiis Sancti Martyris, post eos adduxit manifestans omnia quæ ei acciderant. Cùm autem appropinquarent Meldis civitatem, obvium habent Episcopum cum Clero multóque populo. Abbas etiam cum suis Monachis omnibus de Sanctæ Crucis Monasterio afferentes Reliquias cum Crucibus & cereis omníque ornatu Ecclesiæ. Suscipientes autem Reliquias Sancti Martyris, psallentes atque laudes Deo immensas agentes, in præfatum portaverunt Monasterium, ubi cum in laudibus pernoctassent, mane facto, post Missarum officia peracta, prædicta mulier iterum sanitate adeptâ veniens ante Episcopum coram omni populo cecidit ad pedes ejus, jam gratias agens veniam postulabat de commisso facinore. Post hæc reversa est sana ad propria. Inde recto tramite pergentes cùm appropinquarent Rasbacis Monasterio, obviam fuerunt Monachi cum Reliquiis & Crucibus, thuribulis accensis, flagrantibus luminaribus, omnique, ut dignum erat, decore ornati, canentes atque laudantes Deum, illud sanctum Corpus suscipiunt, & ad præfatum Monasterium cum laudibus inferunt, & ibi, ut dictum est, cum summa veneratione custodientes Reliquias Sancti Martyris, substiterunt usque in diem duodecimum Kalendarum Junii. Meldensis Episcopus erat Hucbertus; Monasterio Sanctæ Crucis, quod hodie nomen Sancti Faronis gerit, Abbas præerat Hugo. De utroque jam locuti sumus.

LXVII. *Egressi duodecimo Kalendarum Junii de Monasterio Rasbacis, Warinus Abba cum suis omnibus recto tramite partibus Saxoniæ pergentes, fecerunt mansionem in villa, cujus vocabulum est Gella Gislefridi, ibique corporis lassitudinem reficientes, in crastinum post Missarum celebrationem adfuit quædam mulier, nomine Harwildis, cæca jam ab annis quinque, quæ in adventu Sancti Martyris sana effecta est, atque quoddam itineris spatium secuta, sana remansit deinceps. Inde cœpto itinere pergentes, ad Cellam pervenerunt quamdam, nomine Augia,* id est, ad Cellam Godonis in Episcopatu Tricassino, de qua Tomo tertio [a] disseruimus, *ibique biduo subsistentes, non minimas per Beatum Martyrem Dominus dignatus est ostendere virtutes. Nam ibi duæ mulieres accesserunt carentes lumine, nomen unius Balthrudis, quæ fuit cæca annis quinque; & nomen alterius Gerlindis, cæca mensibus tribus; atque in ipso loco sanitatem recipere meruerunt. Adfuit etiam in ipso loco puerulus nomine Warinus, ferè annorum octo, qui erat ex omni parte claudus, & mox ut accessit ad feretrum, ita consolidatæ sunt bases ejus, ut coram omnibus surgeret, & thuribulum cum thymiamate vespertinali officio circum altare & per totam Ecclesiam portare valeret. Posterâ die iter agentibus in via occurrit quædam mulier ferens in humeris puerum parvulum, ut putabatur, annorum quinque, à mensibus verò quinque claudum, quæ cùm non valeret præ turba cum ipso accedere ad feretrum, propriis in terram dimisit ab humeris, & ingerens se in medio populi, tandem pervenit ad loculum, ubi corpus ferebatur Beatissimi Martyris, expandénsque super ipsum linteum, Domini cœpit pro sanitate pueri exorare clementiam, simúlque Sancti Martyris flagitare auxilium. Post hæc autem cùm reverteretur ad puerum, ipse puer sanus & lætus, qui antè portabatur maternis brachiis, propriis cœpit matri occurrere pedibus. Tunc se de illo loco moventes, cœptúmque iter tenentes pervenerunt in villam quæ vocatur Alnidus; ibique nocte illâ manserunt. Cùm autem in crastinum sol illucesceret, rursúmque iter pararent, moram illis facientibus, atque Missarum sollemnia, ut dignum erat, celebrantibus, adfuit quidam claudus utroque genu, plus autem dextro, qui penè natibus cohærebant, irrumpens turbæ medium sese inseruit virtute quâ valuit, tandémque quo modo potuit ad cancellos altaris, ubi Sanctum celebratur, pervenit. Cùm autem ferè per unam jacuisset horam & orasset, cœperunt membra ejus contremiscere, & ipse cum magno strepitu suspirare, atque simul genua diu, scilicet viginti annis, arida, in proprium vigorem redire. Cernentibus denique omnibus quod factum erat, & diu exspectantibus qualiter è terra surgeret, mox ipse, qui cum duobus venerat susten-*

[a] Ad an. 661. n. 14.

AN. CH. 836. LUDOV. IMP. 23. LOTHAR. IMP. 20. PIPPINI R. 22. LUDOV. R. 20. CAROLI R. 7.

*tatus baculis, propriis tentabat ambulare pedibus, qui cùm rogaretur à circunstantibus, ut pristinos sumeret baculos, ipsósque haberet in adjutorium, cœpit cum juramento spernere & dicere, quòd jam nollet in pristinos usus ipsos attingere, eò scilicet quia jam pleniter noverat in se Sancti Martyris virtutem perfundi, ac se firmo gressu, quò voluisset, pergere. Quæ de re cùm aliqui, ut solet, in hac ætate diffidentiam signi haberent, & diligenter inquirerent, nomenque ipsius percunctarentur, affuerunt plurimi vicini & cognati, qui eum à multo tempore claudum, & in asello victum quæritantem noverant, nomen enim ejus erat Rautfredus. Urgente igitur ipso die itinere, cùm peragrarent à loco supradicto quasi milliaria decem, & in media via paululum subsistissent, occurrerunt duæ quædam mulieres lumine carentes, quæ statim illuminari meruerunt. A loco verò illo moventes, cùm pervenissent ad mansionem prædestinatam, ibique nocte illâ quievissent, in crastinum transeuntes fluvium, cui vocabulum est Materna *, obviam fuit puella parvula, ut putabatur, annorum quatuor, cæca, quæ, mox ut accurrit, oculari meruit. Nec silendum volo, quantas ipso die Dominus virtutes meritis & precibus Beati Martyris ostendere dignatus est. In villa enim, quæ vocatur Septem-salices ** ad Vidulam quartâ supra Remensem civitatem leucâ, *cùm pro sumendo cibo paululum ipsâ die ad jumenta pabula præbenda substitissent, ipsumque sanctum Corpus in Ecclesiam misissent, venit quædam mulier, nomine Waldemia, ante Sanctum Martyrem, cæca annis multis, deprecans Dei clementiam, ibique illuminata est. Et homo quidam nomine Rancharius ipso die similiter illuminatus est, illis euntibus per viam. Quo de loco proficiscentes, ventum est ad villam quæ vocatur Summa Harna **, quoniam fonti Arnæ * fluvioli adsidet. *In initio verò noctis ejectâ plebe foris Ecclesiam, quia parva erat, & multitudo populi magna, remansit quædam mulier, nomine Geruntia, gibba atque curva ab annis* XII, *ante fores Oratorii cum patre proprio & matre. Illis enim adstantibus unàque cum ipsa misericordiam Dei implorantibus, ac Sancti Martyris merita interpellantibus, mox ipsa corruens jacuit penè exanimis, ita ut pater ejus & mater per unam propè horam exspectantes eam mortuam affirmarent. At postquàm reversa est in pristinum sensum detulerunt eam intrò ante altare, ubi Sanctum Corpus fuerat collocatum. Ibi enim totâ nocte gravem passa est dolorem. Diluculo verò post Officium Matutinale & Missarum celebrationem erecta atque sana inventa est, quæ venerat curva & gibba, & simul cum patre & matre laudes reddens usque ad proximam mansionem prosecuta est. Sed nec hoc silentio prætermittendum est, quod ipse die Dominus per Martyrem suum ostendere dignatus est. Nam quædam anus de villa supradicta, cùm à tergo curreret, fessáque, prout erat corpore marcida, reverti ad propria voluisset, licentiâ quasi non acceptâ mox figit pedem, ac immobilis ferè per horam unam stans non quivit ad propria repedare. Enimverò tentavit post Sanctum ambulare virtute quâ valuit, accurrénsque à tergo cœpit vociferari. Ad cujus clamorem omnes paulatim steterunt, ipsáque quasi exanimis cœpit denudare quod contigerat, & sic veniâ concessâ remeavit ad propria. Inde iter prosequentes venerunt super littus Axona, in villam, quæ dicitur ad Sanctum Morulum *, in Vigilia sancti diei Pentecostes. Ibi denique in crastinum moram facientes, denique Festum, simul etiam lassitudinem corporis recreantes, advenit quædam mulier in ulnis ferens puellam parvulam, necdum unius anni ætatem habentem, quæ contracto debilitabat genu, & in ipso loco recuperari meruit. Alia etiam adfuit puella eâdem die annorum quinque, quæ & ipsa erat debilis pedibus, & duæ mulieres, quæ stare super pedes minimè valebant, sed aut portando aut reptando ferebantur, unáque ex ipsis manum habebat aridam, ibique utraque sanitatem recepit, ut propriis redirent pedibus, quæ antea subibant alienis.*

* La Marne.

* Sepesaux sur la Vele.

* Somme-Arne.

* Saint Moret proche de Vouzy.

LXVIII. Hoc anno Pascha quinto Idus Aprilis, Pentecosten quinto Kalendas Junii celebravit Ecclesia. Ne quid contra Chronologiam in superiori narratione peccatum censeatur, non abs re videtur hoc loco paucis indicare, quid itineris singulis diebus confectum sit, à duodecimo Kalendas Junii, quo die discessum est è Resbacensi Monasterio, ad Vigiliam usque Pentecostes

tecostes sive ad sextum usque Kalendas Junii, quo die perventum in villam Axonæ flumini adjacentem, cui nomen inditum Sancti Moruli. Warinus igitur Abbas cùm novæ Corbeïæ tum Resbaci cum suis egressus est Resbaco duodecimo Kalendas Junii die Dominico, pervenitque ad Cellam Gislefridi. Undecimo Kalendas Junii, feriâ secundâ, è Cella Gillefridi profectus est ad aliam Cellam, quæ Cella Godonis & Augia nuncupatur. In hac posteriore Cella biduo substitit, biduum illud incomplетum sic interpretare, ut Augiam adierit undecimo Kalendas Junii, feriâ secundâ; ibi manserit decimo Kalendas Junii, feriâ tertiâ; atque inde nono Kalendas Junii, feriâ quartâ processerit ad villam Alnidum. Octavo Kalendas Junii, feriâ quintâ, ex Alnido venit ad mansionem cujus nomen reticêtur, atque in ea pernoctavit. Septimo Kalendas Junii, feriâ sextâ, transiit Matronam & Vidulam fluvios, perrexitque ad villam quæ vocatur Summa Harna, quoniam ad caput Arnæ posita. Sexto Kalendas Junii, die Sabbati, sive in Vigilia Pentecostes, iter ad ripam usque Axonæ * sive ad villam usque Sancti Moruli prosecutus est, atque in eadem villa Festum Pentecostes quinto Kalendas Junii celebravit.

AN. CH. 836. LUDOV. IMP. 23. LOTHAR. IMP. 20. PIPPINI R. 22. LUDOV. R. 20. CAROLI R. 7.

* *L'Aisne.*

LXIX. Ab illo die ad Idus usque Junias dies numerantur sexdecim, quorum spatio Corpus beati Viti Martyris è villa Sancti Moruli perlatum est ad novam Corbeïam. Mansiones singulorum dierum notatæ non habentur in posteriori parte narrationis, tres tantùm indicantur, una cis Rhenum apud Aquisgranum, duæ trans Rhenum apud Sosatum & Bracheliam. De singulis quid scriptum sit, per ordinem accipe.

LXX. *A loco præfato*, id est, à villa Sancti Moruli, sive ab Axonæ ripa, *contigit iter habere per Aquis Palatium, noctémque ibi manere, ubi multitudo magna populorum, virorum, mulierum, senum & infantium accurrere cœperunt, omnique conatu atque alacri vultu Reliquias Sancti Martyris in suis humeris gestare cupierunt, inter quos irrupit quædam mulier, nomine Edela, cæca, quæ in ipsa nocte ita meruit sanari, ut mane clarè videret omnia. Grates itaque eximias Deo reddentes cœptum iter intenderunt, cúmque inde moventes in via pergerent, famæ virtutésque per plateas, oppida & castella divulgata & narrata fuissent, cœperunt populi undique catervatim magis ac magis confluere, quorum impetum & strepitum audiens quidam cæcus bajulans pro luce tenebras, turbas nitebatur penetrare plurimas, ut ad sanctas mereretur pervenire Reliquias. Isdem denique, qui, ut ferebatur, annorum duodecim cæcus fuerat, mox ut ad feretrum accessit, lucem videre meruit. Eodem quoque loco mulier quædam habens manum aridam, sanari meruit.* Warinus è villa Sancti Moruli feriâ secundâ post Pentecosten seu quarto Kalendas Junii profectus, Aquisgranum post easdem Kalendas pervenit; quo die, sciri determinatè non potest. Tunc Ludovicus Augustus, ut ex prædictis constat, procul aberat Aquisgrano, ídque ducimus observandum, quia si per illud tempus in Aquisgranensi Palatio moratus fuisset, nec erga Reliquias Beati Martyris debito defuisset cultui, nec præcitatus Auctor insignem tanti Imperatoris pietatem omisisset.

LXXI. *Post dies aliquot*, ex quo videlicet egressi sunt Aquisgrano, *Regnum Saxonia introeuntes, ac recto calle gradientes veniunt in villam, quæ Sosat vocatur, ubi maximam multitudinem Saxonum habuerunt obviam, adeò ut incredibilis numerus videretur utriusque sexûs. Quis enim ibi non fleret præ gaudio? aut quis non exultaret pro tam devota susceptionis occursu? Tales enim & tantos comites habentes, apud villam prædictam noctem unam quieverunt, ibique quidam adolescens cum matre interfuit, qui habebat manum aridam à nativitate. Statim ut cœpit implorare Omnipotentis auxilium & Sancti Martyris subsidium, sanam habuit ut alteram. In ipso etiam loco repertus est quidam, cui omnis potestas loquendi ablata est, qui tantam sanitatem adeptus est, ut ab omnibus qui aderant rectissima audiretur resonare verba. Et mulieris cujusdam debiles pedes ipsâ nocte naturali usui restituti sunt.* Ut dies nos fugit quo Warinus Aquisgranum pervenit,

AN. CH. 836. LUDOV. IMP. 23. LOTHAR. IMP. 20. PIPPINI R. 22. LUDOV. R. 20. CAROLI R. 7.

fic & dies nos latet quo Sosatum seu Susatum * adiit, locum in Westphalia sive in Occidentali Saxonia non longè remotum à sinistra Luppiæ * ripa.

* Soest.
* La Lippe.

Prædictam tandem villam, nempe Susatum, *relinquentes, venerunt ad aliam cui nomen est Brechal, ubi multitudo magna populi adunata est, plures etiam aderant debiles & infirmi, qui cupidi erant ob infirmitatem vinculis solvi. Inter quos cùm quadam mulier advenisset, quæ habebat dexterum brachium ita contractum ab annis novem, ut nec os, nec caput posset attingere, nec ulli usui apta esset, antequàm ad feretrum accessisset, cœperunt nervi paulatim relaxari, ac vena, quæ fuerunt aridæ, sanguine repleri, cernentibus plurimis ita sanum factum est, ut in nullum curvationis signum in eo appareret. Quâ de re cùm dubitarent, testes etiam quærerentur, inventi sunt plurimi vicini & cognati. Domina etiam illius mulieris adfuit in ipso loco. Ipsâque nocte alia curata est mulier, quæ adeò erat debilitata jam annis decem, ut si quando de loco ad locum ire vellet, aut jumento veheretur, aut manibus versâ vice pro pedibus uteretur, quæ, sicut dictum est, curabatur, ut adminiculo alterius in ambulando non indigeret. Puella etiam parvula à nativitate manum habens aridam & contractam, curata est. Et muto cuidam loquela restituta est. Hactenus quæ narrantur, & alia quamplurima, quæ oculis perspeximus, & probatis testibus affirmantibus requisivimus, per spatium itineris, dierum scilicet viginti, per Beatissimum Martyrem Vitum in via gesta sunt.* Brachelia * seu Brechalia in Diœcesi Paderbornensi tribus circiter milliaribus à Corbeïa distat. Auctor prædictæ narrationis in fine textûs proximè descripti potentissimam sibi conciliat auctoritatem, ubi rerum suprà memoratarum oculatum se testem maxima ex parte prodit. Warino iter viginti tantùm dierum adscribit, initio viæ ducto ab egressu è Monasterio Resbacensi sive à duodecimo Kalendas Junii. Perlatæ sunt igitur ad villam Bracheliam Reliquiæ Sancti Viti, die Sabbati, quarto Idus Junii.

LXXII.

* Brakel.

LXXIII. Quieverunt in hac villa sequenti biduo, id est, tertio Idus Junii, die Dominico, & pridie easdem Idus feriâ secundâ, ipsis autem Idibus feriâ tertiâ delatæ sunt ad novam Corbeïam. *Tandem igitur, Christo propitio, finito cœpto itinere, Monasterium, quod Corbeïa nova dicitur, multitudine populi utriusque sexus de nobilissimo Saxonum genere nobiscum comitante, pervenimus pridie ante Vigiliam Sancti Viti quod est, Idus Junias, ubi ipsum Sanctissimum Corpus in loco congruo, ut dignum, collocatum & positum est.* Postridie Idus Junii seu decimo-octavo Kalendas Julii coincidere Vigiliam Sancti Viti testatur Beda, in suo enim Martyrologio, quod hodie genuinum habetur, decimo-septimo Kalendas Julii ponit *Natale Sancti Viti Martyris*, cique recentiotes suffragantur Martyrologi. Si varia scite cupis Miracula, quæ posteà vel hoc anno vel postero apud Corbeïam sunt edita, lege in quarto Seculo Benedictino Anonymum quo hactenus usi sumus.

LXXIV. S. LIBORII EP. CENOMANNENSIS. Eodem prorsus tempore, quo Reliquiæ Sancti Viti Martyris ad novam Corbeïam Diœcesis Paderbornensis transvehebantur, Corpus quoque Sancti Liborii Cenomannensis quondam Episcopi Cenomanno Paderbornam translatum est. Causa Translationis hæc profertur. *Quia rudis adhuc in fide populus, & maximè plebeïum vulgus* in Episcopatu Paderbornensi *difficilè poterat ab errore gentili perfectè divelli, latenter ad avitas quasdam superstitiones colendas se convertens, intellexit* Baduradus Paderbornensis Episcopus, *vir magna prudentia, quòd si præcipui alicujus Sancti illic Corpus allatum, Miraculorum, ut fieri solet, ostensione, & gratiâ sanitatem suadente, multitudo plebis inciperet venerari, & ad ejus patrocinia confluere consuesceret, nullâ re eam faciliùs ab infidelitate posse revocari, præsertim cùm verbis Doctorum de divina virtute non credentes, tamen his, quæ oculis viderent, quæ beneficiorum utilitate sentirent, fidem derogare non possent. Præterea cunctis fidelibus ibidem manentibus vel eò convenientibus magna hoc apud Deum intercessionis solatium, maximam eidem loco tuitionem & gloriam allaturum fore non dubitans, ad id obtinendum sedula cogita-*

tionis curam intendebat. Et quoniam à Deo, qui est fons bonitatis, quicquid optatur boni, & maximè rem tantam noverat expetendam, indicto jejunio, & celebratâ supplicatione publicâ, cum omnibus sibi commissis, ab ejus Clementia demonstrari sibimet postulavit, quonam ordine pro adipiscenda re desiderata deberet insistere. Unde fidem ejus benignè respiciens dignatus est ei revelare, quòd ad Cenomanicam urbem Galliæ rem diu optatam petitum ab Episcopo loci mittere deberet; ibi dandum votis effectum prosperum fore. Ex hac revelatione indubiâ spe animatus accelerare negotium studuit. Episcopus, qui præfatam urbem eo regebat tempore, Aldricus nomine fuit. Ad hunc ergo, cum consensu & præcepto Cæsaris Ludovici, nuncios destinandos elegit, ex Clero quidem suo probabiles personas, & in sacris Ordinibus religiosam vitam ducentes, necnon & quosdam laicos nobiles, quorum fidem & industriam ad tale opus idoneam noverat. Clericorum verò, quibus id negocii commendatum est, præcipuus erat quidam Presbyter Ido cognomine, qui omnem suæ profectionis Historiam, & signa, quæ in ea divinitus ostensa perspexerat, partim vivâ voce intimata, partim literis breviter annotata, ad nostram fecit venire notitiam. Verba sunt Anonymi, qui librum exaravit de Translatione Sancti Liborii, &c, ut ex Præfatione constat, inscripsit Bisoni Episcopo. Fuit autem Biso quartus Episcopus Padetbornensis, & post Luthardum proximum Baduradi successorem sedit. AN. CH. 836. LUDOV. IMP. 23. LOTHAR. IMP. 20. PIPPINI R. 22. LUDOV. R. 20. CAROLI R. 7.

LXXV. Pergit Anonymus, & Paderbornensium Legatorum adventum in urbem Cenomannicam quinto Kalendas Maias ita consignat. *Anno Dominicæ Incarnationis octingentesimo tricesimo-sexto, Indictione* XIIII, *cùm præfatus Ludovicus tertium & vigesimum in Imperio annum ageret, Legati Paderbornenses de Saxonia profecti ad urbem Cenomannicam quinto Kalend. Maii venere, insinuantésque Episcopo causam, pro qua missi fuerant, benignè ab eo suscepti, Dei nutu, ut credimus, sine mora petita impetraverunt.* Ex hoc textu non delemus annum Incarnationis Dominicæ, quem Regiis è Præceptis ac Diplomatibus rescindere consuevimus. Ratio differentiæ hæc est. Usus illis jam temporibus invaluerat, ut annus Incarnationis Dominicæ plerumque poneretur in Historiis & narrationibus, qualis est Anonymi lucubratio, nequaquam autem in Regiis Præceptis ac Diplomatibus. Apud Gobelinum in Cosmodromio numerantur hi quinque *principales* Legati Paderbornenses, *Foloda-gus Advocatus Episcopi Baduradi, Meinulphus Archidiaconus, Adelbertus Presbyter, Aldricus Diaconus, & Drudwinus Subdiaconus*, quibus addendus Ido Presbyter jam laudatus. Hoc anno, *in ipsis diebus, in quibus Purificatio beatissimæ semper Virginis Mariæ celebratur, Conventus quidem magnus, sed præcipuè Episcoporum*, ut Astronomus jam citatus testatur, *Aquisgrani convenit.* Patres hujus Concilii *per Venerabiles Fratres, Aldricum videlicet Cenomanicæ urbis & Herchinradum Parisiorum Coepiscopos, quandam schedulam quadam ex auctoritate Ministerii* sui *salutaria monita continentem* Pippino Regi direxerunt, ut in aliis ad eundem Regem literis suprà descriptis iidem Episcopi posteà significarunt. Aldricus Legatione feliciter obitâ jam redierat Aquisgranum undecimo Kalendas Aprilis, quo die Præceptum suprà quoque recitatum obtinuit à Ludovico Augusto, deinde Cenomannum reversus Legatos Paderbornenses ibi suscepit audivítque quinto Kalendas Maii seu feriâ quintâ post octavam Paschæ. Scimus quosdam reperiri Codices, qui Legatorum Paderbornensium adventum in urbem Cenomannicam non quinto sed quarto Kalendas Maii, feriâ sextâ consignant, ut Joannes Bondonnetus in Notis ad vitam Sancti Liborii jam observavit. At opinionem nostram egregiè confirmabunt, quæ per singulos dies ad Kalendas usque Maii, sive ad discessum usque prædictorum Legatorum infrà narrabuntur.

LXXVI. *Sequenti die*, seu quarto Kalendas Maias, Aldricus Episcopus *convocans omnem Clerum, præsente suo quoque Coepiscopo, David nomine, tractare cum eis diligenter cœpit, qualiter Missorum de tam longinqua regione venientium religiosis precibus decenter in hoc posset annuere, ut Sancti alicujus integros, ut petebant,*

AN. CH. 836. LUDOV. IMP. 23. LOTHAR. IMP. 20. PIPPINI R. 22. LUDOV. R. 20. CAROLI R. 7. LXXVII.

artus accipere mererentur. Erat ibidem Sanctorum Corporum magna copia, inter qua Sancti Liborii quondam Præsulis ejusdem urbis præcipuè glorificatum Miraculis habebatur insigne. Quod cùm Episcopus præfatis Nunciis dare disponeret, reniti primò cœpere plurimi, dicentes se illis pignoribus pretiosius nihil habere. Tandem vix omnium impetrato consensu præcepit jejunium observari postero die, solemnémque fieri processionem ex urbe ad Ecclesiam in qua Reliquiæ Sancti Liborii *digno cum honore* custodiebantur.

Die igitur Sabbati, tertio Kalendas Maias, *assumptis secum Sacerdotibus & cujuscumque gradûs Clericis, sacri Ministerii vestibus ornatis, Missos quoque, qui sanctos artus accepturi erant, adesse præcipiens processit ex urbe ad Ecclesiam, in qua sacratissimum beati Liborii Corpus digno cum honore conditum habebatur. Erat autem eadem Ecclesia juxta civitatem posita, & in honore duodecim Apostolorum dedicata, quam primus ejusdem Sedis Præsul, nomine Julianus, condidisse fertur. Ad hanc itaque memoratus Episcopus, denunciato priùs jejunio,* ut die præcedenti notavimus, *cum sacro illo comitatu humiliter ac devotè, ut ad tale opus decebat, perrexit, vicissim Psalmos, Litanias, Hymnósque decantans. In quam cùm ipse & plures secum, sacros artus levaturi, convenissent, mirum dictu, sensere cuncti inæstimabilis odoris suavitate totam domum repentè completam. Qui dissimilis odoramentis omnibus, quæ in terris vel naturâ vel arte fiunt, clarum cælestis cujusdam præsentiæ dedit indicium. Erant autem in eodem loco aliorum quoque membra Sanctorum, in sarcophagis honestè reconditorum, maximè Episcoporum civitatis illius. Ex quibus tunc simul cùm beati Liborii membra de tumba levata, in feretro locanda componebantur, prædictus odor nunquam defuit, quò minùs dubitaretur illi operi ministerium præbuisse, quo cœpto, inchoavit; quo finito, non diutiùs mansit. Dum hæc in Templo agerentur, foris quoque aliud signum eâdem contigit horâ. Nam mulier quædam ab annis plurimis cæca, in conspectu populi, qui satis frequens pro foribus stabat, interventu ipsius, cujus Corpus interiùs ad efferendum parabatur, lumen recepit. Et quoniam ejus tam prioris ærumnæ quàm novæ sanitatis omnes ferè qui aderant testes erant, adeò multitudinis animos res gesta commovit, ut omnes simul in laudem Dei elatâ in excelsum voce prorumperent. Quod audientes qui cum Episcopo intra clausas Oratorii januas statímque Miraculo quolibet populum in tanta gratulationis clamorem excitatum intelligentes, & ipsi pro viribus divinæ pietati gratias agere ac præ gaudio flere cœperunt. Cúmque suas utrimque voces, qui intus & foris erant, recognoscerent, uno omnes affectu mirabiliter inspirati, in tantum erupere planctum, ut vix quisquam continere lachrymas posset. Sed Episcopus videns cantum divinæ laudis fletu exigente intermissum, cœpit rursum Antiphonas & Psalmos Sanctorum gloriæ congruos cum Clero psallere, atque ita confusâ multitudinis clamorem compescuit. In ipso verò momento, priusquàm illud sacratissimum Corpus de Ecclesia, in qua sumptum est, efferretur, etiam tertio signo ejus declarata sunt merita. Denique vir quidam horribiliter longo tempore vexatus à dæmonio, & multis jam famâ tantæ miseriæ factus notissimus, quippe qui per multas Ecclesias & Monasteria ductus, nusquam suæ remedium calamitatis accepit, tandem cum matre propria veniens ad Ecclesiam, in qua sacer ille thesaurus adhuc inter Sacerdotum manus habebatur, confestim ita purgatus est, ut ne signum quidem ultrà talis pertulerit passionis. Tum verò Antistes, ne quam Nunciis memoratis moram faceret, eodem die venerandum illud Corpus cum omni reverentia suis & Sacerdotum manibus deportari fecit in urbem, ad principalem suæ Sedis Ecclesiam, ut hoc ibi coram populo his, qui accepturi erant, honorificè commendaret. Comitabantur verò, nec usquam deerant velut præsentis Dei virtutis Sanctum suum mirificantis indicia. Nam ubi primùm Ecclesia, quam diximus, illatum est, ingressus pariter quidam claudus utroque pede, & multis in hac debilitate detentus annis, mox ut caput ad orandum inclinavit, recepit integram sanitatem. Transacto deinde parvo diei spatio, mutus quidam, diurno inutilis linguæ damnatus silentio, subitò sibi vocis organa sentiens restaurata, Omnipotentis Dei misericordiam, ejúsque Confessoris & Pontificis Liborii patrocinium*

AN. CH. 836.
LUDOV. IMP. 23.
LOTHAR. IMP. 20.
PEPPINI R. 22.
LUDOV. R. 20.
CAROLI R. 7.

plano coram omnibus sermone laudabat. Sed cùm ita coruscantibus superna gratia beneficiis celeberrimus ageretur dies, postremò majori quoque Miraculo novum fidelibus gaudium, nova data est materia gratulandi. Vir quidam ab ortu nativitatis in tantùm à genibus deorsum debilitatus, ut tibia cum pedibus arefactæ, graciles & contortæ, omnem ambulandi usum penitus denegarent, in prædicta Ecclesia ante veneranda Sancti Liborii pignora deportatus est, atque illicò vivaci vigore nervis venísque infuso, & dissolutis antè compagibus solidatis, rectò gressu cæpit incedere. Quo cognito, fit ingens admirantis atque gratulantis populi circa eum concursus, certatim omnibus videre cupientibus, quod paulò antè nunquam se visuros arbitrabantur. Neque enim velut infirmis aut titubantibus vestigiis gradiebatur, sed coram omnibus, qui eum numquam anteà sanis terram plantis tetigisse noverant, celeri motu currens & exiliens, Christo Domino ejúsque Sancto Confessori gratias referebat. Agebat hoc nimirum ipse per successorem Apostolorum, qui per ipsos quondam Apostolos eodem modo claudum à nativitate simili gratiâ sanari concessit. His ita gestis, cùm inclinatâ jam die Dominicæ noctis appropinquaret exordium, præcepit Episcopus Clerum omnem ad Vigiliarum solemnia maturiùs convenire, ut his statim peractis, primo diluculo præfatis Nunciis optatum munus accipientibus, redeundi ad patriam opportunitas optata daretur. Ecclesia, in qua Sancti Liborii Corpus extra civitatem conditum habebatur, non alia fuit ab ea, quæ posterioribus seculis nomen Sancti Juliani de Prato gessit, ut apud Bondonnetum in Notis ad vitam Hamelini Cenomannensis Episcopi patet ex Charta, quam Philippus Cardinalis de Luxemburgo Cenomannensis Episcopus dedit *ad supplicationem Venerabilium ac Religiosarum Dominarum Joannæ de Crez Abbatissæ & ceterarum Religiosarum Conventûs Monasterii beatissimi Juliani de Prato prope Cenomanos Ordinis Sancti Benedicti.* Actum hac de Ecclesia Tomo primo [a] sub Innocentio Episcopo Cenomannensi, à quo restaurata & plurimùm aucta fuit. Moniales ibi tum fuisse non liquet. Tomo quarto [b] actum etiam de Adrechilde Abbatissa sub Aigliberto Cenomannensi Episcopo, præerat hæc Monasterio inter civitatem Cenomannensem & Sartham fluvium erecto, quod à Pratensi, de quo nunc inquirimus, procul dubio distingui debet. Utrique Adrechildem præfuisse contendit Bondonnetus in Notis ad vitam prædicti Innocentii Cenomannensis Episcopi, sed ut ita sentiamus, conjecturæ, quibus utitur, haud inducunt. Unum de Pratensi Basilica certum nobis videtur, omnes videlicet Cenomannenses Episcopos, qui Sanctum Domnolum antecesserunt, in ea sepultos fuisse, atque inter hos Sanctum Liborium, cujus corpus in urbem delatum & in Ecclesia Cathedrali depositum jam prosequamur.

[a] Ad an. 543. n. 9.

[b] Ad an. 686. n. 13.

LXXVIII. Postero die [illegible] Dominicus fuit, seu pridie Kalendas Maii, cum Clero *convenit pariter* ad Vigiliarum Solemnia *laicorum grandis numerus, quos ostensa priori die Miracula ad quærenda sanctorum pignorum patrocinia ingenti delectatione invitaverant. Cúmque propè finito matutinæ laudis officio, aurora ortus illucesceret, lux lucis & fons luminis illuminavit civem urbis ejusdem, qui cæcus genitus usque in diem illum coævam sibi eam miseriam tolerabat. Sed qui in Evangelio legitur per semetipsum hominem à pœna simili liberasse, hunc quoque per electum membrum suum à tenebris diuturnæ noctis eripiens ignotam priùs lucem videre concessit. Eâdem horâ eodémque in loco, id est, in Ecclesia coram Clero Divina Carmina concinente, multisque aliis fidelibus adspicientibus, arreptus quidam à dæmonio vexari miserrimè cœpit. Diu namque ab eo torqueri antè solebat, sed tum interventu ejusdem Confessoris expulso hoste nequissimo sospitatem mentis recepit, nec deinde ullum in se larvalis phantasmatis sensit horrorem. Ita illius diei exordio geminatâ lætitiâ cælitus illustrato, infinitam populi multitudinem sexûs utriusque atque omnis conditionis & ætatis, tam ex ea regione quàm ex vicinis urbibus tantorum signorum latè circumvolans fama contraxit. Celebratis verò Missarum solemniis, accelerabat Episcopus sanctum illud Corpus, his qui ad patriam*

AN. CH. 836. LUDOV. IMP. 23. LOTHAR. IMP. 20. PIPPINI R. 22. LUDOV. R. 20. CAROLI R. 7.

secum delatnri erant, commendare, ipsúmque cum bonore debito ex urbe deducere, antequàm adveniens turbarum immensitas iter eorum impediret. Ornatur itaque Clerus omnis Sacerdotalibus & Ecclesiasticis indumentis, elevatóque feretro Sanctorum pignorum in humeros Sacerdotum, sonantibus quoque signis omuium per urbem Ecclesiarum, ac praeuntibus qui Sancta ac vivifica Crucis vexilla Sanctorúmque Evangeliorum libros & sacras Reliquias in aureis argenteísque reconditoriis cum aromatibus præferebant, deducitur cum ingenti cunctorum veneratione, cum Psalmis, Hymnis, & Antiphonis in Oratorium Sancti Vincentii situm juxta portam urbis, per quam egressuri erant. Prosequebatur autem maxima multitudo plebis, sed non minor ibidem obviavit, quæ signorum rumore audito undique confluebat. Tum verò non levis oritur contra Præsulem populi querimonia, clamantibus plurimis magni se patrocinii tuitione privari, ablato à se Corpore tanti Confessoris, cujus intercessione solerent ab omni adversitate muniri; hoc suæ regionis unicum post Deum fuisse tutamen, hunc honorem maximum, hanc gloriam singularem; timere se meritò posse, ne translatis ejus venerandis artubus pariter nominis ejus in brevi veneratio memoriáque neglecta indignos eos ipsius interventu apud Dominum faceret; arbitrari sese Pastoris officio potiùs convenire Sanctorum pignora ad munimentum gregis sibi commissi undecunque adquirere, quàm eorum quæ haberent pretiosissima quaque in alias mittere nationes. Commotus aliquantùm his vocibus Antistes, & maximè lamentantis turbæ acclamatione, tandem facto silentio, populum in eadem Ecclesia Sancti Vincentii breviter allocutus est. Non est, inquiens, æquum, fratres, quenquam vestrum putare me in tantùm aut commissæ mihi solicitudinis, aut vestræ simul meæque salutis oblitum, ut hæc nostri perpetualis Patroni pignora sine certa ratione ex hoc loco transferri permitterem. Si enim cùm apud nos Sanctorum Corpora Deo miserante satis abundent, illi populo, qui nuper ad fidem vocatus, & eorum aut parum aut nihil penitus habens, à nobis hujus suæ necessitatis solatium humiliter postulat, omnino assensum præbere dedignamur, fatendum est nos Evangelici Apostolicique præcepti contemptores, contra jus charitatis fraternæ, claudere à fratribus viscera nostra. Absit verò hic error procul à cordibus vestris, ut putetis electos Dei jam cum ipso regnantes, ibi tantùm, ubi corporaliter eorum habentur Reliquiæ, intercessionis suæ præstare beneficium posse. Quin potiùs credendum, ejus patrocinium in hac Ecclesia, quam in carne positus fideliter rexit, & in qua finem vitæ mortalis accepit, omnibus piè quærentibus in perpetuum non defuturum. In illo enim populo noviter ad Deum converso novos sibi servitores & veneratores acquiret, ad quos corporali præsentiâ suorum pignorum accedet, sed à vobis spiritalis ejus protectio nunquam recedet. Sciendum quoque quòd Serenissimus Imperator idipsum fieri præcepit. Cujus quicunque potestati resistit, Dei nimirum ordinationi resistit. Præterea luce clariùs ostensum est Dei pariter & hujus ipsius Sancti Patroni nostri Liborii placere voluntati, ut ad illam, in qua cum summo cunctorum desiderio expectatur, regionem adveniat. Quod si non ita esset, ab inchoato heri istius Translationis exordio usque ad hanc horam tanta nequaquam Miracula coruscarent. Cùm enim placatus potiùs quàm iratus Deus dona cælestia largiatur, quisnam existimare potest, quòd si hoc opere offenderetur, tantis illud signorum beneficiis illustrasset? Quocircà, fratres, ab hac intentione desistite, ne divinæ dispositioni comprobemini palàm resistere voluisse. Cùm his & multis aliis admonitionibus, & maximè Dei nutu sedata plebis commotio quievisset, præcepit Pontifex eos, qui per totum biduum à variis debilitatibus seu ab immundis spiritibus liberati fuerant, in unum congregatos ad conspectum multitudinis noviter advenientis adduci, ut eorum omnem & pristinæ calamitatis & novæ reparationis Historiam pandens divinam clementiam faceret ab omnibus unanimiter collaudari. Ubi primùm verò populus coadunatum illud recèns sanatorum agmen adspexit, & quos nudiustertiùs diversis passionibus affectos jam tunc sanissimos esse cognovit, subitò ex omni parte infinita multitudinis vox magna gratulationis exoritur. Nec datur ullus Episcopum loquentem audiendi locus, sed nemine tacente, nemine alium expectante, pro se quisque quâ poterat Deum voce laudabat.

AN. CH. 836. LUDOV. IMP. 23. LOTHAR. IMP. 20. PIPPINI R. 22. LUDOV. R. 20. CAROLI R. 7.

Cúmque etiam Clerus, Episcopo incipiente Hymnum, [Te Deum laudamus] & quædam alia tantæ lætitiæ convenientia decantaret, immensæ illius jubilationis sonus inexplebili supernæ laudis delectatione in longum diei spatium protelatus est. Quo tandem finito, advocatis Badaradi sæpè memorati Episcopi Missis, beatæ memoriæ Aldricus Antistes pretiosissima illa, quæ suprà diximus, pignora coram omni Clero & populo commendavit sub obtestatione gravissima, ut cum digno semper honore tractarentur, nec eis unquam omnis reverentia cultûs Ecclesiastici à quolibet Episcopo Paderbornensi & Clero suo quolibet tempore subtraheretur. Dehinc inter utriusque Ecclesiæ, Cenomanicæ videlicet & præfatæ Paderbornensis, Congregationes firmatâ charitate perpetua fraternitatis, ad patriam eis redeundi licentiam dedit. Quæ proximè sequuntur, ad posterum diem pertinent. Porrò Vincentini Monasterii quod in suburbio Cenomannensi constructum, dicatum ac dotatum fuit à Sancto Domnolo Episcopo Cenomannensi, *Basilicam & alia ædificia restauravit* Sanctus Aldricus, *unde ipsius fundator minùs principalis habetur & colitur,* ut testatur illius loci Compendium Historiale manuscriptum, quod citare consuevimus. Atque inde genuina patet ratio, cur idem Aldricus Sancti Liborii Reliquias, priusquàm in potestatem Paderbornensium Oratorum traderentur, ex Ecclesia Cathedrali in Basilicam Vincentinam deferri voluerit. Ante quadriennium [a] refutavimus fabulam de Sancto Meinulpho, *quòd in Ecclesia Sancti Vincentii Cenomanensi*, cùm illic essent Reliquiæ Sancti Liborii, *vovit Monasterium Sanctimonialium fundare in honore Beatæ Mariæ & Sancti Liborii in loco qui dicitur Bodicon.*

[a] Ad an. 832. nn. 18. & seqq.

LXXIX. Feriâ secundâ seu Kalendis Maiis, Legati Paderbornenses acceptis Sancti Liborii Reliquiis viæ se commiserunt, ut Paderbornam redirent. Illorum iter è suburbio Cenomannensi Carnotum usque sic describitur. Aldricus Cenomannensis Episcopus *unà cum multitudine* Nuncios Episcopi Paderbornensis *extra civitatem aliquandiu prosecutus, cum paucis suorum rediit, quoniam à tam glorioso comitatu vix quisquam nisi invitus separabatur. Et illi quidem, annuente perspicuâ Dei Clementiâ, voti sui se compotes effectos summoperè gratulantes, Kalendis Maii ab urbe Cenomanica profecti cum omni studio ad patriam festinare contendunt. Prædictâ die juxta locum vulgò Pontleuva * nominatum securus eò quidam ex familia pertinente ad servitium Ecclesiæ ipsius Sancti Liborii, quem & sensum audiendi & sermonis usum nunquam habuisse magna pars populi noverat, dominum suum ut sui misereretur, quia voce non poterat, gemitu & lachrymis precabatur. Cúmque crebrò caput inclinatum, expansæ manus, levati modò ad cælum, modò ad sacrum feretrum oculi, satis internum ejus affectum indicarent, nec jam præ lassitudine sequi longiùs posset, tandem à pœna secum genita relaxatus eo primùm die cœpit & audiri loquens & loquentes audire. Inde cœpto itinere properantes, cùm ad Ecclesiam quandam Sancti Medardi * memoriâ celebrem propinquarent, ibi in via quædam mulier à longa infirmitate curata est. Hinc ad Basilicam Sancti Symphoriani * advenientes ibidem sunt recepti hospitio, ubi noctem illam splendor pietatis divinæ clarè fecit illucescere. Nam fœmina quædam diu malignorum spirituum se vexantium miserabile receptaculum facta, ad sæpè memorati Confessoris implorandum pro ea suffragium, in Ecclesiam adducta est. Finitis verò matutinis ex more Vigiliis, cùm facto jam silentio plebs egressura esset, cœpit subitò horrorem diræ vocis emittere, ululare, mugire, sibilare, ac per omnia belluinos imitari sonos, ut nisi præsens videretur, nihil minùs quàm mulier putaretur. Terrore cuncti qui aderant, simul & miseratione permoti, teneri eam, & ad Sanctorum feretrum propiùs invitam trahi fecerunt. Deinde unanimes pro illa preces fundentes citò exaudiri meruerunt. Denique statim à dæmonum violentia liberata, sobriâ mente ac voce gratias & laudes Deo referens, euntes eos inde diu cum populo sequebatur. Exinde festinato cursu Monasterio Sancti Sulpitii appropinquantes, vident eminus adduci medicum quendam in vehiculo, qui miserabiliter toto penè contractus corpore fuit. Nam & pollices utriusque manûs erant in medium palmarum incurvati, & reliqui digiti supra ipsos pollices extensi ita eos stringe-*

* Pontlievë.

* S. Mars de la Brière.

* S. Symphorien de Conneray.

AN. CH. 836.
Ludov. Imp. 23.
Lothar. Imp. 20.
Pippini R. 22.
Ludov. R. 20.
Caroli R. 7.

bant, ut ungues radicibus palmarum hærerent infixi. Reliquum corpus adeò velut in sphæram rotundam videres, ut genua pectori, summitates pedum renibus jungerentur. Sed quantò ejus fuerat miserabilior pœna, tantò secuta est mirabilior medicina. Intervenientibus namque beati Liborii meritis, cujus opem integrâ fide implorabat, erectis in momento ac sanatis omnibus simul membris prosilit de parvo illo quo vehebatur curriculo, & celeriter ad loculum sacri Corporis currens ibidem se in terram prostravit, cum ingenti affectu corde simul & ore gratias agens. Pergentes verò ad Ecclesiam quandam in honore Sancti Petri Apostoli dedicatam, subitò dæmoniacum, qui eos aliquandiu sequebatur, conspiciunt in via media cecidisse. Ad quem erigendum cum aliqui ex plebe cucurrissent, jacuit omnino sine motu aliquo, ut ab omnibus esse mortuus non dubitaretur. Post paululum tamen erectus ad sedendum, cœpit sensim quasi reviviscere, & sequenti die coram populo laudes Salvatori suo rependens sanus apparuit, ac si nunquam à maligno spiritu fuerit vexatus. Proinde cùm tantis divinorum beneficiorum donis velut cælestibus radiis micantem viam læti carperent, quæ plùs quotidie gaudii quàm fatigationis offerret, contigit ut ad civitatem Carnotensem satis amplam & populosam devenirent. Cujus urbis Episcopus, Bernuinus nomine, jam tunc ætate simul & moribus valdè maturus collectis ex more Presbyteris eo tempore Synodum in urbe celebrabat. Cui cùm nunciatum esset, qualiter & quo ordine assumptum Cenomanis Corpus præfati Confessoris sua jam urbi appropinquaret, statim cum omni illo sacro Sacerdotum Collegio totóque Clero suo & populo processit in ejus occursum, atque cum Hymnis & Canticis spiritalibus illud devotissimè extra urbem longè progressus excepit, jussítque ut deferretur per viam, quæ ducit extra muros civitatis ad Oratorium, in quo Sancti Carauni membra requiescunt. Cúmque catervatim sequenti grandi multitudine ad memoratum locum honorificè duceretur, sonantibus signis per totam urbem, & populo excelsâ ad Deum voce proclamante, ut tantam sibi gratam esse devotionem Dominus declararet, multa ibidem per Beatum Liborium fieri signa concessit. Ex quibus unum præcipuum hoc loco memorare decrevimus, reliqua vitandæ prolixitatis causâ intermittentes. Puella, quæ ab exordio miserandæ nativitatis, membris ferè omnibus curva, & velut in globum contorta, nunquam vel mentum à genibus levare, vel plantas pedum à femoribus removere valebat, ante loculum Sanctorum cinerum deportata, singulorum officia membrorum cum integerrima sanitate suscepit. Sed quoniam brevis illa vestis, quâ contractum priùs corpusculum facilè tegebatur, jam erectè stanti non sufficiebat, quin ex parte nuda videretur, citissimè fideles quique (nam res in Ecclesia coram Clero & populo gesta est) raptis fœminarum faciterguliis eam contexêre, donec allatis sibi congruis indumentis vestiretur. Præerant Ecclesiæ Carnotensi Bernuinus seu Bernoinus aut Berninus Episcopus ab annis undeviginti, Monasterio Sancti Carauni Dionysius Abbas ab annis septem ac triginta.

LXXX. Nuncii Paderbornenses ibi, id est, in Cœnobio Sancti Carauni, cum spiritali lætitia noctem transigentes, primo mane optatum iter arripuere. Appropinquantes verò Parisiensi civitati ab Episcopo loci illius Ercanrado nomine, omníque populo ultra pontem stratum super Sequanam fluvium occurrente suscepti, & in principalem ejusdem urbis Ecclesiam deducti sunt. Erat autem dies Dominica. Cúmque Missarum ibidem solemnia celebrarentur, deducebatur in medium fœmina quædam de vicinia ejusdem loci oriunda, quæ cum pœna gravissima nata, in eadem præteritum vitæ suæ tempus exegerat. Muta enim à nativitate & surda, tertio insuper tormento subjacebat, quòd videlicet mente capta, spiritu agitabatur immundo. Hæc in conspectu omnium ad Missas circumadstantium vehementer anxiari cœpit & sudare, postremò in pavimentum ivit. Post celebrationem Mysteriorum ad mansionem deportata est, & ad vesperum rursus in Ecclesiam delata. Ibi cum multis aliis pernoctabat. Statímque ut albescente polo roseum auroræ jubar illuxit, lux magna misericordia Dei, effugatis ab ea tenebrosis tortoribus, & auditûs illi & vocis facultatem condonavit. Obstupuere magnoperè cuncti qui aderant, videntes eam in uno momento ita immutatam, ut & vacua esset à dæmone quo plena erat,

& ple-

AN. CH. 836.
LUDOV. IMP. 23.
LOTHAR. IMP. 20.
PIPPINI R. 22.
LUDOV. R. 20.
CAROLI R. 7.

& plenum haberet membrorum officium quo vacua fuerat. Oratores igitur Paderbornenses cum beati Liborii Reliquiis in Monasterii Sancti Carauni prope Carnotum quarto Nonas Maii feriâ quintâ suscepti sunt, & feriâ sextâ seu tertio easdem Nonas inde digressi Parisios, priusquam solennia Missarum celebrarentur, ipsis Nonis, die Dominico pervenerunt, ibique reliquum diem transegerunt honorificè habiti ab Episcopo Parisiorum Erkanrado Secundo seu Juniore.

Postridie Nonas Maii, feriâ secundâ, Parisiis egressi rectà contenderunt ad Rhenum, eóque trajecto fines Saxonum non procul remotos adierunt octavo Kalendas Junias, & *iter accelerantes, tandem die tertio, id est, quinto Kalendarum Juniarum, quo tunc sacra Pentecostes solennitas agebatur, ad desideratam diu Paderbornensem Ecclesiam pervenerunt. A qua cùm adhuc tribus distarent millibus, juxta fluvium quendam Hedraha vocatum, ob immensam multitudinem, quæ usque ad memoratum locum sequi non poterat, in medio campo Missarum celebravere solennia. Quæ antequàm finirentur, in eodem loco quinque pariter homines à variis debilitatibus liberati causam immensæ admirationis & lætitiæ tantam Dei virtutem videnti populo præbuere. Insuper eâdem horâ in sæpè memorata Paderbornensis Monasterii Ecclesia, cui talis gloria decus per tanta terrarum spatia afferebatur, contigit quoddam clarum valdè Miraculum, velut insigni præconio Beati Liborii adventum annuncians. Nam puer quidam de eadem oriundus Parochia, qui à die nativitatis suæ surdus erat & mutus, ibidem auditum pariter percipere meruit & loquelam. Agebat hoc nimirum Divina dispositio, ut in die adventûs ipsius tot signa coruscantia indicio essent, eundem locum ad hoc fuisse cælitus electum, ut tanti Confessoris Corpore illustraretur. Quod cùm innumeris undique stipatum turbis Monasterio paulatim appropinquare cœpisset, Episcopus quidem nequibat occurrere, nam apud Palatium tunc morabatur*, id est, in Theodonis villa, ubi Ludovicus Imperator Missos Lotharii mense Maio suscepit, *sed tamen Clerus omnis cum universis Ecclesiastici cultûs ornamentis processit obviam, sequente populo, qui vel de longinquis venerat, vel ex eodem oppido & vicinis locis illuc ad audienda Missarum solennia in tanta festivitate fuerat congregatus. Cúmque sibi non parvo ab oppido intervallo uterque populus, sequentium videlicet venerabile Corpus atque excipientium, obviasset, hi qui occurrerunt, ter cuncti simul solo prostrati, summa illud cum veneratione susceperunt. Cúmque Clerus in hymnis & confessionibus Deum benediceret, & spiritualium Carminum melodiam Sanctorum laudi congruam concineret, populus verò Kyrie eleison ingeminaret, cum ineffabili jubilo erectis ad Deum mentibus singulorum, nihil ejus laude dulcius videbatur. Itaque cum sensim magis ac magis in altum sublata populi voces attollerentur, etiam circumquaque gaudentium, psallentium, Deo gratias agentium & jubilantium, illi in voce exultationis per totam viciniam sonitus intonarent, cum tali honore sacratissimum Corpus in Ecclesiam delatum, & in loco, in quo hactenus requiescit, collocatum est.* Inscripsit hic Auctor opus suum Bisoni, qui quartum in Paderbornensium Episcoporum Catalogo locum obtinet. Prævios, quos sequeretur, testes oculatos habuit, Idonem Clericum Paderbornensem & Erconradum Cenomannensem Diaconum, de quibus sic Gobelinus in Cosmodromio [a]. *Quidam Clericus Ecclesiæ Paderbornensis, Ido nomine, conscripsit Miracula, quæ vidit in Translatione Sancti Liborii, & habentur scripta in Ecclesia Paderbornensi supradicta. Et Erconradus Diaconus Ecclesiæ Cenomanensis scribit eadem Miracula, prout ea se vidisse testatur.* LXXXI.

LXXXII. Joannes Bondonnetus in Notis ad vitam Sancti Pavacii Paderbornense [b] Chronicon ejusdem Gobelini sic allegat. *Anno Ludovici Pii 23 translatus est Sanctus Liborius & Sanctus Valerinus de civitate Cenomanica Galliæ.* Et librum tertium [c] Verneri Rolevinckii *de situ & moribus Westphalorum*, sic. *Benedictus quoque Baduradus secundus Episcopus Paderbornensis Divinâ revelatione confortatus solenniter transtulit Corpora Sanctorum, Liborii, Pavacii, Turibii, Gundanisoli, Episcoporum Cenomanicæ civitatis ad suam Ecclesiam cum*

[a] Æt. 6. c. 41.
[b] Cap. 9.
[c] Cap. 8.

AN. CH. 836. LUDOV. IMP. 23. LOTHAR. IMP. 20. PIPPINI R. 22. LUDOV. R. 20. CAROLI R. 7.

multa gloria Miraculorum. Item vetus Flotarium Sanctorum, sic. *In Paderborna, depositio Sanctorum Episcoporum & Confessorum Cenomanensium, Pavacii, Thuribii & Gundanisoli.* Præter Sanctum Libotium alios quoque Cenomanenses Episcopos, Pavacium, Turibium, Gundanisolum & Valerinum, Paderbornam translatos affirmant hi Scriptores. At ut refragatur, sic & prævalet pervetustus Anonymus, cujus narrationem suprà recitavimus. Imò nec totum Sancti Liborii Corpus Nunciis Paderbornensibus ab Aldrico Cenomannensi Episcopo datum est, in Monasterio enim de Prato prope Cenomannum nonnullæ ejusdem Sancti Liborii Reliquiæ, sicut & Sanctorum Turibii, Pavacii ac Romani, hodiéque servantur, easque sexto Kalendas Augustas anno Christi millesimo sexcentesimo quinquagesimo conspectas à se testatur prælaudatus Bondonnetus[a] Carlotâ *de Miée de Guespray* Pratensi tunc Abbatissâ. Totum Sancti Liborii corpus in Saxoniam delatum non fuit, sacrarum exuviarum partem non modicam sibi servarunt Cenomannenses, & Aldricus Cenomannensis Episcopus dextrum Sancti Liborii Brachium in Basilicam Sancti Salvatoris apud Cenomannum anno sui Pontificatûs octavo, Redemptoris octingentesimo quadragesimo, Indictione tertiâ, post Ludovici Pii mortem, septimo Idus Julii transtulit, ut pervetus testatur Anonymus in ipsius Aldrici Gestis capite quadragesimo-quinto, quod apud Baluzium libro tertio Miscellaneorum, si lubet, per antecessum consule. Idem Auctor cum dextro Sancti Liborii Brachio Corpus quoque Sancti Pavacii translatum affirmat. Hæc autem cum prædictis facilè possunt ita conciliari. Cenomannensibus ad eorum consolationem partes non exiguæ de Corpore Sancti Liborii relictæ sunt, & illarum loco partes de Corporibus aliorum Sanctorum traditæ sunt Paderbornensibus, ideóque per Saxoniam disseminatum est non tantùm Sancti Liborii, sed etiam aliorum complurium Sanctorum integra Corpora Cenomanno Paderbornam fuisse translata.

[a] In Not. ad vit. Hamelini Ep.

LXXXIII. Tunc ad muros Cenomannenses in Ecclesia Pratensi quiescebant alia Sanctorum Corpora non pauca, nec assentiri possumus Antonio Corvaisiero[b], qui vult ea, ne venirent in manus Nordmannorum, ab Aldrico Episcopo delata esse in Ecclesiam Cathedralem, è qua post biennium translatus sit in Westphaliam Sanctus Liborius. Illam complurium Sanctorum Translationem Joannes Bollandus anno Redemptoris octingentesimo tricesimo-quarto factam negat, censetque potiùs rejiciendam in annum Redemptoris octingentesimum tricesimum-sextum, quo Translatio Sancti Liborii rectè consignatur. *Non ergo*, inquit apud Bondonnetum[c], *quod scribit Courvaserius, jam anno octingentesimo trigesimo-quarto translata erant Sanctorum Juliani, Thuribii, Pavacii, Liborii, Romani, Treneftina, Adrechildis, Hadoindi Corpora, sed fortassis eodem anno octingentesimo trigesimo-sexto.* In opinionem Bollandi lubenter imus cum Bondonneto, & Sancti Juliani aliorúmque Sanctorum Translationem, quam Cenomannenses quot annis octavo Kalendas Augusti piè recolunt, eodem quo privatam Sancti Liborii Translationem anno peractam arbitramur. In Translatione Sancti Liborii, per illud triduum, quo Reliquiæ ex Pratensi Basilica in Cathedralem atque ex hac in Vincentinam, tum in viam delatæ sunt quà Cenomanno Carnotum itur, tot coruscarunt Miracula, tantáque Cenomannensium pietas illuxit, ut Aldricus Episcopus adhuc à Deo plura grandioráque Miracula ferventiorémque plebis erga suos Patronos cultum speraret, si cetera Sanctorum Corpora, quæ extra muros civitatis in Pratensi Basilica quiescebant, in urbem atque in ipsam Cathedralem Ecclesiam deveherentur. Hoc igitur anno, Kalendis Maiis Nuncii Paderbornenses in Basilica Vincentina Cenomannensis suburbii, Reliquias Sancti Liborii, solenniter illuc ex Ecclesia Pratensi delatas, in Saxoniam transferendas acceperunt, & proximo mense Julio sive octavo Kalendas Augusti, complurium Sanctorum,

[b] In Ep. Cenomann. 23.

SS. JULIANI, THURIBII, PAVACII, ROMANI, TRENESTINÆ, ADRECHILDIS, ET HADOINDI.

[c] In not. ad vit. Aldrici Ep.

AN. CH. 836. LUDOV. IMP. 23. LOTHAR. IMP. 20. PIPPINI R. 22. LUDOV. R. 20. CAROLI R. 7.

nempe Juliani, Thuribii, Pavacii, Romani, Treneſtinæ, Adrechildis, & Hadoindi Corpora è Baſilica Pratenſi in Cathedralem ab Aldrico Epiſcopo tranſlata ſunt. Antequàm Cenomannia Francis pareret, floruerunt Sancti, Julianus, Thuribius, Pavacius, & Romanus. Cenomannenſium Epiſcopi fuerunt antiquiſſimi, Sanctus Julianus, Sanctus Thuribius, & Sanctus Pavacius. Sanctum Julianum vel patruum vel avunculum habuit Sanctus Romanus. De Sanctis Abbatiſſis Treveſtina & Adrechilde actum Tomis primo & quarto, ut de Sancto Hadoindo Epiſcopo Cenomannenſi Tomis ſecundo & tertio. In Breviario Cenomannenſi nulla fit ad hanc Tranſlationem mentio Nordmannorum, quia procul ab Oceano, à Friſia, & à Moſa diſtat Cenomannia.

LXXXIV. S. Philiberti, Ut Corpora Sanctorum, quæ extra muros civitatis Cenomannenſis in Pratenſi Baſilica quieſcebant, in ipſam urbem propter incurſiones Nortmannorum tranſlata inficiamur, ita Sanctum Filibertum propter eaſdem incurſiones hoc anno ex Hero Inſula tranſlatum aſſerimus. In Chronico enim Engoliſmenſi hæc leguntur. DCCCXXXVI. *Sanctus Filibertus VII Idus Junias Hero Inſulà effoditur & transfertur.* Hujus Tranſlationis & tempus & cauſam fuſiùs ſic exponit Ermentarius. *Anno Incarnationis Domini ac Redemptoris noſtri Jeſu Chriſti octingenteſimo trigeſimo-ſexto, Indictione quartâ-decimâ, Ludovico verò Glorioſiſſimo Imperatore viceſimo & tertio Regni ſui anno feliciter imperante, filiiſque ejus Lothario Italiam, Pippino Aquitaniam, Ludovico quoque Noricam, divinâ protegente Clementiâ, regentibus, Hilbodo etiam Venerabili Abbate gregem præfati Confeſſoris Chriſti Filiberti, Domino favente, ſecundùm Regulam Sancti Benedicti gubernante, cujus juſſu ego, non dico operibus, ſed etiam verbis omnium ſuorum infimus Monachorum hæc narranda ſuſcepi. Cùm repentini atque intempeſtivi, veluti dictum eſt, Nortmannorum minimè ceſſarent occurſus, prædictus Pater Hilbodus, qui propter ipſam perfidam gentem in memorata Inſula Caſtrum condiderat, unà cum conſilio fratrum ſuorum Regem adiit Pippinum, ſuggerens ejus Celſitudini, quid ſuper hoc decernere vellet. Tunc verò glorioſus Rex ſuique Optimates (generale ſiquidem Regni ſui Placitum exiſtebat) iſtiuſmodi rem ſolerti curâ pertractantes, nequaquam ibi auxilium pugnandi aſſiduè adminiſtrari poſſe repererunt, ſcilicet quia ipſa Inſula ledonibus* ſeu maris æſtuationibus *maximè impedientibus, non ſemper acceſſibilis eſſe poteſt noſtratibus, cùm Nortmannis cunctis temporibus, quibus mare tranquillatur, inacceſſibilis eſſe minimè dinoſcatur. Sed elegerunt reverà quod ſalubrius eſſe judicaverunt. Annuente quippe Pippino Sereniſſimo Rege, pari conſenſu omnes fermè Aquitanicæ provinciæ Epiſcopi, Abbates, Comites, ceterique fideles qui illic adfuerunt, inſuper & alii quamplures, qui hoc ſcire potuerunt, decreverunt multò melius fore beati Filiberti Corpus inde transferri debere quàm ibi derelinqui. Quod effectum eſſe conſtat anno Incarnationis Domini noſtri Jeſu Chriſti ſupraſcripto.* Hic Auctor tres tantùm Ludovici Pii filios, Lotharium videlicet, Pippinum ac Ludovicum, Reges appellat, nec ullam Caroli mentionem facit, quia Ludovicus Imperator filios ſuos, Lotharium, Pippinum, ac Ludovicum, miſit in varias Franciæ provincias, ad quarum regimen illos in conſortium Regiæ Dignitatis adſcivit, Carolum autem in ſuo ſemper retinuit comitatu, quamvis eum Regii quoque Tituli participem à ſeptennio conſtituerit. Aliam rationem non reddit ipſemet Ermentarius ad Hilduinum Abbatem. *Nomen*, inquit, *Caroli glorioſiſſimi Regis noſtri idcircò in Miraculorum Præfatiuncula inter fratres tacetur, quia quando hæc geſta fuerunt, in aula Regia puer nutriebatur, erudiebatur, inſtruebatur.*

LXXXV. De Hero Inſula & de cauſa prædictæ Tranſlationis Falco quoque Trenorcienſis Monachus in Trenorcienſi Chronico ſic ſcribit. *Magnanimus Hilbodus, qui poſt Arnulfum, undecimo anno poſt obitum Caroli Magni*, id eſt, anno Redemptoris octingenteſimo viceſimo-quinto, *prædictæ Inſulæ ſuſceperat Abbatiam, ad eorum frequentes repellendos impetus arcem ingentis conſtru-*

AN. CH. 836. LUDOV. IMP. 23. LOTHAR. IMP. 20. PIPPINI R. 22. LUDOV. R. 20. CAROLI R. 7.

xit fortitudinis ad totius Insulæ munimentum, quam vallo præmuniens opportuno, competens visus est eidem habuisse præsidium. Quibus expletis Pipino Regi Aquitanorum ad custodiendum eam commendare voluit, sed Rex hac de causa suscipere renuit, quoniam cùm tempus defensionis aliquando forsitan necessarium imminens exigeret, posset utique ob solitum maris effusionem introitus intercludi. Quocircà Abbatis Castrum idem cura custodiendum dimisit. Et quanquam super eo Abbatis suorúmque pervigil non deesset sollicitudo, effera tamen gentis frequens irruptio non cessabat. Cujus frequentes impetus Monachi in præfata Insula degentes, ferre non valentes, venerabile Beati Philiberti Corpus efferri à tumulo, & cum insigni Reliquiarum varióque ornamentorum thesauro aliò inde transferri delegerunt, secundùm Dominicum præceptum. [*Si vos persecuti fuerint in ista civitate, fugite in aliam.*] *Quod ne temerè vel inconsultè facere viderentur, Pipini Regis Aquitanorum omniúmque comprovincialium Procerum super his priùs consilio perfruuntur.* Quanto in periculo versaretur Herus Insula, Chronographus Engolismensis brevissimè quidem sed manifestissimè præ ceteris Auctoribus docet, cùm res hoc anno præcedentique biennio gestas sic perstringit. DCCCXXXIV. *Mense Junio Herus Insula à generali Monachorum habitatione destituitur.* DCCCXXXV. *Hero Insulâ Rainaldus* XIII *Kal. Sept. cum Normannis congreditur.* DCCCXXXVI. *S. Filibertus* VI. *Idus Junias Hero Insulâ effoditur & transfertur.*

LXXXVI. Ipsam Translationem Ermentarius stylo fusiori, Fulco longè breviori descripsit. Uterque publicatus est à Petro Francisco Chiffletio Societatis Jesu Presbytero inter probationes Historiæ Trenotciensis, & recusus à Luca Dacherio & Joanne Mabillonio in quarto Seculo Benedictino. Iter ab Hero Insula habitum est ad Deas Monasterium per Ampennum, Varennas & Palum. Fulconem audi. *Beatus Philibertus die primo ad Ampennum suam delatus est villam, quo videlicet die, tribus qui aderant meruerunt ibidem lætificari Miraculis. In præfato loco diebus tribus emensis ad locum qui Varinnem vocatur deveniunt, unde nocte transactâ egredientes veniunt ad villam cui Palus nomen est, à quâ alterius spatio noctis exacto exeuntes ad Deas suum Monasterium gloriosa pignora detulerunt.*

LXXXVII. Plura ex Ermentario non injucundum erit haurire, servatis locorum dierúmque intervallis. *Suffosso igitur septimo die Junii mensis sepulturæ loco cum ipso venerabili tumulo, elevatur cum laudibus Sanctissimum Corpus, ponitur in navi Circio flante, cursu citissimo fertur ad portum qui Furca vocatur. Inde verò Sacerdotum, Levitarum simul ac Monachorum humeris elevatum ad Ampennum suam defertur villam, atque in Ecclesia collocatur.* Ibi tria post illationem Reliquiarum patrata sunt illo die Miracula. Sanitatem enim recuperarunt, *Dominicus ipsius Sancti servulus, cujus vires quartana febris anno uno & dimidio ita extenuarat, ut vix baculo innitens incedere valeret; puella, Aigrada nomine, ejusdem Sancti famula, quæ dextri lateris pariter & cruris officio ita debilitata erat, ut nec rectum iter conficere, nec quidquam utilitatis agere posset;* & *alia puella quinquennis, quæ nec sedere nec ambulare, veluti ejus ætas deposceret, umquam poterat.* Sequenti die, sanati sunt *Baldradus annos ferè quadraginta gerens ætatis, cui diuturna ægritudo & molestissima lippitudo per viginti spatia annorum lucis hujus subtraxerat visum; Baldoenus,* qui *dextri oculi lumine* privabatur; & *Audrudis annos circiter nata triginta, quæ dextrum brachium ita gerebat inutiliter, ut plus sibi esset oneri quàm honori, non enim manum ad os mittere, nec se Crucis munire valebat signaculo.* Tertio die, sospitatem adepti sunt multi febricitantes, atque inter hos *Dummericus, Morilena, Siclitrudis & Sicliberta.* Hæc in Ampenno.

LXXXVIII. * Mabill. *Varenna.* Ab hac villa *tenditur ad locum, qui Varinna * vocitatur.* In itinere tres muti locutionem recipiunt; incolumitati redditur puella, quæ manum gerebat aridam; sanitatem plenissimam adipiscitur fœmina priùs utroque pede contracta & ulceribus plena; puer decennis liberatur à morbo comi-

tiali. Testatur Ermentarius oculatum se testem tot Miraculorum fuisse. AN. CH.
Sic enim scribit capite decimo. *Tenditur ad locum qui Varinna vocitatur, juxta* 836.
quem fixis tentoriis noctem illam transegimus. Capite undecimo, sic. *Cùm à* LUDOV.
prædicta villa Ampenno longiùs discessum esset à nobis, atque Officium sexta hora IMP. 23.
persolveremus. Et capite duodecimo, sic. *Hinc progressi, cùm jam iter ma-* LOTHAR.
xima ex parte transmissum haberemus, iterum parumper requievimus. Et paulò IMP. 20.
pòst. *Hoc celebrato Miraculo abhinc quoque recedimus, & ad locum memoratum* PIPPINI
accedimus. R. 22.

Sequenti die, *cùm Aurora tenebras*, inquit idem Ermentarius [a], *calo de-* LUDOV.
pulisset, Sole jam altiùs ascendente, choris psallentium praeuntibus, atque universo R. 20.
agmine subsequente, tendimus ire ad locum receptioni præparatum qui Palus * CAROLI
nuncupatur. Ibi namque tentoria fixa erant. Cùmque illuc pervenissemus, depona- R. 7.
tur ibidem tumulus cum gratissimo pignore. Verumtamen antea sese Sol Oceani LXXXIX.
mergere nequivit in undas, quoad hac Miracula, qua subduntur, ostensa fuissent.
Abrefanio puero restaurata est manus. Sinistra, quæ priùs erat debilis, puer
quadrimus, qui sinistrum genu contractum habebat, hac exutus est debi-
litate; idem contigit & puellæ trimulæ; Hiltrudis, annos nata circiter tri-
ginta, *cujus genua ita retrò conversis calcaneis obriguerant, suffraginibus clau-*
sis, ut nullum posset conficere vestigium, sanitatem recepit; Bernefridus mutus
& surdus loquelam & auditum recuperavit; sospitatem adeptus est & Da-
denus, *dextrum genu ita habens subtractum, ut pes ejus terram non posset con-*
tingere. His adde fœminam, quæ dolorem dentium patiebatur, & aliam
annorum fermè quinquaginta, qua nunquam erecta Solem aspicere quiverat.

[a] Lib. 1. Mirac. cc. 16. & seqq.

* Pans.

Postero die *discessum est istinc*, id est, à Palo, *& ad Deas Monasterium pro-* XC.
peratum est. Ermentarius [b] describit locum Basilicæ Deensis, in quo collo-
catæ fuerunt Sancti Filiberti Reliquiæ; Miracula, quæ secuta sunt, non
omittit; additque motam quæstionem, *utrùm ad hujus Sancti limina fœmi-*
neus sexus cum ceteris fidelibus admitti deberet, *necne; utpote cujus frequenta-*
tio, postquàm ibi Monachi habitare cœperant, nulla omnino extitisset; téque di-
ligenter examinatâ decretum esse *saniori consilio, quatenus accessus eis com-*
munis tribueretur *usque ad expletionem unius anni, id est, à Festivitate ipsius*
Sancti, qua vicesimo mensis Augusti die celebratur, usque ad eamdem vertente
anno Festivitatem. Plura subnectere de Sancti Philiberti Translatione non
est hujus loci.

[b] Lib. 1. Mirac. cc. 23. & seqq.

In Historia Trevirensi, quam Lucas Dacherius [c] publicavit, Translatio XCI.
quoque Sancti Castoris sic memoratur sub Hettio Archiepiscopo. *Hic am-*
monitus in visu à Sancto Materno, in vigesimo-tertio anno Ludovici Imperatoris
asportavit Corpus Sancti Castoris de loco qui dicitur Cardena ad Confluentiam, ad S. CASTORIS.
Monasterium quod ipse construxerat, & secundo Idus Decembris consecravit in
honore Sancti Castoris & omnium Confessorum, & post consecrationem Sanctum
Corpus in Ecclesia recondidit, ibique Ludovicus Imperator multa dona præsentavit.
Actum Tomo primo [d] de Sancto Castore, Tomo sexto [e] de loco qui Car-
dena dicitur in præcitato textu, & alibi Cardonum, Catadonum, Cardona,
Caradona, Caradunum, Karadonum, & Carta-domus seu Coarta-domus.

[c] Tom. 11. Spicileg.

[d] Ad an. 498. n. 4.

[e] Ad an. 776. n. 33.

Hoc eodem anno in Augia mortuus est Hetto sive Heyto vel Hatto XCII.
Basileensis quondam Episcopus & Augiensis Abbas, qui sponte munus
utrumque dimiserat ab anno Redemptoris octingentesimo vicesimo-tertio,
ut Tomo superiore probavimus [f] ex Hermanno Contracto. Hic Auctor
ad hunc annum Ludovici Augusti vicesimum-tertium in editione Pisto- HEYTO EP.
riana sic habet. *Hatto Episcopus Basiliensis obiit.* Et in Canisiana, sic. *Augia* QUONDAM
Heyto Episcopus obiit & sepelitur. Chronographus Augiensis, quem Stepha- BASILEENSIS OBIIT.
nus Baluzius libro primo Miscellaneorum nuper publicavit, in eadem est
opinione, sic. DCCCXXXVI. *Hatto Episcopus obiit.* Tunc Basileensis Epi-
scopus erat Udalricus, Augiensis Abbas Erlebaldus. De utroque recurret
adhuc sermo.

[f] Ad an. 823. n. 47.

AN. CH. 836. LUDOV. IMP. 23. LOTHAR. IMP. 20. PIPPINI R. 22. LUDOV. R. 20. CAROLI R. 7.

Apud Bucelinum in Chronologia Rhætiæ hoc anno *communem mortalium viam ingreditur Hudalricus sive Henricus Abbas Fabariensis. Cui Joannes de Flumine, vulgò à Flums sufficitur seu potiùs restituitur.* Suspicatur hic Auctor Joannem, qui Fabariam post Udalricum sive Hudalricum administravit, non alium fuisse ab illo Joanne, qui Hattonem Udalrici decessorem antecessit. Ut suspicioni locum statuat, vult Joannem, cui successit Hatto, pulsum fuisse cum Verendario Episcopo *eandem ob causam* sive *ob odia Regum*, Lotharii videlicet ac fratrum contra Ludovicum patrem rebellantium. Disparilitatem tamen non parvam inter Verendarium ac Joannem agnoscit, quia successor Verendario non est datus, Joanni verò datus est Hatto. Talis differentiæ rationem repetit ex singulari Joannis pietate, *ne quid sacra pateretur familia*, lubenter annuentis, ut alius Abbas sibi solum vertere coacto subrogaretur. At hoc corruit argumentum, quoniam Hatto, qui post Joannem Fabariensis Abbas fuit, ex hac vita priùs migravit, quàm Verendarius Curiensis Episcopus à Lothario ejúsque fratribus in exilium pulsus. Duos igitur Joannes distingue Fabarienses Abbates, & Hattonem atque Udalricum intermedios agnosce.

XCIII. ABBATES FABARIENSES.

XCIV. IMMA UXOR EGINHARDI MORITUR.

Eginhardus utriusque Monasterii Gandensis necnon & Selingestadiensis Abbas insignis Immam uxorem quondam suam, quam Clericus factus ut sororem ab annis viginti secundùm Ecclesiasticos Canones habuerat, hoc anno mortuam deflevit. Id colligitur ex epistolis, secunda, quarta, quinta & sexta, quas scripsit Lupus Ferrariensis Monachus, cùm Rabanum Abbatem in Fuldensi Monasterio Præceptorem audiebat. In epistola sexta sic habet. *Superiore anno, annitentibus amicis, in præsentiam Imperatoris deductus sum, & ab eo atque Regina benignè omnino exceptus; & nunc, hoc est, x Kal. Octobris, Indictione primâ, ad Palatium Reginâ, quæ * plurimum valet, evocante promoveo, multíque existimant fore, ut citò mihi gradus dignitatis aliquis conferatur.* Indictio prima, quæ currit decimo Kalendas Octobris, cœptáque est prioribus Kalendis Septembris, illigatur anno Redemptoris octingentesimo tricesimo-septimo, & qui *superiore anno in præsentiam Imperatoris* deductus est Lupus, è Germania rediit hoc anno Redemptoris octingentesimo tricesimo-sexto, nec alio anno discessit è vivis Imma, Lupus enim, cùm suum in Galliam reditum parabat, Eginhardum nupero uxoris obitu tristissimum crebris adhuc epistolis consolabatur. Quod ut faciliùs intelligas, inter ejus opera consule secundam cum tribus proximè sequentibus, & quanam in materia singulæ versentur, attentè considera.

* Edit. quàm

XCV. LUPI FERRARIENSIS MONACHI CONSOLATORIÆ AD EGINHARDUM EPISTOLÆ.

Lupus, auditâ Immæ morte, quamprimùm Eginbardo secundam scripsit epistolam cum hoc exordio. *Desiderantissimo Præceptori Einhardo Lupus. Molestissimo nuncio de excessu venerabilis vestræ conjugis consternatus, plusquàm unquam vobis nunc optarem adesse, ut vestram mæstitiam vel meâ compassione levarem, vel concepto sensu ex divinis eloquiis assiduo sermone solarer. Verùm donec id Deus præstet esse possibile, suggero, ut memores humanæ conditionis, quam merito peccati contraximus, modicè sapientérque feratis quod accidit.*

XCVI.

Tertiâ epistolâ, quæ Lupo inscribitur, Eginhardus duo præstat; acerbitatem sui doloris exponit; & ipsi Lupo propter consolatorias, quas ab eo literas accepit, gratias agit. Primum longo prosequitur sermone; satis erit initium recitasse. *Einhardus Lupo suo salutem. Omnia mihi studia omnésque curas tam ad meas quàm amicorum causas pertinentes exemit & excussit dolor, quem ex morte olim fidissimæ conjugis, jam nunc carissimæ sororis ac sociæ, gravissimum cepi. Nec finiri posse videtur, quoniam extinctionis illius qualitatem adeò tenaciter memoria retinet, ut inde penitus non possit avelli.* Alterum in fine literarum sic exequitur. *Gratias ago atque habeo caritati, quòd me per litteras tuas consolari dignatus es. Neque enim majus aut certius tuæ erga me dilectionis indicium dare potuisti, quàm ægro atque jacenti manum exhortationis porrigendo,*

AN. CH. 836.

LUDOV. IMP. 23. LOTHAR. IMP. 20. PIPPINI R. 22. LUDOV. R. 20. CAROLI R. 7.

monendóque ut surgerem, quem mente prostratum ac mœrore depressum ignorare non poteras. Benè vale carissime ac desiderantissime fili.

Ad singulas partes istarum literarum respondit Lupus epistolâ quartâ cum hac Præfatione. *Epistolam vestræ Dignationis, calamitatem, quæ dudum vobis contigit, graviter querentem, haudquaquam mediocriter commotâ mente perlegi, confectúmque vestrum animum tam diuturni mœroris anxietate vehementer indolui. Et quamvis qui me longè præstent amicorum solatia tentaverint hunc tantum levare dolorem, nec tamen ob eam rem profecerint, ut litteris vestris satis eminet, quòd ipsi casûs vestri considerationem non satis ad se admiserunt, eò usque ut eorum quidam super excessu gratissimæ quondam uxoris gratulandum monerent, quod, ut opinor, nihil ad consolationem pertinet; non tam ætatis levitate, vel ingenii, quod exiguum sentio, confidentiâ, quàm proni erga vos amoris magnitudine, hæc rursum, qualiacumque sint, in vestri solatium non sum veritus cudere.* Et in fine ejusdem epistolæ hæc scripsit de suo in Galliam reditu, quem animo jam meditabatur. *Medio Maio, vitâ comite hinc recedere decrevi, quo tempore, Deo volente, sicut vobis, si recordamini, dixi, ad vos venturus sum, & aliquot apud vos dies facturus, ut & libros vestros vobis restituam, & quibus indiguero discam, fruárque aliquandiu vestro suavissimo alloquio, atque informer mihi gratissimo vestræ gravitatis & honestatis exemplo. Nam me hoc tempore discessurum inanis vobis fama mentita est; quod etsi, quod penitus nolo, contingeret, sic quoque ad vos sine dubio properarem. Tantus enim mihi vestri amor incumbit, ut nullatenus vobis insalutatis, sanctorúmque Martyrum*, Marcellini videlicet & Petri in Selingestadiensi Monasterio quiescentium, *neglecto patrocinio, ad patriam remearem. Cupio te mei memorem benè valere in Domino, prosperísque pollere successibus, Domine desiderantissime Pater, & de me optimè per omnia merite.* XCVII.

Epistolâ quintâ Lupus Eginhardum adhuc in mœrore positum insinuat, eique rationem reddit sui in Galliam reditûs ad mensem usque Junium dilati. XCVIII. *Optaverim*, inquit, *vestris refici litteris, quantúmque jam æstus rei notæ deferbuerit discere, atque si vobis hinc à parvitate mea quicquam persuaderi potuerit. Ego rectè, quemadmodum pollicitus sum, & pro illius carissimæ sempiterno refrigerio specialiter ac cottidie Dominum supplico, & quod vobis vel in præsenti vel futura vita conducibile credo, vigilanti perseverantiâ postulare non desino.* Et inferiùs. *Profectionis in patriam, ac per hoc ad vos, tempus aliquantum producere coactus sum. Námque Venerabilis * Vir Marcuvardus, per quem mea reversio administranda est, cùm in Italiam Legatus mitteretur, ac me priùs ad suum colloquium ut amicissimum evocavisset, mihi consulueras, ut hinc die quâ significaveram vobis recedens Sanctitatem vestram petere debuissem. Verùm Illustris Abbas Rhabanus postmodum regressus à Palatio, foret necne per id temporis istic propter Legationem sibi commissam, ad liquidum scire non potuit; atque ob eam rem hortatus est, ut reditum meum ad Non. Jun. differrem, quando Solemnitas Sancti Bonifacii se abesse minimè sineret, nisi fortè ipsi quoque Imperialis Jussionis & ea quamgravissima præjudicaret auctoritas. Itaque cum suam post regressionem Marcuvardus ex me quæsitum, quando potissimùm reverti vellem, misisset, memorata rei causâ equos huc adducendos ut pridie Non. Jun. curares petii, quò, Christo propitio, VIII Id. ejusdem mensis iter ad vos possem arripere. Quod ille, si vita comes fuerit, indubitanter implebit. Quare certum diem quidem, quo ad vos venturus sim, exprimere non audeo; sed intra eam hebdomadam, quæ Non. Jun. cœperit, omnino me venturum, Deo volente, confido. Atque utinam exoneratum omni curarum molestiâ vestrum reperire tunc merear animum, ut non vacet modò pro solita dignatione quæcumque amicalia videbuntur mecum conferere, verùm etiam ubi vel meum vel aliorum me deficit, vestrum adsit consultum ingenium, cui quantùm assurgam, quantúmque deferam, quantùm denique eo me vel adjutum vel adjuvandum credam, ut adulationis morsum effugiam, nolo ampliùs dicere; Deus viderit, cujus idipsum gratia procuravit.*

* Edit. Venerabili viro Marcuvardo.

AN. CH. 836. Ludov. Imp. 23. Lothar. Imp. 20. Pippini R. 22. Ludov. R. 20. Caroli R. 7.

XCIX. Ex prædictis epistolis hæc rerum series colligitur. Obiit Imma ineunte anno Redemptoris octingentesimo tricesimo-sexto, Indictione decimâ-quartâ. Lupus auditâ ejus morte consolatorias Eginardo literas direxit. Eginhardus factâ responsione suum Lupo dolorem ex uxoris morte conceptum significavit. Lupus Eginhardum secundis literis denuò consolatus est, adjecitque in Galliam se medio mense Maio rediturum itinere per Monasterium Selingestadiense suscepto. Tertias quoque literas paulò post eidem Eginhardo adhuc mœrenti scripsit, reditu in patriam dilato post Nonas Junii seu post Festivitatem Sancti Bonifacii quem Monachi Fuldenses Patronum sui Monasterii venerabantur. Intercedentibus aliis causis seriùs egressum Fuldâ putamus, moratúmque credimus in Monasterio Selingestadiensi, donec annitentibus amicis adductus est coram Imperatore Ludovico in eam regionem profecto ad venationem apud Francofurtum per autumnum peragendam, atque ab eodem Augusto & Juditha Augusta benignissimè susceptus iter inde studuit in patriam cœptum maturare.

C. Eginhardi liber de Cruce.

Præter hanc rerum seriem observa epistolâ quartâ mentionem à Lupo fieri cujusdam libelli, quem nuper editum ab Eginhardo suóque nomini dedicatum accepit. *Libellum*, inquit, *de adoranda Cruce, meo judicio utilissimum, quem meo nomini dedicastis, ut par fuit, amplexus sum. Atque utinam morem mihi gerentes, sic omnia quæcumque ab initio enodanda vobis misi, vel hoc anno reliqui, aperire non gravaremini, profectò non mihi solùm, sed multis videtur hic labor prodesse. Tamen & pro hoc quod nunc mihi nec opinanti misistis, & pro aliis quibus à vobis institutus jam anteà sum, maximas agens habénsque gratias, quid Deus vestra indulgentissima dignetur inspirare pietati sollicitus præstolabor. Medio Maio, vitâ comite, hinc recedere decrevi.*

CI. Seriùs recessit è Monasterio Fuldensi, nec in patriam, ut insinuatum suprà, reversus est ante medium autumnum, sive ante obitum Aldrici Senonensis Archiepiscopi. Sic enim de suo reditu loquitur in literis [a] ad Immonem. *Propitio Domino Deo nostro sospes regressus sum, prætérque Domini ac nutritoris mei Aldrici, quantùm ad me attinet; plenum infortunii obitum, & quorumdam aliorum amicorum, non est quod mihi extrinsecus accidisse admodum triste crediderim.* Migravit ad Deum Sanctus Aldricus hoc anno, sexto Idus Octobris. Illius enim ortus & obitus his ab Auctore vitæ consignantur Characteribus in prima parte Seculi quarti Benedictini. *Anno septingentesimo septuagesimo-quinto ab Incarnatione Domini, regnante Carolo Magno, beatus Aldricus in territorio Vastinensi * de Principibus Palatinis exstitit oriundus, & sexagesimo-primo vitæ suæ anno, sexto Idus Octobris, feliciter migravit ad Dominum*, id est, hoc anno, post Christum natum octingentesimo tricesimo-sexto, qui sexagesimus primus post septingentesimum septuagesimum-quintum numeratur.

[a] Ep. 41.

Aldrici Archiep. Senonensis obitus,

* Le Gastinois.

CII. Aldricus *post opera gloriosa, post labores pro sua Ecclesia statuenda toleratos, suæ dignitatis administrationem fastidiens, & ad vitæ suæ novissima mentis acumen dirigens, cœpit secretiùs beati Martini sententiam refricare adserentis, quòd sibi major fuerit virtus ante Episcopatum quàm in Episcopatu. Metuens itaque per secularium negotiorum perplexitates Religionis suæ meritum minorari, Pastoralis sollicitudinis curam proposuit exuere, & ad solita contemplationis tranquillitatem devotiùs cœpit anhelare.* Hæc Auctor vitæ. Nec illud Aldrici consilium tacuit Lupus Abbas Ferrariensis in litteris [b] ad Wenilonem ejusdem Aldrici proximum in Archiepiscopatu Senonensi successorem. *Decessor*, inquit, *vester beatæ memoriæ Aldricus, qui præfati Cæsaris* Ludovici *jussu, & mirabili bonorum annisu, nobis, cùm esset Abbas, ablatus, & Ecclesiæ Senonicæ Pontifex factus est, ad nos immutabiliter proposuerat regredi, Episcopali curâ omissâ, quando hanc vitam, ut credimus, feliciore mutavit.* Illius obitum ac sepulturam sic exposuit Auctor vitæ jam laudatus. *Gloriosus Dei famulus diem obitûs sui Spiritu Sancto revelante*

[b] Ep. 29.

lante pranoscens, in quo ad vera quietis gaudia transmigraret, convocatis discipulis diem novissimum sibi instare pià relatione propalavit, solità pietatis sollicitudine eos monens, vas proprii corporis mundum & immaculatum possidere, sicque currere ut comprehenderent, sic laborare ut æternæ beatitudinis quiete non fraudarentur, sic certare ut perpetuæ jocunditatis bravio præmiarentur. Finità autem prædicatione, locum idoneum sepulturæ elegit, scilicet Cœnobium Ferrariense, quo corpus suum deferri, ejus & animæ celebrato divortio, & in stillicidio Ecclesiæ tumulari præcepit. Hac eo docente, stupor vehemens omnes apprehendit, quia nullum signum invaletudinis in eo poterant apprehendere. Post modicum temporis intersitium morborum pulsatus gravedine cœpit ægrotare, & crebris doloribus mortis vicinæ præambulis intolerabiliter fatigari. Solita tamen vultûs serenitas semper immota perseverabat in fide, & in caritate Christi mens devota magis ac magis solidabatur. Sed tamen ingravescente morbo, debito refectus viatico, fixis in cælum oculis, manibus ad Deum evectis viam universæ carnis ingressus sexagesimo-primo vitæ suæ anno, sexto Idus Octobris, feliciter migravit ad Dominum, coronam lætitiæ de manu Dei acceptans. Delatum est autem corpus ejus ad prædictum Cœnobium juxta tenorem præcepti sui, cum magno ejulatu populorum lugentium & gementium, se tanti támque benigni Pastoris præsidio destitutos & desolatos relinqui, & in stillicidio juxta Oratorium beati Andreæ in lapideo tumulo, quem vivus sibi construxerat, honorificè sepultus est: ubi non minùs post mortem suam, quàm in vita sua, quanti meriti fuerit servus ejus, Dominus per plurima virtutum & miraculorum declaravit indicia. Colitur Sanctus Aldricus postridie Nonas Junii, tertio Kalendas Augusti, sexto Idus Octobris, ut ad annum Redemptoris octingentesimum undetricesimum [a] jam observavimus. De successore sermonem faciemus anno sequenti.

AN. CH. 836. LUDOV. IMP. 23. LOTHAR. IMP. 20. PIPPINI R. 22. LUDOV. R. 20. CAROLI R. 7.

SEPULTURA.

[a] Num. 110.

CIII. Adversùs nostram Chronologiam multi possunt Auctores allegari. Monachus Autissiodorensis in Chronico, quod ad annum usque Christi millesimum ducentesimum decimum perduxit, annum, quo Sanctus Aldricus ex hac vita sublatus est, haud expressit, at in margine positus legitur *an. 840*, temeréque secuti sunt hanc notatiunculam nuperi Scriptores.

CIV. Joannes Mabillonius, ut eundem annum retineat, in Notis ad Vitam Sancti Aldrici vult Lupum Floriacensem Monachum è Fuldensi Schola in patriam rediisse *sub finem anni* DCCCXLI, & *eo tempore, quo* Carolus *partem Regni cum fratribus divisit, Metropolim Senonum vacasse Pastore*, atque hanc divisionem factam esse *statim post pugnam Fontaneticam, commissam* VII *Kalendas Julii, anno* DCCCXLI, proindéque concludit Aldricum obiisse *Octobri antecedente, anno Christi* DCCCXL, suæque vitæ non *sexagesimo-primo* ut habent ejus Acta, sed *sexagesimo-quinto*.

CV. Rationes non affert, cur Lupi reditum in annum Redemptoris octingentesimum quadragesimum-primum rejiciat; eas se pollicetur allaturum *in elogio Rabani*, quod in lucem brevi speramus proditurum posteriori parte Seculi quarti Benedictini. Nostram verò sententiam ex epistolis ipsius Lupi suprà probavimus. Lupus è Fuldensi Monasterio digressus, Selingestadiense, cui tunc Eginhardus Abbas præerat, pollicitationes suas impleturus adiit; ibi mansit ad adventum usque Ludovici Imperatoris in eam regionem, id est, ad autumnalem usque venationem: annitentibus amicis adductus est coram Imperatore, ab eo & à Judirha Augusta benignè susceptus iter cœptum maturavit, atque in patriam pervenit Aldrico Metropolità Senonensi nuperrimè mortuo; rursum se contulit ad Palatium anno sequenti, vocatus illuc ab Imperatrice, decimo Kalendas Octobris, Indictione primà jam inchoatà. Testatur hæc omnia de semetipso sic epistolà sextà, textu jam citato. *Superiore anno, annitentibus amicis, in præsentiam Imperatoris deductus sum, & ab eo atque Regina benignè omnino exceptus; & nunc, hoc est,* X *Kal. Octobris, Indictione primà, ad Palatium Reginà, qua plurimùm valet, evocante promoveo.* Chronologiam nostram, ut dictum suprà,

AN. CH. 836. LUDOV. IMP. 23. LOTHAR. IMP. 20. PIPPINI R. 22. LUDOV. R. 20. CAROLI R. 7. CVI.

confirmat Indictio prima, quæ per mensem Septembrem illigatur anno Redemptoris octingentesimo tricesimo-septimo, sive anno proximo post primam Lupi ad Ludovicum Augustum accessionem ac reditum in patriam.

Alterum argumentum Mabillonii nititur Regiâ contra Wenilonem Archiepiscopum Senonensem proclamatione, in qua Carolus Rex ita loquitur. *Mihi à Domno & Genitore meo pia memoria Ludovico Augusto pars Regni inter fratres meos Reges Divinâ dispositione est tradita, in qua parte Regni vacabat tunc Pastore Metropolis Senonum, quam juxta consuetudinem prædecessorum meorum Regum Guenilono tunc Clerico meo in Capella mea mihi servienti, qui more liberi Clerici se mihi commendaverat, & fidelitatem sacramento promiserat, consensu sacrorum Episcoporum ipsius Metropolis ad gubernandum commisi, & apud Episcopos, quantum ex me fuit, ut eum ibidem Archiepiscopum ordinarent, obtinui.* Proclamationem illam ad annum Redemptoris octingentesimum undesexagesimum integram recitabimus, hîc tantùm examinandus occurrit textus, qui proximè descriptus fuit ex capite primo. Carolus Regni partem, in quâ Senonæ tunc Archiepiscopo carebant, à Ludovico Augusto patre suo sibi traditam constanter asserit, ergo ante pugnam Fontanericam, quæ commissa fuit septimo Kalendas Julias, anno Redemptoris octingentesimo quadragesimo-primo, imò ante mortem Ludovici Augusti quæ contigit duodecimo Kalendas Julii, die Dominico, currente literâ Dominicali C, sive anno Redemptoris octingentesimo quadragesimo. Certè non alio nobis opus est argumento, ut nec Regni partitionem de qua Carolus loquitur, rejiciamus post annum Redemptoris octingentesimum quadragesimum, nec Aldrici Metropolitæ Senonensis obitum post annum Redemptoris octingentesimum tricesimum-nonum differamus. At aliunde discimus determinatè annum, quo Senones in sortem Caroli devenerunt. Hic in Placito Wormatiensi Rex à patre constitutus est anno Redemptoris octingentesimo vicesimo-nono, deinde in Aquisgranensi Conventu ab eodem patre ditionibus multò latioribus auctus est anno Redemptoris octingentesimo tricesimo-quinto. Lege [a] quæ dicta sunt ad illos annos de sorte Carolina. Senonæ non pertinebant ad illam Burgundiæ partem, quam Carolus propter Alamanniæ viciniam obtinuit anno Redemptoris octingentesimo vicesimo-nono, & ad Aquitanicum Regnum sive ad sortem Pippini Regis adjectæ sunt anno Redemptoris octingentesimo tricesimo-quinto. Quin & Aldricus Senonensis Metropolitanus Aquisgranensi Placito prædicto præsens interfuit. Atque inde colligimus ipsum Aldricum non obiisse ante mensem Octobrem anni post Christum natum octingentesimi tricesimi-quinti, seriúsque factam esse Regni partitionem, ad quam respexit Carolus Rex in sua contra Wenilonem proclamatione. Ludovicus Augustus anno Redemptoris octingentesimo tricesimo-sexto novam de Regni divisione Constitutionem non edidit, edidit autem anno Redemptoris octingentesimo tricesimo-septimo in Conventu, quem Aquisgrani mense Februario celebravit, sortem enim Carolinam plurimùm auxit Pippininâ & Ludovicianâ decurtatis. *Insistente*, inquit Astronomus, *Augustâ, & Ministris Palatinis, quandam partem Imperii* (sive, ut Nithardus [b] habet *portionem Regni*) *filio suo dilectissimo Karolo Aquisgrani tradidit.* Inter Burgundiæ pagos, quos à Regno Pippinino ad Carolinum transtulit *annuente Ludovico* Rege Bojoariæ *& Missis Pippini* Regis Aquitaniæ, Nithardus & Annalista Bertinianus *Senonicum, Wastinensem, Milidunensem* & *Stampensem* nominant. Anno igitur octingentesimo tricesimo-septimo, mense Februario Senonæ, quas anteà Ludovicus Augustus in diversis Regni partitionibus aut nulli filiorum aut soli Pippino tradiderat, ad Caroli Regnum accesserunt. Novam hanc Regni divisionem ob oculos habuit Carolus, quando dixit à patre Ludovico Augusto traditam sibi Regni partem, *in qua vacabat tunc*

[a] An. 829. n. 184. n. 811. n. 44.

[b] Lib. 1.

AN. CH. 836.

Pastore Metropolis Senonum. Ergo ante quatuor menses, seu præcedenti mense Octobri, sexto videlicet Idus Octobris, hoc anno Redemptoris octingentesimo tricesimo-sexto sublatus ex hac vita fuerat Aldricus Senonensis Metropolitanus.

CVII. Lupi Ferrariensis Monachi reditus in Galliam.

Ecclesiæ Senonensi præfuit Aldricus annos septem, menses quatuor, diésque totidem. Toto illo tempore Lupus Ferrariensis Monachus in Fuldensi Monasterio degit. Illuc enim, ut Rabanum illius loci Abbatem divinas Scripturas interpretantem audiret, missus est ab Aldrico Ferrariensi tunc Abbate necdum Archiepiscopo Senonensi, rediítque in patriam eodem Aldrico nuperrimè mortuo, ut observatum suprà.

CVIII. Præceptum Ludovici Aug. pro Mon. Anianensi.

Tomo ptimo Seculi quarti Benedictini publicatum est à Luca Dacherio & Joanne Mabillonio Diploma Ludovici Augusti, datum duodecimo Kalendas Novembris, hoc anno, cùm Indictio decima-quinta jam cœpta esset, & annus Imperii Ludoviciani vicesimus-quartus numeraretur secundùm priorem ejus epocham, quæ sumitur à die quo Ludovicus Imperii consors primùm dictus est à patre. Concessum fuit illud Præceptum Hermenaldo Anianensi Abbati, résque omnes Anianensis Monasterii sic confirmavit. *In Nomine Domini Dei & Salvatoris nostri Jesu Christi Hludovicus divinâ ordinante providentiâ Imperator Augustus. Si erga loca divinis cultibus mancipata propter amorem Dei eósque in eisdem locis sibi famulantes beneficia opportuna largimur, præmium nobis apud Dominum æternæ retributionis rependi non diffidimus. Idcircò notum sit omnibus fidelibus nostris præsentibus & futuris, quia placuit nobis pro mercedis nostræ augmento ad Monasterium, quod dicitur Aniana, situm in pago Magdalonense, constructum in honore Domini & Salvatoris nostri Jesu Christi, & Sanctæ ac semper Virginis Mariæ, seu aliorum Sanctorum, ubi Venerabilis Hermenaldus Abba præesse videtur, aliquid ex rebus tradere nostris, id est, quamdam Cellulam nuncupantem Gellonis, sitam in pago Lutevense, cum omnibus appendiciis suis, vel quidquid ibi Willelmus quondam Comes, qui ipsam Cellulam in causa Domni & Genitoris nostri construxit, seu & alii boni homines per strumenta Chartarum tradiderunt. Et in prædicto pago villam quæ dicitur Magaranciate, & locum qui dicitur Castra-pastura, ad pecora eorum alenda, seu diversis usibus, cum terminis & adjacentiis suis. Et in eodem pago fiscum nostrum Curcenate cum omnibus adjacentiis suis. In pago quoque Biterrense fiscum nostrum, qui dicitur Miliacus, cum Ecclesia Sancti Paragorii & Miliciano villa, cum omnibus appendiciis & adjacentiis suis. Et in eodem pago Villam Cincianum cum appendiciis & adjacentiis suis. Et inter confinia de pago Rutenico seu Nemausense alpes,* id est, pascua montana *ad pecora alenda seu alios usus, quas dicunt Jaullo, cum terminis & adjacentiis suis, quas olim præfato Monasterio per Missos nostros Ragambaldo seu Fulcoaldo Comite tradidimus cum omni integritate, sicut à temporibus Domni & Genitoris nostri ab eisdem Monachis possessum fuit. Et locum, qui dicitur Auraria, cum omni integritate, sicut olim à beatæ memoriæ Ermengarde Regina prædicto Monasterio traditum est. Et in pago Magdalonense, Castrum, quod dicitur Monte-Calmense, situm juxta fluvium Araur, cum Ecclesia Sancti Hilarii, à termino ejusdem Monasterii Anianensis usque ad terminum rerum, sicut Genitor noster trans ripam præfati fluminis per suum Præceptum ad proprium jam dicto tradidit Monasterio, excepto proprium ingenuorum hominum quod infrà conjacet; & super præfatum fluvium, Cancinum ad pascua armentorum & alenda pecora seu alias utilitates cum villulis & omnibus aspicientiis suis. Et alio loco Comajagas cum finibus & adjacentiis suis, seu & Paliares cum appendiciis suis. Et in loco, qui dicitur Sogrado, Cellulam, quam ipsi Monachi ædificaverunt cum adjacentiis suis. Omnia hæc cum omni integritate, sicuti à Misso Genitoris nostri Leydrath Archiepiscopo traditum & marmoribus per cruces & terminationes assignatum fuit, & ab ipsis Monachis à temporibus Genitoris nostri possessum. Et in ipso pago, in fisco nostro nuncupante Juviniaco, locum, quod antiquo vocabulo Fons-agricola dicebatur, nunc autem Nova-Cella appellatur, quam*

AN. CH. 836.
LUDOV. IMP. 23.
LOTHAR. IMP. 20.
PIPPINI R. 22.
LUDOV. R. 20.
CAROLI R. 7.

proprio opere ipsi Monachi manibus suis ædificaverunt; etiam & molina duo infra ipsius fisci terminum super fluvium Lero ab eisdem constructa cum omni integritate, sicut hactenus à temporibus prælibati Genitoris nostri quieto ordine tenuerunt; & inter mare & stagnum, locum, qui vocatur Porcarias, quem sibi ad porcos alendum vel ad piscationis opportunitatem, seu alias adjacentias de locis heremis præfati Monachi susceperunt, & à Genitore nostro eis per Præceptum conlata sunt. Item in eodem pago illos segos, seu modios terræ, *cum ipsa piscatoria & plagis maris, & fiscum nostrum adhærentem illis, qui nuncupatur Sira, qui est inter mare & stagnum, & subjungit pago Agatensi, cum Ecclesiis, villaribus, mancipiis, plagis maris, & piscatoriis, cum omnibus aspicientiis & adjacentiis, cum sylvis, & arboribus suprà positis usque ad locum, qui dicitur Carajacum, quantumcumque vel quomodocumque in eisdem locis idem Genitor noster quondam ad suum habuit opus. Et in pago Narbonense, salinas, quæ sunt nuncupante Adsigna, quantascumque noster Missus Leibulfus Comes eis designavit, cum terminis & laterationibus suis. Insuper & Cellam juris nostri, quæ est constructa in honore Sancti Martini infra muros civitatis Arelatensis, cum omnibus quæ ad eam in eodem pago Arelatensi vel Avinionensi præsenti tempore pertinent. Et locum, qui est in pago Arausione, vocabulo Murenatis, quicquid ad ipsum locum pertinet, & villam, quæ dicitur Massacia, cum omnibus appendiciis suis, habentem plùs minùs mansos* XL, *quæ est ex ratione prædictæ Cellæ Sancti Martini, seu & Insulam Suburbanam nuncupatam, quæ cingitur ab omni parte à Rhodano flumine, cum Ecclesiis ac rebus seu appendiciis suis, sicut quondam Leibulfus Comes per auctoritatem nostram cum Notone Archiepiscopo ex suo alode excambiavit & jure possedit, atque per Chartam Donationis præfato contulit Monasterio. Necnon & in pago Ucetico donamus Cellulam proprietatis nostræ, quæ nuncupatur Casa-nova, quæ sita est juxta locum, qui vocatur Gordanicus, super fluvium Cicer, sicut eam & Genitor noster quondam possedit, & nos olim præfato Monasterio per hanc nostræ auctoritatis Donationem perpetualiter concedimus ad stipendia Fratrum ibidem Deo famulantium, ita ut quicquid ab hodierno die & tempore de prædictis rebus facere vel ordinare voluerint Ministri loci ipsius, libero in omnibus perfruantur arbitrio. Quam ob rem hanc Præceptionem nostræ auctoritatis pro firmitatis studio fieri jussimus, per quam omnino præcipimus atque jubemus, ut nullus ex fidelibus Sanctæ Dei Ecclesiæ ac nostris de præscriptis rebus à nobis præfato Monasterio vel Congregationi ibidem degenti concessis aliquid abstrahere aut minuere tentet, nec in Ecclesiis aut loca vel agros seu reliquas possessiones prædicti Monasterii, quas moderno tempore per Donationes Genitoris nostri ac nostras seu ceterorum fidelium justè possidere videtur in quibuslibet locis, quicquid ibidem propter divinum amorem conlatum fuit, quæque etiam deinceps in jure ipsius sancti loci aut per nos aut per alios voluerit Divina pietas augeri, ad causas audiendas vel freda exigenda, aut mansiones vel paratas faciendas, aut fidejussores tollendos, aut homines ipsius Monasterii tam ingenuos quàmque servos, qui super terram memorati Monasterii residere videntur, distringendos, nec ullas redibitiones aut inlicitas occasiones perquirendas ullo unquam tempore ingredi audeat vel exactare præsumat. Et quicquid de rebus præfati Monasterii fiscus sperare poterat, totum nos pro æterna remuneratione prædicto Monasterio concedimus, ut perpetuis temporibus in alimoniam pauperum & stipendia Monachorum ibidem Deo famulantium proficiat in augmentum. Et quandoquidem Divinâ vocatione supradictus Abba & successores ejus de hac luce migraverint, quamdiu ipsi Monachi inter se tales invenire potuerint, qui ipsam Congregationem secundùm Regulam Sancti Benedicti regere valeant, per hanc nostram auctoritatem & consensum, sicuti in aliis eorum continetur Præceptis à nobis vel Genitore nostro sibi conlatis, licentiam habeant semper eligendi Abbates, quatinus ipsis servis Dei, qui ibidem Deo famulari videntur, pro nobis & conjuge proléque nostra & stabilitate totius Imperii à Deo nobis concessi vel conservandi jugiter Domini misericordiam exorare delectetur. Et ut hæc auctoritas nostris futurisque temporibus Domino protegente valeat inconvulsa manere, manu propriâ subscripsimus,*

& annuli nostri impressione signari jussimus. Hirminmaris Notarius ad vicem Hugonis recognovi. Data XII *Kl. Novembris, anno, Christo propitio,* XXIV *Imperi Domni Hludovici Piissimi Augusti, Indictione* XV. *Actum Aquisgrani Palatio Regio, in Dei Nomine feliciter. Amen.* AN. CH. 836. Ludov. Imp. 23.

In hoc Præcepto, quæ per mensem Octobrem notatur Indictio decima-quinta non alium Redemptoris annum designat, quàm octingentesimum tricesimum-sextum, quocum annus Ludovici Augusti vicesimus-quartus rectè componitur duodecimo Kalendas Novembris, si principium Imperii Ludoviciani repetas à die quo Carolus Augustus ipsum Ludovicus filium in consortium Imperatoriæ Dignitatis adscivit, currentes tunc anno Redemptoris octingentesimo decimo-tertio. Ad illum annum Chronographus Moissiacensis ita scribit. *In ipso anno, mense Septembri, jam dictus Karolus fecit Conventum Magnum populi apud Aquis Palatium de omni Regno vel Imperio suo. Et convenerunt Episcopi, Abbates, & Comites, & Senatus Francorum ad Imperatorem in Aquis, & ibidem constituit Capitula* XXVI * *de causis quæ erant necessaria Ecclesiæ Dei & Christiano populo. Post hæc habuit consilium cum præfatis Episcopis, & Abbatibus & Comitibus, & Majoribus natu Francorum ut constitueret * filium suum Ludovicum Regem & Imperatorem. Qui omnes pariter consenserunt, dicentes hoc dignum esse, omnique populo placuit. Et cum consensu & acclamatione omnium populorum Ludovicum filium suum constituit Imperatorem secum, ac per coronam auream tradidit ei Imperium.* Ab hoc computo non recedit Astronomus, illo enim anno Ludovicum *totâ æstate* in patris comitatu fuisse, deinde *Imperii diademate* coronatum, ac *mense* tandem *Novembri* reversum in Aquitaniam sic testatur. *Imperator Karolus misit ad filium, eúmque ab Aquitania evocavit. Quem venientem clementer suscepit, totâ æstate secum tenuit, de his quibus eum indigere putavit instruxit, qualiter videlicet sibi vivendum, regnandum, Regnum ordinandum, & ordinatum tenendum foret, monuit, & tandem Imperiali eum diademate coronavit, & rerum summam penes eum futuram esse Christo favente innotuit, & hoc peracto negotio reditum ad propria concessit. Qui mense Novembri à patre regrediens, Aquitaniam repetiit.* Horum autem textuum auctoritate nixus non temerè pronuntiabis Ludovicum duodecimo Kalendas Novembris, anno Redemptoris octingentesimo decimo-tertio, consortem Imperatorii Nominis jam extitisse. Nihil igitur obest, quominùs duodecimo Kalendas Novembris, anno Redemptoris octingentesimo tricesimo-sexto, jam cœptus asseratur annus Imperii Ludoviciani vicesimus-quartus. Hoc ipso anno, *Imperator*, ut Astronomus in ejus vita prodit, *autumnali venatione peractâ, ad Missam Sancti Martini Aquisgrani rediit, & hyemem ibidem exegit.* At eundem Imperatorem ante Missam Sancti Martini rediisse Aquisgranum, ibíque duodecimo Kalendas Novembris jam consedisse docet quod proximè descriptum est ejus Præceptum. Porrò si cupis scire, cur ad oram nævos aliquot rejecerimus, qui perperam in textum Moissiacensis Chronici suprà citatum irrepserunt, lege quæ Tomo superiore dicta sunt ad annum Redemptoris octingentesimum decimum-tertium [a].

Lothar. Imp. 20. Pippini R. 22. Ludov. R. 20. Caroli R. 7.

CIX.

* XLVI.

* constituerent.

[a] Nu. 288. 335.

CX. Heroïelandus, cui Ludovicus Imperator Præceptum concessit, Abbas Anianensis ac Gellonensis post Hucerandum fuit. De Anianensis Monasterii conditu actum Tomo sexto [b], de conditu Gellonensis actum Tomo septimo [c]. Paruerunt illa duo Cœnobia duobus nonnumquam Abbatibus, uni sæpissimè. Tomo priore [d] Catalogos texuimus integros ad Hucerandum usque, qui Præfecturam utriusque loci gerebat anno Redemptoris octingentesimo vicesimo-quarto.

[b] Ad an. 797. nn. 30. & seqq.

[c] Ad an. 804. nn. 44. & seqq.

[d] Ad an. 824. n. 9.

CXI. Chartæ non paucæ, quæ pertinent ad illa Monasteria, Tomo primo Seculi quarti Benedictini leguntur in Appendicibus ad vitas Sanctorum à quibus erecta sunt, id est, Sancti Willelmi de Desertis, Tolosani quondam Comitis, deinde Monachi Gellonensis, qui Cœnobium Gellonense cons-

AN. CH. 836. LUDOV. IMP. 23. LOTHAR. IMP. 20. PIPPINI R. 22. LUDOV. R. 20. CAROLI R. 7.

truxit, & Sancti Benedicti Abbatis Anianensis, qui Monasterium Anianense condidit. Singulas ad annum Redemptoris octingentesimum vicesimum-quartum [a] recitavimus examinavimúsque, solâ duntaxat exceptâ, quam Carolus Magnus mense Junio, anno Redemptoris septingentesimo nonagesimo-nono sic edidit. *Karolus Dei gratiâ Rex Francorum & Langobardorum ac Patricius Romanorum, omnibus Episcopis, Abbatibus, Ducibus, Comitibus, Vicariis, Centenariis, seu cunctis fidelibus Sanctæ Dei Ecclesiæ & nostris præsentibus & futuris. Notum sit qualiter Vir Venerabilis Benedictus Abba ex Monasterio Sanctæ Dei Genitricis semperque Virginis Mariæ, quod est constructum in loco nuncupante Aniano, in pago cujus vocabulum est Magdalonense, Serenitati nostræ suggessit, eò quòd ipse unà cum Monachis suis loca aliqua erema infra fiscum nostrum nuncupante Juviniacum, antiquo verò vocabulo vocatur Fonte-agricola, nunc autem Nova-cella appellatur, quam ipsi proprio opere ædificaverunt; etiam & molina duo infra ipsius terminum fisci super fluvium Lero visi sunt construxisse, & inter mare & stagnum in loco qui vocatur Porcarias, unà cum consensu Comitum & ceterorum Christianorum ibi circumquaque habitantium de loca erema accepisset. Similiter in loco, qui dicitur Asogrado, Cellam ædificasset, cum omni adjacentia sua, etiam & alia loca Comajacus & Caurino super fluvium Araurem, ubi dicitur Ad-salices, ad pascua armentorum & alenda pecora *, cum aliis usibus suis hactenus habeant, & jusserit se hæc omnia cum æquitatis ordine absque ullius inlicita contrarietate possidere. Sed pro integra firmitate petiit Celsitudini nostræ, ut quicquid nunc tempore ipse cum Monachis suis justè & rationabiliter ad supradicta habere dinoscitur, denuò per nostræ auctoritatis Præceptum ei & Monachis suis inibi sub sancta Regula consistentibus plenissimâ deliberatione & mercede animæ nostræ ad præfatum Monasterium cedere & confirmare deberemus. Cujus petitionem denegare noluimus, sed in eleemosyma nostra ita concessisse & in omnibus confirmasse cognoscite. Præcipientes ergo jubemus, ut neque vos, neque juniores seu successores, quæ memorato viro Venerabili Benedicto Abbati aut successoribus suis de supradicta loca undecumque ad præsens ipse & Monachi sui cum æquitatis ordine ac justè & rationabiliter vestiti esse noscuntur, inquietare, aut calumniam generare, nec aliquid exinde contra justitiam abstrahere aut minuare quoque tempore præsumatis, sed hanc nostram auctoritatem atque confirmationem habeant in eleemosyna nostra omnique tempore concessum, ita ut eis meliùs delectet pro nobis & filiis ac filiabus nostris seu cuncta familia domûs nostræ & omni populo gentis nostræ attentiùs Domini misericordiam exorare. Et ut hæc auctoritas firmior habeatur, & diuturnis temporibus meliùs conservetur, manûs nostræ signaculis subter eam decrevimus roborare, & de annulo nostro jussimus sigillare. Data in mense Junio, anno XXXI & XXVI Regni nostri. Actum Aquis Palatio nostro in Dei Nomine feliciter. Amen.* Id est, mense Junio, anno Redemptoris septingentesimo nonagesimo-nono, cùm Carolus in Francia post patris Pippini mortem annum Regni tricesimum-primum numerabat, & in Longobardia vicesimum-sextum jam attigerat post captam Papiam Regémque Longobardorum in Gallias ablegatum. Lege Tomo sexto ad annum Christi septingentesimum septuagesimum-quartum [b], quæ dicta sunt de tempore, quo Longobardiæ Regnum veteribus Caroli Titulis addi cœpit. Deinde observa Carolum, qui Paschalem Solemnitatem anno Christi septingentesimo nonagesimo-nono, pridie Kalendas Aprilis in Aquisgranensi Palatio celebravit, illo anno non inde digressum ante mensem Junium, ut in Saxoniam proficisceretur, ubi Leonem Papam ex Italia venientem honorificentissimè suscepit.

[a] Nu. 6. & seqq.

* Edit. malè pecunia.

[b] Num. 11.

CXII. In Præcepto Ludoviciano munificos erga Monasteria Gellonis & Aniani se gerunt, Carolus Magnus, Ludovicus Pius, *Ermengardis Regina* uxor ejusdem Ludovici, *Leydrath* seu Leidradus Lugdunensis *Archiepiscopus*, *Willelmus Comes* Tolosanus, item *Leibulfus* seu Leybulphus *Comes*. Horum nullus Tomis Annalium nostrorum sexto & septimo mansit incognitus. Quid in

AN. CH. 836.

eleemosynam singuli contulerint, docet Ludovicus in suo Præcepto, quocum si lubet confer peculiarium Donationum Diplomata, de quibus suprà, necnon & fragmentum Chartæ pro villa Malsacia datæ IIII *Id. Mart. anno* VII *Imperii* Ludoviciani, sive anno Redemptoris octingentesimo vicesimo, *Aquisgrani Palatio Regio*, ut testatur Mabillonius in Appendice ad vitam Sancti Benedicti Abbatis Anianensis.

CXIII. RABANUS MULTORUM SANCTORUM RELIQUIAS EX ITALIA DELATAS EXCIPIT.

Rudolfus in vita Rabani Moguntiacensis Archiepiscopi, postquàm Reliquias enumeravit, quas Deusdona Romanus Diaconus eidem Rabano largitus est *anno ab incarnatione Domini* DCCCXXXV, *Indictione decimâ-tertiâ*, ut ad illum annum notavimus, hæc de aliis Reliquiis ad hunc annum proximè subjungit. *Pòst anno sequente venit quidam laicus ab urbe Roma Sabbatinus nomine, cum sociis suis in Franciam, ferens secum Reliquias: auditóque nomine suprà memorati Abbatis, cujus devotionem in divino servitio ac veneratione Sanctorum longè latéque fama divulgabat, venit ad eum* VIII *Kal. Maii, dedítque illi ossa Sancti Quirini Martyris, qui fuit in Siscia urbe Pannonia quondam Episcopus & Ossa beati Romani militis, qui à beato Laurentio baptizatus, statim capitali Sententiâ consecutus est Martyrium: de Corpore Sancti Cornelii Papa Ossa* XIII, *& de Corpore Sancti Callisti Papa X. De Corporibus verò Sanctorum Nerei & Achillei Ossa* XVI, *Sancti autem Turturini Ossa & Sancti Statei de cineribus Corporis maximam partem & Ossa X. Ille verò universa hac venerabiliter suscepta in arcam, quam suprà sub duobus Cherubin positam diximus, supplici devotione collocavit.*

CXIV. ECCLESIÆ CSNOMANENSIS DEDICATIO.

In Gestis Aldrici Cenomannensis Episcopi, posterior pars capitis tertii quinque consignatur Characteribus, anno Redemptoris octingentesimo tricesimo-quinto, Ludovici Augusti vicesimo-tertio, Aldrici Episcopi tertio, Indictione decimâ-quartâ, undecimo Kalendas Julias. At hi Characteres simul haud conveniunt. Annus quidem Redemptoris octingentesimus tricesimus-quintus per mensem Junium cum anno Aldrici Episcopi tertio coincidit. Annus autem Imperatoris Ludovici per mensem Junium vicesimus-tertius & Indictio decima-quarta cum anno Redemptoris octingentesimo tricesimo-sexto componuntur. Quæri potest igitur utrùm ad hunc annum an ad superiorem posterior pars prædicti capitis tertii pertineat. Stamus ab hoc anno qui Redemptoris octingentesimus tricesimus-sextus numeratur, ceteris enim tutiores sunt Characteres Chronologici, quos Imperium Ludovicianum & Indictio suppeditant. Hac observatione præmissâ, textum ipsum accipe. *Aldricus Cenomanica urbis Episcopus undecimo Kalendarum Juliarum die solemniter consecravit occidentalem partem sæpedicta matris & Cenomanica Civitatis Senioris Ecclesia, quam & à novo fundavit & mirabiliter ornavit, ad effectum quoque usque perduxit: in qua & altare fecit in honore Sancti Johannis Baptista, quod & in superdicto Kalendarum die in honore Sancti Joannis Baptista solemniter consecravit, & pradicti Sancti Johannis Baptista sive aliorum multorum Sanctorum reliquias propriis manibus in eo decenter collocavit. Aliud ergo in dextera parte ipsius occidentalis partis Ecclesia fecit altare & in prascripto die consecravit in honore Sancti Christophori & Sancti Hippolyti atque Sancti Saturnini martyrum Christi, & eorum reliquias in confessione ipsius altaris propriis decenter collocavit manibus. In sinistra namque parte ipsius occidentalis partis senioris Ecclesia in suprascripto Kalendarum die tertium consecravit altare in honore Sancti Victurii & Sancti Victuri ac Sancti Brixii Sanctíque Arvei atque Sancti Baumadi seu Sancti Almiri, seu Sancti Ulfacii & Sancti Juliani primi ipsius urbis Episcopi, atque Sancti Turibii & Sancti Pavacii, necnon & Sancti Liborii Confessorum Christi, & eorum reliquias propriis manibus decenter in supradicto collocavit altari. Prascripto namque* XI *Kalendarum Juliarum die antedictus Aldricus Pontifex est de utero matris sua natus, cui omnipotens Deus assidua intercessione pradictorum sive omnium Sanctorum tribuat vita aternaliter unà cum eis frui sempiterna. Amen.*

AN. CH. 836. LUDOV. IMP. 23. LOTHAR. IMP. 20. PIPPINI R. 22. LUDOV. R. 20. CAROLI R. 7.

CXV.

Ejuſdem operis caput quartum habetur in hunc modum. *Dedit præfatus Aldricus Pontifex villam quandam Canonicis ſuis, cujus vocabulum eſt Buxarias, cum omnibus ad ſe pertinentibus, unà cum ſylva cujus vocabulum eſt Felicionis, de qua & plenius prædicti Canonici eorum mererentur habere ſtipendia, & delectabiliùs Domino famulari, ſive pro Imperatore antedicto Hludovico & conjuge ſua Judith, ſed & pro liberis Regalibus, ſive pro univerſo exercitu eorum, atque pro ſæpedicto Aldrico ipſius urbis Epiſcopo orare certatim ſtuderent, & delectabiliùs ſive ſtudioſiùs eis Domino militare delectaret. De præfixa videlicet villa cenſuit, atque ſuis ſucceſſoribus conteſtando in ſuo Privilegio, quod de eadem villa prædictis Canonicis ſuis fecit, adjuravit ut Fratres & Canonici Cenomanica in urbe degentes haberent plenam refectionem in* XI *Kalendarum Januariarum die, quando Mater & civitatis Eccleſia Senior Cenomanica in honore Sancti Salvatoris & Sanctæ ejuſdem Dei Genitricis Mariæ & Sancti Gervaſii & Prothaſii ſive Sancti Stephani eſt à jam dicto Aldrico Epiſcopo ſolemniter dedicata. Similiter cenſuit, ut de præfata villa plena * prædictis Fratribus & Canonicis* XI *Kalendarum Januariarum die fieret plena refectio, in quo die & ſæpedictus Aldricus in præſcripta civitate & in præfata Eccleſia eſt canonicè & ſolemniter à Nobiliſſimis & Doctiſſimis atque Sanctiſſimis Epiſcopis Pontifex ordinatus.* Antequàm ulteriùs progrediamur, diſtingue duas Cenomannenſis Baſilicæ Dedicationes, unam undecimo Kalendas Julias, alteram undecimo Kalendas Januarias, de qua textus præcitatus intelligi debet. Obſerva quoque Ordinationem Aldrici, quæ Cenomanni facta eſt undecimo Kalendas Januarii, capiendam eſſe pro ingreſſu in civitatem & Baſilicam Cenomannenſem cùm ibi primùm in Epiſcopali Cathedra ſedere cœpit, non autem pro ejuſdem Aldrici Ordinatione in Epiſcopum, quæ paucis diebus citiùs peracta eſt Turonis à Landranno Turonenſi Metropolita, de quo Joannes *Maan* inter alia ſcribit in Hiſtoria Turonenſium Archiepiſcoporum, quòd *Aldricum Cenomanorum Epiſcopum, Ludovici Pii juſſu electum in locum Franconis, ordinavit Turonis menſe Decembri 832.* Exiſtimamus Aldricum ordinatum Epiſcopum fuiſſe Turonis decimo-octavo Kalendas Januarii, die Dominico, & civitatem Cenomannicam ingreſſum undecimo eaſdem Kalendas cum *Nobiliſſimis & Doctiſſimis atque Sanctiſſimis Epiſcopis*, tertióque pòſt die ſeu nono prædictas Kalendas in Vigilia Dominicæ Nativitatis Imperatori adventanti occurriſſe. Iſtius tridui mentio fit in iiſdem Aldrici Geſtis [a]. *Tertio autem die poſt ordinationem ſuam jam dictus Domnus Imperator in ſuam adveniens civitatem* &c. Porrò illud triduum interpretare incompletum, ut Aldrici ingreſſus in urbem Cenomannicam undecimo Kalendas Januarias & Imperatoris adventus in eandem civitatem nono eaſdem Kalendas rectè conſignentur. Lege quæ ſcripta ſunt ad annum Redemptoris octingenteſimum triceſimum-ſecundum, numeris decimo-ſexto & decimo-ſeptimo, & expuncto *poſtridie*, quod oſcitanter nobis excidit, amicâ correctione repone, *tertio pòſt die in Vigilia Dominica Nativitatis*, ne Chronologia noſtra vel uno quidem die vacillare videatur. Eſt & vitium in præcitato capite quarto, ubi vox *plena* bis repetitur ad deſignandam Canonicorum refectionem undecimo Kalendas Januarii, plenam enim refectionem ſemel notaſſe ſufficit, nec in ipſo textu reperitur, quo vox eadem *plena* bis referri poſſit. Idem caput ſic clauditur. *Similiter cenſuit ut in* XI *Kalendarum Juliarum antedictis Canonicis & Dei ſervis de præfata villa* Buxarias *fieret plena & optima refectio, in quo die & præfixus Aldricus Epiſcopus eſt de utero matris ſuæ natus, atque Occidentalis pars præſcripta Matris & civitatis Eccleſia ab eodem Pontifice eſt ſolemniter dedicata. Similiter in Aſſumptione Sanctæ Dei Genitricis Mariæ, quæ eſt* XVIII *Kalendar. Septemb. die, in cujus honore præfata Eccleſia à Sancto Juliano ſacrata fuit, cujus conſecrationis dies ab omnibus penitùs ignorabatur, ſed modo renovata & reconciliata ſive conſecrata eſt in honore prædictæ Sanctæ Dei Genitricis Mariæ ſeu Sanctorum Gervaſii & Prothaſii ſive Sancti Stephani ſolemniter & canonicè*

in

* Abundat hoc vocabulum *plena*.

[a] Cap. 1.

AN. CH. 836. LUDOV. IMP. 23. LOTHAR. IMP. 20. PIPPINI R. 22. LUDOV. R. 20. CAROLI R. 7.

in præscripto Kalendarum die à præfixo Aldrico Episcopo, constituit fieri & plenam refectionem jam dictis Dei servis ministrari. In his quoque prædictis quinque festivitatibus censuit, ut prædicti Canonici & Dei servi acciperent de præfata villa de pane optimo per singulos prædictarum festivitatum dies modios quatuor, arietes optimos sex & de vino optimo modios duos, & de potione optima modium unum, & cetera, sicut in ejus Testamento, quod de eadem re fecit, continentur inserta. Testamentum illud seu Privilegium recitabimus ad annum Redemptoris octingentesimum tricesimum-septimum, quo datum legitur capite Gestorum tricesimo-secundo.

CXVI. *In ipso ordinationis atque consecrationis præscriptæ Matris & Cenomanicæ civitatis Ecclesiæ anno primo, virtutes in suprascripta Ecclesia apparuerunt multæ, videntibus Domino insigniter tribuente multis.* Auctor capite quinto quatuor duntaxat homines, qui sani facti sunt, commemorat; unum, qui *claudus & utrisque pedibus debilis*; alterum, *qui mutus ab ortu nativitatis suæ & surdus erat*; tertium, qui *cæcus*; quartum, qui *plenus dæmonio*. Ceteros in fine capitis collectivè sic complectitur. *Alia quoque innumerabilia signa in suprascripta Ecclesia, & in antedicto primo ordinationis, consecrationis sive reconciliationis suæ anno, necnon & in subsequentibus annis, innumerabilia multis apparuerunt videntibus signa, quæ propter prolixitatem, sive propter tædium lectoris atque auditoris hic non inseruimus, quæ tamen tanta sunt in ejiciendis dæmoniis, in recipiendis gressibus, in reddendis auditibus, & reparandis visibus, sive in reliquis Dei beneficiis, quanta, ut reor, duo vel tres quaterniones minimè capere valerent. Alii autem infirmi tam de febribus quàm de aliis infirmitatibus in suprascripta Ecclesia innumerabiliter multi Domino largiente sunt sanati, atque pristinam sanitatem recipere & plenam meruerunt adipisci salutem.*

CXVII. HILDUINUS ABB. SCRIBIT VITAM S. DIONYSII.

Quæ priore anno de Areopagiticis Hilduini dicta sunt, apertè docent hoc anno scriptam ab eodem Hilduino vitam Sancti Dionysii Martyris Episcopi quondam Parisiensis. Opus illud, quamvis Imperatori pergratum fuerit, approbare non possumus, quia pluribus ex Dionysiis unum conflat, quem Athenis primò, deinde Parisiis Episcopum constituit, Auctorémque librorum Areopagitæ vulgò attributorum facit. Hæc autem quàm aliena sint à vero, multis argumentis ostendimus anno superiore, duos enim Dionysios distinximus, unum Episcopum Atheniensem, alterum Parisiensem Episcopum, observavimúsque utroque recentiorem esse Auctorem librorum, qui sub Areopagitæ nomine circumferri solent. Hæc præcipua sunt controversiæ capita, nostróque sufficere possunt instituto. Joannes Launoïus in Judicio de Areopagiticis accuratiùs eandem Hilduini lucubrationem examinat refellitque.

CXVIII. METHODIUM ET ALIOS GRÆCOS IN ERROREM INDUCIT.

Hilduinus non tantùm Areopagitica scripsit, de quibus suprà, sed, ut Baronius [a] addit, *viventes etiam doctissimos viros*, nempe Michaelem Syngelum & Methodium *visus est ad eadem præstanda hortatus esse; siquidem uterque ipsorum hoc eodem tempore in eodem Scriptorum genere versatus esse reperitur.* Petrus Franciscus Chiffletius in Dissertatione *de uno Dionysio, primùm Areopagita & Episcopo Atheniensi, tum deinde Parisiorum Apostolo & Martyre*, quam anno Christi millesimo sexcentesimo septuagesimo-sexto publicavit, à Baronio longissimè recessit, & Sancti Dionysii vitam Græcè priùs à Methodio, quàm ab Hilduino Latinè scriptam sic asseruit. *Tempus, quo Methodius Sancti Dionysii Passionem descripsit, illud ipsum esse constat, quo ea primùm Græcis comperta est: hoc enim in præfatione sua apertè profitetur, immensum gaudium suum ob illam recèns inventam præ se ferens, cùm eatenus Græcis fuisset incognita. Inventam autem curâ & studio Sancti Tarasii Patriarchæ Constantinopolitani docet nos Hilduinus Abbas in epistola ad Ludovicum Pium Imperatorem, unde & Pallii munus, & Metropolitani dignitatem Atheniensi Episcopo ab eodem Tarasio restitutam fuisse asserit. Fuit Tarasius Patriarcha ex anno 784 in annum 806. Erat per hæc tempora Methodius in flore ætatis, & inter avi sui Monachos*

[a] Tom. 9. a. 834. n. 9.

AN: CH. 836. LUDOV. IMP. 23. LOTHAR. IMP. 20. PIPPINI R. 22. LUDOV. R. 20. CAROLI R. 7.

ingenio præstans, & in Sanctum Dionysium egregiè pius, ut de ejus inventa Passionis historia exultaret, eámque ad multorum usum accommodatam ipse describeret. Hilduinus de Athenis quidem & Tharasio Patriarcha Constantinopolitano sic in suo ad Imperatorem rescripto. *Usque hodie Græcorum Majores & Athenæ incolæ perhibent, Historiarum scriptis & successionum traditionibus docti, in eadem civitate Dionysium tum temporis primum fuisse Episcopum, quando Timotheus Pauli æquè discipulus, Ephesiorum rexit Ecclesiam, ipsumque subrogato sibi Episcopo Romam adiisse, &, ut compererunt, apud Gallorum gentem glorioso Martyrio consummatum fuisse. Quod & Tharasius Patriarcha Constantinopolitanus per Legatos suos sollicitè inquisivit, & ita se eam habere certus, eandem Atheniensium civitatem Pallio Archiepiscopali, quod jam ex ea diuturno tempore, ortâ quadam contentione, subtractum fuerat, redonavit, &, Synodali consensu, Metropolis authoritate, quâ antè functa fuerat, honoravit. Nam à præcedentibus annis usque ad illud tempus, ejusdem civitatis Episcopus nec suberat alteri nisi Patriarchæ, nec juri ejus debitarum sibi Episcopi civitatum subdebantur.* Sed in hoc textu multa sunt corrigenda.

CXIX. Dionysius per provinciam, cujus caput Athenæ, Metropolitanâ Dignitate gavisus insinuatur ab Hilduino, distinctiùs in vita per eundem Hilduinum scripta *Gloriosus Dominus Atheniensium Archiepiscopus* appellatur. At in Ecclesia nomen Archiepiscopi nondum audiebatur ætate Dionysii Areopagitæ.

CXX. Fictitiæ quoque sunt vicissitudines ac mutationes, quas Hilduinus suprà citatus Atheniensi Ecclesiæ perperam attribuit. Athenæ primis Ecclesiæ seculis Corintho ut Metropoli subjacuerunt. Marcianus Imperator Constantinopolitanus obiit Constantino & Rufo Consulibus, ut Cassiodorus & Marcellinus testantur, id est, anno Christi quadringentesimo quinquagesimo-septimo. Successit in Imperium Leo primus, ad quem Tomo quarto Conciliorum extant literæ cum hac inscriptione. *Piissimo & Invictissimo Domino totius terrarum Orbis & Christianissimo Imperatori Leoni, Petrus Episcopus Metropolis Corinthi, & reliqui Episcopi Reverendissimi sub me constituti, Athanasius, Rufinus, Alexander, Candidus, Agatheus, Alexander, Archisimus, Cyriacus, Thales, Domitius, Hosius, Constantinus, Isicius, Joannes, Athanasius, Timotheus, Aphobius, Zoilus, Plutarchus, Gerontius in Domino salutem.* Et in earumdem literarum fine subscriptiones prædictorum Episcoporum positæ sic reperiuntur. *Petrus Episcopus Metropolis Corinthi. Sancta & consubstantialis Trinitas, quæ tuum genus ad munimen fidei Orthodoxæ, & salutem generis humani constituit, pium tranquillitatis tuæ longissimo tempore servet Imperium, venerabilis Imperator. Athanasius Episcopus Atheniensis, similiter. Rufinus Episcopus Thespiensis, similiter. Alexander Episcopus Patrensis, similiter.* &c. Longum ac supervacaneum esset ceterorum Episcoporum subscriptiones exhibere. Textus proximè descripti Corinthum Metropolim repræsentant cum Petro Episcopo Metropolitano, cui viginti subsunt Episcopi suffraganei, atque inter hos *Athanasius Episcopus Atheniensis*. In eodem Conciliorum Volumine, Catalogus habetur Episcoporum Metropolitanorum, quibus Leo Augustus literas direxit, inter illos numeratur Petrus Episcopus Corinthi, nequaquam verò Athanasius Episcopus Athenarum. Deinde anno Christi sexcentesimo octogesimo-primo, mense Septembri, Indictione decimâ jam inchoatâ, sub Agathone Papa, Concilii tertii Constantinopolitani seu sexti Oecumenici actioni duodevicesimæ subscripserunt Stephanus Episcopus Corinthi, & Joannes Episcopus Athenarum. Στέφανος ἐλέῳ Θεοῦ ἐπίσκοπος Κορίνθου. Ἰωάννης ἐλέῳ Θεοῦ ἐπίσκοπος Ἀθηνῶν. At literis, quas eadem Synodus ad Agathonem Romanum Pontificem direxit, soli Metropolitæ subscripserunt, ideóque non invenitur inter subscriptiones nomen Joannis Atheniensis Episcopi, Stephanus autem Corinthiorum Episcopus ita subscripsit. Στέφανος ἐλέῳ Θεοῦ ἐπίσκοπος τῆς Κορινθίων μητροπόλεως τῆς Ἑλλαδικῆς χώρας ὑπὲρ ἐμαυτοῦ, καὶ τῆς ὑπ' ἐμὲ συνόδου ὁμοίως ὑπεσημειωσάμην. *Stephanus misericordiâ Dei Episcopus*

Corinthiorum Metropoleos Græcorum provinciæ pro me & Synodo quæ sub me est similiter subsignavi. In Concilio secundo Nicæno seu septimo Oecumenico, quod habitum est anno Christi septingentesimo octogesimo-septimo, mense Octobri, Indictione undecimâ jam inchoatâ, Hadriano Romano Pontifice, & Tharasio Patriarchâ Constantinopolitano, nullus Episcopus sedit aut Corinthius aut Atheniensis. Anno Redemptoris octingentesimo sexagesimo-nono, mense Octobri cœptum est Concilium quartum Constantinopolitanum sive octavum Oecumenicum, finitúmque pridie Kalendas Martias anno Redemptoris octingentesimo septuagesimo. Tunc Athenæ Metropolitanâ Dignitate decorabantur. Synodo interfuerunt Episcopi, Corinthius & Atheniensis, uterque cum Metropolitæ titulo. Concilii sunt Actiones decem; in quinque prioribus Nicetas Athenarum Metropolita nominatur, in nona Hilario Corinthi Metropolita, in ceteris ambo Metropolitæ, Nicetas Athenarum, Hilario Corinthi, denique Concilio sic inter Metropolitas subscribunt. *Niceta misericordiâ Dei Metropolita Athenarum omnia, quæ in sancta & universali Synodo judicata sunt & definita, libenter suscipiens subscripsi manu propriâ. Hilarius misericordiâ Dei Metropolita Corinthi omnia, quæ in sancta & universali Synodo judicata sunt & definita, libenter suscipiens subscripsi manu propriâ.* Provincia igitur, quæ Corinthiaca nuncupabatur à Metropoli Corintho, divisa fuit in duas, quarum uni servata Metropolis Corinthus, alteri Metropolis Athenæ datæ. Partitioni causam fecit amplitudo provinciæ, ut autem novæ provinciæ caput haberentur Athenæ, splendor civitatis & memoria Dionysii Areopagitæ facilè obtinuerunt. Quonam tempore facta sit hæc provinciarum divisio, non apertè constat. Illius authorem Tharasium Patriarcham Constantinopolitanum, cujus obitus cum anno Redemptoris octingentesimo sexto coincidit, insinuat Hilduinus, ubi de eodem Tharasio scribit, quòd *Atheniensium civitatem Pallio Archiepiscopali & Metropolis authoritate honoravit.* Esto. Demus id Hilduino. Commentitia sunt cetera, quæ profert de Athenarum civitate, vel antiquioribus seculis Metropolitana, vel post amissam Metropoleos dignitatem non *alteri nisi Patriarchæ* Constantinopolitano subdita. Fortassis exemptæ à jurisdictione Corinthii Metropolitæ & Patriarchæ Constantinopolitano priùs subjectæ fuerunt Athenæ, quàm titulum Metropoleos adipiscerentur.

AN. CH. 836. LUDOV. IMP. 23. LOTHAR. IMP. 20. PIPPINI R. 22. LUDOV. R. 20. CAROLI R. 7.

CXXI. Deinde apud Hilduinum Tharasius Patriarcha Constantinopolitanus, utrùm Dionysius Pauli Apostoli discipulus ac primus Athenarum Episcopus Martyrium *apud Gallorum gentem* consummarit, sollicitè per Legatos suos inquirit, comperitque id certum reputari. Pippino Rege hæc de Passione Dionysii Areopagitæ per Galliam spargi cœpit opinio. Quapropter inficias non imus eam Tharasio telatam esse, cujus Patriarchatus cum Caroli Magni Principatu & Imperio coincidit. Sed non inde sequitur Methodium priùs de Martyrio Dionysii quàm Hilduinum scripsisse. Factus est Methodius Patriarcha Constantinopolitanus anno Redemptoris octingentesimo quadragesimo-secundo, migravitque in cælum octavo Kalendas Julias, anno Redemptoris octingentesimo quadragesimo-septimo, seu, postquàm Hilduinus calamo manum admovit, anno duodecimo. Quominùs Methodii lucubrationem in postremam ejus ætatem post accepta lectáque Hilduini Areopagitica rejiciamus, nihil vetat. Imò non levis, quâ nostram fulciamus sententiam, ex ipsismet Areopagiticis occurrit ratio. Methodius enim Dionysium *septimo Idus mensis Octobris sub Domitiano Imperatore* passum affirmavit. Nec illud ab alio didicit quàm ab Hilduino, qui Martyrium ejusdem Dionysii consignavit *septimo Idus Octobris, Imperii Domitiani crudelissimi Cæsaris anno decimo-sexto ingruente.* Solus Hilduinus impulisse Methodium videtur, ut à recepta Græcorum opinione recederet, & quem hi Dionysium Martyrem quinto Nonas Octobris recolebant, cum

AN. CH. 836. LUDOV. IMP. 23. LOTHAR. IMP. 20. PIPPINI R. 22. LUDOV. R. 20. CAROLI R. 7.

Gallis septimo Idus ejusdem mensis veneraretur. Methodii lucubrationem Latinitate donavit Anastasius Bibliothecarius, ut suo loco diximus sub Carolo Calvo tunc Imperatore. Petrus Lanssellus anno Christi millesimo sexcentesimo decimo-quinto Latinè quoque reddidit aliam Dionysii vitam, cujus Auctorem facit prædictum Methodium, alii Metrodorum, Μ... ὡς ἄλλοι Μεθόδιον. Apud hunc Biographum Dionysius Martyrium consummat ἑβδόμῃ καλανδῶν Ὀκτωβρίων, ἐπὶ Δομετιανοῦ βασιλέως, septimo Calendas Octobris Domitiano Imperatore. Forrassis irrepsit mendum, & ... loco positæ sunt Calendæ, ita ut septimo Calendas Octobris Martyrio coronatus asseratur, quem septimo Idus Octobris passum memorant ... nus & genuinus Methodius Anastasii. Hilduinum certè legit Auctor ... tus à Lansselio, Parisiorum enim situm & amœnitatem eodem, quo Hilduinus, modo descripsit, amputatis nonnullis, quæ de amplitudine urbis, Sede Regia, & Conventu Gallorum ac Germanorum ad ætatem Dionysii Areopagitæ minùs apposite dicta reperit, ipsámque urbem non dubitavit parvam appellare, qualem sciebat Domitiani temporibus extitisse. Michael Syngelus ob eandem rationem Parisios πολίχνην, interpreti *parvum oppidulum*, vocavit; *ἐν Παρισίᾳ πολίχνῃ*. Hic Auctor Methodio non est antiquior, uterque verò recentior Hilduino, quapropter neutri potiùs quàm huic credendum, rectéque Baronius eundem Hilduinum ait adhortatum esse doctissimos viros in Græcia tum viventes, ut Areopagitica seu Gesta Dionysii Areopagitæ conscriberent.

CXXII. Maximis contentionibus ætate nostrâ disputatum est de Dionysio Areopagita, quem alii eundem cum primo Parisiorum Episcopo, alii longè diversum constituerunt. Quicquid ab eruditis viris super illa materia scriptum fuit, attentè legimus indagandæ tantùm veritatis ergò. Sæpè doluimus utrarumque partium Scriptores in contumelias & convicia prorupisse, neglectis legibus justæ disputationis, quæ non alio debuerat consilio moveri quàm ut verum cognosceretur. Quis ferat Hilduini opinionem ab adversariis *Hilduinianam heresim* appellari? Quis patiatur ab Hilduini asseclis eos *impios & sacrilegos* dici, qui recedunt ab Hilduino? Nullum è nostro calamo putamus excidisse verbum, quo vel levissimè læsum se quis jure conqueri possit. In eam ivimus opinionem, quam alteri præferendam post accuratum diuturnúmque rationum & Auctorum examen arbitrati sumus. ... qui tamen reclamabunt contendéntve non expedire, ut res hujusce... discutiatur aut in quæstionem vocetur, respondebimus cum Sirmondo [a] non parum interesse Parisiensium si provideatur, ut quam Apostolo gratiam debent, eam alieno non tribuant; & injuriam esse non levem ... Ecclesiam, si cùm duos Sanctitate præstantes Episcopos habeat, alter detrahatur.

[a] In Not. ad ep. Lud. Imp. ad Hilduin.

CXXIII. Convoïon quater adit Ludovicum Imp.

Covoïonus seu Convoïon vir apud Armoricos insignis pietate Ludovicum Augustum diversis temporibus in variis locis, putà Lemovicis, Turonis, in Theodonis villa & Aquisgrani commorantem adiit. Hæ quatuor ad Imperatoris comitatum itiones narrantur in ejusdem Convoïonis vita [b], sed absque Chronologico Charactere. Quapropter primam hactenus solam memoravimus ad annum Redemptoris octingentesimum tricesimum secundum [c], quo Ludovicus in Aquitaniam contra Pippinum filium tunc rebellantem movit, & Octobri mense Lemovicas incoluit. Quibus annis ceteræ sint consignandæ, manet inquirendum.

[b] Tom. 2. Sec. 4. Benedict.

[c] Nu. 7. 8. 9.

CXXIV. Secunda sic refertur in eadem [d] vita. *Iterum Sanctus ac Venerabilis Convoïon Abbas expetiit Palatium Lodovici Imperatoris, qui in illis diebus Turonis aderat, pervenitque supradictus vir unà cum Venerabili viro, nomine Cumdeluc, ad Palatium Regis. Supervenerant enim & alii nobiles viri de Britannia pro diversis causis atque utilitatibus suis. Cúmque vellet loqui cum Imperatore, & munuscula offerre, ilicò dejectus est à præsentia ejus, sicut dejectus priùs fuerat, reversúsque ad hospitium*

[d] Lib. 1. c. 10.

suum, dixitque Confratri suo Cumdeluc: Nondum aperuit Dominus cor Imperatoris, ut daret aliquid nobis, quia cor Regis in manu Dei est. Tu verò, carissime frater, festinanter perge ad nundinas, & vende ceram, quam adtulimus Imperatori. Mabillonius quo primam profectionem anno, secundam quoque sub ejusdem anni finem in suis notis collocat, quando Ludovicus in Neustriam ex Aquitania redibat, Cenomannúmque contendebat ibi diem Domini Natalem cum Aldrico Cenomannensium Episcopo nuper ordinato celebraturus. At duæ res refragantur. Inter utramque profectionem adcò brevis non placet mora. Deinde Ludovicus exeunte anno Redemptoris octingentesimo tricesimo-secundo, non ingressus est Turonos in suo ex Aquitania reditu cùm in Cenomannensem civitatem proficiscebatur, imò Turonis ad dexteram procul relictis Ligerim prope Sorelli montem intra fines Andegaviæ transiit. Recurrendum potiùs videtur ad annum Redemptoris octingentesimum tricesimum-quartum, quo Ludovicus ab urbe Lingonensi contra Lotharianos Duces in Cenomanniam usque cum copiis perrexit. Illud Imperatoris iter Annalista Bertinianus ita describit [a]. *Convocavit exercitum Lingonis medio mense Augusto, ibique annualia dona suscipiens, continuò ad liberandum populum contra invasores regni iter per Tricassinorum & Carnotum ac Dunensium regiones juxta Blisum Castellum unà cùm filio suo Ludoico pervenit, illicque castra metatus est.* Cenomanniæ non meminit hic Auctor. Aliunde verò discimus Imperatorem illo anno Cenomanni fuisse visum, ubi, priusquàm in pago Blesensi pacem amicitiámque cum Lothario filio redintegraret, Præceptum emiserit Regium, quod suo loco recitavimus integrum cum hoc initio [b]. *In Nomine Domini Dei & Salvatoris nostri Jesu Christi. Hludovicus divinâ ordinante providentiâ Imperator Augustus. Si his, qui Deo debitum exhibent famulatum* &c. Et istâ subscriptione. *Actum Cenomanis civitate in Dei Nomine feliciter. Amen.* In dubio non ponimus quin præter Cenomannum Imperator Turonos aliásque nobilissimas in vicinia lustrari civitates, aut in officio continendas, aut revocandas à defectione, nec ut de Turonis ac Cenomanno sic sentiamus, alio nobis opus est argumento quàm quòd Teuto Majoretanus Abbas & Guido Comes Cenomannensis in prælio contra Lothariam factionem ad Marcham Britannicam nuper occubuerant. Observat Mabillonius hanc apud Francos fuisse consuetudinem, ut nemo Regem vacuis salutaret manibus, exemplum profert proximè recitatum de Conwoïone Abbate qui ceram per Cumdeluc sodalem suum Imperatori deferendam curavit, & repulsam ab eodem Ludovico passus, ad nundinas ire citò præcepit Cumdelucum ut prædictam venderet ceram quâ non amplius indigebat.

Tertia Conwoïonis ad Ludovicum Augustum profectio sic habetur. CXXV.

Profectus est iterum venerabilis Conwoion ad Lodovicum Imperatorem, qui tunc morabatur in Teotone-villa. Eo namque tempore erat Hermor Episcopus, simul & Felix Episcopus in Palatio Regis. Statim autem ut audivit Hermor causas & necessitates ejus, gavisus est, intimavitque Regi omnia de eo. Tunc immutavit Dominus cor Imperatoris, & locutus est benignè, & placuit ei quod Nominoe fecerat: & non solùm illum tradidit sanctum locum sancto viro; insuper etiam totam plebem BAIN, sed & aliam plebem nomine LANCUM, tradidit Sancto Salvatori & suis Monachis in eleemosyna sempiterna pro anima sua & pro incolomitate filiorum suorum, & pro pace totius Christianitatis, quamdiu hoc præsens sæculum duraverit. Fecitque ei præceptionem de sancto loco Rotonensi, & de plebibus supradictis, atque anulo suo signare jussit, videntibus cunctis qui in Palatio commorabantur, & mandavit hoc factum Nominoe Principi per Worworet Legatum suum ita dicens: Nemo sit eis molestus in ulla re, nec audeat quisquam eos inquietare, qui Deum quotidie postulant pro incolomitate Regis & filiorum ejus, & pro pace totius orbis. Reversus est ergo venerabilis Conwoion ad Monasterium suum, retulitque Fratribus cuncta quæ gesserat, & quomodo immutaverat Dominus cor Imperatoris

AN. CH. 836. Ludov. Imp. 23. Lothar. Imp. 20. Pippini R. 22. Ludov. R. 20. Caroli R. 7.

[a] An. 834.

[b] An. 834. n. 77.

AN. CH. 836. LUDOV. IMP. 23. LOTHAR. IMP. 20. PIPPINI R. 22. LUDOV. R. 20. CAROLI R. 7.

super eo in benefacto suo. Illi verò gratias Deo agentes, in commune Deum una voce benedixerunt, qui salvos facit sperantes in se: atque ex illa die in fide con[illegible] fortati, magis ac magis in Deum proficiebant, crescebantque cotidie in carit[illegible] Christi, mundum spernentes, Deo verò adhærentes. Christus namque loquitur [illegible] Evangelio dicens: Petite & dabitur vobis, quærite & invenietis, pulsate & [illegible] rietur vobis. Omnis enim qui petit accipit; & qui quærit invenit; & [illegible] aperietur. Nam & in alio loco ipse Dominus ait: Nolite solliciti esse [illegible] Quid manducabimus, aut quid bibemus, aut quo operiemur? Scit enim [illegible] vester cælestis quid vobis necesse sit. Ut anno superiore sic & hoc [illegible] Ludovicus Imperator moras in Theodonis villa fecit. Abhinc [illegible] quadriennio vixit. Hac temporis intercapedine moratus in illa [illegible] legitur. Atque inde colligimus Conwoionem ad Theodonis villam ve[illegible] nisse vel anno superiori Redemptoris octingentesimo trigesimo-quinto, vel hoc ipso anno Redemptoris octingentesimo trigesimo-sexto. Mabillonius annum Redemptoris octingentesimum trigesimum-quintum consignat. In eandem imus opinionem, maximè quia Hermor sive Ermor Alerensis Episcopus illo anno vitam terminavit [a]. Felix Episcopus cujus nomen in nuperrimo textu memoratur, Episcopatum Corisopitensem * gubernavit.

[a] An. 835. n. 104.
* Cornouaille.

CXXVI. Quarta Convoïonis ad Imperatorem profectio subjicitur sic. *In tempor[illegible] Lodovici Imperatoris discordia facta est inter Francos & Britones. Nam Franc[illegible] volebant per vim totam Britanniam occupare, sicut antea solebant facere: sed for[illegible] tissimus Princeps Nominoë, quantum valebat, illis contradicebat. Tunc eodem tempore transmisit supradictus Nominoë Legatos suos ad eundem Imperatorem, qui e[illegible] dicerent, utrum ex jussione illius hæc ita essent. Quod audiens venerabilis Conwoïon Abbas, simul cum eis perrexit ad Palatium, vocabulo Aquis. Exstiterat enim quidam Comes, nomine Gonfredus qui sperabat totam provinciam Venetiæ ex jussio[illegible] Imperatoris possidere. Audierat enim quòd Imperator dedisset locum sacratum [illegible] tonensem Conwoïono sancto viro & suis Monachis in eodem loco Deo servientib[illegible] Qui cœpit objurgare eos, & minas imponere eis, quia nolebat ut illi Sancti [illegible] locum habitarent. Stetitque venerabilis Conwoïon ante Imperatorem, deprecatusq[illegible] est eum dicens: Concedite, concedite loqui cum servulo vestro. Imperator verò nu[illegible] Dei compunctus stetit, & sic ait, Loquere, Frater, quantum vis. Ille statim ostendit ei præceptum. Quod ipse dederat, & subintulit: Non possumus, ô Auguste, in loco quem dedisti famulis tuis quietè vivere, sed multitudo Monachorum non [illegible] sunt illic habitare, nisi eos amplius adjuvaveris. Imperator ad hæc respondit: [illegible] est petitio vestra, aut quid desideratis, ut faciam vobis? Ilico reverentissimus [illegible] woïon ostendit petitionem suam. Sicque factum est, ut quod petierat, obtineret [illegible] verò die dedit Lodovicus Imperator Abbati Conwoïono plebem, quæ dicitur Ra[illegible] atque aliam plebeculam, quæ vocatur Placia, necnon & aliam plebiculam, quæ nuncupatur Ardon, sicut adjacent cunctis finibus suis, pro regno Dei & prosperitate Imperii sui usque ad finem sæculi.* Ludovicus Imperator vitam ad annum usque Redemptoris octingentesimum quadragesimum prorogavit. Postremo Imperii sui quadriennio nullum prætermisit annum quo moras Aquisgrani non egerit, teste Astronomo in ejus vita. Singulorum annorum exempla suis locis proferemus, & quod omnium probabilissimum nobis visum fuerit, cæteris anteponemus.

AN. CH. 837. LUDOV. IMP. 24. LOTHAR. IMP. 21. PIPPINI R. 23. LUDOV. R. 21. CAROLI R. 8.

ANNUS				
CHRISTI		837.		
LUDOVICI	IMP.	24.		
	REG.	57.	32.	20.
LOTHARII	IMP.	21.	15.	
	REG.	23.	15.	5.
PIPPINI III.	REG.	23.	21.	3.
LUDOVICI	REG.	21.	12.	3.
CAROLI	REG.	8.	5.	3.
INDICTIO		15.		

I. LUDOVICUS AUG. RES ECCLESIIS ABLATAS RESTITUIT.

ANNO DCCCXXXVII *Imperator Purificatione Beatæ semper Virginis Mariæ Episcoporum Conventum in Aquis habuit, in quo de Sanctis Dei Ecclesiis plurimum tractatum est, & quid cuique ordine proprio conveniret patefactum atque descriptum est, qui * cum salutis suæ magnopere monuerunt, & insuper ut memor moris progenitorum suorum, præcipuè Piissimi Genitoris sui, res Ecclesiarum Dei pridem à suis invasas atque direptas integritati earum restitueret, ne tali etiam occasione divinam contra se iracundiam ardentiùs incitaret. Qui tantorum Patrum assensus consilio cuncta restituit, ac singulis Ecclesiis easdem rescriptionibus annulo suo roboratis propriè resignavit.* Hæc Annalista Bertinianus.

* Edit. qua.

II. PRIVILEGIA PRO ECCLESIA CENOMANNENSI.

Hoc anno Pascha cum Kalendis Aprilibus coincidit. Illo die data sunt ab Aldrico Cenomannensium Episcopo Privilegia duo, quorum unum in ejusdem Aldrici Gestis invenitur capite tricesimo-secundo, alterum capite tricesimo-quarto.

III.

Primum, sic. *In Nomine Sancti Salvatoris & veneratione Sanctæ Dei Genitricis Mariæ Sanctorúmque Martyrum Stephani, Gervasii & Prothasii, quorum Ecclesiæ Titularius, licèt indignè, esse videor, ego Aldricus Cenomanicæ urbis indignus & peccator Episcopus primo anno ordinationis meæ,* sive anno Redemptoris octingentesimo tricesimo-tertio, *oppido mœstus de conversatione Fratrum & Canonicorum nostrorum, quadam nocte in oratione * positus, ut credo, divinitus inspiratus, cœpi cogitare ut rationabiliùs & canonicè viverent, atque quod multo sen, ut fertur, nullo transacto tempore habuere claustrum haberent, in quo canonicè & regulariter conversarentur, & religiosè ac canonialiter Domino devotè famulantes præsentibus scilicet atque futuris temporibus inhabitarent. Memorato ergo in tempore per consensum Landramni Venerabilis nostri Archiepiscopi, seu & per exortationem comprovincialium nostrorum omnium Episcoporum, dedi prædictis Canonicis nostris domum in dextera & Australi parte constructam nostræ Sedis & Matris Ecclesiæ, quæ est consecrata in honore Sancti Salvatoris, & in nomine ac veneratione prædictorum Sanctorum, id est, Sanctæ Dei Genitricis Mariæ, Sanctorum Martyrum Gervasii & Prothasii sive Sancti Stephani, simulque in veneratione & nomine omnium Sanctorum; quæ etiam in domo ego & Antecesso-*

* Edit. ratione.

AN. CH. 837. LUDOV. IMP. 24. LOTHAR. IMP. 21. PIPPINI R. 23. LUDOV. R. 21. CAROLI R. 8.

*res mei dudum inhabitare solebamus. Prædictam ergo domum nostram atque præfatum locum cum omnibus ædificiis superpositis & ædificatis dedi Canonicis nostris secundùm Ordinem Canonicum ad inhabitandum. Ipsum quoque locum demum in modum Claustri juxta virium mearum imbecillitatem restaurare curavi, & ibidem secundùm Canonicam Institutionem ac Sanctorum Patrum Ordinem canonicaliter Deo & prædictæ Ecclesiæ servientes pariter institui degere vitam & ad canonicas pari modo cunctos devotissimè concurrere horas, ac tempore refectionis, ut sanctus canonialis Ordo docet, ad eorum refectorium * nostri operis studio noviter ædificatum ad reficiendum occurrant, & omnia quæ ad corporis sustentationem pertinent, secundùm Ordinem Canonicum pleniter percipiant. Hac * ergo ita peracta *, accessi humiliter ad Clementiam Domni & Senioris nostri Hludovici Piissimi Imperatoris, petens ab eo, ut pro sua largissima eleemosyna aliquid de rebus nostræ Sedis ac Matris Ecclesiæ quas Vassi Dominici per ejus beneficium tenebant mihi reddidisset. Quam petitionem Domino annuente non renuit, sed sicut deprecatus sum adimplevit, & per Præceptum suum suo quippe annulo sigillatum, confirmavit. Hac * autem taliter peracta * & à sua clementia impetrata *, petii ut mihi licentiam daret, ut aliquid de ipsis rebus ad necessaria Fratrum & Canonicorum nostrorum quas mihi reddidit tribuerem. Quod ita & fecit. Tunc ergo gratulanti animo in eleemosyna & memoria jam dicti Domni mei Hludovici Piissimi Augusti dedi sanâ mente & prompto animo præfixis Fratribus & Canonicis nostris, unà cum consensu præfati Domni Landramni Turonensis Ecclesiæ Archiepiscopi & aliorum omnium scilicet comprovincialium Coepiscoporum nostrorum, ad supplementum memoratorum fratrum nostrorum atque Canonicorum nostrorum, in pago Cenomanico infra quintam,* id est, infra quintum milliare *præfixæ civitatis, villam unam nomine Buxarias cum omnibus ad se pertinentibus, & silvam aliquam quæ Follicionis vocatur cum omni integritate, atque futuris temporibus ad eorum supplementum augendum per hoc Testamentum confirmavi. Ita sanè hoc feci, ut per singulos annos habeant memorati Fratres de prædicta villa in Festivitate dedicationis Occidentalis partis Matris & Senioris Ecclesiæ, quæ est* XI *Kal. Juliarum die, in qua etiam parte Occidentali est in suprascripto die sacratum Altare in honore Sancti Johannis, & alia duo in honore aliorum Sanctorum quorum nomina super ipsa Altaria sunt conscripta, & quartum Altare desuper in solario constructum in honore omnium Sanctorum dinoscitur in jam dicto die à nobis esse sacratum. In memorato itaque* XI *Kal. Juliarum die, in veneratione jam dictæ Dedicationis & Solemnitatis, de prædicta villa Buxarias statuentes per hoc Testamentum censemus, & censentes consultu & exhortatione multorum Episcoporum ac Sacerdotum devotissimè statuimus, ut accipiant suprascripti Canonici & Fratres nostri de frumento optimo modios sex, & de vino optimo modios quatuor, & insuper de potione quæ vulgò alizona dicitur modium unum, & arietes optimos quatuor, & porcos optimos duos. Et in Dedicatione Ecclesiæ Sancti Stephani, quæ est infra Claustrum constructa, cujus Festivitas Dedicationis est* V *Idus Novembris, similiter habeant Fratres de frumento optimo modios sex, & de vino optimo modios quatuor, & insuper de potione quæ dicitur silvia modium unum, & friscingas porcinas perbonas duas, & arietes quatuor. In Anniversario etiam Ordinationis nostræ, quæ celebratur* XII *Kal. Januarias, quæ tamen anticipatur unâ die propter Dedicationem Matris & Senioris nostræ Sedis Ecclesiæ quæ est* XI *Kal. Januarias, habeant prædicti Fratres ad eorum refectionem de frumento optimo modios sex, & de vino optimo modios quatuor, & insuper potionem de finiculo modium unum, & ad pisces emendos de argento solidos quinque, de caseo autem modium unum, & de legumine optimo similiter modium unum. In Dedicatione verò absidæ Matris & Senioris nostræ urbis Ecclesiæ, quam noviter ædificavi atque reædificare studui, quam & in honore Sancti Salvatoris & in Nomine Sanctæ Dei Genitricis Mariæ Sanctorúmque Martyrum, Stephani, Gervasii, & Prothasii, simúlque in honore & veneratione omnium Sanctorum* XI *Kal. Januariarum die cum aliis Episcopis & Sacerdotibus multis solemniter dedicavi, & multorum Sanctorum Reliquias in ea propriis manibus collocavi,*

* Edit. refectionem.
** Accusativus absolutus.
*** Accusativus absolutus.

AN. CH. 837. LUDOV. IMP. 24. LOTHAR. IMP. 21. PIPPINI R. 23. LUDOV. R. 21. CAROLI R. 8.

*locavi, sive de Corpore proprio Sanctorum Martyrum Gervasii & Prothasii in Confessione senioris Altaris Reliquias dedicando decenter composui. In ipsa ergo Festivitate habeant jam dicti Fratres de frumento optimo modios sex, de vino autem optimo modios quatuor, insuper & de costo optimo modium unum, & ad pisces emendos solidos quinque, de casco vero modium unum, & de legumine similiter modium unum. Hæc autem omnia de præfata villa Buxarias memoratis Fratribus, veluti præfixum est, devotissimè ministrentur. Eâ scilicet ratione hæc illis dare censuimus, ut prædictas quinque Festivitates sæpedicti Fratres solemniter & devotissimè celebrent adjunctos * sibi Monasteriales * omnes, sive suburbanos * Sacerdotes & reliquos * Clericos, qui in supradictas Festivitatum Vigilias devotissimè veniant, & tunc manè prima revestiti in Ecclesia, cujus Festivitas celebratur, devotissimè adesse procurent, ministrante autem eis Custode ipsius Ecclesiæ oblatas & vinum sufficienter inibi per singula Altaria pro me peccatore, dum advixero, unusquisque Sacerdos Missam decantet unam & ampliùs si libuerit & caritas ministraverit, & unusquisque Clericus Psalmos quinquaginta & ampliùs quantùm dilectio & amor Dei instigaverit. Ipsos autem Psalmos tam ipsi Canonici quam & suburbani vel Monasteriales Clerici alterius Chori in præfata Ecclesia vicissim decantare studeant. Post obitum verò meum, quando Deus voluerit, in prædictis Festivitatibus futuris temporibus similiter pro defuncto faciant tam in Missis quàm & Psalmodiis humiliter precamur. Hæc * ergo omnia * diligenter peracta *, horâ tertiâ in publicum prodeant officium, ipsius diei festivam peragentes Solemnitatem. Peracto autem solemniter prædicta Festivitatis officio, tunc in Refectorio una cum prædictis Monasterialibus & suburbanis Sacerdotibus ac Clericis religiosè lectionem continuò audientes & intendentes religiosissimè & cum silentio reficiant. Hoc ergo summoperè suppliciter obsecro sanctos successores meos & Præpositos ac Magistros seu Ministros Canonicorum prædictorum, sive ipsos Canonicos, præsentes scilicet & futuros, ut prædictos suburbanos seu Monasteriales Sacerdotes & Clericos, qui ad prædictam Festivitatem venerint, & suprascriptas orationes pro me miserrimo peccatore fecerint, à memorata refectione & ab eorum refectorio à se non excludant, sed si aliquâ necessitate factum fuerit, tunc statuentes imploramus ut unus Canonicorum benè fidelis de prædictis stipendiis, quæ de memorata villa Buxarias tribuuntur, accipiat unum modium panis & alterum vini, insuper & de jam dicta potione sextaria quatuor, & unam friscingam qualem meliorem invenerit, & ex his, illis præparet infra præfixum Claustrum in optimo loco devotè & religiosè refectionem plenam, sed magis opto & supplex deprecor ut cum sæpedictis Canonicis nostris in refectorio cum illis religiosissimè reficiant, solemniter quoque prædictas dies ducentes, & de tantis Festivitatibus lætantes, Deúmque in omnibus laudantes ac deprecantes, ut tranquillam hanc degere valeant vitam, & præmia æterna vitæ percipere mereantur. Insuper de prædictis stipendiis deprecans sanctos successores meos atque Ministros præfatæ Matris Ecclesiæ contestor, atque contestans humiliter deprecor, ut unum modium de præfixo pane per singulas jam dictas Festivitates, & alium de prædicto vino, & de præfatis friscingis unam quadraginta pauperibus in singulis memoratis Festivitatibus tribuant, & in optimo loco ex his eis refectionem præparent, qui inde refectionem habentes Dominum Salvatorem mundi collaudent, & pro me miserrimo peccatore vivo atque defuncto orare studeant, qualiter cum Sanctis & electis Dei æternaliter lætari valeant, & vitâ frui perpetuâ merear. Amen. Quicquid autem in jam dicta villa ampliùs elaboratum & acquisitum quàm superiùs in prædictis Festivitatibus ministrandum insertum est de qualicumque justo ingenio vel arte, hoc ipsum veniat ad communem utilitatem prædictorum fratrum & ad eorum refectionum augmentum proficiat, & nihil eis de sumptibus præfata villa à quoquam substractum vel minoratum fiat, ut magis ac magis Domini Omnipotentis servitium adimplere valeant, & pro perpetuitate Imperii Domni & Senioris nostri Hludovici præscripti Piissimique Imperatoris & sospitate conjugis & prolis ejus atque invictissima sui exercitûs victoria exorare humillimè delectetur, & quasi ad vestigia pedum eorum provolutus deprecor universos in hac Sede*

*** Accusativus absolutus.

*** Accusativus absolutus.

AN. CH. 837. LUDOV. IMP. 24. LOTHAR. IMP. 21. PIPPINI R. 23. LUDOV. R. 21. CAROLI R. 8.

*succedentes, ut hanc firmitatem quam pro amore Domini Salvatoris & veneratione Sanctæ Dei Genitricis Mariæ Sanctorúmque Martyrum, Stephani, Gervasii, & Prothasii, atque omnium in veneratione Sanctorum & eleemosyna sæpedicti Domni Hludovici Imperatoris, ac per ejus licentiam pro pondere peccaminum meorum fieri decertavi, in perpetuum conservent esse mansuram. Quam devotionem si quisspiam violare præsumpserit, ante tribunal Christi, pro cujus amore hoc factum esse dinoscitur, tremebundam in judicium deducat rationem. Ego Aldricus Cenomanicæ urbis indignus & peccator Episcopus hoc Testamentum à me factum subscripsi. Ursmarus indignus Turonicæ urbis Archiepiscopus huic Testamento annuens subscripsi. Dodo humilis Andecavensium Antistes huic Testamenti decreto assensum præbui & subscripsi. Jonas indignus Episcopus huic Testamento annuens subscripsi. Ego Autcarius Magontiæ urbis Archiepiscopus subscripsi. Ebroinus indignus Episcopus huic Testamento annuens subscripsi. Guntaraus indignus Episcopus huic Testamento annuens subscripsi. Ego Erchinraans Parisiacæ urbis Episcopus hoc Testamentum deprecante Aldrico Episcopo subscripsi. Warnarius indignus Episcopus huic Testamento subscripsi. Ego Echardus Episcopus hoc Testamentum deprecante Aldrico Episcopo subscripsi. Theodericus Cameracensis urbis Episcopus hoc Testamentum subscripsi. David Chorepiscopus subscripsi. Austeus Decanus subscripsi. Godenus Archipresbyter subscripsi. Ricardus Presbyter subscripsi. Dedevinus Archipresbyter subscripsi. Ervardus licèt indignus Presbyter subscripsi. Geraldus subscripsi. Gansuinus Presbyter subscripsi. Ascaricus Presbyter subscripsi. Alexander Presbyter subscripsi. Gerihannus Presbyter subscripsi. Wineboldus Presbyter subscripsi. Flodoinus Presbyter subscripsi. Flodebertus Presbyter subscripsi. Anisacharus Diaconus subscripsi. Rodricus Diaconus subscripsi. Regnogardus modicus subscripsi. Vivaldus Subdiaconus subscripsi. Data Kalend. April. in die sancto Pascha, anno Incarnationis Dominica DCCCXXXVII, Indictione vera XV, anno quoque XXIIII * Imperii Domini nostri Hludovici Gloriosissimi Imperatoris, & anno Ordinationis nostræ quinto. Actum ergo Cenomanica in urbe publicè * in Dei Nomine feliciter. Amen.*

* Edit. XXIII.

* Edit. publica.

IV. Ex hujus Privilegii textu patet Aldrici temporibus in urbe Cenomannica dubitatum ab incolis fuisse, utrùm aliàs *multo*, an *nullo* unquam *tempore* Cenomannenses Canonici Claustrum habuerint, quale pòst extructum ab eodem Aldrico. Nec levis ex eo difficultas oboritur, quòd in eodem textu quinque commendantur Festivitates collectivè, quatuor verò duntaxat per ordinem recensentur, undecimo Kalendas Julii, Dedicatio Occidentalis partis Matris & Senioris Ecclesiæ; quinto Kalendas Novembris, Dedicatio Ecclesiæ Sancti Stephani intra Claustrum constructæ; duodecimo Kalendas Januarias, Ordinatio Aldrici Episcopi; undecimo easdem Kalendas, Dedicatio absidæ Matris & Senioris Ecclesiæ. Sed inseri secundo loco debet Assumptio Sanctæ Dei Genitricis Mariæ, *quæ est XVIII Kalendar. Septemb. die*, & in iisdem Aldrici Gestis memoratur capite quarto ad annum [a] priorem suprà descripto. Quin & capite vicesimo-quinto recensentur sex Festivitates, additâ sextâ, Dedicatione videlicet Ecclesiæ, quam Aldricus in puellari Monasterio *inter murum civitatis & fluvium Sartha* reparavit, & *in honore Domini Salvatoris & Sanctæ ejusdem Dei Genitricis Mariæ, Sanctorúmque Martyrum, Stephani, Gervasii & Prothasii, IV Idus Octob. canonicè atque solemniter dedicavit*, ut habetur capite vicesimo-sexto, in quo nec istius Festivitatis omittitur refectio, quæ debet esse talis, ut Canonici & Monachæ *accipiant* illo die *per singulos annos de pane optimo modios quatuor, & frisingas porcinas optimas quatuor, & de vino optimo modios quatuor, tam in vita ipsius Aldrici quàm & post ejus obitum.* In hac festivitate, ut in illis, quæ fiunt undecimo Kalendas Julii, duodecimo Kalendas Septembris, & quinto Kalendas Novembris, non soli conceduntur cibi Quadragesimales, ut in ceteris duabus, quæ duodecimo & undecimo Kalendas Januarii paucis ante Natalem Domini diebus in Adventu recoluntur, íd-

[a] Num. 115.

AN. CH. 837. Ludov. Imp. 24. Lothar. Imp. 21. Pippini R. 23. Ludov. R. 21. Caroli R. 8.

que nobis videtur observatione dignissimum. Ut autem prædictas sex Festivitates distinctiùs discernas, in Aldrici Gestis, non tantùm caput vicesimum-quintum in quo clarè distinguuntur, & caput vicesimum-sextum in quo peculiaris fit mentio Festivitatis cum quarto Idus Octobres concurrentis, sed & à capite decimo-septimo ad vicesimum-quintum attentè intermedia lege, in quibus eædem sex Festivitates sigillatim commemorantur.

V. In Aldrici Diplomate suprà recitato subscriptio duos habet nævos; unum, in anno Ludovici Imperatoris; alterum, in voce *publica*. Expuncto Ludovici Imperatoris anno XXIII, reposuimus XXIIII, qui per mensem Aprilem cum anno Redemptoris octingentesimo tricesimo-septimo, Aldrici Episcopi quinto, & Indictione decimâ-quintâ rectè comparatur. Deinde rejecto ad oram hoc epitheto *publica* restituimus adverbium *publicè*, atque hæc emendatio nititur altero ejusdem diei Diplomate, cujus subscriptio sic clauditur. *Actum ergo Cenomanica in urbe publicè, in Dei Nomine feliciter. Amen.*

VI. Quod attinet ad Pontifices, qui Chartæ subscripserunt, numero sunt duodecim, Archiepiscopi duo, novem Episcopi cum uno Chorepiscopo. Metropolitæ *Ursinarus* & *Autcarius*. Episcopi, *Aldricus*, *Dodo*, *Jonas*, *Ebroinus*, *Guntardus*, *Erchinradus*, *Warnarius*, *Echardus*, *Theodericus*; & *David* Chorepiscopus; ex quinque provinciis, nempe duabus ex Lugdunensibus tertia videlicet ac quarta, ex Belgica secunda, ex Germanica prima, & ex Aquitanica secunda. Situs istarum provinciarum facilè suadet tot Episcopos, quorum Diœceses à Cenomannica tam longè distabant, neutiquam simul in civitate Cenomannensi moratos esse Kalendis Aprilibus in sacratissimo die Paschatis, quando Aldricus suum illic Diploma promulgavit. Hic igitur Cenomannensis Episcopus exemplum Privilegii, priusquam illud evulgaret, ad alios transmisit Episcopos, ut eorum subscriptionibus firmaretur, & apud Cenomannum potiorem obtineret auctoritatem. Nec aliam ob causam electus est, quo publicaretur, dies Paschali Solemnitati sacer.

VII. E provincia Turonensi seu Lugdunensi tertia subscripsit Ursmarus Turonensis Archiepiscopus cum Suffraganeis Episcopis, Aldrico Cenomannensi, Dodone Andegavensi, Guntardo Namnetensi, Warnario Redonensi, & Davide Cenomannensi Chorepiscopo. De Ursmaro, Aldrico, Dodone, ac Davide, jam locuti sumus. *Guntardus*, Roberto & Sammarthanis Gunhardus Namnetensis Episcopus, à Nortmannis in primario Namnetarum Templo necatus est anno Redemptoris octingentesimo quadragesimo-tertio, ut ad illum annum ex veteri Codice probabimus. *Warnarius* Redonensis est Episcopus, idémque cum Varino cujus mentionem jam fecimus ad annum Redemptoris octingentesimum undetricesimum. Illo de Præsule sic Robertus in Gallia Christiana, *Varinus vel Varnarius; obiit 866.* Et Sammarthani Tomo tertio, *Warinus seu Warnarius obiit an. 866.*

VIII. E provincia Senonensi seu Lugdunensi quarta duo subscripserunt Episcopi, *Jonas* Aurelianensis Episcopus & *Erchinradus* Episcopus Parisiensis. De utroque jam disseruimus disseremúsque.

IX. E provincia Remensi seu Belgica secunda duo quóque subscripserunt Episcopi; *Echardus* sive Eichardus vel Acardus aut Achardus Noviomensis Episcopus, cujus meminimus ante biennium in Translatione Sancti Quintini; & *Theodericus* seu Theodoricus Cameracensis Episcopus, quem etiam ante biennium memoravimus in Synodo apud Theodonis villam.

X. E provincia Moguntina seu Germanica prima solus subscripsit *Autcarius* sive Otgarius Moguntiacensis Archiepiscopus, qui sedere cœpit anno Redemptoris octingentesimo vicesimo-sexto, vixitque Ludoviço Pio superstes.

AN. CH. 837. XI. XII.

E provincia Burdigalenſi ſive Aquitanica ſecunda ſolus etiam ſubſcripſit Ebroinus Pictavenſis Epiſcopus, Fridebeſti ad annum Redemptoris octingenteſimum trieeſimum quartum laudati proximus ſucceſſor, de quo plura poſt biennium.

Huc uſque actum de Aldrici Cenomannenſis Epiſcopi Privilegio, quod in ejus Geſtis legitur capite trieeſimo-ſecundo, nunc differendum de altero quod eodem die datum ſic habetur capite triceſimo-quarto. *In Nomine ſanctæ Trinitatis & unicæ Divinitatis. Ego Aldricus Cenomanicæ urbis indignus & peccator Epiſcopus, illuſtratione divinæ pietatis provocatus, unà cum conſenſu & licentia Domni Hludovici Piiſſimi Imperatoris, ſeu omnium Sanctorum comprovincialium Epiſcoporum atque aliarum multarum provinciarum nobilium ac ſapientium Pontificum, ſive cum omni noſtra curæ commiſſa * Deo devota * Congregatione Matríque & noſtræ Sedis Eccleſiæ famulante *, pertractans ego caſum fragilitatis humanæ, paveſcénſque ultimum vocationis diem, ne multâ mole peccaminum oneratus, ſine fructu aliquo, quod abſit, boni operis repertus inveniar, confortatúſque alloquio prædicatoris præcipui, Pauli ſcilicet Apoſtoli, ubi ait, [ſi cujus opus manſerit, mercedem accipiant,] idcircò, ut dictum eſt, cum conſenſu & licentia ſupradicti Principis atque prædictorum Præſulum ſive præfixorum ſervorum Dei promptiſſimo animo, divinâ inſpirante Clementiâ, noſtræ devotionis decrevit compunctio, ut ad augendum cultum divinum ſive Matris & noſtræ Sedis Eccleſiæ atque Parrochiæ nobis commiſſa, ac cumulandum honorem atque lucrum multarum animarum *, Monaſteriolum aliquod in noſtra Parrochia noſtro labore ad perpetuam Omnipotentis Dei laudem fundare & conſtruere deberemus, quod ita annuente Domino & facere ſtuduimus, in quo & Eccleſiam, prout valuimus, ad invocandum perpetualiter nomen Dei æterni, in honore Domini Salvatoris & Sanctæ ejuſdem Dei Genitricis Mariæ, ſive Sanctorum Martyrum Gervaſii & Prothaſii atque Sancti Stephani, necnon & in honore & memoria ſimul omnium Sanctorum conſtruere, & ſolemniter XVI Kal. Octob. die cum aliis Epiſcopis & Sacerdotibus, ſive reliquis Sanctæ Dei Eccleſiæ Miniſtris decenter & rationabiliter canonicéque atque inſigniter Domino auxiliante curavimus conſecrare, in qua & quindecim Altaria erigere, & in honoribus & memoriis eorum Sanctorum, quorum nomina ſuper ea inſerta eſſe præſentis temporis momento videntur, eorum * atque aliorum multorum Sanctorum patrocinia & Reliquias meis propriis manibus collocavi, ſolemnitérque ea & decenter adjunctis nobis præfatis ſanctiſſimis ſociis ordinabiliter ſanctificantes conſecrare Domino miſerante meruimus, quorum interceſſionibus nos adjuvari miſericorditer confidimus, eorúmque perpetuis tueri præſidiis largiente Domino humiliter petimus. In memorato itaque Kalendarum die & in Dedicatione præfatæ Eccleſiæ cum licentia & exhortatione jam dicti Principis ſive præſcriptorum ſanctorum Patrum, videlicet Epiſcoporum ac nobilium & ſanctè viventium Sacerdotum, per librum quatuor Evangeliorum nobiliter ornatum & auro ex parte conſcriptum, ſeu per Calicem aureum unum cum patena ſua deſuper Epiſcopis & Sacerdotibus manus eorum imponentibus, multis ſcilicet nobilibus eorum aſtantibus & videntibus, tradidimus ſimúlque delegavimus unà cum jam dicto Evangelio & memorato aureo Calice de noſtra Sanctæ Sedis Eccleſiæ rebus ad ſupradictum ſanctum locum, qui vocatur Monaſterium Sancti Salvatoris, olim verò Brogilus à priſcis vocabatur, & ad opus Monachorum inibi regulariter viventium & Domino famulantium, donatúmque in perpetuum ibidem ob mercedem & ſtabilitatem prædicti Domni noſtri Hludovici Piiſſimi Imperatoris, cujus largitione & præfatum locum acquirere meruimus, ſive futurorum Dominorum, Regum videlicet Francorum, ſeu & nimis pro pondere peccatorum noſtrorum donamus, & per hoc Teſtamentum confirmamus, confirmatúmque futuris temporibus eſſe volumus, tam opportunitatem quàm & pro ſtipendio fratrum ibidem Domino ſervientium, necnon & conſolationem peregrinorum, atque hoſpitum advenientium receptionem. Primò verò omnium delegavimus ibidem villam Salvarias cum manentibus XXX, & illas culturas duas juxta illud Monaſteriolum ſitas, ſeu illam ſilvam quæ intra fluvium*

*** Edit. commiſſa Deo devota Congregationi famulanti.

* Edit. ut Monaſteriolum.

* Edit. eorúmque.

AN. CH. 837.
LUDOV. IMP. 24.
LOTHAR. IMP. 21.
PIPPINI R. 23.
LUDOV. R. 21.
CAROLI R. 8.

*Sarthæ & inter prædictas culturas & præfatum Monasteriolum consistit, atque illam vineam Dominicam, quæ inter Salvarias & jam dictum Monasteriolum conjacet, & illa molina duo juxta illud Monasteriolum supra fluvium Sarthæ sita, necnon & illud pratum ex alia parte præfati Monasterioli situm unà cum silva, sicut termini prædictorum Monachorum dividunt. Delegavimus etiam ibidem villam nostræ Sedis Ecclesiæ Apiacum cum omni integritate, in qua Sanctus Ulfacius pretiosus Christi Confessor corpore requiescit; simúlque tradidimus ibi medietatem de villa Canon; parique modo confirmamus ibidem villam Luciacum cum omni integritate; simúlque inibi dedimus & medietatem de villa quæ Bernas vocatur de ratione Sanctæ Mariæ, quam redditione Domni nostri Hludovici Excellentissimi Imperatoris adquisivimus; & illam precariam, quam Friderardus per precariam de rebus Sanctæ Mariæ & Sancti Gervasii tenet, tradimus totam similitérque donamus; & in villa quæ vocatur villa Sancti Autleni manentes tres cum vineis tribus & compis aliis, & quantum pars Sanctæ Mariæ ibi habetur; videlicet & illas res, quas Salcardus in die Dedicationis ipsius Ecclesiæ eidem sancto loco & nobis sive ipsis Monachis legaliter tradidit inibi, per hoc Testamentum confirmamus. Hæc autem omnia in pago Cenomanico sunt sita. Supradictas igitur villas omnes & res cunctas superiùs nominatas & ad prædictas villas jure pertinentes unà cum ceteris domibus, ædificiis, mancipiis, vineis, silvis, compis, pratis, pascuis, aquis, aquarúmve decursibus, farinariis, mobilibus & immobilibus, omnia & ex omnibus ad præfatum sanctum locum pro lucranda sancta mercede & augmento nostræ Sanctæ Sedis Ecclesiæ atque nostræ Congregationis ornatu donamus, tradimus, simúlque delegavimus, & omnia quæ eidem sacrosancto loco & fratribus & Monachis inibi Domino famulantibus & regulariter viventibus divina pietas deinceps augeri voluerit, & à bonis hominibus ibidem condonatum atque traditum fuerit, ita ut ab hac die ibidem perpetualiter Domino auxiliante in augmentis proficiant. Unde constitui ob hoc pia devotionis amore, veniente jam dictæ Sancti Salvatoris Ecclesiæ consecrationis Festivitate omni anno fratribus Matri & nostræ Sedis Ecclesiæ famulantibus consolationem ministrandam ab Abbate & Monachis in præfato Monasterio Domino famulantibus, id est, de pane optimo modios sex & friscingas porcinas tres, berbicinas verò similiter tres, & de vino optimo modios quatuor, & de potione optima quinque. Eâ verò ratione hæc illis dare censuimus, ut supradictæ Matris Ecclesiæ jam præfati Canonici pleniter ad memoratam Dedicationis Ecclesiæ cum silentio & ceteris divinis ornamentis veniant Festivitatem cum ceteris suburbanis Sacerdotibus & reliquis Clericis, & tunc mane primâ inibi pro me peccatore, dum advixero unusquisque Sacerdos cantet unam Missam, & ampliùs si libuerit & caritas ministraverit, & unusquisque Clericus Psalmos quinquaginta, & ampliùs quantùm dilectio & amor Dei instigaverit. Post obitum verò meum in prædicta die similiter pro defuncto faciant. Hæc * ergo omnia * diligenter peracta *, horâ tertiâ in publicum introeant officium, & una cum Monachis ibidem Domino famulantibus solemniter ipsius diei festivam peragant Solemnitatem, & tunc utrum elegerint faciant, aut inibi cum ipsis Monachis pariter reficiant, aut, si ibi non refecerint, tunc accepta * stipendia in refectorio infra domum & claustrum Canonicorum unà cum prædictis suburbanis Clericis & Sacerdotibus reficiant. Hoc sanè humiliter obsecro sanctos successores meos atque Abbates vel Monachos præfati Monasterii & Præpositos ac Magistros seu Ministros Canonicorum nostrorum, sive ipsos Canonicos præsentes scilicet atque futuros & prædictos suburbanos seu Monasterioles Sacerdotes & Clericos, qui ad prædictam Festivitatem venerint, & suprascriptas orationes pro me miserrimo peccatore fecerint, à memorata refectione vel ab eorum refectorio à se non excludant, sed si aliquâ necessitate factum fuerit, tunc statuentes imploramus, ut unus Canonicorum benè fidelis de prædictis stipendiis, quæ jam dicti Monachi tribuerint, accipiat unum modium panis & alterum vini, insuper ex potione sextaria quatuor, & unam friscingam qualem meliorem invenerit, & ex his illis præparet devotè & religiosè refectionem. Sed magis opto & supplex deprecor, ut cum sæpedictis Canonicis nostris in refectorio cum illis religiosissimè refi-*

*** Accusativus absolutus.

* Accusativus absolutus.

AN. CH. 837. LUDOV. IMP. 24. LOTHAR. IMP. 21. PIPPINI R. 23. LUDOV. R. 21. CAROLI R. 8.

*ciant, solemniter quoque illum diem ducentes, & de santa Festivitate lætantes, Dominúmque in omnibus laudantes ac deprecantes, ut tranquillam vitam hanc degere valeant, & præmia æternæ vitæ percipere mereantur. Insuper de prædictis stipendiis deprecans sanctos successores meos contestor & contestans humiliter deprecor, atque Ministros ejusdem Ecclesiæ, ut unum modium de præfixo pane, & alterum de jam dicto vino, & de præfatis friscingis unam quadraginta pauperibus in memorata Festivitate tribuant, qui inde refectionem habentes Dominum Salvatorem mundi collaudent, & pro me miserrimo peccatore orare studeant, qualiter cum Sanctis & electis Dei lætari æternaliter mereantur. Amen. Porrò quòd multas Episcopales Sedes & Matres Ecclesias diversa Monasteria sub se habere videmus constructa, quæso ne quidam superfluè hoc me fecisse asserant, præsertim cùm magis pro honore Ecclesiæ nobis commissæ & pro lucro animarum quàm pro facinore humano hoc me fecisse profiteor. Nec mirum si præfatum locum de rebus nostræ Sedis Ecclesiæ ditaverim, cùm multos Sanctos Episcopos jam talia fecisse & legimus & cognovimus. Idcircò precor cunctos fideles Sanctæ Dei Ecclesiæ, ut non hoc me superfluè fecisse putent, sed magis pro me peccatore orare non dedignentur, ut si quam pro hoc mercedem adipisci meruero, ejusdem fieri mereantur participes. Denique humiliter precor Dominum nostrum Jesum Christum, beatum successorem meum mox futurum, & post eum in Sede nobis commissa succedentes cunctos Episcopos, & quasi ad pedes eorum provolutus suppliciter flagito, omnésque Principes ac nobiles & ignobiles cunctósque Christianos obsecro, ut parvula à nobis facta ad divinam Omnipotentis Dei laudem & incrementum prædicti Monasterioli Sancti Salvatoris conservent, & in eorum eleemosyna sive ob prædicti Domini Salvatoris amorem, in cujus honore jam dictum Monasteriolum ædificatum & dedicatum esse dinoscitur, augere inibi plura dignentur, & de eis, quæ fecimus atque delegavimus inibi, imminuere aut subtrahere minimè præsumant, quatenus si aliquam mercedem pro pio præfixo facto Domino auxiliante habere meruerimus, ipsius mercedis auxiliante ipso Domino Salvatore nostro, pro cujus & amore hoc fecimus, effici mereantur consortes. Precor etiam cunctos Sacerdotes ac Dei servos sive Monachos omnes, ut prædictas orationes in præfata die pro me peccatore piè & studiosissimè adimplere procurent, qualiter absolutionem omnium peccatorum meorum, eorum precibus, adipisci valeam, & Sanctorum consortio perpetualiter Domino largiente frui mereamur. Similiter precor obnixè Abbates & Monachos cunctos in præfato Sancti Salvatoris Monasterio degentes, ut prædicta stipendia Canonicis & Fratribus nostris sive suburbànis Sacerdotibus & Clericis ministrare in jam dicta die non negligant; quatenus ipsis ministrantibus nobísque humiliter famulantibus & ceteris Fratribus & Dei servis orantibus per suffragia omnium Sanctorum nos & illos Jesus Christus Dominus noster in æterna lætitia una cum sanctis suis fovere dignetur. Amen. Porrò ut hoc Testamentum sive Previlegium à me piâ voluntate factum per rationem supradictam omni tempore maneat illibatum atque firmissimum, manu propriâ illud pro firmitatis studio roboravimus, sive sanctos Patres nostros Episcopos atque Fratres nostros Sacerdotes & Levitas seu reliquos Clericos ceteràsque personas, quorum nomina subter habentur inserta, firmare humiliter postulavimus. Ego Aldricus Cenomanicæ urbis indignus peccator Episcopus hoc Testamentum à me factum subscripsi. Ursmarus indignus Turonicæ urbis Archiepiscopis huic Testamento annuens subscripsi. Dodo humilis Andecavensium Antistes huic Testamenti * decreto assensum præbens subscripsi. Warnarius indignus Episcopus huic Testamento annuens subscripsi. Ebroinus indignus Episcapus huic Testamento annuens subscripsi. Ego Autcarius Magontiæ urbis Archiepiscopus hoc Testamentum deprecante illo Aldrico prædictæ urbis Episcopo subscripsi. Guntardus indignus Episcopus huic Testamento annuens subscripsi. Ego Erchinradus Episcopus hoc Testamentum deprecante Aldrico Episcopo subscripsi. Ego Hecbardus Episcopus hoc Testamentum deprecante Aldrico Episcopo subscripsi. Ego Theodoricus Cameracensis urbis Episcopus hoc Testamentum subscripsi. David Chorepiscopus subscripsi. Austeus Decanus subscripsi. Deduius Archipresbyter subscripsi. Ervaldus Presbyter indignus subscripsi. Ricaudus Presbyter subscripsi. Go-*

* Edit. Testamento.

AN. CH. 837. Ludov. Imp. 24. Lothar. Imp. 21. Pippini R. 23. Ludov. R. 21. Caroli R. 8.

denus Archipresbyter subscripsi. Geraldus Presbyter subscripsi. Fleduinus licet indignus Presbyter subscripsi. Gantzuinus Presbyter subscripsi. Ascaricus Presbyter subscripsi. Flodebertus Presbyter subscripsi. Alexander Presbyter subscripsi. Ansbaldus Presbyter subscripsi. Gerbaus Presbyter subscripsi. Amsacor Diaconus subscripsi. Radricus Diaconus subscripsi. Vinaldus Diaconus subscripsi. Reginhardus medicus subscripsi. Leodaldus Diaconus scripsit. Data Kalend. Aprilis in die Sancto Pascha, anno Incarnationis Dominicæ DCCCXXXVII, *Indictione verò* XV, *anno quoque* XXIII *(lege* XXIIII*) Imperii Domni nostri Hludovici Gloriosissimi Imperatoris, & anno Ordinationis nostræ quinto. Actum ergo Cenomanica in urbe publicè in Dei Nomine feliciter. Amen.*

XIII. Huic Privilegio iidem qui priori subscripserunt cùm Archiepiscopi tum Episcopi, si Jonam excipias Episcopum Aurelianensem, cujus nulla mentio fit in posteriori Diplomate. Utrumque Ludovicus Augustus hoc eodem anno confirmavit, unum in Gundulfi villa decimo-septimo Kalendas Julias, alterum in Theodonis villa decimo-quarto easdem Kalendas. Illa Præcepta recitabimus inferiùs, priùs autem exponendæ videntur res multæ, quæ proximè post Pascha seu post prædicta Privilegia gestæ sunt.

XIV. *Mediante Festivitate Paschali*, inquit Astronomus, *dirum semper ac triste portentum, id est, cometa sidus, in signo Virginis apparuit, in ea parte ejusdem signi quò pennulam ejus subtus, caudam verò Serpentis simúlque Corvum constringit. Quod quum non more errantium septem siderum Orientem versùs peteret, per viginti-quinque dies, quod mirum est dictu, idem sidus & Leonis ac Cancri necnon Geminorum transiens signa, in capite Tauri tandem sub Aurigæ pedes, igneum globum jubarúmque prolixitatem deposuit, quas usquequaque porrexerat anteà. Quam rem quum primùm Imperator talium studiosissimus conspexisset, constitit, & antequàm quieti membra committeret, accitum quendam, itémque me, qui hæc scripsi, & qui hujus rei scientiam habere credebar, percontari studuit, quid super hoc mihi videretur. A qua quum tempus peterem, quo faciem sideris considerarem, ac per hæc rei veritatem investigarem, & cognitum in crastinum nuntiarem, Imperator ratus, quod erat verum tempus me redimere velle, ne cogerer triste aliquid respondere; perge, inquit, in mœnia huic domui contigua, & nobis quæ perspexeris nuntia. Novi enim à me hanc Stellam nequaquam præteritâ vesperâ visam, vel à te monstratam, sed scio hoc signum cometarum esse, de quo jam præteritis diebus locuti sumus. Quid autem portendere tibi videatur, edicito. Quúmque aliqua dicerem, & aliqua tacuissem, unum est, inquit, quod adhuc silentio premis. Mutationem enim Regni mortémque Principis hoc portento monstrari dicunt. Quúmque ego testimonium Prophetæ in medium protulissem, quâ dicitur, [à signis cæli ne timueritis quæ pavent gentes] ille solitâ usus magnanimitate & prudentiâ, non alium, inquit, timere debemus præter illum, qui nostri & hujus sideris creator est. Sed ejus clementiam non satis laudare & mirari possumus, qui nostram inertiam, quum simus peccatores & impœnitentes talibus indiciis dignatur admonere. Quia ergo & me & omnes communiter hoc ostentum tangit, omnes pro posse & sapere ad meliora festinemus, ne fortè misericordiam illo prærogante, & nostrâ impœnitudine impediente, nos illâ inveniamur indigni. His dictis, & ipse paulisper mero indulsit, & omnibus id facere jussit, & unumquemque ad sua se colligere præcepit, noctémque illam, ut nobis perlatum est, pervigilem duxit, ac Dei laudibus & obsecrationibus ornatam luci supervenienti præsentavit, in cujus crepusculo Ministros aulicos vocavit, & eleemosynas quamlargissimè pauperibus ac servis Dei tam Monachis quàm Canonicis porrigi jussit, Missarúmque solemnia per quoscunque potuit celebrari fecit, non tantùm sibi metuens quantùm Ecclesiæ sibi creditæ prospiciens. Quibus ritè dispositis uti ordinaverat, venatum in Arduennam perrexit. Quod, ut dicebant, ultra solitum ei prosperrimè cessit, omniáque, quæ illo tempore illi placuere, prospero eventu cucurrerunt.*

Visus Cometes.

XV. *Præterea*, ut idem Auctor proximè subjungit, *insistente Augustâ & Ministris Palatinis, quondam partem Imperii Imperator filio suo dilectissimo Carolo*

AN. CH. 837.

Aquisgrani tradidit. Sed quia inofficiosa remansit, à nobis quoque silentio premitur. Dolemus hanc partitionem omissam à Scriptore, qui præsens Aquisgrani tunc aderat. Illius vicem supplebit qui tunc quoque vivebat Nithardus [a]. Imperator *videns quod populus nullo modo diebus vita sua illam relinquere, uti consueverat, vellet, Conventu Aquis hyeme indicto portionem Regni his terminis notatam Karolo dedit: id est, à mari per fines Saxonia usque ad fines Ribnariorum, Comitatus Moilla, Halt, Trabammolant, Masagobbi, deinde verò quicquid inter Mosam & Sequanam usque Burgundiam unà cum Viridunensi consistit, & de Burgundia, Tullensem, Odornensem, Bedensem, Blesensem, Parthensem, utrosque Barrenses, Brionensem, Tricasinum, Autisioderensem, Senonicum, Wastinensem, Milidunensem, Stampensem, Castrensem, Parisiacum; & deinde per Sequanam usque in mare Oceanum, & per ipsum mare usque in Frisiam; omnes videlicet Episcopatus, Abbatias, Comitatus, Fiscos, & omnia infra prædictos fines consistentia, cum omnibus ad se pertinentibus, in quacumque regione consistebant, & sui juris esse videbantur, una cum auctoritate divina atque paterna præfato filio suo Karolo dedit, firmùmque ut permaneret Dei Omnipotentis clementiam exoravit. Hilduinus autem Abbas Ecclesiæ Sancti Dionysii & Gerardus Comes Parisius civitatis, ceterique omnes prædictos fines inhabitantes convenerunt, fidémque sacramento Karolo firmaverunt.* Ad oram hujus textûs in editione Duchesniana ponitur *annus 838*, sed malè. Nam Bertinianus Annalista rem eandem ad annum Redemptoris octingentesimum tricesimum-septimum sic refert. *Imperator adveniente atque annuente Ludovico* Rege Bojoariæ *& Missis Pippini* Regis Aquitaniæ, *omníque populo, qui præsentes in Aquis Palatio adesse jussi fuerant, dedit filio suo Carolo maximam Belgarum partem, id est, à mari per fines Saxonia usque ad fines Ribnariorum, Comitatus, Moilla, Ettraham, Melant, Mosagao; deinde verò quidquid inter Mosam & Sequanam usque ad Burgundiam unà cum Viridunensi consistit, & de Burgundia, Tullensem, Odornensem, Blesinsem, Pertinsem, utrosque Barrenses, Brionensem, Tricassinum, Altiodrensem, Senonicum, Wastinensem, Milidunensem, Stampensem, Castrinsem, Parisiacum; & deinde per Sequanam usque in mare Oceanum, & per idem mare usque ad Frisiam; omnes videlicet Episcopatus, Abbatias, Comitatus, Fiscos, & omnia intra prædictos fines consistentia, cùm omnibus ad se pertinentibus, in quacumque regione consistant. Sicque jubente Imperatore, in sui præsentia, Episcopi, Abbates, Comites, & Vassalli Dominici in memoratis locis beneficia habentes, Carolo se commendaverunt, & fidelitatem sacramento firmaverunt.*

[a] Lib. 1.

AUGET REGNUM CAROLI, REGNIS PIPPINI ET LUDOVICI DECURTATIS.

XVI. Insignis est hæc auctio Regni Carolini. Quatuor in partes distinguitur. Per ordinem de singulis hic agemus, ut intelligas quid ex sortibus Pippini ac Ludovici rescissum sit.

XVII. Prima pars *à mari per fines Saxonia usque ad fines Ribnariorum* protenditur, complectitúrque quatuor pagos seu Comitatus, quorum hæc apud Nithardum sunt nomina, *Moilla, Halt, Trabammolant, Masagobbi*, & in Annalibus Bertinianis ista, *Moilla, Ettraham Melant, Mosagao.* De Saxonibus, quia mentionem illorum sæpè fecimus, nihil hic dicemus. Ante biennium [b] Ripuarios seu Ribarios distinximus in Trans-Rhenanos & Cis-Rhenanos, deinde hos divisimus in Superiores & Inferiores; collocavimúsque Superiores inter Mosellam & Rhenum ad ripas Rheni, Blesæ, Saravi & Mosellæ; Inferiores inter Rhenum & Mosam ad ripas Rheni, Ruræ & Mosæ. Non desunt qui Moillam seu Moilam in Hasbania cis Mosam collocent. At Moilla trans Mosam est & Inferioribus Ripuariis Borealior. Hadrianus Valesius ad vocem, *Moilla*, textum Nithardi, qui sic habet, *Halt, Trabammolant*, ita restituit, *Hattuarias, Hammolant*, & Annales Bertinianos, qui sic habent, *Ettraham, Melant*, ita corrigit, *Attuaria, Hammelant.* Quamquam fatetur *Haltera & Ettra in Hattuarias* audacter forsitan à se mutari. Hattuarii sive Hattuariæ vel Atturiarii sive Atturiæ triplici ponuntur in differentia, sunt enim Trans-Rhenani ad Lupiam fluvium, & Cis-Rhenani

[b] Ad an. 835. n. 44.

AN. CH. 837. Lunov. Imp. 24. Lothar. Imp. 21. Pippini R. 23. Ludov. R. 21. Caroli R. 8.

nani partim in finibus Lingonum, partim ad amnem Nersam, qui Rhenum inter ac Mosam medius defluit, atque in Mosam apud Gennapium egeritur. De Borealibus his ad Nersam cis Rhenum Attuariis intelligendus Valesius. Comitatus *Hammelant* sive *Hammelant*, vel *Hamarlant*, medius inter Ducatum Frisiæ & Comitatum Batavorum ponitur ab Annalista Bertiniano, qui Regni divisionem à Ludovico Augusto inter Lotharium & Carolum filios factam describit, & in parte, quam Lotharius elegit, habitâ ratione sitûs per ordinem recenset *Ducatum Fresia usque Mosam*, *Comitatum Hamarlant*, *Comitatum Batavorum*, &c. Comitatus seu Pagus *Masogobbi* vel *Masagouvi*, seu *Mosagao*, à Mosa nomen accepit, adsidet utrique ripæ fluminis, Attuarias & Hasbaniam interjacet, atque in Superiorem & Inferiorem sive in Australem ac Borealem distinguitur, ídque patet in Annalibus Bertinianis ex Lothariani Regni divisione, quam Ludovicus & Carolus Reges anno Redemptoris octingentesimo septuagesimo simul inierunt. Ad sortem Ludovici pertinent, *Batna*, *Hattuarias*, *Masiau subterior de ista parte*, *item Masiau superior*, & ad sortem Caroli spectant, *in Hasbanio Comitatus quatuor*, *Masau superior de ista parte Mosa*, *Masau subterior de illa parte*. Quicquid autem in prima hac auctionis parte continetur, à Regno Ludoviciano translatum fuit ad Carolinum, sive à Bojoarico ad Alamannicum.

Secunda pars *inter Mosam & Sequanam usque Burgundiam* protenditur. A biennio [a] Carolus cis Mosam Comitatus ad Axonam, Vongensem videlicet ac Portianum, jam obtinebat, & Pippinus, Aquitanici Regni limitibus ad Matronam usque dilatatis, Comitatus Catalaunensem ac Meldensem ad hunc amnem sitos acceperat. Inde liquet in hac altera auctionis parte sorti Carolinæ nihil adjectum esse, quod Aquitanico seu Pippinino Regno priùs haud attributum fuisset. XVIII.

[a] Ad an. 835. nn. 42. 44.

Tertia pars auctionis Regnum Carolinum amplificat per Burgundiam, & ex ea comprehendit pagos seu Comitatus sexdecim; *Tullensem*, *Odornensem*, *Bedensem*, *Blesensem*, *Parthensem*, *utrosque Barrenses*, *Brionensem*, *Tricasinum*, *Autisioderensem*, *Senonicum*, *Wastinensem*, *Milidunensem*, *Stampensem*, *Castrensem*, *Parisiacum*. Tullensis Comitatus, cujus caput Tullum *, alluitur Mosellâ. Odornensis sive Ornensis Comitatus cis eundem amnem situs est, adjacétque Odornæ sive Ornæ * fluvio, à quo nomen traxit, influit autem Odorna in sinistram Mosellæ ripam ad Ricomontem medio inter Metas & Theodonis villam spatio. Actum de pago Bedensi, Tomo quarto ad annum Christi duodeseptingentesimum [b]. Pagus Blesensis à Blesa fluvio nomen sortitur; est autem duplex Blesa, unus in dexteram Saravi * ripam, alter in sinistram Matronæ ripam devolvitur; posterior intelligendus videtur, quia Nithardus nullum recenset Comitatum vel positum trans Mosellam vel Orientaliorem Tullensi, proximos enim subjungit Odornensem ac Bedensem cis Mosellam, utpote sitos ad amnes qui sese in lævam Mosellæ ripam exonerant, deinde pergit ad alios, qui fluminibus alluuntur vel Matronam vel Sequanam subituris, ac primo loco nominat Blesensem sic dictum à Blesa *, qui Matronam à sinistra subit. De pago Parthensi seu Partensi vel Pertensi sive Pertinsi lege suprà, quæ dicta sunt ad annum Redemptoris octingentesimum tricesimum-secundum [c]. Duplex apud Nithardum sequitur pagus seu Comitatus Barrensis, uterque à Barro primario oppido cognominatur, unus adjacet Albæ, alter Sequanæ, dexteram autem Sequanæ ripam ingreditur Alba *, ut alibi jam notavimus. Ab Alba non procul distat Briona * pagi Brionensis caput. Sequana Trecas alluit civitatem Episcopalem ac primariam Comitatûs Tricasini seu Tricassini. Comitatus, Autisiodorensis sive Altiodrensis, & Senonicus, à clarissimis ad Icaunam urbibus, Autissiodoro & Senonis, denominantur; in sinistram autem Sequanæ ripam apud Monasteriolum * influit Icauna *. Supersunt in præcitatis textibus pagi quinque, Wastinensis *, XIX.

* Toul.
* L'Orne.
[b] Num. 6.
* La Sare.
* La Bloise.
[c] Num. 2.
* L'Aube.
* Brienne.
* Montereau.
* Ionne.
* Le Gastinois,

AN. CH. 837. Melidunensis * & Stampensis * in Archiepiscopatu Senonico, Castrensis * & Parisiacus in Episcopatu Parisiensi; situs autem utrorumque notior est, quàm ut egeat explicatione. Ludovicus Augustus ante biennium [a] Carolo *totam Burgundiam* concessit, *excepto quod Pippino datum est*. Aufertur igitur uni Pippino, quæ nunc eidem Carolo de novo confertur pars Burgundiæ. Tunc primùm attributæ Carolo Regi Senonæ, quarum Archiepiscopus ante quatuor menses obierat, ut anno superiore probavimus. De procurando mox successore sollicitum se præbuit Carolus, idque posteà testatus est ipsemet in libello [b] proclamationis adversùs Wenilonem porrecto in Synodo apud Saponarias anno Redemptoris octingentesimo quinquagesimo-nono. *Mihi*, inquit, *à Domno & Genitore meo piæ memoriæ Ludovico Augusto pars Regni inter fratres meos Reges divinâ dispositione est tradita, in qua parte Regni vacabat tunc Pastore Metropolis Senonum, quam, juxta consuetudinem prædecessorum meorum Regum, Gueniloni tunc Clerico meo in Capella mea mihi servienti, qui more liberi Clerici se mihi commendaverat, & fidelitatem sacramento promiserat, consensu sacrorum Episcoporum ipsius Metropolis ad gubernandum commisi, & apud Episcopos quantùm ex me fuit, ut eum ibidem Archiepiscopum ordinarent, obtinui.* Tunc Episcopi provinciæ Senonensis erant, Bernuinus Carnotensis, Erchanradus Parisiensis, Jonas Aurelianensis, Hucbertus Meldensis, Adalbertus Trecensis, Henbaldus Autissiodorensis, & Hugo Nivernensis, de quibus jam locuti sumus. In Actis Sancti Aldrici datur ei successor Heneaulus ex Abbate Ferrariensi. *Post beatum Aldricum prædictæ urbis Cathedram sortitus est Heneaulus, quem ipse sæpè dicto Monasterio* Ferrariensi *Abbatem præfecerat.* Auctor autem hoc loco graviter peccat. Successit enim in Archiepiscopatum Wenilo, nec factus est Archiepiscopus ex Abbate Ferrariensi, sed ex Capellano Caroli Regis, ut ex scriptis ipsiusmet Caroli jam citatis constat. Erat tunc Ferrariensis Abbas Odo, qui regimen Cœnobii suscepit Aldrico ad Archiepiscopatum promoto, gessitque donec è Monasterio pulsus est jussu Caroli Regis, cujus iram in se concitarat, ut patet ex epistola Lupi vicesima-prima, quam suo loco recitabimus.

* De Melun. * D'Estampes. * De Chastres. [a] Ad an. 835. n. 44. [b] Cap. 2.

XX. Quarta pars auctionis Regnum Carolinum *per Sequanam* infrà Parisios *usque in mare Oceanum, & per ipsum mare usque in Frisiam* dilatat; éaque sola, si ceteræ deessent, apertissimè maximam Belgarum partem in Regno Caroli juxta mentem Annalistæ Bertiniani collocaret, Regnis Aquitanico & Bojoarico decurtatis. Nam Pippininæ ditiones Sequanam inter & Alteïam extendebantur per Diœceses, Silvanectensem, Rotomagensem, Bellovacensem, Suessionensem, & Ambianensem. Et Regno Ludoviciano seu Bojoarico cis Frisiam in Gallia Belgica multi Comitatus attribuebantur, Bracbantensis, Flandrensis, Medennatensis, Hainoensis, Austrebatensis, Adertensis, Taruannensis, Bononiensis, Quentovicensis, Cameracensis, & Viromandensis.

XXI. Ludovicus Augustus, cùm videret, ut Nithardus [c] testatur, *quòd populus multo modo diebus vita suæ illum relinquere, uti consueverat, vellet*, Regnum Caroli spatiis adeò latis amplificavit, parum sollicitus de querelis, quas Pippinus & Ludovicus Aquitaniæ Bojoariæque Reges essent moturi. Visus est solicitior de Lothario, cui præsensit id quod gestum fuerat minimè placiturum. Ut igitur filium trans Alpes degentem in Officio magis contineret, per Oratores significavit iturum se confestím in Italiam, atque adimpleturum omnia, quæ priori anno statuerat exequi. *Imperator*, inquit Annalista Bertinianus, *dispositâ Frisia maritimâque custodiâ, mense Maio ad Theodonis villam veniens, & annualia dona recipiens, iter suum Romam defensionis Sanctæ Romanæ Ecclesiæ atque orationis gratiâ direxit; directis interim ad Lotharium Legatis, monentibus, ut eum paternâ reverentiâ susciperet, atque itineris apparatum decenter opportunéque procuraret.*

[c] Lib. 1.

PER ORATORES LOTHARIO SIGNIFICAT ITURUM SE CONFESTIM IN ITALIAM.

AN. CH. 837. LUDOV. IMP. 24. LOTHAR. IMP. 21. PIPPINI R. 23. LUDOV. R. 21. CAROLI R. 8.

Astronomus non dissimulat fratribus Caroli, Lothario scilicet ac Ludovico, plurimùm displicuisse, quòd à patre tam spatiosis ditionibus ornatus esset. *Quam rem*, inquit, *auditam quum fratres ejus agrè tulissent, mutuum iniere colloquium.* Hoc colloquium Annalistæ Bertinianus ac Fuldensis in annum sequentem rejiciunt, Bertinianus habitum dicit *intra Alpium septa*, Fuldensis *in valle Tridentina*, hoc autem exitu Astronomus. *Mutuum iniere colloquium. Sed nil se contraire posse intuentes, & captum dissimulantes, motus patris, qui ex hoc accidisse videbantur, facillimè composuere.* Per Caroli fratres Nithardus [a] hoc loco solos intelligit Lotharium & Ludovicum, de quibus sic scribit absque ulla Pippini mentione. *Quod quidem Lodharius & Lodhuwicus audientes graviter ferebant, unde & colloquium indixerunt. Ad quod venientes, cùm nihil ex his indignari se posse viderent, callidè dissimulantes quippiam se contra patris voluntatem moliri velle, discesserunt. Verumtamen ob id colloquium commotio non modica exorta est, sed facilè quievit.* XXII. Annalista Bertinianus ad hunc annum observat de Lothario, quòd *Clusas in Alpibus muris firmissimis artari præcepit.* Ceterùm Clusæ vocantur fauces & angustiæ montium, quas & Claustra, & Clusuras, & contracto ac truncato nomine Clusas appellant Latini Scriptores, ut Hadrianus Valesius in Notitia Galliarum notavit [b].

LOTHARIO ET LUDOVICO DIFFIDIT.

[a] Lib. 1.

[b] In voc. *Justina.*

XXIII.

Ne Ludovicus Augustus in Italiam proficisceretur, impedimento rursum fuerunt Nortmanni, quorum irruptionem hoc anno sic attingit Annalista Fuldensis. *Nordmanni tributum exactantes in Walchram Insulam venerunt, ibique Eggihardum ejusdem loci Comitem & Hemmingum Halpdani filium cum aliis multis* XV *Kal. Jul. occiderunt, & Dorestadum vastaverunt, acceptóque à Frisionibus tributo reversi sunt. Imperator omisso itinere Italico Aquisgrani hyemavit.* Omisit quidem Imperator iter in Italiam, sed antequàm Aquisgranum ad hyemandum se conferret, multa confecit, quæ silentio prætermitti non debent. Imprimis audito Nortmannorum in Walacriam appulsu Noviomagum perrexit, hostésque tam celeri adventu perterritos in fugam egit. Audiendus Auctor Chronici de Gestis Nortmannorum in Francia, publicatus ab Andrea Duchesnio [c]. *Anno Domini* DCCCXXXVII. *Northmanni in Insula, quæ Walaria dicitur, multos trucidaverunt, & aliquandiu inibi commorantes, censu exacto ad Dorastadum pervenerunt, & tributa similiter exegerunt. Quibus Ludovicus Imperator auditis, ad Noviomagum Castrum properare non distulit. Cujus adventu Northmanni audito, continuò recesserunt.* Annalista Bertinianus utitur prolixiori stylo, nec ea reticet, quæ post Nortmannorum fugam gessit Imperator, ut saluti suorum deinceps consuleret, caverétque ne quid damni rursum ab iisdem piratis paterentur. *Eâ tempestate Nordmanni irruptione solitâ Frisiam irruentes, in Insula quæ Walacria dicitur, nostros imparatos aggressi, multos trucidaverunt, plures depradati sunt. Et aliquamdiu inibi commorantes, censu prout libuit exacto, ad Dorestadum eâdem furiâ pervenerunt, & tributa similiter exegerunt. Quibus Imperator auditis, prætermisso memorato itinere, ad Noviomagum Castrum vicinum Dorestado properare non distulit. Cujus adventu Nordmanni audito, continuò recesserunt. Imperator verò generali Conventu habito, publicè cum his quæstionem habuit, quos principes ad eandem custodiam delegaverat. Quâ discussione patuit, partim impossibilitate, partim quorumdam inobedientiâ eos inimicis non potuisse resistere. Unde & ad comprimendam Fresionum inobedientiam strenui Abbates ac Comites directi sunt, & ut deinceps illorum incursionibus facilius obsisti queat, classis quaquaversùs diligentiùs parari jussa est.* Hic Annalista Walacriam * attribuit Frisiæ, nempe Citeriori seu Gallicanæ cis Rhenum positæ.

[c] Tom. 2.

NORTMANNOS E FRISIA REPELLIT.

* Valcheren.

XXIV.

Ludovicus Imperator, cùm Noviomagum ad reprimendos Nortmannos contenderet, iter per villas Gundulfi ac Theodonis habuit mense Junio. Versabatur in Gundulfi villa decimo-septimo Kalendas Julias, in Theodonis villa decimo-quarto. In illis villis duo Privilegia, quæ Cenoman-

CONFIRMAT ALDRICI EP. PRIVILEGIA PRO ECCLESIA CENOMANNENSI.

AN. CH. 837. LUDOV. IMP. 24. LOTHAR. IMP. 21. PIPPINI R. 23. LUDOV. R. 21. CAROLI R. 8.

nensis Episcopus Aldricus Ecclesiæ suæ Kalendis Aprilibus in die Sancto Paschæ concesserat, totidem confirmavit Præceptis, ut ipsius Aldrici Gesta testantur capitibus tricesimo-tertio & tricesimo-quinto. De utroque Privilegio actum suprà, de utroque Præcepto nunc agendum.

XXV. *In Nomine Dei & Salvatoris nostri Jesu Christi Hludovicus divinâ repropitiante Clementiâ Imperator Augustus. Omnibus fidelibus Sanctæ Dei Ecclesiæ ac nostris præsentibus & futuris notum sit, quia Vir Venerabilis Aldricus Cenomanicæ urbis Episcopus, divino honore fervens pariter & amore, Monasteriolum in sua Parrochia novo opere suóque proprio sudore & labore in honore Dei & Salvatoris nostri ac Sanctæ ejusdem Genitricis Mariæ beatorúmque Martyrum Gervasii & Prothasii atque Stephani cunctorúmque generaliter Sanctorum in loco, qui priùs vulgò Broilus * vocabatur, construere studuit, & ad optatum dignúmque decorem atque perfectionem summo studio perducere procuravit, congruóque tempore dedicavit solemniter, & de rebus jam dictæ Sedis sibi divinitus commissæ sufficienter ad necessitates varias Monachorum in eo Domino militantium abundè fulciendas atque supplendas ditare non distulit. Unde & scriptum quoddam suâ ceterorúmque Venerabilium Episcoporum reliquorúmque Ordinum Deo servientium necnon laicorum religiosorúmque pariter ac nobilium manibus roboratum nostræ Majestatis obtutibus offerens, humiliter nostram supplicavit Clementiam, ut quod ipse divino tactus amore piâ religiosâque devotione superno fultus auxilio fecerat, nostrâ Imperiali auctoritate roborare atque in perpetuum absque cujuslibet convulsione aut tergiversatione firmissimum permanere deberet, decernere studeremus, & ut Monachi inibi degentes unà cum consensu suo successorúmque ejus licentiam inter se eligendi haberent Abbates, qui eos secundùm Regulam Sancti Benedicti regerent. Cujus piissimis Deo amabilibus & nobis admodum amplectendis supplicationibus aurem favoris libentissimè accommodantes, hanc nostræ auctoritatis conscriptionem ei fieri ac dari præcepimus, per quam decernimus atque sancimus, ut memoratum opus religiosissimis ab eo patratis studiis omni tempore firmum & stabile permaneat, quemadmodum in memorato devotionis suæ scripto, quod nobis obtulerat ad relegendum, ipse complexus est, neque de rebus, quas ad idem Monasteriolum contulit, à quoquam ullo unquam tempore quippiam minuatur, aut conditiones inibi studio ejus inditas qualibet occasione convellere aut ullatenus quisque negligere præsumat, sed quemadmodum ab eo piè religioséque sancita sunt, ita per hanc nostram auctoritatem inconvulsa perenniter maneant. Quandoquidem autem divinâ vocatione Abbas, qui præsenti tempore præfectus est, aut qui futuris temporibus subrogandi sunt, ab hac luce migraverint, unà cum consensu ejusdem Aldrici Episcopi successorúmque ejus, Præsulum videlicet memoratæ Sedis licentiam habeant ex seipsis eligendi Abbates, si tales inter eos reperiri poterint, qui eis merito vitæ & scientiæ secundum Regulam Sancti Benedicti præesse & prodesse possint. Et ut hæc nostræ confirmationis auctoritas perpetuam nostris successorúmque nostrorum temporibus obtineat firmitatem, de anulo nostro subter eam jussimus sigillari. Hirminmarus * Notarius ad vicem Hugonis recognovi & subscripsi. Data* XVII Kal. Julii, anno Christo propitio XXIII (lege XXIIII) Imperii Domni nostri Hludovici Piissimi Augusti, Indictione XV. Actum Gundulfi villa in Dei Nomine feliciter. Amen.* Hoc Præceptum in Gestis Aldrici reperitur capite tricesimo-quinto, nec dubium quin in eo legendus sit annus Imperii Ludoviciani vicesimus-quartus, expuncto vicesimo-tertio, qui per mensem Junium cum Indictione decima-quinta nequaquam convenit.

* Edit. Broialus.

* Edit. Hincminmarus.

XXVI. Biduo, postquàm hoc Præceptum in Gundulfi villa datum est, Eggihardum Comitem aliósque nobiles viros haud paucos in Walacria trucidaverunt Normanni, postridie illam stragem Ludovicus Imperator, cùm ad Theodonis villam pervenisset, alterum Præceptum decimo-quarto Kalendas Julii sic emisit. *In Nomine Domini Dei & Salvatoris nostri Jesu Christi. Ego Hludovicus divinâ repropitiante Clementiâ Imperator Augustus. Omnibus Sanctæ Dei Ecclesiæ & nostris fidelibus præsentibus & futuris notum sit, quia Vir*

AN. CH. 837. LUDOV. IMP. 24. LOTHAR. IMP. 21. PIPPINI R. 23. LUDOV. R. 21. CAROLI R. 8.

Venerabilis Aldricus Cenomanicæ urbis Episcopus nostræ suggessit Mansuetudini, eò quòd primordiis Ordinationis suæ confusum Canonicorum Matris Ecclesiæ sibi commissorum Ordinem statúmque invenerit, & Claustrum, qui canonicè vivere debent, catenus nullum habuerant, sed ipse divini cultûs amore fervens, ex domibus, quas Episcopi antecessores sui propriis usibus habere solerent, memoratorum Canonicorum habitaculis ac variis usibus attribuerit, illicque constructis & secundùm opportunitatem cujusque usibus ædificatis ac decoratis, eos secundùm auctoritatem canonicam fecerit habitare. Retulit etiam Serenitati nostræ eò quòd jam dictæ Matris Ecclesiæ quibusdam additis Oratoriis aliísque forinsecus Ecclesiis, solemniter religioséque eorum devotionem adimplere curaverit, easdem Dedicationum Festivitates propriis temporibus solemniter memorati Canonici, convenientibus tam Sacerdotibus quàm religiosis laicis reliquóque populo solemniter celebrare valerent, eisdem Canonicis quandam ejusdem villam Buxarias vocabulo per Testamenti conscriptionem propriâ cæterorumque Episcoporum venerabilium manibus roboratam propriè delegaverit, quatenus in sæpedictis Dedicationum Festivitatibus, præfixis etiam quibusdam conditionibus dignam ac necessariam refectionem habere valerent. Quæ sua institutio ut perennibus temporibus inviolabilis persistere possit, nostræ supplicavit Celsitudini, ut super idem devotissimè religiosè institutam nostram firmitatis gratiâ auctoritatem percipere mereretur, per quam futuris temporibus inconvulsè atque inviolabiliter permaneret. Cujus supplicationibus annuentes, per hoc nostræ auctoritatis scriptum statuentes decernimus, ut quod studio divini honoris & cultûs religiosè patrasse atque instituisse dinoscitur, & jam dictæ inscriptionis suæ serie conscribi ac roborare non distulit, cunctis temporibus maneat inconvulsum, nec quisquam successorum suorum de conditionibus in ea comprehensis quicquam audeat immutare, aut memoratam villam à jure eorundem Canonicorum abstrahere, sed quicquid de ea secundùm institutionem ejus, ut dictum est, ordinare atque disponere voluerint sæpedicti Canonici, liberam in omnibus habeant potestatem, quatenus pro nobis, conjuge, proléque nostra, ac stabilitate totius Imperii à Deo nobis concessi Domini misericordiam jugiter valeant exorare. Et ut hæc nostræ confirmationis auctoritas nostris successorumque nostrorum temporibus inviolabilem & inconvulsam obtineat firmitatem, de annulo nostro subter eam jussimus sigillari. Hirminmarus Notarius ad vicem Hugonis recognovi & subscripsi. Datum XIV *Kalendas Jul. anno Christo propitio* XXIII (*lege* XXIIII) *Imperii nostri Hludovici Piissimi Augusti, Indictione* XV. *Actum Theodonis villâ Palatio Regio, in Dei Nomine feliciter. Amen.* In hoc Præcepto, ut in præcedenti, & in duobus Aldrici Privilegiis, quorum confirmationem ipsa Ludovici Imperatoris Diplomata proximè recitata complectuntur, expuncto Imperii Ludoviciani anno vicesimo-tertio restituimus vicesimum-quartum, istiúsque correctionis rationem non semel reddidimus.

XXVII.

EBONEM ARCHIEP. REMENSEM E MON. FULDENSI REVOCATUM FRECULFO EP. LEXOVIENSI CUSTODIENDUM COMMITIT.

E Theodonis villa Noviomagum Ludovicus celerrimè contendit. Ejus adventu vix audito, nedum expectato, Nortmanni pedem è Frisia retulerunt. Prælaudatus Imperator animum per totam ætatem duabus potissimùm rebus addixit; nempe filiis Lothario ac Ludovico, qui Regnum Caroli fratris adeò spatiosè dilatatum ægerrimè ferebant, in officio continendis; reprimendæque Nortmannorum audaciæ, qui provincias Franciæ, vicinas Oceano, frequentibus incursionibus inquietabant. Tunc Ebonem Archiepiscopum Remensem, quem sub custodia captivum in Monasterio Fuldensi detinebat, in Occidentalem Franciam reduci præcepit, & Freculfo Lexoviensi Episcopo custodiendum tradidit. Utrumque locum notant Clerici Remenses. *Finito*, inquiunt, *Concilio*, quod anno Redemptoris octingentesimo tricesimo-quinto in Theodonis villa celebratum fuit, *reductus est sub arta custodia ad idem* * *Sancti scilicet Bonefacii Monasterium. Post aliquantùm verò temporis commendatus est similiter ad custodiendum Freculfo Lexoviensi* * *Episcopo.* Cur è Monasterio Fuldensi revocatus sit, ratio patet. Periculum erat, ne lapsus è custodia Ludovicum Regem, qui non procul

* Edit. eundem.

* Edit. Luxoviensi.

AN. CH. 837. LUDOV. IMP. 24. LOTHAR. IMP. 21. PIPPINI R. 23. LUDOV. R. 21. CAROLI R. 8.

aberat, deinde Lotharium Imperatorem adiret, atque utriuſque animum ob ditiones Caroli fratris nuper amplificatas jam exulceratum ad rebellionem pravis conſiliis excitaret. Ludovicus autem Auguſtus rebus, ut expoſitum ſuprà, proſperè ſuccedentibus, Placitum indixit in Cariſiaco menſe Septembri celebrandum. Sic enim ſcribit Aſtronomus. *In his Imperator totâ æſtate conſiſtens, indixit generalem Conventum, autumni tempore, id eſt, Septembri mediante, in Cariſiaco.* Sub idem tempus apud Annaliſtas Bertinianum & Fuldenſem moriuntur in Italia præcipui Lotharianarum partium fautores Hugo Lotharii ſocer & Lambertus Comes. At teſte Aſtronomo, cujus auctoritas longè præſtat, obitum utriuſque retulimus anno præcedenti.

XXVIII.

CONVENTUM HABET APUD CARISIACUM CUM FILIIS PIPPINO ET CAROLO.

Apud Cariſiacum habitus eſt menſe Septembri Conventus, eíque Ludovicus Imperator cum duobus filiis Pippino & Carolo præſens interfuit, nequaquam verò Lotharius Auguſtus & Ludovicus Rex Bojoariæ, qui palàm teſtabantur ſibi plurimùm diſplicere, quòd pater Regnum Caroli nuper tot provinciis adauxiſſet. Res ibi tum geſtas ita deſcribit Aſtronomus. *Imperator indixit generalem Conventum autumni tempore, id eſt, Septembri mediante, in Cariſiaco. In quo loco & tempore filius ejus Pipinus ob Aquitania ad eum venit, & ipſi Conventui interfuit, ubi Dominus Imperator filium ſuum Carolum armis virilibus, id eſt, enſe cinxit, Coronâ Regali caput inſignivit, partémque Regni, quam homonymus ejus Carolus habuit, id eſt, Neuſtriam, attribuit.*

AUGET ADHUC REGNUM CAROLI.

Itaque Dominus Imperator inter filios, quantùm ſibi poſſibile fuit, coagulo benevolentiæ firmato, Pipinum in Aquitaniam, Carolum autem in portionem Regni ipſi attributam dimiſit. Et præſentes quidem Neuſtriæ provinciæ Primores Carolo manus dederunt, & fidelitatem ſacramento obſtrinxerunt; abſentium autem quiſque poſteà ibidem fecit. In eodem loco & tempore penè omnes Septimaniæ nobiles affuerunt, conquerentes adversùs Bernardum Ducem illarum partium, eò quòd illius ſatellites tam rebus, Eccleſiaſticis quàm privatis, abſque ullo reſpectu divino humanóque, pro libito abuterentur. Unde petierunt, ut Dominus Imperator ſub ſua protectionis munimine eos ſuſciperet, & poſt hæc tales Miſſos in eandem terram dirigeret, qui & poteſtate & prudentiâ de ablatis æquo libramine penderent, & avitam eis legem conſervarent. Ad quod peragendum miſſi ſunt, ſecundùm poſtulationem eorum, & Domini Imperatoris electionem, Bonifacius Comes, & Donatus itidem Comes, ſed & Adrebaldus Flaviacenſis Monaſterii Abbas, qui perperam in vulgatis editionibus *Flavianicenſis* & *Flaviniacenſis* Abbas exhibetur. Nithardus [a] ejuſdem Cariſiacenſis Placiti ſic meminit. Imperator *Cariſiacum mediante Septembrio venit, ſeditionémque quandam ſimiliter perfacilè ſedavit, ac præfato Karolo arma & Coronam, necnon & quandam portionem Regni inter Sequanam & Ligerem dedit; Pippinum ac Karolum, ut videbatur, unanimes effecit, ac deinde Pippinum in Aquitaniam abire cum gratia permiſit, Karolum verò in partem Regni, quam ei dederat, direxit. Quò veniens, omnes hos fines inhabitantes ad illum venerunt, & fidem ſacramento commendati eidem firmaverunt.*

[a] Lib. 1.

TUMULTUM SEDAT BRITANNICUM COPIIS EÒ DIRECTIS.

Per ſeditionem, quam Ludovicus Auguſtus *perfacilè* ſedavit, tumultum intellige Britannicum, de quo ſic Annaliſta Bertinianus. *Brittones quadam inſolentiâ moti, rebellare conati ſunt. Quorum motus Imperator directâ expeditione citò compreſſit, redditâque noſtris terrâ & datis obſidibus, fideles ſeſe polliciti ſunt permanſuros.* In ea Regni parte, quam hoc anno Ludovicus Imperator in Aquiſgranenſi Conventu filio ſuo Carolo nuperrimè dedit, nihil occurrit omnino, quod inter Sequanam & Ligerim ad Occidentem magis vergat quàm Comitatus Caſtrenſis & Stampenſis, Diœceſéſque, Pariſienſis, Senonenſis & Aurelianenſis. Ab illis autem ſeu Comitatibus ſeu Diœceſibus uſque ad Oceanum inter amnes prædictos ſpatioſiſſima terrarum ſupereſt intercapedo; cujus partem aliquam Carolo filio Ludovicus Auguſtus in Cariſiacenſi Placito tradit annuente Pippino, ſingularémque priùs amicitiam erga fratrem Carolum fraudulenter pollicito. Qui Francorum Regnum tres in partes hoc anno diſtinctum, totidémque filiis, Pippino, Lu-

AN. CH. 837.
Lunov. Imp. 24.
Lothar. Imp. 21.
Pippini R. 23.
Lunov. R. 21.
Caroli R. 8.

dovico & Carolo, à Ludovico Augusto patre tunc attributum volunt, in hunc annum rejiciunt istius divisionis Chartam, quam nullo consignatam Charactere Chronologico Petrus Pithœus & Andreas Duchesnius ediderunt; at non satis accuratè perpendunt hoc anno de sola Caroli sorte in Aquisgranensi Conventu, & de sortibus tantùm Pippini & Caroli in Carisiacensi Placito quid statutum fuisse. Quod attinet ad Bernardum Ducem, contra quem motæ sunt apud Carisiacum querelæ, de illo recurret sermo; missi sunt in Septimaniam ad indagandam rei veritatem duo Comites Bonifacius & Donatus cum Abbate Adrebaldo; hic perperam in editione Pithœana *Flavianicensis*, in Duchesniana *Flaviniacensis* Abbas appellatur, est enim Abbas Flaviacensis, eóque nomine non semel à nobis jam laudatus fuit, Flaviniacense verò Monasterium regit adhuc Vigilius Abbas, de cujus obitu sermonem faciemus anno sequenti. Quid interim Ludovicus Augustus post Carisiacense Placitum peregerit, Astronomus paucis ita docet. *His ritè peractis, Imperator ab eo loco divertit, & venationi autumnali juxta morem operam dedit, & ad tempora hyemalia exigenda se Aquisgrani collegit.*

XXIX. Confirmat Aldrici Ep. Privilegia pro Ecclesia Cenomannensi.

Inter Episcopos, qui sederunt in Conventu Carisiacensi, numeratur Aldricus Cenomannensis Episcopus. Hic, ut Auctor vitæ testatur, eleemosynæ suæ, quam prolixo Privilegio descripserat, confirmationem ab Imperatore tunc obtinuit cum Anisolensi Monasterio, quod Ecclesiæ Cenomannensi priùs ablatum gravissimè querebatur.

Capite Gestorum tricesimo-septimo, Præceptum pro Aldrici eleemo-
syna confirmanda factum, datúmque hoc anno, apud Carisiacum, VII
Idus Septembris, Indictione primâ jam inchoatâ sic invenitur. *In Nomine Do-* XXX.
mini Dei & Salvatoris nostri Jesu Christi. Hludovicus divinâ repropitiante Clementiâ Imperator Augustus. Notum igitur esse volumus omnibus fidelibus nostris præsentibus & futuris, quia Aldricus Cenomanicæ urbis Venerabilis Episcopus obtulit ad relegendum Majestatis nostræ obtutibus quoddam devotionis atque dispositionis suæ scriptum, quo statuerat atque religiosâ distributione disposuerat, qualiter res, quæ tempore suæ decessionis in Episcopio sibi commisso invenirentur, in sua eleemosyna secundùm voluntatem modúmque à se Ecclesiasticè descriptum fideliter largirentur, petens humiliter, ut quod à se piâ devotione votóque religiosissimo constabat dispositum, nostrâ Imperiali auctoritate fieret inconvulsum. Cujus venerabilibus supplicationibus annuentes hanc nostræ auctoritatis conscriptionem ei fieri jussimus, per quam decernimus atque sancimus, ut quemadmodum ab eo per memoratum scriptum dispositum atque distributum constat, ita modis omnibus observetur atque firmissimè teneatur, neque cujuslibet cupida improbitas improbáque cupiditas id ullo astu convellere audeat, aut quippiam in suos usus retorqueat, sed sicut ab eo, ut diximus, religiosissimè statutum liquidò cernitur, ita ab his quos ad eandem distributionem impetrandam elegerit, incunctanter atque intrepidè perficiatur; quatenus & ipse tantæ dispositionis fructum in æterna beatitudine ab omnium retributore percipiat, & nos ejusdem beatitudinis consortium copiosiùs consequi mereamur. Ut igitur hæc nostra auctoritas inviolabilem obtinere valeat vigorem, de anulo nostro subter eam jussimus sigillari. Hirminmarus Notarius ad vicem Hugonis recognovi & subscripsi. Data VII *Idus Septembris, anno Christo propitio* XXV (lege XXIIII) *Imperii Domni Hludovici Piissimi Augusti, Indictione primâ. Actum Carisiaco Palatio Regio in Dei Nomine feliciter. Amen.* In hoc Præcepto, ut & in aliis Diplomatibus, seu Præceptis, seu Privilegiis, quæ leguntur in Gestis Aldrici Cenomannensis Episcopi, data mense Septembri & Indictione primâ, hæc Indictio sumit initium à Kalendis Septembribus, comparatúrque hoc per totum mensem Septembrem cum hoc anno Redemptoris octingentesimo tricesimo-septimo, quocum per eundem mensem Septembrem non annus Imperii Ludoviciani vicesimus-quintus sed vicesimus-quartus componitur.

AN. CH. Capite tricesimo-sexto, Aldricus eleemosynæ suæ descriptionem insigni
837. Privilegio sic init. *In Nomine sancti Salvatoris & Veneratione Sanctæ Dei Ge-
LUDOV. nitricis Mariæ Sanctorúmque Martyrum Gervasii & Prothasii atque Sancti Ste-
IMP. 24. phani, quorum Ecclesiæ, licèt indignè, titulatus esse videor, Aldricus Cenomanicæ
LOTHAR. urbis & prædictæ Ecclesiæ indignus & peccator Episcopus, omnibus in nostra Dio-
IMP. 21. cesi & Parrochia consistentibus, Episcopis, Sacerdotibus, Diaconibus, Subdiaconi-
PIPPINI bus, & reliquis Sanctæ Dei Ecclesiæ Ministris, seu cunctis fidelibus, notum esse
R. 23. cupio, quia pertractans casum humanæ fragilitatis, unà cum licentia Domni Hlu-
LUDOV. dovici Piissimi Imperatoris, & consensu etiam Metropolitani Ursmari Turonicæ ur-
R. 21. bis Archiepiscopi, seu ceterorum comprovincialium Episcoporum atque multarum alia-
CAROLI rum provinciarum Sanctorum Episcoporum considerare cœpi cum Canonicis & ce-
R. 8. teris Parrochianis nostris tam Sacerdotibus quàm aliis divino cultui famulantibus
XXXI. atque nobilibus laicis tam nostris quàm & aliis liberis & bonis hominibus, quali-
ter mea facultaticula & inibi commissa post meum obitum utiliter & rationabili-
ter foret in utilitatem Sanctæ matris Ecclesiæ & meam eleemosynam dispensata, ne
fortè (quod absit) aliquis sibi ea rapere, aut furari, aut in suos usus converti fa-
ciat, sicut in multis jam factum cognovimus, sed omnia in utilitatem Sanctæ Ec-
clesiæ & substentationes nobis famulantium, seu supplementa nostrorum Clericorum
tam Monachorum quàm & Canonicorum, sive adminicula laicorum, qui nostræ
Ecclesiæ & nobis famulari videntur, necne in almanias pauperum, per consilium
prædicti Metropolitani & per manus fidelium Sacerdotum sive Diaconorum atque
fidelium laicorum, qui ad hoc peragendum à me denominati & constituti fuerint,
fideliter & rationabiliter in suprà nominatas utilitates & necessitates, sicut in sub-
sequentibus dicemus, distribuantur. Id est, quicquid tunc temporis in nostro er-
gastulo de pecuniis diversi generis & vestimentis inventum fuerit, tota decima pars
distribuatur Ecclesiæ, quam fecimus super fluvium Sartha in loco qui dudum Broi-
lus Casalis nominabatur, quam & in honore Domini Salvatoris & Sanctæ Dei
Genitricis Mariæ sive Sanctorum Martyrum Gervasii & Prothasii atque Sancti Ste-
phani indigni sacravimus, & Monachis ibi Domino famulantibus fideliter & cum
caritate tribuatur. Nona verò pars Ecclesiæ quam fecimus inter fluvium Sartha &
murum civitatis, in qua & Monachas collocavimus, & sub Regula Sancti Bene-
dicti vivere decrevimus, quam & in honore prædicti Domini Salvatoris & Sanctæ
Mariæ ejusdem Dei & Domini Genitricis sive Sanctorum Martyrum Gervasii &
Prothasii sed & Sancti Stephani, quæ matri Ecclesiæ subjecta esse videtur, indigni
canonicè sacravimus, & Monachis Sanctimonialibus, sive cunctæ Congregationi
ibidem Domino famulanti fideliter & cum caritate absque ulla dilatione aut prohi-
bitione vel impedimento attribuatur. De reliquo verò tantùm quod in ergastulo
inventum fuerit, juxta Decreta Canonum, quatuor portiones fiant tam de auro
quam & de argento, sive de ceteris metallis vel utensilibus & diversi generis vesti-
mentis & supellectilibus omnibus; una quæ remaneat Ecclesiæ nobis commissæ, alia
verò in nostra eleemosyna detur fidelibus pauperibus, tertia autem Clericis Capella-
nis & Vassallis nostris, quarta Presbyteris urbanis & Monasterialibus sive subur-
banis atque reliquis Parrochianis & Diaconibus seu Subdiaconibus necnon & reli-
quis Ministris & Clericis, ut meliùs fieri potuerit. Nam & hoc summoperè viden-
dum est, ut omnia cum caritate fiant. Similiter & de vino solummodo quod tam in
civitate quàm in ejus ruis tunc inventum fuerit faciendum est, id est, omnis de-
cima prædicti vini detur Monachis viris, & nona funditus detur Monachis fœmi-
nis in prædictis locis degentibus, reliquum autem in quatuor partes dividatur, &
ut præscriptum est partiatur, fidelitérque & cum caritate per præfixas turmas, ceu
de pecuniis in nostro inventis ergastulo dictum est, rationabiliter distribuatur. De
vino quoque, quod in civitate & ejus ruis tunc temporis fuerit inventum, fiat ut
dictum est. De reliquo autem vino cuncto & de annonis omnibus diversi generis,
& leguminibus sive fœnis per diversa loca & in omnibus villis nostris nobísque
commissis reconditis, volumus atque præcipimus supplicitérque flagitamus, ut de-
* Edit. divisas. cem partes fiant æquâ lance divisæ *, una videlicet fideliter servetur matri Eccle-*

sia & beato successori nostro quem Dominus elegerit, & alia detur Vassallis & Capellanis sive servientibus, qui Domino nobisque in nostra mansiuncula militare videntur, ut non ipsi quoque, quod absit, in aliquo periclitentur inopiâ, sed habeant unde sustentari queant usquequò se cum sancto successore nostro mox futuro collocare Domino adjuvante utiliter valeant. Tertia tribuatur Canonicis & famulis Sanctæ Matris Ecclesiæ & Nonnanis qua in ea quotidie oblationes Domino offerunt, ut & pro me peccatore futuris temporibus Domino offerre eis delectet eorum oblationes. Quarta largiatur Monachis, qui sunt in Monasterio Carilephi & ingressivè in Savonariis, atque Sanctimonialibus Monachas qua sunt Interamnis Monasterio. Quinta detur Monachis, qui sunt in Monasterio Sancti Salvatoris paulo minùs miliario ab urbe distante super fluvium Sartha, & illis Monachis qui sunt in Sancto Vincentio juxta urbem, seu Sanctimonialibus Monachis qua sunt in Monasterio Sancti Salvatoris & Sanctæ Mariæ sive Sancti Gervasii inter fluvium Sartha & murum civitatis collocato. Sexta Congregationibus, qua per cetera diversa Monasteria tam in Cenomonica Parrochia quam & in pago Andecavo sive Turonico atque Oxomense & per ceteros pagos Domino militantibus fideliter, in quantùm posse & esse facultas tribuerit, cum omni discretione rationabiliter tribuatur. Septima Presbyteris & Diaconibus ac reliquis Clericis nostra in Parrochia Domino per diversas Ecclesias militantibus discretè & rationabiliter tribuetur, ut eis semper pro me miserrimo peccatore delectet orare, & sacrificia Domino assidua offerre, & flexis poplitibus precor ut eis assiduè agere suadeatur. Octava; ut diximus, tam de vino quàm & de annona diversi generis & legumine sive fœno rationabiliter & discretè detur funditus familiis in nostris villis nobisque commissis commanentibus, qua ea suis sudoribus laboraverunt, ut & eis pro me peccatore orare delectet, & hoc eis agere precor sæpissimè suadeatur. Nona & decima pars omnis annonæ, vini, & fœni, & leguminis, pauperibus, viduis, & orphanis, fideliter cum omni discretione & caritate funditus tribuatur. Omnes enim precor, ut pro me orare dignemini, ut remissionem cunctorum valeam percipere peccatorum, & vitam habere annuente Domino merear sempiternam. Fiat, fiat. Greges autem jumentorum unà cum eorum amissariis, & vaccarum, ac boum, seu porcorum, & ovium sive caprarum, qui sunt in Breim in condita Noviacensa, & in Proliaco infra villam quintam, seu in Novavilla super fluvium Sartha, sive in Covania, & in Cepeto supra Sartham, & in Brunonis villare in Belsa, & in altero Proliaco super fluviolum Viduam, Ecclesiæ nobis commissæ & nostro successori cum omni integritate possidendos & utiliter lucrandos & gubernandos relinquimus. Ego autem in toto Episcopio non inveni viginti jumenta. Modò, Deo gratias, septem ei relinquo Greges unà cum eorum amissariis; neque in toto Episcopio nobis commisso ex omnibus pecoribus vel pecudibus tantùm inveni, quantùm modo Domino auxiliante in una ex supradictis villulis relinquo ex his, qua meo pretio comparavi & meo labore acquisivi. Ideò supplex flagito ne alicui durum aut contrarium sit, si ea qua meo sudore acquisivi, & meo pretio comparavi, meis benefactoribus tribuo & mihi servientibus dono, atque Domino offerendo in mea eleemosyna fideliter distribui præcipio, & pro redemptione multorum & innumerabilium peccatorum meorum dari Dei servis & pauperibus humiliter supplico. Illi ergo greges jumentorum unà cum eorum amissariis & vaccarum ac boum seu porcorum & ovium atque caprarum qui sunt in Alamaniscas, & illi greges jumentorum unà cum eorum amissariis & vaccarum ac boum utriusque sexûs & porcorum sive ovium atque caprarum qui sunt in Drimiaco juxta Mantulam, & in Paciaco, in villa videlicet parte quam David modò provides, Fratribus & Canonicis nostris cum omni integritate absque ulla dilatione sive diminutione fideliter & cum omni caritate dentur. Illi námque greges jumentorum unà cum eorum amissariis & boum utriusque generis seu porcorum & ovium atque caprarum qui sunt infra Monasterium Sancti Carilephi, & in villa Floriaco, & in Consleutio, & in villa Mauri & in Comnis, & in villare Martis, & in Rusciaco, & in campo Sigalaici, & in illa Cella sive in Cantarnaco, atque in diversis mansionibus circa Monasterium constructis, omnes integr-

AN. CH. 837.
LUDOV. IMP. 24.
LOTHAR. IMP. 21.
PIPPINI R. 23.
LUDOV. R. 21.
CAROLI R. 8.

AN. CH. 837. LUDOV. IMP. 24. LOTHAR. IMP. 21. PIPPINI R. 23. LUDOV. R. 21. CAROLI R. 8.

rimè Monachis in Monasterio Sancti Carilephi & in Cella quæ Savonarias vocatur Domino militantibus absque ulla minoratione aut tarditate dentur. Ternos autem greges jumentarum unà cum eorum amissariis ac boum & vaccarum sive caprarum & ovium qui sunt in Halian, & quatuor porcarias quæ in eadem villa tam in mansionilibus quàm & in aliis locis esse videntur, & illos greges qui sunt in curte Quadrici, in Saxoncuse, omnes tam jumentorum quàm & boum & vaccarum seu porcorum & ovium atque caprarum illis Monachis, qui Domino in Ecclesia Sancti Salvatoris supra fluvium Sartha, ubi ille Abbas praesse videtur, cum omni integritate & cum caritate absque ullo scrupulo aut contradictione sive dilatione fideliter tribuantur. Illi quoque greges jumentorum una cum eorum amissariis & boum utriusque generis seu porcorum & ovium atque caprarum qui sunt in villa Colonica juxta urbem & in illa curte quæ dicitur Villa, quam Gundolus modò providet, & in Carariis super fluvium Sartha, & in Canon, dentur Monachis integerrimè qui Domino in Monasterio Sancti Vincentii militant. Illi ergo greges jumentorum unà cum amissariis & boum utriusque generis seu porcorum & ovium qui sunt in Gres & in Fraxinido, in Belsa, & in Semmuro, Monachis in Gres Domino in Ecclesia Sanctæ Mariæ & Sancti Almiri militantibus funditus absque ulla tarditate aut minoratione tribuantur. Illi quoque greges una cum eorum amissariis jumentorum & vaccarum ac boum sive ovium & porcorum atque caprarum, omnes qui sunt in Aviniaco, seu in Casiliaco, & in illa parte Paciaci quam Gundoldus providet, nostris sororibus Sanctimonialibus Monachis, quas inter murum civitatis & fluvium Sarthæ in Ecclesia Domini Salvatoris & Sanctæ ejusdem Dei Genitricis Mariæ sempérque Virginis sive Sanctorum Martyrum Gervasii & Prothasii atque Sancti Stephani sub Monastico Ordine & sub Regula Sancti Benedicti vivere collocavimus, cum summa caritate & omnium integritate absque ulla dilatione fideliter attribuantur. Illi quoque greges jumentorum unà cum eorum amissariis & boum utriusque sexûs & ovium sive porcorum atque caprarum, qui sunt in Rupiaco, integerrimè fratri meo Isaac filióque ejus Rotgario absque ulla diminutione aut dilatione tribuantur. Illi autem greges jumentorum unà cum eorum amissariis & boum utriusque generis seu porcorum & ovium atque caprarum, qui sunt in Cantrella, & in Varennis, in Vindosinense, & in Brewiaco, in Oxemense, & in Artinis super Liz, & Lanciati ultra Ligerim, sive in Vodebris, Vassallis qui nobis in nostra mansiuncula serviunt, & Clericis qui Domino in nostra Capella famulantur, cum omni integritate dispositè & rationabiliter largiantur. Reliquos námque greges jumentorum & boum utriusque generis & ovium seu porcorum atque caprarum, omnes qui sunt in culturis & in silva Wastina in diversis mansionilibus & locis tàm super fluvium Liz quàm & in silva Wastina, & in Tricione in diversis mansionilibus, & in locis diversis, & in Tauriaco, & in Bajocassino, & in Vetusvico, sive in Celsiaco, ac in Nascas, seu in Cadarus, & in Colonica ultra Medanam, & in Calcamia ultra fluvium Ligeris, & in Callemarcio, sive in monte Sodeuris, in omnibus mansionilibus in eo constructis, & in rivo petroso, & in Villa-nova in Belsa, & in villa Macunen, & in Biocia, super fluvium Brica, & in Villena in Parisiaco, in nostra eleemosyna Presbyteris & Dei servis sive pauperibus fideliter & rationabiliter cum omni timore & reverentia distribui dispositè imploramus atque rogamus, & omnia fieri cum caritate optamus. De equis námque nostris & secmariis sive mulis & asinis ac poledris, quibus adhuc fruimur, & sine quibus Regale & commune servitium explere nequimus, de illis qui anteà dati minimè fuerint, præcipimus, duos, quales meliores inventi fuerint, prædicto Domno Metropolitano nostro benè paratos & ornatos dari; & alios duos, quales post hos meliores inventi fuerint, Dodoni Andecavensis urbis Episcopo benè ornatos tribui jubemus. Ipsos enim Sanctos Episcopos, si mihi superstites Domino miserante fuerint, ad obitum meum venire deprecor, & animam meam per eorum sanctas orationes Domino devotissimè commendari suppliciter flagito, & ad corpusculum meum eorum precibus Domino unà cum anima commendari & cum orationibus eorum sepeliri humiliter postulo, & in omnibus summoperè illos & quasi ad

AN. CH. 837.
LUDOV. IMP. 24.
LOTHAR. IMP. 21.
PIPPINI R. 23.
LUDOV. R. 21.
CAROLI R. 8.

pedes eorum provolutus deprecor, ut de me & pro me sic faciant sicut volunt, ut de illis tam in vita quàm & post obitum fiat. Insuper quatuor equos bonos meæ sepulturæ loco & fratribus inibi Domino famulantibus dari jubeo. De ceteris ergo equis volo, ut causâ benedictionis singulos accipiant singuli, qui præscripti & præordinati ad nostram eleemosynam faciendam fuerint, ut meliùs illis delectet pro me orare & commissum sibi negotium peragere. De reliquis quippe equis & poledris & mulis atque asinis tres jubemus fieri portiones. Una pars remaneat Ecclesiæ nobis commissæ & sancto successori nostro. Alia verò largiatur dispositè & rationabiliter Clericis & Vassallis & servientibus & ministerialibus nobis famulantibus. Tertia autem pars distribuatur fideliter & rationabiliter in nostram eleemosynam, prout meliùs scierint & potuerint quibus hoc commissum fuerit. Taliter quoque illis hoc præcipio & deprecor agere & tam fideliter & rationabiliter dispensare, qualiter inde rationem non metuant reddere in conspectu Domini nostri Jesu Christi, & ex hoc non recipiant, quod absit, damnationem æternam, sed præmium sempiternum. Illa verò omnia, quæ in præfato tempore, ut dictum est, in prædictis locis & agris tam internis quàm externis inventa fuerint, Domino Deo devotâ mente & sano corpore pro ingenti & nimio pondere peccaminum meorum supplex & devotus offero, & per hanc Chartulam, quam sanâ mente dictavi & supradicto prætextu scribere jussi atque propriâ manu subter firmavi, ad supradicta & scripta, sicut hæc paginula Testamenti commemorat, explenda & fideliter peragenda Domino Deo sponte & devotè trado, ut si quis aliter, quod absit, ex præfatis rebus, in quantùm meliùs prævalueris ac poterit, agere præsumpserit, ipsi Domino Deo meo & Salvatori nostro Jesu Christo reddat inde rationes, cui hæc præscripta peragenda & explenda devotè oblata & tradita sunt, & ante tribunal ipsius Judicis æterni ex hoc tremebundam deducat rationem. Contestor enim Sanctum successorem meum mox futurum, quicunque fuerit, & quasi ad vestigia pedum ejus provolutus humiliter deprecor, ut sic de me & pro me miserrimo peccatore faciat, sicut vult ut sui successores post obitum ejus de eo faciant, & sic mea facta integra conservet, sicut sua vult post se servari. Hanc ergo paginolam Testamenti suppliciter flagito ut per omnia conservet, &, si aliquis aliter ex his quæ hic inserta sunt facere voluerit, supplico ut eum corrigas, & eis quos ad hoc peragendum de nomine vero, sive quibus hoc negotium commissum fuerit, auxilium per omnia præstet, ut hæc absque ullo impedimento perficere queant. Si autem, quod absit, aliter fecerit, ante tribunal Domini nostri Jesu Christi tremebundam ex hoc reddat rationem. Obnixè quoque deprecor sanctum successorem meum, quemcumque Dominus fore voluerit, & omnes Sacerdotes tam Monachos quàm & Canonicos sive cunctos Clericos & laicos in nostra Diocesi & Parrochia commanentes & conversantes, ut in anniversario obitûs mei per singulos annos diligenter tractent & fideliter in eis pro me orare studeant, & Vigilias & Missas devotè decantent, ut Domino annuente remissionem omnium peccatorum meorum & indulgentiam misericorditer percipere merear, & vitam insuper habere sempiternam valeam. Amen. Precor etiam Dominum successorem meum per Dominum Omnipotentem, cunctósque fratres & consacerdotes nostros contestor, quatenus ei fideliter suadeant, ut si facultas permiserit & illi placuerit, per singulos annos in die obitûs & anniversarii mei de suo faciat prædictis Sacerdotibus tam Monachis quàm & Canonicis & reliquis Clericis atque pauperibus plenam atque bonam refectionem. Et si illi hoc durum (quod absit, aut difficile fuerit, tunc de villa Buxarias, quam fratribus & Canonicis nostris per Testamentum firmiter corroboratum & per Præceptum Domni Hludovici Piissimi Imperatoris confirmatum sponte & devotissimè tradidi, atque perpetualiter possidendam & perfruendam reliqui, illa refectio, quæ modò & sicut modò præparatur & agitur in die Natalis & Ordinationis meæ, precor ut convertatur funditus in die obitûs & anniversarii mei, & sicut in prædicto Testamento continetur, per omnia ita agatur, & sicut in eo scriptum est, devotissimè & fidelissimè perficiatur, ut refectionem & consolationem habeant in illa die tam Sacerdotes & Clerici quàm & pauperes & indigentes, qui pro me miserrimo peccatore oraverint, ut omnes devotâ

AN. CH. 837. LUDOV. IMP. 24. LOTHAR. IMP. 21. PIPPINI R. 23. LUDOV. R. 21. CAROLI R. 8.

mente inibi requiem æternam habere exorent suppliciter. Insuper supplico prædictum successorem meum, ut præfatum Testamentum meum, quod de præfixa villa Buxarias feci, Fratribus & Canonicis nostris per omnia conservet, & sicut in eo continetur insertum de quinque refectionibus eorum & aliorum Sacerdotum ac Clericorum atque pauperum diligenter adimplere faciat, ut omnes per singulas Festivitates exorent & dicant. [Aldrico, Domine, Pontifici nostro da requiem æternam & vitam sempiternam. Amen.] De jam dictis ergo rebus nemo aliquid meum putet esse nisi ad immeliorandum & Canonicè dispensandum, quoniam Domino omnia, quæ in hac Chartula memorata & conscripta sunt, per hoc Testamentum præsens taliter tradidi, & ad prædicta explenda & peragenda firmiter delegavi, & sicut in hac paginula distinctum & insertum est, summoperè deprecando fieri jussi & postulavi, & si quis aliter, in quantùm facultas fuerit, aut deteriùs de præscriptis rebus Dominóque oblatis ad præfixa peragenda egerit, ante tribunal Domini nostri Jesu Christi de sua præsumptione tremendam deducat rationem. Obnixè quoque omnes precor, ut taliter ex omnibus in hac Chartula conscriptis agant qualiter in conspectu Domini, quod absit, non damnationem sed remunerationem percipiant, & vitam æternam, Domino tribuente, cum Sanctis & electis Dei habere mereantur. Amen.

XXXII. Aldricus Sancti Carilephi Monasterium, cujus mentionem in nupertimo Diplomate fecit, Ecclesiæ suæ juxta leges Ecclesiasticas ac civiles evindicavit, & in Placito Carisiacensi super hoc negotio Præceptum obtinuit Ludovici Augusti, quod mox recitaturi sumus, præmissis antè rebus, quæ Conventum illum seu mensem Septembrem præcesserunt.

XXXIII. Imprimis apud Aquisgranum lis inter Aldricum Cenomannensem Episcopum & Sigemundum Abbatem Carilephianum *ventilata & ad liquidum perscrutata, canonicéque & legibus definita* fuit. Ideóque in ejusdem Aldrici Gestis capite quinquagesimo, laudantur Drogo Metensis Archiepiscopus aliique Præsules, quòd super eodem negotio post Aquisgranense judicium in Conventu Carisiacensi *respondentes dixerunt* Aldrico. *Non est necesse hæc tractare, quia scimus te canonicè & legibus memoratum* Sancti Carilephi sive Anisolæ *Monasterium habere conquisitum & evindicatum, sed de istis Monachis, qui modò se reclamant ejectos esse eorum Monasterio, quod Dominus Imperator nobis inquirere præcepit, modò agendum est.*

XXXIV. Extant in iisdem Gestis super eadem causa duæ Ludovici Imperatoris ad Jonam Episcopum Aurelianensem epistolæ. Prior sic habet capite duodequinquagesimo. *In Nomine Domini Dei & Salvatoris nostri Jesu Christi Hludovicus divinâ repropitiante Clementiâ Imperator Augustus Jonæ Venerabili Episcopo salutem. Notum tibi esse volumus quia perventum est ad nos quòd Monachi ex Monasterio Sancti Carilephi in egressu præsumptivo idem Monasterium expoliassent ornamentis Ecclesiasticis tam in thesauro quámque in vasis seu vestimentis, necnon & libris. Quapropter tibi præcipimus & Henrico Abbati, ut vos omni diligentiâ illud inquiratis, & cum omni integritate res Ecclesiasticas eidem Ecclesiæ restituere faciatis. Vale, ex hoc habeto studium sicut de te benè confidimus, & sicut in hoc nostram cognoscis voluntatem.* Posterior sic, capite quadragesimonono. *In Nomine Domini Dei & Salvatoris nostri Jesu Christi. Hludovicus divinâ repropitiante Clementiâ Imperator Augustus Jonæ Venerabili Episcopo salutem. Notum tibi esse volumus, quia perventum est ad nos, quòd Monachi ex Monasterio Sancti Carilephi egressi sunt de proprio Monasterio, aliena loca quærentes, immemores propriæ promissionis eorum, in qua promiserunt obedientiam & stabilitatem propriæ promissionis loci, atque renuntiaverunt propriis voluntatibus secundùm Regulam Sancti Benedicti, obliti etiam sententiam Evangelicam, in qua Dominicum exemplar audivimus. Non veni, inquit, facere voluntatem meam, sed ejus qui misit me, oblitíque Apostolicæ sententiæ ita dicentis: subjecti estote omni creaturæ, sive Regi quasi præcellenti, sive Ducibus tanquàm ab eo missis. Et hoc non ob aliud fecerunt, nisi quòd Abbas eorum nobis inobediens apparuit, & nos eidem*

AN. CH. 837. LUDOV. IMP. 24. LOTHAR. IMP 21. PIPPINI R. 23. LUDOV. R 21. CAROLI R. 8.

Abbati idem Monasterium tulimus, & illud Aldrico Episcopo Ecclesiaque sibi commissa legaliter, sicut à suis prædecessoribus possessum & constructum fuit, reddidimus, sicut lator ejus epistola tibi dicere poterit, quia prolixum est nobis in hac epistola omnia inserere, qualiter actum & definitum rationabiliter fuit, & quia in nullo sentimus contrarium esse auctoritati Canonum Monachos subjectos Episcopis fieri debere. Quapropter volumus, ut Missus noster sis una cum Henrico Abbate, & eosdem Monachos plenâ auctoritate Canonum & regulari atque nostrâ ad proprium Monasterium redire compellatis. Si verò quispiam eorum vos non obaudierit, volumus ut compellatis eum venire ad nostram præsentiam in proximo Placito quod habituri sumus apud Carisiacum. Benè vale, & ora pro nobis Dominum.

XXXV. Habitus est apud Carisiacum ille Conventus, hoc anno, mense Septembri, sive Indictione primâ tunc inchoatâ. Præter varia Diplomata, de quibus sermonem faciemus infrà, Chronologiam nostram egregiè confirmat Lupus Ferrariensis Monachus epistolâ sextâ, quâ Reginbertum fortunam expertum minùs prosperam solari conatur, & ad spem melioris sortis sic erigit. *Superiore anno, annitentibus amicis, in præsentiam Imperatoris deductus sum, & ab eo atque Regina benignè omninò exceptus; & nunc, hoc est, x Kal. Octobris, Indictione primâ, ad Palatium Reginâ, quæ plurimum valet, evocante promoveo, multique existimant fore, ut citò mihi gradus dignitatis aliquis conferatur. Quod si divinâ exuberante gratiâ evenerit, non dubites illicò te accersendum; ut unà permissu Imperatoris degentes, communium studiorum exercitatione jucundissimâ perfruamur. Sin autem spes nostras eventus eluserit, rescribe, an velis me per amicos . . . . . . ut ab Imperatore locus tibi quidem reddatur in Monasterio tuo, apud me autem studendi gratiâ, quatenus uterque nostrum voluerit, conferatur. Cùm hæc ita se habeant, hortor ne Divina Scriptura nulla tibi fuerit cura, cujus & usus frequens est, & cognitio salutaris.*

XXXVI. Henricum Abbatem, cujus ut & Jonæ Episcopi suis in epistolis ad cognoscendam Anisolensium Monachorum causam meminit Ludovicus Augustus, Abbatiali munere in Aurelianensi Diœcesi functum fuisse non temerè pronuntiabis. Existimamus haud alium extitisse ab Heririco Abbate Miciacensi, cujus etiam ut & prædicti Jonæ mentionem ante triennium [a] fecimus, quando Reliquias trium Abbatum Miciacensium, Maximini videlicet Senioris, Theodemiri, & Maximini Junioris in suum Monasterium transtulit.

XXXVII. Apud Carisiacum quid in causa Carilephiani Cœnobii judicatum sit octavo Idus Septembris, hoc anno, cùm prima Indictio jam cœpta esset, & annus Imperii Ludoviciani vicesimus-quintus jam numeraretur, exhibent Aldrici Gesta capite quinquagesimo, sic. *Cùm in Nomine Domini Dei & Salvatoris nostri Jesu Christi Domnus Hludovicus Imperator anno Incarnationis Dominicæ* DCCCXXXVIII (lege DCCCXXXVII) *ad universorum causas audiendas vel recta judicia terminanda in Carisiaco Palatio publicè resedisset, & Conventum generalem totius populi unà cum Pipino & Karolo filiis suis, gloriosis videlicet Regibus, & Synodum Episcoporum & reliquorum Sacerdotum ibidem generaliter ad Ecclesiastica sive mundana negotia tractanda necnon & ad utilitatem Sanctæ Dei Ecclesiæ fulciendam coadunatum haberet, ibique venientes Monachi de Monasterio Anisola, in quo Sanctus Carilephus corpore requiescit, ante prædictum Domnum Hludovicum Imperatorem ampliùs quàm viginti cum Sigemundo, qui dudum eorum Abbas fuerat, qui se injustè reclamaverunt de eorum Monasterio ejectos esse, quorum causam Domnus Imperator in generali Conventu ibidem habito diligenter discutere & enucleatim inquirere præcepit. Cùm autem in conspectu Episcoporum & Abbatum & reliquorum Sacerdotum se pro prædicta causa advenientes reclamarent, interrogatum est Aldrico eorum & Cenomanicæ Parrochiæ Episcopo & ejusdem Monasterii Abbati, si eos ejecisset ex eorum Monasterio, aut à quo ejecti taliter vagantes discurrerent relicto loco in quo seculo renuntiaverunt, in quo etiam Ecclesiasticis vel secularibus negotiis dicunt vita eorum perma-*

[a] An. 834. n. 20.

AN. CH. 837. LUDOV. IMP. 24. LOTHAR. IMP. 21. PIPPINI R. 23. LUDOV. R. 21. CAROLI R. 8.

nere deberent. Qui respondens ait. Nec ego ejeci eos, nec scivi eos ejectos esse. Tunc adlata est coram Rege & Optimatibus ejus traditio Sancti Carilephi, quam fecit Sancto Innocenti Episcopo per licentiam & consensum Childeberti Regis, & alia multa auctoritates, quas enumerare longum est, de quibus sæpedictus Pontifex coram omnibus in eodem Concilio consistentibus habuit suos testes tam Sacerdotes quàm & veridicos laicos nobiles & bonos & legitimos sufficienter, qui eadem instrumenta Chartarum approbaverunt, & ea infra legitimos annos canonicè & legibus vestita viderunt, & pleniter atque legibus testificabantur plùs per justitiam & legem Canonicam & mundanam prædictum Anisolæ Monasterium cum omnibus ad se pertinentibus ad jus Cenomanicæ matris Ecclesiæ pertinere quàm alinbi, aut fiscus Dominicus aut proprium Domni Imperatoris aut alicujus hominis esse debere. Sed nullus inventus est, qui contra hæc aliquid dicere aut probare voluisset. Tunc Drogo Metensis aliique Præsules, ut suprà [a] jam notavimus, *dixerunt* ea non esse rursum examinanda quæ *præterito tempore* in Aquisgranensi Palatio discussa fuerant, sed ut Imperator inquirere præceperat, agendum duntaxat de Monachis, qui se reclamabant ejectos esse de suo Monasterio. *Postquàm* autem *perscrutatum est præscriptos Monachos nullius ejectione nec aliquâ indigentiâ, nec culpâ aut facto prædicti Aldrici Episcopi exisse ab eorum Monasterio, sed eorum libitu & contumacia hoc eos perpetrasse, & ut jam dictum Monasterium prædicto Episcopo auferrent, & à jure suæ Sedis Ecclesiæ quoquomodo potuissent subtraherent vel alienarent sibíque evindicarent, tunc eis præceptum est ut reverterentur ad eorum Monasterium quo renuntiaverunt, ibíque jejuniis & orationibus insisterent, & Domino regulariter militarent. Illi verò contrà stomachando responderunt, atque illuc reverti nolle dixerunt. Tunc videntes eos omnes Episcopi & reliqui Sacerdotes tanta stultitia esse, & taliter Domno Imperatori & omni Sanctæ Synodo atque eorum proprio Episcopo inobedientes existere, eorúmque jussionibus & piis ac justis consiliis resistere, præceperunt afferre Regulam Sancti Benedicti & in conspectu omnium sententias ejus legere, quibus in omnibus repugnabant, & ad ultimum de humilitatis gradibus sententiam legere jusserunt, de quibus eis nullum tenere visum est, sed magis propriis voluntatibus inservire & eorum libito inservire & insistere. Quam Regulam tunc considerantes dixerunt, quoniam ea quæ levi & blando medicamine sanari non possunt, ferro abscindi necesse est. Et præceperunt afferri Canones, è quibus in præsentia omnium in plenaria Synodo relecta est sententia Concilii Chalcedonensis de Clericis, qui præsunt Ptochiis vel Monasteriis, Capitulum VIII continens hæc. [Clerici, qui præficiuntur Ptochiis, vel qui ordinantur in Monasteriis & Basilicis Martyrum, sub Episcoporum, qui in unaquaque civitate sunt, secundùm Sanctorum Patrum traditiones potestate permaneant, neque per contumaciam ab Episcopo suo dissiliant. Qui verò audent evertere hujusmodi formam quocunque modo, nec proprio subjiciuntur Episcopo, si quidem Clerici sunt, Canonum correptionibus subjacebunt, si verò laici vel Monachi fuerint, communione priventur.] Perlectâ autem hac sententiâ, iterum interrogati sunt, si adhuc essent ita inobedientes ut priùs. Illi verò in eadem pertinacia permanentes, tunc judicio omnium Episcoporum & universalis Sancti Concilii secundùm hanc sententiam ab omnibus Episcopis & reliquis Sacerdotibus exclusi sunt ab omni Sacerdotali Catalogo & Communione, & extorres, si irrevocabiles persisterent, à Catholica Ecclesia facti sunt. Tunc ergo ab omnibus Episcopis & reliquis Dei servis sive à generali Conventu judicatum est, ut reciperet præfatus Aldricus Episcopus suos Monachos, & faceret ex eis quicquid ei libitum fuerit, & aliqui ei per manus à Sancto Concilio redditi sunt. Et judicatum est ei ab universa Sancta Synodo, quòd legibus evindicatam habebat suam causam & præfatum Monasterium cum omnibus ad se pertinentibus canonicè & legibus conquisitum, & Ecclesiæ sibi commissæ futuris temporibus suísque successoribus lucratum, & quicquid inde Ecclesiastico ordine facere & disponere Domino annuente decreverit, liberam in omnibus habeat potestatem faciendi. Idcircò necesse fuit ut præfatus Episcopus & Ministri suæ Sedis Ecclesiæ hoc evindicatum vel hanc noti-*

[a] Num. 33.

AN. CH. 837. LUDOV. IMP. 24. LOTHAR. IMP. 21. PIPPINI R. 23. LUDOV. R. 21. CAROLI R. 8

tiam consilio & judicio omnium ad prædictam Synodum convenientium Episcoporum & reliquorum Sacerdotum acciperent, ut, si post hunc diem, quod fieri minimè credimus, de hac causa aliqua causatio vel repetitio vel quadam calumnia instigantibus malevolis hominibus orta fuerit, eorum omnibus hæc notitia vel evindicatio declarata appareat, ut quod repetis evindicare non valeat, sed præsens conscriptio omni tempore vel notitia firma & stabilis permaneat.

Sequuntur Episcoporum subscriptiones. *His præsentibus actum fuit. Drogo* Metensis *Archiepiscopus & Senior Capellanus subscripsit. Autcarius* Moguntiacensis *Archiepiscopus subscripsit. Agobardus* Lugdunensis *Archiepiscopus subscripsit. Bernardus* Viennensis *Archiepiscopus subscript. Bernegarius*, aliis Bartholomæus *Narbonensis Archiepiscopus subscripsit. Agiulfus Biturica urbis Archiepiscopus subscripsit. Notho Arelatensis Archiepiscopus subscripsit. Abtadus* sive Artaldus *Genevensis Episcopus subscripsit. Harinbertus Bajocensis Episcopus subscripsit. Freculfus Lexoviensis Episcopus subscripsit. Theodoricus Cameracensis Epi-* XXXVIII.
scopus subscripsit. Erardus Tungrensis seu Leodiensis *Episcopus subscripsit. Ragenarius Ambianensis Episcopus subscripsit. Gundacher Limoticinensis* seu Lemovicensis *Episcopus subscripsit. Jonas Aurelianensis urbis Episcopus subscripsit. Moduinus Ostudunensis* sive Augustodunensis *Episcopus suscripsit. Heribaldus Altisiodorensis Episcopus subscripsit. Adalbertus Tricacensis* seu Trecensis *Episcopus subscripsit. Dodo Andegavensis Episcopus subscripsit. Herchenradus Parisiaca urbis Episcopus subscripsit. Humbertus* sive Hucbertus *humilis Episcopus* Meldarum *subscripsit. Fulcarius humilis Episcopus*, fortè Fulconinus Wormatiensis *subscripsit. Godefredus Senlitensis* seu Silvanectensis *Episcopus subscripsit Fawo Cavilonensis* seu Cabilonensis *Episcopus subscripsit. Hildi Virdunensis Episcopus subscripsit. Lupus Cadolonensis* seu Catalaunensis *Episcopus subscripsit. Stephanus humilis Episcopus* Biterrensis *subscripsit. Walafridus Diaconus rogatus recognovi & subscripsi.*

Denique subjiciuntur hi Characteres Chronologici. *Data* VIII *Idus Septembris, anno Christo propitio Imperii Domni Hludovici Piissimi Augusti* XXV, XXXIX.
Indictione I. *Actum Aquisgrani Palatio Regio in Dei Nomine feliciter. Amen.* Hoc anno post natum Christum octingentesimo tricesimo-septimo per totum mensem Septembrem Ludovicus Augustus à die quo consors Imperatoriæ Dignitatis à patre factus est annum Imperii sui vicesimum-quintum numeravit, & initium à Kalendis ejusdem mensis Septembris prima cœpit Indictio. Simul igitur octavo Kalendas Septembres annus Imperii Ludoviciani vicesimus-quintus & Indictio prima rectè conveniunt, & hi Characteres ad annum Redemptoris octingentesimum tricesimum-septimum referri debent, quo *Hludovicus Imperator ad universorum causas audiendas vel recta judicia terminanda in Carisiaco Palatio publicè* resedit, *& Conventum generalem totius populi unà cum Pipino & Karolo filiis suis, Gloriosis videlicet Regibus, & Synodum Episcoporum & reliquorum Sacerdotum ibidem generaliter ad Ecclesiastica sive mundana negotia tractanda necnon & ad utilitatem Sanctæ Dei Ecclesiæ fulciendam coadunatum* habuit. Quapropter ubi sub ipsius Diplomatis initium annus *Incarnationis Dominicæ* DCCXXXVIII legitur, annum DCCCXXXVII reponendum jam monuimus. Ex hoc errore manavit alter circa scriptionis locum. Nam Charta, quæ data est VIII *Idus Septembris, cùm Hludovicus Imperator ad universorum causas audiendas in Carisiaco Palatio publicè resedisset*, scripta perperam dicitur *Aquisgrani Palatio Regio.* Quis *Aquisgrani* loco Carisiacum non restituat?

Emendationem hanc in iisdem Aldrici Gestis egregiè confirmat caput XL.
undequadragesimum. Ludovicus enim Augustus postero die seu septimo Idus Septembres, anno Imperii sui vicesimo-quinto, Indictione primâ, Præceptum Aldrico in Carisiaco Palatio Regio super Carilephiani Monasterii sic concedit. *In Nomine Domini Dei & Salvatoris nostri Jesu Christi. Hludovicus Divinâ repropitiante Clementiâ Imperator Augustus. Si petitionibus*

AN. CH. 837. Ludov. Imp. 24. Lothar. Imp. 21. Pippini R. 23. Ludov. R. 21. Caroli R. 8.

Sacerdotum servorúmque Dei, justis & rationabilibus postulationibus, pro quibuslibet Ecclesiarum sibi commissarum negotiis & necessitatibus eorum aures nostras libenter annuimus, & eas cum Dei auxilio ad effectum perducimus, non solùm Regiam & Imperatoriam exercemus consuetudinem, sed id nobis ad æterna remunerationis præmia percipienda profuturum liquidò credimus. Idcircò notum esse volumus cunctis fidelibus Sanctæ Dei Ecclesiæ & nostris, præsentibus scilicet & futuris, quoniam adiens Serenitatem nostram Aldricus Venerabilis Cenomanicæ urbis Episcopus innotuit nobis, quòd Monasterium Anisola situm infra terminos Parrochiæ suæ, in quo etiam Sanctus Carilephus corpore requiescit, à jam dicto Domno Carilepho concedente atque ordinante Domno Innocente præscriptæ urbis quondam Episcopo de rebus tam sui Episcopii, quàm & de rebus aliorum bonorum hominum tam Regum, quàm & aliorum virorum memorato Domno Carilepho traditis, quas & ipse posteà per instrumenta Chartarum & per licentiam sive permissum atque consensum Childeberti Regis Francorum ad Matrem & civitatis Ecclesiam, quæ est constructa in honore Sanctæ Mariæ Dei Genitricis & Sanctorum Martyrum Gervasii & Prothasii, instante & confirmante jusso prædicti Childeberti Regis Francorum, & tradidit, atque canonicè & legaliter confirmavit, in quibus rebus prædictum Monasterium fundatum à jam dictis sanctis viris atque constructum est, & a prædictæ Sedis Pontificibus canonicè legibúsque longo tempore possessum atque dominatum, sed quibusdam intervenientibus causis postmodum à jure præfatæ Matris Ecclesiæ substractum & aliquo tempore injustè fuisse alienatum. Sed hæc omnia, ut nobis à Drogone fratre & Archicapellano nostro & à reliquis fidelibus Missis nostris, quibus hoc investigare & diligenter inquirere præcepimus, veraciter renuntiatum est & scriptis manifestatum à bonæ memoriæ Domno & Genitore nostro Karolo Gloriosissimo Rege Francorum, ad liquidum olim fuisse tam per se, quàm per fidelissimos Missos suos perscrutata & diligenter investigata, & post res veritatem veraciter investigatam plenitérque per omnia cognitam ad jus & dominationem præscriptæ Cenomanicæ Matris Ecclesiæ Franconi ejusdem Ecclesiæ Episcopo Anisolæ Monasterium canonicè & legaliter redditum, & per suum Præceptum, propriâ scilicet suâ manu roboratum, & anuli sui impressione signatum, futuris temporibus jure Ecclesiastico possidendum, ut verè quod asserebat veraciter, nobis per omnia patesceret, obtulit obtutibus Majestatis nostræ quædam instrumenta Sanctorum propriis subscriptionibus firmata, monumenta videlicet Chartarum, & prædicti Domni & Genitoris nostri Karoli Piissimi Augusti inquisitionem atque supranominatum Præceptum per quod, ut jam dictum est, præscriptum Anisolæ Monasterium memoratæ Matri Ecclesiæ solemniter & legaliter reddidit. Insuper detulit nobis nonnulla aliorum Regum Præcepta non pauca, decessorúmque nostrorum, Regum videlicet Francorum, propriis manibus corroborata, & sigillis eorum subter sigillata, quibus inspectis atque relectis evidenter ostenditur prædictum Monasterium juris sæpedictæ Sedis Cenomanicæ sibi commissæ esse, & in ipsius dominatione jure firmissimo debere persistere, quæ de re humiliter implorans nostram, ut quod tam evidentibus indiciis declaratur, nostrâ quoque assensione immo auctoritate declararetur. Quæ ita liquidiùs cognoscentes, eísque ob amorem Dei & ejusdem Sanctæ Sedis reverentiam, favorem nostri Culminis adhibere dignum judicantes, hanc auctoritatis nostræ Præceptionem suis per tempora successoribus fieri ac dari jussimus, per quam decernimus atque sancimus, ut memoratum Monasterium Anisolæ, quod aliquandiu ab eorum jure & ditione substractum fuerat, abhinc in posterum habeant & possideant; ut quicquid more Ecclesiastica de eo disponere voluerint, liberam habeant potestatem, neque ullo deinceps tempore à jure præscriptæ Sedis ejúsque Rectorum qualibet occasione aut violentiâ segregetur, sed semper in illius Rectorúmque ejus potestate & dispositione & voluntate ad Divinum cultum propensiùs exequendum cum omnibus ad se pertinentibus integerrimè sincerissiméque perpetuò consistat. Et ut hæc nostræ redditionis auctoritas inviolabilem & inconvulsam perpetuámque obtineat firmitatem, manu propriâ subter firmavimus, & anuli nostri impressione adsignari jussimus. Signum Hludovici Piissimi Imperatoris. Hirminmarus Notarius

AN. CH. 837. LUDOV. IMP. 24. LOTHAR. IMP. 21. PIPPINI R. 23. LUDOV. R. 21. CAROLI R. 8.

rius ad vicem Hugonis recognovi & subscripsi. Data VII *Idus Septemb. anno Christo propitio* XXV *Imperii Domni Hludovici Piissimi Augusti, Indictione primâ. Actum Carisiaco Palatio Regio in Dei Nomine feliciter. Amen.*

XLI.

Eodem die Aldricus Præceptum Immunitatis, quod in ejus Gestis capite quadragesimo-primo recitatur, à Ludovico Imperatore de prædicto Monasterio sic impetravit. *In Nomine Domini Dei & Salvatoris nostri Jesu Christi. Hludovicus Divinâ repropitiante Clementiâ Imperator Augustus. Si Sacerdotum servorúmque Dei justis & rationabilibus petitionibus aurem accommodamus, eorúmque justas & rationabiles postulationes ad optatum effectum perducimus, non solùm Regiam & Imperatoriam exercemus consuetudinem, sed etiam eosdem pro excessibus nostris Domini misericordiam exorando devotiores promptioré͡sque facimus, atque per hoc immensam Dei misericordiam faciliùs nobis conciliandam esse confidimus. Idcircò notum esse volumus cunctis fidelibus Sanctæ Dei Ecclesiæ nostrisque præsentibus scilicet & futuris, quia Aldricus Venerabilis urbis Cenomanicæ Episcopus obtulit nobis quasdam auctoritates Regum Francorum decessorum videlicet nostrorum, erga Monasterium suum, quod infra terminos prædictæ urbis Parrochiæ in loco qui vocatur Anisola, in quo Sanctus Carilephus corpore requiescit, in honore prædicti Sancti Carilephi aliorúmque Sanctorum situm atque consecratum est factas; per quas eum immunem à quibuscumque publicis functionibus statuentes sub sua immunitate & defensione constituerunt, suppliciter postulans, ut pia facta Antecessorum nostrorum consuetâ benignitate & mansuetudine nostræ Celsitudinis roboranda Imperiali auctoritate sanciremus. Cujus precibus aurem favoris libentissimè accommodantes, has auctoritatis nostræ litteras circa memoratum Monasterium fieri jussimus, per quas præcipientes volumus atque jubemus, ut nullus quislibet majoris aut inferioris Ordinis, seu quisquam ex judiciaria potestate in curtes vel villas seu loca aut agros ejusdem Monasterii ad causas judiciario more audiendas, vel inferenda exigenda, aut teloneos requirendos, nec freda aut fidejussores tollendos, seu mansiones aut paratas faciendas, aut homines ipsius Monasterii tam ingenuos quàm servos distringendos, nec ullas redibitiones requirendas sive exigendas ullo unquam tempore ingredi præsumat, aut exquirere audeat, sed quicquid exinde fiscus sperare poterat, totum in luminaria ejusdem Ecclesiæ atque necessitates Congregationis in eo Domino militantis sublevandas ac fulciendas perpetuo cedat atque proficiat: quatenus memoratam Congregationem pro nobis, conjuge, ac prole nostra, & stabilitate totius Imperii nostri, Domini misericordiam attentiùs exorare delectet. Si quis autem Judiciariæ potestatis tam temerarius extiterit, ut hanc nostram eorúmque Præceptiones violare conetur, noverit se, sicut in prædecessorum nostrorum immunitatibus continetur,* DC *sol. esse multandum, ex quibus duas partes Rectores memorati Monasterii, tertiam verò fiscus noster accipiat. Et ut hæc nostra auctoritas inviolabilem & inconvulsam obtineat firmitatem, manu propriâ subter eam firmavimus, & annuli nostri impressione adsignari jussimus. Signum Hludovici Piissimi Imperatoris. Hirminmarus Notarius ad vicem Hugonis recognovi & subscripsi. Data* VII *Idus Septembris anno Christo propitio* XXV *Imperii Domni Hludovici Piissimi Augusti, Indictione primâ. Actum Carisiaco Palatio Regio in Dei Nomine feliciter. Amen.*

XLII.

Actum Tomo primo de Sancto Innocente sive Innocentio, qui Cenomannensem Episcopatum ab anno Christi quingentesimo tricesimo-primo ad quingentesimum quadragesimum-tertium gessit; de Childeberto Francorum Rege, qui Regnum ab anno Christi quingentesimo undecimo ad quingentesimum duodesexagesimum tenuit; de Sancto Carilepho Abbate, qui Monasterium ad Anisolam fluvium anno Christi quingentesimo tricesimo-secundo construxit, & anno post natum Christum quinquagesimo quadragesimo-secundo feliciter in cælum migravit. Actum & Tomo sexto de Francone Seniore, Cenomannensium Episcopo, qui Carolo Magno synchronus vixit, & anno Redemptoris octingentesimo Præceptum ab eodem Rege Cenomannum profecto postulavit atque impetravit adversus

AN. CH. 837. LUDOV. IMP. 24. LOTHAR. IMP. 21. PIPPINI R. 23. LUDOV. R. 21. CAROLI R. 8.

Abbates Aurionis, Anisolæ, Sancti Vincentii, Culturæ Dei, aliósque qui census ac redditus Antecessoribus Episcopis pendi solitos solvere recusabant. Utrumque Tomum perlege propter enodationem multarum rerum, quæ Diplomatibus proxime descriptis & septimo Idus Septembris hoc anno datis inseruntur. Ceterùm lis inter Aldricum Episcopum & Carilephianos Monachos in Conventu Carisiacensi non fuit extincta, posteris annis, ut observaturi sumus, magis exarsit Ludovico Augusto superstite, imò regnante post eundem Ludovicum patrem Carolo.

AMALARIUS ROMAM MITTITUR AD CONSULENDOS ANTIPHONARIOS ECCLESIÆ ROMANÆ.

XLIII. Amalarius Metensis Chorepiscopus, quem anno Redemptoris octingentesimo duodetricesimo [a] Romam profectum sub initium hujus Tomi diximus, idem iter hoc iterum anno confecit jussu Ludovici Augusti. Posteriorem hanc profectionem indicavit in Prologo, quem libro *de Ordine Antiphonarii* præposuit cum hoc exordio. *Cùm longo tempore tædio affectus essem propter Antiphonarios discordantes inter se in nostra provincia, moderni enim alio ordine currebant quàm vetusti, & quid plùs retinendum esset nesciebam, placuit ei, qui omnibus tribuit affluenter, ab hoc scrupulo liberare me, inventá copiá Antiphonariorum in Monasterio Corbien. id est, tria volumina de nocturnali Officio, & quartum quod solummodo continebat diurnale: certavi à pelago curiositatis, carbasa tendere ad portum tranquillitatis. Nam quando fui missus Romam a Sancto & Christianissimo Imperatore Hludovico ad Sanctum & Reverendissimum Papam Gregorium, de memoratis voluminibus retulit mihi ita idem Papa. Antiphonarium non habeo, quem possim mittere filio meo Domino Imperatori, quoniam hos, quos habuimus, Wala quando functus est huc Legatione aliquá, abduxit eos hinc secum in Franciam.* Wala ter in Italiam profectus legitur; anno Redemptoris octingentesimo duodecimo cum Bernardo Caroli Magni tum superstitis nepote; anno Redemptoris octingentesimo vicesimo-secundo cum Lothario Augusto; anno Redemptoris octingentesimo tricesimo-quarto cum eodem Lothario Imperatore. Primâ vice, cùm Comes esset ac nuncium seculo nondum remisisset, à Carolo Magno directus est, ut Bernardum adhuc adolescentem consilio juvaret. Alterâ vice, cùm Monachus esset Corbeiensis, à Ludovico Augusto missus est, ut quam priùs Bernardo tulerat, opem Lothario ferret. Tertiâ vice, cùm Corbeiensis Abbas ac perduellionis reus ab aliquot annis esset, Lotharium pace cum patre factâ in Italiam abire jussum secutus est. Potiò, nec anno Redemptoris octingentesimo duodecimo cùm laïcus adhuc esset, nec anno Redemptoris octingentesimo tricesimo-quarto cùm in perduellionis reatu persisteret, de Antiphonariis ad Corbeiam Româ transmittendis sollicitus videtur fuisse. Sed anno Redemptoris octingentesimo vicesimo-secundo, cùm Corbeiensis esset Monachus ad Somonam sub Adelhardo Abbate germano suo, potuit aliud inire consilium, ut & sodalibus suis & fratri suo rem pergratam faceret. Anno Redemptoris octingentesimo vicesimo-tertio reversus est in Gallias, atque inde abiit in Saxoniam, unde ab Adelhardo fratre missus est ad Ludovicum Augustum, ut ab eo Præceptum pro nova Corbeia postularet. Illo igitur anno Româ delati sunt ad Corbeiam veterem Antiphonarii quatuor. Hos Amalarius præ manibus habuit, incertum quo anno. Incertum & quo Romam directus anno responsum suprà recitatum accepit à Gregorio Pontifice. Suspicamur colloquium Amalarii cum Papa rectè collocandum anno post Walæ mortem proximo, quia Gregorius in sua responsione Walam simpliciter & absque titulo nominavit, quod facturus minimè creditur, si Wala seu Comes seu Corbeiensis aut Monachus aut Abbas in vivis superstes extitisset. Fortè Pontifex de Wala post ejus mortem minùs honorificè locutus est, quia perduellem illum noverat, rerúmque contra Ludovicum Augustum in Alsatia gestarum anno Redemptoris octingentesimo tricesimo-tertio testis fuerat oculatus.

[a] Num. 14.

AN. CH. 837. LUDOV. IMP. 24. LOTHAR. IMP. 21. PIPPINI R. 23. LUDOV. R. 21. CAROLI R. 8. XLIV.

Ex Gregorii verbis Amalario respondentis Antiphonarium sibi non esse, quem *filio* suo *Domino Imperatori* transmittat, apertè liquet eundem Amalarium à Ludovico Augusto directum fuisse Romam, ut Antiphonarios Ecclesiæ Romanæ consuleret, & aliquot exemplaria in Franciam ex licentia Papæ transferret. Quos Amalarius de Ecclesiasticis Officiis libros ante aliquot annos ediderat, Imperatori summoperè placuerant; ut in Antiphonarii Ordine concinnando parem operam insumeret, expetivit Ludovicus, ac necesse duxit eum Romam proficisci. Voti compos ex parte tantùm fuit Amalarius, collationes enim habuit cum Theodoro Ecclesiæ Romanæ Archidiacono, & ab eo ad interrogationes accepit responsa, sed à Pontifice, quam exposuimus suprà legitimam excusationem allegante, quæ postulabat Antiphonariorum exemplaria non potuit obtinere. *Interrogavi*, inquit, *Archidiaconum Theodorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, quem rogavit Dominus Apostolicus, ut me instrueret juxta interrogationem meam de Ordine Romani Officii*, &c. Reversus in Gallias operi se statim accinxit; Antiphonarios Corbeienses, quos & Romanos appellavit, quia Wala Monachus tunc Corbeiensis illos olim Romà detulerat, cum veteribus Gallicanis accuratissimè contulit, nec omisit ritus, quos Romæ nuperrimè didicerat. Elisagarum Presbyterum atque Abbatem, cujus sæpè meminimus, aliósque nactus est cooperatores. Nonnullos quoque Versus aut mutavit, aut adjecit, secutus admonitionem Gregorii Magni, qui Sancto Augustino in Anglia commoranti rescripsit, ut undecunque Ecclesiastica Officia colligere, addere vel inserere Ordini Romano vellet, licenter colligeret, & Anglorum usui tribueret. Hæc in Prologo, quem lucubrationi suæ posteà præfixit, fusè sic recensuit. *Memorata volumina* Corbeiensia seu Romana *contuli cum nostris* seu Gallicanis aut Metensibus *Antiphonariis*, *invenique ea discrepare à nostris non solùm in ordine, verùm etiam in verbis & multitudine Responsoriorum & Antiphonarum, quas nos non cantamus. Nam in multis rationabiliùs statuta reperi nostra volumina quàm essent illa. Mirabar quomodo factum sit, quòd mater & filia tantùm à se discreparent. Inveni in uno volumine memoratorum Antiphonariorum ex his, quæ infrà continebantur, esse illud ordinatum prisco tempore ob Adriano Apostolico*, qui Pontificatum ab anno Christi septingentesimo sepuagesimo-secundo ad septingentesimum nonagesimum-quintum gessit regnante in Francia Carolo Magno. *Cognovi nostra volumina antiquiora esse aliquanto tempore volumine illo Romanæ urbis*, utpote scripta, ut conjicimus, regnante apud Francos Pippino Caroli Magni patre, de quo lege quæ scripta sunt ad annum Christi septingentesimum quinquagesimum-quartum.[a] Pergit autem Amalarius. *Alicubi cognovi corrigi posse nostra ab illis, & in aliquibus nostra esse rationabiliùs & satius statuta, ut prætuli. Arripui medium inter utraque, ut à nostris, ubi meliùs erant ordinata, non discederem, & ubi poterant corrigi à voluminibus urbis, non negligerem, seu in ordine, seu in verbis. Ubi nostri moderni Cantores rationabiliùs authenticis verbis statuerunt officia sua, dividendo Antiphonas per ferias, necnon & Responsorios, & in festivitatibus Sanctorum Antiphonas distribuendo singulis Vigiliis suas, scripsi primò Ordinem Romanum, dein nostrorum Cantorum. Et ubi talem Ordinem reperi deficere, addidimus illum ex utrisque voluminibus, ut se demonstrabunt feria & hebdomada ante Nativitatem Domini, & hebdomada Paschalis. Ubi Ordo Responsoriorum & Antiphonarum in perfectis voluminibus dissonare videbatur ab Ordine librorum, de quibus sumpta sunt, & à consonantia quæ rationi adstipulatur, non dubitavi sequi in nostro Antiphonario ea potiùs, quæ Historia & rationi istius vel illius festivitatis visa sunt congruere. Ubi ordinabiliùs visum est mihi scriptum haberi in Antiphonario Romano, quàm in nostro, ibi scripsi in margine, R, propter nomen Urbis Romæ; & ubi in nostro, M, propter Metensem civitatem. Ubi nostrum ingenium cogitavit aliquid posse rationabiliùs illis ordinare, J. C. propter indulgentiam & charitatem. Idcircò precor Cantores,*

Ex Italia reversus concinnat Ordinem Antiphonarii,

[a] Num. 74.

AN. CH. 837. LUDOV. IMP. 24. LOTHAR. IMP. 21. PIPPINI R. 23. LUDOV. R. 21. CAROLI R. 8.

ut non priùs despiciant nostra, quàm discutiant ea, juxta ordinem librorum & rotunditatem rationis. Et, si invenerint minùs congruere ea ordini librorum & rationi alicui, dent imdulgentiam meæ imperitiæ: sin autem, non despiciant edere nostra olera, quæ rubra testa illis ministrat. In Versibus, quos penè mutatos reperiet, si fortè quis dignum duxerit præsens volumen frequentare, laboravit & sudavit Sacerdos Dei Elisagarus apprimè eruditus, & studiosissimus in lectione & divino cultu, necnon & inter priores primus Palatii Excellentissimi Hludovici Imperatoris. Non solùm ille, sed & quoscumque de eruditis viris ad se potuit convocare, in præsenti negocio sudaverunt. Quamvis enucleatissimè mutati Versus conjuncti sint Responsoriis suis, tamen quos aptè reperi, transcurrendo in prioribus Antiphonariis, non dubitavi inserere in nostro Antiphonario, ut inveni insertos. Notandum est, necessarium nobis esse, ut alteros Versus habeat noster Antiphonarius, quàm Romanus, quoniam altero ordine cantamus nostros Responsorios, quàm Romani. Illi à capite incipiunt Responsorium, finito Versu, nos Versum finitum informamus in Responsorium per latera ejus, ac sic facimus de duobus corporibus unum corpus. Ideo necesse est, ut hos Versus quæramus, quorum sensus cum mediis Responsoriorum conveniat, ut fiat unus sensus ex verbis Responsorii, & verbis Versûs. Hoc prospexit memoratus vir & gloriosus Presbyter Elisagarus; quia de re certavit, ut ex diversis libris congregaret Versus convenientes Responsoriis, quos nos & alii multi cupiunt frequentare in nocturnali Officio. In omnibus istis assensus me adjuvat summi ac Sanctissimi Apostoli Gregorii, qui interrogationi Sancti Augustini satisfecit, ut undecumque vellet colligere Ecclesiastica Officia, addere seu inserere Romano Ordini, licenter colligeret, & usui suorum tribueret.

HELIZACHARO ABB. ET ALIIS COOPERANTIBUS.

Recitat ipsum Gregorii Magni textum, quem, si lubet, Tomo secundo[a] jam descriptum consule. Sacerdos Dei Elisagarus, quem Amalarius laudat, haud alius est ab Helisacharo sive Elisachare Monasteriorum Sam-Maximiniani apud Treviros & Centulensis apud Ambianos Abbate, cujus mentionem sæpè fecimus.

XLV. Postquàm in gratiam cum Ludovico Augusto rediit, haud secutus est pravum quorumdam exemplum, qui Lotharianas iterum partes amplexi sunt, fidus in obsequio Ludovici constantissimè permansit, ejúsque rei locupletissimus testis est Amalarius, à quo non tantùm *apprimè eruditus & studiosissimus in lectione & divino cultu*, sed etiam *inter priores primus Palatii Excellentissimi Hludovici Imperatoris* dicitur in textu proximè citato. Ut in Abbatiam Sam-Maximinianam Heberardo, sic & in Centulensem Herico successerat. Ab Hariulfo, qui Centulense Chronicon exaravit, hoc præcipuè commendatur[b] elogio, quòd *magna sanctitatis studiis pollebat, & in tantam profecit summa Religionis severitatem, ut ab ingressu Monasterii omnimodum arceret fœminarum accessum.* Idque prælaudatus Chronographus confirmat egregio prorsus exemplo, quod insigni quoque Miraculo cælitus approbatum fuit. *Quidam paterfamilias in Burgundia divitiis valdè inclytus, sed liberis privatus, unicam filiam, quam solam habebat paralysi possessam, quámque per multa Sanctorum loca gratiâ recipiendæ sanitatis gestaverat, visione admonitus ad Venerabile Sancti Richarii Templum detulit cum multo comitatu, ibíque in festivitate Sancti, quæ VII Idus Octobris colitur, substitit, promissam cælitus filia apperiens salvationem. Et quia mos in illo tempore, instituente prædicto Abbate Helisacare, erat, ne limina Monasterii fœmina attingerent, ipsa introferri non potuit, sed obpansis extrinsecus tentoriis mansit. Ipsa igitur die post peracta Missarum solemnia, fratres caritatis gratiâ, & honoris obtentu, ex vinatico Sancti Richarii homini mittunt benedictionem. At illa, quam paralysis dira possidebat, & quæ nunquam locuta fuerat, vel ori cibum intulerat, ex ipso vinatico ut bibit, tantam statim sanitatem recepit, ut illico exiliens cæteris præ gaudio ipsa ministraret, & amorem Sancti laudémque omnibus inculcans, non ut infirma, sed ut verè sana equitando remearet.* In hoc textu, ut & in multis Diplomatibus, quorum mentionem suis locis facturi sumus, *vinaticum*

ELISACHARI LAUS.

[a] Ad ann. 601. n. 18.

[b] Lib. 3. c. 4.

AN. CH. 837.

interpretare certam vini mensuram, quæ feudi Domino vice censûs exsolvitur

XLVI. Helisacar, si Gabrieli Bucelino fides est in Monasteriologia [a] Imperii Germanici, *vitâ excessit an. Christi 836.* Seriùs autem obiit, si de tempore, quo Romam perrexit Amalarius, ut Antiphonarios Ecclesiæ Romanæ consuleret, nostra valet conjectura. Successores nactus est, Folcardum in Cœnobio Sam-Maximiniano, Ribbodonem in Centulensi. Bucelinus hoc unum de Folcardo scribit, quod *extat ejus opus vas ære fusum cum ipsius imagine.* Chronographus Centulensis caput quintum libri tertii sic orditur. *Helisachare Venerabili non multis in* Centulensi *regimine annis perfuncto, atque de hoc seculo nequam erepto, Ribbodo Abba splendidus Centulæ Congregationem suâ Pastoralitate ornavit; quo Cœnobii curam administrante Hlodoguicus divæ memoriæ Imperator, cùm regnasset annis* XXVI, *moritur*, ut ad annum Redemptoris octingentesimum quadragesimum dicturi sumus.

[a] Part. 1.

OBITUS, SUCCESSORES.

XLVII. Obiit hoc anno Tachipaldus Bergomensis Episcopus, cujus temporibus delata Bergomum & secus mœnia prope Gradellam fluvium condita sunt Corpora Sanctorum Firmi & Rustici Veronensium Martyrum, necnon & Sancti Proculi Veronensis Episcopi. De Sanctis Martyribus Firmo & Rustico sic agunt Ecclesiasticæ Tabulæ quinto Idus Augusti. *Veronæ Sanctorum Martyrum Firmi & Rustici, tempore Maximiani Imperatoris.* De Sancto Proculo Episcopo sic quinto Idus Decembris. *Veronæ Sancti Proculi Episcopi, qui in persecutione Diocletiani colaphis ac fustibus cæsus, & civitate pulsus, tandem ad Ecclesiam restitutus quievit in pace.* Temporibus ejusdem Tachipaldi vixit Sanctus Albertus fundator Abbatiæ Benedictinæ Sancti Jacobi de Pontita. Successit Tachipaldo Grasmundus, cujus brevissimus fuit Pontificatus, tum Hagano sive Haganonus hoc eodem anno, ut Ughellus [b] testatur.

TRANSLATIO SS. FIRMI, RUSTICI ET PROCULI.

EPISCOPI BERGOMENSES

[b] Tom. 4. Ital. Sacr. in Episc. Bergom.

XLVIII. Idem Auctor [c] Biurgum seu Bingum, qui natione fuit Insuber, Episcopum Pisanorum hoc quoque anno commendat. Et in Chronico Casinensi Leo Marsicanus Authperto Abbati, qui tribus duntaxat annis administrationem Casinensis Monasterii gessit, hoc ipso anno Bassacium ita subrogat [d]. *Hujus Abbatis*, Nempe Authperti, *nonnulla opuscula & pulchri sermones habentur. Obiit autem* x *Kal. Martii Bassacius Abbas à Beato Benedicto octavus-decimus, ordinatus anno Dominicæ Incarnationis octingentesimo tricesimo-septimo, sedit annis* XVIII.

[c] Tom 3. Ital. Sacr in Episc. Pisan.

BIURGUS EP. PISANUS

[d] Lib. 1. cc. 25. 26. vet. edit. c. 23. novæ edit.

ABBATES CASINENSES.

Possiderius Urgellensis Episcopus annuum gessit Pontificatum, eique successit hoc anno Florentius. De utroque consule Catalogum Episcoporum Urgellensium in Martyrologio Hispanico [e].

XLIX. Jarnualtus Aletensis Episcopus, cùm biennem Pontificatum gessisset, obiit etiam hoc anno, tertio Idus Novembris, eique successit Maino, ut testatur Albertus de Monte Relaxo in Armorica Sancta.

EPISCOPI URGELLENSES.

L. In Floribus Lodiensis Ecclesiæ perbrevis exhibetur Index Abbatum Sarchiniensium, quorum successionem ad finem usque octavi seculi texuimus. Nono seculo ponuntur, Ambrosius, Giselbertus, Drogo, & alii de quibus infrà. Solum Ambrosii nomen superest. Giselbertus anno Redemptoris vel octingentesimo duodequadragesimo vel octingentesimo quadragesimo-tertio mortuus sic asseritur. *Obiit anno 838. vel 843.* Drogo vocatur *Episcopus Met. filius S. Caroli Magni;* de natalibus & Episcopatu hujus Drogonis actum sæpè. Madaurensis Episcopus in Historia Metensi Chronicon Monasterii Sarchiniensis seu Sancti Trudonis manuscriptum sic allegat [f]. *Anno Domini* DCCCXXXVIII *Drogo Metensis Episcopus huic Cœnobio Sancti Trudonis Abbas præfuit, qui, ut creditur, Gisilberto in numero Abbatum hujus loci septimo successit. Sed quo anno Abbas esse cœperit, aut quo obierit, memoriæ commendatum non inveni. Iste Drogo per suam industriam ipsum Monasterium Monasticis disciplinis devotiùs innormavit, & pretiosis clenodiis & redditibus*

ALETENSES

[e] D. 1. Oct.

LI. DROGO ABB. SARCHINIENSIS.

[f] Lib. 3. in Drogone Ep. Metensi 40.

AN. CH. 837. LUDOV. IMP. 24. LOTHAR. IMP. 21. PIPPINI R. 23. LUDOV. R. 21. CAROLI R. 8.

largioribus cumulavit. Hæc periodus, *sed quo anno Abbas esse cœperit, aut quo obierit, memoriæ commendatum non inveni*, refertur ad Giulbertum seu Giselbertum, cujus Præfectura certæ non potest illigari Chronologiæ. Quòd autem *anno Domini* DCCCXXXVIII *Drogo Metensis Episcopus Cœnobio Sancti Trudonis Abbas præfuit*, id certè pro comperto habetur ex veteri Charta, quam Miræus libro secundo [a] Donationum sic publicavit. *In Dei Nomine ego Hotbertus cogitans de Dei misericordia pro anima mea remedio & æternorum retributione bonorum, ut & piissimus Deus me de peccatis meis relaxare dignetur, & æternam beatitudinem possidendam donare, dono per hanc Epistolam Donationis, donatúmque in perpetuum esse volo ad Basilicam Sancti Trudonis, ubi ipse pretiosus in corpore requiescit, & Dominus Drogo Archiepiscopus præesse videtur, hoc est, quòd dono rem proprietatis meæ in loco nuncupante Hasnoth super fluvio Merbate, in pago Hasbaniensi sive Diestiensi, curtem cum casâ in Dominicato, & cetera ædificia in ipsa curte constructa, & mansas vetustas sex ad ipsam curtem conspicientes vel pertinentes cum perviis legitimis, warescapiis, pratis, pascuis, egressum vel ingressum, mobile vel immobile, & de sylva Schara ad porcos, quantùm inveniri potest, & propria voluntas tuus decreveris mittere, & quidquid ibidem mea possessio vel dominatio esse videtur, totum & ad integrum cum devotissimo mentis affectu ad ipsum sanctum locum supradictum tradidi, & coram testibus confirmavi perpetualiter ad possidendum inter confines Sancti Trudonis & Casaleti, & mancipia* XXIV. *Actum in Sarcinio Monasterio Sancti Trudonis, publicè sub die* XIII *Kalendas Augusti, anno* XXIV, *regnante Domino nostro Ludovico Serenissimo & Orthodoxo Imperatore*, id est, hoc anno Redemptoris octingentesimo tricesimo-septimo, qui per mensem Julium numeratur Imperii Ludoviciani vicesimus quartus. Ergo perperam Bartholomæus Fisenus mortem Giselberti Sarchiniensis Abbatis in annum Redemptoris vel octingentesimum duodequadragesimum vel octingentesimum quadragesimum-tertium rejiciendam censet, & Madaurensis Episcopus Drogonem proximum Giselberti successorem, quem hoc anno Redemptoris octingentesimo tricesimo-septimo Abbatem vetus Charta demonstrat, rectè anno Redemptoris octingentesimo duodequadragesimo Abbatem agnoscit.

[a] Cap. 10.

HOTBERTUS MUNIFICUS ERGA SARCHINIUM.

LII. PERFICITUR MON. HIRSAUGIENSE.

In Spirensi Diœcesi perfectum hoc fuit anno Monasterium Hirsaugiense, quod *Erlafridus Comes*, ut Trithemius in Chronico illius loci scribit, *celeri perfectione in septem annis feliciter consummavit .... Cœpto perstabat in opere, necessarium judicans consummationis gratiâ festinare, ne si, quod non videbatur impossibile, ipse præventus morte decederet, opus imperfectum, aut tardiùs perficeretur, aut intermitteretur penitus. Nam etsi Ermefridus filius cooperator patri in hoc opere sancto extitit, non tamen propter juvenilem ætatem tantus amoris divini Zelus in ipso ardere videbatur, quantum tale negotium requirebat. Anno igitur septimo, postquàm cœptum est Monasterium Hirsaugiense construi, perfectum est, qui fuerat à Nativitate Domini 837, Indictione 15, per indefessam Erlafridi Comitis diligentiam, qui nullis parcebat impensis, ut hoc perficeret quod mente conceperat. Erat autem Ecclesia satis pulchra more antiquorum sine columnarum sustentatione fabricata, ampla, & superiùs ligneo tabulatu cooperta, quatuor Altaribus intus ornata. Porrò dispositio claustri imitatione veterum, ampla quidem, sed simplicioris structura fuerat, ligneo tabulatu nihilominùs desuper operta, & talis qua non ad fastum sed ad devotionem Monasticam satis videbatur idonea. Cetera Monachorum habitacula, per gyrum claustri disposita, quantùm ad consuetudinem istius temporis attinebat, satis pulcra & ordinata fuerunt.* Lege ad annum Redemptoris octingentesimum tricesimum [b], quæ scripta sunt de initiis istius Monesterii.

[b] Num. 34.

LIII. INCHOATUR ARREMARENSE.

Eodem prorsus anno, quo Hirsaugiense Monasterium in Episcopatu Spirensi perfectum fuit, in Tricassino cœpit ædificari Cœnobium Arremarense, de cujus exordio sic Nicolaus Camusatus in Miscellaneis Histo-

AN. CH. 837. LUDOV. IMP. 24. LOTHAR. IMP. 21. PIPPINI R. 23. LUDOV. R. 21. CAROLI R. 8.

toricis Tricassini Promptuarii. *Cœnobium * Arremarense sive Adremarense Ordinis Sancti Benedicti, quatuor duntaxat leucis à Tricassina civitate subductum est, quod etiam Dervense nuncupatur, eò quòd in Dervensi sylva prima ejus fuerint fundamenta collocata, auctorem fundatorémque habuit quemdam, cui nomen erat Arremarus, cujus hodieque tanquam primi parentis nuncupationem retinet, ut secernatur a Dervensi Monasterio, quod quidem aliquot antè annis exædificatum fuerat in eadem sylva, quæ per id tempus longè latéque diffusa, maxima terrarum spatia occupabat. Illa autem institutio in vetustissimo dicti Monasterii Codice continetur, his paucis concepta verbis. Anno ab Incarnatione Domini 837, Indict. 15, * fundatum est Cœnobium in sylva, quæ vocatur Dervus, in loco qui dicitur Mansus Corbonis, posteà Nova Cella, in pago Tricassino, à Presbytero quodam Adremaro existente tunc Tricassino Antistite Adalberto, Comite Aledranno.* In hunc textum perperam irrepsit Indictio 11, cujus loco reposuimus 15. Camusatum cum eodem errore transcripserunt Miræus in Originibus Benedictinis [a] & Sammarthani in Gallia Christiana [b]. Sanè annus Redemptoris octingentesimus tricesimus-septimus partim Indictioni 15, partim 1 illigatur, 11 nequaquam. In Episcoporum Trecensium Catalogo Camuzatus omissâ Indictione retinuit annum Redemptoris octingentesimum tricesimum-septimum, cúmque rectè comparavit cum primo Adalberti Trecensis Episcopi, cujus decessor Helias anno Redemptoris octingentesimo tricesimo-sexto post Kalendas Septembris obiit. *Primò*, inquit, *ejus* nempe Adalberti, *Episcopatûs anno, Arremarense Cœnobium, in Trecensi Diœcesi constitutum, prima ortûs sui vidit incunabula anno 837.*

* Monstieramey.
* Malè apud Camuzat. Indict. 11.
[a] Cap. 45.
[b] Tom. 4. in Abb. Arremar.

LIV.

ROMANENSE MON. CONDITUR.

Barnardus Archiepiscopus Viennensis, Romanense * Monasterium ad Isaram * fluvium construxit, quonam Pontificatus anno, nullus indicat Character. In Chartulario Viennensis Ecclesiæ legimus Lotharianum Diploma cum hac subscriptione. *Dat. in Kl. Jan. anno Imperii Domini Hlotharii, in Italia* XXIII, *in Francia* III, id est, Kalendis Januariis, anno Redemptoris octingentesimo quadragesimo-tertio. Per hoc Præceptum Lotharius Imperator, ut ab Agilmaro Barnardi successore rogatus fuerat, Privilegium Romanensi Cœnobio ab ipso Barnardo concessum & legitimam ejusdem Privilegii traditionem futuris Viennensibus Archiepiscopis confirmavit, nec ullam patris sui Ludovici Augusti mentionem fecit. Ex hoc silentio colligimus Monasterium Romanense non priùs erectum fuisse, quàm Barnardus relictis Ludovici partibus ad Lotharium defecerit. Nam si construxisset hoc opus antequàm domestici tumultus cierentur quorum pars fuit, Privilegii sui confirmationem à Ludovico procul dubio flagitasset obtinuissétque, nec Agilmarus Archiepiscopus in sua postulatione vel Lotharius Augustus in suo Diplomate Ludovicianum Præceptum reticuisset. Discordiis autem Ludovicum inter ac Lotharium exortis, nemo sibi persuadebit Monasterium in Diœcesi Viennensi tunc extructum à Barnardo Archiepiscopo Lotharianam factionem amplexo & trans Alpes profugo. Recurrendum igitur ad aliud tempus, quo Barnardus ex Italia sive ex Lotharii comitatu reversus in sua degit Diœcesi; rediit ad Ecclesiam suam currente anno Redemptoris octingentesimo tricesimo-sexto, vixitque ad annum usque Redemptoris octingentesimum quadragesimum-secundum. Sceleris adversùs Ludovicum Imperatorem admissi reatus excusari nequit, at sexenni pœnitentiâ potuit elui, nec vocamus in dubium quin unà cum ceterarum noxarum maculis elutus sit. Inter egregia opera, quæ *memoratus Pontifex* pro venia peccatorum suorum faciliùs ac citiùs obtinenda perfecit, ultimo poni loco non debet Romanense Monasterium, *quod sollicitâ Religione, pro utilitate & honore ejusdem Sedis* Viennensis *construxit, & in honore omnium Sanctorum Apostolorum, unà cum Episcopis comprovincialibus suis dedicavit, ac de rebus propriis ad cotidiana stipendia Monachorum ibidem Deo militantium honorificè dotavit, Privilegiúmque*

* Romans.
* L'Isere.

AN. CH. 837. *suam per legitimam traditionem successoribus suis, ipsius videlicet Ecclesiæ Pontificibus, jure perpetuo sub integritate reliquit,* ut Lotharius Augustus in prælaudato Diplomate testatur.

LV. *Agobardus Archiep. Lugdunensis scribit de Privilegio & jure Sacerdotii.* Ad eundem Barnardum Agobardus Lugdunensis Archiepiscopus librum *de Privilegio & jure Sacerdotii* sub hæc tempora videtur scripsisse, cùm uterque suam ad Ecclesiam nuper è comitatu Lotharii reversus esset. Ut ita sentiamus, nos adducunt Ecclesiarum & Clericorum despectio præssuræque, quas operis initio sic deplorat. *Nuper dum in unum positi conloqueremur, maximè de pressuris, odiis, & despectione Ecclesiarum atque Clericorum, quæ nunc infervescere cœperunt seculis inaudito & inusitato modo, præcipere mihi dignata est Sanctitas vestra, ut aliqua de Scripturis Sacris vel Sanctorum Patrum dictis excerperem, quæ materiem nobis præberent ad inquirenda, consideranda, & deploranda mala temporis nostri, quæ ignoraverunt antecessores & patres nostri.* Tantorum malorum causam præter diuturnam Pontificum absentiam ne quæras, idcóque scriptionem hanc post eorum reditum elaboratam arbitrare.

LVI. *Tirpimirus Dux Croatorum condit Mon.* Tirpimirus Croatorum Dux habito consilio cum Zuppanis suis erex[illegible] in Dalmatia Monasterium, ibique Monachos constituit, ut illorum pr[illegible] cibus adjuvaretur. Ejus diploma Joannes Lucius Dalmatinus *ex Regis[illegible] Privilegiorum Archiepiscopatûs Spalatensis* publicavit libro secundo [a] de R[illegible] gno Dalmatiæ & Croatiæ. Fragmentum istius Chartæ paucis accipe. *[illegible] licèt peccator Tirpimirus Dux Croatorum juvatus munere divino, incertus de die novissimo & hora, solicitus nimis anima mea commune consilium inii meis cum omnibus Zuppanis, construxi Monasterium, ibíque catervas fratrum adhibui, q[illegible] rum frequens oratio nos immunes redderet Deo peccatis.* Datum est hoc Di[illegible] ma *regnante in Italia Piissimo Lothario Francorum Rege, per Indictionem [illegible] sub die 4. Nonas Martii.* Indictio decima-quinta per mensem Martium [illegible] rebat anno Redemptoris octingentesimo vicesimo-secundo, atque ab [illegible] anno Lotharius epocham Regni sui per Italiam hactenus repetiit, s[illegible] enim seu post Ludovici patris obitum epocham ejusdem Italici R[illegible] duxit ab anno Redemptoris octingentesimo vicesimo, ut fusè probal[illegible] ad annum Redemptoris octingentesimum quadragesimum, quo Lu[illegible] cus Augu us ex hac vita discessit. Porrò Lotharius anno Redem[illegible] octingentesimo vicesimo-secundo longè post mensem Martium [illegible] Regni primum exorsus est annum, quapropter recurrendum nobi[illegible] alium mensem Martium, quocum Indictio decima-quinta sub L[illegible] Rege coincidat. Bis id contig t, semel anno Redemptoris octinge[illegible] tricesimo-septimo, iterum anno Redemptoris octingentesimo quin[illegible] simo-secundo. Joannes Lucius malè reponit annos Redemptoris octingentesimum duodequadragesimum & octingentesimum quinquagesim[illegible]-tertium, quibuscum per mensem Martium Indictio non decima-qu[illegible] prima comparatur. Chartam autem Tirpimiri Ducis ad annum [illegible] ptoris octingentesimum tricesimum-septimum referendam suade[illegible] data fuisset anno Redemptoris octingentesimo quinquagesimo-[illegible] cùm Ludovicus in consortium Imperatoriæ dignitatis & Italici Regni a Lothario patre jam adscitus esset, in ea nec Lotharius solo Regis Italici titulo decoraretur, nec omitteretur nomen Ludovici filii, qui non solùm Rex Italiæ sed etiam Imperator atque Augustus à patre dictus fuerat, & à multis annis res Italicas administrabat eodem Lothario patre in Galliis commorante. Hæc ad Chronologiam. Post Tirpimirum Ducem prædictæ Chartæ sex Zuppani subscripserunt. Zuppanos in Croatia voca, quos in aliis regionibus Comites appellares, atque ex illo Zupparorum numero duas res observa, quantæ videlicet amplitudinis esset Ducatus, quem Tirpimirus in Croatia gerebat, & quanta tunc apud Croatos vigeret Francorum potentia, quæ post Ludovici Pii mortem cœpit decrescere filiis ejus cis Alpes inter se digladiantibus.

[a] Cap. 2.

Gotzbertus

AN. CH. 837.

LVII. Gotzbertus San-Gallensis Abbas, *cùm jam ætatis gravitatem corporisque infirmitatem non sufficere crederet ad instantium necessitatem negotiorum, a Hludowico Clementissimo Augusto impetravit, ut Bernwicus Monachus* istius loci *successor illi existeret. Quod statim, ut ille postulavit, effectum est. Ordinatus est verò Bernwicus Abbas, vivente Gotzperto, anno Incarnationis Domini* DCCCXXVII, *Hludowici autem Imperatoris* XXIIII. Hæc Ratpertus [a]. Auctor Chronici, quod in anno Christi nongentesimo vicesimo-sexto desinit, cum eodem Ratperto sic convenit. DCCCXXXVII. *Berwicus Abbas constituitur.* Unde redarguas Hepidannum & Hermannum Canisianum, qui rem eandem anno uno vel citiùs vel tardiùs referunt; Hepidannus, sic; DCCCXXXVI, *Bernwicus Abba constituitur;* Hermannus, sic 838, *apud Sanctum Gallum Gozberto Abbati Pertwicus successit.* Hermannus, quia Gotzberti cessionem non agnoscit, Pertwici seu Bernwici subrogationem post ejusdem Gotzberti mortem rejicere videtur, ut anno proximo dicturi sumus. Hic tantùm observa novam Sancti Galli Basilicam, de cujus Dedicatione ante biennium locuti sumus, Ratperto quoque non diffitente dedicatam priùs fuisse, quàm Gotzbertus Abbas administrationem Monasterii San-Gallensis abdicarit.

BERNWICUS FIT ABBAS S. GALLI GOTZBERTO SPONTE MUNUS ABDICANTE.

[a] Cap. 7.

LVIII. In Constitutio Ludovici Augusti de Monasteriis, quod ad annum Redemptoris octingentesimum decimum-septimum [b] retulimus, inter Aquitaniæ Cœnobia sexto loco memoratur *Monasterium Sanctæ Mariæ in Lemovicas*, quod ab Astronomo in ejusdem Ludovici vita nuncupatur *Monasterium puellare Sanctæ Mariæ.* Locus iste munificum expertus est Pippinum Aquitaniæ Regem, Ludovici Pii filium. Abbatissam nomine Guntradam venerabatur anno Redemptoris octingentesimo tricesimo-septimo. Nomen hodie gerit Regulæ *, éstque Ordinis Benedictini in Diœcesi Lemovicensi. Lege Abbatissarum Catalogum apud Sammarthanos in auctiore Gallia Christiana [c].

[b] Nu. 131. & seqq.

GUNTRADA ABBATISSA B. MARIÆ LEMOVIC.

* *La Regle.*

[c] Tom. 4.

LIX. In eodem opere Godolenus Abbas Nobiliacensis, cujus mentionem anno Redemptoris octingentesimo tricesimo jam fecimus, commendatur ad annos Ludovici Augusti *20 & 24*, distinctiùs apud Joannem Beslyum ex veteribus Chartis in Regibus Aquitaniæ, *anno 20 regnante Domno Ludovico Imp. in mense Aprili*, & *in mense Martio anno 24 ex quo Ludovicus Rex assumpsit Imperium*, id est, annis noni seculi tricesimo-tertio & tricesimo-septimo.

GODOLENUS ABB. NOBILIACENSIS.

LX. In libro de Miraculis Sancti Genulphi, in Chronico Ademari, & in Chronico Sancti Maxentii, Pippinus Aquitaniæ Rex, Ludovici Pii filius, tria construit Monasteria, Brantosmense, Pictavense Sancti Cypriani, & Angeriacense. De Brantosmæ conditu in Diœcesi Petracoricensi actum Tomo superiore ad annum Redemptoris octingentesimum decimum-sextum [d]. Actum quoque de Monasterio Sancti Cypriani prope Pictavum sub initium hujus Tomi ad annum Redemptoris octingentesimum duodetricesimum [e]. Restat ut de Angenaco sermonem hic instituamus. Loci nomen variè proditur, Ingeriacum, Engeriacum, Angeriacum, Angiriacum, & Angeliacum. Ibi Regium primò Palatium, deinde nobile Monasterium Ordinis Benedictini, quod hodiéque post varias clades ad Vulcannam fluvium in Diœcesi Santonica sub nuncupatione Sancti Joannis * Baptistæ subsistit. Illic repertum decimo seculo caput, aut pars capitis, quod an Præcursoris Domini fuerit, inquiremus suo loco. Nunc agendum nobis adversùs eos, qui Pippinum Angeriacensis Monasterii conditorem, non Aquitaniæ Regem & Ludovici Pii filium, sed annum ejusdem Ludovici ac Regem Francorum constituunt.

[d] Nu. 14. & seqq.

[e] Nu. 31. 33.

ANGERIACUM MON. CONDITUR.

* *Saint Jean d'Angeli sur la Boutonne.*

LXI. Hi Scriptores commentitiâ potissimùm narratione nituntur, quam temerè insertam operibus Sancti Cypriani repererunt. Longa est fabula. Sed satis erit posteriorem examinasse partem, quæ pertinet ad Pippinum Ca-

AN. CH. 837. LUDOV. IMP. 24. LOTHAR. IMP. 21. PIPPINI R. 23. LUDOV. R. 21. CAROLI R. 8.

FABULA DE CAPITE S. JOANNIS BAPTISTÆ IN AQUITANIAM DELATO REPELLITUR.

Caroli Magni patrem beato Cypriano quingentis annis & ampliùs recentiorem, iterque Felicis Sacerdotis ac sociorum Alexandriâ caput Sancti Præcursoris deferentium in Aquitaniam usque & ad amnem Vultunnam atque ad Engeriacum Palatium sic describit. *Cuidam viro religioso Sacerdoti ac Monacho Felici nomine, qui orationis gratiâ ab Occidentali parte in illis diebus Hierosolymam adierat, Angelicâ visione dictum est. Felix, surge concitus, & pergens ad civitatem Alexandriæ invenies ibi Ecclesiam in honorem Sancti Joannis Baptistæ consecratam, ubi caput ejus cum tribus parvulis Innocentibus reconditum est. Quod accipiens transfer in partibus Galliarum, in regione Aquitaniæ, in locum quem tibi ostendero. De qua visione certus & expergefactus reverendus senex, gaudio amplissimo repletus, pergens illico ubi jussus fuerat, sicut ei dictum fuerat, cuncta reperiens, rectori sui itineris grates innumeras rependit, properansque ad locum, thesaurum sibi à Deo destinatum in unius Sportellæ conclusit sinu. Statimque retrò iter arripiens, junctis sibi sociis septem fratribus suis, qui cum eo abierant, vallánsque clam omnem regionem illam, perveniens ad littora maris invenit navem cum remigiis ac gubernaculis à Deo paratam, quam ingressus est cu[m] thesauro & magni pretiò margaritis. Igitur fratres & socii ejus descendentes cum in navi, gratias agentes in hymnis & laudibus Deum benedicentes, alta pet[unt] æquora. Cumque in mare iter agere cœpisset Felix, elevatis oculis ad cælum pal[mas] tetendit dicens. Domine Jesu Christe, qui fecisti cælum & terram, mare & om[nia] quæ in eis sunt, & profundum abyssi intueris, qui super undas maris siccis pedibus ambulasti, & Petrum mergentem manu erexisti, & Paulum ter de naufragio liberasti, libera nos de magnis fluctibus hujus pelagi, ut viventes benedicamus [no]men tuum in sæcula sæculorum. Mittere etiam, Domine, dignare Sanctum A[nge]lum tuum de cælis, ut sit dux itineris nostri, sicut fuit quondam patribus nos[tris] quando eduxisti eos de terra Ægypti in fortitudine magna, & in manu tua [va]lida, & perduc nos recto itinere ad locum optatum, ad sanctas & pretiosas [mar]garitas collocandas. Hæc & his similia orante beato Felice, ecce nubes lucida [des]cendit supra navem, & de medio nubis egressa est columba ad instar nivis [can]dida, & super puppim navis immobilis perstitit tam in die quàm in nocte [quo]usque dum in partibus Aquitaniæ ad littus maris Oceani pertingerent. Cumque longè à terra se esse cognovissent, diverterunt ad portum qui appellatur Ar[...]mensis, qui est situs in pago Alniensi. Ibique euntes de navi ad terram pa[rumper] requieverunt. Moventes autem ex eodem loco, duobus milliariis peractis [inve]nerunt eminùs corpora mortuorum, Regem videlicet Wandalorum cum om[ni exer]citu suo jacentem super faciem terræ, ut opinor, quasi viginti millia v[irorum]. Quoniam egressus fuerat ipsdem populus crassa cervice de vagino sua per m[...] classe magna, & ventus vehemens irruit in eos, & transvexit in partes Occidentis in supradictum portum Angelismensem. Nunciatúmque est Pippino Regi Aquitanorum, quòd gens Wandala Regnum ejus invaderet. Misitque in omn[es ter]nos Aquitanorum, ac Xantonica, necnon Angolisma, sive omnes termin[os] ut contra eos pergerent ac dimicarent: quia isdem Rex Pippinus tunc [erat] in territorio Alniense super fluvium Vultonno, in Palatio qui vocatur En[geriacum] inter medios fines Pictavorum ac Xanctonica. Denique cùm isdem Rex [...] cum omni multitudine armaturum occurreret hostibus suis, fecit Dominus salutem magnam omni exercitui suo, ita ut nullus evaderet ex hac multitudine, qui non cæde vastaretur. Supradictus autem Rex videns sibi à Domino auxilium de cælo fuisse præstitum, & ultionem de inimicis, ita ut non minuerentur de exercitu suo, nisi viginti viri, quos præ cæteris valdè diligebat. Quos accipiens singulis deposuit feretris. Lætus pro victoria, mœstus pro omissorum funeribus exercitum revocat, pergere cupiens ad propria. Cúmque ab hac cæde quasi quatuor milliaribus disjuncti essent, figere tentoria imperat, pressúsque somno stratum suum parari in papilionibus jubet. Tunc præ lassitudine somno ingruente vox divina oblata est, dicens ad eum. Cur ac, Piger, somnus ita pressit? Noveris magni viri Joannis Baptistæ caput ex transmarinis partibus ab Oriente cum tribus parvulis Innocentibus*

ad hunc pagum deferri, & propter ejus meritum in hoc praelio divinitus victoriam AN. CH.
mihi a Domino esse collatam. Respondit ei Rex Pipinus in visione dicens. Si tanta 837.
beneficia propter ejus meritum in me vigent, indica mihi quid agam, aut quem-
admodum investigare vel invenire potero eum. Respondit ei vox divina dicens. LUDOV.
Ecce post tergum tuum sequuntur te septem fratres in habitu peregrinorum, & IMP. 24.
omnes qui caeteris praeesse videtur Felix vocatur. Vade in occursum eorum cum pau- LOTHAR.
cis, & in humilitate cordis benignè suscipe, adornatásque pretiosissimas margari- IMP. 21.
tas perfectè secretum ducere conaris, & videbis magnalia Dei. Vir autem Domini Fe- PIPPINI
lix visâ tantâ multitudine caesorum corporum, pavore perterritus, tamen de adju- R. 23.
torio Dei confisus confortat socios, & ut paulisper iter agerent admonet, diverten- LUDOV.
tésque ex adverso, parvulum sibi statuerunt habitaculum, ut eâdem nocte usque R. 21.
mane in eodem permanere potuissent. Praedictus autem Rex Pipinus à somno evi- CAROLI
gilans, intra semetipsum cogitare tacitus coepit ex visione quam viderat, quid agere R. 8.
deberet, recogitans quia in antiquis est sapientia, & multorum peritorum pruden-
tia. Mittensque concitus accersiri jubet virum prudentem ac bonis operibus pollen-
tem nomine Felicem, ut de tantâ manifestâ visione Dominum pulsarent, ut ei sa-
lubre consilium suggerere dignaretur. Igitur consilio inventum est, ut exutis vesti-
bus & calciamentis suis, in cinere & cilicio, nudis plantis incedentes, sicuti ora-
culo divino admonitus fuerat, obviam famulis Dei procederent. Cúmque se mutuò
conspexissent, jacentes tam ipse quàm omnes qui aderant, proni in terram tamdiu
adoraverunt, quoadusque famuli Dei ad locum ubi jacebant pertingerent. Cúmque
Dominum benedixissent, & se invicem salutassent, osculum pacis sibimet dederunt.
Levantésque se à terra lacrymabiliter interrogabant se invicem quâ causâ haec quae
viderant & audierant accidissent. Vir autem Domini Felix cuncta intelligens à
Deo esse manifestata, retexit historiam, quemadmodum Hierosolymam aderat ora-
tionis gratiâ, & thesaurum suum absconditum divina misericordia ei revelaverat.
Et factâ oratione cùm omnes respondissent, Amen, elevatis Felix pretiosissimis
margaritis, capite scilicet Joannis Baptistae & Reliquiis sociorum ejus beatorum
Martyrum Innocentium, cum hymnis & laudibus psallentium dirigit chorum.
Quo audito cunctus exercitus, qui in castris erat, quasi unus vir ei obviam pro-
cessit, numero triginta millia virorum. Exequias vero mortuorum, qui in praelio
corruerant, secum deferentes, petebant auxilium de caelo à Domino per Praecurso-
rem suum Joannem, ut cujus Reliquiae deportarentur divina gratia manifestare
dignaretur, promittentes se tantam fidem habere, ut quicquid peteretur, Sanctus
Joannes Domino annuente tribuere posset: apprehendentésque sportellam, in qua
beati Joannis Baptistae caput continebatur, singulis feretris imposuerunt mortuos
tangentes. Miro atque inaestimabili modo mox ut tetigit ossa jacentium, vita per
mortuum mortuis reddita est. Surrexerunt autem eâdem horâ ab officio funeris vi-
ginti viri tam celeriter ac si à somno essent excitati, & qui à flentibus amicis por-
tabantur ad tumulandum, iisdem gaudentibus ad vitam redeunt. Videns autem
Rex Pipinus & cunctus exercitus magnalia, quae circa eos Dominus gesserat per
Praecursorem suum Joannem Baptistam, plaudentes manibus benedicebant Dominum,
qui fecit mirabilia in caelo & in terra. Vir autem Domini Felix & socii ejus gau-
dio repleti, unà cum Rege Pipino & exercitu ejus levantes caput beati ac praecel-
lentissimi Praecursoris Christi Joannis Baptistae & beatorum Innocentium, cum
gaudio & laetitia iter agere coeperunt. Cúmque nulla mora fieret in eundo, perve-
nerunt ad quandam villam quae vocatur Vultronia. Cúmque ibidem paulisper quie-
vissent, obvius eis quidam caecus factus est, qui statim sanus effectus est per beatis-
simi Praecursoris merita. Cúmque de eodem loco eis moveri placuisset, arripiunt
iter per viam quae ducit ad paludem cognomine Mathavallis. Cúmque eis aliquan-
tulùm ibi requiescere placuisset, ecce quidam debilis pedibus, qui se erigere omnino
nequibat, rependo se trahens obviam eis processit. Qui invocans meritum beati
Joannis, ita redditus est sanitati, ut firmus & stabilis sine dolore incederet cum
turbis. Jámque propinquantes ad locum quò tendebant, super fluvium Vultonna ad
Palatium nomine Engeriacum pervenerunt. Audiens autem omnis populus à ma-

AN. CH. 837.
LUDOV. IMP. 24.
LOTHAR. IMP. 21.
PIPPINI R. 23.
LUDOV. R. 21.
CAROLI R. 8.

FABULA DE CAPITE S. JOANNIS BAPTISTÆ IN AQUITANIAM DELATO REFELLITUR.

roli Magni patrem beato Cypriano quingentis annis & ampliùs recentiorem, iterque Felicis Sacerdotis ac sociorum Alexandriâ caput Sancti Præcursoris deferentium in Aquitaniam usque & ad amnem Vultunnam atque ad Engeriacum Palatium sic describit. *Cuidam viro religioso Sacerdoti ac Monacho Felici nomine, qui orationis gratiâ ab Occidentali parte in illis diebus Hierosolymam adierat, Angelicâ visione dictum est. Felix, surge concitus, & pergens ad civitatem Alexandriæ invenies ibi Ecclesiam in honorem Sancti Joannis Baptistæ consecratam, ubi caput ejus cum tribus parvulis Innocentibus reconditum est. Quod accipiens transfer in partibus Galliarum, in regione Aquitaniæ, in locum quem tibi ostendero. De qua visione certus & expergefactus reverendus senex, gaudio amplissimo repletus, pergens illicò ubi jussus fuerat, sicut ei dictum fuerat, cuncta reperiens, rectori sui itineris grates innumeras rependit, properansque ad locum, thesaurum sibi à Deo destinatum in unius Sportella conclusit sinu. Statímque retrò iter arripiens, junctis sibi sociis septem fratribus suis, qui cum eo abierant, vallánsque clam omnem regionem illam, perveniens ad littora maris invenit navem cum remigiis ac gubernaculis à Deo paratam, quam ingressus est cum thesauro & magni pretii margaritis. Igitur fratres & socii ejus descendentes cum eo in navi, gratias agentes in hymnis & laudibus Deum benedicentes, alta petunt æquora. Cúmque in mare iter agere cœpisset Felix, elevatis oculis ad cælum palmas tetendit dicens. Domine Jesu Christe, qui fecisti cælum & terram, mare & omnia quæ in eis sunt, & profundum abyssi intueris, qui super undas maris siccis pedibus ambulasti, & Petrum mergentem manu erexisti, & Paulum ter de naufragio liberasti, libera nos de magnis fluctibus hujus pelagi, ut viventes benedicamus nomen tuum in sæcula sæculorum. Mittere etiam, Domine, dignare Sanctum Ang- lum tuum de cælis, ut sit dux itineris nostri, sicut fuit quondam patribus nostri quando eduxisti eos de terra Ægypti in fortitudine magna, & in manu tua v- lida, & perduc nos recto itinere ad locum optatum, ad sanctas & pretiosas ma garitas collocandas. Hæc & his similia orante beato Felice, ecce nubes lucida de- cendit supra navem, & de medio nubis egressa est columba ad instar nivis c- dida, & super puppim navis immobilis perstitit tam in die quàm in nocte, quedum in partibus Aquitaniæ ad littus maris Oceani pertingerent. Cúmque longè à terra se esse cognovissent, diverterant ad portum qui appellatur Angomensis, qui est situs in pago Alniensi. Ibíque euntes de navi ad terram pauli requieverunt. Moventes autem ex eodem loco, duobus milliariis peractis, i- nerunt eminùs corpora mortuorum, Regem videlicet Wandalorum cum omni citu suo jacentem super faciem terræ, ut opinor, quasi viginti millia viro- Quoniam egressus fuerat isdem populus crassâ cervice de vagina sua per mare classe magna, & ventus vehemens irruit in eos, & transvexit in partes Occidentis in supradictum portum Angolismensem. Nunciatúmque est Pippino Regi Aquitanorum, quòd gens Wandala Regnum ejus invaderet. Misítque in omnes nos Aquitanorum, ac Xantonicæ, necnon Angolisinæ, sive omnes terminos ut contra eos pergerent ac dimicarent: quia isdem Rex Pippinus tunc mor in territorio Alniense super fluvium Vultonna, in Palatio qui vocatur Enge- inter medios fines Pictavorum ac Xanctonicæ. Denique cùm isdem Rex P- cum omni multitudine armatorum occurreret hostibus suis, fecit Dominus salutem magnam omni exercitui suo, ita ut nullus evaderet ex hac multitudine, qui non cæde vastaretur. Supradictus autem Rex videns sibi à Domino auxilium de cælo fuisse præstitum, & ultionem de inimicis, ita ut non minuerentur de exercitu suo, nisi viginti viri, quos præ cæteris valdè diligebat. Quos accipiens singulis deposuit feretris. Lætus pro victoria, mæstus pro amissorum funeribus exercitum revocat, pergere cupiens ad propria. Cúmque ab hac cæde quasi quatuor milliaribus disjuncti essent, figere tentoria imperat, pressúsque somno stratum suum parari in papilionibus jubet. Tunc pro lassitudine somno ingruente vox divina oblata est, dicens ad eum. Cur te, Piger, somnus ita pressit? Noveris magni viri Joannis Baptistæ caput ex transmarinis partibus ab Oriente cum tribus parvulis Innocentibus*

AN. CH. 837.
LUDOVI IMP. 24.
LOTHAR. IMP. 21.
PIPPINI R. 23.
LUDOVI R. 21.
CAROLI R. 8.

ad hanc pugnam deferri, & propter ejus meritum in hoc prælio divinitus victoriam tibi à Domino esse collatam. Respondit ei Rex Pipinus in visione dicens. Si tanta beneficia propter ejus meritum in me vigent, indica mihi quid agam, aut quemadmodum investigare vel invenire potero eum. Respondit ei vox divina dicens. Ecce post tergum tuum sequuntur te septem fratres in habitu peregrinorum, & unus qui cæteris præesse videtur Felix vocatur. Vade in occursum eorum cum paucis, & in humilitate cordis benignè suscipe, adornatásque pretiosissimas margaritis pacificè secum ducere coneris, & videbis magnalia Dei. Vir autem Domini Felix viâ sanctâ multitudine cæsorum corporum, pavore perterritus, tamen de adjutorio Dei confisus confortat socios, & ut paulisper iter agerent admonet, divertentésque ex adverso, parvulum sibi statuerunt habitaculum, ut eâdem nocte usque manè in eodem permanere potuissent. Prædictus autem Rex Pipinus à somno evigilans, intra semetipsum cogitare tacitus cœpit ex visione quam viderat, quid agere deberet, recogitans quia in antiquis est sapientia, & multorum peritorum prudentia. Mittensque concitus accersiri jubet virum prudentem ac bonis operibus pollentem nomine Felicem, ut de tantâ manifestâ visione Dominum pulsarent, ut ei salubre consilium suggerere dignaretur. Igitur consilia inventum est, ut exutis vestibus & calceamentis suis, in cinere & cilicio, nudis plantis incedentes, sicuti oraculo divino admonitus fuerat, obviam famulis Dei procederent. Cúmque se mutuò conspexissent, jacentes tam ipse quàm omnes qui aderant, proni in terram tamdiu adoraverunt, quoadusque famuli Dei ad locum ubi jacebant pertingerent. Cúmque Dominum benedixissent, & se invicem salutassent, osculum pacis sibimet dederunt. Levantésque se à terra lacrymabiliter interrogabant se invicem quâ causâ hæc quæ viderant & audierant accidissent. Vir autem Domini Felix cuncta intelligens à Deo esse manifestata, retexit historiam, quemadmodum Hierosolymam adierat orationis gratiâ, & thesaurum suum absconditum divina misericordia ei revelaverat. Et factâ oratione cùm omnes respondissent, Amen, elevatis Felix pretiosissimis margaritis, capite scilicet Joannis Baptistæ & Reliquiis sociorum ejus beatorum Martyrum Innocentium, cum hymnis & laudibus psallentium dirigit chorum. Quo audito cunctus exercitus, qui in castris erat, quasi unus vir ei obviam processit, numero triginta millia virorum. Exequias verò mortuorum, qui in prælio corruerant, secum deferentes, petebant auxilium de cælo à Domino per Præcursorem suum Joannem, ut cujus Reliquiæ deportarentur divina gratia manifestare dignaretur, promittentes se tantam fidem habere, ut quicquid peteretur, Sanctus Joannes Domino annuente tribuere posset: apprehendentésque sportellam, in qua beati Joannis Baptistæ caput continebatur, singulis feretris imposuerunt mortuos tangentes. Miro atque inæstimabili modo mox ut tetigit ossa jacentium, vita per mortuum mortuis reddita est. Surrexerunt autem eâdem horâ ab officia funeris viginti viri tam celeriter ac si à somno essent excitati, & qui à flentibus amicis portabantur ad tumulandum, iisdem gaudentibus ad vitam redeunt. Videns autem Rex Pipinus & cunctus exercitus magnalia, quæ circa eos Dominus gesserat per Præcursorem suum Joannem Baptistam, plaudentes manibus benedicebant Dominum, qui fecit mirabilia in cælo & in terra. Vir autem Domini Felix & socii ejus gaudio repleti, unà cum Rege Pipino & exercitu ejus levantes caput beati ac præcellentissimi Præcursoris Christi Joannis Baptistæ & beatorum Innocentium, cum gaudio & lætitia iter agere cœperunt. Cúmque nulla mora fieret in eundo, pervenerunt ad quandam villam quæ vocatur Vultronia. Cúmque ibidem paulisper quievissent, obvius eis quidam cæcus factus est, qui statim sanus effectus est per beatissimi Præcursoris merita. Cúmque de eodem loco eis moveri placuisset, arripiunt iter per viam quæ ducit ad paludem cognomine Mathavallis. Cúmque eis aliquantulùm ibi requiescere placuisset, ecce quidam debilis pedibus, qui se erigere omnino nequibat, rependo se trahens obviam eis processit. Qui invocans meritum beati Joannis, ito redditus est sanitati, ut firmus & stabilis sine dolore incederet cum turbis. Jámque propinquantes ad locum quò tendebant, super fluvium Vultonna ad Palatium nomine Engeriacum pervenerunt. Audiens autem omnis populus à ma-

AN. CH. *ximo usque ad minimum, à viro usque ad mulierem, omnes simul in unum con-*
837. *globati obviam eis processerunt. Cúmque ibidem ante Palatium Regis Pipini per-*
LUDOV. *venissent, in Basilica beatissimæ & gloriosissimæ semper Virginis Mariæ, cum ma-*
IMP. 24. *gna fervore & studio, illico ad custodiendum deposuerunt. Lætatúsque est univer-*
LOTHAR. *sus populus lætitiâ magnâ, & celebraverunt solemnitatem hujus diei XV Kal.*
IMP. 21. *Sept. & reversi sunt unusquisque ad tabernacula sua. Igitur beatus Felix & socii*
PIPPINI *ejus cum venerando Rege inter cætera Dominum deprecabantur, ut eis salubre con-*
R. 23. *silium suggereret, quonam in loco sancta membra locarent. Ædificantésque Basili-*
LUDOV. *cam, & in ea concavum ciborium cum sex columnis marmoreis mirifici operis benè*
R. 21. *compositis non longè à Vulsonnæ littore, sed ut arbitror cubitis * centum ratione*
CAROLI *Geometricâ. In qua cum aromatibus & plurimis bonis odoribus condentes caput*
R. 8. *beati Joannis Baptistæ almi Præcursoris Christi, & beatorum trium Innocentium*
* Edit. centum stadiis. *corpora simul in hoc ciborio concluserunt, bituminéque sigillato munierunt. Domino autem auxiliante hoc ædificium completum est feliciter. Fecit etiam idem Rex fontem ductorium, qui à duobus ferè milliariis per profundissimos terræ meatus ad Palatium ejus ductus decurreret, & in ipsam Basilicam per ferrum & æs introduceretur, ac subtus ciborium per concavam marmoream columnam ebulliret, ibique sacri Baptismatis ablutio fieret: sicque iterum ad primos aditus reflecteretur. Convocans igitur Rex Pipinus, & beatus Felix Pontifices & Sacerdotes, omnésque patriæ nobiles, benedicentes Ecclesiam, atque in honore ejusdem Joannis Baptistæ dedicando mirificè consecrantes, prædiis ac possessionibus suis à progenitoribus sibi dimissis eam nobiliter dotaverunt. Ordinatísque omnibus necessariis, Monachos ibidem Deo in perpetuum servituros statuerunt, postmodum multa Domino mirabilia operante per famulum suum Joannem Baptistam. Tandem verò metæ narrationi ponentes oremus immensitatem bonitatis Christi, ut suâ potenti dexte[...] suffultos nos ad æterna quietis stationem perducat: qui vivit & regnat cum Pa[...] & Spiritu Sancto per omnia sæcula.* Huc usque pseudo-Cyprianus, cuj[...] editionem cum manuscripto Codice Duchesniano contulimus.

LXII. Breviùs in quibusdam Sigeberti Codicibus ad annum Christi septing[...] tesimum sexagesimum-primum sub Pippino Francorum Rege sic me[...] ratur. *Caput Joannis Baptistæ ab Alexandria in Aquitaniam transfertur hoc* [...] *do. Quidam laudabilis vitæ Monachus, nomine Felicianus, ex Galliarum p*[...] *bus cum paucis sociis Hierosolymam gratiâ orationis adiit, & post expleta pi*[...] *votionis obsequia, Angelicâ allocutione commonitus, Alexandriam expetivi*[...] *caput Baptistæ Joannis à loco, in quo olim à Theophilo ejusdem urbis Episco*[...] *conditum fuerat, eodem Angelo revelante sustulit, & ad Aquitaniam in te*[...] *rio Engolismo detulit. Pipinus Rex tunc morabatur ibidem in Palatio,* [...] *Angeriacum dicitur, cernénsque per eum cottidiana indigenis beneficia, sibique crebras ex hostibus Aquitanicis victorias provenire, Regii operis Basilicam cons-truxit, non longè à Vulturni fluminis littore, & in ea ciborio constructa* [...] *operis caput decenter adornatum recondidit Præcursoris. Monachorum Cœ*[...] *illic constituit, & prædiis Regiis magnificè ditavit. Idem Rex fecit fonte*[...] *narum, de quo à duobus ferè millibus sub terra per ædificia cæmentaria* [...] *tium ejus aquæductus influebat, & ipsam dividens aquam in Basilicam* [...] *Joannis Baptistæ per ferrum & æs introduxit, ita ut sub ciborio per marmoream columnam interiùs concavam ebulliret, ibíque sacri Baptismatis ablutio* [...] *honore Domini nostri Jesu Christi & Sancti Joannis Baptistæ fieret, atque iterum in ipsa lacunaria remearet. Hoc Cœnobium Angeliaz vocatur.* At hæc quomodo stare possunt cum ipso Sigeberto, vulgata enim exemplaria sic haben[t] ad eundem annum Christi septingentesimum sexagesimum-primum. *Cap*[ut] *Joannis Baptistæ in Edissenam Civitatem transfertur.* Et Gemblacense seu genuinum sic, apud Miræum. *Caput Joannis Baptistæ in Emesa civitate transfertur.* Addequòd ad annum Christi trecentesimum nonagesimum-secundum hæc in eodem Chronico leguntur. *Caput Joannis Baptistæ à Theodosio Imperatore Constantinopolim translatum est; quod cùm Valens Imperator olim illuc voluisset*

AN. CH. 837. LUDOV. IMP. 24. LOTHAR. IMP. 21. PIPPINI R. 23. LUDOV. R. 21. CAROLI R. 8

se transferre, vehiculum, in quo sanctum caput ferebatur, nullomodo moveri potuit.

LXIII. An Edessam, an Emessam, an Alexandriam, an Constantinopolim translatum sit Sancti Joannis Baptistæ caput, erit aliquando commodior disputandi locus. Impræsentiarum quærimus, an in Gallias advectum sit, Pippino Monarchiam Francorum tunc obtinente. Nuperus Scriptor[a] vult beatissimi Præcursoris caput Pippino Francorum Regi missum fuisse ab Imperatore Constantino Copronymo. Regnavit Pippinus ab anno Christi septingentesimo quinquagesimo-secundo ad septingentesimum duodeseptuagesimum. Toto illo tempore Constantinus Orientis Imperium tenuit, Oratorésque sæpiùs in Franciam ad Pippinum direxit. Munerum verò, quibus eundem Regem affecit, memoriam semel ad annum Christi septingentesimum quinquagesimum-septimum veteres conservarunt Annalistæ, qui res à Pippino gestas per annos digesserunt. Tilianus, sic. DCCLVII. *Misit Constantinus Imperator Regi Pippino cum aliis donis organum, qui in Francia usque pervenit.* Loiselianus, sic. DCCLVII. *Misit Constantinus Imperator Regi Pippino cum aliis donis organum, quod in Franciam usque pervenit.* Nazarianus & Petavianus præcitatis antiquiores, nec Imperatoris Constantini, nec Pippini Regis meminerunt, sed organi tantùm in Franciam tunc allati. Nazarianus, sic. DCCLVII. *Venit organa in Franciam.* Petavianus, sic. DCCLVII. *Ipso anno venit organa in Franciam.* Lege Tomo quinto[b] quæ dicta sunt de donis Imperialibus à Pippino Rege susceptis. Ex hoc autem, quòd tot Auctores adeóque celebres organum nominarunt, caput verò Dominici præcursoris nequaquam, Armandus Malchinus in Historia Santonensi[c] rectè negat pretiosissimum illud caput annumerandum esse muneribus, quæ Constantinus Imperator Pippino Francorum Regi transmittenda curavit. Quis enim sibi persuadeat organum pluris à clarissimis Annalistis æstimatum fuisse quàm caput Sancti Joannis Baptistæ?

LXIV. Adversùs pseudo-Sigebertum, qui notat annum Christi septingentesimum sexagesimum-primum, iidem pugnant Annalistæ. Sic enim habet Nazarianus. DCCLXI. *Pippinus Rex fuit in Wasconia cum exercitu usque ad Limodiam civitatem.* Petavianus, sic. DCCLXI. *Iterum Pippinus fuit in Wasconia unà cum Karolomanno, captóque omni pago Alvernico, Burboni Castro, & Claromonte igne cremavit.* Tilianus stylo paulò fusiore, sic. DCCLXI. *Rex Synodum tenuit ad Duriam & nunciatum est ei quòd Wasferus in omnibus mentitus esset. Illuc pergens cum exercitu & filiis ejus. Carolus cum eo multa Castella cepit per pugnam, quorum ista sunt nomina, Burbunnes, Cantela & Clarmont, & pervenit usque Lemovecas. Celebravit Natale Domini & Pascha in Carisiaco.* Et Loiselianus adhuc copiosiore stylo, sic. DCCLXI. *Waffarius Dux Aquitaniorum minimè cogitans de obsidibus vel de sacramentis, quasi in vindictam super Pipinum Regem exercitum misit, qui ad Cabilonum civitatem venerunt. Dum & suprà nominatus Rex Synodum suam teneret in villa, qua dicitur Duria, nunciatum est ei, quòd Waffarius in omnibus mentitus est. Tunc iterum Rex Pipinus illuc cum exercitu iter peragens, & ejus filius primogenitus nomine Carolus cum eo, multa castella cepit, quorum nomina sunt Burbonnis, Cantela, Clarmontis. Ista per pugnam cepit. Et in Alverno multa alia Castella cepit per placitum, quæ se subdiderunt in ejus Dominio. Et pervenit usque Lemovicas, vastando & destruendo supradictam provinciam propter negligentias Waffarii Ducis. Et celebravit Natalem Domini in Carisiaco villa, & Pascha similiter.* Tomo quinto[d], cùm hanc Pippini Regis expeditionem narrabamus, citavimus etiam Historiam jussu Nibelungi Comitis conscriptam, necnon & Annalistas, Laureshamensem, Bertinianum, Metensem, ac Fuldensem, cum Reginone. Plura verò quàm necesse sit, ne repetamus, ex solo prælaudatæ Historiæ textu seriem rerum illo anno à Pippino gestarum distinctè per ordinem si ac-

[a] Leibnitz. l. 4. c. 29.
[b] Ad an. 757. nn. 9. 10.
[c] Part. 2. l. 1. c. 4. n. 2.
[d] Ad an. 761. nn. 1. & seqq.

AN. CH. 8 3 7. Ludov. Imp. 24. Lothar. Imp. 21. Pippini R. 23. Ludov. R. 21. Caroli R. 8.

cipe. *Pippinus omnes Optimates Francorum ad Dura *, in pago Ripuariense, ad Campo Madio, pro salute patriæ & utilitate Francorum tractanda, Placito instituto, ad se venire præcepit. Dum hæc agerentur, Waifarius, iuxto iniquo consilio, contra Pipinum Regem Francorum insidias parat, exercitum suum cum Unberto Comite Bitorino *, & Blandino Comite Arvernico, qui dudum ante annum superiorem ad prædictum Regem Pipinum cum Bertellanno Episcopo Bitorica * civitatis missus fuerat, & animum Regis ad iracundiam nimium provocasset, cum reliquis Comitibus etiam hostiliter, usque Cavallonnum, omnem exercitum suum transmisit, & totam regionem illam, id est Augustidunensem usque ad Cavallonnum *, igne cremavit, & suburbana Cavalonni urbis, quidquid ibidem repererunt, omnia vastaverunt. Melciacum villam publicam incendio cremaverunt, cum multis spoliis & præda nullo resistente remeaverunt ad propria. Cum hoc Pipino Regi nunciatum fuisset, quòd Waifarius maximam partem Regni sui vastasset, sacramenta quæ ei dederat fefellisset, nimirùm irâ motus jubet omnes Francos, ut hostiliter, Placito instituto, ad Ligerem venissent. Commotoque exercitu cum omni multitudine usque ad Trecas accessit, inde per Autissiodorum ad Nevernum urbem veniens, Ligeris fluvio transmeato, ad Castrum, cui nomen est Burbone * in pagum Bitoriuum pervenit. Cùmque in gyro castro posuisset, subitò à Francis captum atque succensum est, & homines Waifarii, quos ibidem invenit, secum duxit, maximam partem Aquitaniæ vastans, usque urbem Arvernam cum omni exercitu veniens, Claremontem * Castrum captum atque succensum bellando cepit & multitudinem hominum tam virorum quam feminarum, vel infantum plurimos, in ipso incendio cremaverunt. Blandinum Comitem ipsius urbis Arvernicæ captum atque ligatum ad præsentiam Regis adduxerunt, & multi Wascones in prælio capti atque interfecti sunt. Igitur Rex Pipinus urbe captâ, ac regione totâ vastatâ, cum præda & spolia multa, Deo auxiliante, cum illæso exercitu iterum remeavit ad propria.* Anno igitur Christi septingentesimo sexagesimo-prim[...] Pippinus Waifarii Aquitaniæ Præfecti seu Ducis irruptione in Burgundia[...] auditâ, statim è Diœcesi Coloniensi, ubi generalem Francorum Conv[en]tum apud Duriam villam publicam mense Maio celebrabat, in Aquitani[am] quam prisci Scriptores Aquitaniam & Wasconiam promiscuè vocant, c[um] exercitu profectus est. Iter habuit Trecis, Autissiodoro ac Niverno, [tra]jectóque Ligeri multa cùm castella tum oppida in pagis seu Comitat[ibus] Bituricensi & Arvernico, qui pertinent ad Aquitaniam primam, quà[...] quà deditione cepit, imò in agrum usque Lemovicensem Arvernico terminum pervenit. Porrò cùm ultra civitatem Lemovicas haud prog[ressus] legatur, & expeditione confectâ *Natale Domini* celebrarit *in Carisiaco*, nec *Angeriacum* adiit à Lemovicis procul remotum, nec ibi suscepit caput Sancti Joannis Baptistæ delatum ex Oriente. Longiori contra pseudo-S[i]gebertum non opus est argumentatione.

* Duren. * de Berry. * Bourges. * Châlon sur Saone. * Bourbon. * Clairmont.

LXV. In tractatu, qui *de revelatione capitis beati Joannis Baptistæ* inscribi[tur] operibus Sancti Cypriani reperitur insertus, plures sunt fabulæ. M[...] eas notis illustratas à Jacobo Pamelio, qui totam tamen lucubra[tionem] beato Cypriano abjudicat. Ad textum suprà descriptum, in quo Wandalorum appulsus in Aquitaniam cædesque commemorantur, sic ille. *Intelligendum est istud, aut de strage Chilzingi Arvernensis & Amingi P[i]ctaviensis Comitum, quale quid indicat Sigebertus, qui in auxilium venerant Duci Aquitaniæ contra Pipinum: aut de ipsâ cæde Waifarii Ducis seu Regis, interfecti apud Petragoricas juxta Adonem & Aimoinum: ut Wandalos illos nuncupe[t], quòd à Wasconibus, atque adeò & Wandalis orti essent. Aut certè reliquiæ quæ[d]am Wandalorum rursus Gallias tum infestabant quemadmodum eos fecisse scribit Robertus Gaguinus paulo antè, regnante Carolo Martello Pippini patre.* Totus hic Pamelii commentarius non ad Pippinum Ludovici Pii filium Regem Aquitaniæ, sed ad Pippinum ejus proavum Regem Francorum referri debet, quia Carolum cognomento Martellum ipsius Pippini patrem vocat, agit-

que de Comitibus Chilxingo Arvernico & Amingo Pictavensi déque Waifario Aquitaniæ Duce, qui vixerunt Pippino Rege Monarchiam Francorum obtinente. Regnum hic Pippinus annis sexdecim mensibúsque sex tenuit à mense Martio anni post Christum natum septingentesimi quinquagesimi-secundi ad mensem Septembrem anni post Christum natum septingentesimi duodeseptuagesimi. Bellum in Aquitania contra Waifarium gessit annis Christi septingentesimo sexagesimo tribúsque sequentibus necnon & septingentesimo sexagesimo-sexto duobúsque proximis. Anno Christi septingentesimo sexagesimo *Pipinus*, ut Auctor Gestorum coætaneus scribit, *ad Masuam vicum in pago Autisioderensi Ligerem fluvium transmeavit, per pagum Bitorinum usque Arvernico occessit*, sive, ut habet Annalista Tilianus, *pergit in Aquitaniam usque ad locum qui dicitur Tedoad, cùm vidisset Waiferius, dedit obsides.* Anno DCCLXI *Rex pervenit usque Lemovecas*, ut ex eodem Annalista & aliis dictum suprà. Sigebertus ad illum quidem annum sic scribit, *Chilpingus Arvernensis & Amingus Pictavensis Comites, Congressi militibus Pipini, perimuntur cum multis*, sed horum Comitum excedes rejici debet in annum Christi septingentesimum sexagesimum-quartum, quo *Chilpingus Comes Arvernorum, cùm collecto undique exercitu, in pago Lugdunensi, in Regno Burgundiæ ad prædandum * ambulare nitebatur, super fluvium Ligeris in prælio occisus est; & Amaungus* sive Amingus *Comes Pectavensis, dum Turonicam infestatam prædaret, ab hominibus Wlfardi Abbatis Monasterii Beati Martini interfectus est*; utrumque verò prælium, de quo Gesta Pippini Regis jam laudata consule, commissum est procul à Santonibus. Anno DCCLXII, *Rex tertiâ vice*, ut Tilianus Annalista subjungit, *in Aquitanio pergens cepit Bituricas & Toarchis* *, at hæc quoque loca procul ab agro Santonico distant, ubi palatium Angiriacum. Anno DCCLXIII, inquit idem Annalista, *Rex quartum iter faciens in Aquitoniam, usque ad Cadurciam venit, & per Lemovecas in Franciam reversus est*, nec illo anno Rex iter per pagum Santonicum habuit. Ad posteriores igitur annos recurrendum. Qui Pippini Regis Gesta jussu Nibelungi conscripsit, eundem Pippinum ad annum Christi septingentesimum sexagesimum-sextum sic commendat. *Commoto omni exercitu Francorum, vel plurium nationum, quo in Regno suo commorabantur, usque ad Aurelianis veniens, ibi Placitum suum Campo Madio, quod ipse primus pro Campo Martio pro utilitate Francorum instituit, tenens, multis muneribus à Francis & Proceribus ditatus est. Iterum Ligere transacto totam Aquitaniam pergens, usque ad Aginnum veniens, totam regionem illam devastavit. Videntes tam Wascones quàm majores natu Aquitaniæ, necessitate compulsi plurimi ad eum venerunt, sacramenta ad eum ibidem danant, & se ditionis suæ faciunt. Ita omni Aquitaniâ provinciâ nimiùm vastatâ cum multo præda ac spoliis per agrum Petregaricum & Equolismam, jam penè omni Aquitaniâ acquisitâ, cum omni exercitu Francorum iterum eo anna reversus est in Franciam cum suis omnibus.* Agro Santonico versùs ortum contermini sunt Egolismensis & Petrocoricensis, ex textu tamen proximè citato non patet Pippinum in pago Santonico vel pugnasse cum hostibus, vel moras fecisse. Pippinus, ut Annalista Loiselianus docet, anno Christi septingentesimo sexagesimo-septimo bis in Aquitaniam contendit; primò *iter peragens partibus Aquitaniæ per Narbonam, Tolosam cepit, Albiensem similiter, necnon & Govoldanum*; deinde *in eodem anno in mense Augusto iterum perrexit partibus Aquitaniæ, Bituricam usque venit, & inde iter peragens usque ad Garannam pervenit, multas roccas & speluncas conquisivit, castrum Scoraliam *, Torinnam *, Petrociam *, & reversus est Bituricam, & ibi celebravit Natalem Domini.* Procul absunt ab agro Santonico, Tolosanus, Albigensis, Gabalitanus, Rutenensis, Arvernensis, Lemovicensis ac Bituricensis. Denique Pippinus anno vitæ suæ postremo, Christi septingentesimo duodeseptuagesimo, bis exercitum contra Waifarium movit, semel mense Februario, iterum post

AN. CH. 837.
LUDOV. IMP. 24.
LOTHAR. IMP. 21.
PIPPINI R. 23.
LUDOV. R. 21.
CAROLI R. 8.

* prædandum.
* Toüars.
* Scoraille.
* Turenne.
* Peronct.

AN. CH. 837. LUDOV. IMP. 24. LOTHAR. IMP. 21. PIPPINI R. 23. LUDOV. R. 21. CAROLI R. 8.

Pascha, & utrâque vice Santonicam civitatem adiit. Audi Annalistam Tilianum. DCCLXVIII. *Dominus Rex iter faciens in Aquitania Remistagnum cepit Ad Sanctones civitatem usque venit, & ibi captam matrem Waiferi, & sororem, & neptes ejus, usque Garonam perrexit in loco qui dicitur Montu, & sanus reversus est. Celebravit Pascha in loco qui dicitur Sels.* Anonymus in Pippini Gestis jussu Nibelungi conscriptis, tempus, mensem videlicet Februarium, distinctiùs sic notat. *Cùm in Betoricas resideret, mediante Februario omnem exercitum suum, quem in Burgundiam ad hyemandum miserat, ad se venire præcepit. Initóque consilio contra Remistagnum insidias parat*, &c. Et paulò pòst de Waifario sic loquitur. *Waifarius cum paucis per sylvam, quæ vocatur Edobola, in pago Petrocorrecio latitans, huc illucque vagatur incertus.* Pascha illo anno celebratum est quarto Idus Aprilis. Peractâ festivitate, *præcelsus Rex Pipinus*, inquit idem Auctor, *iterum de Sellus Castro cum paucis ad persequendum Waifarium eo anno iterum perrexit, & usque ad Sanctonis mirâ celeritate primus cum paucis venit. Cùm hoc Waifarius audisset, solito more terga vertit. Rex Pipinus in quatuor partes Comites suos scaritos, & Leudos suos ad perquirendum Waifarium transmisit. Dum hæc agerentur, ut asserunt, consilium Regis factum Waifarius Princeps Aquitaniæ à suis interfectus est. Præfatus Rex Pipinus jam totâ Aquitaniâ acquisitâ, omnes ad eum venientes ditionis suæ, sicut antiquitus fuerant, se faciunt. Cum magno triumpho & victoria Sanctonis, ubi Bertrad Regina residebat, venit.* Ex prædictis apertè constat Pippinum toto Regni sui spatio, quod annorum sexdecim sexque mensium fuit, anno tantùm Christi septingentesimo duodeseptuagesimo in Santoniam venisse, prælium verò non apparet eodem illic anno consertum in quo viginti mil[lia] Wandalorum cum Rege perierint. Frustrà Pamelius Waifarium qui tu[m] à suis in agro Petrocoricensi necatus est, Regem vocat, ac Regem Aq[ui]tanorum seu Wandalorum fuisse suspicatur. Waifarius Aquitaniæ D[ux] seu Præfectus extitit, Regio nunquam titulo gavisus est, nihilque W[as]conibus & Aquitanis commune fuit cum Wandalis sive cum populis S[can]ziæ seu Scandinaviæ, quam Jordanus [a] *officinam gentium ac velut vaginam* *tionum* appellat. Quisquis fabulam, quam refellendam suscepimus, in[lit]teras retulit, is Wandalorum nomine quosdam intellexit incolas Scan[di]naviæ, suámque mentem satis aperuit his verbis. *Moventes ex eodem duobus milliariis peractis, invenerunt eminùs corpora mortuorum, Regem vi[delicet] Wandalorum cum omni exercitu suo jacentem super faciem terræ, ut opinor, viginti millia virorum. Quoniam egressus fuerat isdem populus crassâ cer[vice] vagina sua per mare cum classe magna, & ventus vehemens irruit in eos, & vexit in partes Occidentis in supradictum portum Angolismensem. Nunciatùmque est Pippino Regi Aquitanorum, quòd gens Wandala Regnum ejus invaderet.* Hæc autem Waifario minimè conveniunt, qui Dux est Aquitaniæ, Pippi[no] Regi Francorum perduellis, & ut Pamelius fatetur, interimitur *apud* [Petro]*goricas juxta Adonem & Aimoinum* vel Aimoini Continuatorem. Quo[d] de Wandalorum reliquiis, quorum irruptione Gallias ætate Caroli [...]mento Martelli vastatas ait adducto in testem Gaguino, id quoque [...] potest admitti, licèt enim Guaguinus [b] de Wandalorum sedibus crebrò mutatis multa rectè scribat, fallitur tamen cùm eos Caroli Martelli temporibus in agrum Senonensem irrupisse sic affirmat. *Per id tempus Wandali sedibus suis relictis, cùm finitimos sibi populus vexassent, in Franciam crudeli agmine ad Senones usque irruperunt. Sed impetu in eos facto, urbis Antistes Obbo, obsidione liberatâ civitate hostem in fugam vertit.* Lege Tomo quarto, quæ scripta sunt ad annum Christi septingentesimum tricesimum-secundum [c] de Obbone sive Ebbone Senonensi Metropolita, qui Saracenos ex Hispania Septimaniâque Senonis jam imminentes in fugam egit profligavitque.

[a] De reb. Get.

[b] Lib. 3.

[c] Num. 22.

LXVI. Sub hujus anni finem, cùm Ludovicus Augustus annum jam Imperii sui vicesimum-quintum & Pippinus ejus filius Aquitaniæ Rex annum jam Regni

sui

AN. CH. 837.

LUDOV. IMP. 24.
LOTHAR. IMP. 21.
PIPPINI R. 23.
LUDOV. R. 21.
CAROLI R. 8.

fui vicesimum-quartum numerabant, referenda videtur Donatio, quam Wifredus Bituricensis Comes & ejus uxor Oda Monasterio Stradensi fecerunt anno *vicesimo-quinto Imperii Augusti Ludovici & vicesimo-quarto Pipini filii sui Aquitaniæ Regis*. Multa quæ Donationem antecesserunt, ipsamque simul Donationem accipe ex libro de Miraculis Sancti Genulfi publicato in Floriacensi Bibliotheca Joannis Boscii. *Dispositio Dei venerabilium mentes conjugum,* Wifredi videlicet & Odæ, *ad provectiorem instinctum bonæ actionis, deinceps eos etiam ad Cœnobii constructionem animavit. Quibus ut sese tempus obtulit opportunum, continuò de rebus eidem loco delegandis testamentum faciunt, Dominique Pipini Regis adeuntes præsentiam vota suggerunt, & locum sibi rebus decretis per testamentum ejus potestati committunt, ut ipsius auctoritate atque Francorum deinceps Regum providentiâ tueretur. His igitur ad votum eis à Rege concessis, properè cœptum perficiant opus. Quod postquam decenter & commodè perfecerunt, ad honorem Summi Salvatoris ejusque Sanctæ Genitricis & semper Virginis Mariæ Sanctorúmque Apostolorum & omnium deinde Sanctorum consecrare fecerunt. Sacrosanctis etiam Reliquiis, ex sacra videlicet palla, Magni Gregorii Papæ meritis divinitus cruentata,* sicut in Gestis ejus mox citandis legitur, *necnon & plurimorum pignoribus Sanctorum, locum illustrantes, diversis quoque muneribus & Ecclesiasticis ornatibus decenter adornare studuerunt. Deinde compositis habitaculis, religiosis Cœnobitis, quorum Pater vitæ venerabilis Dodo nomine fuit, Cœnobium commiserunt, qui secundum Institutionem Beatissimi Patris Benedicti, religiosè semper illud regerent, & per succedentia tempora possiderent. Est autem locus isdem in penultima parte Biturici pagi, versùs Occidentem, admodum delectabili situ jocundus. Nam è regione fluminis Agneris* sive Angeris vel Andriæ * *cursus offertur, quod commoditate sui quammaximè juvet incolas ejusdem loci. Tum deinde circumquaque fertilis humus omni germine, cùm sui fecunditate, tum etiam agricolarum opere. Prætereà loco pertinentia ex maxima parte satis contigua. Prædicta porrò Sancta Dei Genitricis Ecclesia spatio stadii ad meridiem distat, quæ & ipsa cum sibi collatis per prædictum testamentum eidem Cœnobio fuit concessa. Postquàm verò sacer Ordo, curâ Religiosa Patris Dodonis, in hoc ipso jam ritè profecerat Cœnobio, iidem Nobilissimi conjuges, animo sitienti, adhuc amplificare loci ipsius rerum possessiones desiderantes, præter illa quæ priùs contulerant, alia quædam addiderunt, & cum Ecclesia, quæ vocatur Cildracus, atque per testamentum præfato loco contulerunt, anno vicesimo-quinto Imperii Augusti Ludovici, & vicesimo-quarto Pipini filii sui Aquitaniæ Regis. Quæ res in superioribus partibus Biturici pagi, seu in vicinia Bituricæ civitatis consistere videntur, sicut ipso rerum earundem testamento docemur.*

WIFREDUS COMES BITURICENSIS ET EJUS UXOR ODA MUNIFICI ERGA MON. STRADENSE.

* *Indre.*

LXVII.

Hic Auctor, ubi Gesta Gregorii Magni laudat, alludit ad secundum vitæ librum, cujus hoc est alterum caput à quadragesimo. *Vir Dei Gregorius, cùm, petentibus quibusdam Occidentalibus per legatos, in singulis pyxidibus, sub nominibus petitorum Martyrum, brandeum solito more concludens, desuper sigillasset, Legatis largitus est. Illi susceptas Reliquias veneratione congruâ deferentes, postquàm quodam itineris milliaria consumpserunt, stultè se tantum viaticum confecisse murmurare cœperunt, si nesciant utrùm Sanctorum ossa, an magis carnes à Romano Pontifice suscepissent. Itaque communi consilio, remoto Pontificali signaculo, reseratísque pyxidibus, particulas brandei repererunt. Mox ad Urbis mœnia cum furore nimio revertentes, per Archidiaconem à Gregorio se delusos fuisse, ut pro Reliquiis vilem pannum susciperent, flebiliter querebantur dicentes, Dominos suos pulcherrimis palliis abundare, ac per hoc Romanorum vilibus brandeis non egere. Fortè tunc Gregorius Missarum solennia celebrabat; quibus expletis, ab eisdem Legatis brandeum coram cunctis recipiens, super Altare composuit, seque cum omnibus in orationem dedit, ut Deus Omnipotens utrùm quod à liminibus Apostolorum de more transmissum est, pro Reliquiis Martyrum venerari deberet, quantocyùs indicaret. Deinde ab oratione surgens incredulos Legatos propiùs adstare fecit, cultellum petiit, more Sanctissimi Papæ Leonis brandeum pupugit, de cujus pun-*

AN. CH. 837.

ctionibus sanguis protinus emanavit. Quo Miraculo tam Legati confusi quàm omnes qui aderant tremefacti, jussu Gregorii cum eo terra prostrati sunt, nec anteà ab oratione cessaverunt, quàm cuncta brandeorum foramina divinitus clauderentur. Leonis Magni morem ipsemet Gregorius in literis [a] ad Constantiam Augustam sic exposuit. *Cognoscat tranquillissima Domina mea, quia Romanis consuetudo non est, quando Sanctorum Reliquias dant, ut quicquam tangere præsumant de Corpore, sed tantummodo in pyxide brandeum mittitur, atque ad sacratissima Corpora Sanctorum ponitur. Quod levatum, in Ecclesia, quæ est dedicanda, debita cum veneratione reconditur, & tanta per hoc ibidem virtutes fiunt, ac si illuc specialiter Sanctorum Corpora deferantur. Unde contigit, ut beatæ Recordationis Leonis Papæ temporibus, sicut à majoribus traditur, dum quidam Græci de talibus Reliquiis dubitarent, prædictus Pontifex hoc ipsum brandeum allatis forficibus inciderit, & ex hac incisione sanguis effluxerit.*

[a] Lib. 3. ep. 30.

AN. CH. 838. LUDOV. IMP. 25. LOTHAR. IMP. 22. PIPPINI R. 24. LUDOV. R. 22. CAROLI R. 9.

ANNUS

CHRISTI		838.		
LUDOVICI	IMP.	25.		
	REG.	58.	33.	21.
LOTHARII	IMP.	22.	16.	
	REG.	24.	16.	6.
PIPPINI III.	REG.	24.	22.	4.
LUDOVICI	REG.	22.	13.	4.
CAROLI	REG.	9.	6.	4.
INDICTIO		1.		

I. COMETES APPARET.

PIPPINUS R. AQUITANIÆ OBIT,

RELICTIS DUOBUS FILIIS PIPPINO ET CAROLO.

KALENDIS *Januarii*, quæ principium anno Redemptoris octingentesimo duodequadragesimo fecerunt, sævus *cometa ignis*, ut A- mus in vita Ludovici Pii scribit, *in signo Scorpionis apparuit non m Solis occubitum. Cujus minacem vultum non multò pòst excessus Pipini cutus.* Ex hoc Auctore coætaneo complures redargue, qui Pippinum vel Novembri vel Decembri mortuum fingunt. Aliud etiam, quo nostra sententia firmetur, erui potest argumentum ex Placito Wormaciensi. Ludovicus enim Imperator Wormaciam ingressus est tertio Kalendas Junii, nec eò priùs se contulit, quàm Lotharium de Pippini morte certiorem fecit, eundémque Lotharium Wormaciam venturum rescivit, ut ex ipsius patris voluntate universam Francorum Monarchiam, exceptâ Bojoariâ, cum Carolo fratre partiretur. Pippinus uxorem duxit Ingeltrudem anno Redemptoris octingentesimo vicesimo-secundo; duos ex ea filios reliquit Pippinum & Carolum, totidémque filias; hæ fratribus suis natu majores videntur, quia patre superstite nupserunt, una Gerardo Comiti, altera Comiti Hiratario, ut anno proximo ex Astronomi textu patebit. Pippinus filiorum natu major hæredem patris se dixit avo Ludovico patruóque Ca-

tolo invitis, & à die, quo patrem amisit, Regium usurpavit titulum. Id ex Joanne Beslyo constat in libro de Regibus Aquitanorum. Apud illum Auctorem extant Junioris hujus Pippini duo Diplomata; unum ex Lemovicensi Tabulario, alterum ex Bellilocensi; data sunt; primum, *15 Kalendas Februarii, Indictione 8, anno 8, regnante Pippino*; secundum, *3 Id. Januar. Indict. 1, anno 10, regnante Pippino.* Certè Junior hic Pippinus decimo-quinto Kalendas Februarias, Indictione octavâ, quæ per mensem Januarium anno Redemptoris octingentesimo quadragesimo-quinto currebat, annum octavum Regni sui notare non potuit, si nondum se Regem dicebat decimo-quinto Kalendas Februarias, Indictione primâ, sive anno Redemptoris octingentesimo duodequadragesimo. Quòd autem tertio Idus Januarias, Indictione undecimâ, quæ per mensem Januarium anno Redemptoris octingentesimo duodequinquagesimo currebat, annum Regni sui decimum labentem numeravit, ostendit se Regio nondum titulo gavisum esse tertio Idus Januarias, Indictione primâ, sive anno Redemptoris octingentesimo duodequadragesimo. Subscriptionibus igitur prædictorum Diplomatum simul collatis ediscimus tria hæc ad Chronologiam multùm observanda. Pippinus Senior eodem Januario mense quo cometes hoc anno in signo Scorpionis apparuit, ex hac vita migravit. Vivebat adhuc tertio Idus Januarii. Nec pervenit ad diem decimum-quintum ante Kalendas Februarias. Ut mensis, sic & annus, quo vivere desiit, in controversiam hodie vocatur, quia mortem illam Astronomus hoc anno collocat, Annalista verò Metensis uno prævertit anno. Sed auctoritas Astronomi jure ceteris anteponi debet. Pippinus Junior Regium usurpavit titulum à die quo patrem amisit avo Ludovico Imperatore adhuc superstite. Eundem tamen Pippinum Regem haud appellabimus ante annum Redemptoris octingentesimum quadragesimum-quintum, quo Carolus Rex *receptis ab eo sacramentis fidelitatis, quatenus ita deinceps ei fidelis sicut nepos patruo existeret, & in quibuscumque necessitatibus ipsi pro viribus auxilium ferret, totius Aquitaniæ dominatum sibi permisit, præter Pictavos, Sanctonas, & Ecolimenses, unde & omnes Aquitanici, qui eatenus cum Carolo fuerant, ad eundem Pippinum continuò sui conversionem efficere studuerunt*, ut ad illum annum scribit Annalista Bertinianus.

AN. CH. 838.

LUDOV. IMP. 25.

LOTHAR. IMP. 22.

PIPPINI R. 24.

LUDOV. R. 22.

CAROLI R. 9.

II. In Aldrici Cenomannensis Episcopi Gestis [a], ad hunc annum duæ pertinent Chartæ *Aquisgrani datæ*, una XI *Kalend. Aprilis*, altera IX Kalend. Maias; utraque *anno, Christo propitio*, XXV *Imperii Domni Hludovici Piissimi Augusti, Indictione primâ.* Prior sic habet. *In Nomine Domini Dei & Salvatoris nostri Jesu Christi. Hludovicus divinâ repropitiante Clementiâ Imperator Augustus. Si fidelium nostrorum justas & rationabiles petitiones ac postulationes, quas pro utilitate & exaltatione Sanctæ Dei Ecclesiæ exposcunt, & ad optatum effectum perducimus, non solùm Regiam atque Imperialem consuetudinem in hoc exercemus, sed etiam eos nobis promptiores, ut credimus, atque devotiores facimus. Idcircò omnibus Sanctæ Dei Ecclesiæ fidelibus & nostris præsentibus scilicet & futuris, notum esse volumus, quia Banzlegbus Comes & Saxoniæ patriæ Marchio noster nobis innotuit, quòd quandam villam sitam in pago Cenomanico, nomine Lugdunum, de jure Canonicæ Matris Ecclesiæ per nostrum beneficium possideret, de qua per singulos annos nonas & legitimos census atque decimas partibus præfatæ Matris Ecclesiæ & ejusdem Rectoribus persolveret. Qua de re memoratus Banzlegbus pertractans casum humanæ fragilitatis, & pavescens ultimum vocationis diem, timénsque ne præfata villa aliquo cupiditatis suæ stimulo vel quolibet ingenio à jure præscriptæ Matris Ecclesiæ alienata fieret, idcóque fervens amore divino, adiit Clementiam nostram suppliciter deprecans, ut memoratam villam, nomine Lugdunum, cum omnibus ad se pertinentibus, partibus prædictæ Cenomanicæ Sedis Ecclesiæ & Aldrico ejusdem urbis Venerabili Pontifici, præsentaliter nostrâ Imperiali auctoritate redderemus, & hanc redditionem per nostrum Præceptum futuris temporibus firmiùs ei-*

[a] Capp. 42. 61.

CHARTÆ LUDOVICIANÆ PRO ECCLESIA CENOMANNENSI DE VILLIS,

LUGDUNO,

AN. CH. 838.
LUDOV. IMP. 25.
LOTHAR. IMP. 22.
PIPPINI R. 24.
LUDOV. R. 22.
CAROLI R. 9.

dem Ecclesia suisque Rectoribus possidendam confirmassemus. Cujus petitionem ob amorem Dei & reverentiam ejusdem sancti loci servorúmque Dei inibi Domino famulantium libenter audivimus, & deprecationem ac piam desiderium ejus ad optatum effectum adimplere dignum duximus. Quapropter per hoc nostra auctoritatis scriptum statuentes decernimus atque jubemus; ut quemadmodum sæpedictus Banzlegbus fidelis noster memoratam villam cum omni integritate, sicut illâ die sub jure nostra potestatis erat, quando à largitione nostra ipsum beneficium accepisse constat, pro emolumento animæ nostræ & stabilitate Imperii nostri memorabili Venerabili Aldrico Episcopo ad partem suæ Ecclesiæ præsentaliter reddidimus, ut in perpetuo in utilitates & usus ejusdem Ecclesiæ Deóque in ea deservientium permaneat. Idcircò suggerentibus atque humiliter postulantibus prædictis fidelibus nostris, memorato videlicet Aldrico Venerabili Episcopo & Banzlegbo jam dicto fideli nostro, hoc confirmationis nostræ atque redditionis Præceptum sæpedicto Aldrico Episcopo vel ad partem jam dictæ urbis fieri jussimus, per quod decernimus atque jubemus, ut nullus sub ditione Imperii nostri degens ullo unquam tempore de prædicta villa vel de omnibus ad eam pertinentibus in quibuscunque pagis vel locis sæpedicto Aldrico Episcopo suisque successoribus ullo unquam tempore inquietudinem facere præsumat aut quamlibet calumniam ingerere, sed liceat ei & successoribus suis quieto ordine memoratam villam cum omnibus locis & territoriis sive mancipiis, & cum omnibus ad se pertinentibus, jure Ecclesiastico tenere & possidere, & quicquid pro opportunitate & commoditate præfatæ Sedis Ecclesiæ exinde facere decreverint, liberam in omnibus habeant futuris temporibus potestatem faciendi. Et ut hæc nostræ redditionis auctoritas perpetuam obtineat firmitatem, manu propriâ subter eam firmavimus & de anulo nostro sigillari jussimus. Signum Hludovici Serenissimi Imperatoris. Hirminmarus Notarius ad vicem Hugonis recognovi & subscripsi. D… XI Kalend. Aprilis, anno, Christo propitio, XXV Imperii Domni Hludovici P… simi Augusti, Indictione primâ. Actum Aquisgrani Palatio Regio, in Dei … mine feliciter. Amen. Posterior, sic. *In Nomine Domini Dei & Salvatoris … tri Jesu Christi. Hludovicus divinâ repropitiante Clementiâ Imperator Augu… Si fidelium nostrorum &c.* ut in superiore Charta, quæ similis est omni… si sola villarum & Vassallorum nomina cum dierum numeris excipias. Ac… in prima de villa Lucduno seu Lugduno pagi Cenomannensis, quam B… *legbus Comes & Saxoniæ patria Marchio* per Ludovici Pii beneficium eâ possedit, ut *per singulos annos nonas & legitimos census atque decimas pa… Ecclesiæ* Cenomannensis *& ejusdem Rectoribus persolveret*, donec idem … vicus illam Ecclesiæ prædictæ per Regale Præceptum hoc anno rest… XI *Kalend. Aprilis.* Actum in secunda de villis, Tridente seu Trider… Vint-leva, in eodem pago Cenomannensi, quas ab Aldrico Episcopo ut in ejus Gestis * continetur, *Bavo Vassallus Dominicus* per precarias *uno tenore Cenomanis civitate publicè* conscriptas *anno* XVIII Imperii Ludo… IX *Kal. Maias* accepit eâ conditione, ut *ad Festivitatem Sancti Ma… bernaticam argenti solidos* XXV transolveret, deinde prælaudato Ald… Regium Præceptum reddi suppliciter postulavit, votique compos est IX *Kalend.* Maias, hoc anno Imperatoris Ludovici vicesimo-…

TRIDENTE, ET VINTLEVA,

* Cap. 60.

NECNON ET DE MON. ANISOLÆ.

Præter villas proximè nominatas, Aldricus in Aquisgranensi Placito recuperavit Anisolæ Monasterium, ibique senioris Altaris Dedicatione… n quinto Idus Maii perfecit, ut Auctor Gestorum testatur capite quadragesimo-tertio. *Anno*, inquit, *Incarnationis Domini nostri Jesu Christi* DCCCXXXVIII, *Indictione verò primâ, anno siquidem* XXV *Imperii Domni Hludovici Piissimi Imperatoris, anno sexto ordinationis Aldrici Cenomanicæ urbis Episcopi, quinto quoque Iduum Maiarum die, solemniter senius dedicatum est Altare senioris Ecclesiæ Monasterii Anisolæ à præfixo Episcopo Aldrico in honore Domini Salvatoris & Sanctæ ejusdem Dei Genitricis Mariæ Sanctíque Martini Confessoris præcipui. In præfixo ergo Iduum die cum Psallentio susceptus est jam dictus Aldricus Episcopus, primò postquam eâ redditum fuit memoratum Anisolæ Monasterium à Domno*

AN. CH. 838.

Hludovico Imperatore, à Monachis & reliquis nobilibus hominibus in ipso Monasterio. Pippini Regis obitum quid secutum sit, nunc inspiciamus.

III. LOTHARIUS PER NUNCIOS INVITATUR AD PLACITUM WORMACIENSE.

Pippino Aquitaniæ Rege mortuo, & Ludovico Bojoariæ Rege propter tumultum, iram odiúmque patris promerito, Judith Augusta consilio cum Consiliariis aulicis ceterísque Regni Francorum nobilibus, quod quidem nequaquam immemor, persuasit Imperatori, quatenus ad Lotharium filium suum Missos mitteret, qui eum ad patrem invitarent, eâ conditione, ut si fratris sui Caroli dilector & adjutor tutorque & protector esse vellet, veniret ad patrem, & sciret se ab eo omnium perperam gestorum indulgentiam adepturum, simul & medietatem Imperii, exceptâ Bajoariâ, consecuturum. Quæ res tam Lothario quam suis per omnia utilis visa est. Venit ergo juxta condictum ad Wormaciam post Pascha Solemnitatem. Hæc Astronomus. Habet consentanea Nithardus [a], sic. *Mater Judith ac Primores populi, qui in voluntate patris,* id est, Ludovici Augusti, *pro Karolo laboraverant, metuentes, si infectis rebus decederet, odia fratrum usque ad internecionem sibi insurgere, ratum duxerant, ut quemlibet è filiis pater in supplementum sibi assumeret, &, si post discessum ejus ceteri concordes esse nollent, saltem hi duo unanimes effecti valerent resistere invidorum factioni. Cumque necessitate instante, ac per hoc assiduis meditationibus in hac electione versarentur, universorum sententia consensit, si Lodharius certum se in hoc negotio præbere vellet, cum eo fœdus iniri debere. Nam, uti præmissum est, idem patri matríque ac Karolo juraverat* anno Redemptoris octingentesimo vicesimo-nono [b], *ut partem Regni quam vellet pater, eidem daret, & eandem se consentire & protegere illi contra omnes inimicos omnibus diebus vitæ suæ deberet. Quamobrem Missos deligunt, & in Italiam ad Lodharium mittunt promittentes, si patris voluntatem deinceps erga Karolum conservare vellet, omnia quæ in illum hactenus deliquerat, remitti, & omne Regnum, absque Bajoaria, inter illum & Karolum dividendum. Quæ quoniam Lodhario & suis rata videbantur, utraque ex parte sic velle ac sic se perficere juraverunt. Ergo ad urbem Vangionum Conventu indicto convenerunt, in quo Lodharius humillimè ad pedes patris coram cunctis procidit.* Pippini Regis obitus faciem rerum immutavit. Eo Rege superstite, quærebatur tantùm Carolo frater, qui fratri natu minimo, decimum-quintum ætatis annum adhuc agenti, contra quamlibet aliorum factionem, auxilio esse posset. Huic officio Lotharius præ cæteris idoneus privatis etiam nominibus censebatur, vi scilicet præstiti juramenti specialique spiritalis patris affectu. Post mortem verò prædicti Pippini, cùm nullum jus filiis ejus in consortium Aquitanici Regni competat, solúsque Carolo præter Lotharium frater supersit Ludovicus Rex Bojoariæ, quocum pater occultum odium propter nuperam defectionem gerit, universa Francorum Monarchia, si Bojoariam excipias, proponitur duas in partes Lotharium inter & Carolum dividenda. Nuncii, per quos Lotharius eo de consilio certior fiat, in Italiam diriguntur. Collocatur in horum numero Marcuvardus Prumiensis Abbas, de quo consule Joannem Mabillonium quarto Seculo Benedictino [c].

[a] Lib. 1.

[b] Num. 184.

[c] Tom. 1. pag. 609.

IV.

Hoc anno Pascha celebratum est postridie Idus Aprilis. Lotharius ex Italia *juxta condictum*, ut Astronomus testatur, *ad Wormaciam post Pascha Solemnitatem* venit. *Quem pater cum multa alacritate suscepit.* Nithardus anni tempestatem haud notat. *Ad urbem*, inquit, *Vangionum, Conventu indicto convenerunt, in quo Lotharius humillimè ad pedes patris coram cunctis procidit.* Annalista Metensis mensem habet Maium, sic. *Post Pascha verò mense Maio* Imperator *Warmaciam veniens Lothario filio suo de Italia in fidem ejus venienti reconciliatur.* Annalista Bertinianus non tantùm mensem ut Metensis, sed ipsum etiam diem quo Ludovicus Augustus Wormaciam sive urbem Vangionum ingressus est, sic observat. *Imperator urbem Vangionum juxta condictum tertio Kalendas Junii pervenit.* At hic Auctor in eo corrigi debet, quòd Wormaciense Placitum in annum sequentem rejicit. Portò Ludovicus Im-

AN. CH. 838.

Ludovicus Aug. audit Legatos Theophili Imp. Constantinopolitani.

perator priusquàm Wormaciam accederet, in Palatio Ingelheymiensi mansit aliquandiu. Morabatur ibi decimo-quinto Kalendas Junii, quando Legationem Græcorum audivit. *Venerunt*, ait idem Annalista, *Legati Græcorum a Theophilo Imperatore directi, Theodosius videlicet Calcedonensis Metropolitanus Episcopus & Theophanius Spatharius ferentes cum donis Imperatore dignis epistolam. Quas Imperator quinto-decimo Kalendas Junii in Ingulenheim honorificè suscepit. Quorum Legatio super confirmatione pacti & pacis atque perpetua inter utrumque Imperatorem eique subditos amicitia & caritatis agebat, necnon de victoriis quas adversùs exteras bellando gentes cælitus fuerat assecutus, gratificatio & in Domino exultatio ferebatur. In quibus Imperatorem sibique subjectos amicabiliter datori victoriarum omnium gratias referre poposcit. Misit etiam cum eis quosdam, qui se, id est, gentem suam, Rhos vocari dicebant, quos Rex illorum Chacanus vocabulo ad se amicitiæ, sicut asserebant, causâ direxerat; petens per memoratam epistolam, quatenus benignitate Imperatoris redeundi facultatem atque auxilium per Imperium suum totum habere possent, quoniam itinera, per quæ ad illum Constantinopolim venerant, inter barbaras & nimiæ feritatis gentes immanissimas habuerant, quibus eos, ne fortè periculum inciderent, redire noluit. Quorum adventûs causam Imperator diligentiùs investigans, comperit eos gentis esse Sueonum, exploratores potiùs Regni illius nostrique, quàm amicitiæ petitores ratus, penes se eousque retinendos judicavit, quoad veraciter inveniri posset, utrùm fideliter eò necne pervenerint. Idque Theophilo per memoratos Legatos suos atque epistolam intimare non distulit, & quod eos illius amore libenter susceperit, ac si fideles invenirentur, & facultas absque illorum periculo in patriam remeandi daretur, cum auxilio remittendos; sin aliàs, una cum Missis nostris ad ejus præsentiam dirigendos, ut quid de talibus fieri deberet, ipse decernendo efficeret.*

V. Ludovicus Augustus, qui decimo-quinto Kalendas Junias apud Ingheymium morabatur, Wormatiam, ut insinuatum suprà, tertio easd[em] Kalendas pervenit. Quid in Conventu Wormaciensi gestum sit, Astro[no]mus ita declarat. *Res tam Luthario quàm suis per omnia utilis visa est. [V]ergo juxta condictum ad Wormaciam post Pascha Solemnitatem. Quem pater multa alacritate suscepit, & dapsiliter suos curare præcepit, & sicut mandave[rat] omnia peregit, in tantùm ut ei datis triduo induciis, universum Imperium [s]*

Celebrat Placitum Wormaciense cum filiis Lothario et Carolo,

cum suis ipse divideret, si ita liberet, ita tamen, ut partium electio penes Im[pera]torem & Carolum maneret. Sin aliter verò, partitionem Imperii Imperatori [ar]bitrio faciendam magis censeret. Itaque Lotharius cum suis divisionem Reg[ni do]mino Imperatori pro suo libitu committunt, affirmantes se hanc divisionem [nequa]quam exequi posse propter ignorantiam locorum. Igitur Imperator cum suis ut sibi suisque visum est libramine, omne suum divisit Imperium præter Bajoariam, quam Ludovico reliquit, atque ideo in partem eorum nemini cessit. His peractis & filiis universoque populo evocatis, datâ sibi optione, Lotharius à fluv[io] Australem sibi partem tenendam delegit, Occiduam verò Carolo fratri h[abendam] reliquit, & ut haberet coram cuncto populo se velle verbo signavit. I[mperator] verò lætabatur in his, & cunctus populus talibus factis applaudens, o[mnia] placere dicebat. At verò Ludovici animum non parum hæc gesta læser[unt. Im]perator porrò pro his gestis Deo gratias agebat, filiósque monebat ut unanimes essent, & se alterutro tuerentur, & Lotharius quidem junioris fratris curam gereret, cujus se spiritualem esse patrem meminisse deberet; Carolus autem tanquam patri spirituali & fratri seniori debitum honorem deferret. Quumque hoc tanquam vera filii populum, quantùm sibi posse datum est, alterum sevisset amorem, l[æ]tus Lotharium in Italiam lætum dimisit, multis muneribus ditatum, donatum benedictionibus paternis, & monitum ne oblivisceretur saltem nuper sibi promissurum.

VI. Eadem scribit Nithardus [a], sic. *Ad urbem Vangionum Conventu indicto convenerunt, in quo Lodharius humillimè ad pedes patris coram cunctis procidit, dicens. Novi me coram Deo & te, Domine pater, deliquisse. Non Regnum sed*

[a] Lib. 1.

AN. CH. 838.

LUDOV. IMP. 25. LOTHAR. IMP. 22. PIPPINI R. 24. LUDOV. R. 22. CAROLI R. 9.

indulgentiam, & ut gratiam tuam merear, quæso. Idem autem, ut pius ac clemens pater, & delicta postulanti indulsit, & gratiam roganti concessit: eo scilicet pacto, ut deinceps nihil quolibet modo contra suam voluntatem, nec in Karolum, nec in Regnum alicubi egisset. Dein benignè illum excepit, ac deosculans, gratias Deo pro filio, quem aversum reconciliaverat, egit. Ad prandium deinde conversi sunt, in crastinum de ceteris, quæ sui juraverant, deliberaturi. Die autem altera Concilium ineunt. Hinc pater, ut sui juraverant, perficere cupiens; ecce, fili, ut promiseram, Regnum omne coram te est, divide illud prout libuerit; quod si tu diviseris, partium electio Caroli erit; si autem nos illud diviserimus, similiter partium electio tua erit. Quod idem cùm per triduum dividere velles, sed minimè posset, Josippum atque Richardum ad patrem direxit, deprecans ut ille & sui Regnum dividerent, partiúmque electio sibi concederetur. Insuper verò in ea fide, quam illi juraverant, testati sunt, quòd pro nulla re alia, nisi sola ignorantia regionum, id peragere differret. Quamobrem pater, ut æquiùs valuit, Regnum omne absque Bajoaria cum suis divisit, & à Mosa partem Australem Lodharius cum suis elegit, quinimmò & accepit. Occiduam verò, ut Carolo conferretur, consensit, & unà cum patre coram omni populo ita se velle annuntiavit. Hinc autem pater fratres, prout valuit, unanimes effecit, rogans ac deprecans ut invicem se diligerent, & os alter ab altero protegeretur adhortans, exorat, & quod fieri desiderat, optat. Quibus peractis, benignè & pacificè Lodharium in Italiam ditatum remissionis gratiâ ac Regni muneribus, remittens, sacramenta quæ sæpè juraverat, quotiens in illum deliquerat, quotiens delicta eidem donaverat, in memoriam reducens, ac piis visceribus monens, contestabatur ne saltem id quod tunc novissimè peregerans, coràmque cunctis ita se velle confirmaverat, frustrari quolibet modo permittat.

INTER EOS TOTUM REGNUM PARTITUR EXCEPTA BOJOARIA.

VII. Annalista Metensis multa conglobatim scribit, quæ partim ad hunc annum, partim ad sequentem pertinent. Loco moveri debent & in annum posterum rejici, quæ Placito Wormaciensi præponit. Verissima sunt quæ de eodem Wormaciensi Conventu recitat in hunc modum. *Post Pascha verò mense Maio Imperator Warmaciam veniens Lothario filio suo de Italia in fidem ejus venienti reconciliatur, Regnúmque Francorum inter eum & Karolum filium suum minimum dividit, Lothario quidem, qui major natu erat, Nominis sui Dignitatem & Sedem Regni tribuens, Ludovico verò filio suo minori, pro eo quòd eum offenderat, Bajoariorum provinciâ tantùm concessâ.* Proximæ periodi duæ sunt partes; una quæ Lotharium in Italiam remittit, huic anno convenit; altera, quæ Caroli meminit, spectat ad annum sequentem. *Post Kalendas autem Julii Lothario ad Italiam redeunte, Imperator, assumpto secum Karolo, ad disponendas Aquitaniorum res in Occidentem proficiscitur.* Hoc quidem anno Redemptoris octingentesimo tricesimo-octavo Ludovicus Augustus post Kalendas Julii Lotharium filium in Italiam remisit, sed iter in Aquitaniam cum Carolo filio ante annum Redemptoris octingentesimum tricesimum-nonum haud suscepit.

VIII. Annalista Bertinianus Wormaciense Placitum, ut jam præmonuimus, in annum sequentem malè rejicit. De rebus autem in eo Conventu gestis optimè cum præcitatis convenit Auctoribus, ûsque non parum quoque præstat, quod & diem exhibet quo Ludovicus Augustus Wormaciam pervenit, & divisionem Regni per partes distinctiùs repræsentat. *Imperator urbem Vangionum juxta condictum tertio Kalendas Junii pervenit, ibi susceptis quibusdam, quos adhuc specialiter properare jusserat, fidelibus, Lotharium filium suum ab Italia venientem paterno suscipere affectu minimè renuit. Quo palàm omnibus ad genitoris vestigia suppliciter procidente, & præteritorum excessuum veniam humiliter postulante, Imperator misericordiâ quâ semper viguit flexus, quidquid in eum præcedentibus annis ipse suíque deliquerant, paternâ benignitate concessit, ita tamen si deinceps nihil adversùs eum pravis machinationibus molirentur. Suorum quoque complures non solùm proprietatibus, verùm etiam beneficia-*

AN. CH. 838.
LUDOV. IMP. 25.
LOTHAR. IMP. 22.
PIPPINI R. 24.
LUDOV. R. 22.
CAROLI R. 9.

riis donavit honoribus. Insupérque descriptione sui Regni æqualibus penè partibus discretá, optionem illi, quam earum mallet, offerre non dedignatus est. Cujus divisionis formula ita se habuit, &c.

Antequàm ipsam partitionem aggrediamur, placet in memoriam revocare, quid de illa nimis breviter minusque clarè scripserint Astronomus & Nithardus. *Imperator*, inquit Astronomus, *omne suum divisit Imperium præter Bajoariam, quam Ludovico reliquit*, sive, ut Nithardus habet, *Regnum omne absque Bajoaria divisit*, & in illa partitione apud Astronomum, *Lotharius à fluvio Mosa Australem sibi partem tenendam delegit, occiduam verò Carolo fratri habendam reliquit*, & apud Nithardum *à Mosa partem Australem Lodharius cum suis elegit, quinimmò & accepit, occiduam verò, ut Carolo conferretur, consensit.* Occiduæ parti certè non Australis opponitur, at ortiva;
IX. sed nec integra fiet partitio, si pars ortiva Lothario, Carolo pars Occidua cedat intermedio Mosâ, quia multæ provinciæ sunt Australiores illo flumine, nec ad ejus vel ortum vel occasum sitæ dicuntur. Per partes igitur exponi debet partitio, quæ legitur in Annalibus Bertinianis.

X. Sors Lothariana complectitur *Regnum Italiæ, partémque Burgundiæ, id est, vallem Augastanam, Comitatum Vallissiorum, Comitatum Waldensem usque ad mare Rhodani, ac deinde Orientalem atque Aquilonalem Rhodani partem usque ad Comitatum Lugdunensem, Comitatum Sucdingium, Comitatum Vuirascorum, Comitatum Portisiorum, Comitatum Suentisiorum, Comitatum Calmontensium, Ducatum Mosellicorum, Comitatum Arduennensium, Comitatum Condorusto, inde per cursum Mosæ usque in mare, Ducatum Ribuariorum, Wormazfelda, Sperohgouwi, Ducatum Helisatiæ, Ducatum Alamanniæ, Curiam, Ducatum Austrasiorum, cum Sunalafelda, & Norogo Vuiechessi, Ducatum Toringubæ cum Marchis * suis, Regnum Saxoniæ cum Marchis * suis, Ducatum Fresiæ usque Mosam, Comitatum Hamarlant, Comitatum Batavorum, Comitatum Testrabenticum, Dorestado.* Regnum igitur Lotharii per Italiam, per Germaniam, per Galliam latè protenditur, comprehendítque trans Alpes tránsque Rhenum, si Bojoariam excipias, quicquid pertinet ad Francorum Monarchiam, & in Gallia quicquid Rhenum, Rhodanum, Mosam, lineámque à Rhodano supra Genavam ad confluentes Uttæ ac Mosæ ductam interjacet. Ditiones Italicæ designantur per *Regnum Italiæ*, quod consistit in Trans-Alpinis provinciis quæ Francorum dominationi subsunt. Ditiones Trans-Rhenanæ per varias partes describuntur; per *Ducatum Alamanniæ, Curiam, Ducatum Austrasiorum cum Sunalafelda, & Norogo Vuiechessi*, id est, per veterem Alamanniam seu Sueviam, quæ duos in Ducatus separatur, in Ducatum videlicet Alamannorum cui Curia * contribuitur urbs prope dexteram Rheni ripam non ignobilis, & in Ducatum Austrasiorum seu Francorum Orientalium cui pars accensetur Norici seu Norogi, ubi Noricorum mons seu Norimberga *; item per *Ducatum Toringubæ* seu Toringiæ vel Turingiæ; per *Regnum Saxoniæ* de cujus partitionibus ac limitibus actum sæpiùs; per *Ducatum Frisiæ usque Mosam* sive per Frisiam ulteriorem, quia citerior in sorte ponitur Caroli. Ditiones Gallicanæ delineantur per *vallem Augustanam* quæ nomen trahit ab Augusta * Prætoria; per *Comitatum Wallisiorum* seu Vallensem * regionem; per *Comitatum Waldensem * usque ad mare Rhodani* sive usque ad lacum Lemanum, per *Orientalem atque Aquilonalem Rhodani partem usque ad Comitatum Lugdunensem*; per *Comitatum Sucdingium* vel potiùs Scudingium seu Scotingum vel Scutingum, ubi Salinæ * in Sequanis; per *Comitatum Vuirascorum* seu Warascorum vel Varascorum, qui partem Sequanorum provinciæ & Duvii * amnis fluenta ex utraque ripa incolunt, ut vetus Auctor in vita Sanctæ Salabergæ scribit; per *Comitatum Portisiorum* sive Portensium, sic dictum à portu Abucini, cujus mentio fit in provincia Maxima Sequanorum; per *Comitatum Suentisiorum* seu per Comitatum Sugintensem vel Suentensem, sive per Suntgoviam * ut hodie vocant;

* Edit. archiv.
* Edit. archiv.
* *Coire.*
* *Nuremberg.*
* *Aouste.*
* *Le Walais.*
* *Le païs de Vau.*
* *Salins.*
* *Le Dou.*
* *Le Suntgaw.*

AN. CH. 838.

cant; per *Comitatum Calmontensium* seu per Comitatum Calvomontensem, ubi Spinalium * ad Mosellam; per *Ducatum Mosellicorum*, cui nomen à Mosella fluvio; per *Comitatum Arduennensium*, cui nomen ab Arduenna sylva, quæ Rhenum inter ac Mosam latè patet; per *Comitatum Condorusto* seu Condrusiorum ad fluvium Urtam *, qui dexteram Mosæ ripam apud Leodium subit; *inde* sive à Comitatu Condrusiorum *per cursum Mosa usque ad mare*, ita ut Mosa Lotharianam sortem à dextra lavet, Carolinam à læva; per *Ducatum Ribnariorum, Wormazfelda, Sperohgouwi*, id est, per Ripuarios Cis-Rhenanos, per agrum Wormaciensem & per pagum Spitensem, Ripuarii Cis-Rhenani dividuntur in superiores & inferiores, quorum illi Rhenum inter ac Mosellam, hi Rhenum inter ac Mosam sedent, Wormacia & Spira civitates sunt illustres cis Rhenum, *feld* Germanicâ linguâ campum, *gow* & gaw pagum significant, inde campus Wormaciensis *Wormazfelda* & pagus Spitensis *Sperohgouwi*; per *Ducatum Helisatia* sive Alesatiæ *; per *Comitatum Hamarlant*, de quo dictum anno priore; per *Comitatum Batavorum* inter Rhenum & Vahalem *; per *Comitatum Testrabenticum Dorestado*, seu per Testrebantum *, cujus caput Dorestadium * ad Rheni fossam, quæ Lici * nomen gerit, & instar Vahalis in dexteram Mosæ ripam egeritur. Ex enumeratione tot Comitatuum pagorúmque, qui Lothario conceduntur, & ex situ Comitatuum, Genavensis, Lugdunensis, ac Tullensis, de quibus mox in Caroli sorte sermonem facturi sumus, apertè colligitur quis inter utramque sortem limes à lacu Lemano ad exitum Urtæ in Mosam ponendus sit. Huic limiti constituendo quinque inservire possunt amnes, Arar, Maido *, Mosella, Sura, & Urta; Mosellæ à læva immiscentur, Maido suprà Chaliniacum *, Sura supra Treviros; linea igitur primùm à Rhodano supra Genavam ad confluentes Dubis in Ararim, deinde ab Araris origine ad caput Maidonis, postremò inter fontes Suræ * & Urtæ ducenda. Superest ut rationem reddamus, cur Ducatum Turingiæ & Regnum Saxoniæ non *cum archis suis* ut habet editio, sed *cum Marchis suis* laudavерimus. Textum emendandum arbitramur ex altera sorte, quæ proximè sequitur apud eundem Annalistam, atque *Wasconiam cum Marchis ad se pertinentibus*, & *Septimaniam cum Marchis suis* complectitur. Porrò per Marchas intellige limitaneas regiunculas, quæ brevitatis causâ comprehenduntur sub nomine notioris Regni seu Ducatûs cui adjacent. Omnes enim Francorum trans Rhenum ditiones ab Alpibus ad mare Balticum haud exprimuntur per Regna Bojoariæ ac Saxoniæ & Ducatus Alamanniæ, Austrasiæ ac Turingiæ, nisi sub Turingiæ ac Saxoniæ nominibus multi circùm jacentes intelligantur populi. Nec aliter Wasconiam & Septimaniam, *cum Marchis suis* exponemus infrà.

* Espinal. * L'ourt. * L'Alsace. * Le Wael. * Teysterbant. * Duerstede. * Le Leck. * Le Madon. * Chaligny. * La Sour.

X I.

Altera sors seu Carolina *partem Burgundia, id est, Comitatum Genavensem, Comitatum Lugdunensem, Comitatum Cavallonensem, Comitatum Amaus, Comitatum Hatoariorum, Comitatum Lingonicum, Comitatum Tullensium, & sic per decursum Mosa usque in mare, & inter Mosam & Sequanam, & inter Sequanam & Ligerim, Aquitaniam & Wasconiam cum Marchis ad se pertinentibus, Septimaniam cum Marchis suis, & Provinciam habuit.* Comitatus Genavensis & Lugdunensis sunt ad Rhodanum. A Lugduno Septentrionem versus alii sequuntur Comitatus ad Ararim, ad Besuam, ad Matronam, ad Mosam & ad Mosellam. Comitatum Cavallonensem Hadrianus Valesius in Attuariis jam interpretatus est Cabillonensem, cujus caput Cabillo ad Ararim. Comitatus Hatoriariorum sive Attuariorum, de quo sæpè locuti sumus, pars est Episcopatûs Lingonensis, alluitúrque Besuâ, qui dexteram Araris ripam subit. Comitatus Lingonicus seu Lingonensis rigatur Matronâ. Comitatus *Amans* ab Annalista nec benè sic appellatus nec suo loco positus videtur. In tripartita Francici Regni divisione, quam per partes ante triennium explicuimus, *Amau* depravatè scriptum monuimus, & cum Va-

AN. CH. 838. LUDOV. IMP. 25. LOTHAR. IMP. 22. PIPPINI R. 24. LUDOV. R. 22. CAROLI R. 9.

lesio restituimus *Ainan*, quod est Hainoum, ab Haina sive Aina fluvio sic vocatum, recentioribus Hannonia. Fortè tibi similis emendatio placebit, ut non *Amans* sed *Ainans* legatur, & ut *Ainan* sic & *Ainans* Hainoum significet. At utriusque correctionis non est par ratio, in prædicta enim Regni divisione pagus *Aman* cum aliis conjungitur pagis, quibus hodiéque conterminus est Hannoniensis, in textu verò, quem examinamus, quæ conjunctio potest esse Comitatûs Hainoi cum Comitatibus in Diœcesi vel Cabilonensi vel Lingonica sitis? In Annalibus Bertinianis vocem *Amans* depravatam fatemur, ipsam autem depravationem ex literarum transpositione profectam existimamus, & expuncto vocabulo *Amans* substituimus *Masau*, id est, Comitatum Mosanum sive ad Mosam vel ad fontes Mosæ; Comitatúsque, quos Annalista nominat, hoc recensemus ordine, *Comitatum Genavensem*, *Comitatum Lugdunensem*, *Comitatum Cabilonensem*, *Comitatum Hatoariorum*, *Comitatum Lingonicum*, *Comitatum Mosau*, & *Comitatum Tullensium* à Tullo ad sinistram Mosellæ ripam collocato sic appellatum. Præter hos Comitatus attribuitur Carolo quicquid inter Mosam & Sequanam occurrit, quicquid etiam Sequanam & Ligerim interjacet, necnon & Aquitania cum Wasconia, Septimania & Provincia. Quid propriè per Aquitaniam, quid per Wasconiam, quid per Septimaniam intelligendum sit, sæpè diximus. Wasconia memoratur *cum Marchis ad se pertinentibus*, quia Regnum Francorum ultra fines Wasconiæ seu Novempopulaniæ per Hispaniam protenditur. Simili modo Septimania laudatur *cum Marchis suis*, quæ trans Pyreneos montes ad Rubricatum usque fluvium dilatantur. Provinciæ verò nomine, quicquid Alpibus, Rhodano & mari mediterraneo cingitur, præcitatus comprehendit Annalista.

XII. Ab hac partitione quæ Lotharium inter & Carolum facta est, novam illorum Regum epocham in hujus anni titulo notare cœpimus. Porrò Lotharius priusquàm Wormatiam ad patris comitatum se conferret, pridie Nonas Februarias, Indictione primâ, sive hoc anno, Imperii sui decimoquinto ex quo Romæ coronatus est Imperator, Præceptum pro Monasterio Sanctæ Christinæ sic emisit [a]. *In Nomine Domini nostri Jesu Christi Dei æterni. Hlotharius divinâ ordinante providentiâ Imperator Augustus. Cùm petitionibus servorum Dei justis & rationabilibus divini cultûs amore favemus, superni muneris donum nobis à Domino impertiri credimus. Idcircò notum esse volumus omnibus fidelibus Sanctæ Dei Ecclesiæ nostrísque, præsentibus scilicet & futuris, quia Petrus Vir Venerabilis Abbas ex Monasterio Sanctæ Christinæ, quod est situm* in Diœcesi Vercellensi *prope villam nostram Olonnam, obtulit obtutibus nostris auctoritatem Immunitatis Domni & avi nostri Karoli bonæ memoriæ Serenissimi Regis, & genitoris nostri Hlodovici, in qua continebatur insertum, ipsum prædictum Monasterium cum omnibus rebus & hominibus, quæ tam Donatione Regum Reginarúmque quàm etiam reliquorum Deum timentium hominum idem Monasterium eo tempore legitimè possidebat, suo munimine constituere fecerat, & ejus auctoritate Immunitatis hactenus ab inquietudine judiciariæ potestatis idem munitum atque defensatum fuisset Monasterium. Sed pro firmitatis studio postulavit idem Petrus Abba, ut paternæ auctoritati nostram quoque superadjiceremus auctoritatem. Cujus precibus, ob divini cultûs amorem & venerationem ipsius sancti loci, adsensum præbentes, hanc auctoritatem Immunitatis nostræ eidem Monasterio fieri jussimus, per quam præcipimus atque jubemus, ut memoratum Monasterium cum omnibus rebus & hominibus ad se præsenti tempore justè & legaliter pertinentibus vel aspicientibus, sub Immunitatis nostræ defensione modis omnibus consistat, & nullus Judex publicus vel quislibet ex judiciaria potestate in Ecclesias, aut villas, vel curtes, loca, vel agros, seu reliquas possessiones memorati Monasterii, quas moderno tempore justè & legaliter possidet in quibuslibet pagis vel territoriis infra ditionem Imperii nostri, vel quæ deinceps in jure ipsius sancti loci voluerit divina pietas augere, ad causas audiendas, vel freda exigenda, aut mansiones vel*

PRÆCEPTUM LOTHARII AUG. PRO MON. S. CHRISTINÆ.

[a] Ap. Baluz. Tom. 1. Capitul. in Append. Act. 55.

AN. CH. 838.

LUDOV. IMP. 25. LOTHAR. IMP. 22. PIPPINI R. 24. LUDOV. R. 22. CAROLI R. 9.

paratas faciendas, aut fidejussores tollendos, aut homines ipsius Monasterii distringendos, nec ullas redhibitiones aut illicitas occasiones requirendas, nostris futurisque temporibus ingredi audeat, vel ea quæ suprà memorata sunt penitus exigere præsumat, sed liceat memorato Abbati ejúsque successoribus res prædicti Monasterii cum omnibus quæ possidet, sicut in Præcepto Domni & genitoris nostri continetur, sub Immunitatis nostræ defensione quieto ordine possidere, & nostro fideliter parere Imperio, quatinus Congregationem ibidem Deo famulantem pro nobis & conjuge proléque nostra, vel pro stabilitate totius Imperii nostri à Deo nobis concessi atque conservandi jugiter Domini misericordiam exorare delectet. Et ut hæc auctoritas nostris futurisque temporibus valeat inconvulsa manere, manu propriâ subter firmavimus, & anuli nostri impressione signari jussimus. Signum Hlotharii Piissimi Augusti. Drutemirus Subdiaconus Protonotarius ad vicem Egilinari (lege Agilmari) *recognovi. Datum pridie Nonas Februarii, anno, Christo propitio, Imperii Domni Hlotharii Pii Imperatoris* XV, *Indictione primâ. Actum Ollonnâ Palatio Regio in Dei Nomine feliciter. Amen.* Hoc Præceptum simillimum est Ludoviciano, quod Tomo superiore ad annum Redemptoris octingentesimum vicesimum-secundum [a] recitavimus, illustravimúsque observatione non spernenda quam consule si lubet. Impræsentiarum satis est adnotasse, quòd Lotharius hoc anno Præceptum Ludovici patris confirmavit.

[a] Num. 4.

XIII.

TRANSLATIO S. PHILASTRII.

Rampertus Brixiensis Episcopus hoc anno Corpus Sancti Philastrii Brixiensis quondam Episcopi transtulit, illiúsque Translationis narrationem sic ipsemet contexuit [b]. *Ego Rampertus indignus Episcopus Brixiensis Sanctæ Ecclesiæ dum officii assiduitas & abundantia luminaria in eo venerabili loco non essent, quo beatissimæ memoriæ Philastrii corpus jacebat, non de meis pauxillis præsumens meritis, sed in Dei servitio, tanto patri honorabiliori famulatu servire cupiens, consultis universis Sacerdotibus meis, jejuniis & orationibus intervenientibus, anno Dominicæ Incarnationis octingentesimo trigesimo-octavo, Indictione primâ, sexto Idus Aprilis, non sine timore fodiendo, eis junctis Sacerdotibus de quorum vita credulus eram, venerandum corpus reperiens, maximo cum timore, ut puta tam venerabilem glebam tam immeritus contingens elevavi, collocans in feretri locello. Deinde quinto Idus Aprilis, congregato Clero, stipantibus utriusque sexûs immodicis catervis, maximi cum horrore timoris, summâque reverentia, idem corpus transtulimus in matrem Ecclesiam hyemalem nostram Brixiensem, penes Altare Sanctæ Dei genitricis Mariæ, ubi* præcedentium *Pontificum erat Sedes. Et hoc divinâ providente gratiâ, non sine miraculo, ut instantia produnt exempla, gestum à nobis est. Ubi quarto Idus Maii,* die Dominico, currente literâ Dominicali F, *coadunatâ Ecclesiâ, officiis & jejuniis cum orationibus præeuntibus, maxima cum devotione, in marmoreo recondentes antro sepelivimus, ut ubi modò Pontificum Sedes aderat, ibi tanti patris & Pontificis jaceret corpus, quò Sedes honore, & populus devotione, & Clerus suffragio, ejusdem meritis intervenientibus, Christo in omnibus favente, potiretur. Speramus enim Sanctorum meritis nos omnium foveri, & maximè eorum, quorum amplectimur corpora, quorúmque vel nativitas vel habitatio fuit cum patribus nostris. Eorum quippe vel dogmate instruimur, vel exemplo Martyrum corroboramur.*

[b] Ap. Sur. d. 18. Jul.

XIV.

EPISCOPI DERTHONENSES.

Joannes Derthonensis Episcopus, cùm annos sedisset decem, obiit hoc anno, successorémque nactus est Rofredum. Utriusque meminit Ughellus in Italia Sacra [c].

[c] Tom. 4.

XV.

Idem Auctor [d] ad hunc annum commemorat Andream Volaterranum Episcopum, sed malè, nam Petrus ejus decessor in vivis superstes erat anno Redemptoris octingentesimo quadragesimo-quarto.

[d] Tom. 1.

XVI.

ABBATES NONANTULANI.

Ansfridus Abbas Nonantulanus, de quo non semel Tomo superiore locuti sumus, obiit hoc anno, tertio Idus Martii, Monasterium enim annis septemdecim rexit, *vir religiosus & Deo devotus* prædicatur. Ei successit Rapertus. Lege eundem Ughellum in Abbatum Nonantulanorum Indice, quem inseruit Episcoporum Tarvisinorum Catalogo [e].

[e] Tom. 5.

XVII.

Hoc anno introducti ad Hirsaugiam Monachi, primúsque Abbas illius

AN. CH. 838.
LUDOV. IMP. 25.
LOTHAR. IMP. 22.
PIPPINI R. 24.
LUDOV. R. 22.
CAROLI R. 9.

loci constitutus est Lindbertus. Totius negotii gestionem in Hirsaugiensi Chronico fusè sic exponit Trithemius. *Postquàm Erlafridus Nobilissimus Comes consummato tam insigni opere*, sive absoluto Hirsaugiæ Monasterio, *propositum suum ad effectum non sine maximus impensis perduxerat, mora impatiens, quippe qui nihil plùs se optare diceret, quàm illum vivere diem, in quo Choros Monachorum in suo prædio collaudantes Deum cernere potuisset, cœpit anxiâ mente revolvere, unde in novum Cœnobium à se gloriosè fundatum, veteris conversationis Monachos ad Regulam Sanctissimi Patris Benedicti religiosè institutos posset acquirere, qui & ipsi essent in conversanda sanctissimi, & idonei in idem propositum venturos etiam alias informare. Viguit eo tempore in Monasterio Fuldensi maxima Religio Monachorum sub regimine Rabani Mauri Abbatis, quæ se per totam Europam famâ prævolante diffuderat in ora omnium, erâtque laus & memoria Fuldensium Monachorum apud Imperatores, Reges, & Principes in magno pretio, non solùm propter sanctitatem vitæ, sed etiam propter incomparabilem scientiam Scripturarum, quâ Fuldenses Monachi eo tempore præ ceteris multis dicebantur eruditi. Unde multi ex eis in diversis Ecclesiis ad apicem Pontificatûs fuerunt assumpti. Ad hunc igitur Rabannum Abbatem Fuldensem Erlafridus habita sociorum consilio Legatos misit, mandatis Otgarii Moguntinensis eo tempore Archiepiscopi adjunctis, postulans sibi concedi quindecim Monachos & Abbatem Monasterio suo, quod ædificaverat, inferendos, promisitque se facturum omnia, quæcumque illorum judicio ad Monasticæ Institutionis utilitatem opportuna viderentur. Erant eo tempore in Cœnobio Fuldensi ducenti & septuaginta Monachi viri religiosi, & pro magna parte in Sacris Scripturis doctissimi. Hos ergo Rabanus, audita nuncia Comitis, convocans in unum, mandatum Otgarii Archiepiscopi ac preces Erlafridi coram eis exposuit, & quid sentirent ipsi in hoc negotio secundùm Regulam Sanctissimi Patris nostri Benedicti requisivit. Qui unanimi assensu concluserunt tam sanctum Comitis desiderium non esse spernendum, quod & placitum nullus ambigeret Omnipotenti Deo, & in salutem multorum speraretur esse futurum. Elegerunt ergo ad hanc provinciam subeundam quindecim fratres, quibus præfecerunt Abbatem Lindbertum Venerabilem senem, qui fuerat frater Bunonis Abbatis Hirsfeldensis, vir nobilis secundùm sæculum, sed multò nobilior secundùm Deum. Anno igitur Domini 838, Indictione primâ, Lindbertus Abbas cum quindecim Monachis venit in Hirsaugiam, missus per Rabanum Fuldensem Abbatem. Comes verò devotissimus Erlafridus Abbatem ipsum & Monachos sibi destinatos cum ingenti exultatione suscipiens, ad novum Monasterium lætabundus introduxit, eisque de vita necessariis copiosè prævidit, & omnia, quæ in mente disposuerat, cum eorum consilio deinceps pertractabat.*

AD HIRSAUGIAM INTRODUCUNTUR MONACHI CUM ABBATE.

XVIII. *Eo tempore, Corpus Sancti Aurelii*, de cujus Translatione lege quæ scripta sunt ad annum Redemptoris octingentesimum tricesimum [a], *adhuc servabatur in Capella Beati Nazarii Martyris, Ecclesiâ Monasterii nondum consecratâ. Igitur post paucos menses, ut omnia desideratum consequerentur effectum, Comes Erlafridus ad Curiam Imperialem apud Franckfordiam cum aliis Principibus evocatus, terminatisque caussis Imperii, pro quibus convocatio Principum indicta fuerat, Otgarium Moguntinensis Ecclesiæ Archiepiscopum, qui tum præsens aderat cum multis aliis Episcopis, ad consecrandum novum Monasterium rogavit, invitavit & obtinuit. Quemadmodum verò ista consecratio facta sit, consequenter est dicendum. Cùm eo tempore inter Ludovicum Imperatorem & filios ejus gravis propter Imperium ageretur dissensio, contigit eam convocationem Principum, ad quam Erlafridum vocatum diximus à Franckfordia, transferri ad civitatem Nemetensem, quam Spiram usitato vocabulo nuncupamus, quæ cùm non procul ab Hirsaugia distet, quatenus cum majore solennitate noviter fundati Cœnobii Dedicatio fieret, caussam & opportunitatem Comiti Christianissimo dedit. Convenerant enim multi Episcopi, Abbates, & Principes, ad Imperialem Synodum convocati, è quibus complures, invitante Erlafrido Comite, Dedicationis officio interfuerunt. Anno igitur Domini 838, Indictione primâ, mense verò Septembri, Otgarius Reverendissi-*

MON. DEDICATUR.

[a] Nu. 34. 35.

mus Moguntinensis Ecclesiæ Episcopus, Erlafrido Comite & ejus filio Ermefrido postulantibus, Monasterium Hirsaugiense consecravit sub honore Principis Apostolorum Petri & Sancti Aurelii Episcopi, in præsentia multorum Principum, Episcoporum & Abbatum, qui curiam Imperatoris eo tempore sequebantur. In hoc posteriore textu nonnulla sunt corrigenda. Trithemius quos Regni Proceres, Primores ac Primates appellare debet, Principes Imperii vocat more loquendi longè post Ludovici Pii mortem usurpari cœpto, postquàm Imperio, quod priùs in solo nomine ac titulo consistebat, suæ fuerunt provinciæ suique certi limites. Deinde vult inter Ludovicum Augustum ejusque filios gravem fuisse dissensionem *propter Imperium.* Sed anno Redemptoris octingentesimo tricesimo-octavo nulla propter Imperium seu propter Imperialem Dignitatem fuit controversia, nam Ludovicus Imperator ante annos unum ac viginti sive anno Redemptoris octingentesimo decimo-septimo Lotharium filium natu maximum in consortium Imperatorii nominis adscivit, & anno Redemptoris octingentesimo tricesimo-octavo post Pippini filii mortem, cùm Ludovicum, quem Bojoarici Regni consortem ab anno Redemptoris octingentesimo decimo-septimo fecerat, solâ Bojoariâ contentum esse vellet, consilium de reliquo tantùm Franciæ Regno Lotharium inter ac Carolum dividendo suscepit. Præterea Trithemius duos distinguit Conventus, Francofordiensem videlicet & Spirensem, quorum nulla mentio fit apud Auctores coætaneos, Astronomum & Nithardum suprà citatos. Anno Redemptoris octingentesimo duodequadragesimo post Paschæ Solennitatem in urbe Vangionum seu Wormatiæ celebratus est Conventus, ut ex Astronomo & Nithardo simul collatis constat. Astronomus enim de Lothario sic scribit. *Venit juxta condictum ad Wormaciam post Pascha Solemnitatem. Quem pater cum multa alacritate suscepit.* Et Nithardus [a] de ipsomet Conventu. *Ad urbem Vangionum Conventu indicto convenerunt, in quo Lotharius humillimè ad pedes patris coram cunctis procidit.* Alius hoc anno Conventus haud legitur habitus. Wormatiâ Ludovicus Augustus Aquisgranum reversus est, ibique Natalem Domini & Pascha celebravit teste Astronomo, cujus hæc sunt verba. *Egit Natalis Domini atque Pascha Solemnitatem celeberrimè Aquis.* Trithemium fortè decepit Annalista Bertinianus. Apud hunc Auctorem Ludovicus Imperator duos hoc eodem anno Conventus habet, unum *mense Maio in Noviomago*, alterum *mediante Augusto in Carisiaco;* Festivitatem Sancti Quintini, quæ pridie Kalendas Novembris recolitur, in ejus Monasterio ad Somonam celebrat, *invitante Hugone fratre*, illius loci Abbate; tum pergit *Attiniacum*, & inde *cæptum peragens iter, ad Franconofurd hyemandi gratiâ* proficiscitur; in itinere audit Ludovicum filium *Franconofurd hostilibus agminibus insedisse, sibique non solùm ejusdem Palatii sessionem ad hyemandum, verùm etiam Rheni fluminis moliri transitum inhibere; quo nuntio haud mediocriter motus quaquaversum fideles acciri decernit; at ipse, ut cœperat, Maguntiam pervenit anno ab Incarnatione Domini* DCCCXXXIX jam inchoato. Fabulosa sunt hæc omnia, nec, si vera essent, faverent Trithemio. Ludovicum enim Augustum, qui medio mense Augusto Conventum in Carisiaco celebravit, & pridie Kalendas Novembris apud Augustam Viromanduorum Festum Sancti Quintini peregit, supponunt longè post mensem Septembrem itineri se Rhenum ac Francofurtum versùs accinxisse. Videtur etiam Trithemius in hoc errare, quòd Dedicationem Hirsaugiensis Monasterii factam scribit *anno Domini 838, Indictione primâ, mense verò Septembri*, secundam enim Indictionem aperuerunt Kalendæ Septembres hujus anni; quapropter vel reponenda Indictio secunda, vel delendus mensis September, Indictionem primam servandam arbitramur. Fabulis igitur expunctis præcitatus Trithemii textus ad hunc modum vel huic similem restitui potest. *Eo tempore, Corpus Sancti Aurelii adhuc servabatur in Capella Beati Nazarii Martyris, Ecclesiâ Monasterii*

AN. CH. 838.
LUDOV. IMP. 25.
LOTHAR. IMP. 22.
PIPPINI R. 24.
LUDOV. R. 22.
CAROLI R. 9.

[a] Lib. 1.

Xxx iij

AN. CH. 838. LUDOV. IMP. 25. LOTHAR. IMP. 22. PIPPINI R. 24. LUDOV. R. 22. CAROLI R. 9.

nondum consecratâ. Igitur ut omnia desideratum consequerentur effectum, Comes Erlafridus in Conventu Wormatiensi, qui post Pascha celebratus est, Otgarium Moguntinensis Ecclesiæ Archiepiscopum, qui tum præsens aderat, cum multis aliis Episcopis ad consecrandum novum Monasterium rogavit, invitavit & obtinuit. Anno igitur Domini 838, Indictione primâ, Otgarius Reverendissimus Moguntinensis Ecclesiæ Episcopus, Erlafrido Comite & ejus filio Ermefrido postulantibus, Monasterium Hirsaugiense consecravit sub honore Principis Apostolorum Petri & Sancti Aurelii Episcopi, in præsentia multorum Episcoporum, Abbatum, & Procerum, qui curiam Imperatoris eo tempore sequebantur.

XIX. Archiepiscopi, Episcopi, Abbates, Duces ac Comites, qui præter Otgarium Moguntiacensem Metropolitam Hirsaugiensi Dedicationi præsentes interfuerunt, à Trithemio sic recensentur. *Aderat ibi præsens Hildeboldus Archiepiscopus Coloniensis, Willericus Episcopus Bremensis in Saxonia, Ebo Episcopus Hildesheimensis, Thiagrius Episcopus Halverstatensis, Rabanus Maurus Abbas Fuldensis, Buno Abbas Hirsfeldensis frater Lindberti Abbatis hujus primi Hirsaugiensis, Hildevinus Abbas Sancti Dionysii Sacri Palatii Archicapellanus, Henricus Dux, Bernhardus Dux, Bruno Dux, Ludolphus filius ejus, Erlafridus Comes fundator Monasterii, Ermefridus filius ejus, Ortrungus Comes, Adelbardus Comes, & alii complures, quorum nomina cum præscriptis in libro Gestorum Otgarii Episcopi non sunt imposita, seu forsitan ex incuria Scriptorum omissa.* Tomo superiore Hildebaldum sive Hildeboldum Coloniensem Archiepiscopum ab Hadebaldo sive Hagebaldo proximo successore distinximus. Ad Deum migravit Sanctus Hildebaldus sive Hildeboldus tertio Nonas Septembris, anno Redemptoris octingentesimo duodevicesimo. Qui successit Hadebaldus sive Hagebaldus à nobis sæpè laudatus [a] fuit, & Hildeboldi loco apud Trithemium nuperrimè citatum restitui debet. Agemus anno sequenti de obitu Willerici Bremensis Episcopi, qui sedit annos quinquaginta. Ebo Remensis quondam Archiepiscopus, ab Hirsaugia procul aberat cùm facta est istius Monasterii Dedicatio, detinebatur enim à Freculfo Lexoviensi Episcopo sub custodia in Diœcesi Lexoviensi, multóque serius Episcopatum Hildesheimensem suscepit, ut suo loco probabimus; interim ex Trithemio nomen illius abrade, consulto priùs, si lubet, Flodoardo in Ecclesia Remensi [b]. De Thiagrio Episcopo Halverstatensi seu Thiagrimo Episcopo Halberstadiensi & de Rabano Abbate Fuldensi, quorum sæpè meminimus, nihil hîc occurrit specialiter observandum. De Bunone Abbate Hirsfeldensi commodiùs agemus infrà. Hildevinus sive Hilduinus Abbas San-Dionysianus malè vocatur *Sacri Palatii Archicapellanus*, hoc enim munus à multis annis amisit, quia Lotharianis partibus aliàs favit. A tribus igitur nævis præcitatum expurga Trithemium; Hildeboldi Coloniensis Archiepiscopi loco Hadebaldum repone; Ebonem Episcopum Hildesheimensem expunge; Hildevinum sive Hildninum Abbatem quidem Sancti Dionysii, Archicapellanum verò Sacri Palatii nequaquam appella.

[a] Ad ann. 818. 821. 825. 827. 828. 829.

[b] Lib. 2. c. 20.

XX. *Consecratione* Hirsaugiensis *Ecclesiæ solenniter, ut moris erat, peractâ, Otgarius Archiepiscopus unà cum ceteris Episcopis, Abbatibus, & Principibus* sive Optimatibus, *Corpus Sanctissimi Præsulis Aurelii de Capella Sancti Nazarii, cum magna devotione allatum, summo Altari honorificè inclusit. Lintbertus baculum Pastoralis curæ, Comite Erlafrido & Monachis petentibus, ab eodem Archiepiscopo in conspectu omnium suscepit. Deinde accedens ad Altare Comes Erlafridus cum filio, coram omnibus qui aderant, tradidit Omnipotenti Deo ejúsque Sanctis Petro Apostolo & Aurelio Pontifici Monasterium ipsum quod construxerat, cum viculis, sylvis, pascuis, aquis, aquarúmque cursibus, agrísque & pratis circùm adjacentibus, & omnibus juribus & proventibus, quos illi assignaverat secundùm tenorem eulogii, quod super Altare posuerat, secundùm consuetudinem Ecclesiæ Catholicæ, in quo præter generalem donationem totius nemoris, terræ ac viculorum in circuitu, etiam ista specialiter continebantur expressa. Ecclesia in Stamheim cum*

AN. CH. 838. LUDOV. IMP. 25. LOTHAR. IMP. 22. PIPPINI R. 24. LUDOV. R. 22. CAROLI R. 9.

magna parte ejusdem villa, cum viculis ad eam pertinentibus. Ecclesia quoque in Deckenpfrum cum omnibus qua ibidem habuit. Dedit & in Gilstein duodecim hubas; in Meachingen duodecim hubas & Ecclesiam; in Muchlingen pradium bonum; in Toffingen Ecclesiam. Et hac sunt nomina villarum eulogio inserta, qua Sancto Aurelio eàdem horâ tradidit, Lutzelhart, Altbarg, Lutzenhart, Ebersbuel, Kallenbach, Kugelbach, Nagalshart, Oltenbrunnen, Hugsteten, Gumprechst, Widar, Altiburan villam dimidiam, & alia multa pradia & bona, qua in libro donationum fuerunt exarata. Hanc Donationem solenniter factam Otgarius Archiepiscopus prafatus, vice Apostolici Domini Gregorii Papa Quarti, & Piissimi Imperatoris Ludovici primi, banno perpetua stabilitatis communivit, ipsúmque Monasterium &c. Trithemius Otgarium in hac periodo Legatum Apostolicum & Archicancellarium Imperii supponit. Legatione quidem Apostolicâ functus est Bonifacius Moguntiacensium primus Archiepiscopus, & recentioribus seculis, qui Moguntiacenses Archiepiscopi, fuerunt iidem Imperii per Germaniam Archicancellarii. Sed Otgarium vel utroque titulo vel alterutro gavisum esse nec suadent tempora, nec produnt Historiæ. Quapropter omissis hisce titulis textum Trithemii sic emendandum putamus. *Otgarius Archiepiscopus prafatus hanc Donationem solenniter factam, ipsúmque Monasterium cum omnibus denotationibus factis & in futurum ritè faciendis tradidit in manus prafati Lintberti Abbatis, & successorum ejus canonicè secundùm Regulam Sanctissimi Patris nostri Benedicti constituendorum, in perpetuum possidendum. Eâ videlicet conditione, quòd vita Monastica juxta normam prafati Patris cunctis diebus in eo vigorosa permaneat, &, quoties Monachos orbari spirituali Pastore contigerit, alium vel ex se, vel ex alio ejusdem Ordinis Monasterio idoneum, sine contradictione alicujus, in locum defuncti patris, eligendi liberam habeant potestatem. Constituit autem prafatus Archiepiscopus Advocatum Hirsangiensis Monasterii ipsum Comitem Erlafridum, sub ea videlicet conditione, ut mortuo patre filius in Advocatione non succedat, nisi fuerit ad eam per Abbatem & Monachos, qui pro tempore fuerint, liberâ & spontaneâ eorum voluntate assumptus. Verebatur enim devotissimus Comes, ne Monasterium post mortem suam per filium sive nepotes injuriam aut violentiam aliquam pateretur (quod hodie apud multos fieri cernimus) si Advocatia hareditario jure devolveretur ad posteros. Idcircò statuit in Abbatis voluntate pendere suo Monasterio quem voluerit idoneum habere Advocatum. Eodem quoque anno hac dotatio & privilegiata traditio facta per Comitem Erlafridum ab Imperatore Ludovico Piissimo confirmata est. Peractis enim omnibus, qua ad solenne Dedicationis officium pertinebant, singulísque ad sua reversis, Comes Erlafridus Lintberto Abbate secum assumpto, unà cum Otgario Venerabili Archiepiscopo & quibusdam aliis, ad Imperatorem Ludovicum in civitate Nemetensi* (lege *in civitate Vangionum*, ut suprà correximus) *cum filiis* Lothario & Carolo, *eo tempore, sicut diximus, curiam tenentem properavit, & lecto coram eo donationis eulogio perpetuam ab eo omnium confirmationem impetravit. Nottingus autem Vercellensis Episcopus, qui fundationis Hirsangiensis Monasterii primus author fuit, multa pro decore domûs Domini miserat, Cruces aureas & argenteas, Calices, libros & varia divini Ministerii ornamenta, qui utrùm huic Dedicationi interfuerit incertum habemus.*

XXI. LAUS LINTBERTI PRIMI ABBATIS.

Lintbertus primus Abbas Hirsaugiensis ab eodem Trithemio sic commendatur. *Natus erat parentibus non infimis secundùm seculi dignitatem ex Suevia, frater Bunonis Abbatis Hirsfeldensis, qui & ipse Monachus Sancti Bonifacii sub Abbate Bangolfo multis annis extitit. Porrò Lintbertus ab infantia devotus Deo, Monachus factus est in Cænobio Fuldensi, anno atatis sua octavo-decimo, sub prafato Abbate Bangolfo, qui Sancto Sturmoni successerat, & per incrementum atatis tam sub ipso Bangolfo quàm Egilone & Rabano successoribus, moribus sanctitatis & scientiâ eruditionis multùm profecit. Itaque Monachum induit anno Domini 796, Indictione quartâ. Ad Hirsaugiam verò missus Abbatiam suscepit anno Domini, sicut pradiximus, 838, atatis sua 60, conversionis verò quadragesimo-*

AN. CH. 838. LUDOV. IMP. 25. LOTHAR. IMP. 22. PIPPINI R. 24. LUDOV. R. 21. CAROLI R. 9.

secundo, & rexit annis 56. Erat autem vir multùm reverendus, Regibus ac Principibus notus & familiaris, qui semper ex eo quo Monasterium ingressus est, non solùm irreprehensibiliter vixit, sed quod amplioris censetur virtutis, tanta sanctitatis emicuit, ut omnibus veræ perfectionis in sua conversatione praberet exemplum. Et paulò pòst. *Rabani primùm condiscipulus & postremùm auditor, quod à bono præceptore didicerat Monachus, Abbas non neglexit. Erat sanè Regularis disciplinæ studiosissimus cultor, qui non solùm vivere secundùm normam Sanctissimi Patris nostri Benedicti subditos sibi Monachos verbo docuit, sed etiam in omnium virtutum plenitudine conversando, oves sine reprehensione præcedens, ut bonus Pastor exemplo boni operis patuit. Ejus siquidem meditatio die ac nocte in lege Domini continuata semper extitit, qui sine intermissione orans ad Dominum, verus Christi discipulus in finem permansit, famâ Sanctitatis & eruditionis ejus se per omnem circa regionem diffundente, multi viri nobiles filios suos magisterio ejus instituendos tradiderunt. Complures etiam ex his, qui clari apud homines in seculo videbantur, ultrò se illius disciplinæ propter amorem Regni cælestis subdiderunt, unde numerus Fratrum brevi auctus valdè cæpit excrescere, & substantia temporalis multorum oblatione dilatata fuit.* Tomo quinto ad annos Christi septingentesimum quadragesimum-quintum [a] & septingentesimum quinquagesimum [b] fusè disseruimus de primordiis Hersfeldensis sive Hirsfeldensis Monasterii. Catalogum Abbatum nancisci nondum potuimus. Quando Lintbertus ex Monacho Fuldensi factus est primus Abbas Hirsaugiensis, Hirsfeldensi Monasterio cum Abbatis titulo præerat ejus frater Buno, seu Brunus, *qui & ipse Monachus Sancti Bonifacii*, seu Fuldensis, *sub Abbate Baugolfo multis annis extitit.* Baugolphus Abbas Fuldense Monasterium ab anno Christi septingentesimo septuagesimo-nono ad octingentesimum secundum gubernavit, ut dictum est Tomo sexto. Quis Bunonem seu Brunum in Hirsfeldensis Monasterii regimine præcesserit, haud scimus, de Haymone successore plura dicemus cùm ad annum sequentem quo fiet Abbas Hirsfeldensis ex Fuldensi Monacho, tum ad annum Redemptoris octingentesimum quadragesimum-quartum, quo fiet Halberstadiensis Episcopus ex Abbate Hirsfeldensi.

[a] Num. 80.
[b] Num. 8.

XXII. HERTINUS EP. SPIRENSIS. FULCONINUS EP. WORMACIENSIS OBIT.

Spirensem Diœcesim administrabat Hertinus Episcopus, cùm Otgarius Moguntiacensis Archiepiscopus Hirsaugiense Monasterium ad Nagoldum amnem in eadem Diœcesi dedicavit. Lege ipsius Hertini elogium in Catalogo Spirensium Episcoporum apud Bruschium. Eundem verò redargue, quòd addit *apud Nemetes* habita fuisse à Ludovico Imperatore Comitia, Nemetum enim loco Vangiones reponendos esse jam docuimus. Ludovicus Augustus post Pascha Wormatiam sive ad civitatem Vangionum pertexit, ibique diu commoratus est, ut observatum suprà. Tunc Fulconinus seu Fulcro vel Fulco Wormatiensis Episcopus, cujus mentionem ante quinquennium [c] fecimus, ex hac vita migravit cùm sedisset annos septemdecim, si Chronologiam Wormatiensium Episcoporum benè assecuti sumus.

[c] Ad an. 833. n. 76.

XXIII. SAMUEL EX ABBATE LAURISSÆ FIT EP. WORMACIENSIS ET ABB LAURESHAMENSIS.

De successore sic Bruschius. *Samuel eligitur ex Abbate Laurissensi in Wormaciensis Ecclesiæ Antistitem anno Christianæ Redemptionis 838, imperante Ludovico Pio. Fuit sacrarum literarum & aliarum etiam honestarum disciplinarum eximiè doctus Magister. Hujus Episcopi temporibus construxit Imperator Ludovicus Pius in suburbio Wormaciensi Virginum Deo & æternæ castitati dicatum puellarum sub Regula Divi Benedicti viventium Cœnobium, quod Monialium Monasterium vulgò dici solet.* Ad hunc annum referendæ videntur origines istius Monasterii. Desideratur Abbatissarum Catalogus. Desideratur & Index Abbatum, qui Laurissæ post Samuelem præfuerunt. Habetur autem in Chronico Laureshamensi series Abbatum Laureshamensium, qui sub Carolingis Regibus floruerunt, atque in illorum Abbatum numero post Adalungum hoc anno collocatur idem Samuel, cujus obitus anno Redemptoris

AN. CH. 838. LUDOV. IMP. 25. LOTHAR. IMP. 22. PIPPINI R. 24. LUDOV. R. 22. CAROLI R. 9.

ris octingentesimo quinquagesimo-quinto post annos septemdecim regiminis consignatur. Chronographus enim Adalungo Samuelem ita sufficit. *Adalungo Abbate defuncto, Samuel à pucro ibidem educatus subrogatur.* Deinde Samuelis Præfecturam spatio septemdecim annorum sic circumscribit. *In regimine annis* XVII *expletis diem clausit extremum.* Postremò sic transit ad ejusdem Samuelis successorem. *Anno Dominica Incarnationis* DCCCLV, *Samueli successit Eigelbertus ex ipsius Congregationis corpore electus.* Corrigendus est igitur error, qui perperam in textum ejusdem Auctoris irrepsit, ubi qui *anno Dominica Incarnationis* DCCCV *post excessum Richbodonis successit Adalungus*, is obiisse dicitur *decursis in regimine annis* XIII, & annorum XIII loco restituendi sunt anni XXXIII, ab anno videlicet Christi DCCCV ad annum DCCCXXXVIII. Porrò Samuel Adalungo priùs in munus Abbatiale quàm Fulconino in Episcopale successit. Id apertissimè docet idem Chronographus. *Adalungo*, inquit, *Abbate defuncto, Samuel à puero ibidem educatus subrogatur, nec multò pòst à Wormaciensi Episcopo inthronizatur.* Episcopus enim ille Wormatiensis haud intelligi potest alius à Fulconino, qui vivere quoque desiit hoc anno, successorémque nactus est eundem Samuelem, ut dictum suprà.

XXIV. FARALDUS EP. RUTENENSIS.

A Claudio Roberto in Gallia Christiana *Faraldus* Rutenensis Episcopus *tempore Ludovici Pii Imperatoris circa ann. 838* commendatur. Multò distinctiùs à Sammarthanis, sic. *Faraldus in vetusto Originali Conchensis Monasterii die 10 Cal. Septemb. an. 25 Ludovici Imperatoris*, annus enim Ludovici Augusti vicesimus-quintus cum anno Redemptoris octingentesimo tricesimo-octavo per mensem Augustum comparatur.

XXV. SOCIETAS INITUR INTER MONACHOS REMIGIANOS ET DIONYSIANOS.

Tomo quarto Spicilegii Dacheriani publicatæ leguntur literæ, quibus Monachi Remenses Monasterii San-Remigiani societatem cum Monachis San-Dionysianis agri Parisiensis hoc anno, Ludovici Augusti vicesimo-quinto sic ineunt.

XXVI.

Cùm enim seculi amatores ad suam aliis ostendendam dilectionem multa sæpe inter se caduca, & ut illis videtur pretiosa largiantur: Spirituales viri, & à seculi actibus alicui ac nihil penitus in seculo præter victum & vestitum habentes, ut Deo magis placeant rebus spiritualibus & ad suarum salutem animarum pertinentibus vim dilectionis suæ multò magis roborare debent, ut sicut ab illis habitu & moribus discrepant, ita etiam inter se potiora & præcelsiora caritatis munera exhibeant, quoniam in Salvatoris Jesu discipulatu nemo computari poterit, quisquis hoc dilectionis munere caruerit; ipso testante qui ait: in hoc cognoscent omnes quia mei discipuli estis, si dilectionem ad invicem habueritis; monet etiam Apostolus dicens: Caritas fraternitatis maneat in vobis. Æquum siquidem visum est. Fratribus in B. Confessoris Remigii Monasterio sub Sanctissimo ac Venerabili Patre Falcone manentibus, ut cum Fratribus de præclarissimorum Sanctorum videlicet Dionysii, Rustici, & Eleutherii, cui Venerabilis Pastor Hildoinus præesse videtur, tale decretum de pacis ac dilectionis conjunctione facere, & quid unusquisque pro salute atque obitu alterius agere debeat; quod neque ab ipsis, neque à successoribus eorum nullo unquam tempore corrumpatur, sed semper firmum atque inviolabile permaneat. Igitur anno XXV *Imperii Domini ac Serenissimi Hludovici nos omnes Fratres ex Monasterio B. Remigii hoc scriptum consensu atque omnium voluntate fecimus, quod & nos omni tempore completuros pollicemur, & ut à successoribus nostris conservetur obnixè flagitamus. Primum volumus ut talis inter nos & supradictos Fratres nostros fervor caritatis, & tanta vis dilectionis maneat ac si in uno, si fieri posset, conversaremur loco. De cætero ut quando aliquis ex ipsis corporis nexibus absolutus à seculo migraverit, unusquisque nostrum infra triginta dies Psalterium pleniter compleat, ac Sacerdotes nostri Missas eidem Monasterio congruentes pro eo celebrare studeant, & tres Vigilias, id est, primo & septimo atque tricesimo die communiter pro eo & devotissimè peragamus. Si verò quidam ex eis aliquâ corporis incommoditate occupatus fuerit, mox ut nobis nunciatum fuerit, omni die*

AN. CH. 838. LUDOV. IMP. 25. LOTHAR. IMP. 22. PIPPINI R. 24. LUDOV. R. 22. CAROLI R. 9. XXVII.

quousque convalescat, aut ab hac luce discedat, unusquisque quinque Psalmos pro eo sollicitè compleat. Et ut nomina defunctorum illorum inter nomina defunctorum nostrorum inserantur, ut sicut pro nostris, ita etiam pro illis quotidie Domino sacrificium offeratur.

INCIPIUNT NOMINA MONACHORUM de Monasterio Sancti Dionysii.

HLUDOVICUS IMPERATOR.

ITEM HLUDOVICUS REX.

Hilduinus Abbas.
Item Hilduinus Abbas.
Item Hludovicus Abbas.
Guntharius Monachus.
Dodo Diaconus & Monachus.
Wisegandus Sacerdos & Monachus.
Albericus Sacerdos & Monachus.
Madalgarius Sacerdos & Monachus.
Huntgarius Diaconus & Monachus.
Otbertus Sacerdos & Monachus.
Maltrannus Subdiaconus & Monachus.
Gautbertus Diaconus & Monachus.
Agembertus Sacerdos & Monachus.
Wandricus Subdiaconus & Monachus.
Asohel Monachus.
Clinus Subdiaconus & Monachus.
Ragamfredus Monachus.
Gauslonus Diaconus & Monachus.
Gedeon Subdiaconus & Monachus.
Theodericus Subdiaconus & Monachus.
Aaron Sacerdos & Monachus.
Adalgisus Sacerdos & Monachus.
Baldela Diaconus & Monachus.
Pugnitus Sacerdos & Monachus.
Wineradus Sacerdos & Monachus.
Balduinus Subdiaconus & Monachus.
Ragimfredus Sacerdos & Monachus.
Bernardus Sacerdos & Monachus.
Ansgarius Subdiaconus & Monachus.
Helias Sacerdos & Monachus.
Job Subdiaconus & Monachus.
Eudo Diaconus & Monachus.
Leutgisus Subdiaconus & Monachus.
Emmo Sacerdos & Monachus.
Samuel Subdiaconus & Monachus.
Gautsoinus Sacerdos & Monachus.
Nordulfus Diaconus & Monachus.
Gauzbertus Monachus.
Adalbertus Subdiaconus & Monachus.
Bernico Monachus.
Guntbertus Diaconus & Monachus.
Fredebertus Sacerdos & Monachus.
Senlfus Sacerdos & Monachus.
Sigemundus Monachus.
Otmarus Sacerdos & Monachus.
Hildebaldus Monachus.
Odalharius Sacerdos & Monachus.
Magamfredus Sacerdos & Monachus.
Teudardus Diaconus & Monachus.
Sigramnus Sacerdos & Monachus.
Abraham Sacerdos & Monachus.
Gunnus Subdiaconus & Monachus.
Stuatlus Sacerdos & Monachus.
Warachius Monachus.
Hincmarus Diaconus & Monachus.
Fubradus Diaconus & Monachus.
Hildebaldus Subdiaconus & Monachus.
Adalbertus Sacerdos & Monachus.
Odelarius Diaconus & Monachus.
Ermenarius Subdiaconus & Monachus.
Hardradus Subdiaconus & Monachus.
Witramnus Diaconus & Monachus.
Ivo Subdiaconus & Monachus.
Hildulfus Diaconus & Monachus.
Berteaudus Subdiaconus & Monachus.
Guntardus Sacerdos & Monachus.
Wirpinus Subdiaconus & Monachus.
Hildebrandus Diaconus & Monachus.
Witramnus Subdiaconus & Monachus.
Adam Monachus.
Atfredus Monachus.
Godofredus Episcopus.
Ragambertus Subdiaconus & Monachus.
Bernoinus Acolytus & Monachus.
Risulfus Acolytus & Monachus.
Herricus Acolytus & Monachus.
Godolandus Sacerdos & Monachus.
Gerulfus Monachus.
Climens Subdiaconus & Monachus.
Comeanus Sacerdos & Monachus.
Angaliudus Sacerdos & Monachus.
Angalricus Acolytus & Monachus.
Helmericus Acolytus & Monachus.
Bobo Sacerdos & Monachus.
Erfredus Sacerdos & Monachus.
Waltharius Monachus.

AN. CH. 838. LUDOV. IMP. 25. LOTHAR. IMP. 22. PIPPINI R. 24. LUDOV. R. 22. CAROLI R. 9.

Altramnus Monachus.
Maurtngus Monachus.
Adraldus Acolytus & Monachus.
Bernadus Monachus.
Isidorus Acolytus & Monachus.
Fulcricus Monachus.
Soltus Monachus.
Herimannus Diaconus & Monachus.
Madalgarius Monachus.
Ottulfus Monachus.
Surgarius Monachus.
Winegaudus Subdiaconus & Monachus.
Richardus Monachus.
Ursbertus Monachus.
Herluinus Monachus.
Broniucus Monachus.
Ermentarius Monachus.
Adalwala Monachus.
Teodac Sacerdos & Monachus.
Hermenricus Subdiaconus & Monachus.
Agtingus Diaconus & Monachus.
Norbertus Monachus.
Frotgarius Subdiaconus & Monachus.
Adebrandus Monachus.
Fulcarius Monachus.
Milo Monachus.
Alvis Monachus.
Faramannus Monachus.
Anselmus Monachus.
Gerardus Monachus.
Nantarius Monachus.
Eptadus Monachus.
Avo Monachus.
Franco Monachus.
Architridiuus Sacerdos & Monachus.
Waltharius Monachus.
Madelelmus Monachus.
Maurontus Sacerdos & Monachus.
Fastulfus Sacerdos & Monachus.
Adalardus Monachus.

Quando inita est hæc Monasteriorum societas, illis insignes præerant Abbates, San-Remigiano Fulco, Hilduinus San-Dionysiano. De utroque jam locuti sumus. Hilduinus Ordinem Monasticum ante aliquot annos in Cœnobio San-Dionysiano restituit, Ludovico Augusto, ut ex ejus Diplomate liquet, ad illud opus plurimùm cooperato. Istius mutationis exemplum habes in Hincmaro, qui Canonicus primùm, deinde Monachus in illo Monasterio fuit, ut ipsemet in suis ad Nicolaum Papam literis [a] testatur, ubi breviter vitæ suæ primordia sic perstringit. *In Monasterio, ubi ab ipsis rudimentis infantiæ sub Canonico habitu educatus, indéque eductus, in Palatio Domni Hludowici Imperatoris non modico tempore mansi. Conversis autem ad Regularem vitam & habitum fratribus in Monasterio Sancti Dionysii, ubi nutritus fueram, in illud, seculum fugiens, sine spe vel appetitu Episcopatûs aut alicujus Prælationis, diutiùs degui.* In prædicto Monachorum San-Dionysianorum Catalogo recensetur *Hincmarus Diaconus & Monachus.* Lege de Monasterio San-Dionysiano quæ scripta sunt ad annum Redemptoris octingentesimum tricesimum-secundum, quo datum extat Ludovici Augusti Diploma *de Ordine Monastico in Monasterio Sancti Dionysii per Episcopos, ejus auctoritate, restituto.* Hic Imperator Sanctum Dionysium tanquam Patronum singulari semper pietate coluit. Inde factum est, ut fraternitatem Monachorum San-Dionysianorum unà cum Ludovico Bojoariæ Rege filio suo quæsierit. Talis fraternitas, cujus exempla sequentibus Tomis sæpiùs occurrent, Monachatus haud raro nuncupatur, dicitúrque de laicis, quos in participationem orationum, suffragiorum & beneficiorum admittunt Monachi. Quapropter mirum nemini debet esse, si Ludovicus Imperator ejúsque filius Ludovicus Bojoariæ Rex initio Catalogi suprà descripti nominantur. Honoris causâ propter Imperialem Regiámque Dignitatem in capite & extra ordinem ponuntur. Sequuntur tres Abbates, Hilduini duo & Ludovicus. Qui primo loco recensetur Hilduinus, is Monasterium regit San-Dionysianum. Alter Hilduinus & Ludovicus anteà Monachi San-Dionysiani præsunt aliis Cœnobiis, Hilduinus Monasterio Sancti Michaelis ad Mosam, Ludovicus Gemmeticensi. In Chronico Sancti Michaelis, quod in veteribus Analectis [b] à Joanne Mabillonio publicatum est, Smaragdo Abbati, quem anno Redemptoris octingentesimo vicesimo-quarto superstitem laudavimus, proximè succedit *Hildoinus* sive XXVIII.

[a] Ep. 26.

[b] Tom 2.

AN. CH. 838. LUDOV. IMP. 25. LOTHAR. IMP. 22. PIPPINI R. 24. LUDOV. R. 22. CAROLI R. 9.

Hilduinus Abbas. Major est difficultas super Abbate Ludovico, serius enim rejicitur qui celebratur in Abbatum Gemmeticensium Nomenclatura Ludovicus. At nævis non caret iste Catalogus, ut dicemus infrà, cùm ad Nortmannorum irruptiones in Neustriam pervenerimus.

In Monachorum San-Remigianorum ac San-Dionysianorum societate proximè descripta Monachis San-Dionysianis accensetur *Godofredus Episcopus*, de quo sic Joannes [a] Mabillonius in Elogio Historico [b] Sancti Fulradi Abbatis San-Dionysiani. *Godofredus Episcopus, is scilicet, qui ex Privilegio Stephani & Hadriani Pontificum Monasteria & Ecclesias Abbatia subjectas procurare debebat; aut certè Episcopus certa Sedis ex Collegio Dionysiano adsumptus.* Privilegia, quorum authores Stephanus Tertius & Hadrianus Primus Romani Pontifices perbibentur, explosimus Tomis quinto [c] & sexto [d]. Quamvis autem Godofredum Episcopum San-Dionysianum haud agnoscamus,
XXIX. nihil obest, quominùs locum inter Monachos San-Dionysianos obtineat, sive ex Monacho San-Dionysiano factus sit Episcopus, sive ex Episcopo factus sit Monachus San-Dionysianus. Utriusque generis exempla non desunt. Hincmarus, qui *Diaconus & Monachus* dicitur in Catalogo Monachorum San-Dionysianorum suprà recitato, post aliquot annos Archiepiscopus Remensis ordinabitur. Tomo quarto [e] egimus de Turnoaldo Episcopo Parisiensi, qui dimisso Episcopatu Monachum induit in Monasterio San-Dionysiano. Godofredum existimamus ex Episcopo factum Monachum, nec alium in prædicto Catalogo locum ei tributum, quàm qui competebat à tempore suscepti Monachatûs.

XXX. In Abbatum serie, qui temporibus Ludovici Pii Remis Monasterium Sancti Remigii gubernarunt, Guilelmus Marlotus [f] Vulfarium & Ebonem Archiepiscopos Remenses, Deidonum, alterum Ebonem superioris nepotem, tum Fulconem collocat, & annos septem ac viginti, quibus Ludovicus Imperiale Nomen gessit, inter illos Abbates ita partitur, ut multa circa successionem Abbatum ipsámque Chronologiam occurrant corrigenda.

XXXI. ABBATES MON. REMIGIANI REMIS.

Vulfarius Remensis Archiepiscopus & Abbas San-Remigianus obiit anno Redemptoris octingentesimo decimo-sexto. Successit in utramque Dignitatem Ebo, de cujus proximo successore sic Marlotus. *Ebone in Palatio Regis frequentiùs agente vel exautorato circa annum 834, alius Abbas suffectus legitur Deidonus nomine ex Concilio Senonensi sub Aldrico, qui cum aliis Abbatibus in ditione Lotharii Imperatoris constitutis subscripsit Privilegio S. Remigii Senonensis hoc pacto, Deidonus ex Remensi Cænobio Abbas, vide Spicilegii tom. 2.* In hoc textu plures sunt nævi. Concilium Senonense, cui Deidonus Abbas subscripsit, post exauctorationem Ludovici Augusti celebratum est anno Redemptoris octingentesimo tricesimo-tertio. In observationibus ad illam Synodum probavimus Deidonum Abbatem fuisse non *ex Remensi Cænobio* sed ex Reomensi seu Reomaensi Cœnobio quod situm est in Episcopatu Lingonensi. Delendus igitur apud Marlotum Deidonus, & Eboni proximè subrogandus est alter Ebo superioris nepos. At hujus Ebonis subrogatio rejici non potest in annum Redemptoris octingentesimum tricesimum-tertium; Ebo enim Remensis Archiepiscopus, cùm in fide & obedientia Ludovici Augusti constantissimè persisteret, Abbatiale munus abdicavit, illúdque in Juniorem Ebonem priùs transmisit, quàm civiles in Francia tumultus contra Ludovicum Imperatorem ab ejus filiis excitarentur. Eodem verò tempore, quo Ebo Remensis Archiepiscopus in exilium deportatus est, expulsus est etiam Remis alter Ebo San-Remigianus Abbas, & Fulco ut Chorepiscopus Remensis sic & Abbas factus est San-Remigianus. Unde Marlotum denuò redarguas, quòd scripserit Juniorem Ebonem Monasterio San-Remigiano cum Abbatis titulo præfuisse, donec assumptus est ad Episcopatum Gratianopolitanum. *Eo*, inquit, *ad Gratia-*

[a] Tom. 2. sec. 3. Benedict.
[b] Num. 16.
[c] Ad an. 768. nn. 36. & seqq.
[d] Ad an. 786. nn. 11. & seqq.
[e] Ad an. 709. n. 5.
[f] Lib. 3. Hist. Remens. c. 4.

AN. CH. 838. LUDOV. IMP. 25. LOTHAR. IMP. 22. PIPPINI R. 24. LUDOV. R. 22. CAROLI R. 9.

nopolitanum Episcopatum assumpto, ut Remensis Ecclesiæ, sic & Monasterii administratio ab Imperatore Fulconi data est. Quæ dicentur inferiùs, palàm ostendent hunc Ebonem Episcopalibus Infulis haud redimitum fuisse, priusquàm Lotharius Augustus Gratianopoli potiretur, regno Francorum in tres partes pro totidem fratribus, Ludovici Pii filiis, diviso. Fulco, quando Ludovicus Imperator ex hac vita discessit, San-Remigianus Abbas adhuc erat, ut enim Chorepiscopus Ecclesiam Remensem, sic & Abbas Monasterium Sancti Remigii *per annos novem* gubernavit, idque Marlotus non diffitetur urgente Hincmaro, cujus secundam scedulam Synodo Suessionensi porrectam consule si lubet. Initium autem cùm sui Chorepiscopatûs, tum Abbatialis suæ Præfecturæ Fulco repetebat ab anno Redemptoris octingentesimo tricesimo-quarto, quo Ludovicus pristinam auctoritatem recuperavit, & utrique Eboni perduellionis reo pœnas inflixit.

Ad hunc annum Meyerus in Annalibus Flandriæ, Miræus in Originibus Canonicorum Regularium [a] Ordinis Sancti Augustini, Buzelinus in Annalibus [b] Gallo-Flandriæ referunt initia Cisoniensis * Monasterii, quod eis Onium amnem, unde illi nomen inditum videtur, in Diœcesi Tornacensi pro Canonicis, *tertio lapide ab Insulis*, erexit Everardus sive Eurardus Comes insignis, de quo sæpè locuturi sumus. XXXII.

CISONIUM MON CONDITUR.

Hermannus à Canisio publicatus de Abbatibus San-Gallensibus & Augientibus ad hunc annum sic scribit. *Apud Sanctum Gallum Gozberto Abbati Pertiwicus successit. Augia Erlebaldo Abbate cedente Rudhelm Abbas* XI *præfuit annis 4.* De Pertiwico seu Bernwico Abbate San-Gallensi jam locuti sumus anno priore, quo cœpit Abbas esse Gotzperto sive Gozberto sponte munus abdicante, *cùm jam ætatis gravitatem corporísque infirmitatem non sufficere crederet ad instantium necessitatem negotiorum*, ut Ratpertus scribit [c]. Gotzbertus igitur, postquàm administrationem Monasterii dimisit, uno duntaxat anno superstes vixit, obiítque hoc anno Redemptoris octingentesimo duodequadragesimo, Ludovici Augusti vicesimo-quinto, quo tunc ei mortuo datum successorem Pertiwicum seu Bernwicum existimavit Hermannus. Quod attinet ad Abbates Augienses, Erlebaldus illius loci decimus Abbas factus est anno Redemptoris octingentesimo vicesimo-tertio, Monasterium rexit annis quindecim, factâque hoc anno abdicatione privatam deinceps vitam ad annum usque Redemptoris octingentesimum quadragesimum-septimum duxit, Ruddhelmo & Walachfrido interim successivè Abbatibus. XXXIII.

ABBATES S. GALLI, ET AUGIÆ.

In brevi Chronico San-Gallensi [d], quod in anno Christi nongentesimo vicesimo-sexto desinit, hæc habentur. DCCCXXXVIII. *Puoto Diaconus de Palatio lapsus est in Judaismum inter octavam & nonam horam in Vigilia Ascensionis Domini.* Hoc anno, qui præditus fuit literâ Dominicali F, Pascha celebratum est postridie Idus Aprilis, & Festum Ascensionis Dominicæ decimo Kalendas Junii. Ad hunc eundem annum, Redemptoris octingentesimum duodequadragesimum, Ludovici Augusti vicesimum-quintum, Hermannus Pistorianus ita scribit. *838. 25. Puto Diaconus Palatii in Judaismum lapsus est.* Item Hermannus Urstisianus, sic. *Voto Diaconus Palatii in Judaismum lapsus.* Annalista Bertinianus hunc Diaconum Bodonem vocat, & illius apostasiam in annum sequentem rejicit. At hic Auctor, ut jam notavimus, in enarrandis rebus, quæ pertinent ad postremos annos Imperii Ludoviciani, circa Chronologiam non semel peccat. Hæc nos ratio potissimùm movet, ut Diaconi prædicti lapsum hoc anno memoremus eo quo reperitur modo descriptus ab eodem Annalista. *Bodo Diaconus, Alemanicâ gente progenitus, & ab ipsis penè cunabulis in Christiana Religione Palatinis eruditionibus, divinis humanísque literis aliquatenus imbutus, qui anno præcedente Romam orationis gratiâ properandi licentiam ab Augustis poposcerat, multísque donariis muneratus impetraverat, humani generis hoste pellectus, relictâ* XXXIV.

BODO DIACONUS LABITUR IN JUDAÏSMUM.

[a] Cap. 21.
[b] Lib. 3.
* *Cisoing.*
[c] Cap. 7.
[d] Tom. 3. Collect. Hist. Franc.

AN. CH. 838.
LUDOV. IMP. 25.
LOTHAR. IMP. 22.
PIPPINI R. 24.
LUDOV. R. 22.
CAROLI R. 9.

Christianitate ad Judaismum sese convertit, & primùm quidem consilio proditionis àtque perditionis sua cum Judæis inito, quos secum adduxerat paganis vendendos callidè machinari non timuit. Quibus distractis, uno tantummodo secum, qui nepos ejus ferebatur, retento, abnegatâ (quod lacrymabiliter dicimus) Christi fide, sese Judæum professus est. Sicque circumcisus, capillisque ac barbâ crescentibus, & mutato potiusque usurpato Eleazari nomine, accinctus etiam cingulo militari, cujusdam Judæi filiam sibi matrimonio copulavit, coacto memorato nepote suo similiter ad Judaismum translato. Tandémque cum Judæis miserrimâ cupiditate devinctus, Cæsaraugustam urbem Hispaniæ mediante Augusto mense ingressus est. Quod quantùm Augustis cunctisque Christianæ fidei gratiâ redemptis luctuosum extiterit, difficultas, quâ Imperatori id facilè credendum persuaderi non potuit, patenter omnibus indicavit. In hoc textu, nomine Augustorum, Ludovicum Augustum & Juditham Augustam intellige, Lotharius enim, cui nomen etiam Imperatotis & Augusti tribuebarur, toto anno priore procul abfuit à patris comitatu, nec Diaconus, de quo loquimur, utrumque simul Imperatorem convenire potuit. In eodem textu paganos interpretare Saracenos, & in hujus interpretationis confirmationem lege, quem Stephanus Baluzius in Notis ad epistolam sextam Lupi Ferrariensis Abbatis in Rabani libro contra Judæos textum sic allegavit. *Quantùm autem eorum*, nempe Judæorum, *nefanda societas & venenatum colloquium proficiat ad impietatem, dum sermo eorum, dicit Apostolus, sicut cancer serpit, in uno ab eis miserabiliter & horribiliter decepto omnibus considerare licet. Quod enim nunquam antea gestum meminimus, seductus est ab eis Diaconus Palatinus, nobiliter natus, nobiliter nutritus, & in Ecclesia officiis exercitatus, & apud Principem bene habitus, ita ut eorum diabolicis persuasionibus abstractus & illectus desereret Palatium, desereret patriam & parentes, desereret penitus Christianorum Regnum, & nunc apud Hispaniam inter Saracenos Judæis sociatus, persuasus sit ab impiis Christum Dei filium negare, Baptismi gratiam profanare, circumcisionem carnalem accipere, nomen sibi mutare, ut qui antea Bodo, nunc Eliezer appelletur, ita ut & superstitione & habitu totus Judæus effectus, quotidie in Synagogis Satanæ barbatus & conjugatus cum ceteris blasphemet Christum & Ecclesiam ejus.* Francis autem Saraceni per illud tempus erant contermini, non tantùm in Hispania ut sæpiùs observavimus, sed etiam in Italia ubi crebris irruptionibus ab aliquot annis ditiones cùm Imperatoris Constantinopolitani tum Romani Pontificis lacessebant. Annus agebatur Hegiræ ducentesimus vicesimus-tertius, Abdirrhamani Cordubensis Caliphæ decimus-septimus, ut ex Georgii Elmacini [a] & Roderici Toletani [b] computis simul collatis liquet. Bodo nefarius apostata, postquàm in amicitia fuit Caliphæ suprà memorati, Christianis in Hispania degentibus infensissimum se præbuit, ut dicemus infrà.

[a] Lib. 2. Hist. Saracen. c. 123.
[b] In Hist. Arab. cc. 24. 25.

XXXV. Fredericus Episcopus Ultrajectensis, cujus mentionem sæpè fecimus, hoc anno Martyrium subiit decimo-quinto Kalendas Augustas, & ad illum diem à Joanne Molano in Natalibus Sanctorum Belgii sic laudatus invenitur. *Trajecti* *, *Natalis S. Frederici, ejusdem loci Episcopi & Martyris, qui innocens à nocentibus pro veritate occisus est ante Sanctum Altare Dei. Hic natione Friso multùm laboravit in Walachria contra illicita connubia, & in Frisia contra Arianam perfidiam. Ludovicum Imperatorem voluit condignam agere pœnitentiam de eo quòd Judith Ducis Bavariæ filiam, suæ Majestatis carnalem consanguineam, contra Decreta Canonum & Pontificum haberet uxorem, sine licentia Summi Pontificis & aliorum Præsulum judicio. Cùmque excommunicationis gladium minaretur, Judith eùm precibus & promissis frustrà flectere tentavit. Quare duos subornavit, qui sanctissimum Frisonicæ gentis Episcopum, post Missæ celebrationem, pro veritate occiderunt. Quod factum est anno octingentesimo trigesimo-octavo. Quidam Lud. & Judith causam defendunt. Vide Regin. & Ammoynum. Quiescit ad Sanctum Salvatorem, in crypta habens monumentum, ubi*

* Utrech.

FREDERICUS EP. ULTRAJECTINUS MARTYR.

AN. CH. 839. LUDOV. IMP. 25. LOTHAR. IMP. 22. PIPPINI R. 24. LUDOV. R. 22. CAROLI R. 8.

invocatus medicum se & medicinam exhibet. Hujus Sancti intuitu multa Ecclesia Trajectensi Gerowaldus contulit anno 828 in villa Embrici. Umbrachus quoque nobilis contulit anno 834 quicquid possedit in Oesterbach & in Praest, & quicquid sub Lege Francorum in ejus erat dominio. Passionem autem edidit Surius die decimo-octavo Julii, ex Trajectensis Ecclesia Codice.

Hujus textûs quatuor sunt partes. Prima Donationes recenset quorumdam nobilium virorum, qui munificos se præbuerunt erga Ecclesiam Ultrajectensem Frederico tunc Pontifice. Secunda res ab eodem Episcopo in Walacria Insula & in Frisia gestas commemorat. Tertia nonnullos enumerat Auctores, qui super ejusdem Antistitis vita Martyrióque consuli possunt. Quarta causam genúsque Martyrii complectitur. De singulis, ut à nobis hic proponuntur, per ordinem disseremus.

Molanus duas commendat Donationes, unam Gerowaldi, alteram Um-
bracbi. Utramque recitavimus ex Wilhelmo Heda, unam ad annum Re- XXXVI.
demptoris octingentesimum duodetricesimum, alteram ad annum Redem- XXXVII.
ptoris octingentesimum tricesimum-tertium. De Chronologia cum Molano convenimus, quantùm ad priorem Donationem, nequaquam verò quantùm ad posteriorem, quam septimo Kalendas Januarias, Indictione duodecimâ & anno Ludovici Augusti vicesimo-primo jam inchoatis, anno consignavimus Incarnationis Dominicæ octingentesimo tricesimo-tertio secundùm nostros calculos adhuc currente, quia principium anni non à die Natali Domini sed ab ipsis Kalendis Januarii ducimus. Locum, quo Characteres Chronologicos prædictæ Donationis examinavimus, adi si lubet.

Molanus Fredericum laudat ob res præclarè gestas *in Walachria & in* XXXVIII.
Frisia sive in Walacria Insula & in aliis Frisiæ locis, Walacria enim pars erat Frisiæ citerioris seu Gallicanæ cis Rhenum sitæ, ut non semel annotavimus. Qualem autem Fredericus utrobique se præbuerit, seu Walacrienses ob incesta connubia redargueret, seu Staverenses aliósque malè de Sancta Trinitate sentientes ab hæresi revocare conaretur, ad annos Redemptoris octingentesimum vicesimum-octavum & octingentesimum tricesimum exposuimus.

Molanus Lectorem ad Reginonem, ad Ammoynum, & ad Surium re- XXXIX.
mittit. De singulis his Auctoribus breves & ad propositum nostrum spectantes observationes accipe.

Apud Reginonem *anno Dominicæ Incarnationis* DCCCXXXVIII, *dejectio* XL.
Ludovici Augusti *pro maxima parte facta* perhibetur *propter multimodam fornicationem Judith uxoris ejus.* At exauctoratio longè ante annum Redemptoris octingentesimum duodequadragesimum contigit. Et Juditha, quam privigni per vim eduxerunt è Basilica Laudunensi, reámque dixerunt adulterii per insignem calumniam, atque per summum nefas in Pictavense Monasterium Sanctæ Radegundis anno Redemptoris octingentesimo tricesimo retruserunt, anno Redemptoris octingentesimo tricesimo-primo *purificavit se secundùm judicium Francorum de omnibus quibus accusata fuerat.* Lege quæ fusiùs ad illos annos dicta sunt investigandæ veritatis ergò.

Apud Ammoynum, sive apud Aimoinum, vel potiùs apud Aimoini XLI.
Continuatorem, quæcumque anno Redemptoris octingentesimo tricesimo nefariè contra Juditham à privignis acta sunt, narrantur capite duodecimo libri quinti, quod totum ex vita Ludovici Pii per Astronomum edita transcriptum fuit, résque gestas à tempore quo primum de seditione nuntium audiri cœpit, cùm Ludovicus Imperator per Quadragesimam *loca mari circumjacentia peragraret* currente tunc anno Redemptoris octingentesimo tricesimo ad Paschalem usque Solemnitatem subsequentis anni complectitur. Porrò cùm genuinum Astronomi textum ad illos annos protulerimus, supervacaneum ducimus hic plura dicere de Aimoini Continuatore.

AN. CH. 838. LUDOV. IMP. 25. LOTHAR. IMP. 22. PIPPINI R. 24. LUDOV. R. 22. CAROLI R. 9.

Apud Surium decimo-quinto Kalendas Augusti leguntur Acta Sancti Friderici Episcopi Ultrajectensis ac Martyris ex Codice Ultrajectensis Ecclesiæ manuscripto sed mutato stylo publicata, capitibúsque distincta viginti-quinque. Multæ res cùm Auctorem istius operis, tum interpolatorem, Sancto Friderico longè recentiorem ostendunt. Capitibus, quarto, nono, decimo, undecimo, decimo-tertio, decimo-sexto, decimo-septimo, decimo-octavo, decimo-nono, vicesimo, ac vicesimo-secundo, multa reperiuntur, quæ veteribus Annalistis repugnant in causâ cùm Judith hæc quæ falsò fuit à privignis accusata, tum privignorum quotum rebellio posteris adeò displicuit, ut à Chronographo, eujus opus in anno Christi nongentesimo vicesimo-sexto desinit, *Francorum dedecus* appellari meruerit ad annum Redemptoris octingentesimum tricesimum-tertium, quo patrem suum impiè nefariéque exauctorarunt. Auctor ætatem suam non obscurè prodit capite vicesimo-tertio. *Sunt*, inquit, *permulti etiamnum superstites utriusque sexûs homines, qui testentur temporibus Baldrici pii Antistitis id contigisse, quod jam relaturi sumus.* Baldricus autem Ultrajectensis Episcopus, teste Wilhelmo Hedâ, *obiit plenus dierum & bonorum operum quintâ Augusti anno* DCCCCLXXVI. Acta igitur Frederici relata sunt in literas ab Auctore, qui vixit undecimo seculo, & ab ipsius Frederici Passione remotus fuit annis penè ducentis. Interpolator ætatem quoque suam non obscurè prodit capite sexto, quo *Rex per nomen Christi adjurato* Friderico *pedum* tradit, *& coram se Episcopum eum ordinari* præcipit. Hæc enim tempus sapiunt, quo Reges sive Imperatores Germaniæ per pedum & annulum paulò ante ortam de eâ re litem investituras Episcoparuum concedebant. Joannes de Beka Canonicus Ultrajectinus Acta Frederici, quæ mutato pòst stylo vulgata sunt à Surio, præ manibus habere potuit, & ex genuina interpolatione hæc de ordinatione ejusdem Frederici mutuatus videtur. *Obeunte Rixfrido Pontifice Ludovicus Imperator mandavit Ecclesiæ Trajectensi, quatenus dilectus sibi Fredericus eligeretur in Episcopum, cui mox per Pastoralem baculum seu annulum investituram Episcopatûs dedit, ac eundem licèt invitum in præsentia sua consecrari jussit.*

XLII. EXAMINANTUR EJUS ACTA, REFELLUNTURQUE.

XLIII. Molanus Ludovicum Imperatorem & Juditham Augustam authores facit necis illatæ Frederico, idque accepit ex illius Actis, quæ laudat à Surio publicata *die decimo-octavo Julii.* Repertos tamen esse, qui causam Ludovici & Judithæ tuerentur, ingenuè fatetur hac additione. *Quidam Lud. & Judith. causam defendunt.* Ludovicum & Juditham reos etiam in suis asseruerunt narrationibus Joannes de Beka & Wilhelmus Heda, sed in hujus margine Bernardus Furmerius hanc posuit notatiunculam. *Hac narratio reformanda ad Annales Francorum.* Huic reformationi nobis diligenter incumbendum.

XLIV. In Actis Sancti Frederici, caput quartum sic inchoatur. *Interim Ludovicus Rex, Caroli Magni filius in quandam Rheno propinquam urbem pervenit cum Judith conjuge sua consecranda, quam, ne ab Episcopis anathemate feriretur, in Galliis apud se retinere non audebat. Is Ricfridi obitu comperto, per Legatos suos mandavit Trajectensis Ecclesiæ senioribus, ut Fridericum sibi Episcopum deligerent, & electum cum summo honore ad ipsius Palatium adducerent; nescientes jam omnes Trajectenses id ante decrevisse, quod & ipse & Primates ejus percuperent.* Rixfridus Ultrajectensis Episcopus in vivis superstes erat anno Redemptoris octingentesimo vicesimo-quarto. Fredericus ejus successor jam sedebat septimo Idus Februarias, anno Redemptoris octingentesimo duodetricesimo. Utrumque suprà probatum. Ex annis intermediis elegimus octingentesimum vicesimum-sextum, quo Rixfridi mortem subrogationémque Frederici consignaremus, consulto priùs Annalistâ Laureshamensi, qui singula loca, in quibus Imperator illo trienniô moratus est, accuratissimè distinxit. Apud coætaneum hunc auctorem Ludovicus Augustus prope

AN. CH. 838.
LUDOV. IMP. 25.
LOTHAR. IMP. 22.
PIPPINI R. 24.
LUDOV. R. 22.
CAROLI R. 9.
XLV.

prope Rhenum anno Redemptoris nec octingentesimo vicesimo-quinto, nec octingentesimo vicesimo-septimo, mense degit Octobri, sed octingentesimo vicesimo-sexto, quo generalem populi sui Conventum apud Ingelheim *medio Octobri* celebravit. Quamvis autem fateamur Ludovicum & Juditham ad Rhenum consedisse, quando Rixfridus ex hac vita discessit, negamus tamen itineris ab eis suscepti causam fuisse, quòd Ludovicus Juditham, *ne ab Episcopis anathemate feriretur, in Galliis apud se retinere non audebat.* Ingelheimiensi Conventu peracto, Ludovicus *Aquasgrani, ubi hyemare constituerat, profectus est.* Et *anno* DCCCXXVII, *duobus* in Gallia *Conventibus habitis, uno apud Noviomagum, altero apud Compendium, inter Compendium & Carisiacum ceteráque iis vicina Palatia usque ad hyberni temporis initium conversatus est*, ut idem Annalista Lauteshamensis testatur.

In Actis, de quibus inquirimus, capite septimo, Fredericus ordinatur Episcopus. Capite octavo, adjuratur ab Imperatore Ludovico, ut pravos Walacriensium mores corripiat, & nullam personarum habeat acceptionem, *si quis, sive nobilis, sive ignobilis, sive dominus, sive servus, dives vel inops*, incesto se connubio contaminarit. Capite nono, *ad Imperatorem se inclinans ait. Dic mihi, oro, Domine Imperator, si sit edendus piscis, à capitene, an à pedibus incipiendum est? si fabrica construenda, à parietibusne, an verò à fundamento inchoandum? Imperator facilè advertens, quorsùm ista spectarent, non sine admiratione respondit. Piscis pro meo judicio rectiùs à capite primùm editur, atque inde ad caudam usque proceditur. Fundamentum quoque prius collocandum est, deinde parietes extruendi, alioqui sine dubio collapsuri. Rectè, inquit vir Sanctus, mi Domine, locutus es. Et ecce Dominus te voluit esse caput & fundamentum Ecclesiæ suæ, ut bonum omnibus de te exemplum præbeas. Itaque à capite mihi sumendum est initium, ut ab illo exclusis vitiis, & fundamento probè collocato, per corpus ad caudam, Deo me adjuvante, pro viribus pertingam, & parietes in sublime promoveam. Tu ergo, mi Domine, stare te existimas, sed quamvis gravem jam ruinam feceris, vide tamen ne graviùs cadas. Habes conjugis loco Juditham tibi sanguine propinquam, Guelphi Bavarorum Ducis filiam, quam si non repudiaveris, & dignam Deo egeris pœnitentiam, jam antè prædico tibi imminere Regno tuo immane excidium, completúmque iri in te sermonem illum Salvatoris. Surget gens contra gentem, & Regnum adversùs Regnum. Tradet autem frater fratrem in mortem, & pater filium, & insurgent filii in parentes, & morte eos afficient. Quæ quidem si in tua tempora non inciderint, poteris securus uti & frui isthac fœminâ. Sin autem inciderint, non poteris habere ambiguum, non fuisse gratas Deo nuptias istas. Scriptum est enim. Omnis homo ad proximam sanguinis sui non accedat, ut revelet turpitudinem ejus.* &c. Capite decimo, Imperatorem iterum sic compellat. *Nos quidem, Domine Imperator, secundùm Apostolum Deum timere debemus ejúsque servare mandata; te autem honorificare, & in rebus bonis consentire tibi; mala autem non modò non approbare, sed etiam corrigere, dicente Scripturâ. Si non fueris locutus, ut custodiat se impius à via sua, ipse impius in iniquitate sua morietur, sanguinem verò ejus de manu tua requiram. Nos igitur si tibi peccatum tuum non indicaremus, neque id reprehenderemus, tu ab illo te non revocares, nec conniteretis redire ad vitam, nósque unà tecum propter silentium nostrum æternis ignibus addiceremur. Quamobrem nobis ex officio incumbit, spiritalibus consiliis sanare peccato laborantem.* Capite undecimo, Imperator coram Episcopis illachrymans suam agnoscit culpam. *Peccavi*, inquit, *& deflexi à recto itinere, agnosco erratum meum, vestróque me judicio submittens, libenter quod à me perperam gestum est corrigam.* Respondet Fridericus. *Id si tu ex animo feceris, cum Domino redibis in gratiam, qui, ut tu ipse dixisti, misericors est, & semper paratus misereri, erísque tibi pater, & tu illi filius, si tamen ab illo retrò non recesseris. Noli ædificare domum tuam super arenam, sed potiùs super petram, ne irruente imbre, & ventis flantibus, & flumine inundante cadat, & fiat ingens ruina illius. Nos verò non cessabimus orare pro te &*

AN. CH. 838. *postulare, ut implearis cognitione voluntatis Dei, & ambules dignè coram illo, per omnia placens ei. Tu autem tenta teipsum, & proba num sis in fide. Reddet procul dubio justus Judex in illo tremendi judicii die unicuique juxta opera sua. His tandem confectis, cum ceteris Pontificibus Imperator beatum virum* vocat *ad prandium, ac deinde cum summo honore à se Trajectum* dimittit.

LUDOV. IMP. 25. LOTHAR. IMP. 22. PIPPINI R. 24. LUDOV. R. 22. CAROLI R. 9.

Vera credimus, quæ capitibus septimo & octavo memorantur. Fredericus in Episcopatum Rixfrido successit, statimque adjuratus est ab Imperatore ut Walacriam adiret, corriperetque incolas illius Insulæ, qui *passim sibi matrimonio* jungebant *neptes suas, aut etiam, quod est deterius, sorores, vel ipsas quoque matres suas.* Cetera, quæ capitibus, nono, decimo & undecimo, contra Ludovicum & Juditham proferuntur, fabulis accensemus.

XLVI. Ludovicus Augustus Irmingardem uxorem amisit anno Redemptoris octingentesimo duodevicesimo, annóque postero Judithani duxit. Utrumque constat ex Annalista Laureshamensi. Posterioris connubii meminerunt, Theganus, Astronomus, Nithardus, & Annalistæ, Laureshamensis, Bertinianus, Metensis ac Fuldensis. Tot inter Auctores nullus invenitur, qui Juditham Ludovici propinquam aut consanguineam dicat. Theganus [a] sic habet. *Dominus Imperator accepit filiam Welfi Ducis, qui erat de nobilissima stirpe Bavarorum, & nomen virginis Judith, quæ erat ex parte matris nobilissimi generis Saxonici, cámque Reginam constituit. Erat enim pulchra valdè.* Astronomus, sic. *Imperator monitu suorum uxoriam copulam meditabatur inire. Timebatur enim à multis, ne Regni gubernacula vellet relinquere, sed compellebatur. Tandémque eorum voluntati satisfaciens, & undequaque adductas Procerum filias inspiciens, Judith filiam Welfonis nobilissimi Comitis in matrimonium junxit.* Nithardus, sic. *Lodhuwicus Imperator Judith in matrimonium sumpsit.* Annalistæ Laureshamensis, Bertinianus ac Metensis, sic. *Imperator, inspectis plerisque nobilium filiabus, Welpi Comitis filiam, nomine Judith, duxit uxorem.* Et Fuldensis, *Imperator, inspectis plerisque nobilium filiabus, Judith filiam Huelpi Comitis duxit uxorem.* In dissidiis domesticis, Ludovico à filiis, à privignis Judithæ nihil de nuptiis incestis objectum est. Lege suprà quæ scripta sunt ad annum Redemptoris octingentesimum tricesimum, quo Ludovicus totam æstatem Imperator nomine tenus transegit, & Juditha in Pictavense Monasterium Sanctæ Radegundis retrusa fuit; necnon ad annum Redemptoris octingentesimum tricesimum-tertium, quo Ludovicum penitus exauctoratum & Juditham extra Gallias trans Alpes ablegatam vidimus. Lege etiam quæ scripta sunt à fautoribus Lotharianarum partium in gratiam Ebbonis Archiepiscopi Remensis, Agobardi Lugdunensis Metropolitæ, Jessæi Ambianensis Episcopi, & Walæ Corbeiensis Abbatis, quos præ ceteris acerrimos hostes experti sunt Ludovicus & Juditha. Lege & libros, quibus ipsemet Agobardus causam suam, quacumque potest industriâ, defendit; simúlque revolve Acta, quibus impia & nefanda Ludovici Imperatoris exauctorario describitur. Ludovicum passim reperies per calumniam dici perturbatorem pacis, violatorem sacramentorum, in dividendo inter filios Regno iniquum & inconstantem, officii sui ac votorum immemorem, in administratione Regni desidem, de utilitate publica nusquam sollicitum, antiquarum consuetudinum & Religionis Christianæ contemptorem; reperies & Juditham adulterii per insignem quoque calumniam insimulari. Sed in tanta librorum scriptorúmque varietate nullum prorsus invenies verbum de nuptiis incestis inter Ludovicum & Juditham. Illis temporibus super Welphorum origine nondum prodierant fabulæ, quas moderni commentorum sectatores in vulgus tanto studio sparserunt sparguntque; nondum Ludovicus Pius & Welphus Comes censebantur consobrini; nondum Hildegardis Regina, quæ Ludovici Pii mater extitit, audiebatur sororem habuisse Irmengardem, quæ Welphum peperisset patrem Judithæ futurum. Multò serius excogitata sunt

[a] Cap. 26.

hæc figmenta. Quæcumque igitur tali nixa fundamento in Actis Sancti Frederici corruptis atque interpolatis hodie deprehenduntur, è capitibus suprà recensitis expungi debent, tanquam insititia & ab interpolatore conficta. AN. CH. 838. LUDOV.

Capite duodecimo narrantur res à Frederico gestæ Ultrajecti & in Walacria. Capite decimo-quarto Ultrajectum adit Odulphus Presbyter. Capite decimo-quinto, & initio decimi-sexti, Fredericus Episcopus & Odulphus Sacerdos navant operam conversioni quorumdam Frisonum, qui malè de Sancta Trinitate sentiunt. Hæc rerum series optimè connectitur. Ideóque spurium atque insititium videtur caput decimum-tertium, quod duas in partes commodè dividi potest. IMP. 25. LOTHAR. IMP. 22. PIPPINI R. 24. LUDOV. R. 22. CAROLI R. 9.

Prior hæc est. *Imperator autem, ubi didicit omnia prosperè cessisse beato viro* Frederico, *nihilque in ea Insula*, nempe in Walacria, *diabolici erroris resedisse, non ausus fuit diutiùs apud suam Juditham illic*, in Palatio videlicet ad XLVII. Rhenum, *hærere, sed in Gallias proficiscens salutavit eam, & dixit. Hunc nobis* XLVIII. *in nostro negotio adversantem Episcopum, si potes aut ullis flectere precibus, aut muneribus excæcare, ne id, quæso, intermittas. Sin minùs id potes, minis eum expugnare contende. Fecit illa, ut erat jussa, & modò precibus eum pulsans per epistolas, modò innumeras offerens divitias, sanctum virum, qui in nullis speravit pecuniæ thesauris, eò conabatur inflectere, ut suâ auctoritate ipsis faceret potestatem in damnato conjugio permanendi. Sed cùm ille sæpè recusaret, ídque sine Pontificis Maximi & aliorum Præsulum judicio fieri non posse assereret, Imperatrix bile percita, amoréque insano obcæcata, etiam injussa secuta est Imperatorem, multísque nominibus Deo charum Pontificem accusavit, jam animo pertractans, quâ eum posset ratione quandoque tollere è medio.*

Vult Interpolator Ludovicum & Juditham extra Gallias in urbe quadam dexteræ ripæ Rheni propinqua, ubi Fredericus Ultrajectensis Episcopus est ordinatus, simul permansisse à die istius ordinationis ad ejusdem usque Frederici reditum è Walacria. Sanè ex quo Fredericus consecratus est Episcopus, donec è Walacria post insulanorum correptionem redierit, diuturnum effluxisse tempus apertissimè docet Auctor Actorum capite duodecimo, sic enim illud orditur. *Mansit in eodem Castello* Ultrajectensi *diu satis, populum docens, ita ut quicquid illic vetusti erroris relictum erat, divinis eloquiis extirparit. Non efferebatur animus ejus Pontificiâ dignitate, sed convenienter Scriptura Divina, quantò erat major, tantò se magis humiliabat in omnibus. In præstandis eleemosynis æquè, ut anteà, fuit largus, ad suscipiendos peregrinos semper paratus, capitivis & compeditis liberandis deditissimus. Visitabat infirmos, nudos vestiebat, cunctis se affabilem & amabilem exhibebat, vigiliis & orationibus delectabatur, cum Propheta septies in die laudem Domino dicebat. Semper uno & eodem erat animo, odii & iræ planè expers, pacis verò & concordiæ studiosus, morum integritate nulli secundus. Quicquid in muris Templi, fratrum domiciliis, & in parietibus Castri collapsum fuerat, instauravit, & religiosioribus quibusdam Clericis & laicis, ne quid erroris aut perturbationis existeret, asservandum commendavit. Deinde Diœcesim suam visitare cupiens, ad Insulam supradictam studio evangelizandi primùm iter intendit suum, salutatísque fratribus Domûs, navim conscendit, & prospero cursu ad Walachranam appulit.* Reliquo capite res memorat à Frederico gestas in Walacria, nemóque eas brevi temporis spatio confectas suspicabitur. Moras interim ad dexteram Rheni ripam adeò longas quis attribuat Ludovico, cujus varia itinera per Gallias ab Auctoribus coætaneis accuratissimè describuntur? Fredericus ordinatus est Episcopus anno Redemptoris octingentesimo vicesimo-sexto, mense Octobri, cùm Ludovicus Imperator *generalem populi sui Conventum* apud Ingelheimium habebat. Peracto Conventu, Ludovicus *Aquasgrani, ubi hyemare constituerat, profectus est.* Anno postero duos celebravit Conventus, unum *apud Noviomagum*, alterum *apud Compendium*, & *inter Compendium &*

AN. CH. 838. LUDOV. IMP. 25. LOTHAR. IMP. 22. PIPPINI R. 24. LUDOV. R. 22. CAROLI R. 9.

Carisiacum, ceteráque iis vicina Palatia usque ad hyberni temporis initium conversatus est. Harum observationum locupletissimum testem, ne ceteros commemoremus, nacti sumus Annalistam Laureshamensem [a]. Corruit igitur interpolationis pars prior, quæ de Ludovico ad Rhenum diutissimò commorato, déque Juditha, post Imperatoris reditum in Galliam, cum Frederico Episcopo sæpè collocuta circumfertur.

L. Posterior pars talis est. *Jam verò* Juditha *non contenta, ut fertur, cum Imperatore præter fas concumbere, etiam Bernardum quendam, quem è sacro fonte Imperator susceperat, adolescentem Deum timentem, ut quondam Ægyptia mulier Joseph Patriarcham, sæpè ad fœdam secum explendam libidinem provocabat. Illo verò recusante, & adulterii immane esse crimen asseverante, Juditha excandescens, veritaque ne tanta ejus turpitudo ad aliorum notitiam deduceretur, omni spurcitiâ & dolo plena, juvenem insontem crebrò apud Imperatorem detulit, quòd vi ipsam opprimere conatus esset. Ubi id cognovit Bernardus, voluit se innoxium declarare, idque coram Imperatore & duobus filiis ejus Lothario & Ludovico, qui tum erant in Theodonis Palatio; sed nemo erat ausus cum illo singulare inire certamen. Porrò ut beatus Fridericus Episcopus isthuc rescivit, multùm doluit, & instar Samuelis Saulem lugentis, ardentissimis precibus rogabat Omnipotentem Deum pro Imperatore & perfidiosa conjuge ejus, ut illis sanam mentem largiretur.*

[a] Ad ann. 826. 827.

LI. Bernardus è sacro Baptismatis fonte levatus est à Ludovico tunc Aquitaniæ Rege, quem agnatione contingebat in quarto gradu, abavum enim habuit Pippinum Heristallium Majorem-domûs. Anno Redemptoris octingentesimo vicesimo-quarto, mense Junio, quando Duodanam seu Duodenam vel Dodanam uxorem duxit. Anno Redemptoris octingentesimo vicesimo-septimo strenuè se gessit in Hispania contra Saracenos. Anno Redemptoris octingentesimo vicesimo-nono Camerarius in Palatio constitutus est à Ludovico tunc Imperatore pravàque seditiosorum hominum consilia jam subodorante. Per insignem malitiam à Judithæ privignis ceterisque perduellibus, qui Carolum Ludovici Augusti & Judithæ Augustæ filium à patre Regem ante aliquot menses appellatum ægerrimè ferebant, incestator Imperialis tori calumniosè dictus est anno Redemptoris octingentesimo tricesimo, fugâque suam in Præfecturam, id est, in Septimaniam atque in Barcinonensem Comitatum se recepit annuente Ludovico Augusto. Coram eodem Imperatore ejusque filiis Lothario & Ludovico ac frequente Conventu *in Palatio Theodonis* anno Redemptoris octingentesimo tricesimo-primo *purificavit* [b] *se de objecto stupro, postquàm nullus inventus est, qui ausus fuisset cum armis jam dictam rem ei imponere.* Certa hæc est & indubitata rerum gestarum series, quam per annos suprà recensitos digestam, Auctoribúsque coætaneis innixam consule si lubet. Inde constat Interpolatorem in Actis Friderici Episcopi multùm errare, cùm Bernardum *adolescentem* vocat, eúmque ab ipsa Juditha delatum ait apud Imperatorem, *quòd vi ipsam opprimere conatus esset.*

[b] Thegan. c. 38.

LII. Idem Interpolator capite nono, ut observatum suprà, Fredericum introducit prædicentem Imperatori, nisi Juditham dimittat, immanem Regno cladem imminere, & ut probet id Prophetico dictum spiritu, capitibus, decimo-sexto, decimo-septimo, & duodevicesimo, civilia recitat bella, post Judithæ nuptias ut arbitratur, exorta.

LIII. Orditur à tumultu Britannico, cujus author Murmanus seu Murmannus, aut Mormanus vel Marmonius. *Ut autem*, inquit, *impleretur beati viri Prophetia, anno salutis octingentesimo tricesimo-quinto Murmanus Britonum Rex Regnum Francorum invasit, Imperatori arma inferens, quòd propter fœminam deflexisset à recta via, Deíque præcepta & legem neglexisset. Erat ejus Murmani ingens exercitus, urbésque ac vicos & pagos in Galliis cepit & vastavit, atque innumeros trucidavit, multísque auctus spoliis, nullo accepto incommodo in sua se recepit. Imperator quidem magnis coactis copiis illum insecutus, cum eo conflixit*

AN. CH. 838. LUDOV. IMP. 25. LOTHAR. IMP. 22. PIPPINI R. 24. LUDOV. R. 22. CAROLI R. 9. LIV.

non ſemel, ſed infeliciter, permultis è ſuis deſideratis Proceribus. Tandem ampliſſima ei offerens munera, pacem ab eo petiit, & hoſtem ſibi conciliavit. Nec latuit populum, cur permiſiſſet Deus eâ calamitate affici Sanctam Eccleſiam, & jam de illicito Imperatoris conjugio multum in eo murmur audiebatur.

Tumultus ille Britannicus, quem Interpolator in annum Redemptoris octingenteſimum triceſimum-quintum perperam rejecit, ſic anno Redemptoris octingenteſimo duodeviceſimo, cùm Irmingardis uxor prima Ludovici Auguſti ſoperſtes in vivis exiſtit, ab Annaliſta Lauteshamenſi deſcribitur. *Anno* DCCCXVIII, *Imperator cum maximo exercitu Britanniam aggreſſus, generalem Conventum Venetis* * *habuit. Inde memoratam provinciam ingreſſus, captis rebellium munitionibus, brevi totam in ſuam poteſtatem non magno labore redegit. Nam poſtquam Mormanus, qui in ea præter ſolitum Brittonibus morem Regiam ſibi vendicaverat poteſtatem, ab exercitu occiſus eſſet, nullus Britto inveniebatur, qui reſiſteret, aut qui imperata facere, aut qui obſides, qui jubebantur, dare renueret. Quâ expeditione completâ, cùm Imperator, dimiſſo exercitu, Andegavos civitatem eſſet reverſus, Irmingardis Regina conjux ejus, quam proficiſcens ibi ægrotantem dimiſerat, duobus diebus poſtquàm ipſe ad eam venit, morbo invaleſcente, Non. Octob. deceſſit.* Eadem Theganus [a] brevi ſtylo ſic complectitur. *Perrexit Dominus Imperator in partes Brittanniæ cum exercitu, & Murmannus Dux eorum interfectus eſt, & omnem terram eorum ſuæ ditioni ſubegit. Inde regrediens invenit Irmingardam Reginam febricitantem, quæ non poſt multos dies obiit in pace.* Suffragatur & Aſtronomus, ſic. *Nunciatur Imperatori protervia inobedientium Brittonum, qui in tantam inſolentiam eruperant, ut unum ſuorum Marmonium nomine Regem appellare auſi ſint, ſubjectionémque omnimodis recuſarint. Ad quorum inſolentiam ulciſcendam Imperator undequaque aggregatâ militari manu fines Brittonum aggrediens proficiſcitur, habitóque Venetis* * *generali Conventu provinciam ingreditur, & parvo tempore & labore cuncta populatur, donec interfecto Marmonio, dum ſarcinis caſtrenſibus immeditatur, à quodam Regiorum equorum cuſtode, nomine Choſlo, tota cum eo Britannia victa ſuccubuit, & manus dedit, ad quaſcumque conditiones Imperator vellet, denuò ſervitura. Nam & obſides qui & quanti juſſi ſunt, dati atque ſuſcepti, & omnis terra ſecundùm ſuam voluntatem diſpoſita eſt. A quibus finibus Britanniæ ita pacatis Imperator pedem retulit, & Andegavorum urbem repetiit. Ubi dum Hermengardis Regina longo fatigaretur incommodo, duobus diebus poſt regreſſionem Imperatoris ſupervixit, & tertio die obiit, quinto Nonas Octobris.* Plures Auctores non congeremus, hi tres coætanei ſufficient, ut apud Interpolatorem proximè citatum multos errores redarguas. Primò, totos annos ſeptemdecim à recta recédit Chronologia, quando bellum Britannicum, quod anno Redemptoris octingenteſimo duodeviceſimo geſtum fuit, in annum Redemptoris octingenteſimum triceſimum-quintum differt. Secundò, Murmanum abſolute Britonum Regem vocat, quem tyrannum vel Regii Nominis uſurpatorem appellare debuit. Lege quæ Tomo primo dicta ſunt de Clodoveo Magno, qui Gallicanum Britannorum Regnum extinxit, illíſque civitatem Venetorum * eripuit, ceteras verò conceſſit modò abſtinerent Regio Nomine, ſéque Comites impoſterum dicerent ac Regum Franciæ beneficiarios. Unde illud Gregorii Turonenſis in Hiſtoria Eccleſiaſtica [b]. *Semper Britanni ſub Francorum poteſtate poſt obitum Regis Chlodovechi fuerunt, & Comites non Reges appellati ſunt.* Tertiò, Interpolator ſolam tumultûs à Murmano concitati cauſam affert nuptias Judithæ, quæ ſeriùs factæ ſunt ipſo Murmano jam mortuo. Quartò, Ludovicum, qui totam Britanniam ipſo etiam Murmano interfecto ad officium ſuum redire *non magno labore* compulit, fingit infeliciter nec ſemel pugnaſſe, tótque cladibus affectum fuiſſe, ut quem hoſtem bello ſuperare non potuerat, amicum tandem muneribus ſibi conciliarit. Denique fictioni fictionem addit, & ex commentitiis calamitatibus ſuppoſititium colligit populi murmur ſuper Judithæ

* Edit. malè *Venedu.*

[a] Cap. 25.

* Edit. malè *Venedu.*

* *Vennes.*

[b] Lib. 4. c. 4.

AN. CH. 838. LUDOV. IMP. 25. LOTHAR. IMP. 22. PIPPINI R. 24. LUDOV. R. 22. CAROLI R. 9.

conjugio, de quo vox audiri nondum poterat, quia Juditha post Irmingardis mortem Ludovico nupsit, Irmingardis autem Murmano bellóque Britannico superstes vixit. Hoc loco dissimulare non debemus Interpolatorem penè consentire cum Reginonis Chronologia, quæ sic habet. *Anno Dominica Incarnationis* DCCCXXXVI, *Britones fœdera violant, & rebellare incipiunt cum Duce suo nomine Murmano, contra quos Imperator exercitum producit, sed non adeò prævaluit. Anno Dominicæ Incarnationis* DCCCXXXVII, *Murmanus Rex Britannorum moritur.* At ad illos annos errat Regino, quod enim anno Redemptoris octingentesimo duodevicesimo confectum testantur Auctores coætanei, perperam duobus attribuit annis, atque in annos octingentesimum tricesimum-sextum & octingentesimum tricesimum-septimum rejicit. Quid universim de toto suo Chronico, quid speciatim de Ludovici Gestis à se scriptis sentiat, ad annum Redemptoris octingentesimum decimum-quartum post Caroli Magni mortem breviter exponit. Illuc usque veteres, quos præ manibus habuit, Annales secutum se sic affirmat. *Hæc quæ suprà expressa sunt, in quodam libello reperi, plebeio & rusticano sermone composita, quæ ex parte ad Latinam regulam correxi, quædam etiam addidi, quæ ex narratione seniorum audivi.* Quæ posteà contigerunt, tres in partes, velut in tot ætates, ita distinguit. *Cetera, quæ sequuntur, mea parvitatis studio descripta sunt, prout in Chronicorum libris adnotata inveni, aut ex relatione patrum auditu percipere potui. Et de Ludovici quidem Imperatoris temporibus perpauca literis comprehendi, quia nec scripta reperi, nec à senioribus quæ digna essent memoriæ commendanda audivi. De Lotharii verò Imperatoris & fratrum ejus Regum Francorum Gestis plura descripsi. Ubi verò ad nostra tempora ventum est, latiùs sermonem narrationis protraxi.* Operæ pretium duximus hunc Reginonis textum recitare, quia fidem Auctoris elevat in rebus ad bellum spectantibus, quod Ludovicus Imperator adversùs Murmanum feliciter in Armorica gessit confecitque.

LV. Interpolator, quem examinamus, à tumultu Britannico transit ad bellum civile, quo Francia laboravit, cùm Pippinus in patrem primò rebellavit. *Anni verò illius circulo evoluto, Imperatrix Bernardum, cujus antè meminimus, ad se evocavit, licèt nolentem, ut ejus animum placaret, simulantéque eam turpi amore, cum Imperatore eum in gratiam reduxit, tanquam misertа illius, & plerumque illum apud se detinuit. Ita fiebat, ut crebra eáque varia & inania inter ipsos colloquia haberentur, quæ tandem adeò feruntur juvenis animum corrupisse, ut cum Imperatrice Juditha dormierit. Eâ re in vulgus sparsâ, Pipinus, Imperatoris ex Irmingarde Imperatrice filius, magno animi mœrore affectus, cum Jesse Ambianensium Episcopo, & Hildunino Archicapellano, & Magfrido, ac Eleazaro Abbate, atque Godefrido, aliísque permultis Regni Primoribus, Imperatorem adiit, multa ei objecit, & Reginam adulterii accusavit. Imperatore verò nihil respondente, sed torvis eos oculis adspiciente, atque caput agitante, illi Reginam Juditham vi abstulerunt, & in Monasterium velatam detruserunt, domumque abierunt. Sed post menses non adeò multos Imperator, Judithâ receptâ, Noviomagium profectus est, & cum multis aliis etiam Jesse Episcopum captum, qui in cordis simplicitate Juditham velaverat, ut ad meliorem frugem ea se reciperet, à sua Sede movit, cogens Episcopos, ut eum exauthorarent; quæ res cunctis bonis displicuit; porrò alios in carcerem conjecit, alios exilio mulctavit.*

LVI. Ut *anno salutis octingentesimo tricesimo-quinto* bellum Britannicum, sic *anni illius circulo evoluto* sive anno Redemptoris octingentesimo tricesimo-sexto res multas consignat Interpolator, quæ paucis ante Noviomagensem Conventum mensibus aut in ipso Noviomagensi Conventu peractæ sunt. Hic autem Conventus Noviômagensis, ut veteres Auctores docent, habitus est mense Octobri, anno Redemptoris octingentesimo tricesimo, Ludovici Augusti decimo-septimo. Atque inde observa hoc etiam loco corrigendam Interpolatoris Chronologiam, quæ tardiùs integro sexennio

AN. CH. 838.
LUDOV. IMP. 25.
LOTHAR. IMP. 22.
PIPPINI R. 24.
LUDOV. R. 22.
CAROLI R. 9.
LVII.

procedit, & quod anno Redemptoris octingentesimo tricesimo gestum fuit, in octingentesimum tricesimum-sextum perperam rejicit.

Originem discordiarum, ipsásque discordias, quæ Ludovicum Augustum inter ejúsque filios motæ sunt, Theganus, Astronomus, Nithardus, necnon & Annalistæ, Bertinianus, Metensis, ac Fuldensis, ita depingunt, ut istorum Auctorum quolibet lecto pateant errores Interpolatoris. Anno Redemptoris octingentesimo vicesimo-nono Ludovicus Imperator Carolum filium suum, *qui erat ex Judith Augusta natus*, Regem dixit, & *Bernhardum Comitem Barcinona, qui eatenus in Marca Hispania præsidebat, Camerarium in Palatio suo constituit.* De Regia Dignitate Carolo collata lege Theganum [a], & Nithardum [b]; de Bernardo Palatii Camerario instituto consule Astronomum, & Annalistas, Laureshamensem, Metensem, Bertinianum, ac Fuldensem. Theganus non dissimulat filios, quos Imperator ex Irmingarde susceperat, indignatos fuisse, quòd pater Carolum Regio Titulo decorasset. Datam inde occasionem, ut Bernardus Palatii Camerarius fieret, asserunt Astronomus & Nithardus. *Imperator*, inquit Astronomus, *comperiens clandestinas circa se machinationes more cancri serpere, statuit sibi quoddam propugnaculum erigere. Nam Bernardum, eatenus Hispaniarum partium & limitum Comitem, Cameræ suæ præfecit. Quæ res non seminarium discordiæ extinxit, sed potiùs augmentum creavit.* Et apud Nithardum, *Imperator Bernardum quendam Ducem Septimaniæ in supplementum sibi sumens, Camerarium constituit, Karolúmque eidem* commendat, *ac secundum à se in Imperio* præficit. Inde scaturiit fons totius odii contra Bernardum, quem calumniatores incestatorem Imperialis tori posteà dixerunt. Aliis Auctoribus omissis, ne prolixitatem affectare videamur, unum audi Astronomum, qui rerum anno Redemptoris octingentesimo tricesimo gestarum narrationem sic exorditur. *Circa tempus porrò Quadragesimale, cum Imperator loca mari circumjacentia peragraret, factionis iniquæ principes ultrà ferre non valentes occultatum diu vulnus detegunt. Nam primùm inter se Primores fœdere quodam conjurant, deinde minores sibi aggregant. Quorum pars mutationis semper cupida, more canum aviúmque rapacium, quæ alienum detrimentum suum quærunt fieri suppletionis augmentum. Freti ergo multitudine & assensu plurimorum, filium Imperatoris Pipinum adeunt, prætendentes abjectionem sui, Bernardi insolentiam, & ceterorum despectionem; asserentes etiam eum, quod dictu nefas, tori paterni incestatorem; porrò patrem adeò quibusdam præstigiis elusum, ut hæc non modò non vindicare, sed nec advertere posset. Oportere ergo dicebant, bonum filium indignè ferre dedecus paternum, ablatísque è medio restituere patrem & menti & dignitati; & hoc agentem non solùm fama virtutis prosequeretur, sed etiam amplificatio Regni terrestris, hoc nomine prætexentes culpam. His ergo incitamentis allectus juvenis, cum eis & multis copiis suorum per Aurelianensem urbem, sublato inde Odone, & restituto Matfrido, Werimbriam usque venerunt. At verò Imperator ut eorum conspirationem contra se & uxorem Bernardúmque obstinatissimè comperit feraliter armatam, Bernardum quidem fuga præsidio se committere permisit, uxorem autem Lauduni esse, & in Monasterio Sanctæ Mariæ consistere voluit, ipse autem Compendium petiit. Porrò ii, qui cum Pipino Werimbriam venerunt, misso Warino & Lantberto aliísque quamplurimis Judith Reginam ex civitate Monasteriique Basilica eductam ad se perduci fecerunt. Quam usque adeò intentatâ per diversi generis pœnas morte adegere, ut promitteret se, si sibi copia daretur cum Imperatore loquendi, persuasuram quatenus Imperator abjectis armis comísque recisis Monasterio sese conferret, se etiam imposito velo capiti itidem facturam. Quam rem quantò plùs cupiebant, tantò faciliùs crediderunt. Missis enim cum ea aliquibus suorum, ad Imperatorem usque deduxerunt. Cui cùm ille secretiùs secum loquendi licentiam præstitisset, permittente illo ut mortem evadere posset, ipsa velum sibi capiti superposuit; de attonsione porrò sua Imperator tempus deliberandi poposcit. Tantò enim Imperator, aliis benignè semper vivens, injusto odio laborabat, ut taderet eos vitæ ipsius, cujus be-*

[a] Cap. 35.
[b] Lib. 1.

AN. CH. 838. *nescio nisi illi viverent, justè & legaliter vitâ caruissent. Redeunte ergo ad se Reginâ, aliis quidem malum temperarunt, adclamationi autem vulgi consentientes, exilio eam deportari, & in Monasterio Sanctæ Radegundis retrudi jusserunt. Circa mensem Maium porrò filius Imperatoris Lotharius ex Italia venit, eumque in Compendio repperit. Ad quem venientem se contulit tota illa factio inimica Imperatoris, ipse tamen nihil tunc temporis patri intulisse visus est dedecoris, probavit autem quæ gesta erant. Denique Heribertus, Bernardi frater, luminum amissione mulctatus est contra voluntatem Imperatoris Odo consobrinus illius armis ablatis exilio deportatus, tanquam eorum, quæ Bernardo & Reginæ adclamabantur, conscii & fautores. In talibus ergo consistens solo nomine Imperator æstatem transegit.* Ex prædictis constat Bernardum ad aulam Regiam ex Hispaniarum finibus evocatum fuisse, non à Juditha quæ suam cum illo libidinem explere vellet, sed ab Imperatore Ludovico qui tantum virum maximo sibi contra perduelles præsidio fore duxit. Constat & commentitios fuisse sermones, quos de Judithæ Bernardique contubernio sparserunt in vulgus homines seditiosi. Constat quoque Juditham alio quàm dicat Interpolator modo avulsam à marito, longéque gravioribus quàm idem Interpolator referat affectam fuisse contumeliis, ille enim consultò reticet quæ gesta sunt Lauduni, nonnulláque dissimulat quæ facta sunt apud Compendium. Quod ad conjuratos attinet, quinque nominatim recensentur ab Interpolatore, Jesse Ambianensium Episcopus, Hilduinus Archicapellanus, Magfridus seu Mathfridus, Eleazarus Abbas, & Gudofridus. Tres priores cum Hugone Lotharii socero nominat Theganus [a], de congressu enim Pippini cum Ludovico patre sic scribit. *Dominus Imperator pervenit ad Compendium, ibique venit ei obviam Pippinus filius ejus cum Magnatibus primis patris sui, Hilduino Archicapellano, & Jesse Ambianensi Episcopo, Hugone, & Mathfrido, & multis aliis perfidis, & voluerunt Dominum Imperatorem de Regno expellere.* Eleazar sive Elisachar Abbas, qui Treviris Monasterio Sancti Maximini præest à Nithardo [b] memoratur inter eos, quos Imperator propter perfidiam exilio mulctavit, & seditionis authores per vim libertati posteà restituerunt. *Populum*, inquit, *quasi ad justum regimen sollicitant. Walanam, Elisachar, Mathfridum, ceterósque, qui in exilium retrusi fuerant, custodiâ emittunt.* Et apud Astronomum præcipuis Lotharianarum partium fautoribus, quos pestifera lues intra brevissimum temporis spatium abstulit, accensentur *Godefridus itémque filius ejus Godefridus.*

LUDOV. IMP. 25. LOTHAR. IMP. 22. PIPPINI R. 24. LUDOV. R. 22. CAROLI R. 9.

[a] Cap. 36.

[b] Lib. 1.

LVIII. Ludovicus, postquàm *solo nomine Imperator*, ut Astronomus scribit, *æstatem transegit*, profectus est ad Conventum Noviomagensem, quem Annalista Bertinianus indictum *circa Kalendas Octobris* & Annalista Metensis habitum *mense Octobrio* testantur. Theganus capite tricesimo-sexto res enarrat gestas apud Compendium, deinde capite tricesimo-septimo sermonem de Conventu Noviomagensi sic instituit. *Ipso anno pervenit Dominus Imperator ad Noviomagum Castrum, quod situm est super fluvium, quod dicitur Valum, & multitudo hominum ex omnibus Regnis suis venit ad eum, inter quos venerunt supradicti adversarii ejus, & superavit eos Dominus Imperator, & dimisit eos atque commendavit. Et Lotharius filius ejus cum juramento fidelitatem promisit, ut posthac nunquam talia committere debuisset. Et ibi Jesse justo judicio Episcoporum depositus est. Ibi fuit æquivocus filius ejus, qui in omnibus laboribus patris adjutor ejus extitit. Inde venit Dominus Imperator Aquis ad Sedem suam, & supradicta conjux venit ibi obviam ei, quam honorificè suscepit jubente Gregorio Romano Pontifice cum aliorum Episcoporum justo judicio.* Hic Auctor in eo cum Interpolatore convenit, quòd *post menses non adeò multos*, ex quo conjurati *Reginam Juditham in Monasterium velatam retruserunt*, Ludovicus *Imperator Noviomagum profectus est.* At in eodem Interpolatore multa docet esse corrigenda, quæ spectant ad Judithæ Augustæ reditum, ad Jessei Ambianensis Episcopi depositionem, & ad pœnas perduellibus irrogatas.

Apud

Apud Interpolatorem *Imperator Judithâ receptâ Noviomagum profectus* asseri- AN. CH.
tur. Theganus verò Juditham affirmat ad Imperatorem reduxisse, cùm ille 838.
peracto Conventu Noviomagensi jam reversus esset Aquisgranum. Nec LUDOV.
aliter sentit Astronomus, rebus enim, quæ pertinebant ad Conventum IMP. 25.
Noviomagensem, accuratè descriptis, narrationem suam sic prosequitur. LOTHAR.
Ad hyemandum Imperator Aquasgrani secessit. Habuit autem per idem tempus se- IMP. 22.
cum semper Lotharium filium suum. Misit intereà in Aquitaniam, conjugémque PIPPINI
revocavit, fratrésque illius Conradum & Rodulfum jamdudum attonsos. Quam R. 24.
tamen conjugis honore non est dignatus, donec se legali præscripto modo ab objectis LUDOV.
purgaret. Interpolator Jessæum Episcopum excusare conatur, quòd *in cor-* R. 22.
dis simplicitate Juditham velaverat, ut ad meliorem frugem ea se reciperet. The- CAROLI
ganus autem innocentiam Judithæ tuetur, & Jessæum *justo judicio Episcopo-* R. 9.
rum in Conventu Noviomagensi depositum prædicat. Deinde capite quadragesimo-quarto Ebonem Archiepiscopum Remensem sic alloquitur. *Tu cum ceterorum judicio Jesse à Sacerdotio deposuisti.* Et Flodoardus [a] in Historia Remensi de eodem Ebone sic scribit. *Ebo depositus est ab Episcopatu pro infidelitate Imperatoris. Pro qua re ipse jam Jesse Ambianensem Præsulem deposuisse traditur.* Denique Interpolator addit Jessæi depositionem *cunctis bonis* displicuisse, & horum *alios in carcerem* conjectos, *alios exilio* mulctatos ab Imperatore. Sed illa Jessæi depositio *cunctis bonis* nequaquam displicuit, ut malis seu perduellibus, quorum *alios in carcerem* conjectos, *alios exilio* mulctatos haud inficiamur, existimamúsque cum Astronomo Ludovicum, qui *nullum ex eis permisit occidi*, usum esse *leniori quam debuit pietate.*

[a] Lib. 2. c. 20.

Interpolator à Conventu Noviomagensi transit ad Gregorii Papæ ad- LIX.
ventum in Gallias, & toto capite decimo-septimo totus est in accumulandis fabulis. *Ubi Gregorius Pontifex Romanus id comperit*, nempe Jessæum Episcopum Ambianensem depositum, & complures è Proceribus, qui Ludovico & Judithæ adversabantur, aut in carcerem conjectos aut exilio mulctatos fuisse, *multùm doluit, profectúsque ad Imperatorem, durè eum objurgavit, admonuítque ut cum conjuge resipisceret, veniámque illis suppliciter petentibus, jejunium & pœnitendi formam præscripsit; Episcopis verò tum præsentibus tum absentibus Apostolicâ auctoritate præcepit, ut ipso recedente Imperatorem & prophanam conjugem ejus admonerent, & spiritalibus eloquiis pascerent, &, si negligerent satisfactionem ipsis impositam, non alio quàm ethnicorum & publicanorum eos haberent loco, & perpetuo plecterent anathemate. Tum verò Imperator denuò se prosternens fassus est peccatum suum, in omnibus morigerum fore promisit, Pontificémque Gregorium, ut pro se & Regni sui statu Deum deprecaretur, oravit, multisque eum Regiis muneribus affecit. Sed Pontifex nihil illis muneribus transversim actus, sed prudentiam serpentis & columbæ simplicitatem retinens, Imperatorem propter ea, quæ diximus, reprehendit, multáque tum ei, tum Proceribus ejus, Sanctorum pignora, quæ pro illorum salute secum attulerat, elargitus est, & cùm saluberrimis de vita æterna adhortationibus eos instituisset, ultrò citróque vale dicto, cum suis Romam reversus est. Sed non diu pòst Imperator rediit ad vomitum, & auxit etiam peccatum suum. Interim Episcopi Germaniæ & Galliæ, memores præcepti Pontificis, per seipsos coram, & per epistolas eum absentes orabant, ne ita se gereret. At ille palàm eos odio prosequebatur, inprimis autem Fridericum Episcopum, qui Divino Spiritu repletus aperuit ei facinus suum, nec quicquam reticuit, quod æquitas dici postularet, atque præ cæteris urgebat eum, ut sese corrigeret, non odio ullo aut livore ductus, sed divino ipsum timore stimulante, ne unà cum illo periret, dixítque ei. Non licet fœminæ sacrum acceptum velamen abjicere, ídque confirmabat sententia Zachariæ Pontificis Sanctissimi, ita scribentis in epistola ad Gallos. Qualicunque modo mulier, permittente canonicè viro suo, aut eo defuncto velum sanctum acceperit in caput aut sponte aut invita, in eo permaneat omninò, nec dimittat.*

AN. CH. 838. LUDOV. IMP. 25. LOTHAR. IMP. 22. PIPPINI R. 24. LUDOV. R. 22. CAROLI R. 9.

Gregorius Quartus Papa semel cis Alpes venit, non anno Redemptoris octingentesimo tricesimo-sexto ut supputat Interpolator, nec statim post Conventum Noviomagensem, quem anno Redemptoris octingentesimo tricesimo, mense Octobri, celebratum diximus, sed anno Redemptoris octingentesimo tricesimo-tertio cùm tres Imperatoris filii conjuratione factâ simul in patrem rebellarunt. Itineris suscepti causa non ea fuit, quam Interpolator finxit, at alia longè diversa, quam ipsemet Gregorius apud Astronomum ita declarat, *Quum jamjam ruendum in arma putaretur, nuntiatum est Imperatori advenire Papam Romanorum. Quem venientem Imperator in ipsa acie consistens suscepit, licèt indecentiùs quàm debuit, imputans ei quòd ipse sibi talem susceptionem praparaverit, qui inusitato modo ad se venerit. Ductus autem Papa in habitationem castrensem multis assertionibus perdocuit non se tantum iter ob aliud suscepisse, nisi quia dicebatur, quòd inexorabili discordiâ contra*
LX. *filios laboraret; ideóque pacem in utramque partem serere vellet. Auditâ verò parte Imperatoris, mansit cum eo aliquot diebus. Remissus autem ab Imperatore ad filios, ut pacem mutuam necteret, quum penè omnis populus, partim donis abstractus, partim promissis illectus, partim minis territus, ad eos populúmque cum eis consistentem more torrentis desflueret, nequaquam, ut fuerat jussus, est permissus redire.* Theganus [a] duorum meminit colloquiorum, quorum unum Imperator cum filiis suis habuit in præsentia Romani Pontificis, alterum privatim cum eodem Gregorio Papa; prætereà Pontificem atque Imperatorem mutuis inter se donis, quæ maximi pretii fuerunt, in singularis amicitiæ signum studiosissimè decertasse sic observat. *Imperator post Pascha audivit, quòd iterum filii sui ad eum venire voluissent non pacificè, qui congregavit exercitum & perrexit obviam eis usque in campum magnum, qui est inter Argentarium & Basileam, qui usque hodie nominatur Campus mendacii, eò quòd ibi plurimorum fidelitas extincta sit. Filii autem ejus perrexerunt ei obviam cum Gregorio Romano Pontifice, & quicquid postulabant nihil erat eis pater consentiens. Non post multos dies venerunt ad colloquium Imperator & jam dictus Pontifex, qui non diu loquentes, honoravit eum Pontifex in primis magnis & innumeris donis. Postquàm uterque rediit ad tabernaculum, misit Imperator dona Regalia per Adalungum Venerabilem Abbatem & Presbyterum supradicto Pontifici.* In hisce textibus nihil occurrit, quod Interpolationi ex vulgatis Actis Sancti Frederici suprà descriptæ favere possit, seu primam illius partem expendas de Gregorio Papa, seu secundam de Præsulibus Germaniæ & Galliæ, seu tertiam de Frederico Ultrajectensi Episcopo.

[a] Cap. 42.

LXI. Capite duodevicesimo Interpolator res, quæ partim anno Redemptoris octingentesimo tricesimo-tertio, partim biennio sequenti gestæ sunt, non tantùm rejicit in annum Redemptoris duodequadragesimum, sed eas insertis quoque commentis ac fabulis non paucis haud parum deturpat. *Porrò,* inquit, *anno Dominica Incarnationis octingentesimo tricesimo-octavo, convenere filii Imperatoris, & communicato cum Episcopis, Ducibus, & Proceribus; consilio, propter ignominiosum illud conjugium, & quòd Summi Pontificis jussa contempsisset, in quendam occultum locum eum includere decernunt, donec agat præscriptam pœnitentiam, & Deum sibi propitium reddat. Id postquàm gestum est, Judítham ab Episcopo Jesse velatam in Italiam ablegarunt, mortis ei minas intentantes, si inde reverti aut aufugere ausa esset. Verùm enimverò non multò pòst Ludovicus Imperatoris filius, eâ patris fortunâ commotus, collectis quotquot potuit Francis, Imperatorem vixdum inchoatâ pœnitentiâ è custodia eduxit, & Aquisgrani honorificè in ejus Sedem reposuit & Palatium. Mox verò Imperator Ebbonem Rhemensem Archiepiscopum, virum sanè religiosum, ut potest animadverti ex scriptis ejus, jussit comprehendi, & ab Episcopis, quos ad id compulit, sine causa deponi. Deinde Legatos misit in Italiam, qui Judítham inde adducerent, venientémque summo cum honore & gaudio excepit, sed timens Episcopos, cum ea rursus, relictâ Franciâ, in oppidum quoddam Rheno adjacens profectus est, deinceps*

quotidie in eorum conviviis citharis & lyris & tympanis & tibiis personantibus. AN. CH. 838.

Anno Redemptoris octingentesimo tricesimo-tertio, postquàm Ludovicus Augustus cum Gregorio Papa collocutus fuit, *adeò defectio in dies invaluit, ut in Festivitate Sancti Pauli, plebeii contra Imperatorem, adulando filiis ejus, irruptionem facere minarentur. Quibus viribus Imperator obniti non valens mandavit, ne se populari direptioni exponerent. Cui remandant, ut castris relictis ad se veniat; se autem maturrimè obviam ipsi processuros. Quibus altrinsecus sibimet occurrentibus, Imperator filios admonuit equis desilientes & sibi occurrentes, ut promissionis suæ memores tam sibi quàm filio & uxori illibata quæ olim promiserant conservarent. Quos congruè respondentes osculatus est, & ad castra illorum est profectus. Quò pervenienti uxor subducitur, & ad Ludovici tabernacula convertitur. Ipsum verò Lotharius ad sua cum Carolo admodùm puero deduxit, & cum paucissimis in papilione ad hoc deputato consistere fecit. Post hæc autem jam populo juramentis obstricto, Imperium inter fratres ternâ sectione partitur. Uxor patris à Ludovico Rege recepta, exilio iterum deportatur in civitatem Italiæ Tartonam. Gregorius Papa talia cernens, cum maximo mærore, Romam regreditur.* Ita scribit Astronomus, trésque Ludovici Augusti filios, Lotharium, Pippinum, ac Ludovicum, testatur in patrem conjurasse non *propter ignominiosum conjugium, & quòd Summi Pontificis jussa contempsisset*, sed propter Regis Dignitatem Carolo filio, quem ex Juditha susceperat, ante aliquot annos collatam. Gregorius Pontifex ad colloquium venit cum Ludovico Imperatore; nullum ei de Judithæ matrimonio verbum fecit; at *multis assertionibus perdocuit non se tantum iter ob aliud suscepisse, nisi quia dicebatur, quòd inexorabili discordiâ contra filios laboraret, ideóque pacem in utramque partem serere vellet.* Post hoc colloquium *remissus* est *ab Imperatore ad filios, ut pacem mutuam necteret*, sed à filiis, ad quos omnis penè populus defluebat, *nequaquam est permissus* ad pattem *redire*. Francorum dedecus ob oculos habuit, exauctoratum à filiis Imperatorem, Augustam à privignis exilio deportatam, & *talia cernens cum maximo mærore Romam* ex Alsatia regressus est. Errat etiam Intetpolator, cùm *Juditham ab Episcopo Jesse velatam* scribit. Anno enim Redemptoris octingentesimo tricesimo velum impositum fuit Judithæ, quando in Pictavense Monasterium retrusa est, nequaquam autem anno Redemptoris octingentesimo tricesimo-tertio, quando ablegata est in Italiam. Lotharius, cùm patrem sub sua teneret potestate, Conventum apud Compendium mense Octobri celebravit. In illo Placito, conjutati *callido, ut sibi visum est, cum aliquibus Episcoporum* usi sunt *argumento, ut pro his, de quibus jam pœnitudinem gesserat Imperator, iterum publicâ pœnitentiâ, armis depositis irrevocabiliter, quodammodo Ecclesiæ satisfacere judicaretur, cum ne forenses quidem Leges contra unam culpam semel commissam, bis invehant vindictam, & nostra Lex habeat non judicare Deum bis in idipsum. Cui judicio pauci contradixere, plures assensum præbuere, maxima pars, ut assolet in talibus, ne Primores offenderent, verbo tenus consensere. Adjudicatum ergo eum absentem, & inauditum, nec confitentem, neque convictum, ante corpus Sancti Medardi Confessoris & Sancti Sebastiani Martyris, arma deponere & ante Altare ponere cogunt, pullâque indutum veste, adhibitâ magnâ custodiâ, sub tectum quoddam retrudunt.* Hæc quoque Astronomus.

Ludov. Imp. 25. Lothar. Imp. 22. Pippini R. 24. Ludov. R. 22. Caroli R. 9.

LXII.

LXIII. Anno Redemptoris octingentesimo tricesimo-quarto, Lotharius parte Ludovico & Carolo fratre, post varias locotum mutationes, in Monasterio Sancti Dionysii prope Parisios pridie Kalendas Martii derelictis, Viennam ad Rhodanum citissimè contendit, *ibidémque stativa facere delegit.* Fugam adeò præcipitem iniir comperto, quòd Pippinus & Ludovicus fratres, Proceres multi, numerosæque ptoles, de quibus Astronomus, sumptis armis pro liberando Imperatote congredi vellent. *Undique*, inquit Nithardus [a], *ad Sanctum Dionysium, ubi tunc Lodharius patrem & Karolum servabat,*

[a] Lib. 1.

AN. CH. 838. LUDOV. IMP. 25. LOTHAR. IMP. 22. PIPPINI R. 24. LUDOV. R. 22. CAROLI R. 9.

affluere contendunt. Cernens Lodharius prædictam animositatem vires suas excedere, antequàm conveniant arma sumit, patrem ac Karolum dimittit, itineréque arrepto Viennam petit. Ludovicus libertati Dignitatique redditus Juditham ex Italia statim revocavit, & è Cœnobio San-Dionysiano digressus adiit primò Nantogilum, deinde Carisiacum, tum Aquisgranum, ubi Pascha cum eadem Juditha Augusta, filiisque, Pippino, Ludovico, & Carolo, transegit. Per illud iter Carolum in suo semper habuit comitatu, Pippinum & Ludovicum suscepit apud Carisiacum, atque inde Pippinum in Aquitaniam remisit. Apud Aquisgranum denuò suscepit Pippinum & Juditham imminente Paschali Festivitate. Porrò Ludovicus, quia per absentiam Lotharii ac Pippini fratrum, quorum ille fugerat in Burgundiam, hic in Aquitaniam, à patre dimissus fuerat, solus è filiis, qui priùs in patrem conjurarunt, eundem patrem comitatus est ingredientem Aquisgranum, laudatur à Thegano, quòd patrem *reduxit iterum ad Aquis Sedem suam, & Deo jubente restituit eum in Regnum & locum suum;* & ab Interpolatore, quòd *Imperatorem Aquisgrani honorificè in ejus Sedem reposuit & Palatium.* At uterque eget interpretatione. Ut enim Ludovicus, sic & Pippinus redintegrationi patris plurimùm contulit. Præter Astronomum, qui ceteris distinctiùs ac fusiùs hoc negotium prosecutus est, Annalistam consule Bertinianum, cujus hic est textus. *Ludoicus misit Legatos ad fratrem suum Pippinum, eíque innotuit omnia quæ erga patrem gesta fuerant, deprecans illum, ut reminiscens paterni amoris ac reverentiæ, unà cum illo patrem de illa tribulatione eriperet. At ille statim convocavit exercitum Aquitanorum & Ultra-Sequanensium, Ludoicus Bajoarios, Austrasios, Saxones, Alemannos, necnon & Francos qui citra Carbonariam, cum quibus etiam ad Aquis properare cœperunt. Cúmque hoc Lotharius cognovisset, de Aquis abscessit, & patrem suum usque ad Parisius sub memorata custodia deduxit, ibique jam Pippinum cum exercitu repperit Sequana insolitâ exuberatione transire prohibitum. Nam nimiùm ceterorum quoque fluminum inundatio, & ultra alveos insueta progressio multis non parvum intulit impedimentum. Verùm cùm firmiter cognovisset, Ludoicum etiam cum tanta populi multitudine in easdem partes properare, inde perterritus, in eodem loco patre dimisso, primo Kalendarum Martiarum die cum suis aufugit.* Neuter igitur patrem è *custodia eduxit*, neuter *eum reduxit ad Sedem suam*, vel *in Sedem reposuit & Palatium*, quicquid Theganus & Interpolator de Ludovico juniore fratre scribant. Imperatorem è custodia præceps eduxit Lotharii fuga, libertatem jam adeptum munereque cùm Imperatorio tum Regio fungentem adierunt apud Carisiacum Pippinus ac Ludovicus ejus filii, itérque inde facientem ad Sedem Regiam sive ad Palatium Aquisgranense solus per absentiam Pippini fratris in Aquitaniam profecti comitatus est Ludovicus. Pippino mox ad patrem reverso, Imperator Pascha Nonis Aprilibus Aquisgrani cum Juditha Augusta, tribúsque filiis, Pippino, Ludovico, & Carolo celebravit. Quas posteà civitates, quásve provincias eodem anno lustrarit, antiqui docent Auctores. Ut Pascha, sic & Pentecosten egit Aquisgrani. Deinde Vosagum adiit & Lingonas, ut Lothario rursum rebellanti vicinior fieret. *Convocavit exercitum Lingonis medio mense Augusto, ibíque annualia dona suscipiens, continuò ad liberandum populum contra invasores Regni iter per Tricassinorum & Carnotum ac Dunensium regiones juxta Blisum Castellum unà cum filio suo Ludoico pervenit, illícque castra metatus est. Ibi etiam Pippinus filius ejus cum exercitu in auxilium patri occurrit. Nam Lotharius haud procul in castris residens cum suis, minitabatur, quod tamen minimè efficere potuit. Tunc Domnus Imperator solitâ clementia motus, misit ad illum ut pacificè ad se veniret, quia universa, quæ contra illum dicta habuerat, ei suísque omnibus concederet. Et Lothario quidem Italiam, sicut tempore Domni Karoli Pippinus germanus Domni Imperatoris habuerat, concessit. Ceteris verò vitam, membra, hereditatem, & multis beneficia perdonavit. Quem pater ad se cum suis venientem for-*

titer juramento constrinxit, ne talia facere, aut alicui sentire in postmodum tam ipse quàm sui deberent. Quibus confirmatis, eum in Italiam regredi fecit cum his qui eum sequi maluerunt. Ipse verò circa Aurelianis perveniens, Pippino & Ludoico, cunctòque exercitui redeundi licentiam tribuit, & per Parisius ad Attiniacum veniens, ibi Placitum cum suis Consiliariis circa Missam Sancti Martini habuit. Ibíque negociis Regni dispositis, ad Theodonis villam ad hyemandum profectus est. Dominica Nativitatis Festum hilariter, à Drogone fratre suo & Metensis urbis Episcopo decentissimè susceptus, in eadem civitate celebravit. Ibíque festis peractis diebus, ad suum Palatium in Theodonis villam reversus est. Hæc Annalista Bertinianus, quocum multò vetustiores, si lubet, Theganum, Astronomum, & Nithardum confer, ut fecimus ad annum, quo Ludovicus Augustus procul à Rheno res suprà memoratas gessit, unde corrigas Interpolatorem, apud quem idem Imperator *timens Episcopos* Galliarum *rursus* cum Juditha reversa ex Italia, *in oppidum quoddam Rheno adjacens relictâ Franciâ profectus* asseritur.

AN. CH. 838. LUDOV. IMP. 25. LOTHAR. IMP. 22. PIPPINI R. 24. LUDOV. R. 22. CAROLI R. 9.

LXIV. Quod attinet ad Ebonem Archiepiscopum Remensem, Interpolator postquàm Ludovicum Imperatorem ad Regiam Sedem sive ad Aquisgranense Palatium rediisse scripsit, proximâ periodo duas res valdè distinctas & diversis annis peractas ita complectitur. *Mox verò Imperator Ebbonem Rhemensem Archiepiscopum, virum sanè religiosum, ut potest animadverti ex scriptis ejus, jussit comprehendi, & ab Episcopis, quos ad id compulit, sine causa deponi.* Anno Redemptoris octingentesimo tricesimo-quarto comprehensus & custodiæ mancipatus est Ebo, depositus autem sive à Pontificali Ministerio recedere jussus est anno Redemptoris octingentesimo tricesimo-quinto. Ludovicus Augustus fugiente Lothario pristinam auctoritatem cum libertate pridie Kalendas Martias anno Redemptoris octingentesimo tricesimo-quarto recuperavit. *Hoc audiens Hebo*, inquit Theganus[a], *statim fugam iniit, sed comprehensus coactus perductus est ad præsentiam Principis, qui commendavit eum ad custodiendum*, sive, ut Clerici Remenses in sua narratione testantur, *jussit eum deduci sub custodia ad Veldam* seu Fuldam *Monasterium Sancti Bonifacii, ibíque servari.* Fuga, quam arripuit, Ebo, statim ac de Ludovici redintegratione nuncium accepit, argumento est illum, ut Imperatori sisteretur, priùs quæsitum fuisse, quàm idem Imperator post recuperatum Imperium ad Aquisgranense Palatium sive ad Regiam Sedem pervenerit. Anno Redemptoris octingentesimo tricesimo-quinto, Ludovicus Augustus in Theodonis villa Placitum habuit, & ad illud è Fuldensi Monasterio præcepit Ebonem adduci, qui reum se fassus est vivâ voce ac scripto, *& Episcopi secundùm confessionem ipsius manu suâ propriâ roboratam & testimonium confessorum suorum decreverunt, ut à Ministerio recederet Pontificali, & aliis orationum officiis & excubiis Domino serviendo eum sibi propitium faceret.* Nicolaus Romanus Pontifex *ab Episcopis Galliæ maximéque Belgica provincia* super Ebonis depositione interrogatis *hæc inter alia in responsis accepit*[b]. *Quòd Ebo Remorum Episcopus accepta à Lothario pro patris proditione Abbatiâ Sancti Vedasti, falsarum objectionum incentor extiterit, & taliter criminatum eundem Imperatorem idem Ebo à suis complicibus à liminibus Ecclesiæ projectum, ac publica pœnitentiæ mancipatum, custodiri fecerit.* Ergo Interpolator immeritò scribit Ebonem *sine causa* depositum fuisse. Quòd autem Ebonem *virum religiosum* appellat, id non suo loco dictum censemus. In multis quidem virum se religiosum probavit Ebo, putà cùm operam conversioni Danorum & Sueonum navavit. At quia nostratum æquè pattium est & ea laudare quæ laudanda sunt, & ea vituperare quæ sunt vituperanda, temperare non possumus, quin eidem Eboni quantumlibet anteà commendato perfidiam ob Imperatoris exauctorationem exprobremus, eúmque in tali causa virum religiosum inficiemur. Ludovicus à Lothario filio bis exauctoratus est, semel anno Redemptoris octingentesimo tricesimo, iterum

[a] Cap. 41.

[b] Flodoard. l. 2. c. 20.

AN. CH. 838. LUDOV. IMP. 25. LOTHAR. IMP. 22. PIPPINI R. 24. LUDOV. R. 22. CAROLI R. 9.

anno Redemptoris octingentesimo tricesimo-tertio. Ebo prima vice, cùm à partibus Ludovici stabat, Jessæum Ambianensem Episcopum, qui Juditham Augustam velaverat, à Sacerdotio deponendum judicavit; alterâ vice, cùm Lotharii perduellionem fovebat, eundem Jessæum Ambianensi Sedi restituit, ideóque à Thegano [a] sic carpitur. *Tu cum ceterorum judicio Jesse à Sacerdotio deposuisti. Nunc iterum revocasti in gradum pristinum. Aut tunc, aut nunc falsum judicium exhibuisti.*

Capite decimo-nono Interpolator tenorem exhibet literarum, quas Imperatori post suam redintegrationem prope Rhenum cum Juditha commoranti directas à Frederico Ultrajectensium Episcopo sic comminiscitur. *Cernens igitur beatus Episcopus Fridericus induratum esse pectus illius, per epistolam significavit ei, nisi resipisceret, se illum excommunicaturum. In ea epistola multas habuit Sanctorum Patrum sententias, & inter cetera scribit in hanc sententiam. Quandoquidem Christi servum te dici & haberi vis, quid ita servos ejus, Anselmum Mediolanensem, Wolfoldum Cremonensem, Theodulphum Aurelianensem, Jesse Ambianensem, Ebbonem Rhemensem, Antistites sine ulla ratione condemnasti? An verò id jussit, ut faceres, ille, qui per Prophetas suos dicit.* [*Qui vos tangit, tangit pupillam oculi mei?*] *Et rursus.* [*Nunquid vos ultionem redditis mihi? Et si vos ulciscimini contra me, citò velociter reddam vicissitudinem super caput vestrum.*] *Nosti Apostolum dicentem.* [*Tu quis es, qui judicas alienum servum? Suo domino stat aut cadit.*] *Tu certè non vis nisi à te judicari servos tuos. Si quis alius id attentet, stomacharis & pœnas ab eo repetis. Quod igitur tibi fieri non vis, cur tu id facere Domino dominorum non dubitasti? Pessimè quidem fecisti, non enim ab hominibus, sed à Deo judicandi sunt summi Sacerdotes, nec à prava vita hominibus lacerandi, sed potiùs à fidelibus tolerandi. Præterea in conviviis vestris quotidie sunt cithara & lyra & tympanum & tibia, & opus Dei non respicitis, nec opera manuum ejus consideratis. Quamobrem vindicabit Deus in vobis servos suos, & dilatabit infernus animam suam, & os suum, nisi resipueritis, aperiet, in eúmque vos descendetis, & sublimes vestri deprimentur oculi, eò quod posueritis amarum in dulce, & dulce in amarum.*

[a] Cap. 44.

LXV.

LXVI. Adversùs commentitiam hanc epistolam lege quæ dicta sunt suprà de multis Galliarum civitatibus ac provinciis, quas Ludovicus post alteram suam redintegrationem adiit anno Redemptoris octingentesimo tricesimo-quarto. Annum enim illum conviviis cum Juditha prope Rhenum, ut Interpolator asserit, otiosus haud insumpsit. E Monasterio San-Dionysiano digressus Nantogilum, Carisiacum, Aquisgranum perrexit. In Aquisgranensi Palatio Juditham ex Italia redeuntem ante Pascha suscepit. Ibi non Paschalem modò Festivitatem, sed etiam Ascensionem Domini cum Pentecoste celebravit. Posteà profectus est ad Romarici montem & Lingonas. Exercitum Lingonis *medio mense Augusto* convocavit. Inde per agros, Tricassinum, Senonensem, Carnotensem ac Dunensem, pervenit ad Blesensem, paceque cum Lothario filio tunc renovatâ statuit apud Theodonis villam hyemare. Iter egit Aureliano, Parisiis, & per Attiniacense Palatium, ubi *Placitum circa Missam Sancti Martini cum suis Consiliariis habuit.* Hæc ab Interpolatoris scripto plurimùm differunt.

LXVII. Idem Auctor haud syncerior est in causis Episcoporum, quos ab Imperatore Sedibus suis contra fas expulsos queritur. Tomo superiore ad annos Redemptoris octingentesimum decimum-septimum & octingentesimum duodevicesimum egimus de Bernardo Italiæ Rege, qui Ludovicum Imperatorem bello tunc lacessivit, & malis artibus in ejusdem patrui caput conjuravit. Ob illam conjurationem tres in judicium vocati sunt Antistites, Anselmus Metropolitanus Mediolanensis, Wulfoldus Cremonensis Episcopus, & Theodulphus Episcopus Aurelianensis. Anselmus & Wulfoldus Diœceses in Regno Bernardi regebant, reique non habiti sunt quòd Bernardi Regis sui partibus adhæserint, sed quòd participes nefarii fuerint

consilii, quo vitam Imperatori per insidias eripere moliebatur. Theodulphus Episcopatum gerebat in ditione Ludovici, sed, cùm patriâ Italus esset, in proditionem suspicionis facilè venit. In Episcoporum Conventu causa horum Præsulum acta est Aquisgrani *paucis post Pascha diebus*, anno Redemptoris octingentesimo duodevicesimo. Apud Annalistam [a] Laureshamensem Imperator *Episcopos Synodali Decreto depositos Monasteriis mancipari* jubet, & apud Astronomum *Episcopos ab Episcopis reliquis depositos Monasteriis* mancipat. Anno Redemptoris octingentesimo tricesimo, mense Octobri, habitus est Conventus Noviomagensis. *Ibi Jesse* Ambianensis Episcopus *justo judicio Episcoporum depositus est*, ut Theganus [b] affirmat. Interpolator, ubi Jessæum excusare conatur, quòd *in simplicitate cordis Juditham velaverat, ut ad meliorem frugem ea se reciperet*, eundem Jessæum justè depositum ostendit, quia Juditham velaverat, aut, ut suo loco diximus, præcipuus inter eos extiterat, qui *Reginam Judith vi velaverunt, & velatam in Monasterium miserunt*. Anno Redemptoris octingentesimo tricesimo-quinto, in Synodo apud Theodonis villam, quarto Nonas Martii, depositus est Ebo Remensis Archiepiscopus. Lege literas Caroli Regis ad Nicolaum Papam, posteriorem Hincmari Dissertationem contra Godescalcum, Historiam Remensem [c] Flodoardi, aliásque clarissimorum Auctorum lucubrationes, quas ad illum annum in hac causa citavimus. Hic fragmentum duntaxat ex Hincmaro repetemus. *Ebo accusatus ab ipso Augusto in generali Synodo habita in Palatio Theodonis villa, inducias petiit, & secundùm Canonicam institutionem elegit sibi per consensum Synodi Episcopos Judices peccatorum suorum, quos Canones electos appellant, de quibus scriptum est in Concilio Africano cap.* LXIII, *ut ab electis Judicibus provocari non liceat, & dedit libellum Synodo manu suâ firmatum hæc eadem continentem. Hac Scripturâ coram Synodo prolatâ atque confirmatâ, confessus est ipse vivâ voce, & dedit testes alios, exceptis Judicibus*, Aiulfo videlicet Archiepiscopo, Badarado & Modoino Episcopis, *Nothonem Archiepiscopum, Theodericum Episcopum, & Achardum Episcopum, & sic ab omnibus, qui in eodem Concilio fuerunt, Episcopis accepit sententiam, dicentibus per ordinem omnibus. Secundùm tuam confessionem cessa à Ministerio.* Pudet iterum recitare flagitium Ebonis, qui Ludovicum *falsò fuerat criminatus* [d], *& eisdem falsis criminibus appetitum à Regno dejecerat, armisque ab eo ablatis, nec confessum, nec convictum, contra Regulas Ecclesiasticas ab Ecclesia aditu ac Christianorum societate eliminaverat.* Peccatum igitur contra Regulas Ecclesiasticas in exauctoratione Ludovici, nequaquam in Ebonis depositione.

AN. CH. 838. LUDOV. IMP. 25. LOTHAR. IMP. 22. PIPPINI R. 24. LUDOV. R. 22. CAROLI R. 9.

[a] Ad an. 818.
[b] Cap. 37.
[c] Lib. 2. c. 20.
[d] Flodoard. l. 2. c. 20.

LXVIII.

Capitibus vicesimo & vicesimo-primo Interpolator Martyrium Sancti Frederici describit, causámque potissimùm in literas de quibus suprà, sic rejicit. *Hujuscemodi verbis Imperator magis etiam in virum Dei irâ inflammatus, de ejus nece tractare cœpit, Reginaque ad eum semper instiganti id negocii dedit, ut eam conficeret. Atque ita in Gallias proficiscens, profanam Imperatricem apud Rhenum reliquit, ut eam cædem acceleraret, ac deinde ipsum incunctanter sequeretur. Multas igitur illa beato viro molita insidias, cùm eum nec precibus nec amplissimis promissionibus flectere posset, quadam æstate illo Trajecti, paucis retentis militibus, more solito cum fratribus degente, atque illic suum præstolante obitum, quem impendere sciebat, Imperatrix sub dies Caniculares convocatis undique ad se illis, quos sibi & Imperatori fidos noverat, ita locuta est. Quantâ præ cæteris Episcopis molestiâ & me & Imperatorem Fridericus Præsul afficiat, vos latere non puto. Itaque modis omnibus oratos vos velim, quos nostra capessere jussa par est, ut me de illo ulciscamini, idque arte quadam, ne res innotescat, unde vobis ingens possit creari periculum. Ejus facinoris amplissimam à nobis mercedem expectabitis. Displicuit is sermo omnibus religiosis & probis viris, sed duo superbi & cupidi juvenes promiserunt Reginæ se eam rem curaturos, modò velit præmium polliceri. Ubi id illa promisit, & omnes jurarunt se Episcopo minimè indicaturos, illi*

AN. CH. 838.
LUDOV. IMP. 25.
LOTHAR. IMP. 22.
PIPPINI R. 24.
LUDOV. R. 22.
CAROLI R. 9.

cùm ficas accepissent, Trajectum se contulerunt. Quò cùm pervenissent, dixerunt se habere in mandatis à Regina, quæ Episcopo cuperent indicata. Quod ubi Episcopo ad sacrificandum sese præparanti significatum est, ille ingemiscens, erectis sursum oculis & manibus, Deo prolixè gratias egit, quòd tempus optatæ mortis adesset. Deinde ad adstantes vultu Angelico conversus, scio, inquit, quid isti velint, sed expectare eos jubeo, donec peractum sit sacrificium. His dictis, è Cathedra Pontificia surgens Missam cum multa devotione celebravit, & post lectum Evangelium sermonem habuit ad populum, obitúmque suum obscurè & rectè prædixit, ne illos mœrore afficeret, à quibus se haud aliter atque patrem noverat amari. Ait enim se illo die escam sempiternam cum Sanctis in cælis à Domino percepturum, porrigénsque eis Corpus & Sanguinem Domini, omnibus valedixit, & Pastor fidelis Pastori bono Domino nostro Jesu Christo oves ipsi commissas commendavit. Vidisses tum Clerum & populum omnem præ dolore lachrymantem, nec tamen scientem quid hæc sibi vellent, quæ ab Episcopo fiebant. Absoluto sacrificio, sic ut erat vestitus, in Oratorium Sancti Johannis Evangelistæ, ubi ejus sarcophagus erat, ingressus, exclusis omnibus, præter unum Capellanum suum, Sanctórum omnium cum lachrymis & suspiriis patrocinia imploravit, & deinde eos, qui ad ipsum missi erant, jussit introduci. Illis intrantibus, Capellano suo præcepit, ut retrò Altare Salvatoris ambularet, nec rediret, donec ab ipso esset accitus. Cúmque jam solus esset cum sicariis illis, eósque trepidantes cerneret, ait ad eos. Facite, quod jussi estis, intrepidi. Ego enim adventûs vestri causam scivi antequàm vos huc veniretis. Id ubi illi audierunt, cùm eum ultrò mortem expetere viderent, in extis eum sicis suis percussere, atque irridiculè vicissim dixerunt. Ulta se est de te Regina nostra. At Martyr Dei quibus poterat viribus, vulnera compressit, ne sanguis & intestina effluerent, dixítque sicariis illis, ut properè abscederent, ne comprehenderentur. Illis celeriter aufugientibus, post aliquantam moram accersivit vir beatus Capellanum suum, jussitque ut ex muro contemplaretur, num illi nuncii Rhenum trajecissent, & quâ uterentur celeritate, ipsi renunciaret. Fecit ille ut jussus erat, reversúsque ad Episcopum, ut eum vidit in facie mutatum, penè exanimatus quæsivit, quid haberet, aut quidnam ipsi accidisset. Tum vir Sanctus rogans eum, ne perturbaretur, percussus sum, inquit, fili mi, advoca fratres & commilitones meos, accersi populum Dei, ut reddant me, unde egressus sum, terram terræ, oréntque ut spiritus meus, licèt indignus, dirigatur ad Dominum, pro cujus legibus & amore sanguis meus hodie fusus est. Id postquàm ille audivit, evellens capillos suos & flens miserabiles dabat voces. Ubi autem cæteris indicavit, quis planctus, quæ lamenta illic extiterint, nemo pro dignitate explicare queat. Tandem Sancta Odulpho, beati viri cooperatore, cum Clero & populo adveniente, simúlque omnibus clamantibus, cur nos pater orphanos derelinquis? gloriosus Martyr cum lachrymis Prophetico spiritu dixit. Fratres & filii mei charissimi, si qua mihi pars est cum Sanctis in cælo, non vos relinquam desolatos, sed pro vestra salute & incolumitate perpetuus ero intercessor. Sed noveritis tamen propter Imperatoris conjugísque & Procerum ejus peccata, totum Regnum, Danorum incursione, vastatum iri, & propter iniquitates nostras etiam hanc urbem & Diœcesim pœnas luituram. His ægrè prolatis, cùm populo benè precatus esset, vivus in tumulum intravit, psalmodiásque, quæ in funere cantari solent, ipse inchoans dixit. Placebo Domino in regione vivorum. Deinde crebrò repetens versum hunc. In manus tuas, Domine, commendo spiritum meum, cælum supinus intuebatur. Et cùm dixisset, hæc requies mea in seculum seculi, hic habitabo quoniam elegi eam, Domino spiritum reddidit. Clericis autem corpus ejus humantibus, tanta odoris suavitas totam complevit Ecclesiam, ut præsentes omnes nihil ambigerent beatorum spirituum illuc multitudinem advenisse, quæ Sancti Martyris animam ad cælos cum triumpho deduxisset.

LXIX. In duobus hisce capitibus Interpolator nuptias Judithæ cum Ludovico supponit incestas esse. Supponit & Fredericum Episcopum potiri Dominio seculari, præsidiariis præesse militibus, cúmque apud Ultrajectum exercere potestatem, quam Episcopi per Germaniam seculis longè recentioribus

habere

AN. CH. 838. LUDOV. IMP. 25. LOTHAR. IMP. 22. PIPPINI R. 24. LUDOV. R. 22. CAROLI R. 9.

habere cœperunt, habéntque nostris temporibus tanquam Imperii Principes. Neutrum probamus. Ludovico nihil unquam objectum de incesto conjugio. Illius ætate nullus Episcopus Principem Imperii se dixit. Fredericum tamen Ultrajectensem Episcopum haud negamus à duobus sicariis interfectum fuisse, quorum etiam fugæ salutique per insignem charitatem consuluerit, at eos à Ludovico Imperatore vel à Juditha Augusta directos inficiamur. Occisus est Fredericus decimo-quinto Kalendas Augusti, quo die cum Martyris titulo colitur in Tabulis Ecclesiasticis, sic. *Trajecti, Sancti Federici Episcopi & Martyris.* Sacer ille cultus nos induxit, ut beatum Episcopum, qui nec à paganis, nec ab hæreticis interemptus est, asseramus mortem subiisse pro zelo justitiæ quam propugnabat. Odium sicariorum videtur incurrisse, quòd Episcopali functus officio vel eos, vel alios potentiores à quibus missi sunt, ob vitia, fortè ob incestas nuptias, redarguisset.

LXX. De Sancto Frederico Cæsar Baronius in Notis ad Martyrologium Romanum [a] sic habet. *De eo Tabulæ Ecclesiæ Trajectensis, Molanus in Additionibus ad Usuardum, at pluribus in Indiculo Sanctorum Belgii. Gesta autem ejus fusiùs scripta refert Surius Tomo quarto, ex quibus alii plures, qui de ipso scripsere, accepisse noscuntur. Martyrio occubuit anno Domini 838, ea de causa, quòd, sicut & Sanctus Joannes Baptista, hic coarguit Regem ob introductam pellicem consanguineam, cujus artibus, missis sicariis, occisus est.* Molani hæc est ad Usuardum Additio. *Item Trajecti, Frederici, ejusdem loci Episcopi & Martyris, qui innocens à nocentibus pro veritate occisus est ante sanctum Altare Dei post Missæ celebrationem, sepultus eodem loco.* Quid idem Molanus in Indiculo Sanctorum Belgii de Sancto Frederico scripserit, recitavimus examinavimúsque suprà. Gesta quoque prædicti Martyris apud Surium consuluimus, & in singula capita diligenter inquisivimus. Miramur Baronium adeò fisum esse Molano ac Surio, ut Juditham Augustam non dubitarit *pellicem & consanguineam* Ludovici Pii dicere. Notas in Martyrologium multò priùs exaravit, quàm nonum aggrederetur Annalium Tomum, quo res gestas ejusdem Ludovici per annos accuratè digessit. Quapropter ad annum Redemptoris octingentesimum duodequadragesimum [b], quo beatus Fredericus Martyrium passus est, sententiam mutavit, Actis, quæ Surius publicarat, attentiùs perlectis. *Ceterùm*, inquit, *quòd multùm ob connubium proscindatur in eis Ludovicus Imperator, laudentur verò qui ejus exautorationis auctores fuerunt Episcopi, in quorum in eùm accusationibus illatis nulla de his penitus habetur mentio; multáque etiam bonè temporibus convenientia pariter coacerventur, in suspicionem venerunt facta illa, nimirum concinnata fuisse ab alio qui adversaretur tunc temporis Ludovico. Sed & cùm nullum hactenus repererim ex veteribus, qui hisce scriptis testis accedat, suspecta magis apud me fidei perseverant, aliámque potiùs cædis Sanctissimi viri causam præcessisse putarim.* Prævalidis argumentis Acta Sancti Frederici, quæ Surius evulgavit, ostendimus scripta ineunte seculo undecimo, seriúsque interpolata cùm Reges sive Imperatores Germaniæ per pedum & annulum paulò ante orta de investituris dissidia, Episcopatus concedebant. Frustrà igitur Baronius suspicatur Auctorem Ludovico synchronum extitisse. Præcellentissimus hic Annalista graviter in Annalibus queritur suas in Martyrologium Notas sæpiùs recusas esse, deceptúmque Lectorem admonitione commentitiâ, quòd ab Auctore priùs revisæ fuissent. Utimur illarum Notarum Editione, quæ Parisiis anno Christi millesimo sexcentesimo quadragesimo-quinto prodiit, & in ipso titulo significat opus *ante mortem Auctoris, ab ipso (insertis quæ addenda vel mutanda notaverat) revisum, auctum, & ex singulari Decreto Pontificis Maximi (ne alia Editio nisi hæc juxta Vaticanum Exemplar usurpetur) publici juris factum.* Quod an verum sit, docent textus proximè citati cùm ex Notis in Martyrologium, tum ex Annalibus Ecclesiasticis Baronii. Sunt enim sensus il-

[a] d. 18. Jul.

[b] Num. 5.

AN. CH. 838. LUDOV. IMP. 25. LOTHAR. IMP. 22. PIPPINI R. 24. LUDOV. R. 22. CAROLI R. 9.

lorum textuum valdè diversi, quamvis in margine Notarum nonus adscribatur Annalium Tomus, in quo mentio fit Sancti Frederici Martyris. Duplicem commiserunt errorem, qui curarunt editionem Notarum quam præ manibus habemus. Injurii sunt Auctori, quod enim hic mendum in Annalibus appositè correxit, illud servant in Notis ad Martyrologium, quas nihilominus revisas & auctas prædicant. Deinde reos se produnt negligentiæ, cùm locum Annalium, qui Notis ad Martyrologium respondeat, in earumdem Notarum ora vitiosè sic ponunt, *To. 9. an. 583. nu. 4.* tu notatiunculam illam sic restitue, *Tom. 9. an. 838. nn. 3. 4. 5.* Visum nobis fuerat sufficere, si Gesta Sancti Frederici Martyris *ad Annales Francorum reformanda* moneremus cum Bernardo Furmerio, atque ex nono Ecclesiasticorum Annalium Tomo textum suprà descriptum allegaremus, in quo Baronius stetit ab hac reformatione, recessitque ab Actis Surianis, quæ priùs in Notis ad Martyrologium approbarat. Sed cùm longè post ipsius Baronii mortem sæpiùs recusæ fuerint ejus Notæ in Martyrologium absque reformatione de qua loquimur, & anno Christi millesimo sexcentesimo tricesimo-septimo ex Surio in Martyrologium Gallicanum Acta prælaudati Martyris inemendata transierint, operæ pretium duximus in singula capita studiosiùs inquirere.

LXXI. Capite vicesimo-secundo, Interpolator post Sancti Frederici Martyrium hæc subjungit. *Porrò Germaniæ & Galliæ Episcopi, compertâ cæde immeritâ beati Friderici, uno animo in Imperatorem & Juditham insurgentes, dixerunt dignos eos esse, qui Regno pellerentur, & anathemate percussi melioribus cederent, qui populum Dei regere non jugulare scirent, ejusque legem & ceremonias servarent. Quod ubi Imperator didicit, multùm anxius & perturbatus verebatur ne ab ipso ad filios deficerent, ipsóque pulso illos eligerent. Juravit igitur cum Regina in conspectu omnium se ab Episcopi Friderici cæde prorsus immunes esse, & neque voluntate suâ eam perpetratam; ipsos autem sicarios, qui eum peremissent, nullibi posse reperiri. Tum verò Episcopi, qui convenerant, domum abiere, missisque militibus ubique inquiri illos homicidas jussere. Illi igitur certam sibi necem impendere videntes, acceptâ à Juditha mercede tanti sceleris, è Regno in Regnum profugi ferebantur, donec subitaneâ extincti morte in tartarum demigrarunt. Imperator autem homicida & perjurus, dum filium Ludovicum trans Rhenum persequitur, subito correptus morbo, & in navim delatus, in Insula juxta Ingelnheim vitâ functus est.*

LXXII. Decimo-quinto Kalendas Augustas, anno Redemptoris octingentesimo duodequadragesimo, Fredericus Ultrajectensis Episcopus à sicariis confossus occubuit. Pippino ante menses aliquot mortuo, Ludovicus Imperator tres adhuc filios in vivis habebat superstites, Lotharium & Ludovicum ex Hildegarde, Carolum ex Juditha. Totius Franciæ Monarchiam in Conventu Wormatiensi Lotharium inter & Carolum nupertimè divisetat, exceptâ Bojoariâ, quam voluerat sub potestate Ludovici Regis permanere. Contra Ludovicum gerebat occultum odium, cujus causam aperuimus anno priori. Cùm autem exploratum habeatur res in eo tunc statu fuisse, tota corruit Interpolatio. Ludovicus enim Imperator & Juditha Augusta, ut nec conscii nec participes dicti vel habiti sunt sceleris in Ultrajectensem Episcopum perpetrati, sic nec sacramento se purgarunt, nec post Sancti Frederici Martyrium timuerunt ne Regno dejicerentur, nec ipsis sicariis post admissum flagitium fugam arripientibus auxilio fuerunt. Auctores necis à Deo punitos quis neget? At immunem à tanto flagitio probavimus Imperatorem, qui *perjurus* & *homicida* per calumniam ab Interpolatore nuncuparur. De illius obitu sermonem post biennium faciemus.

LXXIII. Graviùs peccat Joannes de Beka. Martyrium enim Sancti Frederici consignat *anno Domini* DCCCXXXVIII, XV *Calendas Augusti.* Deinde hæc proximè subjungit. *Pontifices tam Germaniæ quàm Galliæ percipientes innocen-*

AN. CH. 838.
LUDOV. IMP. 25.
LOTHAR. IMP. 22.
PIPPINI R. 24.
LUDOV. R. 22.
CAROLI R. 9.

tem necem Sancti Martyris, conspiraverunt omnes contra tyrannidem Imperatoris, & sua nefanda conjugis. Gregorius autem Papa his auditis descendit ad Franciam, transmittens Ludovicum Cæsarem Suessionis ad claustralem pœnitentiam, Jesse autem Ambianensis Episcopus Imperatrici velamen imposuit, quam ad pœnitendum sub Monastica disciplina Tribunus transtulit. Principes Francorum Lotarium primogenitum Ludovici Cæsaris Imperatorem elegerunt, & de communi consensu super thronum Majestatis honorificè collocarunt. Hunc textum multa redarguunt, quæ fusiùs exposita sunt. Gregorius Pontifex in Franciam venit anno Redemptoris octingentesimo tricesimo-tertio, nec particeps fuit exauctorationis Ludovicianæ quæ facta est illo anno, & Jessæus Ambianensis Episcopus integro ferè biennio priùs obiit, quàm Fredericus Trajectensis Episcopus neci traderetur.

LXXIV.

Apud Wilhelmum Hedam ambigitur *de annis, quibus Episcopi intermedii à Bonifacio usque Martyrium Frederici præfuerunt*, tamen apud hunc Auctorem, ut apud Joannem de Beka & apud alios haud paucos, *à Passione Bonifacii usque Martyrium Frederici numerantur anni* LXXXVI. Tomo quinto [a], cùm de Sancti Bonifacii Martyrio locuti sumus, super anno quo contigit quatuor recensuimus opiniones, quæ diversos octavi seculi notant annos, nempe septingentesimum quinquagesimum-secundum trésque proximè sequentes. Auctores suprà citati ceteris opinionibus primam & postremam præferunt. *Passus est*, inquit Heda, *Nonis Junii, anno* DCCLII, *secundùm alios* DCCLV. Qui stant à prima, inter utriusque Sancti, Bonifacii videlicet ac Frederici, Martyrium annos sex & octoginta numerant. Stetimus à postrema, ideóque annorum LXXXVI loco restituendos arbitramur LXXXIII.

[a] Ad an. 755. n. 120.

LXXV. ALPHRICUS FIT EP. ULTRAJECTINUS.

In Episcopatum Ultrajectensem Sancto Frederico successit Alphricus ejus frater, de quo sic Heda. *Frederico ex hac luce sublato, dum de successore Clerus Trajectensis inter se disceptarent, nonnullis in votum Præpositi Majoris Ecclesiæ, nomine Craft, licèt renitentis, ceteris in alios descendentibus, tandem auctoritate beati Odulphi omnis controversia sedata est, & ejus operâ Alphricus Presbyter, frater ipsius Frederici Episcopi Martyris, ex parte deformis, virtutibus tamen insignis, omnium consensu constituitur Episcopus nonus in ordine.*

LXXVI. ROTGHARIUS COMES MUNIFICUS ERGA ECCLESIAM ULTRAJECTENSEM.

Sub isto Alphrico Rotgharius Comes donavit Ecclesiæ Trajectensi plurima bona sua, quæ habuit in proprietatem, & in pago Leomerike in villa Thuma, Alatinge, Westrehesi in pago isto in villa Ductingen, in pago Felva, in villa Lona, Sulnenda, Wagenuvega, Werdupa, in pago Huitingoe in villa Herodna, vallo Bracola Thullere, præstariam, ut aiunt, seu usum ad vitam, quæ Ecclesia in villa Gruosna, & Fnmerchara, & Heca, itémque in Seyst, Lisidinion, Hisi, Theoterne habebat, anno Ludovici XXV, sive, ut Heda interpretatur, *anno Salutis* DCCCXXXVIII, *quo anno passus est Sanctus Fredericus.* Id verius est, quàm quæ Martyrio Sancti Frederici subjicitur apud Surium hæc Nortmannorum in Frisiam irruptio. *Eodem anno Propheticus beati viri sermo cœpit impleri. Nortmanni enim cum magna classe mare ingressi, ad oppidum Dorestadum, quod nunc Vuyck vocant, olim tam amplum, ut ferantur in eo quinquaginta & quinque Ecclesiæ fuisse, appulerunt, vastatúmque flammis exusserunt, & cum opima præda etiam multos captivos abduxerunt. Ac deinde omni regione populatâ & vexatâ abierunt.* Apud Astronomum enim & apud alios coætaneos Auctores altum est hoc eodem anno de Nortmannis silentium.

LXXVII. REGINARIUS EP. PATAVIENSIS ET LAUREACENSIS OBIT.

Apud Hundium [b] Reginarius Pataviensis Episcopus sub hujus anni finem moritur, *vacat Pataviensis Ecclesia propter discordiam per annum & ampliùs*, id est, ad annum usque Redemptoris octingentesimum quadragesimum, quo Pontificatum iniit Hardovicus, ut ad illum annum dicturi sumus. In Episcoporum Pataviensium Catalogo, quem Hundius laudat, Reginarius Moravorum Apostolus nuncupatur, vocatur & Archiepiscopus, atque inde non levis oboritur difficultas, an Archiepiscopus etiam Lau-

[b] Tom. 1.

AN. CH. 838.

reacensis extiterit. In Regiis Diplomatibus ad annos Redemptoris octingentesimum tricesimum-secundum [a] & octingentesimum tricesimum-sextum [b] appellatur tantùm Episcopus; ejus successores, quandiu Patavia Francis paruit, haud alio titulo videntur insigniti, quin & Salisburgensi Metropolitæ subjecti deprehenduntur. Hæ res facilè nos adducunt, ut assertiones, quas hic conglobatim subjungimus, pro certis teneamus. Reginarius Pataviensis Episcopus Urolpho Laureacensi Metropolitano superstes vixit. Urolpho mortuo, suppressum est Laureacensis Archiepiscopi nomen, Diœceses Laureacensis ac Pataviensis iterum simul unitæ fuerunt, in unam quoque provinciam coaluerunt Salisburgensis & Laureacensis, atque ut ambabus Ecclesiis Pataviensi ac Laureacensi præfuit Reginarius Episcopus, ita provincias Salisburgensem ac Laureacensem anteà separatas unus regere cœpit Archiepiscopus Salisburgensis aut Adalramus aut ejus successor Liuptamus qui Pontificatum anno Redemptoris octingentesimo tricesimo-sexto suscepit.

[a] Num. 2.
[b] Num. 29.

PROVINCIÆ SALISBURGENSIS ET LAUREACENSIS SIMUL UNITÆ.

LXXVIII. [c] D. 13. Jan.

S. HUBERTUS MIRACULIS CLARET IN MON. ANDAINENSI.

In Floribus [c] Ecclesiæ Leodiensis apud Bartholomæum Fisenum habetur Sevoldi Andainensis Abbatis elogium, in quo Monasticæ disciplinæ cultus apud Andainum florentissimus anno seculi noni *tricesimo-septimo* commendatur. Sed hunc Auctorem decepit Anonymus, qui Miracula Sancti Huberti sub finem undecimi seculi conscripsit, & annum vicesimum-quintum Ludovici Augusti, necnon & annum vicesimum-octavum Walcandi Leodiensis Episcopi, cum anno Dominicæ Incarnationis octingentesimo tricesimo-septimo malè comparavit. Nos expuncto illo anno restituemus octingentesimum tricesimum-octavum, quocum annus Ludovici Augusti vicesimus-quintus, & annus Walcandi Leodiensis Episcopi vicesimus-octavus rectè componuntur. *Anno igitur Verbi Incarnati octingentesimo tricesimo-octavo *, Imperii autem Ludovici vicesimo-quinto, ordinationis verò Domni Walcandi Episcopi vicesimo-octavo, accidit, ut circumquaque desæviret furor animadversionis, ejúsque furoris pondus maximè incumberet vicinia Beati Huberti. Tanta enim imbrium inundavit enormitas, tanta sæva tempestatis immanitas, ut quæque sata, aut radicitus evelleret, aut ad solum usque deprimeret, & ex periculo famis mortem omnibus intentaret. Hujusmodi pestem offensioni sua reputantes Sacerdotes, cum populis conferebant, & qualiter divinæ indignationi satisfacerent, ad invicem consulebant. Tandem definito consilio, hoc solum crediderunt sibi superesse remedium, ut ad Beati Huberti confugerent patrocinium, si tamen liceret eis indifferenter ejus adire Monasterium. Nam tunc temporis sub Venerabili Abbate Sevoldo tanta in loco erat Religionis reverentia, ut quibusque secularibus difficilis esset ibi conveniendi licentia, nullúsque ingrediendi aditus concederetur feminis, nisi in annuali festo ipsius Pontificis. Præmissi igitur cum precibus Legati periculum, quo premebantur, suggesserunt Abbati & Fratribus. Et quia sciebant conveniendi aditum difficillimè concedendum, ut tamen concederetur prætentâ generali necessitate expetierunt, addentes se velle cum Reliquiis & Crucibus convenire, & offensam divinæ indignationis, per intercessionem ejusdem Patroni, collatis muneribus complacare. Audito periculo communi Abbas & Fratres cœperunt angustiari, ne vel infracto consuetudinis usu arguerentur temeritatis, vel deesse viderentur tribulantium devotioni & justæ petitioni. Tandem compulit invitos caritatis affectus, ut fraternæ necessitati compaterentur, & ex communi consultu, permissâ licentiâ veniendi, indixerunt & hoc ipsum fieri cum gravitate & reverentia. Cúmque hujusmodi consensum Legati ad eos, qui se præmiserant, hilariter retulissent, de spe consolationis conceptâ lætitiâ, omnes in commune jocundantes Dominum laudabant. Ergo ex condicto devotionis, Sacerdotes undequaque terni aut quaterni vel quini, prout erat eis convenientia commeandi, multâ plebe sexûs utriusque comitante, certificatis diebus ad Monasterium, nudis pedibus, & jejunantes, cum Crucibus atque oblationibus convenerunt; Fratres quoque debitâ devotione & reverentiâ venientibus obviam processerant. Quibus Ecclesiam cum laudibus ingressis, & ad sepul-*

* Edit. malè *septimo*.

SEVOLDUS ABB. ANDAINENSIS.

f

AN. CH. 838. LUDOV. IMP. 25. LOTHAR. IMP. 22. PIPPINI R. 24. LUDOV. R. 22. CAROLI R. 9.

chrum Sancti Pontificis oblationibus depositis, post celebrationem Missarum, ejusdem Patroni intercessione, divinæ consolationis effectum absque ulla dilatione obtinuerunt. Nam illico, radiante Sole, conquievit inundatio imbrium, & longo pòst tempore nullum partibus illis qualibet tempestas intulit damnum. Nec mora, provinciales tam celerem divinæ propitiationis experientiam meritis Beati Huberti reputantes, petierunt sibi concedi, ut per singulos annos, certificatis diebus, pro necessitatibus suis multis convenirent, eâ nimirum conditione interpositâ, ut quisque deferret ad devotionis gratiam, prout esset illi facultatis copia, cujus devotionis consuetudinem, ne quisquam infirmare vel minuere præsumeret, banno sive edicto *Imperiali & Lege Synodali confirmata est.*

LXXIX. Tetta prima Herivordiensis Abbatissa, cujus mentionem sub initium hujus Tomi jam fecimus [a], hoc anno memoratur in Diplomate Ludovici Pii, quod à se visum testatus est Adolfus Overhamus in suis ad Joannem Mabillonium literis, ut legere est primâ parte Seculi quarti Benedictini in observationibus præviis Translationi Sancti Viti Martyris.

[a] Ad an. 818. n. 74.

TETTA ABBATISSA HERIVORDIENSIS.

LXXX. Clerici Remenses in sua narratione tria distinguunt loca, Monasterium Fuldense seu Sancti Bonifacii, Episcopium Lexoviense, & Cœnobium Floriacense seu Sancti Benedicti, in quibus Ebo Remensis Archiepiscopus ad obitum usque Ludovici Augusti detentus est sub custodia. *Finito*, inquiunt, *Concilio*, quod anno Redemptoris octingentesimo tricesimo-quinto in Theodonis villa celebratum diximus, *reductus est sub arcta custodia ad Sancti Bonefacii Monasterium. Post aliquantum verò temporis commendatus est similiter ad custodiendum Freculfo Lexoviensi * Episcopo, inde etiam Bosoni Abbati in Monasterium Sancti Benedicti, sub cujus manu exulabat, quando Dominus Imperator viam totius ingressus est carnis.* Ut autem anno præterito Freculfi Lexoviensis Episcopi curæ commissus fuit, sic & ad Floriacense Monasterium ductus hoc anno videtur, ibique mansit ad mortem usque Ludovici Imperatoris, qui vivere desiit duodecimo Kalendas Julias, anno Redemptoris octingentesimo quadragesimo.

EBO REMENSIS ARCHIEP. BOSONI ABB. FLORIACENSI CUSTODIENDUS COMMITTITUR.

* Edit. *Luxoviensi.*

LXXXI. Ragnoardus Rotomagensis Archiepiscopus, cujus Pontificatum Ordericus [b] Vitalis decem annorum spatio circumscribit, hoc anno vitam clausit, Præsulatum enim iniit sub initium anni post Christum natum octingentesimi duodetricesimi, ut suo loco diximus [c]. Ei successit Guntbaldus seu Gumbaldus aut Gundebaldus, de quo plura inferiùs. Interim observa sæpè Ordericum errare, quando annos Archiepiscoporum Rotomagensium cum annis Romanorum Pontificum comparat, ut cùm ait Paulum Guntbaldi proximum successorem in Rotomagensi Cathedra sedisse VI *annis tempore Sergii Papæ*, qui Pontificatum tribus duntaxat annis cum aliquot mensibus gessit. Ideóque nemini mirum esse debet, quòd Ragnoardum ad Infulas Archiepiscopales anno Redemptoris octingentesimo duodetricesimo promotum asseruimus, quamvis Ordericus aliter sentire videatur adjecto *tempore Eugenii, Valentini, & Gregorii* IV *Paparum*, Eugenius enim & Valentinus anno Redemptoris octingentesimo vicesimo-septimo vitam clauserunt. In literis Eugenii Papæ, quas Auctor Neustriæ Piæ [d] recitavit, vertítque Pommerayus [e] in vernaculum sermonem, mentio fit Raynoardi seu Ragnoardi Rotomagensis Archiepiscopi. Sed inde colligimus hanc epistolam esse suppositiriam, quia Ragnoardus post Eugenii Papæ Secundi mortem Pontificatum Rotomagensem suscepit. In iisdem literis Eugenius Hilduinum, quem Abbatem *SS. Dionysii*, Medardi, & Germani vocat, ait præesse *Ecclesiæ Sancti Petri in partibus Neustriæ à Clothario constructæ, ubi Sanctissimus Andoenus requiescit in corpore.* Hilduinum trium simul Monasteriorum, nempe Sancti Dionysii in agro Parisiensi, Sancti Germani prope Parisios, & Sancti Medardi prope muros Suessionenses Abbatem agnoscimus, nequaquam autem Abbatem Beati Petri prope muros Rotomagenses. Abbatum, qui Monasterium hoc administrarunt à primo conditu ad

[b] Lib. 5.

ARCHIEP. ROTOMAG.

[c] Hoc Tom. a. 828. n. 30.

[d] In S. Audoeno c. 7.

[e] In Hist. Mon. S. Audoeni, l. 3. c. 3.

AN. CH. 838. LUDOV. IMP. 25. LOTHAR. IMP. 22. PIPPINI R. 24. LUDOV. R. 22. CAROLI R. 9.

annum usque Redemptoris octingentesimum quadragesimum-primum quo redactum est in cineres à Nortmannis, vix ulla superest memoria. Solus in Gallia Christiana memoratur Riculfus. Apud Arturum *du Monstier* in Neustria Pia & apud Franciscum Pommerayium in Historia prædicti Cœnobii præter Riculfum decessor ejus exhibetur Hilduinus ex Eugenii literis in quas inquirimus. Mirum sanè tot inter Auctores, qui loquuntur de Hilduino, reperiri neminem, à quo Sancti Petri seu Sancti Audoeni prope Rotomagum Abbas prædicetur. Prævalidum ex hoc silentio sumitur argumentum adversùs eos, qui se satis tutos arbitrantur auctoritate literarum, quas adscribunt Eugenio Papæ. Quid si materiam illarum inspiciamus? Eugenius sic habet. *Dilectissimus filius noster Hilduinus Abbas S S. Dionysii, Medardi, & Germani, pro voluntate charissimi nostri Ludovici Imperatoris, suggessit quatenus Ecclesia Sancti Petri, cui præerat in partibus Neustriæ a Clothario constructa, ubi Sanctissimus Audoenus requiescit in corpore, hujusmodi Privilegium authoritate nostrâ firmaremus, ut scilicet omnes terras & consuetudines terrarum à prædecessoribus Regibus, Clothario, Theodorico, item Clothario, Dagoberto, Clodoveo, item Theodorico, Carolo Magno, ac filio ejus Piissimo Imperatore Ludovico, isti loco concessas, perpetualiter confirmaremus possidendas.* &c. *Hæc igitur omnia, ut quæ ab Antecessoribus nostris concessa sunt, Raynoardi, ipsius urbis Archiepiscopi, consensu, & Imperatoris, tali anathemate confirmamus*, &c. Facilè credimus emissum ab Imperatore Ludovico Præceptum, quod oriosus quispiam in Pontificium Eugenii Diploma deflectere voluit. Opinioni nostræ non parum favet hæc phrasis, *quæ ab antecessoribus nostris concessa sunt*, possessiones enim quamplures illi Monasterio concesserunt Francorum Reges prædecessores Ludovici Pii, nullam Romani Pontifices antecessores Eugenii. De istius Cœnobii conditu actum Tomo primo ad annum Christi quingentesimum tricesimum-tertium [a]. Qui nominantur in præcitatis literis Reges Francorum, ut Carolum Magnum & Ludovicum Pium Reges alîus stirpis omittamus, hi fuerunt ex genere Merovei, Clotarius Primus, Merovei pronepos; Theodoricus Secundus, pronepos quoque Clotarii Primi; Clotarius Secundus, ejusdem Clotarii Primi nepos, agnatus Theodorici Secundi; Dagobertus Primus, Clotarii Secundi filius; Clodoveus Secundus, Dagoberti primi filius; & Theodoricus Tertius, Clodovei Secundi filius. Præceptum autem, quo possessiones ab antecessoribus Regibus Monasterio collatas confirmarèt, Ludovicus Augustus emittere potuit Raynoardo seu Ragnoardo Rotomagensem Archiepiscopatum jam administrante. Non desunt qui Ragnoardi Præsulatum ultra annos octo prorogandum negent. At eos erroris etiam redarguit Auctor [b] Chronici Rotomagensis, apud quem hæc leguntur ad annos Redemptoris octingentesimum duodetricesimum & octingentesimum duodequadragesimum. *828. Ragoardus Episcopatum Roth. accepit. 838. In isto anno accepit Guivildidus Arch. Roth.* Id est, Ragoardus seu Ragnoardus factus est Archiepiscopus Rotomagensis anno Redemptoris octingentesimo duodetricesimo, Pontificatum gessit annis decem, migravit è vivis hoc anno Redemptoris octingentesimo duodequadragesimo, eique successit Guivildidus, quem alii Guntbaldum seu Gumbaldum & Gundebaldum appellant. Hanc Chronologiam ad annum Redemptoris octingentesimum duodequinquagesimum denuò confirmabimus.

[a] Num. 45.

[b] Tom. 1. Biblioth. Labb.

LXXXII. ANISOLENSE MON. ALDRICO EP. CENOMANN. EVINDICATUR IN AQUISGRAN. PLACITO.

In Aldrici Cenomannensis Episcopi Gestis, capite quadragesimo-septimo, legitur *Relatio sive Memoriale, qualiter Monasterium Anisolæ*, seu Sancti Carilephi, *ad jus Cenomanicæ Matris Ecclesiæ ante Domnum Hludovicum Imperatorem ab eodem Aldrico canonicè & legibus evindicatum fuit.* Prolixum quidem est hoc opus, at multis purgandum fabulis, quarum plerasque Tomo quinto ad annum Christi septingentesimum quinquagesimum-tertium jam attigimus. In ista lucubratione Monasterium Carilephianum primariæ Ce-

nomannorum Ecclesiæ subjectum manet, donec Pippinus Rex illud sibi spreto Cenomannensium Episcoporum jure summittit, idque præstat ob privatum odium Gosteni seu Gauzioleni Episcopi, *quia quando fuit Cenomanica in patria, & de quadam persecutione inimicorum suorum reversus per Cenomanicam patriam transibat tunc eum Gauziolenus & suus frater Harivius non receperunt, sed infra Cenomanicam urbem cum omnibus, quos secum conducere potuerunt, se recluserunt, & Domnum Pipinum Regem illuc introire non permiserunt, sed damnum ei de suis hominibus facere nitebantur, & suum Pincernam coram eo stantem, dum sua castra in vinea Sancti Petri juxta urbem Cenomanicam posita erant, interfecerunt, & alios homines vulneraverunt. Videns autem Domnus Pipinus, quòd ibi proficere non potuit, vastans totam illam regionem, pergere cœpit ad Franciam. Tunc in ipso itinere venit ad ipsum prædictum Monasterium Anisolam, & præcepit illis Monachis ut nullam obedientiam facerent jam dicto Gauzioleno, eò quòd ei rebellis esset, sed sub suo mundeburdo vel sub sua tantummodo tuitione vel dominatione permanerent. Et tunc eis ac Siebaldo eorum Abbati talem epistolam dedit, quod propter odium, ut dictum est, Gauzioleni, & non propter ullam aliam rem aut injustitiam factum esse liquet. Tunc enim ipse Siebaldus non fuit ausus ibi remanere, sed unà cum Pipino usque in Franciam perrexit. Posteà verò cognoscens Pipinus quòd injustè fecisset, & propter odium Gauzioleni hoc egisset, præcepit filio suo Karolo, & jurejurando contestatus est, ut præfatum Monasterium redderet Cenomanicæ matri Ecclesiæ, cujus justè esse debebat, ne aliquod detrimentum sua anima ex hoc haberet. Et sic fecit posteà Domnus Karolus, & Franconi Episcopo illud reddidit, atque per Præceptum suum prædictæ matri Ecclesiæ confirmavit.* Hæc eadem Ecclesia rursus illud Monasterium amisit Francone Primo tunc Episcopo, qui prædictum Cœnobium *suo propinquo Adalghyso* impetravit, *ut pro illo Regalia servitia & itinera faceret, quæ ille pro sua infirmitate & senectute facere non valebat.* Idem rerum status sub altero Francone fuit. Hujus autem proximus successor Aldricus Ecclesiæ Cenomannensi sua reddi jura postulavit. In Conventu Carisiacensi coram Ludovico Imperatore causa ventilata, mense Septembri, anno Redemptoris octingentesimo tricesimo-septimo Monasterium, de quo quæstio movebatur, adjudicatum est Ecclesiæ Cenomannensi. Sed illâ sententiâ finis liti nequaquam impositus, contentio recruduit anno proximo, nec defuerunt qui Cœnobium ipsum assererent juris esse Regii. Quapropter, ut inter Cenomannenses Episcopos & Carilephianos Abbates altercatio tota pacificè tandem terminaretur, habita Synodus Aquisgranensis hoc anno, tempore quadragesimali. Factâ Legum Ecclesiasticarum & civilium multorúmque Diplomatum seu Privilegiorum seu Præceptorum lectione, Ludovicus Augustus in prænominatum Monasterium nihil sibi juris arrogavit, Aldricus Episcopus causâ superior evasit, lata sententia in Sigemundum Abbatem, qui Placito, quamvis quater vocatus, adesse noluit. Actum hoc judicium *anno Incarnationis Dominicæ* DCCCXXXVIII, *& anno Imperii præfati Domni Hludovici Imperatoris* XXV, *anno verò Ordinationis sæpedicti Aldrici Episcopi sexto, pridie quoque Kalendarum Maiarum, Aquisgrani Palatio.* Interfuerunt, *Judith Imperatrix, Karolus Gloriosissimus Rex, Drogo Archiepiscopus atque Archicapellanus, Autcarius Archiepiscopus, Hadalboldus Archiepiscopus, Amaluvinus Archiepiscopus, Aiulphus Archiepiscopus, Rataldus Episcopus, Ecardus Episcopus, Erardus Episcopus, Ebruinus Episcopus, Wilricus Episcopus, Albericus Episcopus, Ghefridus Episcopus, item Alberiuus Episcopus, Simeon Episcopus, Ercanradus Episcopus, Jonas Episcopus, Wiladus Episcopus, Ansigaudus Episcopus*; nonnulli etiam Abbates, plurimique Comites & Vassi Dominici, quorum enumerationi supersedemus. Hæc est rerum series in Diplomate, de quo nunc agimus; quid unoquoque de negotio sentiamus, restat hic exponendum.

Fabulis accensemus quicquid de Pippini Regis adventu in pagum Cenomannensem déque obsidione Cenomannica memoratur in textu præci- LXXXIII.

AN. CH. 838. LUDOV. IMP. 25. LOTHAR. IMP. 22. PIPPINI R. 24. LUDOV. R. 22. CAROLI R. 9.

tato. Pippinus Regnum tenuit annis sexdecim, ab anno Christi septingentesimo quinquagesimo-secundo ad septingentesimum duodeseptuagesimum. Ejus vitam per annos quamplurimi digesserunt Auctores, vel coætanei vel suppares. In tanto Scriptorum numero nullos invenitur, qui Regem illum in Cenomannia visum, aut oppugnatam ab eo primariam regionis urbem atque à Gauzioleno seu Gosleno Episcopo rebelli propugnatam meminerit. Alio non opus est argumento, ut in Aldrici Gestis ex capite quadragesimo-septimo, quod examinamus, rescindas ea, quæ de Pippino Rege, de Gauzioleno Episcopo Cenomannensi, déque Siebaldo seu Sigobaldo Abbate Carilephiano circumferuntur. Gauziolenus Pontificales Infulas Pippino jam Rege suscepit, eique vixit superstes ad annum usque Christi septingentesimum septuagesimum secundum. Ordinatus fuit contra Canones anno Christi septingentesimo quinquagesimo-tertio, post biennium verò depositus anno Christi septingentesimo quinquagesimo-quinto, Sedem tamen post annos expulsionis novem recepit anno Christi septingentesimo sexagesimo-quarto. Hæc suis locis probata. Questi sumus Tomo primo [a], quòd fervente diuturno inter Episcopos Cenomannenses & Fratres Carilephianos dissidio producta sunt in Monachorum gratiam apocrypha Regum Diplomata, eodémque prorsus dolo noscuntur usi, qui partes Episcoporum tuebantur. Et Tomo quinto [b] negavimus Pippinum Regio statuisse Præcepto, ut Abbas illius loci Siebaldus seu Siebaldus aut Sigobaldus cum Monachis à Cenomannensis Episcopi jurisdictione deinceps eximeretur.

[a] An. 515. n. 3.

[b] An. 755. n. 62.

LXXXIV. Aldricus, quia sententia in Placito Carisiacensi lata caruit effectu, multùm suo temisit de jure, nullúmque lapidem non movere visus est, ut inter Ecclesiam Cenomannensem & Anisolense Monasterium per viros bonos & utrarumque partium amicos litem omnem pacificè componeret. Varias proposuit conditiones, quas Sigismundus Abbas sprevit, ut in ejusdem Aldrici Gestis testatur vetus Anonymus. *Offerebat ei*, nempe Sigismundo, *memoratus Aldricus Episcopus, ut aliquem censum ei ex hoc solveret, sicut sui Antecessores prædicti Episcopi Antecessoribus facibant, & per suum beneficium illud tenere, & nunquam ei diebus vitæ suæ de illo aliquod impedimentum facere volebat, sed quietè & pacificè unà cum suis Monachis eum inibi esse permittebat. Offerebat etiam & aliam causam prædicto Sigismundo, suadentibus prædictis amicis & bonis hominibus, jam dictus Aldricus Episcopus, ut si hanc non vellet, saltem aliam faceret. Permittebat autem ei duas aut tres villas, quales sibi eligeret, per suum beneficium habere, & ex his nullum servitium aut aliqua dona requireret, sed quicquid ex his vellet faceret.*

LXXXV. *His omnibus à Sigismundo spretis, cœpit sæpedictus Episcopus suam justitiam justè & rationabiliter quærere, quia plenam & justam rationem sibi habere videbatur. Præcepit enim hanc justitiam inquirere Domnus Imperator Ebroïno Pictaviensis urbis Episcopo, & Erchinrado Parisiacæ civitatis Episcopo, & Rorigoni Comiti, & Altmaro Seneschalcho Domnæ Judith Imperatricis, & Misso Palatino unà cum aliis Vassis Dominicis. Sed dum hæc res ad effectum tunc minimè pervenit propter alias necessitates, & hoc Domno Imperatori renuntiatum esset, præcepit ut ante se in suo Palatio ipsa altercatio finiretur. Tunc ergo jussit Domnus Imperator, ut haberent ambo eorum auctoritates & testimonia Aquisgrani Palatio ad suum Placitum, quod ibi tempore Quadragesimali cum Episcopis, & Abbatibus, & Comitibus, & ceteris fidelibus suis habebat, ut ibi pleniter præfixa altercatio finem perciperet. Sed Sigismundus jam vocatus ad ipsum placitum minimè pervenit. Qua de re iterum Domnus Imperator per suam epistolam eum vocavit, ut post Pascha veniret. Qui & hoc renuens jam tertià vocatus minimè venit, neque missum aliquem misit cur hoc dimitteret. Tunc cernens Domnus Imperator suam inobedientiam & contumaciam, expectavit tamen adhuc post tertium condictum Placitum quindecim dies ut veniret, sed cernens eum jam venire non velle, neque*

suam

suam rationem justè diffinire, quia minime hoc rationabiliter & veraciter se facere confidebat, & propereà venire ad Placitum nolebat, tunc Domnus Imperator interrogavit suos Consiliarios & Episcopos sive Abbates & reliquos fideles suos, quid ex hoc facere deberet, & quale consilium ex hoc ei darent, & quid de tam inobediente suo Præcepto facturus esset.

Omnes autem ita responderunt. *Pleniter & rationabiliter legis divinæ & mundanæ nos utriusque ordinis vestri fideles auctoritate instructi, & plenâ ratione suffulti, judicamus, vósque hortamur ut ei auferatur qui vobis inobediens extitit, & ad vestrum Placitum non solùm semel aut bis vel ter vocatus venire contempsit, quia de sua absentia culpabilis & convictus esse cognoscitur, & ei vestrâ auctoritate nostróque judicio reddatur præfatum Monasterium, qui vobis inobediens non fuit, nec ad Placitum venire renuit, sed semper præsens cum suis auctoritatibus & nobilibus testibus affuit, & hoc pleniter & legaliter approbare est paratus, quod suæ Sedis Ecclesiæ præfatum Monasterium esse debet. Et propereà præfato Aldrico Episcopo firmâ auctoritate ad jus suæ Sedis Ecclesiæ præfatum Monasterium cum omni integritate ut reddatur judicamus.* LXXXVI.

Ad judicii confirmationem rogaverunt Imperatorem, ut nonnullas sententias Canonum & Legum, necnon & Chartas ac Præcepta, quæcumque ad hoc pertinerent, coram se legi juberet, quod & factum est. Auctoritates igitur duplicis generis in Aquisgranensi Conventu recitatæ sunt; aliæ ex legibus Ecclesiasticis & civilibus, aliæ variis ex Diplomatibus. Primi generis fuerunt Decreta Romanorum Pontificum, Bonifacii, Cælestini & Innocentii, mundanæque leges ab Imperatoribus promulgatæ, ut rei contumacis absentia pro confessione constet. Secundi generis fuerunt Chartæ viginti-quinque, quarum nonnullas jam attigimus, ceteras hoc loco per ordinem descripturi atque examinaturi. LXXXVII.

I. *Traditio Sancti Carilephi quam fecit Sancto Innocenti Episcopo per licentiam & consensum Childeberti Regis.* LXXXVIII.

II. *Charta commendationis, qualiter se Domnus Carilephus per licentiam sui Abbatis, exhortante Domno Avito unà cum suis Monachulis subdidit Ecclesiæ civitatis, & in manus Sancti Innocentis Episcopi duabus vicibus se tradidit.* LXXXIX.

III. *Precaria quam Sanctus Carilephus accepit à Sancto Innocente de eadem re.* XC.

IV. *Præceptum Childeberti Regis, quod jussit facere super traditionem Sancti Carilephi & super precariam quam ipse Sanctus Carilephus accepit à Sancto Innocente.* Hoc Præceptum, quod *die octavo mensis Junii, anno decimo-quinto Regni* Childeberti *datum* dicitur, Tomo primo [a] commentitium ostendimus, & argumenta, quibus usi sumus, trium quoque præcedentium Chartarum fidem elevant. XCI.

V. *Charta Donationis de rebus & villulis, & auro & argento, & vestimentis tam Ecclesiasticis quàm & aliis, sive libris & Crucibus, & capsis vel Reliquiis Sanctorum multorum, quæ Domnus Innocens in adjutorium ad Monasterium Anisola construendum & ornandum Domno Carilepho & suis Monachulis per scripturam tradidit.* Lege de istius Monasterii conditu, quæ scripta sunt Tomo quoque primo [b]. XCII.

VI. *Charta de conventionibus Sancti Innocentis & Sancti Carilephi miræ magnitudinis conscripta, & à quindecim Episcopis firmata, ut eorum conventiones nullo modo irrita fierent, sed per omnia stabiles permanerent.* XCIII.

VII. *Precaria quam Sanctus Domnolus Episcopus Abbati suo Gallo fecit de Monasterio Sancti Carilephi.* XCIV.

VIII. *Præceptum quod Chilpericus Rex Sancto Domnolo Episcopo fecit & suo Abbati Gallo de Monasterio Anisola.* Coætaneos agnoscimus Chilpericum Regem & Domnolum Cenomannensem Episcopum. Præceptum tamen Chilperici suppositititium esse jam monuimus Tomo primo [c], quia repetit commenta, quæ continentur in pseudo-præcepto Childeberti suprà memorato. XCV.

[a] An. 515. n. 3.

[b] An. 532. n. 11.

[c] An. 515. n. 3.

AN. CH. 838. LUDOV. IMP. 25. LOTHAR. IMP. 22. PIPPINI R. 24. LUDOV. R. 22. CAROLI R. 9. XCVI. XCVII. XCVIII. XCIX.

IX. *Præceptum emunitatis quod fecit Chilpericus Rex Sancto Domnolo Episcopo de Monasterio Anisola & de omnibus villulis & rebus ad eum pertinentibus.* Legendum potiùs *ad illud pertinentibus*, ut infrà in Chartis duodecima & decima-quinta, neque enim hic de rebus ad Domnolum Episcopum sed de rebus ad Anisolense Monasterium pertinentibus agi videtur.

X. *Precaria quam Hadoindus Episcopus de Monasterio Sancti Carilephi Sigranno Abbati fecit.*

XI. *Præceptum quod Rex Chlotorius Haduindo Episcopo & Sigranno Abbati de Monasterio Anisola fecit.*

XII. *Præceptum emunitatis quod fecit Chlotarius Rex Haduindo Episcopo de Monasterio Anisola & de omnibus villulis & rebus ad illud pertinentibus.* Is est Clotarius Secundus, qui regnare cœpit anno Christi septingentesimo octogesimo-quarto, vitámque clausit anno Christi sexcentesimo duodetricesimo, cùm in Episcopatu Cenomannensi quartum ageret annum Haduindus sive Hadoindus, qui Pontificatu gavisus est ab anno Christi sexcentesimo vicesimo-quarto ad sexcentesimum quinquagesimum-quintum. Superstes igitur Ordinationi Hadoindi Episcopi per quadriennium vixit Rex Clotarius, nec repugnat Chronologia quominùs prædictis utriusque Chartis fides habeatur, illas tamen probare non possumus, Hadoindus enim in suo Testamento, quod Tomo tertio recitavimus ad annum Christi sexcentesimum quadragesimum-secundum [a], Clodovei Secundi Regis quintum, nullam Anisolensis Monasterii mentionem facit, quamvis erga Basilicas haud paucas munificum se præbeat. Ceterùm eodem tempore, quo Regnum penes Clotarium Secundum & Episcopales Infulæ penes Hadoindum erant, Anisolensis Abbas florebat Sigrannus seu Sigirannus aut Sigiramnus, de quo sic Andreas Saussaius in Martyrologio Gallicano pridie Nonas Decembris. *Hac ipsâ die recolitur olim Sigirannus non inferiori sanctitate, Abbas Anisolensis apud Cenomanos, qui primùm conjugatus, abruptis seculi obicibus, ad Christi vexillum militiæ spiritualis amore evolavit; profusísque gratiæ privilegiis suffultus, ex tyrone mox antesignanus evasit, adeò ut in Sancti Carilefi Monasterio, cui Anisola nomen, cùm miris virtutum splendoribus præluceret, Abbas constitutus, plerosque discipulos ad sublimem Sanctitatis gradum provexerit, inter quos proprium filium Siviardum eâ Sanctimoniâ imbuit, ut perfectæ vitæ vivum simulachrum exprimeret, suúmque in illo regimine dignum relinqueret successorem.* Utrùm immediatè an mediatè patri suo Sigiranno successerit Siviardus, hodie ponitur in controversia, quam Auctor vitæ sic apud Henschenium ad Kalendas Martii dirimit. *Hic certè vir Dei forma optima & exemplum fuit ante oculos fidelium. Post genitoris sui Sancti Sigiranni decessum, Fratres ex Anisolensi Monasterio elegerunt sibi præesse optimum Pastorem.* Siviardum in Abbatiali munere proximum Sigiranni patris successorem hic profectò textus ostendit, cóque potiorem meretur fidem, quòd ab Anisolensi Monacho coætaneo proficiscitur, sic enim ille sub initium suæ lucubrationis. *De quodam Dei famulo, Patre nostro Siviardo, egregio Sacerdote, hic pauca, & de ejus admirabili vita vel conversatione sancta, quibusdam amicis flagitantibus, scribere decrevimus, unde & fraterna concordia optimo ejus ædificetur pietatis exemplo, & Christi laus semper accrescat per suum fidelem famulum supradictum. Nostro etenim tempore extitit hæc nobis sancta propago, per cujus os Deus larga prædicationis pocula sua propinavit Ecclesiæ.* Feliciter ad Deum migravit Siviardus *octavo anno Regni Domini Theodorici Regis, Calendis Martii*, sive anno Dominicæ Incarnationis octogesimo-primo supra sexcentesimum, ut ad illum annum [b] observavimus Tomo quarto. Quot annos Siviardus Anisolam administrant, haud liquet, ignoratur enim annus quo munus Abbatiale suscepir. Hîc autem sufficiet annotasse, quòd ab anno Christi sexcentesimo vicesimo-quarto quo sedere cœpit Hadoindus Episcopus, ad annum usque Christi septingentesimum octogesimum-primum quo Si-

[a] Num. 1.

[b] Num. 97.

viardus Abbas hominem exuit, effluxerunt anni duntaxat septem & quinquaginta, quorum pars una Sigiranno, pars altera Siviardo seu Senardo vel Sevardo sive Sevardio tribuenda. AN. CH. 838.

XIII. *Precaria quam Domnus Berarius Episcopus de Monasterio Sancti Carilephi Ibboleno Abbati fecit.* Berarius Hadoindi proximus successor Ecclesiam Cenomannensem gubernavit annis sex ac viginti mensibúsque circiter duobus, ab anno videlicet Christi sexcentesimo quinquagesimo-quinto ad sexcentesimum octogesimum-primum. Colitur decimo-sexto Kalendas Octobris, qui dies obitûs fuit. Sancto Siviardo Anisolensi Abbati supervixit sex duntaxat menses cum dimidio. Lege quæ de utriusque felici ad Deum transitu scripsimus Tomo quarto [a]. Si, sublato ex hac vita Sancto Siviardo, statim Ibbolenus Abbas factus est Anisolensis, precariam obtinere potuit ab Episcopo Berario, sed hanc Chartam duásque subsequentes, in quibus mentio fit ejusdem Ibboleni, rejicimus inter commentitias, maximè quia Berarium, cujus decessus octavo Theodorici Tertii Regis anno consignatur, synchronum Dagoberto Tertio Regi, qui multò serius regnare cœpit, distinctis verbis comminiscitur. LUDOV. IMP. 25. LOTHAR. IMP. 22. PIPPINI R. 24. LUDOV. R. 22. CAROLI R. 9. C.

[a] An. 681. nn. 77. 78.

XIV. *Præceptum Dagoberti Regis super precariam Ibboleni Abbatis, quam à Domno Berario Episcopo de Monasterio Anisola accepit.* Consule observationem superiori Chartæ subjectam. CI.

XV. *Præceptum emunitatis, quod fecit Dagobertus Rex Domno Berario Episcopo de Monasterio Anisola & de omnibus villulis & rebus ad illud pertinentibus.* Hic est Dagobertus Rex, Theodorici Tertii nepos. Obiit Theodoricus Tertius anno Christi sexcentesimo nonagesimo-secundo; duos reliquit filios Clodoveum Tertium & Childebertum Tertium, qui successivè post patrem regnarunt, Clodoveus annos duos, septemdecim Childebertus; Clodoveo, qui vixit annos circiter novemdecim, nulla fuit proles, Childeberto filius fuit nomine Dagobertus, qui dictus est Dagobertus Tertius, & Francorum Monarchiam ab anno Christi septingentesimo undecimo ad septingentesimum decimum-quintum per quadriennium solus obtinuit. Hæc Chronotaxis ad illos annos accuratè probata Tomo quarto. Ab anno Christi sexcentesimo octogesimo-primo, Theodorici Tertii Regis octavo, quo Berarius Episcopus rebus humanis exemptus est, ad annum Christi septingentesimum undecimum, quo Dagobertus Tertius in Regnum Childeberto Tertio patri successit, anni numerantur triginta. Prædictus igitur Dagobertus Episcopo Berario Præceptum nulla de re fecit. CII.

XVI. *Precaria quam Gauziolenus Episcopus de Monasterio Sancti Carilephi Didoni Abbati fecit.* Deinde in Charta duodevicesima continetur confirmatio, *quam fecit super precariam prædictus Rex* Chilpericus *Gauzioleno memorato Episcopo & Didoni Abbati suo.* Gauziolenus Episcopatum adeptus est Pippino jam Rege. Chilpericus autem Tertius, de quo præcitari textus accipi debent, longè ante Pippinum regnavit; erat enim ex genere Merovæadarum, Childerici Secundi quondam Regis filius, Regnúmque tenuit ab anno Christi septingentesimo decimo-quinto quo suffectus est Dagoberto Tertio, ad annum Christi septingentesimum vicesimum-primum quo vitam clausit gerente Domûs Regiæ Majoratum Carolo, cujus filius Pippinus in Regali solio post annos unum ac triginta constitutus est anno Christi septingentesimo quinquagesimo-secundo. Commercium igitur Chilperico Regi cum Gauzioleno Episcopo fuit, at esse potuit cum Aigliberto & Herlemundo proximis Sancti Berarii successoribus, quorum ille Cenomannensem gessit Episcopatum ab anno Christi sexcentesimo octogesimo-primo ad septingentesimum decimum-sextum, hic ab anno Christi septingentesimo decimo-sexto ad septingentesimum quadragesimum-tertium. Ad majorem illarum rerum intelligentiam consule, quæ de Chilperico Tertio & Pippino Francorum Regibus, necnon & de Aigliberto, CIII.

AN. CH. Herlemundo, & Gauzioleno, Cenomannensibus Episcopis scripta sunt
838. Tomis, quarto, quinto & sexto.
LUDOV. IMP. 25. LOTHAR. IMP. 22. PIPPINI R. 24. LUDOV. R. 22. CAROLI R. 9.

XVII. *Praeceptum Chilperici Regis, quod fecit Gauzioleno Episcopo & Sicbaldo Abbati super precariam eorum de Monasterio Anisola.* Charta hæc commentitia deprehenditur, quia Chilpericum Regem & Gauziolenum Episcopum coætaneos fingit.

XVIII. *Praeceptum Chilperici Regis sub emunitatis tuitione Cenomanica Sedis Ecclesia factum Gauzioleno Episcopo. Simul & confirmatio in hoc ipso Praecepto continetur, quam fecit super precariam praedictus Rex Gauzioleno memorato Episcopo & Diddoni Abbati suo.* Hanc quoque Chartam suppostitiam eadem quæ præcedentem ratio manifestat, Chilpericus enim, qui fuit ex genere Meroveadarum, obiit anno Christi septingentesimo vicesimo-primo, Gauziolenus autem Episcopus Cenomannensis esse cœpit Pippino Regnum jam adepto.

CIV.
CV.
CVI. XIX. *Praeceptum emunitatis, quod fecit Theodoricus Rex Berario Episcopo de cellulis & villulis sui Episcopii & nominatim de Monasterio Anisola.* Cave ne Regem Theodoricum interpreteris Quartum seu Kalensem, Dagoberti Tertii filium, qui post Chilpericum Tertium in superioribus Chartis nominatum regnavit ab anno Christi septingentesimo vicesimo-primo ad septingentesimum triecesimum-septimum. Illius proavo Theodorico Tertio per annos octo synchronus vixit Berarius Episcopus; anno enim ejusdem Theodorici Tertii Regis octavo, Christi sexcentesimo octogesimo-primo, discessit ex hac vita, cùm sedisset annos sex ac viginti. Nihil igitur vetat, quominus *Theodoricus Rex Berario Episcopo* Præceptum emunitatis fecisse censeatur Siviardo Anisolensi tunc Abbate, cui Berarius Episcopus sex duntaxat menses cum dimidio supervixit.

CVII. XX. *Praeceptum emunitatis quod fecit Dagobertus Rex Episcopo Herlemundo de cellulis & villulis de suo Episcopatu, ubi & Monasteriolum Anisola commemorat, & sua Sedis Ecclesia esse affirmat.* Commentitia est hæc Charta, quia Dagobertus Tertius, supradicti Theodorici Tertii nepos, obiit anno Christi septingentesimo decimo-quinto, Regni sui quarto, nec Episcopatum suscepit Herlemundus ante annum Christi septingentesimum decimum-sextum Chilperico Tertio Regnum post Dagoberti Tertii mortem jam adepto.

CVIII. XXI. *Monumentum de vita Sancti Innocentis Episcopi.* Innocens sive Innocentius Episcopus Cenomannensis ex hac vita migravit anno Christi quingentesimo quadragesimo-tertio, cùm Carilephus Anisolense Monasterium, cui primus eum Abbatis titulo præfuit, ex munificentia Childeberti Primi Regis in Diœcesi Cenomannensi jam erexisset.

CIX. XXII. *Exemplar de vita & actibus Sancti Turibi Episcopi.* Turibus seu Turibius aut Thuribius nihil speciale de Anisolensi Monasterio scribere potuit. Secundum enim locum obtinet in Episcoporum Cenomannensium Catalogo, florétque Carilepho, qui fundator ac Primus Abbas illius Cœnobii fuit, nondum nato, imò Cenomanniâ, ubi Anisola, Francis nondum subjectâ.

CX. XXIII. *Praeceptum quod fecit Domnus Karolus Franconi Episcopo, quando ei Monasterium Anisola per judicium & plenam auctoritatem reddidit, & sua Sedis Ecclesia confirmavit, sicut in eo continetur insertum.* In Cathedra Cenomannensi duo sederunt Francones, unus cognomento Senior seu Primus, alter cognomento Junior seu Secundus. Alderici, qui Pontificatum anno Redemptoris octingentesimo triecesimo-secundo suscepit, proximi decessores extiterunt, vixerúntque in Episcopatu, Senior ab anno Christi septingentesimo nonagesimo-tertio ad octingentesimum decimum-sextum, Junior ab octingentesimo decimo-sexto ad octingentesimum tricesimum-secundum. Hans igitur Chartam & vicesimam-quintam, in quibus no-

men est Caroli, de primo interpretare Francone, quia Carolo superstes integro biennio fuit. Multùm autem inter se pugnant hæ Chartæ. Carolus enim in vicesima-tertia Franconi Episcopo Monasterium Anisolense *per judicium & plenam auctoritatem* reddit, Ecclesiæque Cenomannensi confirmat; & in vicesima-quinta concedit eidem Franconi, ut Adalghisus ejus propinquus *omnia Regalia servitia* pro eo faciat, ideóque per licentiam ejusdem Franconis *aliquam partem Abbatiæ Sancti Carilephi* teneat, *ad jus & regimen Cenomanicæ urbis Ecclesiæ absque ulla contradictione* post illius obitum reversuram. Istarum Chartarum alterutram oportet suppostitiam fatearis. Respuendam vicesimam-tertiam ostendent infrà, quæ fusiùs de vicesima-quinta narrabimus.

AN. CH. 838. LUDOV. IMP. 25. LOTHAR. IMP. 22. PIPPINI R. 24. LUDOV. R. 22. CAROLI R. 9.

XXIV. *Præceptum quod fecit Domnus Hludovicus Imperator Franconi Episcopo de mancipiis Sanctæ Mariæ & Sancti Carilephi, in quo continetur Monasterium Anisola subjectum esse debere Cenomanicæ Matri Ecclesiæ.* Utrùm Franco Senior seu Primus, an Junior seu Secundus, in hoc Præcepto nominetur, haud patet. Ambo enim Imperatore Ludovico Cenomannensem Diœcesim administrarunt; Senior integro tantùm biennio ab obitu videlicet Caroli Magni ad annum usque Redemptoris octingentesimum decimum-sextum; Junior per annos sexdecim ab anno Redemptoris octingentesimo decimo-sexto ad octingentesimum tricesimum-secundum quo vitam cum morte commutavit. Neutri verò Præceptum, in quod inquirimus, concessit Ludovicus Augustus, quia Caroli Magni temporibus Ecclesiæ Cenomannensi subtractum est Anisolense Monasterium, nec de restitutione tractatum est ante Aldrici Pontificatum, cujus initium mense Decembri collocatur anno Redemptoris octingentesimo tricesimo-secundo, qui Junioris Franconis postremus fuit. Opinionem nostram confirmabit observatio, quam Chartæ subsequenti mox subjiciemus. CXI.

XXV. *Præceptum quod fecit Domnus Karolus Franconi Episcopo, quando ei concessit ut hostes & itinera nulla faceret, sed Adalghisus suus propinquus omnia Regalia servitia pro eo faceret, & per licentiam Franconis aliquam partem Abbatiæ Sancti Carilephi teneret, & post obitum Adalghisi ad jus & regimen Cenomanicæ Matris Ecclesiæ absque ulla contradictione reverteretur, sicut in eo continetur insertum.* Hæc concessio, quæ Franconi Primo facta est, in causa contra Caroli mortem fuit, ut Anisolense Monasterium Ecclesiæ Cenomannensi subtraheretur, ut ad caput de quo disputamus in Aldrici Gestis observatur. *Illis* enim *ambobus*, id est, Francone Episcopo & Adalghiso ejus propinquo, *defunctis, non fuit Episcopus ejusdem Sedis* Cenomannensis, *qui Domnum Imperatorem Hludovicum interpellaret, & sic Anisolense Monasterium datum est alii, & tali occasione sublatum est de præfixa Sede*, donec Aldricus Episcopus, Franconis Junioris proximus successor Abbatem Sigismundum in judicium vocavit, & causâ superior evasit in Placito Carisiacensi, de quo sermonem anno superiori fecimus. Mirum igitur nemini debet esse, quòd in Anisolensium Abbatum Nomenclatura tres Sanctos, Carilephum, Sigirannum & Siviardum, solos recensuerimus, nullâ Galli, Ibboleni, ac Didonis mentione factâ. CXII.

Aldricus Cenomannensis Episcopus Anisolense Monasterium ut anno priore in Placito Carisiacensi, sic & in Aquisgranensi Conventu sibi evindicavit mense Aprili, hoc anno, sui Pontificatûs sexto, Ludovici Augusti post patris mortem vicesimo-quinto, Redemptoris octingentesimo duodequadragesimo, Indictione non secundâ quam Aldrici Gesta repræsentant, sed primâ quæ per mensem Aprilem anno Redemptoris octingentesimo duodequadragesimo currebat. Audi quid ea de re Scriptor prædictorum Gestorum in literas retulerit. *Domnus Imperator coram illis*, suis videlicet Consiliariis, *reddidit Aldrico præfixo Episcopo per eorum judicium plenâ auctoritate Monasterium Anisola, in quo Domnus Carilephus corpore requiescit, ad jus Ceno-* CXIII.

AN. CH. 838. LUDOV. IMP. 25. LOTHAR. IMP. 22. PIPPINI R. 24. LUDOV. R. 22. CAROLI R. 9.

manicæ matris Ecclesia, cui præfatus Episcopus præerat, futuris temporibus possidendum, & Missos ei dedit, qui ei inde plenam vestituram facerent, Fulconem scilicet Comitem Palatii, & Arduinum & Ganfridum Comites, & Folcradum vassum dominicum, qui postea, sicut Domnus Imperator eis jussit, plenam & legalem vestituram per cloccas & ostia senioris ipsius Monasterii Ecclesia, in qua etiam Sanctus Carilephus corporaliter requiescit, & per portas ipsius Monasterii jam dicto Aldrico Episcopo multis coram testibus in ipso Monasterio solemniter fecerunt. Hoc autem factum est anno Incarnationis Dominica DCCCXXXVIII, *Indictione* II (legendum Indictione I) *& anno Imperii præfati Domni Hludovici Piissimi Imperatoris* XXV, *anno verò Ordinationis sapedicti Aldrici Episcopi sexto. Pridie quoque Kalendarum Maiarum Aquisgrani Palatio prædictum judicium est actum, & in ipsa die ipsa ratio à præfixo Imperatore legibus est adimpleta & plenâ ratione peracta. Propterea ergo hoc Memoriale conscribere libuit, ut si aliqua altercatio deinceps exorta fuerit, qualiter hac res acta sit, per hoc Memoriale declaratum appareat, ut si aliquis ex hoc aliquam querelam facere tentaverit, evindicare minimè valeat. Actum atque conscriptum est hoc Memoriale Aquisgrani Palatio Kal. Maii in sacrario Sancta Maria, regnante Domino nostro Jesu Christo in perpetuum.*

CXIV. *Huic judicio & redditioni interfuere, Judith Imperatrix, Carolus Rex, Drogo* Metensis *Archiepiscopus* Imperatoris Ludovici frater, cum quatuor aliis Archiepiscopis Episcopísque tredecim.

CXV. Archiepiscopi nominantur, *Autcarius, Hadalboldus, Amaluvinus,* & *Aiulfus.* Hi quatuor Archiepiscopi Pontificatum susceperunt Ludovico post Carolum patrem jam imperante, vixerúntque superstites eidem Ludovico Pio Augusto. De singulorum obitu differemus infrà. Quod attinet ad exordia Præsulatuum; *Aiulfus* sive Aigulfus anno Redemptoris octingentesimo decimo-quinto factus est Archiepiscopus Bituricensis. Anno Redemptoris octingentesimo decimo-octavo promotus est ad Archiepiscopatum Coloniensem *Hadalboldus* sive Hadebaldus aut Hagebaldus. Anno Redemptoris octingentesimo vicesimo-sexto Moguntiacensibus Infulis redimitus est Autcarius sive Otgarius. Major occurrit difficultas super Amaluvino. Fuit *Amaluvinus* sive Amalguinus, in Archiepiscopatu Vesontionensi proximus Bernuini seu Berminii vel Germinii successor. Bernuinum ad annum Redemptoris octingentesimum undetricesimum [a] in Synodo Moguntina laudavimus. Quot annos hic vixerit post illud Concilium, non liquet. *Obiit, cùm multos annos præfuisset, pridie Idus Aug. sepultus in Abbatia Sancti Viti, sexto circiter ab urbe milliario sita.* De Bernuini morte sepulturâque sic scribit Joannes Jacobus Chiffletius in sua Vesontione [b], rectéque subjungit eam Abbatiam *nunc prorsus* deletam esse, sed ignoramus cur apud eundem Auctorem Bernuinus asseratur illam Abbatiam *à Constantino Imperatore* Irenes Augustæ filio accepisse, quid enim juris isti Constantino fuit in Sequanorum Metropolim, quæ Carolo Magno, Francorum Regi totiúsque Galliæ Domino, tum subjiciebatur. Bernuino successit Amaluvinus. Hic [c] *ob eximiam prudentiam & suavitatem consuetudinis, omnibus quidem sed Regibus maximè ac Principibus charissimus fuit. Abbatiam Sancti Pauli auxit proventibus, aliásque multas sua Diœcesis Ecclesias exhaustas refecit, ac restituit afflictas.* De illo post Ludovici Pii mortem ex Lothario Diplomate recurret sermo.

[a] Num. 2.
[b] Part. 2. c. 57.
[c] Ibid. c. 58.

CXVI. Præter Archiepiscopos suprà nominatos Aquisgranensi Placito tredecim interfuerunt Episcopi. *Rataldus* seu Rotardus Suessionensis. *Ecardus* sive Erchardus vel Fikardus aut Sichardus Noviomensis. *Erardus* seu Præardus Leodiensis. *Ebruinus* sive Ebroïnus Pictavensis. *Vilericus* seu Willericus Bremensis. *Albericus* Lingonensis. *Ghesfridus* seu Gerfridus Mimigardevordensis. *Albericus* .... *Simeon* Laudunensis. *Ercanradus* Parisiensis. *Jonas* Aurelianensis. *Wiladus* seu Wilardus Constantiensis in provincia Lug-

AN. CH. 838.
LUDOV. IMP. 25.
LOTHAR. IMP. 22.
PIPPINI R. 24.
LUDOV. R. 22.
CAROLI R. 9.

dunensi secunda. *Ansigaudus* .... Actum suprà de cunctis illis Episcopis, si alterum Albericum & Ansigaudum excipias, quorum Sedes deprehendere nondum potuimus.

CXVII.

Examinato Memoriali, quod in Aldrici Cenomannensis Episcopi Gestis habetur capite quadragesimo-septimo cum hoc Titulo, *incipit Relatio vel Evindicatia sive Memoriale, qualiter Monasterium Anisolæ ad jus Cenomanicæ Matris Ecclesiæ ante Domnum Hludovicum Imperatorem ab Aldrico Episcopo canonicè & legibus evindicatum fuit*, subjiciendum videtur caput quinquagesimum-primum, quod ad eandem materiam pertinet, inscribitúrque *de Responsione Hludovici Imperatoris & Judicio Optimatum suorum contra Præcepta, quæ Monachi de Monasterio Anisolæ attulerunt coram eo, quando contra Aldricum Episcopum de prædicto Monasterio in rationes venerunt.*

CXVIII.

Quando Aquisgrani Palatio anno Imperii Domni Hludovici Piissimi Augusti XXV *coram eo & Principibus suis tam Ecclesiasticis quàm & secularibus in generali Conventu querela de Monasterio Anisolæ & rebus suis inter Aldricum Cenomanicæ urbis Episcopum & Sigemundum ejusdem Monasterii Abbatem agebatur & diligentiùs scrutabatur, atque jam dictus Pontifex inter reliqua instrumenta Chartarum & Præcepta Regalia unum Præceptum; quod Domnus Karolus facere jussit, suâ videlicet propriâ manu roboratum & anulo suo subter sigillatum, per quod ipse jam dictum Monasterium Franconi Episcopo Ecclesiæque sibi commissæ reddidit, & Monachi prædicti Sigemundi quoddam Præceptum de electione eorum, ut de semetipsis haberent licentiam eligendi Abbatem, quod dicebant jussu Domni Hludovici Piissimi Imperatoris esse conscriptum. Ad quod respondit Domnus Imperator. Si ego hoc Præceptum fieri jussi, nesciebam quòd prædictum Monasterium de Episcopio Cenomanica esset, & ignorabam quòd pater meus illud ibi per suum Præceptum redderet. Sed quia vos & pares vestri hoc mihi celastis, & per fraudem & malum ingenium facere suasistis, idcircò ipsum Præceptum, quod mihi præficere fieri dicitis, vestro mendacio infirmatur, quia causa ubi fraus intercedit non valet, sed magis reproba efficitur. Et ideò vestrum Præceptum stare non poterit, quia vestra mendacio & vestrâ fraude funditus destruitur. Si enim nos unam vobis tantùm electionem concessimus, ipsam citò finitam esse cognoscimus, quia Sigemundus, quem vobis Abbatem elegistis, memoratum Monasterium suâ culpâ perdidit, quia nobis inobediens & infidelis extitit. Hæc taliter prædictus Domnus Imperator agens interrogavit cunctos circumstantes quid super hac re eis rectius videbatur. Qui respondentes dixerunt tam Episcopi quàm Abbates, sive Comites, & reliqui omnes. Hæc posteriora Præcepta, quæ isti Monachi afferunt, non possunt destruere anteriora, quæ Aldricus Episcopus & Ecclesia sibi commissa habet, sed anterioribus cedendum est, & posteriora quæ fraude & malo ingenio impetrata fuerunt, infirmantur & stare non possunt, quia actio, quâ in quibuscunque negotiis fraus intercesserit, non valebit. Et ut ratione & lege firmentur ea quæ testamur, aliqua ex authenticis nostris vobis testimonia indicantes proferimus. Constitutum est à Sanctis Patribus & bonis Imperatoribus, & lege decretum, ut quicquid falsa petitio à Principe obtinuerit, quia fraus intervenit, non valebit. Item alibi. [Quæcumque contra jus conscripta fuerint non valebunt, quocunque modo fuerint impetrata.] Item alibi. [Qui falsa Principum præcepta detulerint, puniantur.] Item alibi. [Dolus malus est cùm aliter agitur, aliud simulatur.] Item alibi. [Qui dolum vel metum adhibuit, ut res ad alium transiret, de doli actione tenebitur.] Item alibi. [Dolus malus si per falsitatem voluerit quis priùs definita convellere.] Item alibi. [Redintegrandum est à præsentibus Judicibus, & in ejus unde abcessit potestate revocandum, quod quacunque conditione temporis, aut dolo, aut captivitate, aut virtute majorum, timore faciente, deperierit.] Item alibi. [Quicquid vera seu falsa petitio à Principe obtinuerit, quia fraus intercessit, non valebit.] Magna fraus fuit, quoniam Monachi prædicti memoratum Monasterium de jure Cenomanicæ Sedis Ecclesiæ esse sciebant, quia non sunt adhuc XXX anni, quod à Pontificibus memorata Sedis possessum est, & hæc celantes, vobísque mentientes,

AN. CH. 838. LUDOV. IMP. 25. LOTHAR. IMP. 22. PIPPINI R. 24. LUDOV. R. 22. CAROLI R. 9.

Præcepta sibi sine consensu prædicta Sedis Pontificis, cui justè debetur, facere suadebant. Et hoc justum esset, ut si aliquis laicorum hoc fecisset, ut magnum detrimentum sustineret, sed & pro certo judicaretur illi, ut capitali sententiâ puniretur. Sed quia non laici, sed jam dicti Monachi hoc fecerunt, dignum est ut ita coerceantur, ne alii Monachi deinceps talia agere præsumant. Propereà nonnulli præfati Monasterii Monachi cum Sigemundo prædicto eorum Abbate exilio damnati sunt. Et sic confirmatum est sæpedictum Monasterium Aldrico Episcopo & ejus Episcopio, sicut in ejus notum est Præceptis & aliis monumentis Chartarum continetur insertum.

In illa narratione tria sunt observanda. Carolus Magnus Anisolense
Monasterium Ecclesiæ Cenomannensi reddit. Ab hac redditione ad Aquis-
granensem usque Conventum volvuntur anni penè triginta. Ludovicus
Caroli filius Anisolensibus Monachis licentiam concedit Abbatem è sua
Congregatione quem velint eligendi. Præceptum Carolinum, cujus men-
CXIX. tio fit inter Titulos Diplomatum apud Aquisgranum hoc anno lectorum
a Suprà n. 110. in Synodo, fictitium esse jam probavimus [a]. In ista Charta *Domnus Karolus*
Franconi Cenomannensium *Episcopo Monasterium Anisola per judicium & ple-*
nam auctoritatem reddidisse, *& sua Sedis Ecclesia* confirmasse dicitur. At re-
b Suprà n. 111. fragatur aliud *Præceptum* [b], *quod* idem *Domnus Karolus* prædicto *Franconi*
Episcopo fecisse fertur, *quando ei concessit ut hostes & itinera nulla faceret, sed*
Adalghisus suus propinquus omnia Regalia servitia pro eo faceret, & per licentiam
Franconis aliquam partem Abbatia Sancti Carilephi sive Abbatiæ Anisolensis
teneret, & post obitum Adalghisi ad jus & regimen Cenomanica Matris Ecclesia
absque ulla contradictione reverteretur. Anisolense Monasterium à primo con-
ditu ad Episcopatum usque Franconis Senioris, qui Carolo Magno syn-
chronus vixit, Ecclesiæ Cenomannensi subjectum fuit. Nonnihil mutatio-
nis illatum est anno Christi circiter octingentesimo decimo, in Aquisgra-
nensi enim Conventu, qui celebratus est anno Redemptoris octingente-
simo duodequadragesimo palàm pronuntiatum est *non adhuc* effluxisse XXX
annos, ex quo prædictum Cœnobium *à Pontificibus memorata Sedis* possideri
desisset. Origo totius litis rejici debet in concessionem, quam Carolus
Episcopo Franconi & Adalghiso ejus propinquo fecit, *ut Franco* valetudine
tunc infirmus & ætate grandævus *hostes & itinera nulla faceret*, & *Adalghisus*
omnia Regalia servitia pro eo faceres, & per licentiam ejusdem *Franconis ali-*
quam partem Abbatia Sancti Carilephi teneret. Carolus de Anisolæ Monasterio
Ecclesiæ Cenomannensi subtrahendo numquam cogitavit. In eadem enim
Charta mox subjecit, ut Abbatiæ Carilephianæ pars illa, quam Adalghi-
sus *omnia Regalia servitia* pro Francone facturus obtinuisset *per licentiam*
Franconis, post obitum ejusdem *Adalghisi ad jus & regimen Cenomanica Matris*
Ecclesia absque ulla contradictione reverteretur. At id minimè factum. *Illis* enim
c Cap. 47. *ambobus*, Francone videlicet & Adalghiso, *defunctis*, ut ex Aldrici Gestis [c]
jam retulimus, *non fuit ad præsens* sive ad Aldrici Pontificatum *Episcopus*
ejusdem Sedis, qui Domnum Imperatorem Hludovicum ex hoc interpellaret ad
tempus, & sic datum est Cœnobium *alii, & tali occasione sublatum est de præ-*
fixa Sede. In Aquisgranensi Conventu, multi testes suis confirmarunt as-
sertionibus, *quòd omnes Episcopi, qui in prædicta civitate & in prædicta Sede à*
tempore Innocentis Episcopi secundi successoris videlicet Sancti Victurii, & à tem-
pore Sancti Carilephi Confessoris eximii fuerunt, prædictum Monasterium subjectum
habuissent, exceptis duobus, nempe Franconibus, quorum Senior assensus est,
ut Adalghisus *aliquam partem Abbatia Sancti Carilephi teneret*, & Junior Se-
nioris successor, jus suum neglexit. Anisolæ Monasterium à plurium Epi-
scoporum potestate non fuit subtractum, nam qui proximus post Franco-
nem Juniorem sedit Aldricus, is illud Cœnobium Ecclesiæ suæ reddi periit
crebris apud Ludovicum Pium expostulationibus in Synodis præsertim Ca-
risiacensi & Aquisgranensi, quarum prior anno superiore, posterior hoc
anno celebrata. Quæres cur Innocens sive Innocentius, qui Cenomannen-

sem Episcopatum eodem gessit tempore, quo Sanctus Carilephus Anisolense Monasterium ædificavit, in textu nuperrimè citato secundus cognominetur, cùm in Episcoporum Cenomannensium Nomenclatura nec secundum locum obtineat, nec istius nominis habeatur Secundus. Fortassis secundus Sancti Victurii successor tibi videbitur, quia Sanctus Principius in plerisque Catalogis inter utrumque medius sedet. At in nostra opinione, quam si lubet Tomo primo consule, quatuor hi Cenomannenses Episcopi successivè sic recensentur; Sanctus Victurius seu Victorius, Sanctus Principius, Sanctus Victor, & Sanctus Innocens sive Innocentius. Hæc nomina, Victor, Victorius & Victurius sæpè confunduntur, ideóque Innocentius promiscuè Victoris aut Victorii vel Victurii successor appellari potest, & quidem secundus, id est proximus, eo modo quo secundus à Rege nuncupatur qui primus est post Regem, & in hæredibus pro primo gradu secundus apud Suetonium in Tiberio [a] sic usurpatur. *Quidam existimant adultis jam Augusti liberis, loco & quasi possessione usurpati à se diu secundi gradus sponte cessisse.* Hanc interpretationem necesse est admittas, aut mutilum asseras Episcoporum Indicem, in quo desideretur Innocentius Primus, qui longo tempore Innocentium alterum seu Secundum & Carilephum Abbarem antecesserit. Quod attinet ad Præceptum Ludovicianum, negat Ludovicus Imperator illud à se pro fratribus Anisolensibus emissum fuisse, suppositóque quòd à se datum fuerit, addit non valere quia fraus intercessit, multisque Sanctorum Patrum bonorúmque Imperatorum auctoritatibus suprà recensitis hanc sententiam seu legem confirmat.

AN. CH. 838. LUDOV. IMP. 25. LOTHAR. IMP. 22. LUDOV. R. 22. CAROLI R. 9.

[a] Cap. 10.

ANNUS

CHRISTI		839.			
LUDOVICI	IMP.	26.			
	REG.	59.	34.	22.	
LOTHARII	IMP.	23.	17.		
	REG.	25.	17.	7.	2.
LUDOVICI	REG.	23.	14.	5.	
CAROLI	REG.	10.	7.	5.	2.
INDICTIO		2.			

AN. CH. 839. LUDOV. IMP. 26. LOTHAR. IMP. 23. LUDOV. R. 23. CAROLI R. 10.

I. LUDOVICUS BOJOARIÆ R. IN PROCINCTU REBELLIONIS.

INEUNTE anno Redemptoris octingentesimo tricesimo-nono Ludovicus Imperator, cùm Aquisgrani degeret, ubi Natalem Domini post suum ex Conventu Wormatiensi reditum celebrarat, audivit tumultum trans Rhenum à Ludovico Rege Bojoariæ concitari, militarem tamen expeditionem post Pascha seu post sextum Aprilis diem distulit. Eo de motu sic Astronomus. *Ludovicus* Bojoariæ Rex *audiens hujusmodi patris erga fratres suos* Lotharium & Carolum *voluntatem, & Regni inter eos divisionem, non tulit. Ideóque quicquid Regni trans Rhenum fuit, sibi adscribendum putavit, & vindicandum statuit. Quod quum Imperatori delatum esset, in transactam Festi-*

AN. CH. 839. *vitatem Paschalem differendum judicavit. Quâ peractâ nequaquam procrastinandum in talibus ratus, cum multis viribus Rhenum quidem apud Moguntiacum transiit, & Triburas* seu Triburiam *venit, ibique aliquamdiu ad colligendum exercitum consedit. Quo coacto, usque Bedonniam perrexit, ibique filius, quanquam invitus, supplex venit, & increpatus ab eo, malè se egisse confessus, emendatu-rúmque se perperàm gesta professus est. At Imperator consuetâ & sibi semper amicâ utens mansuetudine, & filio indulsit, & eum verbis primùm, ut dignum fuit, paululum asperis increpavit, post autem lenioribus demulsum in Regno reliquit. Atque in redeundo, Rhenum in loco, qui Confluens dicitur, transmeavit, in Arduenna venationem solitam peracturus.* Hæc Astronomus.

PATREM ADIT, ET AB EO VENIAM OBTINET.

II. Annalista Bertinianus multa cùm ad hunc annum, tum ad præcedentem confusè scribit. Triburiæ non meminit ad hunc annum, Imperatoris colloquium cum Ludovico filio reticet, motum omnem in ipsa Quadragesima compositum affirmat. Illius textum accipe. *Ipse*, nempe Ludovicus Augustus, *ut cœperat, Maguntiam pervenit anno ab Incarnatione Domini* DCCCXXXIX. *Ubi Nativitatis atque Apparitionis Dominicæ festivitatibus emensis, directis celerrimè fidelibus, ad pacis concordiam Ludoicum hortatus est. Sed nequaquam valuit revocare, quin insuper consistenti Maguntia Imperatori ipse ex adverso in Castella ultra Rhenum posita pertinaciter atque hostiliter immorans, transitu fluminis cohibebat. Imperator autem sanguinem communis populi fundi admodum metuens, ad loca alia transpositioni opportuna divertere nullatenus dedignatus est, in quibus omnibus econtrà ripis insistentem, & transfretare conantibus obsistentem filium conspicatus. Erátque videre miseriam hac pio patre, illac impio filio digredientibus. Quâ necessitate Imperator compulsus Maguntiam repedat, fideliúmque hinc inde properè confluentium ob asperitatem hyemis incommoditatem diutiùs non ferens, tribus fermè infra memoratam urbem millibus, Rheno transposito, Saxones obvios suscepit. Ludoicus verò comperto patris eatenus sibi inopinato transpositu, deficientibus quos ex Austrasiis, Thoringis, atque Alemannis illexerat secúmque adduxerat, concitus aufugit, Noreiámque, quæ nunc Bajoaria dicitur, Regnum videlicet sibi olim à patre traditum, revertitur. Imperator paternæ pietatis non immemor filium persequi supersedit, receptísque, qui ab illo ad Imperatoris clementiam fugerant, ac sacramento firmatis, & insuper discordiarum incentoribus fautoribúsque, pro merito criminum, partim rebus, partim exilio damnatis, Franconofurd pervenit. Ubi aliquot diebus perendinans, Marcas populósque Germanicos disponere, suæque fidei arctiùs subjugare non distulit, ac deinde in partes Alemanniæ tempore Quadragesimæ ad villam Regiam, quæ Bodoma dicitur, properavit.*

III. Standum ab Astronomo, & ex ejus sententia complures in Annalista Bertiniano corrigendi nævi. Ludovicus Imperator *Nativitatis atque Apparitionis Dominicæ* sive Epiphaniæ Festivitates non Moguntiæ sed Aquisgrani celebravit, nec Moguntiam ante Paschalem Solemnitatem perrexit. Priùs autem, quàm Aquisgrano digrederetur, Ludovicum filium, qui populos Trans-Rhenanos, Saxones videlicet, Turingos, & Alemannos, ad defectionem sollicitarat, per Nuncios *ad pacis concordiam* hortari potuit, & quamvis à filio rebelli nihil tunc impetrarit, ad eas tamen non est tedactus angustias, ut in Bojoariorum conspectu Rhenum transire vel nequiret vel non auderet. Peractâ Solemnitate Paschali Moguntiam adiit cum exercitu, trajectóque Rheno accessit Triburiam, quæ *est inter Oppenheim & Moguntiam, per Rhenum descendentibus ad manum dexteram*, ut apud Nicolaum Serarium in rebus [a] Moguntiacis multi docent Auctores. Imperator *aliquamdiu ad colligendum exercitum* Triburiæ consedit. Situs autem loci trans Rhenum & ad Austrum Moguntiæ palàm ostendit ab Annalista, quem examinamus, multa gratis & absque fundamento dici. Rex enim Bojoariæ Rheno non institit, ut amnis transitu patrem prohiberet, sed audito, quod Imperator fluvium trajecisset, timere cœpit ne desereretur ab Alemannis,

[a] Lib. 1. c. 33.

AN. CH. 839.
LUDOV. IMP. 26.
LOTHAR. IMP. 23.
LUDOV. R. 23.
CAROLI R. 10.

Turingis & Saxonibus, quos variis pollicitationibus ad ſuas partes allexerat, idque veritus partem apud Bedoniam ſeu Bodomam in Alemannia ſupplex adiit, obtentâque delicti veniâ ſecurus in Bojoariam reverſus eſt. Imperaror autem contulit ſe Francofurtum, ibique moram fecit aliquandiu, donec diſpoſitis Germaniæ rebus Galliam repetiit, operam in Arduenna venationi daturus. Porrò colloquium Imperatoris cum Ludovico filio non *tempore Quadrageſima* ſed multò ſeriùs habitum eſt, ut patet ex prædictis.

IV.

Aſtronomus motui Bojoarico ſic & Aquitanicum conjungit. *Imperator in redeundo, Rhenum in loco, qui Confluens dicitur, tranſmeavit, in Arduenna venationem ſolitam peracturus. In qua quum exerceretur, Nuncii ad eum certiſſimi venerunt, affirmantes quòd verum erat aliquos Aquitanorum ſuam ſententiam expectare, qualiter res Aquitanici Regni ordinaretur, aliquos item indignè ferre, quòd audierint Carolo à patre idem Regnum traditum. Nam Imperatore de talibus ſollicito, Ebroinus Nobiliſſimus Pictavenſis Epiſcopus Flateram advenit, nuncians tam ſe quàm ceteros proceres ejuſdem Regni expectare Imperatoris voluntatem, & imperantis exequi velle juſſionem. Erant enim in hac voluntate conſpirantes maximi quippe Procerum, quorum eminentes erant, ſcilicet ipſe Ebroinus Venerabilis Epiſcopus, Reginardus Comes, Gerardus itidem Comes & gener quondam Pipini, necnon Hiratarius ſimiliter Comes Pipini gener, ſed & alii quamplures horum ſequentes voluntatem, nullo poterant pacto ſejungi. At verò altera pars populi, quorum vel maximus fuit Emenus quidam, aſſumentes filium quondam Pipini Regis, Pipinum itidem nomine, quaquaverſum poterant, vagabantur, ſicut moris talibus eſt, prædationibus atque tyrannidi operam dantes. Precabatur ergo præfatus Antiſtes Ebroinus Imperatorem, ne in longum differret hunc morbum ſerpere, ſed maturè mederetur per ſuum adventum tali incommodo, antequàm tanta lues plurimos inficere poſſet. Imperator porrò præfatum Epiſcopum in Aquitaniam cum multis gratiarum actionibus remiſit, & quæ viſa ſunt ſuis fidelibus mandavit, & ut ſibi autumni tempore aliqui eorum in Cabillono occurrerent imperavit. Ibi enim generalem indixit Conventum.* Et paulò pòſt. *Imperator uti condixerat, tempore autumnali Cabillonenſem urbem petiit, & tam Eccleſiaſtica quàm publica ſuo more diſpoſuit. Deinde ad Regni Aquitanici ordinationem ſe convertit. Nam cum Regina movit ab eodem loco, & filio ſuo Carolo, & valida manu, & Ligeris amne tranſmiſſo Arvernorum urbem petiit. Ibique fideles ſuos ſibi occurrentes benignè juxta morem ſolitum ſuſcepit, & ſuo filio Carolo cum ſolitis ſacramentis commendari fecit. Quoſdam, qui occurſum debitum fidelitatémque ſibi impendere denegarunt, ſed inſuper latrocinando cum exercitu obambulabant, & quaſcunque poterant prædas exercebant, comprehenſos legali quæſtioni juſſit ſubdere. Hæc eo agente, Natalis Domini Feſtivitas rediit, eandémque Solemnitatem Pictavis cum debito & ſolito honore celebravit.*

AQUITANIA QUATITUR TUMULTU.

PARS EXPECTAT VOLUNTATEM LUDOVICI AUG.

PARS ADHÆRET PIPPINO PIPPINO QUONDAM R. FILIO.

LUDOVICUS IMP. IN AQUITANIAM CUM UXORE ET CAROLO FIL. PROFICISCITUR.

V.

In Geſtis Aldrici Cenomannenſis Epiſcopi, capitibus ſeptuageſimo ac ſequenti, duæ leguntur Chartæ de villa, cui nomen Caliſamen in pago Cenomannico. Datæ ſunt ambæ *Pictavis civitate publicè*. Conſignantur, una IX *Kal. Februarias*, altera XVI *Kal. Decembris*; illa *anno* XXVII *Imperii Domni Hludovici Piiſſimi Auguſti*, hæc *anno, Chriſto propitio*, XXVI *Imperii Domni Hludovici Piiſſimi Auguſti, Indictione ſecundâ*. Prior Precariam continet, quam Aldricus Epiſcopus Agberto Vaſſo Dominico de prædicta villa fecit, poſterior Præceptum complectitur, per quod Ludovicus Auguſtus villam eandem Eccleſiæ Cenomannenſi reddidit. At villæ Redditio Precariam priùs factam procul dubio ſupponit. In Characteres igitur Chronologicos irrepſerunt nævi. Faciliùs autem commodiúſve nequeunt emendari, quàm ſi Precariæ Characteres poſt Præceptum de Redditione rejiciantur, ac viciſſim Precariæ ſubjiciantur Characteres Præcepti de Redditione. Sic enim Precaria fiet decimo-ſexto Kalendas Decembris, hoc anno Redemptoris octingenteſimo triceſimo-nono, Ludovici Auguſti viceſimo-

AN. CH. 839. LUDOV. IMP. 26. LOTHAR. IMP. 23. LUDOV. R. 23. CAROLI R. 10.

sexto, initio Imperii ducto à die quo consors Imperatoriæ Dignitatis à Carolo patre factus est, eadémque Precaria præcedet Præceptum de Redditione, quod dabitur nono Kalendas Februarias, anno Imperii Ludoviciani vicesimo-septimo, sive anno Redemptoris octingentesimo quadragesimo, qui postremus erit Ludovici Augusti.

VI. His observationibus præmissis, nota Precariam, quam Aldricus Episcopus fecit de villa, cui vocabulum Calisamen in pago Cenomannico, ejusdem fuisse tenoris cum Precariis quas de villis ejusdem pagi Tridente & Vintleva priùs fecerat, ut dictum est ad annum superiorem [a], quo eædem villæ redditæ sunt Ecclesiæ Cenomannensi. Quapropter sola villarum & Vassallorum nomina cum annorum dierúmque numeris distinxisse sufficiet. Aldricus Bavoni Vasso Dominico Precariam de villis, quarum *vocabula sunt Tridentus & Vintleva*, fecit *Cenomanis civitate publicè, anno* XVIII, *regnante Domno Hludovico Gloriosissimo Imperatore*, IX *Kal. Maias*, id est, nono Kalendas Maias anni post Christum natum octingentesimi tricesimi-primi. Fecit & Agberto Comiti & Ostiario atque Consiliario Ludovici Augusti, Precariam de villa quæ vocatur Calisamen, *Pictavis civitate publicè*, XVI *Kal. Decembris, anno* XXVI *Imperii Domni Hludovici Piissimi Augusti*. Quod attinet ad Indictionem malè subjicitur *secunda*, cùm à Kalendis Septembribus jam cœpta sit tertia. Villæ Tridentus & Vintleva per Regale Præceptum apud Aquisgranum Ecclesiæ Cenomannensi redditæ sunt IX *Kalend. Maias, anno, Christo propitio* XXV *Imperii Domni Hludovici Piissimi Augusti, Indictione primâ*, sive anno Redemptoris octingentesimo duodequadragesimo. Eidem etiam Ecclesiæ restituta Pictavis per aliud Regium Præceptum villa Calisamen IX *Kal. Februarias, anno* XXVII. *Imperii Domni Hludovici Piissimi Augusti*, sive anno Redemptoris octingentesimo quadragesimo, Ludovici Pii postremo, ut ad illum annum fusiùs dicturi sumus.

a Num. 2.

VII. Ad hæc tempora referri quoque debet, quod de Ebroino Pictavensi tunc Episcopo scribit Odo Abbas in libro [b] de Miraculis Sancti Mauri. Pippinus Aquitaniæ Rex Glannafolium, ut Tomo superiore [c] narravimus, Ebroino Clerico commisit. Ebroinus Frideberto, cujus mentionem ante quinquennium fecimus [d], in Episcopatum Pictavensem successit, & post Pippini Regis obitum, cùm tumultus in Aquitania cieretur, adiit Ludovicum Augustum, à quo confirmationem Pippininæ Donationis obtinuit, & ne Rorigonem Comitem contemptui videretur habere, Fossatensibus Monachis liberrimam concessit potestatem de prædicto loco, quandiu Comes ille viveret. *Ebroinus hoc*, inquit Odo, *cùm apud Pipinum, ut optaverat, obtinuisset, accedens etiam ad Piissimum Imperatorem Ludovicum jam Episcopus constitutus, locum ipsum cum omnium plenitudine rerum, quas eo tempore dignoscitur possedisse, hereditario ac perenni promeruit impetrare dono, ut testatur sacra auctoritatis ejus celebre testamentum, quod hodiéque scrinii nostri cautissimâ conservatur repositione. Denique Comitis Rorigonis jussionem secutus, ejúsque obtemperans voluntati, fratribus Fossatensis Cœnobii liberrimam de eodem loco concessit potestatem, quandiu idem Nobilissimus & Reverendus Vir in corpore Deo volente permansit.*

b Capp. 4. 5. c An. 814. n. 64. d An. 834. n. 41.

GLANNAFOLIUM MONACHIS SUBEST FOSSATENSIBUS.

VIII. Nithardus nullum de motu Germanico verbum habet, Aquitanicum verò sic perstringit. *Pars quadam populi, quid avus de Regno vel nepotibus juberet*, post Pippini Regis mortem *præstolabatur; pars arrepto filio ejus Pippino, quia natu maximus erat, tyrannidem exercebat. Quapropter collectâ manu validâ, per Cavillonem, Clarum-montem unà cum Karolo ac matre pater petit, ac partem populi, qui illum præstolabatur, inibi benignè recepit. Et quoniam olim Regnum Aquitania Karolo donaverat, ut illi se commendarent, hortando suasit, jussit. Qui omnes commendati eidem sacramento fidem firmaverunt. Post quod, quomodo tyrannos compesceret, contendit.* Hic Auctor, cùm Aquitaniam *olim* Carolo datam dicit, alludit ad Regni divisionem, quam suprà complexus est hac

AQUITANIA CAROLO LUDOVICI AUG. FILIO ASSERITUR.

AN. CH. 839.
LUDOV. IMP. 26.
LOTHAR. IMP. 23.
LUDOV. R. 23.
CAROLI R. 10.

periodo. *Aquitania Pippino dempta Karolo datur, & in ejus obsequio primatus populi, qui cum patre sentiebat, jurat.* Id actum anno Redemptoris octingentesimo tricesimo-secundo, ut suo loco [a] fusè narravimus. Tunc autem Aquitania Pippino ablata est, & Carolo collata, quia Pippinus in patrem rebellarat. Aliam causam frustrà quæras, cur Ludovicus Augustus post Pippini mortem noluerit ejus filios in Aquitanici Regni consortium adsciscere. Filiis nocuit memoria motuum, quos pater Aquitaniæ Rex frequenter concitarat. Hunc Pippinum Astronomus, ubi res hoc anno gestas commemorat, perperam *fratrem* Ludovici Augusti dicit. Fratris loco filium restitue. Nam qui prædicto Ludovico frater fuit Pippinus, is non Aquitaniæ sed Longobardiæ Rex à Carolo Magno patre renunciatus est anno Christi septingentesimo octogesimo-primo, vitámque clausit anno Redemptoris octingentesimo decimo. Qui verò filius eidem Ludovico fuit Pippinus, is à patre Rex Aquitaniæ vocatus est anno Redemptoris octingentesimo decimo-quarto, desiitque vivere anno Redemptoris octingentesimo duodequadragesimo.

[a] Ad an. 832. n. 7.

IX. Apud Ughellum [b] Podo fit Episcopus Placentinus anno Redemptoris octingentesimo nono, Pontificatum gerit annis triginta, mortuúsque sepelitur in Ecclesia Sancti Petri. Migravit igitur è vivis hoc anno, post Christum natum octingentesimo undequadragesimo. De successore agemus anno sequenti.

[b] Ital. Sacr. Tom. 2.

PODO EP. PLACENTINUS OBIT.

X. Apud eundem Auctorem [c] Claudius Taurinensis Episcopus in vivis hoc anno superest. Multa scripsit, præcipuè verò Commentaria in sacros libros; anno Redemptoris octingentesimo decimo-quinto in Genesim & in Evangelium Matthæi; anno Redemptoris octingentesimo decimo-sexto in epistolam ad Galatas; anno Redemptoris octingentesimo decimo-septimo in Epistolas ad Ephesios & ad Philippenses; anno Redemptoris octingentesimo vicesimo-primo in Exodum; anno Redemptoris octingentesimo vicesimo-tertio in Leviticum; item in Epistolam ad Romanos & in duas ad Corinthios, ut in Labbeana de Scriptoribus Ecclesiasticis Dissertatione Codex Regius restatur; imò in omnes Epistolas Beati Pauli, ut anno Redemptoris octingentesimo decimo-septimo sub finem Præfationis, quam explanationi in Epistolas ad Ephesios & ad Philippenses præfixit, Imperatori Ludovico pollicitus videtur, egregiéque confirmant duo illarum expositionum volumina, quæ teste Mabillonio servantur in Bibliotheca Floriacensi. Tot lucubrationes arbitramur ab eo priùs editas fuisse, quàm publicè profiteretur tuerique palàm scriptis & operibus studeret hæresim, ideóque expositionem Levitici censemus omnium postremam, quia in Præfatione questus est à plerisque se contemni, nec obscurè insinuavit id accidisse propter controversiam, quæ circa cultum Imaginum vertebatur. Id scribebat anno Redemptoris octingentesimo tricesimo-tertio. Deinceps, ut ex scriptis Theodemiri Abbatis, Dumgali Reclusi, & Jonæ Aurelianensis Episcopi liquet, in propugnando, quem sequebatur, errore totus fuit reliquo vitæ tempore. Quapropter illis assentiri non possumus, qui Commentarios etiam ab eo scriptos volunt in Numeros, in Deuteronomium, & in libros Josuæ, Judicum, & Ruth, ut observavit Labbeus in Dissertatione prælaudata. Hunc annum non excessit, priùs enim obiit quàm Ludovicus Imperator, cujus obitus die Dominico, duodecimo Kalendas Julias, anno Redemptoris octingentesimo quadragesimo consignatur. Ut autem Claudio Ludovicus Augustus, sic eidem Ludovico superstes vixit Jonas Episcopus Aurelianensis, qui tres libros de cultu Imaginum obtulit Carolo, Regnum post Ludovici patris mortem jam adepto, vitámque clausit anno Redemptoris octingentesimo quadragesimo-tertio, ut constat ex decimo Canone Concilii apud Vernum habiti anno post obitum ejusdem Jonæ proximo, Redemptoris octingentesimo quadragesimo-quarto. Jonas

[c] Ital. Sacr. Tom. 4.

CLAUDII TAURINENSIS EP. OBITUS ET SCRIPTA.

AN. CH. 839. LUDOV. IMP. 26. LOTHAR. IMP. 23. LUDOV. R. 23. CAROLI R. 10.

opus inchoavit præcipiente Ludovico, interrupit auditâ Claudii morte, rursum promovit certior factus de postremis Claudii consiliis imminente morte non Iconomachum modò sed etiam Arrianum se professi, perfecit tandem Carolo post patrem Ludovicum jam regnante. Hæc omnia ipsemet in sua complexus est Præfatione ad Carolum. *Quam pestiferum dogma & ab Ecclesiæ authoritate abhorrens,* Claudius *in plebem sibi transfuderit commissam, libellus, quem ad Theodemirum Venerabilem Abbatem, se charitate imperante corrigentem, eúmque à superstitiosa doctrina avertere volentem scripsit, eundem legere & nosse volentibus patenter demonstrat. Memoratus denique libellus eidem Domino nostro, Genitori vestro, sincerissimè ac religiosissimè Orthodoxam fidem colenti, ob defensionem Sanctæ Matris Ecclesiæ, quæ ab eodem Claudio, sicut textus suarum literarum prodit, hostiliter impugnabatur, delatus est. Qui ab eo suíque Palatii prudentissimis viris examinatus justo judicio est repudiatus. Quem licèt ego nec legerim nec viderim, quoddam tamen ex eo excerptum eodem Genitore vestro mittente suscepi. Præcipiens * & monens memoratus, Deo charus Cæsar, ut ad refellenda & improbanda ejusdem Claudii, quæ in eodem excerpto perversissima continebantur dicta, & in blasphemiam vituperationémque Sanctæ Dei Ecclesiæ irreverenter erant jaculata, secundùm tenuitatem sensûs mei, quantùm Deus annuisset, nullatenus rescribere omitterem. Cujus jussioni libentissimè parens, prout Deus posse dedit & facultas temporis sivit, quoddam opusculum dirigere cœperam & magna ex parte digesseram. Sed audiens eumdem Claudium juxta humanam conditionem ultimum clausisse diem, ab eodem opere perficiendo stylum meum feriandum statui. Rebar enim quòd, illo moriente, pariter ejus error nusquam comparuisset, secundùm Domini sententiam dicentis. Delebo memoriam Amalech de sub cælo, nihilominùs memoria illius perversæ doctrina deleta fuisset in omnium virorum prudentium pectore. Sed quia, ut relatione veridicâ didici, non modò error, de quo agitur, in discipulorum suorum mentibus reviviscit, quin potiùs, eo dicente, hæresis Arriana pullulare deprehenditur, de qua fertur quadam monumenta librorum congessisse, & ad simplicitatem & puritatem fidei Catholicæ & Apostolicæ oppugnandam in armario Episcopii sui clandestinâ calliditate reliquisse, non sum ausus, quin monitu & hortatu filiorum Sanctæ Dei Ecclesiæ, opus quod prætermiseram enucleatim discutiendum repeterem, & singulis quæ supererant perversè objectis, rationalibus atque piissimis antithetis ad liquidum obviarem. Quod ego pro viribus executus, idem opusculum juxta imperium Patris vestri ob capacitatem mei sensûs digerens, vobis offerendum meritò judicavi, ut quod Patri vestro imperanti reddere non quivi, id vobis & illi pariter reddam. Sufficere namque Claudio poterat ad cumulum miseriarum suarum error quem secutus est, duorum scilicet hæreticorum Eustathii & Vigilantii. Sed his geminis pestibus minimè contentus, altiori perditionis suæ baratro sese præcipitem dedit, dum infestissimi hostis Sanctæ Dei Ecclesiæ Arrii se sectatorem discipulúmque & in vita & in morte extitisse monstravit; in vita quidem, docendo & prædicando; in morte quoque, in nefandis codicibus suis errorem à se scriptum relinquendo. Secta quippe ejusdem Arrii olim à Sanctis Patribus damnata, Catholicóque mucrone sub perpetuo anathemate confossa, quæ ab eodem Claudio dicitur resuscitata, necesse est ut sagacissimo quæsitu & diligentissimo scrutamine extet inventa, & in lucem perferenda, & cum resuscitatore suo ab Ecclesiasticis viris rursus Sanctarum Scripturarum telis ferienda atque frustranda, ne, quod absit, si delituerit, simplicium mentibus in processu temporis virus mortiferum propinet, & in perpetuam damnationem inducat.* De prædictis Jonæ libris speciatim agemus anno sequenti, quia Carolo Regi tunc offerentur.

* F. præcipiebat & monebat.

X I. EPISCOPI BREMENSES.

Incertus Auctor in Historia Bremensium Pontificum, quam à tempore Caroli Magni usque ad Carolum Quartum perduxit, de Willerici Bremensis Episcopi morte sic scribit. *Congregavit Dominus Willericus maximum Clerum, & de populo magnam Ecclesiæ Bremensi hæreditatem acquisivit, qui postquàm rexerat Ecclesiam Bremensem L annis, senex & plenus dierum obiit, sepul-*

tusque est in Ecclesia Beati Petri in Brema à parte Altaris Aquilonari, IV *Nonas Maii*. Hoc Anonymo longè vetustior fuit Adamus Bremensis Canonicus, qui vixit undecimo seculo, & annum quo Willericus obiit, distinctiùs ita notavit [a]. *Sedit annos* L, *usque ad annum Luthowici Senioris penultimum*, id est, ab anno Christi septingentesimo undenonagesimo, ut Tomo sexto diximus, ad hunc usque annum Redemptoris octingentesimum undequadragesimum, Ludovici Augusti penultimum, Ludovicus enim, ut suo loco probaturi sumus, anno Redemptoris octingentesimo quadragesimo vitam clausit. Ab anno Redemptoris octingentesimo decimo-quarto quo Carolus Magnus ex hoc seculo migravit, ad annum usque Redemptoris octingentesimum quadragesimum quo Ludovicus Caroli Magni filius in vivis esse desiit, anni sex ac viginti numerantur, & apud Adamum [b] annus Willerici Episcopi postremus rectè comparatur cum anno Ludovici Imperatoris vicesimo-quinto & penultimo, perperam verò cum anno Redemptoris octingentesimo tricesimo-septimo, cujus loco restitui debet octingentesimus tricesimus-nonus, maximè cùm Hirsaugiensis Ecclesiæ Dedicationi præsens anno Redemptoris octingentesimo tricesimo-octavo Willericus Episcopus interfuisse perhibeatur. Hac observatione præmissâ, textum ipsum Adami jam accipe. *Willericus obiit senex & plenus dierum anno Domini* DCCCXXXVII *(repone* DCCCXXXVIIII*) qui est annus Luthowici* XXV *& penultimus, sepultusque est in Domo Sancti Petri, à parte Altaris Aquilonari*, IIII *Nonas Maii*. Successit in Episcopatum Leudericus, qui sub eodem Willerico functus fuerat Diaconatu.

AN. CH. 839.
LUDOV. IMP. 26.
LOTHAR. IMP. 23.
LUDOV. R. 23.
CAROLI R. 10.

[a] Cap. 11.
[b] Cap. 15.

XII. MIMIGARDEVORDENSES.

Obiit etiam hoc anno, pridie Idus Septembris, Gerfridus Mimigardevordensis Episcopus ac Provisor Monasterii Werthinensis. Utrumque munus annis triginta gessit, atque in administratione Werthinensi Collegas habuit. Halberstadienses Episcopos, Hildegrimum annis duodeviginti, Thiatgrimum annis duodecim. Lege simulque confer Catalogum Abbatum ac Provisorum Werthinensium, quem Bucelinus in altera parte Monasteriologiæ Imperii Germanici texuit, & observationes, quas Henschenius prævias esse voluit vitæ [c] Sancti Ludgeri Mimigardevordensis Episcopi. Quiescit Gerfridus in Monasterio Werthinensi. Successit in Episcopatum Mimigardevordensem Alfridus Sancti Ludgeri quondam discipulus. Werthinensis autem Monasterii solus Provisor mansit Thiatgrimus Halberstadiensis Episcopus. Abhinc alternatim ac successivè Provisores Monasterii Werthinensis extiterunt Episcopi Mimigardevordensis & Halberstadiensis.

[c] D. 26. Mart.

XIII. ARAUSICANI.

Josephus *de la Pise* testatur in Arausicana Historia [d] visum à se vetus instrumentum idiomate Latino conscriptum, in quo, sicut ex eodem Josepho referunt Sammarthani [e], *Laudo* Episcopus Arausicanus Bonifacii Tomo superiore laudati proximus successor *à Clero & populo electus* dicitur *an. 839 Calend. Martii*.

[d] Part. 1.
[e] Tom. 2. Gall. Christ. in Ep. Arausic. 9.

XIV. FOLQUINI TARUANNENSIS EP. PRIVILEGIUM PRO MON. SITIVENSI EXAMINATUR.

Folcardus Sithivensis Abbas in libro [f] de Miraculis Sancti Bertini, Privilegium Folquini Taruannensis Episcopi refert in hunc modum. *Ego Folquinus Dei gratiâ Morinorum Episcopus, omnibus fidelibus tam futuris quàm præsentibus. Quidquid ob amorem Dei exigentes rei veritatem memoriæ futurorum noscendum reliquerimus, valdè id animabus nostris profuturum speramus, dum & vera innotescimus, & falsata damnamus. Melius est enim ipsam veritatem ad laudem Dei manifestare, quàm pro lucro & negotio terreno eam celare, ne scilicet homo peccator offensam Dei & Sanctorum ejus in hoc videatur incurrere. Igitur ego Folquinus Episcopus, suggestione Hugonis Abbatis Sithiensis Cœnobii, quod est constructum in Insula Sithin, in honore Beati Petri Principis Apostolorum, ubi Beatus Bertinus corpore quiescit, perpendens injustitiam lacrymabilem, quam Fridogisus prædecessor suprà memorati Abbatis eidem sancto loco intulerat, totâ intentione excogitare cœpi, qualiter eumdem locum ad pristinum honorem valerem reducere.*

[f] Cap. 7.

AN. CH. 839. LUDOV. IMP. 26. LOTHAR. IMP. 23. LUDOV. R. 23. CAROLI R. 10.

Omnibus certè notum est fidelibus, quoniam sancti Confessores Christi Audomarus atque Bertinus, dum adhuc in corpore essent, cimeterium in villa Sithiu in superiori loco ad tumulanda sua & Monachorum corpora communi opere fecerunt, in cujus medio Basilicam in honore Sanctæ Mariæ construxerant, quam etiam Beatus Audomarus Sancto Bertino suisque successoribus donans per Privilegium quoddam confirmaverat, & suum inter eos corpusculum sepeliri in eodem Privilegio rogaverat. Quam prædictus Abbas Fridogisus non solum Sancto Bertino tulit, sed etiam (quod dictu horribile est) Monachos ejus Deo honestè ibidem servientes cum magno dedecore expulit, Canonicósque ibi constituit, dum scilicet à temporibus Sanctorum Audomari atque Bertini Religio Monachica ibidem famulans religiosissimè floreret. Quorum lacrymosæ injustitiæ reclamationique incessabili compatiens, & petitioni Hugonis Venerabilis Abbatis adquiescens, ædilitatem seu custodiam ipsius Basilicæ Sancto Petro Sanctóque Bertino reddendam, & Monachum ad custodiam ibi ponendum censui & statui, ut & quatuor temporibus in anno Missarum sollemnia celebrarent stabilivi, hoc est, in feria tertia dierum Rogationum, in Festivitate quoque Beati Johannis Baptistæ, & in depositione Sancti Audomari, in Festivitate omnium Sanctorum, & quidquid ad ipsum Altare veniret, Monachi Sancti Bertini absque ulla contradictione juxta morem pristinum secundùm Decretum Beati Audomari, quod in Privilegio de traditione ipsius loci Cœnobitis scripsit & interdixit, haberent, tenerent, & in perpetuo perenni jure possiderent. Nec Episcopus aut Archidiaconus ejus seu aliquis Clericorum, vel Judex forensium rerum, aliquid sibi exinde vindicent. Denique jam quidam emerserant audaciâ temeritatis decepti, dicentes primatum locorum ad se pertinere debere. Quorum præsumptuosæ superbiæ resistens, per descriptionem capitularem coram quibusdam Primatibus Regalis Palatii & hujus patriæ eos huic loco subegi, & conatus eorum annihilavi. Hoc etiam scriptum posteris relinquendum fore ratum duxi, ut per hoc quandoque resistatur inimicorum malæ voluntati, & hoc infringere volentium iniquo conatui. Quod quicumque futuris temporibus vel annihilare, vel infringere præsumpserit, quod absit, auctoritate Patris & Filii & Spiritûs Sancti anathema sit, nisi dignâ pœnitentiâ resipuerit. Actum est anno Incarnationis Dominicæ octingentesimo trigesimonono, Indictione secundâ, Imperii autem Ludovici Regis anno vigesimo-sexto, Præsulatûs quoque nostri anno vigesimo-tertio, in Ecclesia Sanctæ Mariæ, duodecimo Kalendas Julii, præsente universali Synodo. Ego Folquinus ex consensu & præcepto Domini Ludovici Imperatoris hac voluntariè firmavi, & cum Episcopali interminatione subscripsi. Ego Maximus Archidiaconus subscripsi. Ego Hugo Abbas subscripsi. Signum Adalardi Monachi. Signum Amalberti Monachi. Signum Mori Monachi. Signum Henrici Comitis. Signum Odgini Advocati. Signum Everwini Militis. Signum Berarii Militis. Ego Gunthertus Levita & Monachus jussu Domni Folquini Præsulis hanc Chartam scripsi & subscripsi.

XV. In dubium non vocamus, quin Folquinus Episcopus Sithiviensi Monasterio, ubi tunc Monachi degebant & Canonici, Privilegium rogante Hugone Abbate concesserit, gavisúsque sit plurimùm quòd Abbas rem Monachis pergratam ac perutilem postulasset. Privilegium tamen, ut editum est à Folcardo, non existimamus syncerum, quia in eo *Fridegisus* Sithivensis Abbas, Hugonis decessor, atrocioribus verbis impetitur, inveniturque Character Chronologicus ab Incarnatione Dominica ductus. Fridogisus Abbas fuit Canonicus, Canonicéque vixit cum Canonicis, relicto Præposito qui Mo asticen cum Monachis exerceret. Ob hanc mutationem apud Monachos in contemptum & odium venit. Lege Tomo septimo quæ scripta sunt ad annum Redemptoris octingentesimum vicesimum [a], quo vitam & mores illius à calumnia vindicavimus. Deinde observa Ludovici Pii temporibus in usu nondum fuisse, ut publicis instrumentis anni Dominicæ Incarnationis apponerentur. Inter Monachos, qui posteris seculis in Fridogisum acerbiùs invecti sunt, non ultimus fuit Folcardus, qui Privilegio proximè recitato præmisit hasce periodos [b]. *Hic*, nempe Fridogisus, *fraterna*

[a] Nu. 11. 13.
[b] Capp. 6. 7.

terna caritatis utriusque Monasterii destructor exstitit, dum & Monachi sibi justum & ab antiquis Patribus traditum reverentia honorem vindicant, Canonicorumque subjectionem sibi veraciter defendunt, & Canonici ab ipso Abbate Canonico fallaci adsertione Principatum ad se Monasteriorum pertinere dicunt. Pro his omnibus & reliquis tyrannidis sua actibus hactenus blasphematur ab omnibus, nec dubium quòd blasphemabitur & à succedentibus. Mortuo verò dicto Fridogiso quartodecimo regiminis seu potius tyrannidis sua anno, successit in regimen Cœnobii Hugo Venerabilis filius Caroli Regis Magni & frater Ludovici Cæsaris. Qui Hugo anno Incarnati Verbi octingentesimo quadragesimo-quarto condolens infelicissima & miserrima divisioni & discissioni Venerabilis Sithiensis Cœnobii ab infando Fridogiso facta, à Domno Folquino tunc Morinorum Venerabili Antistite unitatem Cœnobiorum pristino more reformari impetravit, quod & Privilegio firmari jussit. Hujus autem Privilegii hoc est exemplar. Ego Folquinus &c. ut suprà. Error irrepsit in annum octingentesimum quadragesimum-quartum, Hugo enim Privilegium, quod ante quinquennium acceperat, illo primùm anno fieri non postulavit. Quamvis autem hic in Folcardi textu nævus occurrat, & Folquini Privilegium haud syncerum videatur, cùm ob quædam verba in Fridogisum Abbatem asperiora, tum ob intrusum annum Incarnationis Dominicæ, non inficiamur Privilegium à Folquino datum hoc anno post Christum natum octingentesimo undequadragesimo, quocum per mensem Junium annus Ludovici Augusti vicesimus-sextus & annus Folquini Episcopi vicesimus-tertius rectè conveniunt. AN. CH. 839. LUDOV. IMP. 26. LOTHAR. IMP. 23. LUDOV. R. 23. CAROLI R. 10.

XVI. Qui Privilegium Folquini scripsit Guntbertus Diaconus & Monachus, ab Iperio [a] sic laudatur. *Sub Abbate Fridogiso receptus est hic in Monachum puer nobilis Guntbertus, clarâ stirpe, patre Goiberto, matre verò Ebertrudâ progenitus. Qui, Guntbertus in juventute sua à patre Romam ductus est, ibique Sancto Petro oblatus, & ab Eugenio Papa Clericatûs ordinem suscepit, quem pater exinde domum rediens, hic in Monasterio Sithiu Sancto Petro Sanctóque Bertino obtulit Monachum.* Sedit Eugenius ab anno Redemptoris octingentesimo vicesimo-quarto ad octingentesimum vicesimum-septimum. Fridogisus Sitiviensis Abbas fuit ab anno Redemptoris octingentesimo vicesimo ad octingentesimum tricesimum-quartum. Iperii textus ad hanc Chronologiam revocandus, nec osor Monastices habendus est Fridogisus, qui Guntbertum in Monachum recepit.

[a] Cap. 11.

XVII. Stephanus Baluzius in Notis, quas capiti vicesimo-quinto libri sexti de Concordia Sacerdotii & Imperii subjecit, ex Helenensi Tabulario Chartam allegavit, quæ licèt ob styli barbariem fastidio possit esse, non est tamen spernenda, senem enim Helenensium Episcoporum à Wenedurio seu Winedurio vel Winedario usque ad Audesindum recenset, & istorum Præsulum Catalogos, quotquot hactenus editi fuerunt, per nonum seculum docet corrigendos. Textus talis est. *Prædecessores Audesindo Episcopo, videlicet Vinedario Episcopo, Ramno Episcopo, Salomone Episcopo, & isto præsente Audesindo* &c. *Facta recognitione evacuationis sub die* XVI *Kal. Januarii, anno* XXXVI, *regnante Carolo Rege*, id est, Carolo Calvo, ut rectè interpretatus est Baluzius, qui præterea notavit Audesindum in Concilio ad Tusiacum villam sedisse anno Redemptoris octingentesimo sexagesimo. Helenensem igitur Ecclesiam quatuor Episcopi, quorum mentio fit in prælaudata Charta, rexerunt hoc ordine Wenedurius, Ramnus, Salomon, Audesindus. Concilium Narbonense cum aliis Præsulibus celebravit Wenedurius anno Christi septingentesimo nonagesimo-primo, ut ad illum annum Tomo sexto probavimus. De Ramno testantur Sammarthani [b], quòd *Ludovici Pii Imperatoris & Francorum Regis largitate Ecclesias & Privilegia à Carolo Magno Sedi Pontificali donata Imperiali Decreto denuò roborari obtinuit circa annum 817.* Iidem Nomenclatores haud reticuerunt munificentiam cùm Ludovici Pii tum Lotharii filii erga Helenensem Ecclesiam INDEX EPISCOPORUM HELENENSIUM.

[b] Tom. 1. Gall. Christ. in Helen. Ep. 13.

AN. CH. 839.

ſub proximo Ramni ſucceſſore, quem Eulmonionem vocant ſcribúntque Epiſcopum fuiſſe *ab anno 839.* De Chronologia non diſputamus, ſed Eulmonionis loco reponendum exiſtimamus Salomonem, qui Ramno in Epiſcopatum boc ipſo anno Redemptoris octingenteſimo triceſimo-nono ſucceſſerit.

SALOMON FIT EP. HELENENSIS.

XVIII. WANDELBERTUS DIACONUS SCRIBIT DE VITA ET MIRACULIS S. GOARIS.

Wandelbertus Diaconus juſſu Marcuvardi Prumienſis Abbatis duos conſcripſit libros, unum de vita Sancti Goaris, alterum de Miraculis, & horum narrationem ad hunc uſque *annum* DCCCXXXIX *Incarnationis Dominica perduxit*, ut ipſemet in operis fine teſtatur.

XIX. HAIMO FIT ABB. HERSFELDENSIS.

Haimo ſive Aimo vel Hemmo factus hoc anno videtur Abbas Herolvesfeldenſis ſive Hersfeldenſis aut Hirsfeldenſis, deceſſor enim Buno ſeu Brunus anno priore ſuperſtes in vivis erat. *Haimo*, teſte Trithemio in virorum illuſtrium Catalogo, *primùm Fuldenſis Cœnobii Monachus Magiſtri Alcuini Angloci diſcipulus extitit, à quo in omni diſciplina bonarum artium doctiſſimus evaſit. Deinde proficientibus meritis Hirsfeldenſis Cœnobii tertius Abbas conſtituitur, & poſtremo aquè tertius Halberſtatenſis Pontifex eligitur.* Haimonem Alcuini auditorem in Turonenſi Monaſterio fuiſſe cum Rabano nil vetat. Ambos à pueritia condiſcipulos & amicitiâ conjunctiſſimos haud inficiabitur, quiſquis attentè legerit Præfationem ad libros de Univerſo, quos Rabanus eidem Haimoni tunc Epiſcopo dedicavit. Uterque diſcipulos erudivit in Schola Fuldenſi. Lupus Ferrarienſis Monachus Rabani diſcipulum ſe dixit ſuprà. Teſtimonium habemus & Erici ſive Herici vel Heirici Autiſſiodorenſis Monachi, qui ſe diſcipulum Haimonis necnon & prædicti Lupi fatetur, id eſt, Haimonis apud Fuldam & Lupi apud Ferrarias. Hericus natus eſt in agro Autiſſiodorenſi, in vico qui duabus leucis ab Autiſſiodoro diſtat ad fluvium Armentionem, & ab ipſius Herici nomine vocatur *Heri*, ſubjicitúrque etiamnum Autiſſiodorenſi Monaſterio Sancti Germani. Monachum Hericus in hoc Cœnobio puer induit; Haimonem poſteà in Fuldenſi, Lupum in Ferrarienſi, Præceptores habuit. Hæc Tomo primo veterum Analectorum leguntur, partim in Verſibus ad Hildeboldum Autiſſiodorenſem Epiſcopum quos Hericus Collectaneis ſuis præpoſuit, partim in adnotationibus quas Joannes Mabillonius eiſdem Verſibus ſubjecit. Paucos ex iis deſcribemus, ut ipſum Hericum Haimonis ac Lupi diſcipulum agnoſcas.

Hic Præceptorum ſunt ludicra pulchra duorum,
Quis ego Præſulibus ingenium colui.
His Lupus, his Haimo ludebant ordine grato,
Cùm quid ludendum tempus & hora daret.
Humanis alter, divinis calluit alter,
Excellit titulis clarus uterque ſuis.
Hac ego tum notulas doctus tractare furaces,
Stringebam digitis, arte favente, citis.
Nec prius illa mihi liquido diſponere verſu
Cura fuit, niſi nunc, cùm tibi danda forent.

XX. ANTIQUISSIMI ABBATES HERSFELDENSES.

Indicem Abbatum Hersfeldenſium deſiderari jam queſti ſumus [a]. Hersfeldenſe Monaſterium in Moguntina Diœceſi Bonifacius Archiepiſcopus inchoavit anno Chriſti ſeptingenteſimo quinquageſimo [b], promovit Sturmio Fuldenſis Abbas, perfecit Lullus poſt Bonifacium Moguntinus tunc Archiepiſcopus. Annis Redemptoris octingenteſimo triceſimo-primo [c] & octingenteſimo duodequadrageſimo [d] florebat Buno ſeu Brunus Abbas Hersfeldenſis. Hic Abbatiales Inſulas eo conſecutus eſt tempore, quo Baugolphus Abbas erat Fuldenſis, Baugolphus autem Fuldenſe Monaſterium ab anno Chriſti ſeptingenteſimo ſeptuageſimo-nono ad octingenteſimum ſecundum gubernavit. Nomen ignoratur Abbatis, qui Bunonem anteceſſit, & in Hersfeldenſium Abbatum Catalogo primus collocari de-

[a] Ad an. 838. n. 21.
[b] Tom. 5. a. 750. n. 8.
[c] Num. 50.
[d] Num. 21.

bet. Bunoni successit Haimo, nec huic tertium inter Hersfeldenses Abbates locum denegamus. AN. CH. 839.

XXI. ABBATES NONANTULANI.

Rapertus Abbas Nonantulanus Monasterium uno duntaxat anno gubernavit. Mortuus est septimo Kalendas Julii. Datus ei successor Rotichildus. De utroque consule Ughellum in Abbatum Nonantulanorum Catalogo [a].

XXII. TRANSLATIO S. BARTHOLOMÆI.

Hoc anno, cùm Bassacius Casinensis Abbas annum regiminis sui tertium numerabat, & Sichardus Dux Beneventanus in vivis adhuc superstes erat, ex Insula Lipari Beneventum translatæ sunt Reliquiæ Sancti Bartholomæi. Sic enim scribit Leo Marsicanus in suo Chronico [b]. *Bassacius Abbas à Beato Benedicto octavus-decimus, ordinatus anno Dominica Incarnationis octingentesimo tricesimo-septimo. Hujus tertio ordinationis anno, superstite adhuc præfato Principe Sichardo, corpus Beati Apostoli Bartholomæi de Lypparitana Insula Beneventum translatum est.* In stabilienda hujus Translationis Chronologia nobis jam prævivit Carolus Sigonius sub finem libri quarti de Regno Italiæ. Cæsar Baronius in annum sequentem, quo Sichardus extinctus est, hoc negotium rejecit. Opinioni nostræ non parum favet dies Octobris vicesimus-quintus, quo facta Translatio. Sicardus enim, qui Beneventanam Præfecturam suscepit anno Redemptoris octingentesimo tricesimo-tertio, non videtur anno Redemptoris octingentesimo quadragesimo, die Octobris vicesimo-quinto superstes fuisse. Lege Ughellum [c] in Urso sive Ursone Beneventano Episcopo, qui Translationem procuravit. Ibi dies notatur *25 Octobris*, atque ita commendatur. *Translationis dies quot annis cum octava & Synodo Litaniarum colitur.*

XXIII. VARIÆ DONATIONES FACTÆ MON. CASINENSI.

Chronographus Casinensis à Translatione Sancti Bartholomæi ad enumerationem variarum Donationum, quæ Cœnobio Casinensi collatæ sunt, ita transit. *His diebus, Agenardus Gastaldeus Capuanus fecit Chartam oblationis in hoc Monasterio de omnibus omnino rebus substantia sua, qua possidere videbatur in territorio Capuano, & Teanensi, atque Calinulo, cum servis & ancillis, & universis qua sibi jure hæreditario competebant. Sed & Arnefrid quidam Nobilis Alifanus obtulit Beato Benedicto Amelfrid filium suum Clericum cum integra curte sua de loco, qui dicitur Patenaria, cum universis ejusdem curtis pertinentiis, necnon & integram portionem suam de Ecclesia Sanctorum Nazarii & Vincentii de loco, ubi dicitur Angleua, cum ornamentis, & curtibus, & omnibus omnino pertinentiis, ac possessionibus suis.* Ceteras donationes, quas idem Auctor subjungit, ad annum Redemptoris octingentesimum quadragesimum-tertium recitabimus.

[a] Tom. 5. Italiæ Sacr. in Ep. Tarvisin. 10.

[b] Lib. 1. c. 26. vet. edit. cc. 23. 24. novæ edit.

[c] Tom. 8. Italiæ Sacr. in Ep. Benevent. 41.

AN. CH. 840. LUDOV. IMP. 27. LOTHAR. IMP. 24. LUDOV. R. 24. CAROLI R. 11.

ANNUS

CHRISTI		840.					
LUDOVICI	IMP.	27.					
	REG.	60.	35.	23.			
LOTHARII	IMP.	24.	18.	1.			
	REG.	26.	21.	18.	8.	3.	1.
LUDOVICI	REG.	24.	15.	6.	1.		
CAROLI	REG.	11.	8.	6.	3.	1.	
INDICTIO		3.					

I. LUDOVICUS Imperator, ut in Gestis [a] Aldrici Cenomannensis Episcopi scriptum habetur, anno Imperii sui vicesimo-septimo, Redemptoris octingentesimo quadragesimo, Indictione tertiâ, cùm apud Pictavum adhuc degeret, duplex emisit Praeceptum, unum, nono Kalendas Februarii, per quod villam in pago Cenomannico sitam, vocabulo Calisamen, quam Agbertus Vassus Dominicus per Precariam possidebat, Ecclesiae Cenomannensi reddendam curavit, ipso Agberto id fieri flagitante; alterum, decimo-quinto Kalendas Martii, per quod Aldrico Episcopo concessit, ut haberet Oeconomum, qui pro illo curas exteriores Episcopii gereret, & Regalia servitia itineráque faceret, dum idem Pontifex sua resideret in Parrochia, suúmque Ministerium absque impedimento studeret adimplere.

[a] Capp. 71.72.

II. Anno superiori duas examinavimus Chartas de villa Calisamen. Uni titulus est Precariae, alteri verò Praecepti de Redditione. Utrique tanta est commutatio ac perturbatio Characterum Chronologicorum, ut qui Praecepto de Redditione conveniunt, Precariae subjiciantur, & vice versâ rejiciantur post Praeceptum de Redditione, qui Precariae subnecti debent. Observationem hanc semel exposuisse sufficiet. Locum illum, si lubet, consule, transimus ad alia.

III. Praeceptum de Oeconomo Cenomannensis Ecclesiae sic occurrit. *In Nomine Domini Dei & Salvatoris nostri Jesu Christi. Hludovicus Divinâ repropitiante Clementiâ Imperator Augustus. Si Sacerdotum Dei justis & rationabilibus petitionibus aurem libenter accommodamus, eásque ad optatum effectum perducimus, non solùm Regiam & Imperatoriam exercemus consuetudinem, sed etiam eosdem pro nostris excessibus Domini misericordiam exorando * devotiores promptioréſque facimus, atque per hoc immensam Dei misericordiam faciliùs nobis conciliandam esse confidimus. Idcircò notum esse volumus omnibus fidelibus Sanctae Dei Ecclesiae & nostris, praesentibus scilicet atque futuris, quia Aldricus Venerabilis Cenomanicae urbis Episcopus innotuit Celsitudini nostrae, quòd multa ex his, quae in sua Parrochia agere debebat, & ad suum Ministerium pertinebant, propterea quòd jam assiduè in nostro servitio vel etiam nobiscum detentus tamdiu commorabatur, neglecta erant tam in praedicatione seu confirmatione atque doctrina, quàm & in*

* Edit. exorandos.

AN. CH. 840. LUDOV. IMP. 27. LOTHAR. IMP. 24. LUDOV. R. 24. CAROLI R. 10.

restauratione Ecclesiarum, vel pravorum hominum correctione, sive in aliis atque aliis Ecclesiæ sibi commissæ utilitatibus, & Cleri vel populi necessitatibus. Innotuit etiam quòd Mater Ecclesia infra prædictam civitatem à multis temporibus constructa propter maceriarum imbecillitatem quotidie ad casum se præparabat, quam ideo à novo fundare & in meliorem statum & locum ædificare se velle dicebat. Lacrymabili quoque vultu coram nobis & fidelibus nostris asserebat, quòd si aliter ad suum peragendum Ministerium otium à nobis impetrare non posset, magis vellet honores sibi conlatos dimittere, quàm Clerum & populum sibi commissum negligere, & propterea in perditionem, quod absit, incidere. Quapropter humiliter deprecatus est nostram Clementiam, ut ei liceret juxta Canonicam auctoritatem habere Oeconomum, qui pro illo exteriores curas gereret, & nostra servitia atque itinera, prout meliùs posset, suâ vice faceret, & prædictus Episcopus ad ea quæ Dei sunt intenderet, & ad suum Ministerium perficiendum certaret. Deprecatus est etiam, ut si in proprio Clero & in sua Parrochia talem Oeconomum qualem volebat, aut qualem necesse erat, sibique secundùm Canonum institutionem per omnia obedientem invenire minimè posset, ut haberet licentiam undecunque & quemcumque de nostris fidelibus vellet tam infra Palatium quàm extra Palatium sibi Ecclesiæque sibi commissæ eligere adjutorem & defensorem, & quotiescunque necesse fuerit mutare, & meliorem vel utiliorem statuere. Cujus precibus aurem favoris libentissimè accommodantes, præscriptis suis petitionibus assensum præbuimus, & postulationes ejus ad effectum usque perduximus. Concedimus quippe memorato Pontifici per has auctoritatis nostræ litteras, quas ei fieri jussimus, concessúmque in futuro esse volumus, ut præfatus Episcopus quietè, dum voluerit, in sua resideat Parrochia, & pro nobis & pro commisso nobis à Deo populo Dominum exoret, suos verò homines cum suo Oeconomo, vel quemcumque, ut dictum est, elegerit, ubicumque posteà fuerit jussio vel necessitas ingruerit, dirigat. Præcipientes ergo per hoc nostræ auctoritatis Præceptum volumus atque jubemus, quòd si jam dictus Episcopus nobis superstes fuerit, ut nullus filiorum aut successorum vel fidelium nostrorum præscripto Pontifici Ecclesiæque sibi commissæ ullam perturbationem aut calumniam ingerere præsumat, & aut facere volentibus consentiat, sed mundeburdum vel defensionem pro Dei amore pro nostra reverentia ei pleniter faciant, ut quietè & pacificè, ut præscriptum est, & ei à nobis concessum in sua Ecclesia absque ullius impedimento ei residere, & suum Ministerium agere liceat, quatenus memoratum Pontificem pro nobis & pro liberis nostris sive pro stabilitate & pace Imperii nobis à Deo commissi attentiùs exorare delectet. Et ut hæc nostra auctoritas inviolabilem & inconvulsam obtineat firmitatem, manu propriâ subter eam firmavimus, & anuli nostri impressione adsignari jussimus. Signum Hludovici Piissimi Imperatoris. Maginarius Notarius ad vicem Hugonis recognovi & subscripsi. Data XV Kal. Martias, anno, Christo propitio, XXVII Imperii Domni Hludovici Piissimi Augusti, Indictione tertiâ. Actum Pictavis civitate publicè in Dei Nomine feliciter. Amen.

IV. LUDOVICUS AUG. CONTRA LUDOVICUM BOJARIÆ R. DENUÒ REBELLANTEM PROFICISCITUR.

Imperator, Pictavi, quæ civitas est Aquitaniæ secundæ, ubi Natalem Domini cum Juditha uxore & Carolo filio celebrarat, anno Redemptoris octingentesimo quadragesimo mansit ad initium usque Quadragesimæ. Ne diutiùs ibi moraretur, aperta Ludovici filii defectio prohibuit. Audi Astronomum illis de rebus ita dissetentem. *Natalis Domini Festivitas rediit, eandémque Solemnitatem Pictavis cum debito & solito honore celebravit ibidémque moranti, & quæ utilitas poscebat disponenti, Nuncius illi advenit, dicens Ludovicum filium suum assumptis quibusdam Saxonibus atque Thoringis secum, Alamanniam invasisse. Quæ res maximum incommodum ei peperit. Etenim quum jam senili ætate gravaretur, & phlegmatis abundantiâ, quæ hyeme augmentatur, ultra solitum pulmo ejus gravaretur, pectúsque quateretur, accessit etiam hic tristis nuncius. Cujus relatu adeò affectus est amaritudine, quamvis esset penè ultra humanum modum naturâ mitissimus, fortitudine magnanimus, pietate cautissimus, ut in apostema pituita excrescens duresceret, & intra vitalia ulcus lethale concresceret. Invictus tamen illius animus, dum turbari tali peste Ecclesiam Dei, populúm-*

AN. CH. 840. LUDOV. IMP. 27. LOTHAR. IMP. 24. LUDOV. R. 24. CAROLI R. 11.

que Christianum vexari comperit, nec fastidio cessit, nec dolori fractus succubuit. Sed postquàm Sanctum Quadragesimale Jejunium cum uxore & filio Carolo inchoavit, adversùs hanc tempestatem sedandam se obicem tulit. Et qui solitus erat hoc tempus Psalmorum decantatione, orationum instantiâ, Missarum celebratione, eleemosynarum liberalitate, cum summa devotione totum solemne reddere, ita ut vix uno aut duobus diebus propter exercitationem equitationi indulgeret, nunc propter discordiam fugandam pacémque revocandam, nullum diem habere feriatum voluit. Pastoris enim boni exemplum sequens, pro utilitate gregis sibi commissi non refugiebat etiam proprii corporis jacturam ferre. Unde non ambigendum est ei redditum præmium, quod ita laborantibus se daturum promisit maximus Pastor princépsque Pastorum. Cum maxima igitur fatigatione impugnantibus valentiam illius præmissis casibus, pervenit imminente Sacratissimâ Paschali Solemnitate Aquasgrani, ibique eam cum solita devotione celebravit.

V. Hoc anno Pascha celebratur quinto Kalendas Aprilis. Aquisgrani degit adhuc Imperator decimo-quinto Kalendas Maii, quando villam Bonallam Ecclesiæ Cenomannensi per hujuscemodi reddit Præceptum. *In Nomine Domini Dei & Salvatoris nostri Jesu Christi. Hludovicus divinâ repropitiante Clementiâ Imperator Augustus. Si fidelium nostrorum justas & rationabiles petitiones & postulationes, quas pro utilitate & exaltatione Sanctæ Dei Ecclesiæ exposcunt, ad optatum effectum perducimus, non solùm Regiam atque Imperialem consuetudinem in hoc exercemus, sed etiam eos nobis promptiores, ut credimus, atque devotiores facimus. Idcircò omnibus fidelibus Sanctæ Dei Ecclesiæ & nostris, præsentibus scilicet & futuris notum esse volumus, quia Adalbertus Comes & Consiliarius noster nobis innotuit, quòd quandam villam sitam in pago Carmicense, nomine Bonalla, de jure Cenomanicæ matris Ecclesiæ per nostrum beneficium possideret, de qua per singulos annos nonas & decimas & legitimos census partibus præfatæ Matris Ecclesiæ & ejusdem Ecclesiæ Rectoribus persolveret. Qua de re idem Adalbertus pertractans casum humanæ fragilitatis, & pavescens ultimum vocationis diem, timénsque ne præfata villa aliquo cupiditatis suæ stimulo, vel quolibet ingenio à jure præscriptæ matris Ecclesiæ alienata fieret; ideoque divino fervens amore ad clementiam nostram suppliciter deprecans accessit ut memoratam Villam nomine Bonallam cum omnibus ad se pertinentibus partibus prædictæ Cenomanicæ Matri Ecclesiæ, & Aldrico ejusdem urbis venerabili Pontifici præsentaliter nostrâ imperiali auctoritate redderemus, & hanc redditionem per nostrum Praceptum futuris temporibus firmius eidem Ecclesiæ suísque Rectoribus possidendam confirmassemus. Cujus petitionem ob amorem Dei, & reverentiam ipsius sancti loci, servorúmque Dei inibi Deo famulantium, libenter audivimus, & deprecationem ac pium desiderium ejus ad optatum effectum adimplere dignum duximus. Quapropter per hoc nostræ auctoritatis Præceptum statuentes decernimus atque jubemus, ut quemadmodum supradictus Adalbertus fidelis noster memoratam villam cum omni integritate, sicut illâ die sub jure nostræ potestatis erat, quando à largitione nostra ipsum beneficium accepisse constat, pro emolumento animæ nostræ & stabilitate Imperii nostri memorato Venerabili Aldrico Episcopo ad partem præscriptæ suæ Sedis Ecclesiæ præsentaliter reddidimus, ut in perpetuo in utilitates & usus ejusdem Ecclesiæ Deique in ea deservientium permaneat. Idcircò suggerentibus atque humiliter postulantibus prædictis fidelibus nostris, memorato videlicet Aldrico Episcopo & Adalberto jam dicto fideli nostro, hoc nostræ confirmationis atque redditionis Præceptum sæpedicto Aldrico Episcopo & ad partem jam dictæ urbis fieri jussimus, per quod decernimus atque jubemus, ut nullus sub ditione Imperii nostri degens ullo unquam tempore de prædicta villa vel de omnibus ad eam pertinentibus in quibuscunque pagis & locis sæpedicto Aldrico Episcopo suísque successoribus ullo unquam tempore inquietudinem facere aut quamlibet calumniam ingerere præsumat; sed liceat ei & successoribus ejus quieto ordine memoratam villam cum omnibus locis & territoriis sive mancipiis & cum omnibus ad se pertinentibus jure Ecclesiastico tenere & possidere, & quicquid pro opportunitate & commoditate præfatæ Sedis Ec-*

AN. CH. 840. LUDOV. IMP. 27. LOTHAR. IMP. 24. LUDOV. R. 24. CAROLI R. 11.

clesia exinde facere decreverint, liberam in omnibus futuris temporibus habeant potestatem faciendi. Et ut hac nostra redditionis auctoritas perpetuam obtineat firmitatem manu propriâ subter eam firmavimus, & de anulo nostro sigillavimus. Signum Hludovici Serenissimi Imperatoris. Erminmarus Notarius ad vicem Hugonis recognovi & subscripsi. Data XV *Kalend. Maias, anno, Christo propitio,* XXVII *Imperii Domni Hludovici Piissimi Augusti, Indictione ......*. Actum Aquisgrani Palatio, in Dei Nomine feliciter. Amen.* In vulgata editione datum dicitur hoc Præceptum *Indictione primâ*, cujus loco tertiam repone. Anno Imperii Ludoviciani vicesimo-septimo consignantur in Aldrici Gestis duo Imperatoris Ludovici Præcepta; unum [a] XV *Kal. Martias, Indictione tertiâ, Pictavis*; alterum [b] *Aquisgrani*, XV *Kalend. Maias, Indictione primâ*; quibus adde & tertium [c], quod *Pictavis* anno Ludovici Imperatoris vicesimo-sexto scriptum asseritur manifesto prorsus errore, quia cum *Indictione secunda* dies apponitur XV *Kal. Decembris*; Seriùs autem Pictavum Ludovicus adiit, anno Imperii vicesimo-septimo jam inchoato, & Indictione secundâ penitus elapsâ. Certè uni eidémque Ludovici Imperatoris anno vicesimo-septimo per menses, Novembrem, Februarium & Aprilem, triplex Indictio convenire nequaquam potest. Servanda tertia, ceteræ corrigendæ.

* Edit. male primâ.
[a] Cap. 72.
[b] Cap. 73.
[c] Cap. 71.

VI. Astronomus res ab Imperatore Ludovico gestas post Pascha sic persequitur. *Pervenit imminente sacratissimâ Paschali Solemnitate Aquasgrani, ibíque eam cum solita devotione celebravit. Quâ explicitâ, cœptum negatium acceleravit explere. Nam Rheno transmeato Toringiam continuato itinere penetravit, ubi Ludovicum morari per id tempus didicit. In qua quum eum conscientia morari non pateretur, utpote jam patre propinquante, rebus etiam diffideret, salutem in fuga subsidio posuit. Redempto enim itinere per Sclavorum terram in propria rediit. Quò illo redeunte, Imperator generalem Conventum in urbe Vangianum, qua nunc Warmatia dicitur, congregari præcepit. Et quia res Ludovici taliter se habebant, Carolus autem filius ejus cum matre in Aquitania versabatur, Imperator ad filium suum Lotharium in Italiam misit, jubens ut eidem Placito interesset, quatenus cum eo & aliis de hac re deliberaret.* Nithardus [d] res illas breviori stylo complectitur, & diem habendo Conventui designatum, Kalendas videlicet Julii sic observat. *Ludhouwicus à Bajoaria solito more egressus, Alamanniam invasit, cum quibusdam Toringis & Saxonibus sollicitatis. Quamobrem pater ejus ab Aquitania revocatus, dimissa videlicet Carolo unà cum matre ejus Pictavis, ipse verò Sanctum Pascha Aquis celebravit; & sic uno eodémque itinere Toringiam petiit. A qua Ludhuwico filio ejus pulso, per Sclavos itinere redempto, eum in Bajoariam fugere compulit. Quo peracto, Kal. Julii ad Vangionum urbem Conventum indixit, ad quod Lodharium filium suum ab Italia venire præcepit, cum eo ceterísque sibi credulis de Ludhuwico deliberaturus.*

[d] Lib. 1.

VII. *Tertiâ die Letania Majoris*, seu tertio Nonas Maii, *deliquium Solis*, ut Astronomus testatur, *contigit insolito modo. In tantùm enim lucis recessu tenebra prævaluerunt, ut nihil à noctis veritate differre videretur. Stellarum namque ratus ordo ita cernebatur, ut nullum sidus lucis Solaris hebetudinem pateretur, quin potiùs Luna, quæ se ei adversam præbuerat, paulatim Orientem petendo primùm corniculatim illi lumen in parte Occidentali restitueret, in morem sui, quando prima vel secunda cernitur, & sic per augmenta totam venustatem tota rota Solis reciperet. Quod prodigium licet naturæ adscribatur, tamen lamentabili exitu consummatum est. Portendebatur enim per hoc maximum illud lumen mortalium, quod in domo Dei supra candelabrum positum omnibus lucebat, Piissimæ Recordationis Imperatorem dico, maturrimè rebus humanis subtrahendum, mundúmque ejus decessu in tenebris tribulationum relinquendum. Cœpit ergo fastidio tabescere, & nauseanti stomacho ad cibum potúmque intendere, crebris suspiriis urgeri, singultibus quati, ac per hoc virtute destitui.* Decessit duodecimo Kalendas Julias, ut infrà probaturi sumus. Interim nonnullarum rerum, quæ præcesserunt, servato temporis ordine narrationem accipe.

AN. CH. 840. LUDOV. IMP. 27. LOTHAR. IMP. 24. LUDOV. R. 24 CAROLI R. 11.

Quarto Idus Maii celebrata Cenomanni Synodus, quam Aldrici Cenomannensis Episcopi Gesta [a] sic repræsentant. *In Nomine Patris & Filii & Spiritûs Sancti. Aldricus indignus Cenomanicæ Matris Ecclesiæ Episcopus omnibus nostra cura commissis sacris Ordinibus & cunctis fidelibus salutem & gloriam sempiternam. Cùm in Dei Nomine anno Incarnationis Dominicæ* DCCCXL, *Indictione* III, *& anno Imperii Domni Hludovici Piissimi Imperatoris* XXVII, *anno verò octavo Ordinationis prædicti Aldrici Episcopi, quarto videlicet Iduum Maïarum die, Synodum omnium Sacerdotum ac Levitarum seu reliquorum servorum Dei Cenomanica in urbe prædictus Pontifex coadunaret, post allocutionem & admonitionem sive inquisitionem eorum, cœpit jam dictus Aldricus Episcopus unà eis, illisque deprecantibus, tractare quid officii unusquisque pro suis Confratribus,*

VIII. *tam pro vivis quàm & pro solutis debita mortis diligenter ageret, & quid pro præfixo Pontifice & grege utriusque Ordinis sibi commisso fideliter adimpleret. Qua de re hoc instinctu divino pariter considerantes tractavimus, simúlque inter nos bono animo & purâ voluntate decrevimus, ut dum advixerit, unusquisque nostri Ordinis Sacerdos pro præscripto Domno Aldrico Episcopo & pro populo sibi commisso in quarta feria unà cum Letania & oblationibus Missam decantet, similiter & sextâ feriâ faciat, & qui hoc facere non poterit, quinquaginta Psalmos decantet, orantes & supplicantes Dominum cæli, ut Deus Omnipotens præfixo nostro Pontifici secundùm suam voluntatem hanc tribuat degere vitam, & quando ei placuerit, finisque hujus vitæ advenerit, cælestis janua ei pateat, & locus Sanctorum consortii nobis deprecantibus detur. Amen. Similiter & præfatus Pontifex pro nobis omnibus, aut per se, aut per aliquem à se commissum, est pollicitus agere. Insuper hæc tractantes in præscripto Iduum Maïarum die, & in jam dicta Synodo inter nos decrevimus ut unusquisque nostrum, dum adduxerit, pro suis confratribus in anno duodecim cantet Missas cum oblationibus & reliquis orationibus, & quandocumque nostrum unusquisque (decesserit) Decanus nomina de suis junioribus conscripta in nostra, per singula tempora, Synodo deferat, & unusquisque nostrum pro illis Missas compleat duodecim cum oblationibus & reliquis orationibus & vigiliam cum novem psalmis & totidem lectionibus & responsoriis, unà cum matutinalem synaxim fideliter pro defunctis fratribus peragat, & sic hoc faciat sicut vult pro sè fieri quando hoc idem ei advenerit, & sicut ante tribunal districti judicis rationem ex hoc reddere voluerit. Quod hic coram Deo & coram nostro Pontifice, & coram nobis omnibus se facere sponte promisit. Tribuat Dominus omnipotens ut sic inde faciamus ut non damnationem sed plenam retributionem ex his à Domino Deo nostro percipere valeamus, & vitam habere sempiternam valeamus, auxiliante Domino nostro Jesu Christo, qui cum Patre & Spiritu Sancto vivit & gloriatur Deus per omnia secula seculorum. Amen.*

[a] Capp. 58. 59.

IX. Tres hasce Missas totidem titulis ac columnis distinguemus. Missam, *quæ pro Domino Episcopo & pro omnibus sibi commissis in unaquaque hebdomada, id est, quartâ & sextâ feriâ, unà cum Letania adimpleri debetur*, in prima ponemus columna cum titulo Missæ quotidianæ. Missam, *quam mutuò Sacerdotes inter se cantare debent*, in altera describemus columna. Missam, quæ *pro defunctis fratribus & sororibus* inscribitur, in ultimam columnam rejiciemus.

I.

MISSA QUOTIDIANA.

℣. Intret oratio mea.

X. *SAncta Dei Genitricis Mariæ ac Beatorum Apostolorum sive Martyrum Gervasii & Prothasii atque*

II.

MISSA quam mutuò Sacerdotes inter se cantare debent.

DEus, qui caritatis dona per gratiam Sancti Spiritûs tuorum cordibus fidelium infudisti, da

III.

MISSA pro defunctis fratribus & sororibus.

DEus cujus misericordiæ non est numerus, suscipe pro animabus famulorum famularúmque tuarum,

AN. CH. 840. LUDOV. IMP. 27. LOTHAR. IMP. 24. LUDOV. R. 24. CAROLI R. II.

atque Sancti Stephani similque reliquorum Martyrum & Confessorum Virginúmque atque omnium Sanctorum tuorum assiduis intercessionibus quæsumus, Salvator mundi, Pontificem nostrum Aldricum misericorditer protege, paritérque ei familiaritate atque consanguinitate conjunctos, & omnes sibi commissos utriusque Ordinis viros & feminas ab omni pravitate defende, & secundùm tuam voluntatem eis vivere tribue, omnémque populum Christianum misericorditer custodi, & animabus famulorum famularúmque tuarum omnium sibi commissorum & commissarum atque cunctorum cunctarúmque in Christo quiescentium requiem tribue benignus sempiternam, & Sanctorum tuorum cœtibus consociare digneris propitius. Per Christum &c.

da famulis & famulabus tuis diversorum Cœnobiorum & titulorum atque locorum tam Sacerdotum & Levitarum quàm & reliquorum fidelium tuorum quorum quarúmque memoriam agimus, & quorum quarúmque his in titulis scripta continentur vocabula, fratribus ac sororibus & familiaribus nostris salutem mentis & corporis, ut te totâ virtute diligant, & quæ tibi placita sunt, totâ dilectione perficiant. Per Dominum.

tuarum, quorum quarúmque memoriam agimus, & quorum quarúmque nomina his in dipticiis conscripta esse noscuntur, preces nostras, & lucis eis lætitiæque regionem in Sanctorum tuorum societate concede. Per &c.

ALIA.

DEus, cui proprium est misereri & preces exaudire supplicantium, propitiare animabus famulorum famularúmque tuarum diversorum Cœnobiorum & titulorum, quorum quarumque memoriam agimus, quorum quarúmque hic assignata continentur vocabula, ut te miserante à vinculis peccatorum absoluti, ad æterna beatitudinis requiem pervenire mereantur. Per.

EPISTOLA ad Colossenses.

FRatres, non cessamus pro vobis orantes & postulantes.
℟. Domine exaudi.
℣. Ne avertas.

LECTIO Hieremiæ Prophetæ.

SI iniquitates nostræ contenderint contra nos, Domine, libera nos, quæsumus, fac propter nomen tuum, quoniam multa sunt aversiones nostræ. Tibi peccavimus, expectatio Israël es Salvator noster in tempore tribulationis. Tu autem in nobis es, Domine, & nomen Sanctum tuum super nos invocatum est. Ne derelinquas nos, Domine Deus noster.

Ad Thessalonicenses.

FRatres, nolumus vos ignorare de dormientibus, ut non contristemini, sicut & ceteri, qui &c.

EVANGELIUM secundùm Johannem.

IN illo tempore, sublevatis Jesus oculis in cœlum

Secundùm Matthæum.

IN illo tempore, dixit Jesus discipulis suis. Petite

Secundùm Johannem.

IN illo tempore dixit Jesus turbis Judæorum: Amen,

AN. CH. 840. LUDOV. IMP. 27. LOTHAR. IMP. 24. LUDOV. R. 24. CAROLI R. II.

cælum dixit. Pater, quos dedisti mihi, volo ut ubi ego sum, & illi sint mecum, ut videant claritatem meam, quam dedisti mihi, quia dilexisti me ante mundi constitutionem. Pater juste, mundus te non cognovit. Ego autem novi te, & hi cognoverunt quia tu me misisti, & notum feci eis nomen tuum, & notum faciam, ut dilectio, quâ dilexisti me, in ipsis sit, & ego in ipsis.

tite & dabitur vobis, quærite & invenietis, pulsate & aperietur vobis. Omnis enim qui petit accipit &c.

Amen, amen dico vobis, quia venit hora, & nunc est, quando mortui audient vocem filii Dei, & qui audierint vivent, &c.

OFFERT.

EXaudi, Deus.

SECRETA

OBlationis hujus, Domine placare muneribus, & intercedentibus omnibus Sanctis tuis protege Pontificem nostrum Alaricum & omnes sibi commissos commissásque, atque omnem populum Christianum à cunctis defende periculis, & animabus famulorum famularúmque tuarum omnium sibi commissorum commissarúmque atque cunctorum cunctarúmque in Christo quiescentium per hæc sancta sacrificia remissionem omnium tribue peccatorum, & vitam habere concede sempiternam.

SECRETA.

MUnera quæsumus, Domine, quæ pro nostra, & omnium, quorum quarúmque memoriam recolimus, & quorum quarúmque his in dipticiis nomina continentur inserta, redemptione oculis tuis tuæ offerimus Majestati placatus suscipe, & ad perpetuam nobis omnibus tribue pervenire salutem. Per.

Omnipotens æterne Deus, imploramus tua Majestatem misericordia, ut nobis & omnibus quorum quarúmque nomina his in dipticiis continentur inserta, veniam largiri digneris peccatorum, ut ab omnibus inimici vinculis liberati, tuis toto corde inhæreamus mandatis, & te solum semper totâ virtute diligamus, & ad tua quandoque beatitudinis visionem pervenire mereamur. Per Christum.

SECRETA.

HIs quæsumus, Domine, placatus muneribus intende, & quod ad laudem tui Nominis supplicantes offerimus, ad indulgentiam omnium quorum quarúmque memoriam agimus, & quorum quarúmque nomina hîc continentur inserta, sive cunctorum fidelium proficiat defunctorum. Per.

Deus, qui nobis in Christo unigenito filio tuo Domino nostro spem beatæ Resurrectionis concedis, præsta, quæsumus, ut animæ, pro quibus hoc sacrificium Redemptionis nostræ tuæ offerimus Majestati ad beatæ Resurrectionis requiem te miserante cum Sanctis tuis pervenire mereantur. Per Christum.

PRÆFATIO.

VErè dignum &c. & tuam Clementiam profusis

fusis precibus implorare, intercedente beatâ & gloriosâ semper Virgine Dei Genitrice Mariâ, Sanctísque Martyribus tuis Gervasio & Prothasio, sive Sancto Stephano, & omnibus Sanctis tuis, cunctorum peccatorum veniam Pontifex noster Aldricus consequi mereatur, & nos eásque quos & quas ei curâ regiminis consociasti, ac familiaritate & consanguinitate junxisti, & omnem populum Christianum Angelorum omnium Sanctorum tuorum præsidiis tuere, & animas famulorum famularúmque omnium sibi commissorum & commissarum atque cunctorum cunctarúmque in Christo quiescentium, ut in pacis ac lucis regione constituas deprecamur. Per Christum Dominum.

INFRA ACTIONEM.

HAnc igitur oblationem, quam tibi pro Pontifice nostro Aldrico atque grege sibi commisso & propinquitate ac familiaritate junctis ei atque pro salute cuncti populi Christiani suppliciter immolamus, quæsumus, Domine, ut benignus accipias, & tuâ pietate concedas, ut & illis proficiat ad salutem hujus pietatis affectus, & animabus famulorum famularúmque tuarum omnium sibi commissorum & commissarum atque cunctorum cunctarúmque in Christo quiescentium impetret beatitudinem sempiternam, diesque nostros.

HAnc igitur oblationem, Domine, quam tibi pro peccatis atque offensionibus nostris, & omnium quorum quarúmque agimus memoriam, & quorum quarúmque hic continentur inserta vocabula, offerimus, ut cunctorum delictorum remissionem consequi mereamur, quæsumus.

HAnc igitur oblationem, quam tibi offerimus pro animabus omnium, quorum quarúmque memoriam agimus, & quorum quarúmque nomina his in dipticiis conscripta esse noscuntur, seu cunctorum cunctarúmque fidelium defunctorum defunctarúmque, quæsumus, Domine, propitiatus accipias, & miserationum largitate tuarum concedas, ut quicquid terrenâ conversatione contraxerunt, his sacrificiis emundetur, ac vinculis mortis absoluta, transitum mereantur ad vitam, diésque nostros &c.

AD COMMUNIONEM.

AMen dico vobis.

AD Divina Pro-

AN. CH. 840. LUDOV. IMP. 27. LOTHAR. IMP. 24. LUDOV. R. 24. CAROLI R. II.

AD COMPLENDUM.

PUrificet quæsumus, Salvator mundi, Pontificem nostrum Aldricum divini Sacramenti libatio, & gloriosâ Sanctæ Dei Genitricis Mariæ atque omnium Sanctorum oratio, & gregi sibi commisso ac familiaritate & consanguinitate junctis ei & omni populo Christiano misericordiam tuam ubique prætende, & animabus famulorum famularúmque tuarum omnium sibi commissorum & commissarum atque cunctorum cunctarúmque in Christo quiescentium remissionem omnium tribue peccatorum & vitam habere concede sempiternam. Per &c.

DIvina libantes Mysteria, quæsumus, Domine, ut hæc salutaria Sacramenta illis proficiant ad prosperitatem & pacem, pro quorum quarúmque dilectione hæc tua obtulimus Majestati. Per Christum.

PRopitiare, Domine, quæsumus omnibus in Christo quiescentibus, & animæ famulorum famularúmque tuarum, quorum quarúmque memoriam agimus, & quorum quarúmque nomina his in dipticiis conscripta esse noscuntur, his purgata sacrificiis indulgentiam pariter & requiem capiant sempiternam. Per &c.

ALIA.

OMnipotens sempiterne Deus, Sanctæ Dei Genitricis Mariæ & omnium Sanctorum tuorum piâ & assiduâ intercessione Pontificem nostrum Aldricum ubique misericorditer protege, & ab omnibus adversitatibus corporis & animæ tuâ potentiâ defende, commissúmque sibi gregem cunctum ad regendum custodi, & omnem populum Christianum conserva, atque illi & omnibus in Christo quiescentibus requiem tribue sempiternam. Per &c.

ALIA.

DA famulis & famulabus tuis, quæsumus, Domine, omnibus quorum quarúmque memoriam agimus, & quorum quarúmque nomina his in dipticiis continentur conscripta, seu etiam ceteris fidelibus utriusque sexûs, in tua fide & sinceritate constantiam, ut in caritate divina firmati, nullis tentationibus ab ejus integritate vellantur. Per Christum.

ALIA.

DEus, cui possibile est omnes homines sine difficultate salvare, tantò benignus animabus famulorum famularúmque diversorum Cœnobiorum & Titulorum, quorum quarúmque memoriam agimus, & quorum quarúmque hic assignata continentur vocabula, misericordiam concede perpetuam, quantò eos ad filis tui Domini nostri pertinere gratiam tribuisti. Per.

ALIA.

DEus, vita viventium, spes morientium, salus omnium in te sperantium, præsta propitius, ut animæ famulorum famularúmque tuarum, quorum quarúmque memoriam agimus, & quorum quarúmque nomina hu in dipticiis continentur inserta, à nostra mortalitatis tenebris absoluta in perpetua cum Sanctis tuis luce lætentur. Per Christum.

Octavo Idus Junias obiit apud Sanctonas Agobardus Lugdunensis Archiepiscopus in expeditione Regia. Non omittendum hic Imperatoris sapientissimi consilium, qui discessurus ex Aquitania, non Aquitanicis tantùm rebus sed etiam Rhenanis providit. E suis enim fidelibus, quos in comitatu tunc babebat, alios ad interiores Aquitaniæ partes, alios ad ulteriorem Rheni ripam direxit. Primum patet ex Auctoribus, qui, prout mox ostensuri sumus, Agobardum Lugdunensem Archiepiscopum octavo Idus Junias boc anno mortuum apud Sanctonas in expeditione Regia tradunt. Alterum legitur in Annalibus Fuldensibus ad hunc annum, sic. *Imperator de Aquitania infecto negotio redire compulsus, Druogonem Archicapellanum & Adalbertum Comitem cum aliis multis præmisit ad tuendum littus Orientale Rheni fluminis, ipse verò secutus*, quia morbo gravabatur, *in Aquisgrani Pascha celebravit.* Annalista Metensis id perperam refert ad annum præcedentem, ubi non Druogonem sed rectiùs Drogonem vocat Archicapellanum, qui Metensis erat Episcopus & ejusdem Ludovici Augusti frater. Adalbertus verò Comes erat Metensis.

AN. CH. 840.

XI. REBUS AQUITANIÆ DISPOSITIS, COPIISQUE AD RHENUM PRIUS DIRECTIS.

Ado de Agobardi Lugdunensis Archiepiscopi reditu ex Italia quem anno Redemptoris octingentesimo tricesimo-sexto consignavimus, & de illius morte sic scribit in suo Chronico. *Piis Imperatoribus agentibus*, Ludovico scilicet ac Lothario, *Agobardus Lugdunensem, Bernardus Viennensem Sedem recepit. Post pauculos annos Agobardus apud Sanctonas in expeditione Regia positus defungitur.* Annos, quibus hæc contigerunt, Ado determinatè non notat. Hugo Flaviniacensis Abbas Adonem in Chronico Virodunensi descripsit, & ad annum Redemptoris octingentesimum quadragesimum primum bæc adjecit. *Eodem anno Agobardus Lugdunensis Episcopus obiit.* Meliùs ad annum Redemptoris octingentesimum quadragesimum Auctor Chronici San-Benigniani publicatus à Labbeo [a]. *Eodem anno Sanctæ memoriæ Agobardus Lugdunensis Ep. obiit 8. Idus Junii.*

XII. AGOBARDUS ARCHIEP. LUGDUNENSIS OBIT IN EXPEDITIONE SANTONICA.

[a] Tom. 1. Biblioth.

Theophilus Raynaudus Societatis Jesu Theologus in Sanctorum Lugdunensium Indiculo Sanctum * Agobardum sic laudat. *Clarum Miraculis Lugdunensis Ecclesia cælitum honoribus prosequitur, & Calendario suo insertum 8 Idus Junii, duplicis officii ritu celebrat.* Hic Auctor non dissimulat duas res eidem Sancto Agobardo graviter impingi; unam ex illius Commentario de picturis & imaginibus; alteram ex narratione domesticorum tumultuum, qui Ludovicum Augustum inter ejúsque filios exarserunt. *Dicitur enim* Agobardus *Imaginum cultum inficiatus solo earum usu ad memoriam retento, nec nisi Cruci veneratione concessâ. Ex quo capite Baronius* [b] illum *Iconomachis annumerat, & Hispanum libri illius per sacros Quæsitores proscriptionem approbat.* Deinde Agobardus *notatur de aucta vel etiam concitata, defectione Lotharii ac Pipini à patre Ludovico Pio, optimo veréque pio Imperatore.*

XIII. * S. Agobo.

[b] An. 825.

Quod ad errorem Iconomachorum attinet, tametsi negari non potest Agobardum duriùs, quàm exacta Theologia amussis ferat, esse locutum, & omnino admittendum sit Imagines veneratione & cultu esse prosequendas, tamen in reipsa non plus videtur errasse, quàm plerique Patrum quos exscribit, & in sententiam suam laudat; nominatimque Sanctus Gregorius reprehendens Serenum Massiliensem Episcopum, qui plebis in cultu Imaginum errantis superstitioni prospiciens Imagines sacras contriverat, & è templis profligarat, demonstrat retinendas esse Imagines, ut per modum picturæ atque Historiæ instruant imperitos, & manu ducant ad prototypum, addit autem nullâ ratione esse adorandas, cùm adoratio uni tantùm Deo debeatur. Ex qua ratione liquidò deprehenditur, quid sibi voluerit Sanctus Gregorius. Cùm ergo illi adhæserit Agobardus, æquè dicere licet eum Catholicè de Imaginibus sensisse, nec aliud voluisse quàm non esse Imagines adorandas supremo cultu; imò per se, & secluso omni prorsus ordine ad prototypum, nec esse cultu dignas, nec Imagines, prout Imagines sunt, in eum finem excogitatas esse, ut invocarentur aut colerentur, sed ut memoriæ inservirent, manuduceréntque ad prototypum notitiam

XIV. EJUS SCRIPTA DE IMAGINIBUS CAUTE LEGENDA.

AN. CH. 840. LUDOV. IMP. 27. LOTHAR. IMP. 24. LUDOV. R. 24. CAROLI R. 11.

ejus ingerendo, & prototypi cultum in ipsis Imaginibus ac per ipsas adjuvando, quod est verissimum. Quamvis eo ipso quòd ad prototypum manuducant, & connexionem cum eo habent, ejúsque veluti radiis collucent, consequatur ut colenda sint. Ideóque (hoc præsertim tempore, renovatâ Iconomachorum colluvie) modus ille loquendi, quo Imagines negantur adorandæ aut cultu ac veneratione digna censenda, non nisi adhibitâ convenienti explicatione usurpandus sit, quâ constet negari quidem Imaginibus cultum supremæ adorationis, vel absque aliquo ad prototypum ordine, tamen concedi eis venerationem debitam, sive terminent unum motum venerationis ad ipsas simul ac prototypum tendentis, tanquam ad rationem motivam proximam colendi: sive duplex sit motus ad Imaginem & prototypum, ita ut Imago sola ob refusam à prototypo quasi internam formam & dignitatem terminet venerationem, de quo inter Theologos salvâ fide controvertitur. Nec est hujus loci in eas tricas penitiùs descendere. Tantùm addo Agobardum eo commentario, qui erroris Iconomachorum insimulatur, eodem planè modo de veneratione Crucis & Imaginum sentire, contra quàm affirmabant Censores Agobardi. Quamvis quòd Crucem patet errori, quem profligatum volebat, non esse obnoxiam, eò quòd nullam humani vultûs similitudinem exhibeat sicut Imagines, magis approbet picturas Crucis, in quibus eum finem, ad quem Imagines concedit, absque ullius fermenti admistione locum habere arbitratur. Itaque Agobardus, quamvis incommodè loquatur, nec sit hoc tempore approbanda ejus locutio, tamen in re ipsa videtur ab errore Iconomachorum fuisse planè immunis. Hæc Theophilus Rainaudus. Ad eandem materiam pertinet observatio, quâ Joannes Mabillonius Monachus Benedictinus Præfationem [a] Tomo primo Seculi quarti Benedictini præfixam sic illustravit. *Ad Agobardum quod attinet, præter invidiosum adorationis vocabulum, accessit etiam ad inflammandum ejus animum epistola Michaelis & Theophili Imperatorum ad Ludovicum Augustum, in qua multa commemorantur de superstitiosa religione Græcorum in Imagines, quæ non immeritò Agobardum commoverunt. Quis enim non indignè ferret, audito quòd Græci ejectis Crucibus è Basilicis substituerent Imagines, eisque incensum adolerent, lucernis insuper admotis? Quòd eas psallendo adorarent, & ab eis auxilium peterent? Quòd plerique linteaminibus easdem Imagines circumdarent, & filiorum suorum de Baptismate fonte facerent susceptrices? Quòd ab eis alii religiosum habitum susciperent? Quòd quidam Sacerdotum colores de Imaginibus eradentes immiscerent sacrificio; alii verò Corpus Domini in manus Imaginum ponerent, ab illis communionem accepturi? Quòd denique nonnulli spretis Ecclesiis in profanis ædibus altarium vice tabulis Imaginum uterentur, & super eas sacra Mysteria celebrarent? Quis, inquam, hæc audiens non aversetur, saltem pleraque, ut superstitiosa? Ea porrò in literis ab Imperatoribus directis continebantur,* ut ostensum est Tomo superiore [b]. *Quam ob rem his lectis ultra modum exarsit Agobardus, idololatriæ & Anthropomorphytarum errori proximum esse existimans, sic adorare simulachra, & spem in eis ponere. Maximè verò invehitur in eos, qui sine Basilica, sine Altari, absque Sanctorum Reliquiis, super hujusmodi, uti ipse vocat, figmenta, Missam celebrabant; censétque rectius esse Imagines abjicere & comminuere, quàm ad hujusmodi superstitiones declinare. Quod quidem dixit, non quòd Imagines è Basilicis sublatas vellet, sed ut superstitiosa id genus errata emendanda esse demonstraret; neque hac religionis specie pacem Ecclesiæ Orientalis perturbari licere.*

[a] Num. 44.

[b] Ad an. 824. n. 28.

XV. Alterum caput sic aggreditur Theophilus Rainaudus. *Jam quod attinet ad fomenta dissidiarum inter Ludovicum Pium & filios, nullo modo ferenda est procacitas & petulantia recentiorum, qui metientes de suo ingenio ceteros, Agobardum tanquam factiosum & seditiosum traducunt; iisque eum floribus conspergunt, ut, si illos audimus, malignâ omnino ac pessimâ voluntate versatus sit in negotio proposito, contra quàm apertè habetur ex ipsiusmet Agobardi epistola ad Ludovicum Imperatorem, ex qua manifestè liquet Agobardum, metu potiùs violandi numinis, & temerandi juramenti authore ipso Ludovico præstiti filio, quàm malo*

AN. CH. 840.

Ludov. Imp. 27. Lothar. Imp. 24. Pippini R. 26. Ludov. R. 24. Caroli R. 11.

orga Ludovicum affectu, aliquid molitum. Alludit ad flebilem Agobardi epistolam, cujus caput quartum penè integrum allegat. Initio capitis Agobardus exponit, quomodo Ludovicus Imperator è suis filiis unum elegit Lotharium, cui nomen suum, id est, Imperatoriam Dignitatem, conferret. Deinde hæc addit de sortibus aliorum, & de juramento ab omnibus Francis præstito. *Ceteris filiis vestris designastis partes Regni vestri; sed ut unum Regnum esset, non tria, prætulistis eum illis quem participem nominis vestri fecistis; ac deinde gesta scribere mandastis, scripta signare & robarare, & consartem * nominis vestri factum * Romam misistis à Summo Pontifice gesta vestra probanda & firmanda; ac deinde jurare omnes jussistis ut talem electionem & divisionem cuncti sequerentur ac servarent. Quod juramentum nemini visum est spernendum aut superfluum, sed potiùs opportunum atque legitimum, eò quòd ad pacem & concordiam pertinere videretur.* In hoc textu multa sunt à vero prorsus aliena. Ludovicus Augustus anno Redemptoris octingentesimo decimo-septimo, cùm tres filios haberet, Lotharium Imperatorem dixit, Pippinum & Ludovicum Reges appellavit, hunc Bojoariæ, illum Aquitaniæ. Tunc Lothario solum Imperatorii Nominis consortium tribuit, nihilque juris ei vel in angustissimum Francicæ Monarchiæ vicum, nedum in fratres aut in illorum Regna concessit. Seriùs eundem Lotharium Regem Longobardiæ vocavit, postcáque direxit in Italiam ut administraret Regnum Longobardiæ, nequaquam autem ut Titulorum, Imperatorii videlicet ac Regii, quos acceperat à patre, confirmationem à Romano Pontifice postularet. Anno Redemptoris octingentesimo vicesimo-secundo Lotharius in Italiam profectus est; anno sequenti, cùm cis Alpes ad Patrem reversurus esset, Romam se contulit invitatus à Paschale Papa, Urbis ab aliquot annis jam Domino ex munificentia Regis Francorum, ibique ab eodem Pontifice in Paschali Solemnitate non tantùm Rex Longobardiæ sed & Imperator est coronatus. Audi quid ad illos annos scribat Annalista Laureshamensis. *Anno* DCCCXXII, *peracto Conventu qui Attiniaci habebatur, Imperator venandi gratiâ Arduennam petiit, Lotharium vero filium suum in Italiam misit. Anno* DCCCXXIII, *Lotharius, cùm secundùm patris jussionem in Italia justitias faceret, & jam se ad revertendum de Italia præpararet, rogante Paschale Papâ Romam venit, & honorificè ab illo susceptus, in sancto Paschali die apud Sanctum Petrum, & Regni coronam, & Imperatoris Augusti nomen accepit.* Astronomus habet consentanea, sic. *Lotharium filium suum Dominus Imperator in Italiam misit, & cum eo Walam affinem suum Monachum, sed & Geruntium Ostiarium, quorum consilio res Italici Regni componeret, erigeret, tueretur, tam publicas quàm privatas.* Et infrà. *Lotharius filius Domini Imperatoris, cum, sicut suprà dictum est, à Patre in Italiam missus esset, & secundùm virorum qui cum eo missi erant consilium opportunitates negotiorum ordinasset, & quibusdam perfectis, quibusdam adhuc infectis, de singulis respondere, & ad patrem de reditu cogitaret, rogatu Paschalis Papæ Romam imminente Sanctâ Pascha Solemnitate adiit, atque ab eodem Papa clarissimâ ambitione susceptus, ipso sancto die apud beatum Petrum Diadema Imperiale cum nomine Augusti suscepit.* Anno igitur Redemptoris octingentesimo vicesimo-tertio, cùm Lotharius Romam perrexit, Ludovicus Augustus nec Imperatoris nomen nec Francicæ Monarchiæ regimen abdicarat. Lotharium quidem adsciverat in consortium Imperatoriæ Dignitatis & Regni Longobardici, Pippinum in consortium Aquitanici Regni, Ludovicum in consortium Regni Bojoarici. Sed nec Imperatoris Titulum deposuerat, quem ad mortem usque simul cum Lothario gessit, nec tribus filiis ad Regium Nomen assumptis administrationem sollicitudinémque Longobardiæ, Aquitaniæ, ac Bojoariæ penitus abjecerat. Quid, si dominium prædictorum Regnorum in filios suos omnino transmisisset, Francis sacramento pollicitis se nihil unquam adversùs hoc Testamentum molituros? Gratis id concedamus. An

* * Id est, consorte facto.

AN. CH. 840. LUDOV. IMP. 27. LOTHAR. IMP. 24. LUDOV. R. 24. CAROLI R. II.

ceteris Francorum ditionibus caruisset eis & ultra Rhenum, nec eas iisdem filiis in augmentum cujusque sortis, aliisve, si quos adhuc geniturus erat, in sortem dare potuisset accedente altero Francorum juramento? Primum horum Sacramentorum subsequente violatum frustrà contendit Agobardus capite sexto flebilis ad Ludovicum Augustum epistolæ. *Quia superiùs*, inquit, *de legitimo & opportuno juramento mentio facta est, videtur mihi non celandum Excellentiæ vestræ, quòd multa murmuratio est nunc inter homines propter contraria & diversa juramenta, & non sola murmuratio, sed & tristitia, & detractio adversùm vos.* Frustrà quoque Theophilus Rainaudus, postquàm quartum caput ejusdem epistolæ recitavit, ita ratiocinatur. *Perspicua ex his videtur Agobardi bona mens, nec qua adversùs Ludovicum Imperatorem est aggressus, ex animo malo & turbarum potrem inter ac filium amante fuisse profecta, sed eorum primam originem ad scrupulum ac metum violandi numinis, & temerandi juramenti authore patre præstiti filio, esse revocandam, quicquid sit de progressione quæ nni Agobardo adscribenda non est.* Præstat audire Stephanum Baluzium initio Notarum ad eundem Agobardum. *Planè magnum virum fuisse persuasum habeo. Sed uno pessimo facinore, quicquid nonnulli contrà sentiunt, illustria sua facinora ingentésque virtutes commaculavit. Nam transgressus in partes Lotharii Augusti, qui Ludovicum patrem anno* DCCCXXXIII *eò usque deprimere ausus est, ut etiam in carcere concluderet, pœnitentiaque publica oddici procuraret; transgressus, inquam, Agobardus in partes Lotharii, tantâ animi contentione ac pertinaciâ eas tuitus est, ut vel ob hoc ipsum annumeratus sit inter præcipuos Lotharianæ factionis auctores. Ea de causâ ab Ecclesiæ Præsulatu semotus est auctoritate Synodi, quæ anno* DCCCXXXV *habita est ad Theodonis villam. Rursum ea causâ agitata est apud Stramiacum, haud procul Lugduno, sed nullo eventu, propter absentiam Agobardi. Tandem cùm revocata concordia fuisset inter Ludovicum ac Lotharium, Agobardus ad Sedem suam redire permissus est. Demum abiit è vivis apud Sanctones Aquitaniæ secunda populos, in expeditione Regia, anno ut ego quidem arbitror* DCCCXL. *Nam eo anno Ludovicus Imperator, ut scriptum est in Annalibus Bertinianis, in Aquitania fuit, motus Aquitanicos componere satagens. Quo etiam anno Agobardum obiisse* VIII *Idus Julii* (lege Junii) *tradit Auctor brevis Chronici S. Benigni Divionensis.*

XVI. In Martyrologio manuscripto Monasterii Sancti Claudii, VIII *Idus Junii* celebratur *Depositio Beati Agobardi Lugdunensis Episcopi*, & in Martyrologio Ecclesiæ Lugdunensis, eodem die Natalis *Agobardi Episcopi & Confessoris*. Joannes Maria *de la Mure* capite quadragesimo-secundo Historiæ Lugdunensis observat eos solos in Kalendario Lugdunensi Confessores Pontifices vocari, qui Pontificatum aut Romanum aut Lugdunensem gesserunt. Et Theophilus Rainaudus ex eo quod Agobardum Kalendario suo insertum duplicis officii titu celebrat, rectè infert dubium non esse, *quin vel ab impactis noxis immunis fuerit, vel eas ante obitum condignis pœnitentiæ imbribus eluerit*. Si benè res ab eo gestas scriptásque novimus, immunis fuit ab Iconomachiæ noxa, cautè tamen est legendus in causa de Imaginum cultu; reatum verò perduellionis post suum è Lotharii comitatu reditum pœnitentiâ diluit, idque facilè suaderi potest, quia deinceps Ludovico Imperatori percharus fuit, & in expeditione pro eodem Ludovico suscepta defunctus est in agro Sanctonico. Actum de illius scriptis, quoties occasio se præbuit, nec hîc quidquam addendum videtur. De successore agemus anno sequenti.

XVII. Imperator post Solis deliquium, die quo suprà, cùm se destitui virtute cerneret, ut Astronomus testatur, *jussit sibi parari habitacula æstiva atque expeditionalia in Insula quadam contigua Mogontiacæ civitati, ibíque viribus desertus, lectulo sese committit. Porrò quis explicet ejus pro Ecclesiæ statu sollicitudinem, vel pro ejus concussione mærorem? Quis enarrare lachrymarum flumina, quas pro acceleratione divinæ clementiæ fundebat? Non enim se recessurum dolebat, sed quod* futurum

*futurum noverat gemebat, dicens se miserum, cujus extrema clauderentur talibus inferiis *. Aderant autem ejus consolationi Venerabiles Antistites, & alii servi Dei quamplurimi. Inter quos erant Hethi Venerabilis Treverorum Archiepiscopus, Otgarius Mogontiæ similiter Archiepiscopus, sed & Drogo frater Domini Imperatoris Metensis Episcopus necnon Sacri Palatii Archicapellanus. Quem quantò sibi propinquiorem noverat, tantò ei familiariùs sua omnia & semet credebat. Per eundem quotidie confessionis suæ munus, sacrificium spiritûs contribulati, & cordis humiliati, quod Deus non despicit, offerebat. Cibus ejus erat solummodo per dies quadraginta Dominicum Corpus, laudante eo justitiam Dei & dicente. Justus es, Domine, ut quia Quadragesimæ tempus non jejunans exegi, saltem coactus idem jejunium tibi exsolvam. Jussit autem eidem Venerabili fratri suo Drogoni, ut Ministros Cameræ suæ ante se venire faceret, & rem familiarem, quæ constabat in ornamentis Regalibus, scilicet coronis, & armis, vasis, libris, Sacerdotalibúsque vestibus, per singula describi juberet. Cui, prout sibi visum fuit, quid Ecclesiis, quid pauperibus, postremò quid filiis elargiri deberet, edixerat, Lothario scilicet & Carolo. Et Lothario quidem coronam, ensem, sceptrum auro gemmísque redimitum, eo tenore habendum misit, ut fidem Carolo & Judith servaret, & totam Regni portionem illi consentiret & tueretur, quam Deo teste & Proceribus Palatii, ille secum & ante se largitus ei fuerat. His ritè peractis, gratias Deo egit, quia nihil sibi superesse proprium cognovit. Inter hæc tam Venerabilis Antistes Drogo, quàm ceteri Pontifices, dum in cunctis, quæ agebantur Deo grates persolverent, utpote qui videbant quòd eum, quem chorus virtutum semper comitatus fuerat, nunc perseverantia subsequens, quasi cauda hostiæ, totum ejus vitæ sacrificium Deo prorsus acceptum reddebat. Unum erat, quo gaudium eorum obfuscabatur. Verebantur enim ne fortè filio Ludovico implacabilis esse vellet, scientes quòd vulnus frequenter incisum, aut cauterio adustum, acerbiorem dolorem sustinenti propagaret, fisi tamen de ejus invicta patientia quâ semper usus est, per Drogonem fratrem ejus, cujus verba spernere nolebat, animum illius leniter pulsant. Qui primùm quidem amaritudinem sui animi demonstrat. At verò parumper deliberans, & viribus quantuliscunque collectis enumerare conabatur, quot & quantis incommodis ab eo afflictus sit, & quid contra naturam & Domini præceptum talia agendo commeruerit. Sed quia ipse, inquit, ad me venire satisfacturus nequit, ego quod meum est ago, vobis testibus, & Deo, omnia quæ in me peccavit illi remitto. Vestrum autem erit illum monere, ut si ego illi totiens perperam gesta indulsi, ille tamen sui non obliviscatur, qui canos paternos deducit cum dolore ad mortem, & in talibus communis patris Dei præcepta minásque contempsit. His peractis & dictis (erat enim vespere Sabbati) præcepit, ut ante se celebrarentur Vigiliæ nocturnæ, & ligno sanctæ Crucis pectus suum muniretur, & quamdiu valebat, manu propriâ tam frontem quàm pectus eodem signaculo insignibat. Si quando lassabatur, per manus fratris sui Drogonis nutu id fieri poscebat. Mansit ergo totâ illâ nocte omnis virtutis corporeæ inops, solius sobrietatis animi compos. In crastinum, quæ erat Dominica, jussit ministerium Altaris præparari, & per officium Drogonis Missarum solemnia celebrari, necnon per manus ejus, juxta morem, communionem sacram sibi dari, & post hæc cujusdam potiunculæ calidulæ haustum præberi. Quo perpaululum prælibato, precatus est fratrem, & simul astantes, ut curandis corporibus operam darent, se tamdiu præstolaturum, quamdiu illi resici possent. Instante autem migrationis ejus articulo, juncto pollice cum articulis (hoc enim facere consueverat, si quando fratrem nutu vocabat) Drogonem accersivit. Quo veniente, & reliquis Sacerdotibus, verbis quibus potuit & nutibus se commendans, benedici petivit, & quæ solent agi in egressu animæ, fieri postulavit. Quibus id agentibus, sicut plures mihi retulerunt, conversâ acie in sinistram partem, indignando quodammodo, virtute quantâ potuit dixit bis, hutz, hutz, quod significat, foras, foras. Unde patet quia malignum spiritum vidit, cujus societatem nec vivus nec moriens habere voluit. At verò elevatis ad cælum oculis, quantò hùc minaciùs intuebatur, tantò illuc lætiùs intendebat, ita ut nihil à ridente differre videretur.*

* *miseriis.*

AN. CH. 840. LUDOV. IMP. 27. LOTHAR. IMP. 24. LUDOV. R. 24. CAROLI R. 11.

In talibus ergo vitæ præsentis terminum sortitus, ad requiem feliciter, ut credimus, commigravit, quia, ut veraciter dictum est à veridico Doctore, non potest malè mori qui benè vixerit. Decessit autem XII *Kalendas Julii, anno vitæ suæ sexagesimo-quarto. Et Aquitaniæ quidem præfuit per annos triginta-septem, imperavit verò viginti-septem. Animâ porrò recedente, Drogo frater ejus & Episcopus Mettensis cum aliis Episcopis, Abbatibus, Comitibus, Vassis Dominicis, plurimâque frequentiâ tam Cleri quàm populi, sumptis Imperatoris reliquiis cum magno honore Metis transportari fecit, & in Basilica Sancti Arnulfi, quo & mater ejus condita est, nobiliter sepelivit.* Ita finiunt apud Astronomum, quem toties allegavimus, *Vita & Actus gloriosi Principis Invicti & Orthodoxi Imperatoris Hludovici Pii.*

XVIII. Nithardus primum Historiæ suæ librum obitu quoque Ludovici Augusti sic claudit. *Cùm se hæc ita haberent, & Lodharius in Italia, Lodhuwicus trans Rhenum, & Karolus in Aquitania essent, Lodhuwicus Imperator patérque illorum in Insula quadam juxta Magonciacum* XII *Kal. Julii obiit. Quem Drogo frater & Episcopus atque Archicapellanus ejus, Metis civitate suâ apud Sanctum Arnulfum unà cum Episcopis, Abbatibus, Comitibúsque, congruo honore sepulturæ tradidit. Vixit per annos* IIII *&* LX. *Rexit Aquitaniam per annos* VII *&* XXX. *Imperiale verò nomen per annos* VII *&* XX *& per menses sex obtinuit.* In præcitatis Astronomi & Nithardi textibus Drogo Metensis Episcopus & Archicapellanus Ludovici Augusti prædicatur. Episcopatum Merensem gerit ab anno Redemptoris octingentesimo vicesimo-sexto, & Archicapellani munere defungitur ab anno Redemptoris octingentesimo tricesimo-quarto. Prætereà est Apocrisiarius Apostolicæ Sedis & usu Pallii potitur. Hæc autem cuncta constant ex literis, per quas infrà pro Adventio Episcopo Metensi Carolus Rex apud Nicolaum Papam intercedet, & Ecclesiam Metensem, cui Engilramnus sub Carolo Magno & Drogo sub Ludovico Pio præfuerunt ita commendabit. *Postulatione avi nostri Divæ Memoriæ Karoli Imperatoris honorari ab Apostolica Sede meruit, ut Engilramnus summus Capellanus ejus & Apocrisiarius Apostolicæ Sedis in istis regionibus aliquandiu fieret; & posteà deprecatione Sanctæ Recordationis Pii Augusti Domni & Genitoris nostri, excellenti genio à Sede Apostolica in patruo nostro Drogone venerando Episcopo fuit honorata, ut unà cum prædicto Ministerio & Imperatoriâ & Apostolicæ Sedis*, id est, Archicapellani & Apocrisiarii, *etiam usu Pallii potiretur.* Quando vel usum obtinuerit Pallii, vel Apocrisiarius Sedis Apostolicæ factus sit, determinatè sciri non potest, quas enim Caroli Regis literas allegavimus, vagè testantur hæc contigisse Ludovico Pio Imperatore, Ludovicus autem Imperium post Carolum patrem ab anno Redemptoris octingentesimo decimo-quarto ad octingentesimum quadragesimum tenuit. Seriùs Drogo, cùm Lotharius Imperatoriam Dignitatem post Ludovici patris obitum solus gerebat, à Sergio Papa vices Apostolicas per regiones Cis-Alpinas accepit, ut ad annum Redemptoris octingentesimum quadragesimum-quartum probaturi sumus. Non semel cùm sermonem de Drogone faceremus, observavimus Scriptores etiam coætaneos aut suppares inveniri, quorum auctoritas vel benignè multis in locis est interpretanda vel omnino respuenda, quia Drogonem, priusquàm aut Archicapellanus Imperatoris aut Legatus Sedis Apostolicæ fieret, Archicapellanum Palatii necnon & Legatum Sedis Apostolicæ vocarunt.

XIX. Redeamus ad Ludovicum Augustum, quem omnes in quadam Insula prope Moguntiam mortuum asserunt. Nonnulli verò distinctiùs Insulam illam in conspectu Ingelheimiensis Palatii collocant. Annalistæ Metensis & Fuldensis, sic. *In Insulam quandam Rheni fluminis prope Ingilenheim delatus, morbo ingravescente,* XII *Kal. Jul. diem ultimum clausit.* Bertinianus, sic. *In Insula Rheni infra Mogontiam ad prospectum Ingulenheim Palatii sita* XII *Kalendas Julii defunctus est.* Hoc anno bisextili, qui Dominicalibus lite-

ris D & C præditus fuit, Pascha celebratum est quinto Kalendas Apriles. AN. CH.
Inde sequitur eclypsin Solis, quam Astronomus *tertiâ die Letaniæ majoris*, 840.
& Annalistæ Fuldensis ac Metensis *in ipsa Vigilia Ascensionis Domini* collocant, ab Annalista Bertiniano rectè collocari III *Nonas Maii*, pravè ab aliis IIII *Id. Maii.* Sequitur & Ludovicum obiisse duodecimo Kalendas Julii, die Dominico, ut Astronomus scribit. Atque ex hac observatione refelluntur qui mortem ejusdem Ludovici vel anno Redemptoris octingentesimo tricesimo-nono collocant, vel in annum Redemptoris octingentesimum quadragesimum-primum rejiciunt. LUDOV. IMP. 27. LOTHAR. IMP. 24. LUDOV. R. 24. CAROLI R. II.

Super numeris autem annorum, quibus aut vixit, aut Rex Aquitaniæ vel Imperator appellatus est, non levis occurrit difficultas in præcitatis Astronomi & Nithardi textibus. Apud Astronomum decedit *anno vitæ suæ sexagesimo-quarto*, apud Nithardum vivit *per annos* IIII *&* LX. Apud utrumque præest Aquitaniæ *per annos triginta septem*, & apud Astronomum Imperiali titulo gaudet *per annos viginti septem*, ita ut tota ejus vita, quæ spatio sexaginta-quatuor annorum circumscribitur, duas duntaxat in partes distributa videatur, quarum una Regiam in Aquitania Dignitatem annorum triginta-septem, altera Imperatoriam annorum viginti-septem post mortem Caroli patris comprehendit. Hæc partitio de annis quidem incompletis explicari potest. Ludovicus usuram lucis accepit anno Christi septingentesimo septuagesimo-octavo; si eodem quo natus est anno, ut quidam ex Astronomo infrà citando colligunt, Rex Aquitaniæ dictus est à patre, vixit, & in Aquitania, donec Carolus obiit, annos regnavit triginta-quinque completos cum duobus incompletis, deinde post eundem Carolum, cujus obitus anno Redemptoris octingentesimo decimo-quarto contigit, Imperator fuit annis vigintiquinque completis cum duobus incompletis, vitam enim clausit duodecimo Kalendas Julias, anno Redemptoris octingentesimo quadragesimo. Astronomi textus de Ludovici Nativitate talis est. *Rex*, nempe Carolus, *reperit conjugem Hildegardam binam edidisse prolem masculam, quorum unus immaturâ morte præreptus, antè penè mori, quàm sub luce vivere cœpit. Alter prospero eventu, materno fusus utero, infantilibus nutriebatur impendiis. Nati sunt autem anno Incarnationis Domini nostri Jesu Christi septingentesimo septuagesimo-octavo. Sed eum qui vividam promittebat qualitatem, quum per Baptismatis sacramentum renasci contigisset, Ludovicum vocitari placuit, eique Regnum, quod sibi nascendo dicaverat, contradidit.* XX. ÆTAS.

Postremæ periodi duplex affertur interpretatio. Una est eorum, qui putant Aquitanicum Ludovici Regnum ad annos triginta-septem protendi non posse, nisi qui Nativitatis annus fuit, is & Regni primus censeatur, ideóque Ludovico Regnum, *quod sibi nascendo dicaverat*, id est, Aquitaniæ Regnum, in quo natus est apud Cassinogilum anno Christi septingentesimo septuagesimo-octavo, mox à patre contraditum volunt. Nec aliò videntur abire hæc Astronomi verba, *quum per Baptismatis sacramentum renasci contigisset, Ludovicum vocitari placuit, eique Regnum, quod sibi nascendo dicaverat*, Carolus pater *contradidit.* Illum enim eodem quo natus est anno, statim ab ortu, per absentiam patris in Hispaniam contra Saracenos cum exercitu profecti, baptizatum nemo sibi facilè non persuadebit, quia timebatur utique gemello, quorum alter, ut ait idem Astronomus, *antè penè mori, quàm sub luce vivere cœpit.* Anno Christi septingentesimo octogesimo-primo Carolus Rex, cùm quatuor haberet filios, unum ex Himiltrude, tres ex Hildegarde, Pascha Romæ cum duobus celebravit, quorum unum Adrianus Papa baptizavit, Ludovicum verò nequaquam, quia hic, licèt altero junior, Baptismum jam susceperat, nec dubium quin statim post Nativitatem suscepisset ob mortis periculum quod imminere credebatur. XXI.

Altera interpretatio est eorum, qui præcitatam Astronomi periodum duas in partes ita distinguunt, ut eam ad tempora referant valdè diversa, XXII.

AN. CH. 840. LUDOV. IMP. 27. LOTHAR. IMP. 24. LUDOV. R. 24. CAROLI R. 11.

quibus Ludovicus & baptizatus est & Aquitaniæ Rex constitutus. In Appendice ad Chronicon Nibelungi Comitis hæc leguntur. *An.* DCCLXXXI *perrexit Carlus Rex Romam, & baptizatus est ibi filius ejus, qui vocabatur ei Carlemannus, quem Adrianus Papa mutato nomine vocavit Pippinum, & unxit in Regem super Italiam, & fratrem ejus Hludowicum super Aquitaniam.* In vita Caroli, quam incertus Auctor exaravit, Pippinus ab Adriano Papa baptizatur, & unà cum Ludovico fratre ungitur in Regem, atque à patre Carolo Italiæ præficitur, ut frater Ludovicus Aquitaniæ. *Baptizatus est Domnus Pippinus filius Domni Regis Karoli ab Adriano Papa, & duo ejusdem filii uncti sunt Reges à supradicto Pontifice, Pippinus scilicet & Ludovicus. Præfecitque eos pater, Pippinum Italia, & Ludovicum Aquitania.* Inde patet Pippinum & Ludovicum diversis temporibus fuisse baptizatos, ac Pippinum seriùs Ludovico, quamvis hic natu minor existeret. Patet etiam eos à patre Carolo Reges simul appellatos esse, simúlque unctos à Romano Pontifice, nec id contigisse ante annum Christi septingentesimum octogesimum-primum, quo Carolus Rex Romam secundò profectus est. In reditu quid de Ludovico filio & Aquitaniæ Regno statuerit, sic exponit Astronomus. *Peractis omnibus, quæ Romæ agenda visa sunt, Rex Carolus cum filiis & exercitu pacificè Franciam repetiit, filiúmque suum Ludowicum Regem regnaturum in Aquitaniam misit, præponens illi bajulum Arnoldum, aliósque Ministros ordinabiliter decentérque constituens tutelæ puerili congruos. Qui usque Aurelianam civitatem cunali est evectus gestamine. Sed ibi congruentibus ejus ætati armis accinctus, equo impositus, & in Aquitaniam est, Deo annuente, transpositus.* In illo textu hic Auctor initium Regni Ludoviciani repetit non ab anno Christi septingentesimo septuagesimo-octavo, quo Ludovicus in Aquitania natus est, sed à septingentesimo octogesimo-primo, quo missus est in Aquitaniam cum Regio Titulo ac Ministris Regiis puerili tutelæ congruis. Porrò Ludovicus, si primum annum sui per Aquitaniam Regni cum anno post Christum natum septingentesimo octogesimo-primo composuit, certè annum ejusdem Regni tricesimum-septimum comparavit cum anno Redemptoris octingentesimo decimo-septimo, quo Pippinum ante triennium Regem Aquitaniæ jam vocatum novâ denuò constitutione in eodem Regno confirmavit. Atque ita Ludovico Aquitaniæ Regi apud Astronomum & Nithardum servari possunt anni triginta-septem, nempe incompleti, ab anno videlicet Christi septingentesimo octogesimo-primo ad octingentesimum decimum-septimum. Sed cùm Ludovicus Aquitaniæ Regnum numquam abdicarit, suósque filios Pippinum & Carolum tantummodo vocarit in illius Regni consortium, rectiùs affirmabis eum obiisse anno Redemptoris octingentesimo quadragesimo, cùm annum sui apud Aquitanos Regni sexagesimum ageret à die, quo Rex à patre dictus fuerat currente tunc anno Christi septingentesimo octogesimo-primo.

XXIII. Apud Astronomum Ludovicus imperat *per annos viginti-septem.* Qui duos ei Titulos, Regium videlicet atque Imperatorium, successivè tribuunt, Regem agnoscunt ab ipsis ineunabulis usque ad patris obitum, Imperatorem verò deinceps usque ad exitum vitæ constituunt, & annos viginti-septem Imperii, quos Astronomus assignat, sic interpretantur, ut annos viginti-quinque completos, duos incompletos enumerent. Hoc loco cum Astronomo Nithardus haud convenit, sex enim menses adjicit præter annos septem ac viginti completos. At neutra Imperii Ludoviciani consentit epocha. Nam Ludovicus, sive à die quo consors Imperatorii Nominis à patre dictus est, sive ab ipsius patris obitu principium Imperii sumas, ex hac vita discessit anno Imperii vicesimo-septimo adhuc currente, nec annos viginti-septem completos imperavit. Chronographus Centulensis obitum Ludovici rectè sic consignat [a]. *Ribbodo Abba splendidus Centulæ Congregationem suâ Pastoralitate ornavit; quo Cœnobii curam administrante Hludowi-*

[a] Lib. 3. c. 5.

eus Diva memoria Imperator, cùm regnasset annis XXVI, *moritur anno Dominica Incarnationis* DCCCXL, *Indictione* III. Perperam autem ab eodem Ludovico Constantinopolim profectò Reliquias in Franciam ex Oriente delatas ita subjungit. *Inter magna Regaliáque, quæ gessit opera, Constantinopolim dicitur adiisse, & inde magnas atque mirificas Reliquias detulisse, quas per sancta loca dispertiens, posteris honorandas tradidit. Et quia Sancti Richarii Ecclesia nulli tunc temporis Gallicana Ecclesia honore & gloriâ seu religione habebatur inferior, ex iisdem Reliquiis magnam huic loco indulsit partem, hoc est, caligulam Domini Christi, summitatem acuminis lancea, quâ ejusdem Domini latus fuit apertum, decem lapides Beati Protomartyris Stephani perlitos sanguine quibus idem Martyr fuit trucidatus, ampullam quoque ejus sancta sanguine plenam.* Certè Ludovicum Constantinopolim profectum nemo veterum prodit. AN. CH. 840. LUDOV. IMP. 27. LOTHAR. IMP. 24. LUDOV. R. 24. CAROLI R. 11.

Quamvis ab ortu Ludovici ad Caroli patris obitum annos triginta-quinque completos cum duobus incompletis, atque inde ad ipsius Ludovici mortem viginti-quinque completos cum duobus pariter incompletis admittamus, haud inde sequitur Ludovicum decessisse *anno vita sua sexagesimo-quarto*, vel vixisse *per annos* IIII *&* LX, ut Astronomus & Nithardus præcitati volunt. Quis annos, quos in privatis summis incompletos dixit, completos in generali summa vel numeravit vel numerandos unquam censuit? Ludovicus, teste Astronomo, natus est *anno Incarnationis Domini nostri Jesu Christi septingentesimo septuagesimo-octavo*, vitámque clausit XII *Kalendas Julii*, die *qua erat Dominica*, id est, anno Redemptoris octingentesimo quadragesimo. Vixit igitur annos duos & sexaginta, sive annos unum & sexaginta completos cum duobus incompletis, nec attigit sexagesimum-quartum. Ab ejus obitu nova Lotharii cùm Imperatoris tum Regis fratrúmque Ludovici & Caroli Regum occurrit epocha, quam unà cum ceteris apponi suprà consuetis in hujus anni titulo notandam censuimus. XXIV.

Ludovicus duas duxit uxores, Hermengardam anno Christi septingentesimo nonagesimo-octavo, Juditham anno Redemptoris octingentesimo decimo-nono. Suscepit ex Hermengarda Lotharium, Pippinum, Ludovicum, Adelaidem, Gislam, Alpaidem, Rotrudem & Hildegardem, ex Juditha Carolum. Supervixit Pippino, & nepotes ex eo reliquit adhuc adolescentes Pippinum ac Carolum, duásque neptes Gerardo & Hiratario Comitibus jam nuptas. Generos habuit Conradum Comitem Judithæ Augustæ fratrem, Evrardum Ducem Foro-Juliensem, Beggonem & Theodoricum Comites, totidem filiabus, Adelaide, Gislâ, Alpaide & Hildegarde in matrimonium collocatis. Lothario filiorum natu maximo Nomen Imperatorium anno Redemptoris octingentesimo decimo-septimo contulit, atque inter eundem Lotharium ceterósque filios universum Regnum sæpiùs diversèque partitus est, novissimè præteritis nepotibus Pippino & Carolo totum Regnum inter filios Lotharium & Carolum divisit exceptâ Bojoariâ, quâ Ludovicum contentum esse voluit. Secutum inde gravissimum bellum, cùm nepotes se prætermissos dolerent, filiique plurimùm diffiderent inter se, quia Carolus jus suum tuebatur, Ludovicus Bojoariæ finibus coarctari nolebat, Lotharius Monarchiam Francorum sibi vi dicabat, asserebátque jus in eam sibi competere non tantùm ex vetusta quam fingebat Donatione, sed etiam ex ultima patris voluntate, qui morti proximus coronam, ensem, & sceptrum auro gemmísque redimitum transmiserat. Ludovicus Augustus in animo numquam habuit, ut Lotharius in Monarchiam Francorum sibi succederet. Ea de re sæpè disputavimus adversùs eos, qui tale commentum ad fovendam Lotharii perfidiam in vulgus temerè sparserunt. Quod attinet ad ornamenta Regia, quæ Lotharius postremo penè jussu patris tunc morientis ad se delata suscepit, inde Lotharianarum partium fautores fabulosè divulgarunt designatum à patre Lotharium, qui post ejusdem patris mortem toti Francorum XXV. UXORES. LIBERI.

AN. CH. 840. LUDOV. IMP. 27. LOTHAR. IMP. 24. LUDOV. R. 24. CAROLI R. II.

Regno dominatetur. Huic rumori fidem nimis facilè præ ceteris adhibuit Annalista Fuldensis, sic enim ad hunc annum scripsit. *Hlotharium de Italia serò venientem Franci loco patris ejus super se regnaturum suscipiunt. Hunc enim ferunt Imperatorem morientem designasse, ut post se Regni gubernacula susciperet, missis ei insignibus Regalibus, hoc est, Sceptro Imperii & Coronâ. Quod fratres ejus non consentientes, contra eum insurgere parant, ac primùm ei in suburbanis Moguntiacis cum exercitu venienti frater ejus Hlodowicus cum manu valida Orientalium Francorum partem Regni ab Oriente Rheni defensurus occurrit.* At Astronomus Auctor synchronus, quo consilio Ludovicus Augustus Lothario coronam ac sceptrum dederit, clarissimè sic exponit. *Imperator jussit Venerabili fratri suo Drogoni, ut Ministros Cameræ suæ ante se venire faceret, & rem familiarem, quæ constabat in ornamentis Regalibus, scilicet coronis, & armis, vasis, libris, Sacerdotalibúsque vestibus, per singula describi juberet. Cui, prout sibi visum fuit, quid Ecclesiis, quid pauperibus, postremò quid filiis elargiri deberet edixerat, Lothario scilicet & Carolo. Et Lothario quidem coronam, ensem, sceptrum auro gemmísque redimitum, eo tenore habendum misit, ut fidem Carolo & Judith servaret, & totam Regni portionem illi consentiret & tueretur, quam Deo teste & Proceribus Palatii, ille secum & ante se largitus ei fuerat.* Ex hoc textu liquet ultimam Imperatoris voluntatem hanc fuisse, ut juxta partitionem ante biennium factam Lotharius & Carolus post patris obitum universam Francorum Monarchiam inter se dividerent exceptâ Bojoariâ, quæ penes Ludovicum illorum fratrem remaneret.

XXVI. ELOGIUM.

Erat Ludovicus Imperator *staturâ mediocri, oculis magnis & claris, vultu lucido, naso longo & recto, & labris non nimis densis nec nimis tenuibus, forti pectore, scapulis latis, brachiis fortissimis, ita ut nullus ei in arcu vel lancea sagittando æquiparari poterat; manibus longis, digitis rectis, tibiis longis & ad mensuram gracilibus, pedibus longis, voce virili. Linguâ Græcâ & Latinâ valdè eruditus, sed Græcam magis intelligere poterat quàm loqui, Latinam verò sicut naturalem æqualiter loqui poterat. Sensum verò in omnibus Scripturis spiritalem, & moralem, necnon & anagogem optimè noverat. Poëtica Carmina gentilia, quæ in juventute didicerat, respuit, nec legere nec audire nec docere voluit. Erat fortis in membris suis, agilis & impiger, tardus ad irascendum, facilis ad miserandum. Quotiens manè in cottidianis diebus ad Ecclesiam perrexerat causâ orationis, flexu genibus fronte tetigit pavimentum, humiliter diu orans, aliquando cum lachrymis, & omnibus moribus bonis semper intentus. In tantùm largus, ut anteà nec in antiquis libris, nec in modernis temporibus auditum est; ut villas Regias, quæ erant sui & avi & tritavi, fidelibus suis tradidit eas in possessiones sempiternas, & Præcepta construxit, & annuli sui impressione cum subscriptione manu propriâ roboravit. Fecit enim hoc diu tempore. Erat in cibo potúque sobrius, & indumentis suis moderabilis. Nunquam aureo resplenduit indumento, nisi tantùm in summis Festivitatibus, sicut patres ejus solebant agere. Nihil illis diebus se induit, præter camisiam & feminalia, nisi cum auro texta, lembo aureo, baltheo præcinctus & ense auro fulgente, ocreas aureas, & clamidem auro textam, & coronam auream auro fulgentem in capite gestans, & baculum aureum in manu tenens. Numquam in risu exaltavit vocem suam, nec quando in festivitatibus ad lætitiam populi procedebant themelici scurræ & mimi cum coraulis & citharistis ad mensam coram eo, tunc ad mensuram coram eo ridebat populus, ille numquam vel dentes candidos suos in risu ostendit. Quotidie ante cibum eleemosynarum largitionem exhibuit, & ubicumque erat, Xenodochia secum habebat.* Hæc Theganus [a]. Alia sequuntur ex Astronomo. Tribus diebus per singulas hebdomadas rei judiciariæ intererat. Multa Cœnobia vel reparavit, vel à fundamentis extruxit. Quadragesimale jejunium cum summa devotione transigebat, ita ut vix uno vel duobus diebus propter exercitationem equitationi indulgeret. Ecclesiam Romanam summósque Pontifices singulari studio prosecutus est, ut testatur Præceptum [b], quo super omnia jussit filiis suis, ut cu-

[a] Cap. 19.

[b] Tom. 2. Collect. Hist. Franc.

tam & defensionem Ecclesiæ Sancti Petri simul susciperent, sicut quondam proavus ejus Carolus, avus Pippinus, genitor Carolus, ipséque susceperant. Tot autem tantarúmque virtutum famulatu Pii cognomen apud posteros jure sibi comparavit. AN. CH. 840. LUDOV. IMP. 27. LOTHAR. IMP. 24. LUDOV. R. 24. CAROLI R. II.

In ejus tamen vita non defuerunt nævi. Sed quæ vituperantur in tanto Principe, vel excusationem admittunt, vel longè minora sunt quàm quæ laudantur.

Astronomus in operis sui prologo testatur eam tantummodo culpam ab æmulis adscripta Ludovico, *quòd nimis clemens esset*, quamvis in ore sæpiùs haberet hoc proverbium, *ne quid nimis*. Neoterici clementiam illam pusillanimitati vertunt. At ubique strenuè se gessit adversùs quoscumque hostes, si filios duntaxat exceperis, quos prosequi ac debellare noluit cùm posset, & clementiùs quidem quàm par erat, ubi veniam postularunt, excepit, quis autem patri erga filios indulgentiùs se habenti non indulgeat? XXVII. XXVIII.

Objicit alia Theganus [a]. *Omnia*, inquit, *prudenter & cautè agens nihil indiscretè faciebat, præterquàm quòd Consiliariis suis magis credidit quàm opus esset, quod ei fecit psalmodiæ occupatio & lectionum assiduitas, & aliud quod ille non incipiebat, quia jam dudum ille pessima consuetudo erat, ut ex vilissimis servis summi Pontifices fierent, & hoc non prohibuit.* Malè se gerunt Reges, qui nullos Consiliarios admittunt, pejùs verò qui Consiliariis se suaque sic permittunt, ut regantur potiùs quàm regant Regiâ potestate in Ministros penitus translatâ. Quamcumque prætexant excusationem, vel maximè piam, qualis Ludovico adscribitur, non sunt immunes culpæ, quia Regii muneris, quod obire debent, partes non implent. Ludovicum multum fuisse in psallendo ac studiosum vitæ Monasticæ non obscurè insinuat Astronomus, cùm ait multos timuisse post obitum Hermengardis uxoris, ne Regno se vellet abdicare. Sed integra fides non est habenda Thegano in iis, quæ de vilibus personis ad Episcopatum promotis habet, eo loco *effusior & ardentior in loquendo* visus est Walafrido Straboni in Præfatione quam illius operi præfixit. Nobilissimi quique propter solum familiæ splendorem non sunt ad Ecclesiasticas Dignitates evehendi. Quantùm inde detrimenti plerumque posset Ecclesiæ contingere suis temporibus expertus erat ante Ludovicum Pium Carolus Magnus [b], nam cùm pueros summi, medii, & infimi generis, viro peterudito commendasset, eósque præcepisset aliquando ad se venire, & epistolas ac poemata offerre, quibus periculum suæ diligentiæ facerent, nihil accepit à nobilibus non fatuum, non insulsum, à ceteris verò cuncta magno studio elaborata nec indoctè, hos ad dexteram segregavit, ut eo quo benè cœperant pede pergerent hortatus est, Regiam gratiam, necnon Episcopatus & Abbatias permagnificas, si non remitterent animum à studiis, ultrò promisit, deinde conversus ad sinistram, acriùs invehi cœpit in Nobiles delicatos ac formosulos, qui natalibus suis ac facultatibus confisi, neglectis literis, luxuriæ, ludo, inertiæ & manibus exercitiis indulgebant, adhibitóque juramento protestatus est eos apud se nihil unquam acquisituros, nisi priorem desidiam singulari prorsus diligentiâ citò repararent. XXIX.

[a] Cap. 20.

[b] Monach. San-Gall. l. 1. cc. 2. 4.

Ludovicus, ut Theganus quoque scribit [c], *in mense Augusto, quando cervi pinguissimi sunt, venationi vacabat usquedum aprorum tempus adveniret.* Apud Astronomum nulla fermè mentio fit frequentior quàm venationis autumnalis. Eâ Ludovicus ita delectabatur, ut negotia tum refugeret, multa per Legatos ageret, quæ per aliud tempus ipse conficienda suscepisset. Id vitio verti potest Ludovico, ut & nonnullis aliis Regibus, qui plùs temporis, quàm par erat, Regiis oblectamentis licèt honestissimis insumpserunt. XXX.

[c] Cap. 19.

Apud Andream Duchesnium [d] post Astronomi lucubrationem epita- XXXI.

[d] Tom. 2.

AN. CH. 840. LUDOV. IMP. 27. LOTHAR. IMP. 24. LUDOV. R. 24. CAROLI R. 11.

phium Ludovici cum hoc titulo, *epitaphium Lodowici Regis & Imperatoris, filii Karoli Magni, qui jacet in Monasterio S. Arnulfi Metensis*, sic extat.

Imperii fulmen, Francorum nobile culmen,
Erutus à seclo conditur à tumulo.
Rex Lodowicus pietatis tantus amicus,
Quòd Pius à populo dicitur & titulo.
Hildegard soboles, Karoli Magni pia proles,
In pacis metas colligit hunc pietas.
Rumelicum villam, quicquidve refertur ad illam,
Arnulfo Sancto contulit, huícque loco.
Stirps à quo Procerum, Regúmque vel Imperatorum,
Quorum muneribus sistitur iste locus.

XXXII. Mense post Ludovici mortem proximo, septimo videlicet Idus Julias, hoc anno, Corpus Sancti Pavacii & Brachium dextrum Sancti Liborii translata sunt ab Aldrico Cenomannensi Episcopo, in cujus gestis hæc leguntur capite quadtagesimo-quinto. *Anno Incarnationis Domini nostri Jesu Christi* DCCCXL, *Indictione* III, *anno verò Imperii Hludovici Piissimi Augusti* XXVII, *& anno* VIII *Aldrici hujus Parrochiæ Episcopi atque hujus Cœnobii fundatoris*, VII *videlicet Iduum Juliarum die, solemniter translatum est à præscripto Episcopo & ab aliis Episcopis & Sacerdotibus & reliquis sacris Ordinibus corpus Sancti Pavacii & Brachium dextrum Sancti Liborii in hanc Sancti Salvatoris Ecclesiam, húcque in nobilissima urna decenter à præfixis Episcopis & Sacerdotibus subsequentibus signis humatum, quorum precibus ab omnibus petimus liberari malis, & cunctis frui æternaliter bonis, ipso auxiliante, cui est honor & gloria in secula seculorum. Amen.* Anno Redemptotis octingentesimo tricesimo-sexto Translationem Sancti Liborii Cenomanno Paderbornam non dissimulavimus, celebrior enim hæc fuit quàm ut silentio ptemi posset. Sactarum autem exuviarum pattem non modicam in civitate Cenomannensi telictam, quamvis inde Corpus integrum in Saxoniam avectum perhibeatut, observavimus Chartâ, de qua loquimur, quia Cenomanni dextram Sancti Liborii brachium post obitum Ludovici Pii collocat, intet probationes subindicatâ. De Reliquiis Sancti Pavacii sermonem etiam ad annum Redemptoris octingentesimum tricesimum-sextum [a] fecimus. Locum illum adi, & benignam quam adhibuimus interptetationem approba, ne pugnantia sibíque contraria narrasse videamur.

[a] Num. 12.

XXXIII. In superiote Cbarta tertius Cbaracter Chtonologicus, qui ducitut ab Imperio Ludovici, scrupulum fortè tibi movebit, quia priusquàm ptædicta Sanctorum Pavacii & Liborii Ttanslatio fieret, obiit Ludovicus Imperatot, & septimo Idus Julias ab Aldrico Cenomannensi Pontifice vix ignorari potuit mors Ludovici, quæ prope Moguntiam duodecimo Kalendas Julii seu dies ante novemdecim contigetat. Atque inde suspicaberis deleto Ludovico substituendum esse filium ejus Carolum, cujus epochæ quidem plures hactenus suis annis à nobis adnotatæ, cunctarum autem, ut multis argumentis & exemplis infrà probabimus, ea deinceps fuit receprissima, quæ petitur à patris obitu. Ne tamen Characterem, de quo nohis hîc sermo, temerè credas interpolatum vel corruprum, vetat par loquendi formula, quæ teperitut in iisdem Aldrici Gestis, initio capitis quinquagesimi-septimi, sic. *Decedente Domno Hludovico Francorum Imperatore secundo, filio videlicet Karoli Imperatoris, anno Incarnationis Dominicæ* DCCCXL, *Indictione* III, *anno siquidem Imperii sui* XXVII, *surrexit quadam tyrannica pravitas inter cetera mala, inter Ligerim & Sequanam, & maximè in pago Cenomannico, in quo Aldricus tunc octavum annum in Episcopatûs dignitate fulgebat.* Hic Auctot annum otditur à Paschate, & ex antiquo more, cujus mentionem in his Annalibus non semel fecimus, Regi sive Imperatoti, qui Regnum sive Imperium in anni principio gerit, totum attribuit annum, successoris

Regnum

Regnum sive Imperium inchoaturus ab anni subsequentis exordio. Duabus AN. CH.
his observationibus amputatur omnis difficultas. Anno Redemptoris octingentesimo decimo-tertio Ludovicus à patre Carolo renunciatur Imperator, eidémque post aliquot menses mortuo succedit quinto Kalendas Februarii. Proxima Paschæ Solemnitas ut annum Redemptoris octingentesimum decimum-quartum, sic & primum aperit annum Imperii Ludoviciani, cujus anno vicesimo-septimo Paschalis Festivitas idem initium ac anno Redemptoris octingentesimo quadragesimo facit, & in annorum numeris, qui vel Redemptoris vel Imperatorum aut Regum Chronologiam spectant, nihil immutatur ante posterum Pascha, quod & anno Redemptoris octingentesimo quadragesimo-primo, & anno Caroli Regis post Ludovici patris obitum regnantis primo dat exordium.

840. LUDOV. IMP. 27. LOTHAR. IMP. 24. LUDOV. R. 24. CAROLI R. I.

XXXIV. Ne qua subterfugii spes aliter sentienti superesset, néve perperam ad Ludovici Augusti mortem in præcitato textu detorquendus videretur annus Imperii Ludoviciani vicesimus-septimus, qui referri debet ad exortum in pago Cenomannico tumultum Ludovico jam mortuo, appositè providit idem Auctor capite quinquagesimo-secundo, hac periodo. *Defuncto præscripto Domno Hludovico Piissimo Augusto, anno Incarnationis Dominicæ* DCCCXLI *magna seditio orta est in Imperio suo.* Totum caput, quod ad Anisolense Monasterium præcipuè pertinet, lubenter hîc describemus. *Si quis nosse desiderat qualiter Monasterium Anisola unà cum rebus suis de jure Cenomanicæ Matris Ecclesiæ post obitum Hludovici secundi Francorum Imperatoris elapsum est, in hoc Memoriale breviter comprehensum aliquid invenire poterit. Defuncto præscripto Domno Hludovico Piissimo Augusto, anno Incarnationis Dominicæ* DCCCXL, *magna seditio orta est in Imperio suo. Inter cetera autem mala surrexit quædam tyrannica potestas in pago Cenomanico, quæ resistere nitebatur Karolo filio ejus, cui prædictus Imperator inter ceteras regiones Neustriam dederat, & suos fideles valdè infestabat. Præfata ergo tyrannicæ potestati se conjunxit Sigemundus, qui dudum de præfata Anisola Monasterio Abbas fuerat, & Aldricus Ecclesiæ Cenomanicæ Episcopus, qui illud Monasterium unà cum rebus suis tunc tenuerat, fideliter Karolo Seniori suo adhærebat, & licèt memorata tyrannica potestas eum ad se sæpissimè vocaret, & firmitatem ei facere vellent qui eam exercebant, qualiter ipse quæreret ut diebus vitæ illorum suos honores non perderet, nec imminutos haberet, sed majores & qualescunque in illa regione peteret adipisceretur, si se illis conjungeret. Sed ille propter hæc omnia proposita à prædicto Seniore suo se non subtraxit, sed inconvulsè fidelis & pro viribus adjutor illi extitit, & propter illum omnia sua dimisit, & eum secutus est per omnia. Cessante verò jam dictâ seditione, cœpit Karolus Rex prædictus consilium, ut memoratos tyrannos aut à jam dictis finibus ejiceret, aut eos sibi fideles faceret, ad quos misit Optimates suos vocans eos ad se. Quibus responderunt. Nec ad illum veniemus, nec illi fideles erimus, nisi nobis convictis concedat omnibus vitam, & membra, & tales honores quales modò tenemus, quocumque modo eos habeamus, inter quos præfatum Sigemundum & Monasterium Anisolæ cum rebus suis comprehenderit. Videns Domnus Karolus præfatus Rex propter alias seditiones quæ undique grassabantur, sine magno discrimine aliter tunc non posse fieri, consensit petitionibus eorum, & inter reliquos Sigemundo concessit memoratum Monasterium, & prædicto Aldrico & suæ Sedis Ecclesiæ firmiter promisit illud citò redditurum, & tali occasione memoratum Monasterium alienatum est tunc à jure Cenomanicæ Matris Ecclesiæ, non legibus evindicatum, sed tyrannicè alienatum.*

XXXV. Eò processit seditio, ut è sua Sede pulsus ejiceretur Aldricus Cenomannensis Episcopus, de quo sic etiam Auctor Gestorum scribit capite quinquagesimo-septimo. *Decedente Domno Hludovico Francorum Imperatore secundo, anno Incarnationis Dominicæ* DCCCXL, *Indictione* III, *anno siquidem Imperii sui* XXVII, *surrexit quædam tyrannica pravitas, inter cetera mala, inter Ligerim & Sequanam, & maximè in pago Cenomanico, in quo Aldricus tunc*

AN. CH. 840. LUDOV. IMP. 27. LOTHAR. IMP. 24. LUDOV. R. 24. CAROLI R. 11.

octavum annum in Episcopatûs dignitate fulgebat. Et licèt prædictus Imperator inter tres filios suos Regna sua divideret, id est, inter Hlotharium & Ludovicum atque Carolum, inter Hlotharium in media Francia, Hlodovicum verò in Austria, & Karolum in Neustria & Aquitania collocaret, cetera verò Regna & Ducatus inter eos, sicut in Annalibus eorum continetur, divisa consensu Principum suorum partivit. Præfatum autem Pontificem memorato Karolo filio suo minori per manus commendavit. Cui jam dictus Pontifex Aldricus fidem servans debitam, ab infidelibus Sanctæ Dei Ecclesiæ & suis à præfata tyrannica potestate in supradicto anno à præscripto Episcopo & à sua Sede ejectus est; & propterea multa, quæ in Ecclesiasticis & aliis rebus pro amore Dei facere cœperat, imperfecta remanserunt. Nam penè prædictum Episcopium tunc vastatum est, & quasi ad nihilum redactum. Habebat enim cœptum claustrum Canonicorum & Matrem Ecclesiam in media civitate à fundamento unà cum suis porticibus & Paradisum inchoatum, & maximam partem ex ea factam, similiter & ædificia Monasteriorum quinque unà cum claustris & ceteris eorum. Habebat quoque ad utilitatem ejusdem Ecclesiæ fulciendam & ad pauperes recreandos congregatos greges jumentorum unà cum amissariis ampliùs quàm octoginta, vaccarum & ovium atque caprarum sive porcorum ampliùs quàm ducenta, annonam & fœnum ac vinum tam ad opus Congregationum hospitúmque ac pauperum, quàm & ad sibi Ecclesiæque sibi commissæ servientium opus sufficienter. Sed quid ampliùs dicam? Ita habebat fundatum tam in Ecclesiasticis quam & in aliis rebus prædictum Episcopium & res sibi commissas, qualiter non fuerunt à diebus antiquis, vel à tempore quo alicujus hominis memoria retinetur. Sed hæc & reliqua bona innumerabilia à prædictis tyrannis, sive hospitalia septem quæ ad pauperes & hospites recipiendos & recreandos fecerat, funditus vastata & diruta sunt. Propter has verò insidias & alias multas hæc & alia bona innumerabilia, quæ facere voluit & cœpit in suo Episcopio, non apparent, quæ à Domino illis requirantur, à quibus hæc subversa & vastata atque prohibita sunt, & non ab illo, qui hæc agere & adimplere voluit, & prohibitus atque dejectus dimisit. Præscripti ergo tyranni de genere Herivei & Widonis superiorum tyrannorum remanserunt.

XXXVI. In multis Conciliorum editionibus, Gregorii Papæ Quarti legitur epistola, cui titulus est *de Aldrico Cenomanensi Episcopo non alibi quam apud Sedem Apostolicam accusando, & de Romani Pontificis potestate.* Diligenter examinanti fœtus creditur hominis otiosi, quamvis ab Yvone & à Gratiano citata reperiantur aliquot ejus fragmenta. Quia prolixius est opus, paucas dumtaxat periodos recitabimus, quæ sub initium sic occurrunt. *Has*, inquit Gregorius, *ad vos literas destinamus, quibus Decreto nostro vestram rogantes caritatem mandamus, ut si aliqui, quod non optamus, suorum æmulorum, Aldricum Cenomanicæ Ecclesiæ Episcopum accusare damnabiliter attentaverit, ut honoretur Beati Petri Apostolorum Principis memoria, Ecclesiæque Romanæ cui præsedit privilegium, & nostri nominis auctoritas. Liceat illi post auditionem Primatum Diœceseos, si necesse fuerit, nos appellare, & nostrâ auctoritate aut ante nos aut ante Legatos nostro ex latere missos, juxta Patrum Decreta, suas exercere atque finire actiones, nullúsque illum ante hæc judicet, aut judicare præsumat. Sed si quid, quod absit, grave intolerandúmque ei objectum fuerit, nostra erit expectanda censura, ut nihil priùs de eo, qui ad sinum Sanctæ Ecclesiæ Romanæ confugit, ejúsque implorat auxilium, decernatur, quàm ab ejusdem Ecclesiæ authoritate fuerit præceptum, quæ sic vices suas aliis impertivit Ecclesiis, ut in partem sint vocatæ solicitudinis, non in plenitudinem potestatis.*

XXXVII. Sedit Gregorius à mense Januario anni post natum Christum octingentesimi duodetricesimi ad mensem usque Januarium anni post natum Christum octingentesimi quadragesimi-quarti. Aldricus Episcopatum Cenomannensem anno Redemptoris octingentesimo tricesimo-secundo exeunte suscepit Imperatore Ludovico, cui diu superstes vixit regnante Carolo ejus filio. Carissimus utrique fuit, nec unquam defecit à fide, quâ se vel Imperatori vel Regi sciebat obnoxium. Anno Redemptoris octingentesimo

quadragesimo, cùm post Ludovici Augusti mortem tota Neustria civili bello laborabat, à seditiosis Cenomannensibus è sua pulsus Ecclesia confugit ad Carolum, in cujus comitatu cum insigni laude per plures permansit menses, donec suæ Sedi restituendus est ab eodem Rege Bituricas primùm ubi Regium pridie Idus Januarii Præceptum emisit, deinde Cenomannum profecto, ut suis locis ex Nithardo distinctè probaturi sumus. Illo certè tempore, quo coactus à sua procul abfuit Diœcesi, cùm Cenomannenses nec apud Papam suo de Antistite questos esse, nec ullam movisse disputationem de potestate Romani Pontificis inveniamus, desitur ratio cur Gregorius illa scriberet, quæ tunc ab eo scripta perhibentur. Altum hisce de literis silentium in Aldrici Gestis, atque prævalidum hoc est falsitatis argumentum, præsertim cùm in eodem opere mentio genuinæ fiat epistolæ, quam Gregorius Romanus Pontifex Aldrico direxit. *Præfatus Aldricus Episcopus*, ait Auctor prædictorum Gestorum, capite quadragesimo-quarto, *tantæ fuit dignitatis & honoris amorísque, ut usque ad Romanam Sedem ejus rumor pervenerit, eíque Domnus Gregorius Romanæ Sedis Ecclesiæ Venerabilis Apostolicus Romà in pago Cenomanico suum vestimentum Sacerdotale miserit, illud scilicet vestimentum, quo in Pascha indutus fuerat. Misit etiam ei baculum Pastorale, quod Ferula nuncupatur, unà cum sua epistola, vocans eum, ut, si possibile foret, usque ad eum perveniret, eíque concessit, ut qualemcunque petitionem & benedictionem à Sede Sancti Petri accipere vellet, aut per seipsum aut per suum Missum ei voluntariè & libenti animo mitteret atque concederet.*

AN. CH. 840. LUDOV. IMP. 27. LOTHAR. IMP. 24. LUDOV. R. 24. CAROLI R. II.

XXXVIII. Quatuor tantùm epistolæ nomine Gregorii Quarti Papæ circumferuntur, eæque, quod observandum maximè videtur, omnes fictitiæ. Primam, quam Episcopis Ludovicianarum partium scriptam volunt anno Redemptoris octingentesimo tricesimo-tertio, postquàm Lotharius, Pippinus & Ludovicus, fratres impium de exauctorando patre consilium inierunt, ad illum annum multis argumentis ostendimus esse commentitiam. Secundam, quam Episcopis & aliis Dei fidelibus in Gallia degentibus missam affirmant pro Monasterio Floriacensi, falsam similiter ad annum Redemptoris octingentesimum tricesimum-quartum respuimus. Tertiam, quam Episcopis per Galliam, per Germaniam, per Europam constitutis, in Aldrici Cenomannensis Episcopi causa post obitum Ludovici Pii directam contendunt, ob rationes proximè recitatas ad suppositìtiarum lucubrationum classem amandamus. Quartam, quâ Gregorius Episcopis & Orthodoxis fidelibus Ebonem Archiepiscopum Remensem depositum pristino gradui restitutum à se significat, in eodem ordine falsorum prorsus operum mox collocabimus, habito sermone de Lothario Augusto & prædicto Ebone in Galliam ex Italia reversis.

XXXIX. Mortuo Ludovico, statim diuturnum inter ejus filios exarsit bellum, cujus narrationem à consiliis & molitionibus Lotharii tunc degentis in Italia sic exorsus est Nithardus [a]. *Audiens Lodharius patrem suum obiisse, confestim nuncios ubique, præsertim per totam Franciam*, id est, per Galliam, *mittit, qui se venturum in Imperium* seu Regnum, *quod olim fuerat illi datum, affirment, promittens unicuique honores à patre concessos se concedere, & eosdem augere velle. Dubios quoque fide, sacramento firmari præcepit. Insuper autem jussit, ut quantocyùs possent, obviam illi procederent. Nolentibus verò capitale supplicium ut prædiceretur, indixit. Ipse autem pedetemptim, quò se res verteret, antequàm Alpes excederet, scire volens. Ergo cupiditate terroréque illecti undique ad illum confluunt, & hoc cernens spe viribúsque magnanimus effectus, quibus artibus universum Imperium* seu Regnum *liberius invadere posset, deliberare cœpit. Lodhuwicum quoque, quem itineri suo contiguum esse prospexit, ut primùm in illum manum mitteret, ratum duxit, & ut eundem viribus annullaret, operam omni virtute adjecit. Intereà ad Karolum in Aquitaniam Legatos callidè dirigens, mandat se erga*

[a] Lib. I.

LOTHARIUS AUG. POST PATRIS OBITUM MOLESTUS EST SUIS FRATRIBUS, LUDOVICO,

AN. CH. 840. LUDOV. IMP. 27. LOTHAR. IMP. 24. LUDOV. R. 24. CAROLI R. 11.

illum, sicut pater statuerat, & sicut erga filiolum ex Baptismate oportebat, benivolum esse. Verumtamen ut nepoti suo, filio Pippini, donec cum eo loqueretur parceret, deprecatus est. Et his ita compositis, ad urbem Vangionum, in qua Ludovicus pater, nisi morte præventus fuisset, indictum Placitum celebrare decreverat, *iter direxit. Eodem tempore Lodhuwicus partem exercitûs inibi causâ custodia reliquerat, & Saxonibus sollicitatis obviam illis perrexerat. Quamobrem Lodharius parvo conflictu custodes fugere compulit, Renum cum universo exercitu transiens, Franconofurth iter direxit, quo insperato hinc Lodharius, inde Lodhuwicus confluunt, pacéque sub nocte compositâ, alter inibi, alter verò quo Moin in Renum confluit, castra haud fraterno amore componunt. Cúmque Lodhuwicus viriliter resisteret, & Lodharius illum absque prælio sibi subigere diffideret, sperans Karolum faciliùs superari posse, eâ pactione prælium diremit, ut* III *Idus Novemb. eodem loco rursum conveniant, & ni concordia statutis interveniat, quid cuique debeatur armis decernant. Et his ita omissis Karolum sibi subigere contendit.*

XL. *Per idem tempus Karolus Bituricas ad Placitum, quo Pippinum sui juraverant venturum, venerat. Qui quidem ex omnibus nuntio recepto, Missos, videlicet Nitardum & Adelgarium delegit, & uti ociùs valuit, ad Lodharium direxit mandans ac deprecans, ut memor sit sacramentorum quæ inter se juraverant, & servet quæ inter illos pater statuerat. Insuper etiam fraternæ filiolique conditionis meminerit, haberet sua sibi, & quod illi pater suo consensu concesserat, absque conflictu illum habere permittat, promittens si hoc faceret, fidelem se illi & subjectum fore velle, ita ut Primogenito fratri esse oporteret. Insuper etiam quicquid hactenus in illum deliquerat, pollicitus est se ex corde remittere, deprecatus ne ampliùs suos sollicitet, nec Regnum sibi à Deo commissum perturbet. Cederent undique paci atque concordiæ, & hoc se suâ suorúmque ex parte ratum videre, ac per hoc conservare velle, mandavit. Quod, etsi alter hoc ita esse non crederet, quocunque vellet modo, ex his illum certum se efficere promisit. Quæ quidem Lodharius simulans se benignè suscipere, Legatos tantùm salutationis causâ redire permisit, ac per suos se responsurum de ceteris esse, respondit. Insuper etiam, quoniam ad ipsum se vertere frustratâ fide noluerunt, honoribus, quos pater illis dederat, privavit. Ita quid fratri facere cogitaret, nolens indicium dabat. Intereà omnes inter Mosam & Sequanam degentes ad Karolum miserunt, mandantes, ut antequàm à Lodhario præoccuparentur veniret, adventum ejus se præstolaturos promittentes. Quamobrem cum perpaucis Karolus hoc iter accelerans, ab Aquitania Carisiacum venit, & à Carbonariis & infrà ad se venientes benignè suscepit. Extrà verò Herenfridus, Gislebertus, Bovo, ac ceteri ab Odulfo decepti, firmatam fidem negligentes defecerunt.*

ET CAROLO.

XLI. *Eodem tempore Missus ab Aquitania venit, nuntians quòd Pippinus cum his, qui parti suæ favebant, super matrem Karoli irruere vellet, ac per hoc Karolus Francos inibi omittens, mandat, si illos frater suus, donec reverteretur, opprimere vellet, obviam sibi procederent. Insuper ad Lodharium, Hugonem, Adelhardum, Gerhardum, & Hegilonem direxit, cuncta quæ tunc nuper illi mandaverat replicans, necnon & pro Deo deprecatus est, ne suos sibi subtrahens, Regnum, quod Deus patérque suo consensu illi dederat, ampliùs dissipet. Et his ita compositis, in Aquitaniam festinus perrexit, supérque Pippinum & suos irruens, fugâ illos abire compulit. Per idem tempus, cùm Lodharius à Lodhuwico reverteretur, & omnes citra Carbonarias ad illum venirent, Mosâ trajectâ, ratum duxit, ut Sequanam usque procederet. Quò dum tenderet, Hilduinus Abbas Sancti Dionysii, & Gerardus Comes Parisii civitatis à Karolo deficientes fide frustratâ ad illum venerunt. Quod quidem Pippinus filius Bernardi Regis Langobardorum ceteríque cernentes, elegerunt potiùs more servorum fidem omittere, juramenta contemnere, quàm ad modicum tempus facultates relinquere, ac per hoc, fide relictâ, quos suprà memoravimus secuti, eidem se dederunt. Hinc quoque Lodharius magnanimus effectus Sequanam excessit, præmittens more solito qui ad defectionem inter Sequanam & Ligerim degentes, partim minis, partim blanditiis subducerent. Ipse quoque, uti*

AN. CH. 840.
LUDOV. IMP. 27.
LOTHAR. IMP. 24.
LUDOV. R. 24.
CAROLI R. II.

consueverat, lento itinere subsecutus Caremtenam seu Carnutenam * *civitatem tendebat. Cùmque Theodericum, Ericum, & hos, qui illum sequi deliberaverant, ad se venturos didicisset, spe multitudinis suæ fretus, Ligerim usque ut producere, deliberavit. Karolus quoque à fuga, quâ Pippinum & suos dispersérat, reversus, & quoniam matrem ubi tutò relinqueret non habebat, pariter ad Francia partes properabat.*

* Chartres.

XLII.

Audiens autem Karolus intereà, quòd hi omnes, quos suprà memoravimus, ab eo defecissent, & Lodharius cum ingenti exercitu persequi illum usque ad internitionem statuisset, hinc autem Pippinus, & hinc Brittones infesti erant, quid facerent, concilium convocant, ineunt, déque his omnibus facilè deliberaturi, facile consilium perfacilè inventum est. Et quoniam nihil præter vitam & corpora reliquum habebant, elegerunt potiùs nobiliter mori, quàm Regem proditum derelinquere. Quamobrem obviam Lodhario pergunt, atque Aurelianensem urbem hinc inde petunt, castra ponunt, distantes ab invicem plùs minùs leuvas VI, *Legatos invicem dirigunt. Et Karolus quidem solâ justitiâ pacem petebat. Lodharius verò, quo astu absque prælio illum decipere ac superare posset, operam dabat. Quod cùm peragere, strennè resistentibus, diffideret, sperans vires suas, uti cœperant, cotidie accrescere, quæ cum Karolo decrevissent, faciliùs illum subjugari posse arbitrabatur. Hac autem spe deceptus, eâ pactione prælium diremit, ut cederet Karolo Aquitania, Septimania, Provincia, & decem Comitatus inter Ligerim & Sequonam, eo videlicet modo, ut his contentus interim inibi esset, donec Attiniacum* VIII *Id. Maias conveniant, quâ se quidem communi consensu utrorumque utilitatem prævidere ac statuere velle promisit. Primores quoque partium Karoli cernentes negotium vires suas excedere, maximéque timebant, ne fortè prælio commisso in tanta paucitate Regem suum salvare difficilè possent. Erat enim spes cunctis non modica indolis ejus. Quamobrem statutis eo tenore consentiunt, ne deinceps Lodharius Karolo ita fidus amicus sit, sicut frater per justitiam fratri esse debet, & Regna, quæ illi deputabat, quieta habere faceret, ac interim super Lodhuwicum hostiliter ire desineret* *, *aliter autem jure, quod juraverant, absoluti esse deberent. Quâ quidem arte & Regem suum à periculis subtrahunt, & se mox à sacramento absolvunt. Nam antequàm iidem, qui hæc juraverant, domo egrederentur, aliquos ex his qui aderant, subducere ab illo tempeavit, & in crastinum quosdam suorum recepit. Insuper & in Regna, quæ illi deputaverat, statim direxit, & in quantùm potuit, ne illi se subderent, perturbavit, & ut è Provincia ad se venientes exciperet, perrexit, & quemadmodum Lodhuwicum dolo an vi superare posset, intendit. Intereà Karolus Aurelianensem urbem veniens, Teotbaldum & Warinum cum quibusdam à Burgundia ad se venientes gratanter ac benignè excepit. Hinc autem obviam Bernardo, sicut mandaverat, Nivernensem urbem petit. Sed Bernardus more solito ad illum venire distulit, dicens se cum Pippino suisque sacramento firmasse, ut neuter absque alterius consensu cum quolibet quodcumque pactum inire deberet. Quamobrem testatus est ad illos se ire velle, &, si efficere posset, ut unà secum sui devenirent, benè; sin aliter, soluto juramento, infra dies quindecim ad illum reversurum, suæque ditioni se commissurum esse promisit. Quamobrem Karolus Bituricas iterum obviam illi venit.* Huc usque Nithardus. Quæ sequuntur, ad annum posterum pertinent. Carolus enim, cùm Bituricis esset, pridie Idus Januarias, anno Regni sui post patris obitum primo adhuc currente, Præceptum emisit pro Ecclesia Nivernensi, ut anno sequenti dicturi sumus.

* dedisset.

XLIII.

JONAS EP. AURELIANENSIS CAROLO R. TRES OFFERT LIBROS DE IMAGINIBUS CAUTE LEGENDOS.

Hisce temporibus, cùm Carolus Rex in territorio morabatur Aurelianensi, vel ab ea regione non procul aberat, tres e[illegible]btos de cultu Imaginum obtulit Jonas Episcopus Aurelianensis, & initio Præfationis Ludovicum Augustum nuper mortuum sic commendavit. *Dilecto Carolo, Inclyto Regi, Jonas minimus famulorum Christi famulus geminam optat salutem. Quantus, Dominus noster gloriosissimus Genitor vester, Deo dilectissimus, Ludovicus Cæsar Religiosissimus, in fidei synceritate, totius bonitatis virtute, proborum morum claritudine, sapientia ac sanctitatis dote, divinique amoris ac timoris fervore ex-*

AN. CH. 840. LUDOV. IMP. 27. LOTHAR. IMP. 24. LUDOV. R. 24. CAROLI R. 11.

*titerit; & in Ecclesiasticis negotiis, Domino adminiculante, ad honorem & cultum divinum pertinentibus augmentandis & gubernandis enituerit; quantùmque Imperium paternum, quia sic Deus voluit, jure æquissimo sortitus, rectissimo justitiæ libramine tenueris rexerisque, & contra hostium impetus militariter muniveris; & Ecclesiam Christi pretioso sanguine redemptam, suóque regimini divinitus commissam (morem avi * tui videlicet Pii & omonymi viri Caroli Nobilissimi Augusti imitans imò supergrediens) disciplinis liberalium artium educaveris; & utriusque Testamenti Sancti paginis atque eximiorum Patrum dictis ad propellenda hæreticorum dogmata venenata & instruxerit & instrui fecerit, cunctis Catholicæ Apostolicæ fidei filiis perspicuum esse non ambigitur, quoniam reverà id quod dicitur, in promptu esse cernitur.* Jonæ scopus idem est ac Dungali, de cujus lucubratione sub initium hujus Tomi disseruimus [a]. Quas Claudius quæstiones in suo movit Apologetico, Dungalus paucis ita complectitur. *De tribus præcipuè causis ille impudens calumniator in sua disputavit epistola, hoc est, primò de Imaginibus confringendis ac projiciendis; secundò de Cruce non honoranda ampliùs, quàm asinus quilibet aut spinosa rubus; novissimè & tertio loco, Memorias Sanctorum, & specialiter Ecclesiam Sancti Petri orandi causâ prohibet adiri, dicens hunc laborem vanum esse & inutilem sine aliquo profectu, vocánsque eos, qui illum arripiunt, cæcos, insipientes, & stultos; affirmat enim Reliquias, id est, ossa hominum quamlibet Sanctorum, ossibus pecorum vel veriùs lignis & lapidibus aliáve quapiam terrâ non esse reverentiora.* De tribus iisdem causis seu quæstionibus eodémque ordine totidem libris disputat adversùs Claudium Jonas, primo de Imaginibus, secundo de Cruce, tertio de peregrinationibus ad Memorias Sanctorum. Ipsum Apologeticum Claudii nec legit nec vidit, sed *quoddam ex eo excerptum* Ludovico Imperatore mittente suscepit, ut in prælaudata Præfatione testatur. Hoc excerptum simillimum est illi, cui lucubratio Dungali subjicitur in Bibliotheca Patrum, parte secundâ seculi noni. Porrò Jonas, quamvis egregiè refellat Claudium, nec sinat Imaginum cultores idololatras vocari. Dionysius tamen Petavius in Theologicis Dogmatibus [b], & Joannes Mabillonius in Præfatione [c] præfixa Tomo primo Seculi quarti Benedictini scribunt Jonam cautè legendum, quia Imagines ad memoriam dumtaxat & eruditionem exhibendas putat.

* Edit. patris.

[a] Tom. 8. a. 818. nu. 56. & seqq.

[b] Tom. 4. p. 2.

[c] Num. 36.

XLIV.

LUDOVICUS R. BOJOARIÆ CONFIRMAT PRÆCEPTUM LUDOVICI AUG. PRO NOVA CORBEÏA.

Annalistæ Fuldensis ac Metensis asserunt hoc anno de Ludovico Rege, quòd *Orientales Francos, Alamannos, Saxones & Turingios sibi fidelitatis jure* confirmavit Lothario in Occidentales regiones contra Carolum profecto. Degebat Ludovicus Paderbornæ quarto Idus Decembris, quo die rogatus à novæ Corbeïæ Monachis & ab eorum Præposito Walane, quem objiciet ab Abbate Corbeïæ veteris ante quadriennium mortuo distinguendum monemus, Præceptum Ludovici Augusti confirmavit, ratámque habuit Donationem villæ Huxori ab eodem patre suo factam, aliásque aliorum Donationes, necnon & liberam facultatem eligendi Abbatis secundùm Regulam Sancti Benedicti. Præceptum Ludovici Augusti publicatum est ab Hermanno Stangefolo in Annalibus [d] Circuli Westphalici, deinde à Joanne Mabillonio parte primâ Seculi quarti Benedictini in Observationibus ad libellum de Translatione Sancti Viti Martyris in Saxoniam. Tomo superiore ad annum Redemptoris octingentesimum vicesimum-tertium [e] recitavimus illud Diploma, secutique sumus editionem Stangefolanam, quia Mabillonianam nondum videramus. Nævos aliquot qui scrupulum injicere Lectori poterant, ad [illegible]m notavimus. Idem Præceptum Joannes Mabillonius edidit genuino, ut videtur, stylo, seu mendas ipse sustulit, seu nactus est exemplar ab Adolfo Overshamo Werthinensi Monacho jam correctum. Eædem penè sunt ut apud nos, sic & apud illum emendationes. Utrasque placet simul conferre. *I.* Stangefolus hæc habet. *Ad augmentandum solidúmque prædicto Adalhardo Abbati seni.* Nos ad hæc verba in margine monuimus locum esse corruptum. Mabillonius integrum tex-

[d] Lib. 2. ad an. 823.

[e] Num. 13.

tum ſic reſtituit. *Ad augmentandum ſolidandúmque ejuſdem fidei vigorem,* AN. CH.
primùm Monachica Religionis Ordinem illic ſervandum tenendúmque conſtituimus, 840.
quod ita opitulante Omnipotentis gratiâ ad effectum rei pervenit, & prædicto Mo- LUDOV.
naſterio ideo Corbeia nomen impoſitum eſt, eò quòd de antiquo quodam Monaſterio IMP. 27.
Corbeia prædicto Adalhardo Abbati ſeni &c. *II.* Stangefolus ſic habet. *Aſſumpto* LOTHAR.
germano ſuo Varino. Nos expuncto Varino Walonem ſic repoſuimus, *aſſumpto* IMP. 24.
germano ſuo Walone. Mabillonius eandem adhibuit emendationem. *III.* Stan- LUDOV.
geſolus ſic habet. *Placuit Excellentia Majeſtatis noſtra.* Nos omiſſo *Majeſtatis* R. 24.
titulo, quem illâ ætate Reges & Imperatores haud uſurpabant, ſic legi- CAROLI
mus. *Placuit Excellentia noſtra.* Mabillonius idem præſtitit. *IV.* Stangefo- R. 11.
lus ſic habet. *Per noſtra Majeſtatis auctoritatem.* Nos *Majeſtatis* loco titulum Sereniratis tunc Imperatoribus familiarem ſic edidimus. *Per noſtra Serenitatis auctoritatem.* Mabillonius verò ſimpliciter ſic, *per hanc auctoritatem*, nullâ factâ tituli mentione, ſeu Majeſtatis, ſeu Sereniratis, ant Excellentiæ. *V.* Stangefolus poſt hæc verba, *mobilibus & immobilibus*, adjecit iſta, *datum vel traditum fuit*, quæ nobis viſa ſunt abundare, ſervantur tamen à Mabillonio, quo jure, judicabit Lector. *VI.* Ubi Stangefolus ſcripſit *adificationes*, ſcripſimus *adificatores*, nobiſque Mabillonius conſenſit. *VII.* Stangefolus ſic habet. *Nam ſi ſcire vel ſcientia talis eſſet cauſa.* Nos ita legendum cenſuimus. *Nam ſi talis eſſet cauſa.* Mabillonius vocabulum *fortè* ſic inſeruit. *Nam ſi fortè talis eſſet cauſa. VIII.* Stangefolus ſic habet. *Benignitatis & largitatis cauſam.* Nos ita correximus, Benigniratis & largiratis *causâ.* Mabillonius verò ſic. *Benignitatis ſeu caritatis causâ. IX.* Ubi Stangefolus legit, *larga manus*, ſuſpicati ſumus legendum, *largâ manu.* Mabillonius Stangefolum ſecutus eſt. Utraque lectio tolerari poteſt. *X.* Stangefolus vitioſè ſcripſit *Imperiales Apoſtolos*, cùm ſcribere deberet *Imperiales apices*, ut nobiſcum fatetur Mabillonius. *XI.* Pro *poterint* Stangefoli, poſuimus *potuerint*, nec aliter egit Mabillonius. *XII.* Stangefolus ſic habet. *Sed de hoc placuit nobis huic inſerere auctoritatem.* Satis eſſe duximus, ſi, loco *huic*, legeremus *hic.* At Mabillonius textum illum multò meliùs ita correxit. *Sed & hoc placuit nobis huic inſerere auctoritati. XIII.* Stangefolus ſic habet. *Et ut hac auctoritatis largitianis atque confirmationis noſtra litera per futura tempora immobilem obtineant firmitatem.* Sufficere quoque putavimus, ſi, loco *hac*, legeremus *ha.* Mabillonius verò textum illum rectiùs ſic emendavit. *Et ut hac auctoritas largitionis atque confirmationis noſtra per futura tempora inviolabilem obtineat firmitatem. XIV.* Apud Stangefolum Durandus Diaconus Diplomati ſubſcribit *ad vicem Willegiſi.* Nos Durandum ſubſcripſiſſe diximus *ad vicem Fridagiſi* ſeu Fridugiſi. Nec aliter cenſuit Mabillonius. *XV.* Stangefolus Diploma datum dixit *anno X. Imperii Domni Ludovici Regis Piiſſimi Auguſti.* Prætermiſimus titulum *Regis*, prætermiſit & Mabillonius, atque ita faciendum docent quamplurima ejuſdem Ludovici Diplomata, quæ ſuis locis deſcripſimus. Deniqne Stangefolns actum ait Præceptum *in Gylheim*, reſtituimus *Ingylheim*, Mabillonius *Ingelinheim.* Hoc autem Ludovici Auguſti Præceptum, cujus auctoritatem editio Mabilloniana multùm roboravit, confirmavit ejus filius, Lndovicus Rex, *anno* VII Regni ſui *in Orientali Francia*, IIII *Id. Decemb. Indictione* IV, *apud Patherbrunnen.* Id eſt, quarto Idus Decembris, Indictione quartâ jam inchoatâ, ſive anno poſt Chriſtum natum octingenteſimo quadrageſimo, Ludovici Regis anno ſeptimo ex quo Lothatius, Pippinus & Lndovicus fratres, exauctorato patre, totam Francorum Monarchiam inter ſe diviſerunt.

Lotharius Auguſtus, ut ex præcitato Nithardi textu conſtat, auditâ XLV.
patris morte, ſtatim ex Italia Wormatiam versùs iter arripuit, ibique necnon & in vicinis ad Rhenum & ad Mœnum locis, donec inducias cnm Ludovico fratre pactus eſſet, aliquandiu degit. Tunc Ebonem eductum è cuſtodia ſuſcepit, Sedique Remenſi per Edictum Imperiale teſtituit. Flo-

AN. CH. 840. LUDOV. IMP. 27. LOTHAR. IMP. 24. LUDOV. R. 24. CAROLI R. 11.

doardus [a] ea de re sic scribit. *Imperatore* Ludovico *defuncto, Lotharius ab Italia in Franciam venit, cui Ebo ad Wormaciam civitatem occurrit, eique Lotharius post aliquot dies Sedem & Diœcesim Remensem per Edictum Imperiale restituit.* Clerici Remenses Ebonem Lothario non ad Wormaciam civitatem sed apud Ingelheimium occurrisse sic contendunt. *Commendatus est ad custodiendum etiam Bosoni Abbati in Monasterium Sancti Benedicti, sub cujus manu exulabat, quando Dominus Imperator viam totius ingressus est carnis. Defuncto autem Imperatore, reductus est à jam dicto Bosone Abbate ad Lotharium, & obviavit ei apud Ingelenhaim.* Sed hæ possunt opiniones facilè conciliari. Ebo, postquam de Ludovici Augusti morte nuncium accepit, cum Bosone Floriacensi seu Sancti Benedicti ad Ligerim Abbate perrexit ad Lotharii comitatum, eique primùm ad Wormaciam civitatem occurrit, deinde ab eo post aliquot dies apud Ingelheimium Edictum obtinuit Imperiale, quod Historiæ Remensi Flodoardus [a] in hunc modum inseruit. *In Nomine Domini nostri Jesu Christi Dei æterni. Lotharius divinâ ordinante providentiâ Imperator Augustus. Quia confessio delictorum non minùs in adversis necessaria est quam in prosperis, & cor contritum & humiliatum Deus non despicit; gaudium etiam esse Angelorum in cœlo super uno peccatore pœnitentiam agente non dubitamus. Nos mortales in terris eos nequaquam despicimus, pro quibus gaudere Angelos in cœlo divino testimonio non ignoramus. Accusantes & reprehendentes in excessibus semetipsos divina nos benignitas non condemnare sed recreare docuit, qui meretricem non solùm à legali damnatione eripuit, verùm etiam publicanum humiliatum & accusantem se non condemnavit, sed magis justificando exaltavit, qui non dixit, omnis qui se humiliat condemnabitur, sed exaltabitur. Potestatem ergo, quam pro causa nostra raptus perdidisti, repetentibus Ecclesia tua filiis, præsentibus quoque adstantibus ac decernentibus Præsulibus, Sedem ac Diœcesim Remensis urbis tibi, Ebo, restituimus, ut pristino sanctæ largitatis Apostolicæ Pallio indutus, concordiam atque gratiam divini officii nobiscum, humili satisfactione expletâ, solenni nostra à largitate recipiendo exerceas. Drogo Episcopus assensi, Otgarius Archiepiscopus, Hetti Archiepiscopus, Amalwinus Archiepiscopus, Audax Archiepiscopus. Joseph Episcopus. Adalulphus Episcopus. David Episcopus, Rodingus Episcopus, Giselbertus Episcopus, Flotarius Episcopus, Badaradus Episcopus, Hagano Episcopus, Hartgarius Episcopus, Ado Episcopus, Samuel Episcopus, Rambertus Episcopus, Haiminus Episcopus, Ratoldus Presbyter vocatus Episcopus, Amaricus vocatus Episcopus, cum ceteris plurimis Presbyteris ac Diaconis publicè assistentibus. Actum in Engilenheim Palatio publico, in mense Junio, VIII Kal. Julii, regnante & imperante Domno Lothario Cæsare, anno reversionis ejus I, successor factus patris in Francia Indictione III.*

[a] Lib. 2. c. 20.

LOTHARIUS EBONEM SEDI REMENSI PER EDICTUM IMPERIALE RESTITUIT.

[a] Lib. 2. c. 20.

XLVI. Jacobus Sirmondus Societatis Jesu Sacerdos anno Christi millesimo sexcentesimo undecimo Flodoardum ex Codicibus Remensi atque Igniacensi primus evulgavit. Nicolaus *Chesneau* Remis in Ecclesia Sancti Symphoriani Decanus & Canonicus Gallicam versionem anno Christi millesimo quingentesimo octogesimo præmiserat. Utrobique, necnon & Tomo secundo Conciliorum Gallicanorum, eodem reperitur tenore, quod in Ebonis gratiam Edictum Lotharii proximè descripsimus. Mendum in mensem irrepsit, Lotharius enim ex Italia & Ebo cum Bosone Abbate ex Aureliacensi pago post acceptum de Ludovici Augusti morte nuncium egressi pervenire non potuerunt ad Ingelheimiense Palatium mense Junio, octavo Kalendas Julii, cùm Ludovicus Imperator eodem mense Junio, duodecimo Kalendas Julii vitam clauserit. Quis intra quatriduum ex agro Moguntiacensi nuncios advolasse in Italiam ubi Lotharius degebat & in Floriacense Monasterium ubi Ebo & Boso morabantur, atque eosdem, Lotharium ex Italia, Ebonem & Bosonem ex Cœnobio Floriacensi pervenisse in pagum Moguntinum credat? Restituendus videtur mensis Augustus, ita ut Edictum censeatur datum *in mense Augusto, octavo Kalendas Septembris.*

INDUCIAS INIT CUM LUDOVICO FRATRE.

AN. CH. 840. LOTHAR. IMP. 24. LUDOV. R. 24. CAROLI R. II. DITIONES CAROLI PRÆCEDIT.

Septembris. Lotharius inducias paulò pòst eum Ludovico fratre pepigit, atque in Occidentem cum exercitu contra Carolum conversus ad Ligerim usque penetravit. Ebo Lotharianarum partium successibus adeo prosperis confisus Remos adit; *Edictum*, quod à Lothario nuper acceperat, *in Ecclesia Remensi publicè recitari fecit*, atque, ut Flodoardus [a] proximè subjungit, *ita eo tempore, quo Lotharius Carolum à Regno expulit, & ultra Sequanam fugavit, Ebo Sedem Remensem post sex annos sua depositionis recepit, & Episcopale Ministerium agere cœpit.* Incompletos interpretare sex illos depositionis annos, Ebo enim, ut suo loco probavimus [b], in Synodo apud Theodonis villam habita depositus est quarto Nonas Martias, anno Redemptoris octingentesimo tricesimo-quinto, & VIII *Idus Decembris* hoc anno post Christum natum octingentesimo quadragesimo *principali in Ecclesia & Sancta Sede Remensi*, ut habet vulgatum ejus Apologeticon Tomo septimo Spicilegii Dacheriani, solemniter receptus est lapsis à depositionis die quinque duntaxat annis, mensibus novem, & duobus diebus. Similiter in illo Apologetico, cùm *septenni custodiâ pressus* dicitur, septennem custodiam interpretare septem annorum incompletorum, quia circa Solemnitatem Paschalem, ut Theganus [c] docet, sub custodia positus est anno Redemptoris octingentesimo tricesimo-quarto, libertatémque recuperavit post Ludovici Augusti mortem, quam duodecimo Kalendas Julias hoc anno post Christum natum octingentesimo quadragesimo consignavimus.

[a] Lib. 2. c. 20.
[b] Ad an. 835. n. 9.
[c] Cap. 48.

XLVII. Ebo, quia Lotharianis partibus favebat, ab Ecclesia Remensi pulsus est. Id Lotharius in suo non diffitetur Edicto. Propensus igitur amor erga Lotharium, ut exilii, sic & restitutionis præcipua fuit causa. Duas adjecit Lotharius, postulationem videlicet Ecclesiæ Remensis, & unanimem quamplurimorum Episcoporum consensum. *Potestatem, quam pro causa nostra raptus perdidisti, repetentibus Ecclesia tua filiis, præsentibus quoque adstantibus ac decernentibus Præsulibus, Sedem ac Diœcesim Remensis urbis tibi, Ebo, restituimus.* In prædicto Apologetico, Ebo *Remensi ab Ecclesia pulsus, septennique custodia pressus, hinc succedente Hlotario Augusto revocatus, publicâque ac auctoritate Ecclesiastica restitutus* dicitur *assistentibus vel decernentibus magnis Consulibus pariter cum Sanctis subscriptis Catholicis Præsulibus.* Clerici Remenses in sua narratione volunt Ebonem Sedi suæ restitutum fuisse, non Edicto Lotharii Imperatoris & assensu complurium Episcoporum, sed Decreto Synodi auctoritate Apostolicâ & præceptione Lotharianâ congregatæ. *Defuncto*, inquiunt, *Imperatore, reductus est à jam dicto Bosone Abbate ad Lotharium, & obviavit ei apud Ingelenhaim. Ubi congregatâ Synodo auctoritate Apostolicâ & præceptione Lotharii Imperatoris, apud eam restitutus est ab his Episcopis.* Ebonis restitutionem in Conventu multorum Antistitum apud Ingelheimium decretam haud negamus, at illam Synodum auctoritate Apostolicâ congregatam inficiamur. *Synodus* enim, *qua Suessionis habita est*, Ebonis *restitutioni*, ut Flodoardus [d] testatur, *contradixit, asserens quòd damnatus à se atque à XLIII Episcopis, à minori numero restitui non valuit.* Deinde Sergius Papa dejectionem ejusdem Ebonis confirmavit, eúmque *in laica tantummodo communione* permanere voluit. Ebo Romam profectus anno Redemptoris octingentesimo vicesimo-secundo licentiam prædicandi Evangelium populis Septentrionalibus obtinuit à Paschale Papa, tunc & ab eo Pallium accepisse creditur, ut Anscharius à Gregorio Quarto in procinctu similis quoque Legationis per easdem Boreales provincias obeundæ. Lotharius Ebonem Pallio donatum haud obscurè significat, cùm ait illum Ecclesiæ Remensi restitui, ut deinceps officium suum exerceat *pristino sanctæ largitatis Apostolicæ Pallio indutus.* Sed ut ab Archiepiscopatûs Remensis administratione, sic & ab usu Pallii dejectus fuit; & Romam post aliquot annos profectus à Sergio Secundo Pallium sibi dari frustrà postulavit. *Romam petiit*, inquit Flodoardus [e], *ubi à Sergio Papa reconciliari ac Pallium sibi*

[d] Lib. 2. c. 20.
[e] Lib. 2. c. 20.

AN. CH. 840.

tribui postulavit. Cui idem Papa communione tantùm concessâ dare Pallium renuit.

XLVIII. Examinantur subscriptiones Edicti Lothariani pro Ebone in Sedem Remensem restituendo.

In vulgato Ebonis Apologetico, cùm nomina recensentur Antistitum, qui restitutioni ejus assenserunt præsente apud Ingelheimium Lothario Augusto, lacuna reperitur, quam, qui volet, ex narratione Remensium Clericorum, & ex Historia Remensi per Flodoardum scripta facilè supplebit. Textum Flodoardi jam recitavimus. Alterum ex Clericorum Remensium narratione descriptum accipe. *Restitutus est* Ebo *ab his Episcopis, Drogone Episcopo, Hetti Archiepiscopo, Othgario Archiepiscopo, David Archiepiscopo, Amaluvino Archiepiscopo, Joseph Archiepiscopo, Andaux Archiepiscopo, Adalulpho Episcopo, Erminio Episcopo, Badarado Episcopo, Aganone Episcopo, Samuel Episcopo, Rodingo Episcopo, Frothario Episcopo, Gisleberto Episcopo, Adone Episcopo, Hramperto Episcopo, Ratulfo vocato Episcopo, Harcarrio vocato Episcopo, Amalrico vocato Episcopo, Bosone Abbate ex Monasterio Sancti Benedicti cum aliis quampluribus Abbatibus, Presbyteris, atque Diaconibus.* In hoc textu sex Archiepiscopi numerantur, Episcopi undecim, aliique tres Episcopi designati. Lotharius Imperator, cujus Catalogum ceteris anteponimus, in suo Edicto quatuor tantùm nominat Archiepiscopos, Episcopos verò quatuordecim cum duobus designatis. Multò plures apud Theodonis villam, quando depositus fuit Ebo, synodaliter interfuerunt Antistites, tres videlicet & quadraginta, ut Synodus Suessionensis jam allegata testatur, octo nempe Archiepiscopi cum Episcopis triginta-quinque, quorum Indicem ex Hincmaro suprà dedimus [a].

[a] Ad an. 835. n. 9.

XLIX. Sex quidem Archiepiscopi seu Metropolitæ, qui restitutionem Ebonis approbarint, *Hetti, Othgarius, David, Amaluvinus, Joseph, & Andaux*, nominantur à Clericis Remensibus; at omissis Davide & Josepho, quatuor tantùm in Edicto Lotharii memorantur, *Otgarius* sive Othgarius, *Hetti, Amaluvinus, & Andax* sive Andaux; iidémque in vulgato Ebonis Apologetico recensentur, *Autgarius* sive Orgarius, *Amaluvinus, Audax, & Hetti* sive Hetti vel Hettius. Ordinem à Lothario jam observatum & Geographiæ rectiùs accommodatum sequemur. Orgarius Archiepiscopus est Moguntiacensis, Hettius Trevirensis est Archiepiscopus. De utroque sæpè sermonem fecimus. Amaluvinus Vesontionensis est Archiepiscopus; in omnibus Archiepiscoporum Vesontionensium Catalogis nominatur hoc anno, prædicatúrque proximus successor Bernoini seu Bernuini, quem sub Imperatoribus Carolo Magno & Ludovico Pio floruisse constat. Audax Archiepiscopus est Darantasiensis, successit Andreæ cujus mentionem ad annum Redemptoris octingentesimum undetricesimum fecimus. Lege Joannem Jacobum Chiffletium, qui Vesontionensium Archiepiscoporum Nomenclaturam texuit parte secundâ [b] Vesontionis, & Franciscum Augustinum ab Ecclesia qui Darantasiensium Antistitum seriem in Historia [c] Chronologica Pedemontanæ Regionis exhibuit.

[b] Cap. 38.
[c] Cap. 42.

L. Joseph Ep. Ebroïcensis fit iterum Abb. Fontanellensis.

In Edicto Lotharii & in Ebonis Apologetico, David & Joseph ad classem Episcoporum rectè revocantur. David Episcopus est Lausannensis sub Amaluvino Vesontionensi Metropolita, memoratur Tomo secundo Galliæ Christianæ in Episcoporum Lausannensium Catalogo. Joseph Episcopus est Ebroïcensis, de quo sæpè jam locuti sumus. Hoc anno, mense Martio, cùm in suo degeret Episcopatu, factus est iterum Abbas Fontanellensis post mortem Fulconis, qui munus Abbatiale sex annos tribus minùs diebus gessit, ut ad annum Redemptoris octingentesimum tricesimum-quartum [d], quo munus Abbatiale suscepit, jam probavimus, emendatâ priore ad Fontanellense Chronicon Appendice, quæ non annos v regiminis cum mensibus x i diebusque x x v i i sed annos x i cum mensibus v diebúsque x x v i i tribuebat. Si textus Appendicis prædictæ servaretur, Fulco Monasterii Præfecturam ad annum usque Redemptoris octingente-

[d] Num. 48.

fimum quadragefimum-quintum exerceret. Id autem alieniffimum eft à vero, quia Jofeph Ebroïcenfis Epifcopus Abbas erat Fontanellenfis anno Redemptoris octingentefimo quadragefimo-fecundo, ut docet Auctor coætaneus, ubi fcribit illo fe anno ad Fontanellenfe Monafterium acceffiffe, cùm ejufdem Cœnobii regimen penes Jofephum Epifcopum erat, féque poft annos novemdecim promotum fuiffe ad Diaconatum currente tunc *anno Verbi Incarnati* DCCCLXI. Textum iftius Auctoris accipe. *Eodem anno*, id eft, anno Redemptoris octingentefimo quadragefimo-fecundo, *regente hujus Cœnobii Jofeph Archiepifcopo*, IV *Kal. Martii, huc Domino miferante acceffi. Deinde poft annorum curricula expleta decem & novem propitio Chrifto Diaconatûs ordinem fufcepi per manus Venerabilis Archiepifcopi Weniloni, anno Verbi Incarnati* DCCCLXI, *Indictione* IX, XII *Kal. Octobris, Sabbato.* Sufficiat textum hîc recitaffe. Illum fufiùs explicabimus ad annos Redemptoris octingentefimum quadragefimum-fecundum & octingentefimum fexagefimum-primum. Porrò Jofeph Ebroïcenfis Epifcopus & Abbas Fontanellenfis, auditâ Ludovici Augufti morte, ftatim ad Lotharium advolavit, ut liquet ex Conventu Ingelheimienfi, de quo fermonem nunc habemus.

AN. CH. 840. LOTHAR. IMP. 24. LUDOV. R. 24. CAROLI R. II.

In hoc Conventu cum fuis Metropolitis non pauci fedent Epifcopi; cum Amaluvino Archiepifcopo Vefontionenfi David Epifcopus Laufannenfis; cum Otgario Moguntiacenfi Archiepifcopo Badaradus feu Baduradus Paderbornenfis Epifcopus & Samuel Epifcopus Wormatienfis, ambo non femel à nobis laudati, & Ratoldus Presbyter defignatus Epifcopus Strafburgenfis; cum Hettio Trevirenfi Metropolita Drogo Metenfis Epifcopus & Frotharius Epifcopus Tullenfis, quorum fæpè jam meminimus. LI.

Ceteri, vel Epifcopi funt Italiæ, Lothariano comitatui In Longobardia dudum affueti, vel Epifcopi funt Galliarum, five ante aliquot annos in Italiam abeunti, five nuper in Gallias redeunti Lothario fe fociarunt. Hagano Bergomenfis eft Epifcopus, Rambertus feu Rampertus Epifcopus eft Brixienfis, Haiminus in Ebonis Apologetico Herminus, Erminius in narratione Clericorum Remenfium vocatur, idémque fortè cum Ermonio Cenetenfi Epifcopo, qui Mantuano Concilio ante quinquennium interfuit. Almaricus mortuo Perideo defignatus eft Comenfis Epifcopus. De quatuor his Epifcopis Italiæ jam locuti fumus. Ado Valentinus eft Epifcopus, de quo fermonem quoque fecimus ante quinquennium. Adalulphus Gratianopolitanus eft Epifcopus, ut patet ex Gratianopolitanorum Epifcoporum Catalogo, quem Tomo fexto ad annum Chrifti feptingentefimum undenonagefimum [a] allegavimus. Hi duo primæ provinciæ Viennenfis Antiftites, audito Lotharii poft mortem patris in Gallias adventu, ftatim eum adierunt, fuóque conjuncti funt Metropolitæ Barnardo, qui Lotharianas partes ab initio belli civilis obftinatiffimè fovit. Reftant Rodingus, Gifelbertus & Hartgardus, quorum Sedes haud adeò notæ. LII.

EPISCOPI COMENSES.

[a] Num. 212.

Quod de Rotaldo defignato Epifcopo dictum eft fuprà, plurimùm valet ad emendandam Epifcoporum Strafburgenfium Chronologiam. Apud Wimphelingium, Brufchium & Bucelinum Bernoldus feu Beroldus vel Bernaltos aut Bernaldus hoc anno poft Chriftum natum octingentefimo quadragefimo fit Epifcopus Strafburgenfis. At illum annis, octingentefimo vicefimo-quinto, octingentefimo vicefimo-fexto, octingentefimo tricefimo, octingentefimo tricefimo-primo, octingentefimo tricefimo-fecundo fediffe probavimus, nec vocamus in dubium, quin obierit hoc ipfo anno Redemptoris octingentefimo quadragefimo quo prædicti Nomenclatores eum ad Infulas Epifcopales affumptum volunt. Opinionem noftram confirmat Rotaldus Bernalti fucceffor, qui *vocatus* tantùm feu defignatus nec adhuc ordinatus dicitur Epifcopus, cùm Lotharius hoc eodem anno Conventum habet apud Ingelheimium pro reftituendo Ebone. Bernaldo LIII.

STRASBURGENSES.

AN. CH. 840. LOTHAR. IMP. 24. LUDOV. R. 24. CAROLI R. II.

Wimphelingius annos in Episcopatu septem assignat, septemdecim Bruschius & Bucelinus. Inter se plurimùm discrepant hoc loco tres hi Scriptores. Wimphelingius, postquàm Bernaldi Pontificatum spatio septem annorum circumscripsit, successorem ei subrogat Utonem, cui novem annos in Episcopatu tribuit, hac tamen adnotatione præmissâ, *in nonnullis Annalibus, etiam antiquis, non repperi hoc loco Utonem illum.* Quos autem annos in duos partitur Pontificatus, ad unum si referas Bernaldum, expuncto, ut oportet, Utone, Bernaldum agnosces annis sedisse sexdecim, nec à Bruschii sententia multùm aberrabis. Bucelinus super annis Bernaldi seu Bernoldi cum Bruschio convenit, nequaquam super successore, sequitur enim Wimphelingii Catalogum, hac tamen intercedente differentiâ, quod nihil habet de Utone præter nudum nomen, nec super annis istius Pontificis ausus est mentem suam explicare. Nos ab obitu Adelochi, cui Bernaldus successit, ad ordinationem usque Rotaldi, de qua loquemur anno sequenti, septemdecim annos numeramus incompletos. Lege Tomo superiore ad annum Redemptoris octingentesimum decimum-septimum [a], quam de Strasburgensium Episcoporum serie ac Chronologia disputationem inivimus.

[a] No. 382. & seqq.

LIV. ABBATES FLORIACENSES.

In narratione Clericorum Remensium, præter Archiepiscopos & Episcopos, quos suprà recensuimus, Boso Floriacensis Abbas in Conventu Ingelheimiensi locum tenet. A Carolo defecit auditâ Ludovici Augusti morte, statimque cum Ebone, quem sub custodia detinebat, ad Lotharium advolavit. At insignis perfidiæ pœnas ocyùs luit, in ejus enim locum subrogatus est Radulphus, qui teste Bucelino in Menologio [b] Benedictino Monachus erat Sam-Medardensis prope muros Suessionenses, & Floriacense Monasterium deinceps gubernavit Abbas illius loci decimus-septimus, ut ad annum Redemptoris octingentesimum quadragesimum-primum observavit Carolus Saussеyus [c] in Abbatum Floriacensium Catalogo.

[b] D. 25. Jun.

[c] In Annal. Aurelian. l. 4. c. 22. n. 125.

LV.

Peracto Ingelheimiensi Conventu Lotharius inducias cum Ludovico fratre pepigit, atque in Occidentem cum exercitu contra Carolum conversus ad Ligerim usque penetravit. Duorum ferè mensium fuit hæc expeditio, quâ confectâ Lotharius in Belnensi Comitatu pridie Nonas Novembris degisse comprobatur.

LVI. PRÆCEPTUM LOTHARII PRO MON. DUSERENSI.

Erat in Vernensi Palatio ad Sequanam sexto Idus Octobris, ibique proDuserensi Monasterio Præceptum emisit, quod Petrus Franciscus Chifletius inter probationes Historiæ Trenorciensis ita publicavit. *In Nomine Domini nostri Jesu Christi Dei æterni, Hlotharius Divinâ ordinante providentiâ Imperator Augustus. Omnibus Episcopis, Abbatibus, Ducibus, Comitibus, Vicariis, Centenariis, Telonariis, Actionariis, vel omnibus rem publicam administrantibus, sive ceteris fidelibus Sanctæ Dei Ecclesiæ & nostris, præsentibus scilicet & futuris, notum sit, quia ad precationem Hildigisi Abbatis ex Monasterio quod dicitur Dusera, concessimus eidem Monasterio & Congregationi ibidem degenti, theloneum de duabus navibus, quæ per Rhodanum vel per cetera flumina Imperii nostri discurrunt, necnon & de carris & sagmariis necessaria ipsius Monasterii deferentibus, undecunque videlicet fiscus theloneum exigere potest. Propterea has literas auctoritatis nostræ eidem Monasterio fieri jussimus, per quas præcipimus atque jubemus, ut prædictæ duæ naves, quæ per Rhodanum vel per cetera flumina Imperii nostri pro necessitatibus ipsius Monasterii & Congregationis ibidem Deo famulantis discurrunt, seu carra & sagmaria necessaria ipsius Monasterii liberè atque securè discurrant, & ad alias quascumque civitates, castella, aut portus, vel cetera loca accessum habuerint, nullus theloneum, aut ripaticum, aut pontaticum, aut portaticum, aut salutaticum, aut cespitaticum .... aut venaticum, aut partionem,* (lege aut cœnaticum aut pastionem) *aut trabaticum, aut ullum occursum, vel ullum censum, aut ullam redibitionem ab eis requirere aut exa-*

ctare præsumatis. Sed licitum sit absque alicujus contrarietate & præjudicio ..... homines, qui eas pravidere debent, cum his quæ deferunt, seu carra & sagmaria, liberè atque securè ire & redire, &, si aliquas moras in quolibet loco fecerint, aut aliquid mercati fuerint, aut vendiderint, nihil ab eis prorsus (ut dictum est) exigatur. Ut hæc verò auctoritas per futura tempora inviolabilem obtineat firmitatem de annulo nostro subter eam jussimus sigillare. Ego Achardus ad vicem Agilmari recognovi & subscripsi. Data VI *Idus Octobris, anno, Christo propitio, Imperii Domni Hlotharii Pii Imperatoris, in Italia* XXI, *& in Francia* I, *Indictione* III. *Actum Verno Palatio Regio in Dei Nomine feliciter. Amen.* AN. CH. 840. LOTHAR. IMP. 24. LUDOV. R. 24. CAROLI R. II.

In hoc Diplomate, ubi Chiffletius legit *aut venaticum, aut partionem*, legendum monuimus *aut cænaticum, aut pastionem*. Hanc emendationem faciendam jam docuit vir doctissimus Carolus *du Fresne* Dominus *du Cange* in eruditissimo suo Glossario ad vocabulum *trabaticum*, allegatâ Chartâ, per quam Carolus Rex Lotharii Augusti frater Abbati ac Monachis Sancti Germani Parisiensis concedit, ut de navibus eorum, quæ *per fluvium Sequana, sive per alia flumina in ipsum confluentia, id est, per Matronam, per Yonam, Isam, & Axonam, discurrunt*, nullus Telonarius teloneum exigat, *aut ripaticum, aut portaticum, aut pontaticum, aut salutaticum, aut cespitaticum, aut cænaticum, aut pastionem, aut laudaticum, aut trabaticum, aut pulveraticum, aut ullum occursum*, &c. Chartam illam Caroli, quam Joannes Beslyus in Historia Pictavensium Episcopotum jam publicavit, integram describemus illustrabimúsque brevibus notis ad annum ejusdem Caroli Regis septimum, Redemptoris octingentesimum quadragesimum-sextum. Hîc duæ circa Lothariani Diplomatis subscriptionem difficultates restant explanandæ. LVII.

Prima pertinet ad annorum Lothatianorum epochas, Italicam ac Francicam, simul conciliandas, atque in hoc textu consistit. *Data* VI *Idus Octobris, anno, Christo propitio, Imperii Domni Hlotharii Pii Imperatoris, in Italia* XXI, *& in Francia* I. Designatur annus Redemptoris octingentesimus quadragesimus, qui postremus Ludovici Augusti fuit, primúsque Lotharii extra Italiam sive in Francia post patrem regnantis. Carolus Magnus, postquàm Imperator vocari cœpit, Imperatorem se nuncupavit, ac Regem Francorum & Longobardorum in apicibus suorum Diplomatum, atque in subscriptionibus annum Imperii sui cum annis Regnorum in Francia & in Italia seu Longobardia comparavit. Exempla multa passim occurrunt. Unum tantùm producemus ex Diplomate pro Ecclesia Placentina, quod integrum Tomo superiore descripsimus ad annum Redemptoris octingentesimum octavum [a]. Initium tale est. *In Nomine Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti. Karolus Excellentissimus Augustus, à Domino coronatus, Magnus & Pacificus Imperator, Romanum gubernans Imperium, & per misericordiam Dei Rex Francorum & Longobardorum.* Subscriptio talis. *Data septimo Kalen. Junii, anno octavo, Christo propitio, Imperii nostri, &* XL *Regni nostri in Francia, atque* XXXIIII *in Italia, Indictione primâ. Actum Aquisgrani Palatio nostro, in Dei Nomine feliciter. Amen.* Carolus Magnus sive Imperii nomine, sive Imperatoris titulo ne vicum quidem possedit, omnes provincias, quibus jus dixit, ut Rex seu Francorum seu Longobardorum obtinuit; Longobardiæ præfuit tanquam Rex Longobardorum, ceteris ditionibus tanquam Rex Francorum. Idémque sentiendum de successoribus, Ludovico filio & Lothario nepote, qui tanquam Imperatores ne tenuissimæ quidem possessiunculæ Domini fuerunt, at tanquam Reges vel Francorum vel Longobardorum, populis leges per amplissimas latè regiones imposuerunt. Ludovicus ab anno Christi septingentesimo octogesimo-primo ad octingentesimum decimum-tertium Regio tantùm Titulo gavisus est utpote vocatus in consortium Regiæ Dignitatis à patre per Aquitaniam. Tomo primo Seculi Quarti Benedictini publicatum est ex Tabulario Gellonensi Diploma cum hoc exordio. *In Nomine Domini nostri Jesu* LVIII.

[a] Num. 17.

AN. CH. 840. LOTHAR. IMP. 24. LUDOV. R. 24. CAROLI R. 11.

Christi. Ludovicus divinâ ordinante providentiâ Rex Sereniſſimus Aquitaniæ. Et hac ſubſcriptione. *Datum hoc Præceptum* v *Kl. Januarii, Indictione* x, *anno* XXVII *Domni Ludovici Regis, Toloſa publicè. Karoli verò Imperii* VIII. Mendæ quidem irrepſerunt in Characteres Chronologicos, qui ſic reſtitui debent. *Datum hoc Præceptum* v *Kl. Januarii, Indictione* 11, *anno* XXVIII *Domni Ludovici Regis, Toloſa publicè; Karoli verò Imperii* VIIII. Id eſt, quinto Kalendas Januarias, anno Redemptoris octingenteſimo octavo, Indictione ſecundâ jam inchoatâ, ut Tomo ſuperiore monuimus ad annum Redemptoris octingenteſimum viceſimum-quartum [a], quo prædictum Ludovici Præceptum deſcripſimus integrum, quia tunc accuraram de Gellonenſium Abbatum ſucceſſione diſputationem habebamus. At nævi, quos correximus, haud impediunt, quominùs Lector agnoſcat Ludovicum do Regio duntaxat nomine gloriatum eſſe, priuſquàm à patre in conſortium Imperatoriæ Dignitatis adſciſceretur. Imperator ab eodem patre renuntiatus eſt labente anno Redemptoris octingenteſimo decimo-tertio. Sua Deinceps Diplomata ſic inchoavit. *In Nomine Domini Dei & Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti. Hludowicus divinâ ordinante providentiâ Imperator Auguſtus.* Et ut in exordio ſolum Imperatoris nomen uſurpavit, ſic & in ſubſcriptione mentionem tantùm Imperii fecit. *Data* VIIII *Kal. Auguſtas, anno, Chriſto propitio,* IIII *Imperii Hludowici Piiſſimi Auguſti, Indictione x. Actum Aquiſgrani Palatio Regio in Dei Nomine feliciter. Amen.* Hoc unum è multis exemplum ſufficiat ſumptum ex Charta Ludoviciana, quam Tomo quoque ſuperiore [b], ſi lubet, integram conſule. Quamvis Ludovicus hac uſus ſit formulâ, cave ne vel Imperatoris titulo Regem Francorum aut Longobardorum, vel Imperii nomine Franciam aut Longobardiam intelligas. Ipſemet Ludovicus, quando ditiones ſuas vel illarum partem inter filios divifit, Reges eos appellavit, ac Regnis donatos dimiſit, nec eorum quempiam vocavit Imperatorem excepto Lothario, cui nomen etiam Imperatorium extra ſortem contulit. Lotharius à patre dictus eſt anno Redemptoris octingenteſimo decimo-quarto conſors Regni Bojoarici, deinde mutatâ ſententiâ conſors Imperatoriæ Dignitatis anno Redemptoris octingenteſimo decimo-ſeptimo, Regni quoque Longobardici conſors anno Redemptoris octingenteſimo viceſimo ut mox oſtenſuri ſumus, in Longobardiam profectus eſt anno Redemptoris octingenteſimo viceſimo-ſecundo, annóque poſtero Romæ coronatus eſt Imperator à Paſchale Papa. Pleraque ſuis probavimus locis, & ad annum Redemptoris octingenteſimum viceſimum-tertium [c], quo Romanus Pontifex in Solemnitate Paſchali Lotharium Imperiali Coronâ redimivit, Imperii Lothariani duas notavimus epochas; unam ductam ab anno Redemptoris octingenteſimo decimo-ſeptimo quo Lotharius à patre conſtitutus eſt Imperator, alteram ſumptam ab anno Redemptoris octingenteſimo viceſimo-tertio quo Lotharius à Romano Pontifice coronatus eſt Imperator; obſervavimúſque Lotharium poſteriore hac epochâ delectatum, ut amicitiam Gregorii Quarti Papæ ſibi conciliaret, nec huic priùs rei ſtuduiſſe, quàm domeſticos tumultus contra patrem ciere cœpit. Præterea Lotharius ut duas Imperii ſui diſtinxit epochas, ſic & eas ab epocha Regni Longobardici diverſas oſtendit. Extant Diplomata, in quorum initiis & ſubſcriptionibus Imperatorem ſe ſive Auguſtum cum patre nominat, ſuáſque ditiones in ſubſcriptionibus indicat per annum Regni Longobardici ſive Italici appoſitum ex induſtria. *In Nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti, Dei æterni. Lotharius Auguſtus, Invictiſſimi Domini Imperatoris Ludovici filius.* &c. *Datum* 11 *Nonas Junii, anno, Chriſto propitio, Imperii Domini Ludovici Sereniſſimi Imperatoris decimo, Regnique Lotharii Glorioſiſſimi Auguſti in Italia primo, Indictione primâ.* Item. *In Nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti. Lotharius Auguſtus, Invictiſſimi Domini Imperatoris filius.* &c. *Datum tertio Nonas Januarii, anno, Chriſto propitio, unde-*

[a] Num. 18.
[b] Ad an. 817. n. 362.
[c] Num. 1.

cimo Imperii Domini Ludovici Piissimi Augusti, Lotharii filii ejus Gloriosissimi regnantis secundo, Indictione secundâ. Integra hæc Diplomata Tomo superiore jam descripta reperies ad annos Redemptoris octingentesimum vicesimum-tertium [a] & octingentesimum vicesimum-quartum [b]. In antiquis etiam Diplomatibus, duæ, quas distinximus, Imperii Lothariani deprehenduntur epochæ. Prior ab anno Redemptoris octingentesimo decimo-septimo sic reperitur in Præcepto pro Monasterio Dervensi. *In Nomine Domini Dei & Salvatoris nostri Jesu Christi. Hludewicus & Lotharius divinâ ordinante Providentiâ Imperatores Augusti.* &c. *Data* II *Idus Februarii, anno, Christo propitio,* XIV *Imperii Domini Hludowici Piissimi Augusti, & Hlotharii* X. *Indictione* V. *Actum Aquisgrani Palatio Regio, in Dei Nomine feliciter. Amen.* Posterior ab anno Redemptoris octingentesimo vicesimo-tertio sic ducitur in Diplomate pro Monasterio Sanctæ Christinæ. *In Nomine Domini nostri Jesu Christi, Dei æterni. Hlotharius divinâ ordinante Providentiâ Imperator Augustus.* &c. *Datum pridie Nonas Februarii, anno, Christo propitio, Imperii Domni Hlotharii Pii Imperatoris* XV, *Indictione primâ. Actum Ollonnâ Palatio Regio, in Dei Nomine feliciter. Amen.* Primum horum Diplomatum Tomo superiore descripsimus ad annum Redemptoris octingentesimum vicesimum-septimum [c]. Descripsimus & alterum hoc Tomo superiùs ad annum Redemptoris octingentesimum tricesimum-octavum [d]. Quæres jam, utri harum Imperialium epocharum per mensem Octobrem illigetur annus *Imperii Domini Hlotharii Pii Imperatoris, in Italia* XXI, *& in Francia* I, de quo nunc inquirimus.

AN. CH. 840. LOTHAR. IMP. 24. LUDOV. R. 24. CAROLI R. II.

[a] Num. 2. [b] Num. 1. [c] Num. 69. [d] Num. 12.

LIX. Lotharius Imperator post patris obitum duas hoc anno cœpit epochas usurpare; utrique nomen Imperii præfixit, uni per Italiam, alteri per Franciam; neutram composuit cum prædictis Imperialibus ab annis octingentesimo decimo-septimo & octingentesimo vicesimo-tertio, vel cum Regiis ab annis octingentesimo decimo-quarto & octingentesimo vicesimo-secundo; quin & neutri quidquam commune voluit esse cum aliis ab exauctoratione patris aut à Regni partitione ductis. Petrus Franciscus Chiffletius in notis ad Lotharianum Diploma, cujus subscriptionem examinamus, super annis Lotharii Imperatoris ita ratiocinatur. *Ex hoc Diplomate, & ex aliis, videntur consurgere anni Regni ejus Italici ex anno exeunte 818, vel ineunte 819. Nam in Lotharii tabulis, anni Imperii ejus Italici excedunt semper vicenario solido annos Regni ejus Francici, cujus initium fuit anno 839 Wormatiæ in comitiis Regni ad tertium Kalendas Junias indictis, ut docent Annales Fuldenses & Bertiniani, malè autem Metenses anno 838; quod Regni Francici initium confirmant Indictiones nostris Diplomatibus inscriptæ. Ergo ante annum 839 solidis viginti annis Lotharius in Italia regnare cœperat, adeoque anno 819, non 817.* Hujus calculi rationem mox subjungit. *Anno 818 Bernardus Italiæ Rex exauctoratus ac luminibus orbatus est post Pascha, ut referunt citati Annales, nec multò pòst vivere desiit, nempe* XV *Kalendas Maii, Indictione* XI, *ut habet ejus Epitaphium, & notat Sigonius libro* IV *de Regno Italiæ. A Bernardi Regis sive excæcatione, sive interitu, vel potiùs à possessione Regni adita in aliquo Italiæ Procerum Conventu, jam evaporato Bernardi sanguine compressisque ejus conjuratis, sub finem anni 818 vel ad anni 819 exordia celebrato, Lotharii Regni Italici annos deducunt Cancellarii, quorum in ejusmodi computationibus summa est fides, Atque ex his videre est, aliud fuisse Lothario Imperatorem esse, aliud fuisse Italiæ Regem. Nam & pater ejus Ludovicus Pius, ut constat ex Francorum Annalibus, in iisdem comitiis Aquisgranensibus anno Christi 813 & à patre Karolo Magno Imperator dictus est, & conjunctim Bernardus Karoli Magni ex Pippino filio nepos Rex Italiæ est constitutus. Sic & Lotharius Imperator seu particeps Imperii fuit ex anno 817, Rex verò Italiæ ex anno 819.*

LX. Hæc ratiocinatio, quamvis à nobis in plerisque non probetur, quæstioni tamen haud parum lucis affert. Imprimis cum Chiffletio convenimus

AN. CH. 840. LOTHAR. IMP. 24. LUDOV. R. 24. CAROLI R. II.

alind fuisse Lothario Imperatorem esse, alind Italiæ Regem, & in Diplomate, de quo disputamus, annum vicesimum-primum numerari non Imperii Lotharii, sed *Regni ejus Italici*. Quapropter assentimus Imperium in ipso textu impropriè poni pro Regno, & ut in Italia sic & in Francia designari annum Regni Lothariani, vicesimum-primum in Italia, primum in Francia. In tabulis igitur Lotharii, non *anni Imperii ejus Italici*, sed anni Regni ejus Italici *excedunt semper vicenario solido annos Regni ejus Francici*. Lotharius annos Regni sui in Francia numerare cœpit à Ludovici patris obitu, idque vel ex eo constat, quòd annum primum Regni sui in Francia partim Indictioni tertiæ, partim Indictioni quartæ, sive anno Redemptoris partim octingentesimo quadragesimo quo Ludovicus Pius vitam clausit, partim octingentesimo quadragesimo-primo illigavit. Lege Acta vetera, quæ Stephanus Baluzius suis ad Capitularia Notis subjecit ex Chartulario Viennensis Ecclesiæ. In illis [a] annum Lotharii Regis in Francia quartum duplici Indictione, sextâ videlicet & septimâ notatum reperies. Sextâ, sic. *Data* XI *Kal. Novemb. anno, Christo propitio, Imperii Domni Lotharii Pii Imperatoris in Italia* XXIV, *& in Francia* IIII, *Indictione* VI. Septimâ, sic. III *Nonas Apriles, anno* IIII *regnante Domno nostro Lothario Imperatore, Indictione* VII. Nec te moveat, quòd in istis subscriptionibus, XI *Kal. Novemb.* & III *Nonas Apriles* haud eadem ponitur Indictio, quæ Kalendis Septembris initium sumpserit. Indictiones, quibus Acta præcitata muniuntur, haud Imperiales sunt seu Constantinopolitanæ quas Kalendæ Septembres aperiunt, sed Regiæ seu Franciæ quibus anni Christiani dant exordium, ut mox ostensuri sumus. Ergo Lotharius nec à Wormatiensi Placito, in quo Ludovicus Augustus eidem Lothario *de Italia venienti* [b] reconciliatus est, *Regnumque Francorum inter eum & Karolum filium suum minimum* divisit, *Ludowico filio minori pro eo quod eum offenderat Bajoariorum provinciâ tantùm concessâ*, nec ab alia quapiam paterni Regni partitione quæ Wormatiensem Conventum præcesserit, sed à morte Ludovici patris, annos computavit Regni sui in Francia Chiffletius ex Fuldensium ac Bertinianorum Annalium auctoritate Wormatiense Placitum anno Redemptoris octingentesimo tricesimo-nono perperam consignavit, rectiùs eum Annalista Metensi scripsisset annum Redemptoris octingentesimum tricesimum-octavum, à quo ne recederemus vetuit qui vitam Ludovici Pii conscripsit Astronomus Auctor coætaneus. Jam verò si primus Lotharii Regis annus in Francia numeratur ab obitu Ludovici Augusti qui vivere desiit duodecimo Kalendas Julias anno Redemptoris octingentesimo quadragesimo, & in Diplomatibus anni Lotharii Regis in Italia excedunt *vicenario solido* annos ejusdem Regis in Francia, necesse est ut Lotharii Regis in Italia primus annus inchoetur anno Redemptoris octingentesimo vicesimo, quo Monarchiam totius Franciæ Ludovicus pater obtinebat. Hanc epocham Annalista Bertinianus haud obscurè videtur indicare, cùm sermonem instituit de Conventibus anno Redemptoris octingentesimo vicesimo-primo celebratis, apud Aquisgranum mense Februario, apud Noviomagum mense Maio, & apud Theodonis villam mense Octobri. De Conventu enim Noviomagensi hæc inter alia scribit. *Conventus mense Maio Noviomagi habendus condictus est, Comitésque, qui illuc venirent, deputati. Eo anno Dominus Imperator post festi Paschalis expletionem per Mosam navigavit, ibique constitutam annis superioribus atque conscriptam inter filios suos Regni partitionem recensuit, ac juramentis Optimatum, qui tunc adesse potuerant confirmavit.* In hoc textu Ludovicus Augustus *constitutam annis superioribus atque conscriptam inter filios suos Regni partitionem* recenset ac confirmat. Nullam Imperii mentionem facit, quia nomine Imperii ne minima quidem comprehenditur quæ dividi possit inter fratres possessiuncula. Quod ad Regni partitionem attinet, hæc non spectat ad universum Regnum, sed aliquas duntaxat ejus partes,

[a] Act. 57. 58.

[b] Ann. Met. a. 838.

AN. CH. 840. LOTHAR. IMP. 24. LUDOV. R. 24. CAROLI R. 11.

partes, id est, ad Aquitaniam, ad Bojoariam, & ad Longobardiam. Super Aquitania nulla difficultas. A Ludovico patre Rex Aquitaniæ dictus est Pippinus anno Redemptoris octingentesimo decimo-quarto, necnon & anno Redemptoris octingentesimo decimo-septimo. Nulla quoque difficultas est super Bojoaria. Ludovicus à Ludovico patre Rex Bojoariæ vocatus est anno Redemptoris octingentesimo decimo-septimo. Longobardiæ non est par ratio. Ludovicus Augustus annis Redemptoris octingentesimo decimo-quarto & octingentesimo decimo-septimo, cùm filios suos Regiæ Dignitatis consortes, Pippinum in Aquitania, Ludovicum in Bojoaria constituebat, Longobardiam suis ditionibus nondum adjecerat, regnante tunc apud Longobardos Bernardo, cujus obitus anno Redemptoris octingentesimo duodevicesimo contigit. Quis sibi persuadeat Lotharium, qui natu maximus erat è Ludovici Pii filiis, & ab anno Redemptoris octingentesimo decimo-septimo in consortium Imperatorii Nominis adscitus fuerat, Regni participem nullomodo fuisse, quando Ludovicus Augustus Regni partitionem superioribus annis inter filios suos conscriptam recensuit, ac juramentis Optimatum, qui tunc adfuerunt, adeò solemniter apud Noviomagum anno Redemptoris octingentesimo vicesimo-primo confirmavit? Lotharium Longobardiæ Regem tunc extitisse suadent multorum Diplomatum subscriptiones, in quibus testatur Lotharius solido se vicenario Regem Longobardiæ priùs fuisse, quàm patri cis Alpes in partem Regni succefferit. Ludovicus igitur anno Redemptoris octingentesimo vicesimo-primo in Conventu Noviomagensi recensuit confirmavitque Regni partitionem inter filios suos conscriptam *annis superioribus*, id est, anno Redemptoris octingentesimo decimo-quarto quo Pippinum Aquitaniæ Regem dixit, anno Redemptoris octingentesimo decimo-septimo quo Ludovicum Bojoariæ Regem appellavit, & anno Redemptoris octingentesimo vicesimo quo Lotharium Longobardiæ Regem præfecit. Quamvis autem annos Lotharii regnantis in Italia deducendos existimemus ab anno Redemptoris octingentesimo vicesimo, non improbamus Chiffletii opinionem Lotharium asserentis Regem Italiæ factum *jam evaporato Bernardi sanguine, compressisque ejus conjuratis*, extinctus est enim Bernardus anno Redemptoris octingentesimo duodevicesimo. Sed eidem assentiri non possumus, annos Lotharii Regis in Italia computanti, *à possessione Regni adita in aliquo Italiæ Procerum Conventu*. Multò probabilius nobis videtur circa Italiam idem Lothario ac circa Bojoariam Ludovico fratri contigisse. Ludovicus anno Redemptoris octingentesimo decimo-septimo Bojoariæ Rex appellatus est à patre, Bojoariámque jussu ejusdem patris adiit anno Redemptoris octingentesimo vicesimo-quinto. Inde Ludovici in Bojoaria regnantis orta duplex epocha; prior ab anno Redemptoris octingentesimo decimo-septimo, posterior ab anno Redemptoris octingentesimo vicesimo-quinto desumitur, ut Tomo superiore ad annum Redemptoris octingentesimum vicesimum-quintum [a] observavimus. Similiter anno Redemptoris octingentesimo vicesimo Lotharius Imperator à patre Rex Italiæ dictus est, & ab eodem patre missus in Italiam perrexit anno Redemptoris octingentesimo vicesimo-secundo. Atque inde Lotharii Regis in Italia duplex exoritur epocha; prior ab anno Redemptoris octingentesimo vicesimo, posterior ab anno Redemptoris octingentesimo vicesimo-secundo deducitur. Ludovici in Bojoaria sive Orientali Francia regnantis ambæ epochæ notantur in Præceptis pro Monasterio Inferioris Altaichii. Prior, sic. *In Nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. Ludovicus Divinâ favente gratiâ Rex.* &c. *Data* XI *Cal. Aprilis, anno, Christo propitio, 19 Regni Domini Ludovici Gloriosissimi Regis in Orientali Francia. Indict. 14.* sive anno Redemptoris octingentesimo tricesimo-sexto. Posterior, sic. *In Nomine Domini nostri Jesu Dei Omnipotentis. Ludovicus Divinâ favente Gratiâ*

[a] Num. 76.

AN. CH. 840. LOTHAR. IMP. 24. LODOV. R. 24. CAROLI R. II.

Rex Bajoariorum. &c. Datum prid. Non. Octobr. anno, Christo propitio, decimo-septimo Regalis Imperii Domini Ludovici Serenissimi Aug. an. v. Regni nostri. Indict. nonâ, id est, pridie Nonas Octobris, Indictione nonâ jam inchoatâ, sive anno Redemptoris octingentesimo tricesimo. Quod attinet ad epochas Lotharii regnantis in Italia, prioris, quæ repetitur ab anno Redemptoris octingentesimo vicesimo, licèt ante annum Redemptoris octingentesimum quadragesimum in usu minimè fuerit, antiquissimum exemplum esto subscriptio Diplomatis pro Monasterio Duserensi quam hic examinamus. Accedent aliæ permultæ hoc anno subsequentibúsque, quarum Chronologici Characteres initium Regni Lothariani in Italia ab exordio Regni Lothariani in Francia distinguent annorum viginti solidorum intercapedine. Posteriorem epocham Regni Lothariani in Italia probant subscriptiones suprà [a] recitatæ, quæ secundum annum Regni Lothariani in Italia II *Nonas Junii* Indictioni primæ & *tertio Nonas Januarii* Indictioni secundæ, seu per mensem Junium anno Redemptoris octingentesimo vicesimo-tertio & per mensem Januarium anno Redemptoris octingentesimo vicesimo-quarto illigant.

[a] Num. 15.

LXI. Altera difficultas circa subscriptionem Diplomatis, quod Duserensi Monasterio Lotharius Imperator sexto Idus Octobris, anno Regni sui in Italia vicesimo-primo, in Francia primo concessit, in Indictione consistit. Notatur Indictio tertia, sed quæstio est an hæc Indictio sexto Idus Octobris convenire possit cum anno Redemptoris octingentesimo quadragesimo, quocum annus Regni Lothariani in Italia vicesimus-primus, in Francia primus, per mensem Octobrem à nobis componitur. Petrus Franciscus Chiffletius in Notis ad epistolam Concilii Ravennensis datam mense Novembri, anno Redemptoris octingentesimo septuagesimo-septimo, quam ex Æduensis Ecclesiæ Tabulario inter probationes Historiæ Trenorciensis publicavit, triplex Indictionum genus & triplex initium distinxit, Indictionem videlicet Constantinopolitanam sive Imperialem quæ Kalendis Septembribus inchoatur, Indictionem Gallicanam cujus exordium petitur ab octavo Kalendas Octobris, & Indictionem Regiam quâcum annus Christianus comparatur quocumque die principium sortitus sit. Indictio tertia cùm Gallicana, tum Regia, sexto Idus Octobris, qui dies in Diplomate Lothariano legitur, convenit cum anno Redemptoris octingentesimo quadragesimo. Sed quia Indictio Gallicana longè ante Lotharii ætatem in usu esse desiit, recurrendum ad Indictionem Regiam, cujus antiquitatem prælaudatus Chiffletius ita commendat. *De Indictione cum annis Christi inire & finiri solita hoc tantùm moneo, non esse illam novum inventum, quando eam octo abhinc seculis subinde usurpatam constat.* Publicis instrumentis extra fines Imperii non apponebatur Indictionis nota, nec eam Carolus Magnus aut priùs usurpavit aut in suis ditionibus priùs usurpari voluit, quàm Titulum Imperatoriæ Dignitatis assumpsisset. Erat enim Indictio propria Imperatorum, unde Constantinopolitana cognominabatur & Imperialis. Ideóque Carolus Magnus, ex quo vocatus est Imperator, ut nomen Imperatoris sic & usum Indictionis cum Imperatore Constantinopolitano communem habuit. Idem asserendum de Ludovico & Lothario Augustis, quorum ille anno Redemptoris octingentesimo decimo-tertio à Carolo patre, hic anno Redemptoris octingentesimo decimo-septimo à patre Ludovico factus est consors Imperatorii Nominis. Extant horum Imperatorum quamplurima Diplomata, singulis affixa est sua Indictio. Erant autem Carolo Magno, cùm acclamatus est Imperator, filii tres, Carolus, Pippinus, & Ludovicus, iique Reges à patre jam appellari. Similiter Ludovicus Augustus filios suos Reges dixit, Lotharium & Pippinum anno Redemptoris octingentesimo decimo-quarto, Ludovicum anno Redemptoris octingentesimo decimo-septimo, Carolum anno Redemptoris octingentesimo vicesimo-

TRIPLEX GENUS INDICTIONUM DISTINGUITUR.

LOTHAR. IMP. 24. LUDOV. R. 24. CAROLI R. ii.

nono. Ex patrum ſuorum indulgentia, Caroli videlicet ac Ludovici Auguſtorum, uſi ſunt hi Reges Indictionis notâ. Carolus Magnus Carolo & Pippino filiis ſuis ſuperſtes vixit, ſolum reliquit Ludovicum jam dictum Imperatorem. Hic obiit relictis tribus filiis, Lothario, Ludovico, & Carolo. Lotharius, qui natu maximus erat, à multis annis Imperatoriâ ſimul ac Regiâ Dignitate potiebatur. Ludovicus & Carolus, quibus æquè ac Lothario fratri ditiones à patre fuerant attributæ, duo tunc agnoverunt æqualiter ſibi pertimeſcenda, ne vel exciderent Indictionis uſu quem habuerant patre vivente & annuente, vel ſi deinceps Indictionem ut anteà publicis inſtrumentis apponerent, ſe ſuáque Regna Lothario fratri tanquam Imperatori ſubjeciſſe crederentur. Ut utrique occurrerent incommodo, neglectâ Indictione Conſtantinopolitanâ ſive Imperiali quam Kalendæ Septembres aperiebant, amplexi ſunt aliam, cujus idem ac anni Chriſtiani principium, Tomo ſuperiore [a], cùm examinaremus Præceptum Caroli Magni pro Monaſterio Inferioris Altaichii, queſti ſumus depravationem hujus ſubſcriptionis, *Datum 6. Cal. Decembr. anno, Chriſto propitio, Imperii noſtri duodecimo, Regni verò in Francia 44, atque 37 in Italia, Indictione quintâ*, nec diſſimulavimus Auctores eſſe, qui principium idem & Indictionis & anni conſtituant annóſque Regni Carolini non à die quo Carolus Magnus regnare cœpit ſed ab initio anni ſubſequentis ordiantur, & talem computandi modum in quibuſdam Chartis ac Diplomatibus probent. Has calculi rationes, quamvis Indictionem quintam & annum Caroli Regis in Francia quadrageſimum-quartum ſervandos docerent, haud admittendas cenſuimus, quia nituntur Chartis aut non ſynceris aut recentioribus Carolo. Sanum Diploma nondum vidimus, in quo idem Indictionis ac anni principium eſſet ante mortem Ludovici Pii. Quapropter ejus filios auctores talis Indictionis aſſerere non dubitamus, nam qui patre ſuperſtite Conſtantinopolitanam ſive Imperialem ſuis Diplomatibus Indictionem appoſuerunt, illo mortuo Indictionis atque anni mox idem exordium eſſe voluerunt, ut Chartæ probant haud paucæ, quas emiſerunt anno poſt patris mortem nondum elapſo. Cur Ludovicus & Carolus amiſſo patre retinuerint uſum Indictionis, nec eam deinceps ut anteà more Imperatorum à Kalendis Septembribus, ſed ab initio anni inceperint, expoſuimus ſuprà. Novum hoc Indictionis genus Lothario quoque fratri placuit. Lotharius duobus inſignicbatur Titulis, Imperiali videlicet ac Regio. Fratribus Dignitate præeminebat ut Imperator, at Imperiali Titulo ne vici quidem vel minimi Dominus exiſtebat. Iiſdem fratribus Dignitate par erat ut Rex, at Regio Nomine cum illis Monarchiam Francorum partitus ampliſſimas cùm in Italia tum in Gallia ditiones obtinebat. Hac ratione permotus videtur, ut quà Imperator Conſtantinopolitanâ, quà Rex eâdem cum fratribus uteretur Indictione. Non longè quæremus exemplum. In Diplomatis ſubſcriptione, quam examinamus, annos non Imperii ſui ſed Regni per Italiam Galliámque numeravit, & Indictionem non à Kalendis Septembribus exorſus eſt, ſed ab anni principio. Plerique Pontificiam cognominant hanc Indictionem, eos autem hallucinari patet ex Pontificiis Diplomatibus, nam Romani Pontifices, cùm Roma Imperatorum ſeu Conſtantinopolitanorum ſeu Francorum poteſtati ſubeſſet, Imperatoris nomine & Indictione Imperiali ſua conſignarunt Diplomata, nec abſtinuerunt ab eadem Indictione Imperiali, poſtquàm ex inſigni Francorum Regum erga Sedem Apoſtolicam munificentia facti ſunt Romanæ civitatis Domini. Varia ſequentibus Tomis occurrent exempla, quibus iſta confirmabuntur. Quam recentiores Pontificiam vocarunt Indictionem, Chiffletius modò Chriſtianam appellat quia cum anno Chriſtiano componitur, modò Regiam dicit quia in Chartis Regum Francorum reperitur. Nos Regiam nuncupabimus & Francicam, quia peculiaris illius uſus apud Francorum Reges diu viguit.

[a] Ad ann. 811. n. 45.

AN. CH. 840. LOTHAR. IMP. 24. LUDOV. R. 24. CAROLI R. 11.

LXII. PRÆCEPTUM LOTHARII PRO MON. FLAVINIACENSI.

In Analectis Monumentorum, quæ pertinent ad Monasterium Flaviniacense, Tomo primo Bibliothecæ Labbeanæ Lotharius Imperator confirmat ordinationem, quam Ludovicus pater per Missos suos, Aldricum Senonensem Archiepiscopum, Albericum Lingonensem & Motuinum Augustodunensem Episcopos, & Bosonem Sancti Benedicti Abbatem instituerat propter evitandas discordias inter Abbates & Monachos de bonis Cœnobii. Subjicitur hæc istius Diplomatis subscriptio. *Ego Remigius Notarius ad vicem Agilmari recognovi & subscripsi. Data die Jovis, 2 Nonas Decembris* (legendum Novembris) *anno Imperii Domni Lotharii in Italia 21., in Francia primo. Actum Luciniaco villâ in Comitatu Belnensi, in Dei Nomine feliciter.* Designatur annus Redemptoris octingentesimus quadragesimus, ut & suprà in subscriptione Diplomatis pro Duserensi Monasterio dati VI *Idus Octobris*, anno Lotharii Regis *in Italia* XXI, *in Francia* I, *Indictione* III. Annus autem Redemptoris octingentesimus quadragesimus, quia bissextilis, duas habuit literas Dominicales, D ante bisextum & C post bisextum, ideóque post intercalatum bisextum dies Jovis seu feria quinta prædita fuit literâ G, quæ nequaquam reperitur in Kalendario pridie Nonas Decembris, occurrit verò pridie Nonas Novembris. Atque hæc est ratio, cur in Diplomatis subscriptione suprà descripta, non *2 Nonas Decembris* ut habet editio Labbeana, sed *2 Nonas Novembris* legendum monuerimus.

LXIII. Ex Diplomatibus Lotharii datis sexto Idus Octobris & pridie Nonas Novembris, hoc anno, ejusdem Lotharii Regis in Italia vicesimo-primo, in Francia primo, duas Lothariani Regni deprehendimus epochas, easque in hujus anni subsequentiumque apicibus notandas duximus. Neutram hactenus observavimus, quia prior, quamvis ab anno Redemptoris octingentesimo vicesimo repetatur, hoc anno ut & posterior in usu cœpit esse post mortem Ludovici Augusti. Posteriorem autem harum epocharum ut Lotharius, sic & ejus fratres Ludovicus & Carolus in annis Regnorum suorum computandis usurparunt, nec hunc Characterem initio hujus anni vel sequentium passi sumus aut patiemur desiderari.

LXIV. Ebo Remensis Archiepiscopus in fine sui Apologetici scribit suæ se restitutum Ecclesiæ præsente Lothario, *assistentibus*, inquit, *cum Principe magnificis Præsulibus plurimis.* Lotharius initâ cum Carolo pace degebat in Augustodunensi Diœcesi, in Belnensi Comitatu, pridie Nonas Novembris, quando Præceptum suprà laudatum emisit pro Flaviniacensi Monasterio sito in eodem Episcopatu Augustodunensi. Remis adesse potuit octavo Idus Decembris, quo die consignatur Ebonis ad Remensem Ecclesiam reversio.

LXV. EBO REMOS REVERTITUR.

Clerici Remenses ipsam Ebonis restitutionem sic exponunt. *Remissus est autem à jam dicto Imperatore Lothario, seu à præfato Concilio* Ingelheimiensi, *ad Sedem propriam, Remensem scilicet Ecclesiam. Ad quam veniens* VIII *Idus Decembris receptus est ab Episcopis suffraganeis suis, Rothado Episcopo, Simeone Episcopo, Lupo Episcopo, Erpuino Episcopo, unà cum Legatis omnium aliorum Episcoporum Remensis Diœceseos, qui variis detenti infirmitatibus illuc corporali præsentiâ occurrere non valentes, suam tamen per Ecclesiasticos Legatos & excusatorias literas illi exhibuerunt præsentiam. Insuper etiam à Canonicis & Monachis atque corregionalibus literis totius Diœcesis, cum infinita multitudine utriusque sexûs, qui omnes cum ramis palmarum & cereis ardentibus, laudésque Deo intimis ex cordibus & excelsissimis vocibus proclamantes, longè ei ab Ecclesia obviaverunt, & usque ad Ecclesiam indesinenter psallentes eum perduxerunt. Tunc oratione completâ, silentióque imposito, ascendit Rothadus Episcopus ambonem, ducens secum Ingobertum Monachum, & primò adlocutus est gaudenti plebe de desiderabili reversione proprii Pastoris, & qualiter restitutus à Sancto Concilio, seu ab Imperatore Lothario, eis remittebatur. Et jussit Ingobertum Monachum altâ voce ipsam ejus restitutionem legere. Dederunt etiam præsente omni Ecclesiâ Legati Episcopo-*

rum unusquisque assensum proprii sui Episcopi & plebis scriptum, qui omnes ab Ingoberto Monacho publicè relecti sunt. Ad ultimum dedit Vitaus Corepiscopus & Vicarius Theodorici Episcopi assensum infrà scriptum. Quem idcircò hîc præ ceteris inseruimus, quatinus in eo & res gesta licèt breviter comprehensa liquidiùs cognosci possit, & consensus eorum, qui præsentes adesse nan valuerunt in restitutione ejus, manifestiùs intelligi.

AN. CH. 840. LOTHAR. IMP. 24. LUDOV. R. 24. CAROLI R. II.

LXVI.

Dum non habetur incognitum, quod à pluribus videtur esse compertum, qualiter Ecclesia hac maxima Galliarum sub regimine Francorum diversis perturbationibus ac discordiis Principum indignatione violentâ istis [1] temporibus agitata vexatur. Unde & plurimi Episcoporum [2] à propriis Sedibus expulsi, aut timore derelictis gregibus diversis in partibus exulantur. Inter quos etiam Ebbo [3] Archiepiscopus Remensis Ecclesia raptus à propria Sede, Principum indignatione violentâ [4] in exilio ductus est. Unde & reductus sub custodia, ut periculum imminens [5] evaderet, & furores persequentium mitigaret, redimendo tempus ut meliori [6] se tempori reservaret, cum consensu Episcoporum Pontificali secessit à Ministerio, dum inter terrores & discordias ratio non sinit immolare victimas, dicente Domino. [Si offers munus tuum ad Altare, & ibi recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid adversùm te, relinque ibi munus tuum] & cetera. Postquàm verò Deus Ecclesia suæ tranquilliora tempora [7] reddidit, placuit Principibus & Magistratibus Ecclesiasticis, ut isdem Pastor ad debitum ovile reverteretur, & oves, quas compulsus reliquerat, tuendas [8] idem reciperet. Quibus & Ecclesiasticis debitis negotiis ego Theodericus Camaracensis [9] Episcopus assensum canonicè [10] præbens; sicut priùs de illius discessu compatiendo dolui, ita modo de ipsius reversione congaudens Constitutiones has seniorum vel fratrum roborando subscripsi, quia talia sæpè contigisse & in aliis gestis Ecclesiasticis legi. Hæ Theodorici Cameracensis Episcopi literæ reperiuntur etiam in Ebonis Apologetico, cujus leves aliquot differentias ad oram rejecimus.

[1] Hu
[2] vi
[3] Ebo
[4] violentis exilio
[5] deest imminens
[6] meliori tempori se
[7] reddidit tempora
[8] tuendas recipere iterum.
[9] Cameracensis
[10] Cleric. Remens. in edit. Duchesn. malè Canonicu

LXVII. NARRATIO CLERICORUM REMENSIUM OSTENDITUR COMMENTITIA.

In eodem Apologetico prædictas Theodorici Cameracensis Episcopi literas laudant, suísque subscriptionibus corroborant septem comprovinciales Episcopi, Suessionensis, Bellovacensis, Laudunensis, Sylvanectensis, Ambianensis, Noyiomensis, & Taruannensis, in hunc modum. *Hrodbadus Suessionensis Episcopus hac ita similiter robaravi. Hildemannus Belvacensis similiter. Symean Laudunensis similiter. Erpwinus Silvanectensis similiter. Raginharius Ambianensis similiter. Emmo Noviomacensis similiter. Folcwinus Taravanensis similiter.* E tota provincia Remensi subscriptio solius Episcopi Catalaunensis desideratur. Ecclesiæ Catalaunensi præerat Lupus Episcopus, cujus mentio fit in narratione Clericorum Remensium, ut patebit infrà. De Erpwino, Emmone, & Lupo, nondum locuti sumus. Anno Redemptoris octingentesimo tricesimo-quinto congregatæ apud Theodonis villam Synodo, in qua Ebo Remensis Metropolita jussus est à Pontificali Ministerio recedere, præter ipsum Ebonem & Fulconem Chorepiscopum Remensem, sex interfuerunt comprovinciales Episcopi, *Raganarius* seu Raginharius Ambianensis, *Theodericus* Atrebatensis & Cameracensis, *Acardus* Noviomensis & Tornacensis, *Rothadus*, seu Hrodhadus Suessionensis, *Godefridus* Silvanectensis, & *Hildemannus* Bellovacensis.

LXVIII.

Ab illa Synodo quinquennium ad Ebonis usque restitutionem sive ad Ingelheimiensem usque Conventum effluxit. Illâ temporis intercapedine vitam clauserunt, Godofridus Silvanectensis Episcopus, Achardus Episcopus Atrebatensis ac Cameracensis, & Adalelinus Catalaunensis Episcopus, Ostroldus Episcopus Laudunensis successerúntque Godofrido Erpwinus sive Erpuinus aut Erpoinus, Achardo Emmo sive Immo vel Emino, Lupus Adalelino, Simeon Ostroldo. De Lupo & Erpuino, necnon & de Simeone cujus mentionem ad annum Redemptoris octingentesimum tricesimum-quintum in Translatione Sancti Quintini jam fecimus, testes sunt Clerici Remenses, ubi de Ebonis exilio sic loquuntur. *Fuerunt per longum spatium*

AN. CH. 840. LOTHAR. IMP. 24. LUDOV. R. 24. CAROLI R. II.

ejus exulatûs ordinati Episcopi eo absente, Simeon Episcopus, Lupus Episcopus, Erpuinus Episcopus. Obiter nota Carolum Rapinum in Annalibus Ecclesiæ Catalaunensis & alios errare, qui volunt Adalelinum annis duntaxat duobus ac viginti sedisse cum diebus duodecim, anno enim Redemptoris octingentesimo decimo Pontificatum inierat. Emmonem Noviomensem ac Tornacensem Episcopum Clerici Remenses omiserunt in textu proximè descripto, quia ex Episcopis, qui per Ebonis absentiam ordinati sunt, eos tantùm voluerunt recensere, quorum suprà meminerant, cùm ipsam Ebonis reversionem describerent. Recitatis enim Theodorici Cameracensis Episcopi literis, quas suprà descripsimus, seriem suæ narrationis sic persecuti sunt. *His ita peractis, iterum reboantibus signis, & vociferante omni Ecclesiâ,* [*Te Deum laudamus*] *ductus est jam sæpè dictus Ebbo Episcopus in vestiarium, & indutus Episcopalibus vestimentis, similiter etiam alii Episcopi, & processerunt cum eo ad celebrationem Missæ. Nam Rothadus Episcopus* Suessionensis *dextrâ manu eum sustentans, habuit suæ partis Lupum Catalaunensis Ecclesiæ Episcopum, & Hirminfredum Presbyterum, posteà verò Belvacensis Ecclesiæ Episcopum. Sinistrâ autem manu sustinens eum Simeon Episcopus* Laudunensis, *similiter* habuit *suæ partis Erpuinum Episcopum*, Silvanectensem, *& Vitaum Camaracensis Ecclesiæ Corepiscopum. Et sic ad sanctum Altare cum eo procedentes, ad propriam Sedem eum deduxerunt, atque cum eo cuncti sedentes, in omni Pontificali officio ipsâ die ei communicaverunt. Fuerunt autem per longum spatium ejus exulatûs ordinati Episcopi eo absente, Simeon Episcopus, Lupus Episcopus, Erpuinus Episcopus, quod omnimodis sanctissimis prohibetur Canonibus. Qui completâ cum omni gaudio & lætitia consecratione & solemnitate sacrificii, præsente omni Ecclesiâ, deprecati sunt eum, ut ipsius auctoritate eorum statueretur ac roboraretur ordinatio. Qui benignissimè eorum preces obaudiens, dedit eis publicè coram sacrosancto Altari anulos & baculos suæ auctoritatis in confirmatione eorum ordinationis, & allocutus est de eis omni Ecclesiæ, ut scirent universi se in caritate, quæ ex Deo est, eorum ordinationi consentire.*

LXIX. Hæc prolixa narratio, quâ Clerici Remenses Ebonem Sedi suæ canonicè restitutum jactitant, in plerisque falsissima convincitur ex Actionibus potissimùm secunda & quinta Concilii Suessionensis secundi, quod anno Redemptoris octingentesimo quinquagesimo-tertio celebratum fuit. Imprimis ostenduntur commentitiæ, quæ Theodorici Cameracensis Episcopi nomine circumferuntur literæ subscriptionibus comprovincialium Episcoporum septem roboratæ. Theodoricus de Ebone sic istis in literis loquitur. *Ebbo Archiepiscopus Remensis Ecclesiæ raptus à propria Sede, Principum indignatione violentâ in exilio ductus est.* Et infrà quonam erga Ebonem cùm abeuntem tum redeuntem animo fuerit, hac prodit periodo. *Ego Theodericus Camaracensis Episcopus, sicut priùs de illius discessu compatiendo dolui, ita modò de ipsius reversione congaudens Constitutiones has seniorum vel fratrum roborando subscripsi.* Sed in Suessionensi Concilio se longè alium & verbis & opere præbet, hæc enim leguntur Actione secundâ. *Surgens Theodoricus Episcopus Ecclesiæ Cameracensis porrexit in conspectu Principis & Synodi scriptum, dicens. Sicut audivi & vidi depositionem Canonicam Ebbonis Episcopi, ita & vestræ Reverentiæ profiteor voce, & scriptum porrigo, & auctoritate confirmo. Et revelatum est volumen illud Synodo, coram Principe glorioso Carolo, à Lupo Venerabili Presbytero & Abbate in Monasterio Sancti Petri, quod Bethleem vel Ferrarias dicitur. In quo volumine continebatur, qualiter idem Ebbo voce propriâ, & Judicum peccatorum suorum, videlicet Episcoporum, judicio, Aiulfi scilicet Archiepiscopi, Badaradi Episcopi, Modoini Episcopi, & testificatione testium, Nothonis Archiepiscopi, & ipsius Theodorici, quem prædiximus, Episcopi, & ipsius libelli subscriptione, qui relectus est in Synodo, quem ipse propriâ manu in conspectu prænominatæ Synodi subscripserat, & Synodo ipsi porrexerat, pro reatibus & criminibus confessis, à Ministerio Episcopali alienum se reddens, &* XLIV (lege

XLIII) *Episcoporum sententiam, ut à Ministerio Episcopali recederet, & sub pœnitentia modo Domino deservire studeret, suscipiens se condemnavit, & condemnatus recessit. In quo etiam volumine continebatur, quia & taliter se Episcopus à Ministerio exuens administratione Episcopali spoliatus manere deberet, & edoctus sacris auctoritatibus qualiter exauctoratus Episcopus restitui deberet. Et quia idem Ebbo restitutus canonicè non fuerat, insuper & ab Apostolica Sede, sicuti in Gestis Pontificum coram Principe Synodo relectum est, à Sergio Papa confirmante dejectionem illius damnatus extitit, ut in laica tantummodo communione permaneret. Sed Ministerium Episcopale, quo suo & Episcoporum judicio fuerat spoliatus, irreverenter usurpare præsumpsit.* Et Actione quintâ literæ, de quibus inquirimus, *falsissimæ* sic comprobantur. *Relegens unus ex prædictis fratribus, nomine Fredebertus, libellum proclamationis, voce omnium dixit, se ideò ab eodem Ebbone permisisse se ordinari, quia videras Suffraganeos Remensis Ecclesiæ, Rothadum videlicet Episcopum, Simeonem Episcopum, Erpuinum Episcopum, in Metropolim Remensem Ecclesiam convenisse cum literis Domni Lotharii, & eumdem Ebbonem restituisse. Et ostenderunt literas, quasi ex nomine Theodorici Episcopi, Rothodi Episcopi, Lupi Episcopi, Immonis Episcopi, Simeonis Episcopi, Fulcoini Episcopi, Ragnarii Episcopi, Hildemanni Episcopi, Erpuini Episcopi manibus confirmatas, quæ manifestè falsissimæ sunt comprobatæ.* Eadem Actione, subjiciuntur alia, quæ nec hoc loco videntur omittenda, conducunt enim plurimùm ad eandem Remensium Clericorum narrationem refellendam. *Surgens Immo Episcopus, licèt ipsi accusatores & criminatores Episcoporum ad accusationem eorum non essent idonei, sicut scriptum est in Concilio Africano, cap.* XCV. [*qui posteaquàm excommunicotus fuerit, in ipsa adhuc excommunicatione constitutus, sive sit Clericus, sive laicus, si accusare voluerit, diffinimus ad accusationem non admitti,*] *tamen ad satisfactionem Gloriosi Principis & Sacræ Synodi, porrexit rotulam, quæ & de communicatione eorum cum illo post depositionem Ebbonis Episcopi, & de cujus chartulæ subscriptione, evidentissima protulerunt indicia, quibus mendacissima est approbata illorum assertio. Sed & de baculis & anulis ab illo datis, unde & in præfata schedula idem frater relegerat, frivola est autumatio per auctoritatem ab omnibus comprobata.* Ipse enim Ebo, qui dejectus à suo gradu fuerat, anulum & baculum ab Episcopis potiùs accipere debuit, ut Hincmarus Archiepiscopus Remensis in suis ad Anastasium Abbatem literis [a] docet ex quadam Synodo Gallicana, quæ sic habet. *Episcopus, Presbyter aut Diaconus, si à gradu suo injustè dejectus, in secunda synodo innocens reperiatur, non potest esse quod fuerat, nisi gradus amissos recipiat, coram Altario de manu Episcoporum, si Episcopus est, orarium, anulum & baculum.*

[a] Ep. 57.

LXX. Prætereà, quicquid Clerici Remenses dicant, in Episcoporum ordinatione per provinciam Remensem, cùm Ebo sub custodia sive in Fuldensi Monasterio sive alibi detinebatur, nihil contra Canones gestum invenitur. Lege quæ suis locis [b] dicta sunt de Ludovici Imperatoris exauctoratione & redintegratione, neenon de Ebonis crimine, ad cujus recordationem probi quique etiamnum exhorrescunt, & de illius exilio, ac cessatione à Pontificali Ministerio ex Decreto Synodi apud Theodonis villam congregatæ. Mitiùs quàm res postulare videbatur, actum cum Ebone, tum ab Imperatore Ludovico, tum à prædicta Synodo. Tanti flagitii reus pœnis exilio & Monasteriali custodiâ gravioribus ab Augusto fuit afficiendus. Per nimiam pariter indulgentiam à Synodo, post electos tres peccatorum suorum Judices unum Archiepiscopum & duos Episcopos à quibus provocari vetabant Canones, post adhibitos & tres alios testes unum Archiepiscopum & duos Episcopos, post suorum quoque scelerum confessionem & vivâ voce & scripto liberè factam, jussus est tantùm à Pontificali Ministerio recedere, cùm indignus esset qui vocaretur Archiepiscopus, Ecclesiæque Remensis cura non Chorepiscopo per ejus absentiam, sed Archiepiscopo in depositi locum legitimè subrogato committi deberet. Vio-

[b] Ad ann. 833. 834. 835.

AN. CH. 840. LOTHAR. IMP. 24. LUDOV. R. 24. CAROLI R. II.

latores Canonum ipsimet habendi sunt Episcopi, qui laudantur à Clericis Remensibus ob Ebonis restitutionem. Pluris enim faciunt Conventum Ingelheimiensem quàm Synodum ante quinquennium habitam in Theodonis villa, & Ebonem, quem Episcopi tres & quadraginta damnarunt, à numero longè minori canonicè restitutum affirmant. Frustrà quoque Clerici Remenses ipsum Ebonem à quatuor Episcopis Suffraganeis, Rothado, Simeone, Lupo, & Erpuino, receptum volunt, *unà cum Legatis omnium aliorum Episcoporum Remensis Diœceseos, qui variis detenti infirmitatibus illuc corporali præsentiâ occurrere non valentes, suam tamen per Ecclesiasticos Legatos & excusatorias literas illi exhibuerant præsentiam.* In mentem nostram non cadit tot Episcopos in tam vasta provincia, quam Carolo filio Ludovicus Augustus per ultimum Testamentum ante biennium integram attribuerat, unanimi consensu simul convenisse, ut Lotharium & Ebonem vel ipsi vel per Legatos adirent. Ebo in fine sui Apologetici Remensem Ecclesiam recipit *assistentibus cum Principe magnificis Præsulibus plurimis, quorum auctoritate omnium* revocatum se dicit. Nullam autem mentionem facit Missorum seu Legatorum, per quos absentiam suam plerique excusarint Episcopi. Novem erant in Belgica secunda comprovinciales Episcopi sub Remensi Metropolitano, quatuor Ebonem Remos reversum exceperunt, abfuerunt alii quinque, quos omnes tunc ægrotasse vix sibi quis persuadeat. Maxima cis Mosam erant turbamenta. Ludovicus Imperator in postrema Regni partitione Lotharianas ditiones Occidentem versùs à Carolinis per Alpes, per lineam à Rhodano supra Genavam ad confluentes Dubis in Ararim, per eundem Ararim, per Maidonem, per Mosellam, per lineam à Mosella infra Tullum ad fontes Suræ & Urtæ, per Urtam, & per Mosam separaverat. Lotharius in Regnum Caroli cum copiis irrupit, & Mosam Sequanámque prætergressus ad Ligerim usque fluvium & ad agrum Aurelianensem penetravit. In itinere, ut Ebonem pristino gradui restitueret, Remos cepit, ac viciniores, ut opinamur, ejusdem provinciæ civitates, putà Catalaunum, Laudunum, Suessionem & Silvanectum, illarúmque urbium Episcopos sibi deinceps addictos habuit. Ceteros, quorum Diœceses haud ingressus videtur, cùm remotiores essent à tumultu, non existimamus adeò sui erga Carolum oblitos officii fuisse, ut ultrò nec coacti se summitterent invasori. Pax paulò pòst inter fratres inita, quam nemo prudens putavit diuturnam fore Carolus cessit totâ Belgicâ secundâ ceterísque ditionibus Mosam inter & Sequanam sitis, sibíque Sequanam inter ac Ligerim decem tantùm Comitatus reservavit, hac lege percautè adjectâ, quòd irritæ fierent hæ pactiones, si Lotharius hostem se Ludovico fratri præberet. Sapientes quique conditionem hanc ex industria censuerunt appositam, ut Carolo tum fœderis cum Ludovico fratre contra Lotharium percutiendi, tum belli cum Lothario quamprimùm redintegrandi justa non deesset causa. Quapropter Episcopos, qui Lothario Belgicam secundam invadenti, atque interioribus Regni Carolini trans Sequanam provinciis inhianti, sistere se noluerunt, haud arbitramur ei, cis illum amnem reverso, statim festinatóque se stitisse. Hæc est genuina ratio, cur Ebonis restitutioni quatuor hi solummodo, Catalaunensis, Laudunensis, Suessionensis, & Silvanectensis, interfuerint. Et præcitatus Ebonis textus intelligi debet de *Præsulibus plurimis* Lotharium secutis, quorum alii erant Itali ex Longobardia, alii Galli ex regionibus in novissima Regni divisione Lothario cis Rhenum à patre nuper assignatis. Nec scrupulum tibi moveat, quòd Ebo sub initium vulgati Apologetici Sanctam Sedem Remensem recuperasse dicitur, *obviam ibi occurrentibus cunctis Diœceseos Præsulibus aut Missis.* Hujus enim Opusculi duæ sunt partes; prior, quam hactenus cum narratione Clericorum Remensium contulimus, sumpta est ex eadem narratione, nec potioris est auctoritatis; posterior, cui nomen Apologetici

rectè

rectè tribuitur, incipit ab his verbis, *in Nomine Domini nostri Jesu Christi Dei Summi. Glorioso imperante Hludovico Cæsare*, &c. Hoc Apologeticon, per quod Ebo se nititur expurgare, per partes hic examinabimus.

LXXI. EBONIS APOLOGETICON REFELLITUR.

Inprimis Ebo sic præfatur. *In Nomine Domini nostri Jesu Christi Dei Summi. Glorioso imperante Hludovico Cæsare, cujus prima tempora Regni quamquam valdè coruscarent prospera, ultima tamen ejus concussa nimiâ adversitate divinam quasi indignationem illam passa, quam de novissimis temporibus vis semper terret Evangelica, dicens. [Tradet autem frater fratrem in mortem, & pater filium, & insurgent filii in parentes.] Multi denique hinc potentes expulsi sunt à patria; Episcopi quoque Dei, aliive Ministri custodias & exilia passi; quidam etiam utriusque sexus nobiles laici ad Monasticum habitum compulsi, ut saltem his flagellis celeri castigatione compuncti, remedia salutis reciperent, quia quos blanda vitiaverat prosperitas, necesse erat ut dira purgaret adversitas, ne ad tartaream vindictam Divina ultrò sæviret Majestas.* Ebo in hoc Prologo piè loquitur, sed ne suum crimen aperiat, callidè causam reticet mutationis, quam in Regno Ludoviciano tam repentè factam conqueritur. Multa, quæ laude dignissima sunt, tanquam injustè patrata damnat, quia sibi non favent. Anno Redemptoris octingentesimo tricesimo-tertio Ludovicus Imperator à perduellibus ac seditiosis exauctoratus est, anno postero pristinam libertatem dignitatémque recuperavit, præcipuos authores tanti flagitii vel exilio mulctavit vel carcere, quid æquius? Inter hos extitit Ebo, cujus impium ac nefandum facinus suprà descriptum [a] pudet hic denuò repetere.

[a] Ad an. 833.

LXXII.

Prædicto Prologo hæc proximè subjungit Ebo. *His etenim manifestis cognitis periculis, ego Remensis Ebo indignus Episcopus inter ceteros anxios tribus afflictus pressuris, id est, sublatis rebus omnibus, in ira vel custodia oppressus Principis, insuper & fessus ægritudine corporis, Sancto cum Psalmista dicere non erubui. [Iniquitatem meam adnunciabo, & cogitabo pro peccato meo.] Divinis flagellis monitus si in prosperis legem Domini neglexi, ad ipsam in adversis confugere debui, ita ut si quem per potentiam quondam injustè læsi, hinc in angustiis me lædentem ferre patienter devovi. Si cui etiam aliquid indebitè abstuli, ablatis mihi omnibus non contradixi, sed auferenti tunicam, etiam & pallium reliqui. Si enim quandóque unicum * neglexi inimicum diligere, hinc & pro persecutoribus orare didici. Sícque humili satisfactione memetipsum accusans, furores persequentium mitigare plusquàm litigare decrevi.* Supersedemus exemplis Abrahæ & aliorum, quos imitatum se dicit Ebo, cùm *tribus* affligeretur *pressuris*, id est, amissione bonorum, libertatis, & sanitatis. At cur redactus sit ad has angustias, cur sua pulsus è Sede, cur in exilium missus, cur in Monasterio sub custodia detentus, ubi præteritarum rerum assiduâ recordatione tristitiam morbúmque contraxerit, haud prodit, id enim si præstaret, reatum suum, quo gravior in Præsule vix inveniri potest, palam detegeret.

* F. unum.

LXXIII.

Deinde res gestas in Synodo apud Theodonis villam congregata sic aggreditur. *Multimodis Patrum animatus exemplis, ductus eodem mundano impetu, compulsus ad Tribunal Palatinum, non ad Synodalem Sanctorum conventum, quo violenter non licet trahi, sed magis liberum canonicè convocari Episcopum. Contigit tamen me in media multitudine Sanctorum adstitisse fratrum, hyemali vexatione divinâ ibi afflictorum, quorum consolatione piâ recreatus, illa mihi divinitus inspirata sententia caritatis præstò apparuit condolentium, sicut scriptum est, [cùm patitur unum membrum, compatiuntur omnia membra.] Quorum consilio adjutus tres mihi ex ipsis elegi secretissimos adjutores, Aiulfum videlicet Archiepiscopum, Badaradum Modoinúmque Episcopos, cum quibus de Salvatoris nostri institutione, peccatorúmque remissione diligenter contuli, memor Evangelici præcepti dicentis. [Si offers munus tuum ad Altare, & ibi recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid adversùm te, relinque ibi munus tuum ante Altare.] Hac igitur auctoritate cernens, quia frater, quantò magis quia Princeps meus commotus adversùm me erat, reliqui munus oblationis meæ ante Altare, & summâ sa-*

AN. CH. 840. LOTHAR. IMP. 24. LUDOV. R. 24. CAROLI R. 11.

tisfactione jam dictorum conſenſu Confeſſorum vel fratrum ſuccumbens propter recuperandi concordiam, illatas omnes patienter ſuſcepi injurias, & puritate confeſſionis remiſſionem peccatorum veniámque, & non condemnationem percipere credidi. Et inferiùs. *Ne igitur ſævientes in me ampliùs peccarent, Salvatoris noſtri evadendi uſus ſum argumento, qui inter manus perſequentium ſe abſcondit, & exivit de Templo, neque periculis imminentibus diſtuli exire de Templo, & ſecedere à Pontificali Officio, qui violenter triennio jam excluſus eram a debito ſacrificandi loco.* Triennium, quo *violenter à debito ſacrificandi loco* ſive ab Eccleſia Remenſi excluſum ſe dicit Ebo, interpretare incompletum, ab anno Redemptoris octingenteſimo triceſimo-tertio quo perduellibus ſe junxit, ad octingenteſimum triceſimum-quintum quo Synodus habita eſt in Theodonis villa. Non violentus ſed ſpontaneus fuit Ebonis à Diœceſi Remenſi diſceſſus, debitam enim Imperatori fidem ejuravit nemine cogente, & ad caſtra filiorum contra patrem rebellantium ultrò ſe recepit. In Synodo apud Theodonis villam & vivâ voce & ſcripto reum ſe faſſus eſt. Audi quomodo ſcriptionem ſuam excuſare conetur. *Subſcriptionem*, inquit, *mihi in anguſtiis, nequaquam damnationis ſed potiùs ereptionis titulo edidi, quam non convictus, ſed valdè conſtrictus pertuli, meliùs hic inſerendam annotatione publicâ prævidi in teſtimonio veritatis, ne aucta aut minuta maculetur alicujus æmuli quandoque mendaciis, ut & quod tunc geſtum eſt ſecreto ereptionis argumento, hinc jam publico ubique diſcutiatur ab omnibus vera caritatis ſtudio, & dum nullum ibi certum damnationis præfigitur crimen, nullatenus ullum poſſit ultrà pati confuſionis diſcrimen. Non noxia ergo, ſed valdè proficua habenda eſt talis ſubſcriptio, quæ furores perſequentium mitigavit, hiemales anxias vexationes fratrum porrecta levigavit, me etiam ab ira perſequentium eripuit, inſuper & ſecundùm Sanctarum Scripturarum auctoritatem mihi confitenti remiſſionem porrigit peccatorum, ſi perſeveravero divinitus caſtigatus certa in emendatione morum. Scripſi utique in quo apud Deum non corrui, ſed potiùs humili ſatisfactione convalui, & hac ita vim facientibus edita obtuli, quia certus ſum, & ſcio cui credidi dicens. Ego Ebo indignus Epiſcopus recognoſcens fragilitatem meam*, &c. Hanc ſcriptionem, quam non tantùm in Ebonis Apologetico, ſed etiam in narratione Clericorum Remenſium, necnon & apud Hincmarum ac Flodoardum reperies, integram recitavimus ad annum Redemptoris octingenteſimum triceſimum-quintum [a] cum hac ſubſcriptione. ✠. *Ebo quondam Epiſcopus ſubſcripſi.* Ebo in ſua ſcriptione *indignum* ſe recognovit *Miniſterio Pontificali*, nec tantùm ceſſit Epiſcopatu, ſed etiam *ut inde ultrà nullam repetitionem aut interpellationem auctoritate Canonicâ facere* valeret, id *manu propriâ ſubſcribens* firmavit, adjecitque prædictam ſubſcriptionem, quâ ſe quondam Epiſcopum fuiſſe nec ampliùs eſſe ſignificavit.

[a] Num. 9.

LXXIV. *Hac ſcripturâ coram Synodo prolatâ atque confirmatâ confeſſus eſt* Ebo *vivâ voce, & dedit teſtes alios, exceptis Judicibus, Nothonem Archiepiſcopum, Theodoricum Epiſcopum, & Achardum Epiſcopum, & ſic ab omnibus, qui in eodem Concilio fuerunt, Epiſcopis*, quadraginta-tribus, *accepit ſententiam* [b], *dicentibus per ordinem omnibus. Secundùm tuam confeſſionem ceſſa à Miniſterio.* Hanc Epiſcoporum ſententiam canonicè latam Ebo in ſuo prætermiſit Apologetico, ſermonémque tantummodo ſua de ſcriptione ſic fecit. *Si quis verò per ſalutarem hanc in preſſuris repertam conſcriptionis formulam me damnandum decreverit, ſimiliter & in omnibus ſcriptis meis me opprimere poterit, in quibus nunquam me juſtifico, ſed ſemper indignum Epiſcopum ſubſcribens ubique denuntio. Nec tamen me in hac eâdem ſubſcriptione ullus violatorem aut mendacem deprehendere poterit, quia nemo ibi poſteà utilior præfuit, ſed ſeptenni fermè ſub pœnitentia ſpatio, quo in ſanctâ Eccleſiâ peccatorum pœnitentibus fieri ſolet remiſſio, patienter exſpectans, nemini conſecrationis ibi dignitatem impedivi. Nolite ergo, dicente Domino Deo noſtro, condemnare, & non condemnabimini: in quo enim judicio judicaveritis, judicabimini.* Ebonem, quòd in ſuis epiſtolis & in actis publicis in-

[b] Vide an. 835. n. 9.

AN. CH. 840. LOTHAR. IMP. 24. LUDOV. R. 24. CAROLI R. 11.

dignum Episcopum se per modestiam scripserit, nemo condemnavit unquam. Sed cur in scriptione, de qua loquimur, indignum se Ministerio Pontificali recognosceret, alia fuit ratio, conscientia videlicet delictorum, quæ publicè contra Ludovicum Augustum commiserat, nec poterat inficiari. Quapropter *eundem libellum* [a] *propriæ ac vivæ vocis confessione attestatum in abdicationem sui, nullo ab eo quærente vel exigente, Synodo ultrò porrexit*, & in eodem libello, *ut ultrà nullam repetitionem aut interpolationem auctoritate Canonicâ facere* posset, ipsam sui abdicationem *manu propriâ* firmavit, testatus Remensem Episcopum se quondam extitisse, nec ampliùs fore. ✠. *Ebo quondam Episcopus subscripsi.* Quod autem addit intra septenne spatium, quo procul ab Ecclesia Remensi summotus exulavit, successorem sibi non fuisse datum, quamvis minimè prohiberet, quominùs quis Archiepiscopus Remensis illo tempore consecraretur, id Ludovici Imperatoris mansuetudini tribuendum, qui satis pœnarum inflictum Eboni putavit, si longè à Diœcesi Remensi in quodam Monasterio vel Episcopio sub custodia detineretur, Remensis Ecclesiæ curâ Chorepiscopo commissâ. Quandiu Ludovicus vixit, Eboni spes reversionis ablata. Chorepiscopus, qui Remensis Ecclesiæ regimen suscepit, à tribus ordinatus est Episcopis, omniáque Archiepiscopi munera legitime per Diœcesin Remensem obivit. Idcóque Hincmarus haud proximum Ebonis successorem, sed Archiepiscopum ab eo quartum se dixit in literis ad Synodum Suessionensem, sic. *Nec ejus*, nempe Ebonis, *Sedis invasor extiti, quam ab eo secundùm regulas Sacerdotio functo quartus, post eos, qui eam tenuerunt, canonicè in ea electus & ordinatus regendam suscepi.* Et inferiùs Fulconem seu Folconem, de quo non semel locuti sumus, & Notonem, intermedios distinxit, ubi subjunxit se *sub Sergio Papa* ordinatum Archiepiscopum, *cùm Remensem Ecclesiam Folco ferè per novem annos sine ulla regulari Ebonis reclamatione tenuisset, & post eum Noto penè per annum & dimidium eandem Sedem similiter sine ulla Ebonis repetitione tenuisset.* Remensem igitur Sedem tenuit secundus ab Ebone Fulco, tertius Noto, quartus Hincmarus.

[a] Flodoard. l. 2. c. 20.

Pergit Ebo. *Conscriptio hæc*, inquit, *diversis necessitatibus id est, delictorum vel persequentium occasione confecta, si adhuc scandalizanti alicui scrupulum generat, universorum ibi quasi verbarum rationem discutiat, in qua certo crimine invento, unde Canonica ritè sequatur damnatio justè, precor, & non lividè judicet proximum, dúmque se æstimat stare, videat ne cadat, quia lividus Judex festucam in alterius quærens trabem in suo nequaquam sentit oculo. Luce clariùs namque Canonica fulget auctoritas, quòd sicut sine certo crimine canonicè numquam dejicitur Episcopus, ita nec absolutione spontaneâ, quantò minus violenta alterius sub custodia non licet recedere Episcopum sine concordi præsentia vel consensu civium subditorum.* Deinde Divinam misericordiam, quam Judices omnes sequi debeant, longiori sermone commendat. Multis exemplis novi veterísque Testamenti probat reos pristinis dignitatibus restitutos esse, Sanctámque Dei Ecclesiam de reparatione lapsorum ubique gloriari. *Dominus meretricem legalibus pœnis dignam nonnisi sine peccato quemquam damnare adquievit*, &c. *Publicanum seipsum accusantem non condemnavit, sed magis justificavit*, &c. *Semivivum similiter prostratum non respuit, sed procurandum sanctis stabulariis ligandi solvendíque potestatem habentibus commisit*, &c. *Davidica compunctio momentanea non dejectionem sed recuperationem meruit. Sancti Apostoli de promissa ac mentita in Passione perseverantia, post Resurrectionem verò de stultitia & incredulitate vel cordis duritia increpati. Petri etiam negatio contritione cordis purgata.* Postremò ratiocinationem suam sic absolvit. *Igitur tam manifestis novi ac veteris Testamenti divinis nobis ostensis beneficiorum exemplis ad jam dictam vulgo notam satisfactionem humilem me devotus obtuli, eò quòd recuperationem magis quàm damnationem unquam ab initio semper humilis meruit satisfactio.* Sed hæc argumentatio nullo nititur fundamento. Crimen certum est & LXXV.

AN. CH. 840. LOTHAR. IMP. 24. LUDOV. R. 24. CAROLI R. II.

omnibus notum. Illud Ebo publicè Metis & in Theodonis villa confessus est, dixitque *coram omnibus se ad Ministerium Episcopale indignum, & ab eo recedere velle, & sub pœnitentia modo Dominum sibi propitium facere velle.* Tunc *Episcopi* tres & quadraginta, Synodaliter congregati, *secundùm confessionem ipsius manu suâ propriâ roboratam & testimonium confessorum suorum decreverunt, ut à Ministerio recederet Pontificali, & aliis orationum officiis & excubiis Domino serviendo eum sibi propitium faceret.* An Synodico huic Decreto paruit, quando fugit è Cœnobio Floriacensi, seque clàm recepit ad Lotharium cum Fulcone Abbate perduellionis æquè reo? An illâ præcipiti clandestinâque fugâ jus sibi comparavit repetitionis aut interpellationis auctoritate canonicâ faciendæ contra subscriptionem, quâ priùs abdicationem sui manu propriâ firmavit? An auctoritate canonicâ suam recepit Ecclesiam cui per vim restitutus est ab invasore fraterni Regni?

LXXVI. Denique libellum Apologeticum sic claudit Ebo. *Post quam verò persecutionem succedente offensi Principis glorioso hærede Hlotario Cæsare, mox mihi Ecclesiastica restituta est concordia, & vacantem Ecclesiam, quam quondam violenter amiseram inveniens, non præsumptivè sed repetentibus ibi sanctis Ordinibus debitè septennem ferè post satisfactionem recepi, assistentibus cum Principe magnificis Præsulibus plurimis, quorum auctoritate omnium revocatus hanc annotationem futuris temporibus recitandam, scriptis his memorabilibus in universa Ecclesia Dei Catholica manifestam fieri placuit, & sinistras opiniones falsorum fratrum hac certâ veritate prolatâ delere, sanctis verisque fratribus in his omnibus satisfacere decuit, & plùs de gratiâ recuperationis congaudere, quàm de nequitiâ damnationis dolere, suggerens, sicut oportuit, festiva hac restitutio Deo dignis posteris procurabit.* Ebo non per vim armatam sed per auctoritatem canonicam sua pulsus est ab Ecclesia, eidem autem Sedi redditus est non per auctoritatem canonicam sed per vim armatam cùm Lotharius in Caroli fratris Regnum hostilem irruptionem fecit. Hæc ad refutandum Ebonis Apologeticon sufficiant.

LXXVII. Ex prædictis patet commentitias esse literas, per quas Gregorius Papa Quartus Episcopis & Orthodoxis fidelibus Ebonem Archiepiscopum Remensem depositum pristino statui restitutum à se significat in Sirmundana posterioribúsque Conciliorum Collectionibus, sic. *Gregorius Episcopus servus servorum Dei, Reverentissimis in Christo Sanctissimísque fratribus Coepiscopis, cunctis quoque Principibus Orthodoxis, & universis Catholica Ecclesia fidelibus. Cùm divinâ instigatione solliciti circa gregem Dominicum diligenti curâ semper invigilare debeamus in prosperis quantò magis in adversis nimiis, quæ pro peccatis contigerunt nunc in diebus nostris? Sicut dolendi sunt illi, qui inter flagella Dei malignâ semper intentione perseverando pereunt, ita & congratulandi, non abjiciendi sunt, qui correpti tantâ castigatione, corde contrito & humiliato se corrigibiles reddunt, super omnia etiam magnificandi sunt, qui in pressuris corde perfecto & optimo probati, salutaribus exemplis fructum vitæ inviti minoribus conferunt. Gratias igitur immensas Domino Deo nostro meritò agimus, carissimi, pro tanto triumpho vestro, qui inter medias mundanas acies & nimias tentationes Diabolicas, vos examinando probavit, atque sibi servavit inlæsos, ita ut neque in dexteram neque in sinistram declinantes, offensionem Dei vitando, cautissimâ subtilitate mundana pericula superastis, sicut & inter multa alia magna certamina vestra, non fuisse minima fratris nostri Ebonis Archiepiscopi causâ, ut & per multos relatores fideles sæpè comperimus, quòd nec canonicè vocatus, sed violenter ab Ecclesiâ raptus, diversáque exilia passus, artâ quoque sub custodiâ trusus, nullo certo crimine convictus, nec sponte confessus, quia absente Ecclesiâ suâ alterius sub potestate erat constrictus, & sic à mundanâ potentiâ vobis adductus est discutiendus vel deponendus. Quam ergo vulgò natam irrationabilem vim compatiendo mirabili circumspectione placastis, cùm furores persequentium humili satisfactione ejus sic mitigastis, quatenus divinam vel humanam offensionem pariter evaderetis, sic-*

AN. CH. 840. LOTHAR. IMP. 24. LUDOV. R. 24. CAROLI R. II.

*que fratrem inlæsum aptiori tempore providâ industriâ reparandum servastis, sicut & de veris Christi membris legitur, [cùm patitur unum membrum, compatiuntur cætera membra.] Claruit etiam hæc benigna intentio vestra, dum quantulâcumque vocis Ecclesiasticâ pace, mox Imperiali Episcopalique auctoritate in Sede restitutus debitâ, cui facta fuerat direptio violenta, ibíque publico ex consensu Pontificale, ut debuit, recepit & gessit solitum officium, donec succensus iterum litibus Principum, pro pacificandâ dirâ seditione cum cæteris Regni fidelibus se obtulit. Quâ mitigatâ, protinus repentinâ Imperiali Jussione, pro concordiâ & unitate Christiani populi, partibus Orientis directus, Præceptoribus suis libenter pro viribus obedivit. Quibus autem omnibus sic laudabiliter actis, votum visitationis, quod in angustiis suis Domino vel Beato Petro principi Apostolorum vovit, multis laboribus fessus ad Sedem Apostolicam tendens promissa fideliter implevit. Qui & Sancti principis Apostolorum suffragiis fidus, cui ligandi solvendíque divinitus erat data potestas, sicut eum à corporalibus eripuit periculis, ita & propitius à cunctis peccatorum absolveret vinculis. Quapropter & nos * hæc omnia diligenter considerata, ipsam confessionem, quam secretè vobiscum egit, nobiscum & per omnia contulit. Subscriptionem etiam, quam perterritus ut evaderet, composuit, similiter & Sancta Romana Ecclesia ostendendo satisfecit. In quibus verò omnibus, quia certum depositionis aut legitimæ absolutionis crimen nullum reperimus, ideo inviolabili caritati vestræ fidenter ipsum committimus, quia si absque crudeli persecutione ejus possibile est, unà vobiscum illum debitæ Sedi restituendum cupimus, alioquin tamen non oportet Episcopos divinitus sibi consortem negligere Episcopum, cui non solùm similiter, sed etiam per pœnitentiam innovatum sanctum ipsius Dignitatis spiritum Davidicâ recuperatione, qui pœnitens Spiritu sancto recto sive principali innovatus atque confirmatus, summâ cum fiduciâ etiam & impios posteà docendos & revocandos pro Domino Deo suo spopondit, perpetuísque benignitatis exemplis exsolvere fideliter procuravit. Nam & summus Apostolorum, cujus vicem indigni gerimus, si discipulatum in periculis negavit, non tamen abjectus, sed piè revocatus, pristinam Dignitatem obtinuit, & quomodo aliis miserandum esset in semetipso didicit. Pater insuper ille Evangelicus largâ pietate prodigum filium non repulit, sed perditum gavisus recepit, honoratúmque statui pristino reparavit. Ipse etiam veris sectatoribus suis instituit dicens, [estote misericordes, sicut & pater vester misericors est] quia & beatos esse misericordes in cunctis mundi partibus copiosus in misericordiis idem Dominus dominantium declaravit. His etenim multiplicibúsque veteris ac novi Testamenti documentis instructi Evangelicam atque Ecclesiasticam dispositionem fideliter agimus, si persecutionem passis, & ad aliam civitatem confugientibus Episcopis proficiendi in locis vacantibus liberam annuimus facultatem. Quantò magis huic præfato fratri nostro, qui quondam ex Gloriosi Cæsaris totiúsque Imperii consensu nobis conjunctus, & Apostolicis Privilegiis insolubili caritatis vinculo Sancta Romana Ecclesia confirmatus? Ubi & evangelizandi Legatione perceptâ, quocumque meliùs poterit proficere loco, pro viribus ita semper insistat, ut à divino cœpto negotio lucrandíque talento nequaquam deficiat, quia sicut de neglecto tanto officio illi divinam offensionem, ita & impedientibus cælestem indicimus ultionem, & sicut adjutoribus ejus divinam imploramus gratiam, ita & nocentibus, quam non optamus, terribilem damnationis denuntiamus vindictam. Quâ denique summâ auctoritate undique munitum, more prædecessorum nostrorum, ipsum sacro Ordini nostro meritò adscribimus, vel omni pristino Episcopali officio decoratum esse præfigimus, sive scriptis his publicis dignè permanendum inviolabili confirmatione, sicut in Privilegiis ejus prioribus continetur, jure Apostolico roboramus.*

* Locus corruptus.

Jacobus Sirmundus, qui primus epistolam hanc ex Codice Sanctæ Mariæ Laudunensis in Appendice ad Concilia Galliæ Tomo tertio publicavit, brevem notam sic ex eodem Codice Laudunensi subjecit. *Cod. Laudun. hæc compilata epistola ex parte Gregorii quàm sit mendax, ipsa evidens ratio monstrat, quia tempore Gregorii, ex cujus nomine ista conscribitur, Imperator Hludowicus ab Imperio est depulsus, & Ebo post restitutionem ipsius Imperatoris suo & Episco-* LXXVIII.

AN. CH. 840.
LOTHAR. IMP. 24.
LUDOV. R. 24.
CAROLI R. II.
LXXIX.

pali judicio est depositus, & à Sergio successore Gregorii sub laica tantùm communione est condemnatus. Pluribus non opus est argumentis, cùm priùs obierit Gregorius, quàm gererentur multa, quæ literis ab eo mandata perhibentur.

CORPUS S. CASSIANI ÆDUENSIS OLIM EP. TRANSFERTUR AD MON. S. QUINTINI.

In Codice manuscripto, qui quorumdam Sanctorum Vitas complectitur, post Sancti Cassiani Augustodunensis Episcopi vitam subjiciuntur ejus Miracula, & in sexdecim capita distribuuntur à Scriptore Viromanduensi atque synchrono, qui patriam suam ac ætatem in ipsius operis prologo sic prodit. *Illa ergo scribimus, quæ, postquàm Dei dispositione factum est, ut de Æduorum finibus ad nostros transiret, clarâ luce manifestata noscuntur, partim nostris conspecta visibus, partim eorum relatione comperta, qui sæpiùs adesse potuerunt. Nam ex eo tempore quo gloriosam animam cælo restituit, quod creditur Theodosii Senioris fuisse temporibus, usque ad tempus Hludowici Imperatoris Augusti, eodem videlicet anno quo temporis sui horam clausit, per annos CCCCL, idcircò nihil scribimus, quia manifestè non comperimus.* Deinde Historiam Translationis ac Miraculorum sic orditur. *Anno Dominicæ Incarnationis octingentesimo quadragesimo, præsidente Augustudunensium Cathedra Motuino Venerabili Episcopo, Hugo Abba Monasterii sancti Quintini mittens ad eum Legatos suos, corpus beatissimi Cassiani, quod per semetipsum priùs postulaverat, expostulavit. Cujus petitioni supranominatus Episcopus, propter multum amicitiæ respectum reverentiæque modum, concessit effectum, continens observantiam Excellentissimorum Imperatorum, quorum ipsius Abbatis Karolus Augustus genitor erat, alter verò frater beatissimus Imperator Hludewicus. Collectum denique reverenter sancti Cassiani corpus per sacerdotes suos, quos pro hoc supradictus Abbas direxerat, cum epistola sua misit. In quo itinere, quia necesse erat secretiùs propter tumultum populi Augustudunensium civitatis fieri, nihil signorum apparuit præter quòd unus ex coitinerantibus cujus vulnus in mamilla intumuerat, cùm gravi ob hoc molestiâ ut remaneret urgeretur, Cassiani beatissimi merita invocavit, sanitatémque pristinam promeruit, fide in eo operante, tantóque Pontifice pro eo meritis interveniente. Postquàm ergo infra Laudunensium Comitatum venit, supradictus Abbas cum sacerdotibus, Ecclesiastico quoque ordine, cum magno gaudio reverenter occurrit, susceptúmque corpus pretiosis aromatibus die alterâ condivit, & rore balsami perfudit, involutúmque sindone mundâ & pretiosâ purpurâ in loculo posuit ac elevatum sequenti die ad Monasterium Sancti Quintini ferri præcepit.* In itinere atque in susceptione Reliquiarum, necnon Nonis Augusti, quo die festum beati Cassiani recurrebat, patrata sunt multa Miracula, quorum seriem longum esset hic referre. Agemus de sancti corporis tumulatione post quinquennium. Claudius Hemeræus in Regesto veterum Chartarum ac Monimentorum, quibus ad Augustam Viromanduorum illustrandam usus est, præcitatum Auctorem non omisit sub hoc titulo, *adventus Sancti Cassiani, ex Passionariis Ecclesiæ Sancti Quintini.* In contextu tamen Historiæ suæ, cùm ad Hugonem Abbatem & ad Sancti Cassiani Translationem pervenit, hanc asseruit factam *an. 842*, quia pluris fecit Sermonem *de tumulatione Sanctorum Christi Martyrum, Quintini, Victorici, & Confessoris Cassiani*, ejúsque lectione sibi facilè persuasit Sancti Cassiani corpus in Beati Quintini Basilicam allatum *anno Dominicæ Incarnationis octingentesimo quadragesimo-secundo, Regni quidem Ludovici Imperatoris Augusti vigesimo-octavo.* Sed Ludovicus Augustus nec annum Imperii sui vicesimum octavum attigit, nec vixit ad annum usque Redemptoris octingentesimum quadragesimum-secundum. Idem Hemeræus ait ab Hugone Abbate requisita sacra pignora, quæ utroque latere sepulchrum Sancti Martyris Quintini decorarent, & antequàm Sancti Cassiani corpus Augustoduno deferretur, actum *de Sancti Audomari corpore in Veromanduos asportando*, sed ut irritum hunc Hugonis conatum in annum Redemptoris octingentesimum quadragesimum-tertium rejiciamus, suadet qui totum negotium in primo libro [a] de Miraculis Sancti Bertini descripsit Folcardus.

[a] Cap. 8.

AN. CH. 840. LOTHAR. IMP. 24. LUDOV. R. 24. CAROLI R. II.

Sicardus Dux fuit seu Præfectus Beneventanus *ann.* VI. *menſ.* X. Deinde Radelchis idem exercuit munus *ann.* XI. *menſ.* X. Utrumque testatur apud Camillum Peregrinium Anonymus, qui Beneventi vixit in Monasterio Sanctæ Sophiæ. Sicardus igitur ab anno Redemptoris octingentesimo trigesimo-tertio ad hunc usque annum Beneventanâ defunctus est Præfecturâ. Jure vituperatur ab Erchemperto [a], quòd perversis cujusdam Roffridi consiliis deceptus *germanum suum, Siconolfum nomine, gratis perpetuo damnarit exilio, cunctosque Beneventanæ gentis Proceres aut custodiis aut morti indiderit*, necnon etiam quòd *Majonem cognatum suum tonderi* jusserit, *& in Monasterium retrudi; Alfanum denique, quo nemo fidelior eo tempore fuit, virum illustrem ac fortissimum robore laqueo suspendi* fecerit. Apud eundem Auctorem [b] post Sicardi mortem Radelgisus ejus Thesaurarius regimen provinciæ suscipit, & Siconolfus Sicardi frater, qui tunc apud Tarentum exul morabatur, *à custodia carceris elapsus* bellum ciet domesticum, de quo plura suis locis. Hic tantùm observa ex Chronico Beneventano Vileronam Abbatissam, quæ Monasterio Sanctæ Sophiæ præerat, & à nobis jam laudata fuit, Sicardo Duci superstitem vixisse.

LXXX. DUCES BENEVENTANI.

[a] Num. II.
[b] Num. 14.

VILERONA ABBATISSA S. SOPHIÆ.

Ansovinus Camerinensis Episcopus ad Deum feliciter migravit anno sui Pontificatûs duodevicesimo, Redemptoris octingentesimo quadragesimo. Colitur tertio Idus Martii, qui dies obitûs fuit. Lege Eginum Monachum [c] in ejus vita, & Ughellum [d] in Episcopis Camerinensibus. Successit in Episcopatum Frantellus seu Frontellus, de quo rursum post quadriennium.

LXXXI. EPISCOPI CAMERINENSES.

[c] Ap. Henschen. d. 13. Mart.

Ad hunc annum laudatur Luitardus Spoletanus Episcopus, sub cujus Pontificatu repertum est quod in Campania jacebat inglorium Sancti Antimi corpus. Floruit hic Antimus Marco Aurelio Imperatore, & tertium obtinet locum in Episcoporum Spoletanorum Catalogo, quem consule Tomo primo Italiæ Sacræ.

[d] Tom. I. Ital. Sacr.

LXXXII. SPOLETANI.

Hoc quoque anno commendatur Theodoricus Episcopus Teatinus, cujus extat Diploma datum *anno, Christo propitio Imperii Domini Lodoici Imperatoris* XXVII, *per Indictionem tertiam*, XII *die mensis Madii.* In illo Diplomate Theodoricus ait velle se Canonicam instruere & reconciliare in Ecclesia Beati Justini. Verbum *instruere*, ad materialem habitationem; verbum *reconciliare*, ad spiritualem Canonicam, sive ad morum regulæque collapsæ reformationem refert Ughellus, apud quem, si lubet, integrum Diploma lege [e].

LXXXIII. TEATINI.

[e] Tom. 6. Ital. Sacr. in Ep. 4. Teatin.

Petrus Maria *Campi* Canonicus Placentinus in Historia Placentina [f] testatur Ecclesiæ Placentinæ Episcopum ordinatum hoc anno Sofredum seu Seufredum vel Seufridum aut Gofredum, cujus decessor Podus anno priore vitam clauserat. Extat apud eundem Auctorem Diploma ex Archivo Majoris Ecclesiæ Placentinæ descriptum, quod datum legitur *anno, Christo propitio, Imperii Domni Hlotarii Piissimi Imperatoris, Papiâ civitate Palatio Regio*, id est, hoc anno, cum Sofredus jam suscepisset Episcopatum, & Lotharius à die, quo Romæ coronatus fuerat Imperator, annum Imperii sui duodevicesimum numeraret, atque in Papiensi Palatio commoratus nuntium de patris obitu nondum audiisset. Hæc autem innuunt alios Characteres, qui petuntur à mense & ab Indictione, corrigendos esse. Certè illud Diploma non emissum fuit mense Novembri, Indictione seu quintâ seu primâ, quamvis mensis November cum Indictione prima & anno Lotharii Augusti duodevicesimo rectè conveniat. Lotharius enim per mensem Novembrem, anno Imperii sui duodevicesimo, Indictione primâ jam inchoatâ, sive anno Redemptoris octingentesimo quadragesimo, procul aberat à Papia civitate bello Gallicano contra Carolum fratrem intentus. Mensis igitur Maius aut Junius cum Indictione tertia restituendus videtur. Hac observatione præmissâ Lotharianum Præceptum accipe. *In Nomine Domini nostri Jesu Christi Dei æterni. Hlotarius divinâ ordinante providentiâ Im-*

LXXXIV.

[f] Lib. 7.

PLACENTINI.

AN. CH. 840. LOTHAR. IMP. 24. LUDOV. R. 24. CAROLI R. II.

perator Augustus. Omnibus fidelibus Sanctæ Dei Ecclesiæ & nostris, præsentibus scilicet & futuris notum sit, quia Vir Venerabilis Sofredus Sanctæ Placentinæ urbis Ecclesiæ Episcopus nostræ innotuit Pietati, qualiter multa contra eum vel Ecclesiam suam callidorum hominum fuissent tergiversationes seu inquisitiones pro ejusdem Ecclesiæ rebus atque familiis, unde necessarium erat in aliquibus causis subtilem adhiberi nostræ auctoritatis inquisitionem pro stabilimento & utilitate ejusdem Ecclesiæ. Quapropter præcipimus atque omnino jubemus, ut ubicunque nec . . . e dixerit habere pro rebus atque familiis præfatæ Ecclesiæ, subtilis valde prudent . . . imaque adhibeatur inquisitio per idoneos homines, quos ipse aut Advocatus ejusdem Ecclesiæ nunciaverit, ita ut justissimo libramine ejus justitiâ inquisitâ Sanctum Antoninum apud Dominum mereamur habere intercessorem, nobisque sempiternale compendium sit in futuro. Ut quoque hæc nostræ auctoritatis pagina plenioerem in Dei Nomine habeat vigorem, & per futura tempora inconvulsam firmitatem, de annulo nostro subter jussimus sigillari. Dra . . ius Subcancellarius atque Notarius ad vicem Egilmani recognovi & subscripsi. Data V Idus Maii*, anno, Christo propitio, Imperii Domni Hlotarii Piissimi Imperatoris Augusti XVIII, Indictione III*. Actum Papiâ civitate Palatio Regio, in Dei Nomine feliciter. Amen.* In hoc Diplomate mentio fit Sancti Antonini, quia Placentini tanquam Protectorem suum venerantur Sanctum Antoninum prope Trebiam fluvium Martyrio sub Imperatore Diocletiano coronatum.

* Sic habet Ughellus.

* Edit. malè Novembris.

* Edit. malè V. & I.

LXXXV. Adelgisius Novariensis Episcopus hoc etiam commendatur anno in antiquo Diplomate Lotharii Augusti dato Papiæ Indictione tertiâ. Meminit hujus Diplomatis Ughellus [a], sed annum Lotharii Augusti vicesimum cum Indictione tertia malè comparat. Anni vicesimi loco decimum septimum ante Pascha vel duodevicesimum post Pascha restitue. Recitat idem Auctor aliud Diploma, per quod Adelgisius multa bona Canonicis Sancti Gaudentii pro remedio animæ suæ ac parentum suorum indulsit. At ista Donatio Chronologicis Characteribus destituitur, ideóque quonam facta sit anno, deprehendi non potest. Fuit Adelgisius sanctimonia vitæ longè clarissimus. Clerum juvit opibus, & exemplis probitatis pavit. Munificus extitit erga Canonicos cùm Ecclesiæ Cathedralis tum Sancti Gaudentii. Colitur Nonis Octobris. Annos sedit novemdecim. Ergo, si Chronologiam Novariensium Episcoporum ad annum Redemptoris octingentesimum undecimum [b] benè assecuti sumus, hoc anno feliciter ad Deum migravit. Successit in Episcopatum Odo.

a Tom. 4. Ital. Sacr. in 31. Ep. Novar.

NOVARIENSES.

b Num. 33.

LXXXVI. Non minor occurrit difficultas in Episcoporum Veronensium Catalogo. Si fides est Ughello [c], Rotaldus, cujus sæpè meminimus, Mantuanam Synodum cum aliis Præsulibus anno Redemptoris octingentesimo vicesimo-quarto celebravit, eique successit Audus, tum Rotaldus Secundus, cujus mentionem ad hunc annum Redemptoris octingentesimum quadragesimum facit Peretus. At Panuinus unum duntaxat Rotaldum agnoscit. In eam imus sententiam, & Rotaldum, quem anno Redemptoris octingentesimo tricesimo-quinto superstitem probavimus, existimamus ad octingentesimum quadragesimum pervenisse. *Rotaldus hujus nominis Secundus reponitur inter hujus urbis Antistites à Pereto in suo Catalogo anno 840. De quo nihil aliud inveni apud quempiam, neque in monumentis.* Hæc Ughellus de Rotaldo Secundo, quem exinde non temerè suspicabetis esse suppositititium, maximè cùm ita jam censuerit Panuinus auctoritate Pereto & Ughello longè præstantior. Audus sive Audo, qui medius duos inter Rotaldos exhibetur, loco moveri debet, utpote Ludovico Augusto Pii nepoti synchronus, Pio verò nequaquam. Ughellus, ut Audonem sub Ludovico pio floruisse comprobet, è Tabulario Cœnobii Sanctæ Mariæ in Organo profert duo duntaxat Diplomata, quorum unum est Ludovici Augusti caretque Notis Chronologicis, alterum est ipsius Audonis Episcopi cum hoc exordio. *In Nomine Domini Jesu Christi. Imperante Domino nostro Hludovico*

c Tom. 5. Ital. Sacr. in Ep. Veronens.

VERONENSES.

Magno

Magno Imp. anno 11. *sub die* 15 *Aug. Indict.* 8. *feliciter.* At hi duo Characteres, qui sumuntur ab annis Imperii Ludoviciani & ab Indictione, non parum inter se dissident. Undecimus annus Ludovici Imperatoris cognomento Pii per mensem Augustum cum anno Redemptoris octingentesimo vicesimo-quatto comparatur, octava Indictio per eundem mensem cum anno Redemptoris octingentesimo tricesimo convenit. Ughellus stat ab Indictione, & Diploma de quo disputamus, sive Audonis Episcopi Testamentum anno Redemptoris octingentesimo tricesimo confectum Ludovico Pio Imperatore contendit. Ut opinioni suæ plùs auctoritatis conciliet, Mantuanam Synodum anno Redemptoris octingentesimo vicesimo-quarto consignat, additque nullam post hoc Concilium memoriam extare illius Rotaldi, quem Audonis decessorem constituit. De tempore Synodi Mantuanæ disputatum suprà. Celebrata est anno Redemptoris octingentesimo tricesimo-quinto. Rotaldus igitur ad istum saltem annum superstes fuit, nec anno Redemptoris octingentesimo tricesimo Audo sedit. Fortè quis dicet in Audonis Diplomate, cùm *annus* 11 Ludovici Augusti cum Indictione octava per mensem Augustum componitur, non annum undecimum Arabico Charactere, sed annum secundum notis Romanis intelligi, annúmque Ludovici Augusti secundum per mensem Augustum cum Indictione octava & anno Redemptoris octingentesimo decimo-quinto convenire, sicque duos Audone intermedio Rotaldos distinguet, unum qui Pontificatum inierit anno Redemptoris octingentesimo secundo & Audonem antecesserit, alterum qui post Audonem sedere cœperit exeunte anno Redemptoris octingentesimo decimo-quinto, nefaria Bernardi Regis consilia revelarit anno Redemptoris octingentesimo decimo-septimo, Mantuanæ Synodo cum aliis Præsulibus anno Redemptoris octingentesimo tricesimo-quinto adfuerit, & vitam ad annum usque Redemptoris octingentesimum quadragesimum prorogarit. Sed nec anno Redemptoris octingentesimo decimo-quinto Pontificatum gessit Audo. Publicatæ sunt ab Ughello literæ Ludovici Pii datæ *Aquisgrani*, XIII *Kal. Decemb. Indict.* VIIII. Omissus est annus Imperii Ludoviciani, quia legi non potuit in exemplari. Sed toto Ludovici Imperio, quod annorum septem ac viginti fuit, bis tantùm contigit, ut mensis November Indictioni nonæ illigaretur, semel anno Redemptoris octingentesimo decimo-quinto, iterum anno Redemptoris octingentesimo tricesimo. Literas autem illas anno Redemptoris sive octingentesimo decimo-quinto sive octingentesimo tricesimo scriptas arbitreris, Rotaldum necesse est fateatis in vivis tunc fuisse, nec alium à Rotaldo, qui Pippini Regis opibus adjutus Ecclesiam ac Cœnobium Sancti Zenonis reparavit, ejúsque corpus in novam Basilicam ex antiquo Oratorio transtulit duodecimo Kalendas Junias, anno Redemptoris octingentesimo septimo. Nullus igitur Audoni locus inter Veronenses Episcopos ætate Ludovici Pii relinquitur, nihilque vetat quominùs idem Rotaldus, qui Pontificatum anno Redemptoris octingentesimo secundo suscepit, annos in Episcopatu expleverit duodequadraginta, perveneritque ad annum Christi quadragesimum supra octingentesimum. Hujus successorem alii Agninum, Algorium alii vocant & Aginum.

AN. CH. 840. LOTHAR. IMP. 24. LUDOV. R. 24. CAROLI R. 11.

LXXXVII. AUGUSTANI. Ad hunc annum pervenit Hauto sive Hanto Episcopus Augustanus, cui successit Waltherus. Utriusque meminerunt Bruschius in Augustanorum Episcoporum Catalogo & Bucelinus in prima parte Germaniæ Sacræ. In eadem Augustana Diœcesi mortuus est Idibus Augustis hoc anno Gotthardus Abbas Campidonensis, eique datus est successor, qui Frisingensem Episcopatum ante quadriennium jam susceperat Erchenbertus sive Eccenbertus, aliis dictus Adalbertus & Adelbertus. Lege Indices Abbatum Campidonensium apud Bruschium in Chronologia Monasteriorum Germaniæ, & apud Bucelinum in secunda parte Germaniæ Sacræ.

ABBATES CAMPIDONENSES.

AN. CH. 840. LXXXVIII. JOANNES ABRINCENSIS EP. RADULPHUS LUTEVENSIS EP. [a] Num. 10.

Apud Sammarthanos hoc anno memoratur Joannes Abrincensis Episcopus, & in Armorica Sancta ponitur obitus Mainonis Aletensis Episcopi cui subrogatus est Salaco. Tunc Gregorius Quartus Papa decimum-tertium Pontificatûs annum agebat, eodémque anno mandavit Archipresbytero & Archidiacono Narbonensis Ecclesiæ, ut Radulphi Lutevensis Episcopi querimoniam audirent exciperéntque contra Capellanos Ecclesiarum Sancti Laurentii & Sancti Bartholomæi, qui denegabant ei obedientiam & reverentiam Episcopo proprio debitam, atque re cognitâ jus illi facerent authoritate Pontificiâ sibi subdelegatâ. Lege Joannem Plantavisium in Præsulum Lodovensium [a] Chronologia.

LXXXIX. LESATENSE MON.

Tomo quarto Galliæ Christianæ, primordia Lesatensis Monasterii sic à Sammarthanis retexuntur. *Lesatense Cœnobium ad Lesam fluvium in inferiori Comitatu Fuxensi, quintâ supra Tolosam leucâ, in antiqua Diœcesi Tolosana, nunc Rivensi, inter fluvios Aurigera & Garumna, in loco humido & parum sano circa annum Christi 840 ab Attone Vicecomite Biterrensi fundatum, & sub titulo Sanctorum Apostolorum Petri & Pauli die 18 Januarii consecratum est pro Monachis Ordinis S. Benedicti.* Guillelmus Catellus libro quarto Historiæ Linguodochianæ in Tractatu de Vicecomitibus Biterrensibus, omnium antiquissimum agnoscit illum, qui Lesatum * illustre Monasterium erexit, eúmque non Attonem sed Antonium nuncupat ex hac oratione quam postridie Kalendas Novembris, die videlicet quo Commemoratio fit omnium fidelium defunctorum, Lesatenses Monachi recitare consueverunt. *Omnipotens æterne Deus, cui nunquam sine spe misericordia supplicatur, propitiare animæ famuli tui Antonii Vicecomitis Biterrensis fundatoris nostri, & animabus famulorum famularúmque tuarum, ut qui de hac vita in tui nominis confessione decesserunt, Sanctorum tuorum numero facias aggregari. Per Christum Dominum nostrum.* Hæc oratio quot annis solenniter in Ecclesia Lesatensi bis decantatur, semel feriâ secundâ post Dominicam primam Quadragesimæ, iterùm quarto Nonas Novembris. Utrumque diem sic notant Sammarthani. *Fundatoris Attonis memoriam & anniversarium bis quot annis recolit conventualiter Monasterium Lesatense, feriâ scilicet 2 post Dominicam 1 Quadragesimæ, & die 2 Novembris, quibus diebus itur processionaliter ad Altare Sancti Benedicti, & ibi expressa pro fundatore oratio decantatur, juxta antiqua MS. Cœnobii documenta.* Catellus Lesatense Monasterium valdè antiquum dicit, quia vidit instrumentum Donationis, quam Guillelmus Pictaviensis ac Tolosanus Comes Odoni Abbati Lesatensi fecit anno Christi millesimo centesimo decimo-quinto. Sed ab Abbate Daniele, qui Lesatense Monasterium anno Christi nongentesimo tricesimo-septimo, ad prædictum usque Odonem qui Cœnobio præerat anno Christi millesimo decimo-quinto, Sammarthani continuam nec interruptam Lesatensium Abbatum seriem publicarunt; imò Danieli novem præposuerunt Abbates initiis Monasterii vel à Ludovico Pio vel ab ejus patre Carolo Magno repetitis. Horum Abbatum, si solum Asuarium sive Asnarium excipias, nuda duntaxat hæc habentur nomina, Amelius, Adstare, Quarinus, Atvertus, Aureolus, Vidianus, Daniel, Benedictus. In antiquis autem monumentis Asuarius sive Asnarius ita commendatur. *Vicecomes Asnarius rebus Monasterii Patriciani *, quod fundavit & dotavit, rectè ordinatis & benè dispositis, seculum despiciens, terrena relinquens, cælestia petens, Lesatense quarens Cœnobium, inibi Monachorum habitum sumpsit, potiteà Abbas inde factus recto itinere ad cælicas sedes venisse creditur.* In capite Lesatensium Abbatum ponitur à Sammarthanis, non temporis sed dignitatis ac potissimum Sanctitatis ratione, cùm tempus ignoretur quo vixit. Certè Lesatensium Abbatum antiquissimus censeri non debet, priùs enim quàm illius loci fieret Abbas, Monachum illic egit. Cultui venerationique Beatissimæ Virginis semper addictissimus fuit, sub cujus nomine Monasterium Patricianum condidit ac dotavit, antequàm in Lesatensi Monasticam vi-

* Lezat.

* De Peyrissac.

cam profiteretur. Plura de Lesatensibus Abbatibus fermè ad medium us- AN. CH.
que decimum seculum non occurrunt. 840.

Beneficio Clarissimi Viri Antonii *de Vyon* Domini *d'Herouval* nostras in XC.
manus venit nuperrimè Codex sic inscriptus. *Hæc sunt quæ continentur in* ABBATES
libro cui titulus. De reparatione Chartarum. Vulgò liber rubens, editus à Mona- CALMINIA-
cho Monasterii Sancti Theofredi de mandato Guilhermi quarti Abbatis creati an- CENSES.
no 1087. In hoc manuscripto Codice, quo sæpiùs usuri sumus, Dructa-
nus Abbas Cœnobium regit anno Ludovici Augusti postremo, ut mox
probaturi sumus. Calminius seu Calmelius * Dux insignis illustre Monas- * *S. Carme-*
terium in Aniciensi Diœcesi propriis sumptibus ædificavit, quod à condi- *ry.*
toris nomine dictum est Calminium, Calmelium, Calminiacum & Cal-
meliacum. Illius loci primus Abbas constitutus est Eudo, deinde nepos
ejus ex fratre Theofredus. Lege Tomo quarto, quæ dicta sunt illo de Cœ-
nobio ad annum Christi sexcentesimum octogesimum-primum [a] quo con- [a] Num. 72.
ditum fuit, & ad annum Christi septingentesimum tricesimum-secundum [b] [b] Num. 77.
quo direptum fuit à Saracenis, Theofredo Abbate lethalibus vulneribus
ab iisdem affecto. Ludovicus Caroli Magni filius, Rex Aquitaniæ, multa
in Aquitania reparavit, imò à fundamentis ædificavit Monasteria. In illo-
rum numero ponitur ab Astronomo *Monasterium Sancti Theofridi*, seu Cœ-
nobium, quod ut à Sancto Calminio conditore Calminium primò nuncu-
patum est, sic & assumpto pòst Abbatis Theofredi nomine Monasterium
Sancti Theofredi sive Sancti Theotfridi vocari cœpit, atque etiamnum
appellatur, vulgò *Saint Chaffré*. Post instauratum Monasterium primus Ab-
bas extitit Bodo, cujus mentionem Pippinus Aquitaniæ Rex, Ludovici Pii
nepos, in suo Diplomate, quod ad annum Redemptoris octingentesimum
quadragesimum-quintum recitabimus, ita fecit. *Veniens Vir Venerabilis Gual-
terius Abbas ex Cœnobio, qui dicitur Calmilius, & est situm in pago Vellaico,
constructum in honore Beati Petri Principis Apostolorum, & Sancti Theofredi, ubi
ipse corpore quiescit, obtulit obtutibus nostris authoritatem conscriptam, in qua erat
insertum, quòd ipsum locum Berengarius Comes Domino Ludovico Piissimo Cæsari
Augusto avo nostro ad habendum in proprium obtulerit, & ipse postmodum Pius
Cæsar ob perpetuæ vitæ meritum Monachis in eodem loco degentibus & Venerabili
Bodoni Abbati, hujus scilicet Gualterii antecessori, eorúmque successoribus, ad gu-
bernandum atque perennè regulariter vivendum jure proprio tradidit ac consigna-
vit.* Berengarius Comes, quem Pippinus in hoc textu laudat, Wallagiæ
seu Vellavorum Comes fuit post Bullum, quem Carolus Magnus anno
Christi septingentesimo septuagesimo-octavo Comitem constituit, quando
res Aquitanicas ordinavit, ut Tomo sexto [a] ad illum annum ex Astrono- [a] Ad an. 778.
mo retulimus. Abbatum Calminiacensium successionem, sub Ludovico nu. 8. & seqq.
Pio nonnulli, quia præcitatum Pippini textum malè interpretantur, obscu-
riorem faciunt; Bodonem, quem Pippinus *antecessorem Gualterii* dixit, fin-
gunt Gualterii decessorem, cui Gualterius proximè successerit. At hæc
opinio stare non potest cum allegato Pippini Diplomate. Pippinus Indi-
ctione octavâ sive anno quinto post Ludovici patris mortem edit Præce-
ptum Gualterio tunc Abbate, testatúrque Bodonem Abbatem extitisse
temporibus ejusdem Ludovici. Ductanus autem, ut mox ostensuri sumus,
Abbas erat mense Maio, anno Ludovici Augusti vicesimo-septimo, sive
anno Redemptoris octingentesimo quadragesimo, vitámque clausit mense
Januario, ita ut ad annum Christi saltem octingentesimum quadragesimum-
primum pervenerit, vixerítque superstes eidem Ludovico Augusto, cujus
obitus anno Redemptoris octingentesimo quadragesimo mense Junio con-
signatur. Ergo Ductanus, qui Monasterium eo regebat tempore quo Lu-
dovicus Imperator obiit, in Abbatum Catalogo anteponi debet Gual-
terio qui florebat anno post ejusdem Ludovici mortem quinto, post-
poni verò Bodoni qui munus Abbatiale gessit eodem Ludovico Imperato-

AN. CH. 840. LOTHAR. IMP. 24. LUDOV. R. 24. CAROLI R. 11.

re. Calminiacensium igitur Abbatum, de quibus hic disputamus, hæc series esto.

I. Bodo Abbas post instauratum Monasterium sub Ludovico Pio.

II. Dructanus fit Abbas sub Ludovico Pio, eique superstes vivit.

III. Gualterius Abbas Pippinum Regem adiit anno quinto post obitum Ludovici Pii.

XCI. Præter Codicem suprà laudatum, quem Calminiacensem vocabimus, nacti sumus & Catalogum Abbatum ex eodem Codice concinnatum ad Guillelmum usque Quartum, sive ad annum usque Christi millesimum octogesimum-septimum, deinde auctum nudis nominibus ac Chronologiâ subsequentium Abbatum ad annum usque Christi millesimum sexcentesimum septuagesimum-nonum quo hæc scribimus. In illo Catalogo primus locus Bodoni, Dructano secundus, tertius Gualterio tribuitur. In Codice reperitur Notitia Donationis, quâ *Placentius & uxor sua Christina, & Amalfredus & uxor sua Aufreda, visi sunt tradere ipsas res, quæ sunt in pago Vellaico sui juris, in villa, cui vocabulum est Avoiaco, Monasterio Sancti Petri, cui vocabulum est Calmilius, ubi Sanctus Theofredus & Sanctus Eudo in corpore requiescunt, quod Dructanus Abbas in regimine habet; de ipsa villa medietatem sub integro, id est, casis, tectis, adificiis, hortis, pratis, pascuis, sylvis, aquis, aquarumque decursibus, cultis & incultis; de omnibus medietatem ad ipsum Abbatem tradiderunt.* &c. *Facta* dicitur *hac Donatio die Martis* (lege Mercurii) XIIII. *Kal. Junii, regnante Domino nostro Ludovico Imperatore, Francorum Rege atque Longobardorum, anno* XXVII, *feliciter.* Id est, decimo-quarto Kalendas Junias, anno Redemptoris octingentesimo quadragesimo, cùm superstes in vivis adhuc esset Ludovicus Imperator, cujus obitus hoc eodem anno, duodecimo Kalendas Julii, die Dominico contigit. Fuit hic annus bisextilis, habuírque duas Dominicales literas, D ante bisextum, & C post intercalatum bisextum, ideóque reponendum monuimus diem Mercurii, quia decimo-quarto Kalendas Junii præfigitur in Kalendario litera F.

XCII. Ut annus ignoratur quo Dructanus in Monasterii regimen Bodoni successit, sic & annus nescitur quo vitam terminavit. Vixit Ludovico Pio superstes, obiit enim Idibus Januariis, an autem proximis post ejusdem Ludovici non liquet. Ad illas Idus in Necrologio Calminiacensi Dructanus memoratur eum dupicli titulo Præsulis & Abbatis. Quapropter Episcopus & Abbas in Catalogo jam citato commendatur. Sedes Episcopatûs haud longè quærenda. Post Roricium locus inter Anicienses Episcopos tribuendus videtur Dructano, cui successerit Arduinus sive Harduvinus ad annos Redemptoris octingentesimum sexagesimum & octingentesimum sexagesimum-sextum, ut suis locis ostendemus, in Conciliis Tusiacensi & Suessionensi notus.

EPISCOPI ANICIENSES.

AN. CH. 841.
LOTHAR. IMP. 25.
LUDOV. R. 25.
CAROLI R. 12.

ANNUS

CHRISTI		841.
LOTHARII	IMP.	25. 19. 1.
	REG.	27. 22. 19. 9. 4. 2.
LUDOVICI	REG.	25. 16. 7. 2.
CAROLI	REG.	12. 9. 7. 4. 2.
INDICTIO		4.

CAROLUS pridie Idus Januarias, Indictione quartâ, Bituricis, anno Regni sui post Ludovici patris obitum primo adhuc currente, sive anno Redemptoris octingentesimo quadragesimo-primo, Præceptum emisit, quo res cujuscumque generis Ecclesiæ Nivernensi vel ab avo Carolo Augusto vel à patre Ludovico Piissimo Imperatore vel à fratre Pippino Rege sub Episcopis Hieronymo & Jona collatas confirmavit Herimanno Pontificatum tunc gerente. Legit illud Diploma Coquillius, rectéque monuit eos hallucinari, qui, quod Carolo Calvo convenit, Simplici tribuunt. Quamvis enim uterque patrem Ludovicum, avum Carolum habuerit, Calvo frater fuit Pippinus, Simplici nequaquam; & Indictio quarta per mensem Januarium cum anno primo non Simplicis sed Calvi comparatur, ne quid dicamus de Imperatorio Ludovici Balbi titulo qui jure controvertitur. Adde quòd Simplicem anno primo Regni Bituricas profectum nemo scribit, id autem de Calvo testatur Nithardus Auctor coætaneus; cujus textum anno priore jam recitavimos, móxque necessariò repetituri sumos, ne quid ad illustrationem rerum Aquitanicarum omisisse videamur. I.

CAROLUS R. DAT PRÆCEPTUM PRO ECCLESIA NIVERNENSI.

Liber Cartarum Nivernensis Ecclesiæ Sancti *Cyrici* nuper nostras in manus venit beneficio Clarissimi Viri Antonii *de Vyon* Domini d'*Herouval*, cui quantas possumus gratias habemus. Hæc Collectio Chartas quindecim supra centum complectitur. Pletasque, cùm occasio se dabit, integras suis locis recitabimus. *Generale Privilegium*, seu Carolinum Diploma, de quo disputamus duabus Chartis, primâ scilicet ac tricesimâ, sic occurrit. *In Nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis, Carolus Gratiâ Dei Rex. Si igitur congruis & opportunis negotiis fidelium nostrorum cum sacris petitionibus pro commoditate rerum & exaltatione vel stabilitate Regni nostri*[1]*, sive efflagitationibus Servorum Dei aurem Celsitudinis nostræ accommodare non differimus, & ea quæ pro utilitate Sanctæ Dei Ecclesiæ sive eorum necessitate nobis indixerint, ad effectum usque perducimus*[2]*, ad honorem Regni nobis à Deo collati pertinere non diffidimus, ac per hoc Divinam Majestatem nostris excessibus propitiari manifestissimè credimus. Quocirca notum sit omnium Sanctæ Dei Ecclesiæ fidelium atque nostrorum tam præsentium quàm*[3] *futurorum Magnitudini, qualiter Vir Venerabilis Erimannus*[4] *Nivernensis Ecclesiæ Pontifex, Celsitudinis nostræ adiens*[5] *Clementiam deprecatus est Serenitatis nostræ potestatem, ut Præceptum auctoritatis*[6] *sive electionis vel immunitatis ei fieri juberemus Regali Celsitudine roboratum*[7]*, sicut suis antecessoribus Hieronymo & Jonæ Pontificibus insignis prosapia nostra fieri decrevit, videlicet avus noster bonæ memoriæ Invictissimus Augustus & æquivocus necnon & genitor Piissimus Imperator germanusque Pipinus devotissimè fecerunt, per quod res* II.

[1] Ch. 30. deest nostri,
[2] Ch. 30. perduximus.
[3] Ch. 30. quàmque
[4] Ch. 30. Herimagnus
[5] Ch. 31. audiens
[6] Ch. 31. auctoritatis sive immunitatis
[7] Ch. 30. corroboratum.

AN. CH. 841.

memorata Ecclesia firmiter in omnibus mundanis actionibus ac querelis quietè teneri[8] *ac defendi legaliter potuissent. Quod*[9] *in auctoritatibus Prædecessorum nostrorum continetur*[10]. *Deprecatus est etiam nostram Clementiam super hoc, quod memorata Ecclesia tempore rebellionis expoliata fuisset rebus & mancipiis, ac*[11] *plenè nec ad Dei servitium peragendum amminiculari, nec Clericis ibidem Deo deservientibus subsidia præbere potuissent. Insuper*[12] *partim casu, partim incuriâ, sive incendii raptu, sive negligentia incultu*[13] *strumenta Cartarum, per quæ res vel mancipia eidem Sanctæ Dei Ecclesiæ collata*[14] *fuerunt, eâ tempestate in eadem*[15] *perierunt urbe. Pro quo vos sancimus*[16] *sicut avus & genitor decreverunt in suis auctoritatibus, ut per hanc nostram firmitatis gratiam ita defendi ac teneri res memorata Ecclesiæ possent, quasi ipsa strumenta præsentialiter adessent. Posteà Domnus & Avus æquivocus noster, sicut in auctoritate genitoris nostri continetur, ad petitionem Hieronymi quondam ejusdem civitatis Episcopi pro commercio animæ suæ ac*[17] *remuneratione ipsius sancti loci ejusdem Ecclesiæ ex ipsis rebus propriis villas &*[18] *cellulas reddidit cum mancipiis vel aliis facultatibus, quæ dudum abstractæ fuerant, quibus & ipse locus meliùs subsistere potuisset, & Dei servitium, & sibi suisque successoribus liberiùs ibidem peragi. Postmodum Domnus & Genitor noster Hludovicus*[19] *Invictissimus*[20] *Augustus, & Pipinus Germanus noster auctoritatem Gloriosi Avi nostri Karoli cum summa voluntate confirmaverunt, &*[21] *ea quæ ibi reddidit libenti animo concesserunt & scriptis corroboraverunt, & præscriptæ Ecclesiæ cum omnibus rebus & hominibus*[22] *ibi justè legalitérque attinentibus*[23] *per ëdipsum suæ tuitionis mundeburdo defensionis munimine scriptum receperunt. Proindè ergo petiit Magnificentiam nostram prænominatus Vir Herimannus sæpedictæ Ecclesiæ Præsul, ut præfatam auctoritatem regaliter stabilientes per nostræ Mansuetudinis Præceptum confirmare denuò dignaremur. Nos denique ut Divinam super nos in hoc utcumque provocemus misericordiam, quod deprecatus est non negavimus, sed prompto animo satisque libenti concessimus auctoritatisque hoc scriptum speciali conditione fieri jussimus, per quod eas res, quæ antiquitus videntur pertinere, & quas Avus æquivocus noster Hieronymo Pontifici reddidit, & posteà adquisivit, & quæ moderno tempore possidet, sive Divina Pietas ibi largiendo voluerit augere, delegantes*[24] *denuò confirmamus, nostris etiam futurísque temporibus mansurum esse volumus, ut ipse & successores sui quietè teneant sub jure ac potestate nostræ firmitatis cum Ecclesiastica institutione. Præcipientes atque jubentes ut nullus Judex publicus aut quislibet Judiciariam exercens potestatem, seu ullus fidelium nostrorum tam instantium quàm futurorum in Ecclesias aut loca vel agros seu reliquas possessiones infra ditionem Regni nostri quas moderno tempore justè legalitérque possidet*[25]*, in quibuslibet pagis vel tentoriis, sive ea quæ deinceps in jure ipsius Sancti loci aut per nos aut per alios quoscumque Divina Pietas voluerit augere, ad causas audiendas vel freda exigenda aut mansionaticos sive paratas faciendas aut fidejussores alicui tollendos aut Canonicos ipsius Matris Ecclesiæ seu eorum facultates sive ceteros homines tam ingenuos quàm & servos super ipsam terram commanentes vel consistentes vel alios ingenuos qui antiquitus sub defensione ipsius Ecclesiæ consliterunt distringendos vel inquietandos, nec ullas reddibitiones aut inlititas occasiones requirendas nostris neque futuris temporibus ingredi audeat; nec à degentibus suprà ipsius sacri loci terram quibuscunque, ex.*[26] *censu plùs quàm priscorum usus se habet*[27] *educere temptet. Si quæ autem causæ adversus supradictæ Ecclesiæ fuerint ortæ Canonicos, à proprio distringantur Episcopo, nisi fortè criminalis fuerint actionis, de quibus est ratiocinandum proprio eorum Advocato. Sed & quicquid de prædicti venerandosi loci rebus fiscus noster exigere poterat, æterno pro compendio eidem integrè totum concedimus Ecclesiæ, scilicet ut perpetualibus temporibus in stipendiis fratrum inibi Deo famulantium & alimoniis pauperum proficiat in augmentum, quatinus pro nostra incolumitate ac Regni nostri stabilitate clementissimam Dei miserationem eos in perpetuum exorare delectet. Hæc verò auctoritatis nostræ præscriptio ut meliorem obtineat firmitatem, manu nostrâ eam subscripsimus, & ex anulo nostro sigillari jussimus. Signum Ka-*

[8] Ch. 1. tenere ac defendere
[9] Ch. 2. Unde & in
[10] Ch. 1. continetur qualiter memorata
[11] Ch. 30. &
[12] Ch. 1. ac
[13] Ch. 2. cultu
[14] Ch. 34. collata fuerant.
[15] Ch. 30. perierunt in eadem urbe.
[16] Ch. 30. sancimus
[17] Ch. 1. &
[18] Ch. 1. ac
[19] Ch. 1. Ludovicus
[20] Ch. 30. Invictissimus
[21] Ch. 30. & ibi ea quæ
[22] Ch. 1. omnibus
[23] Ch. 1. adjacentibus
[24] Ch. 1. & delegantes
[25] Ch. 30. possident.
[26] Ch. 30. ex censu
[27] Ch. 30. habent

AN. CH. 840. LOTHAR. IMP. 24. LUDOV. R. 24. CAROLI R. II. III.

roli Gloriosissimi Regis. Jonas Notarius ad vicem Hluduici recognovit. Data II *Id. Janr. anno* I. *Indictione* IIII. *regnante Karolo Gloriosissimo Rege. Actum Bituricas civitate, in Dei Nomine feliciter.* Primæ Chartæ brevior ac mutila est hæc subscriptio. *Signum Karoli Gloriosissimi Regis, pridie Janr. anno primo, Indictione quartâ, regnante Karolo Gloriosissimo Rege. Actum Bituricâ civitate, in Dei Nomine feliciter.*

In vulgatis Episcoporum Nivernensium Catalogis multa corrigi debent ex prædicto Caroli Regis Diplomate de Generali Privilegio, necnon & ex hoc Herimanni Episcopi *de Institutione Canonicorum, Monachorum & Sanctimonialium. Auctoritas divina testatur, ut Episcopi per diversa loca constituti licentiam habeant res Ecclesiarum secundùm Canonicam auctoritatem cum Dei amore & reverentiâ distribuendi & ordinandi, videlicet Canonicis, Monachis, Sanctimonialibus, pauperibus, juxta creditam sibi dispensationem. Ideòque ego in Dei Nomine Herimannus Nivernensis Ecclesiæ indignus Episcopus ab amorem & reverentiam Dei Omnipotentis Sanctorúmque Martyrum Cyrici & Gervasii præsentialiter constituo, atque diuturnis temporibus inconvulsum manere decerno, villas scilicet cum mancipiis aliísque rebus, ad eorum stipendia, qui in sanctis locis Deo serviunt sive servituri sunt. Fuit enim olim ipsa civitas cum aliis suæ Parrochiæ locis nobiliter & canonicè ordinata, sed præpedìente hostium perturbatione Regúmque discissione res ipsius Ecclesiæ convulsæ & dilaceratæ extiterunt, sicut plurimis cognitum est; omnísque ordo Religionis funditus annullatur. Sed Dominus Karolus Invictissimus Augustus clementiâ Dei tactus, partim ex rebus memoratæ Ecclesiæ reddidit Hieronymo Episcopo ad sacra loca restauranda vel munienda. Quæ loca dum canonicè restaurare vellet, migravit ab hac vita. Postmodum Jonas Episcopus antecessor noster in quantùm potuit, & tempus dictavit, in ipsâ Ecclesiâ laborare non distulit. Nos verò Dei adjutorio fulti, & hoc quod illi constituerunt observavimus, & tam ex rebus ipsius Ecclesiæ quàm ex nostris propriis augmentare juxta nostram exiguitatem non distulimus. Primùm ergo infra civitatem constituimus Canonicos* LX, *corúmque stipendiis has perpetualiter habendas delegavimus villas, Patriniacum, Germiniacum, Salviniacum, Viringium, Varinacum cum omnibus eorum appendiciis. Proprium verò nostrum, id est, Patriniacum cum Ecclesia & ædificiis omnibúsque suis adjacentiis totum & ad integrum eis dedimus, sicut Chartâ Donationis quam eis fecimus continetur. Ex proprio quoque nostro in pago Nivernense & in agro Morumse dedimus eis Ecclesiam in honore Sancti Salvatoris, in loco qui dicitur Montilius, cum omnibus suis appendiciis; in loco qui vocatur Lions Ecclesiam in honore Sancti Cyrici cum adjacentiis suis, in loco qui vocatur calidus fons quicquid ibi habuimus, & villam Coloriam cum Ecclesia Sancti Martini; necnon & ea quæ Hilduinus Comes ipsis Canonicis in villa Arcus dedit; & ex proprio Hermodi Abbatis avunculi mei dedimus eis mansos* VI *in pago Nivernense, & Avalense dedimus etiam juxta murum civitatis mansum cum vinea, quem de Bernone comparavimus, necnon & vineas infra extráque civitatem, quæ sunt de ratione Sancti Cyrici; insuper quæcumque divina pietas eidem Ecclesiæ in futurum conferre voluerit tam per nos quàm per alios quosque. Præterea in Monasterio Sancti Martini constituimus Canonicos* XVI, *eorumque stipendiis dedimus villam seu campum cum integritate sui, & in villa Artado mansos* IIII, *in Orbado* I, *in villa Bodenago quidquid prædicta Ecclesiæ Ragenfretus quondam vocatus Episcopus dedit, & medietatem vineæ quæ adhæret eidem Ecclesiæ. In pagò Patriniacense dedimus eis mansos* V *ex proprio nostro cum mancipiis rebusque ad se pertinentibus causâ sepulturæ nostræ. In Monasterio Sancti Aniani constituimus Monachos, & in Monasterio Sancti Genesii Sanctimoniales, & res ad easdem Cellas pertinentes cum integritate reddimus, confirmamus. Volumus ut habeant licentiam, unam cum consensu & voluntate sui Pontificis ex seipsis eligendi Abbatem vel Abbatissam, si tamen tales inibi reperti fuerint. Sin aliàs Episcopus secundum suam dispensationem, undecumque dignum duxerit, ordinet eis Abbatem, vel Abbatissam. Cetera Sancta loca vel Cellas, quantùm divina Clementia*

AN. CH. 840. LOTHAR. IMP. 24. LUDOV. R. 24. CAROLI R. II.

* ea quæ

*largiri dignato est, & possibilitas suppetit, restaurare curavimus. Si autem successores nostri eisdem locis aliquid augmentare voluerint, in eorum maneat arbitrio. Veruntamen res * à nobis & à Sanctis Patribus nostris canonicè ordinatas inviolabiliter ita permanere concedant, simúlque per Deum & propter Deum omnes successores nostros obtestamur, ut nullus de locis suprà nominatis cuiquam laico homini beneficiario jure tribuant, sed liceat eis sub præfatis Testamentis habere. Hospitum denique loca non longè à nostra civitate duo constituimus, unum ad pauperes recipiendos, alterum ad nobiles viros undique confluentes, tam ex nostro proprio quàm ex rebus & nonis & decimis ejusdem Ecclesiæ. Si quis verò, quod minimè futurum credimus, aliquis extiterit tergiversator, & hæc, quæ à nobis canonicè acta sunt, convellere ac destruere voluerit, in adventu Domini anathematis sententiâ puniatur si non resipuerit. Et ut hæc auctoritas Dei & nostra pleniorem in Dei Nomine obtineat firmitatem, manu propriâ eam subtus firmavimus.* Hæc Charta inter Nivernenses est tertia, caret subscriptione, Characteribúsque Chronologis destituitur, videtur tamen data post civile bellum, quod Lotharius Augustus ejúsque frater inter se post patris sui mortem cieverunt, ídque non obscurè significat hæc phrasis. *Fuit olim ipsa civitas cum aliis suæ Parrochiæ locis nobiliter & canonicè ordinata, sed præpediente hostium perturbatione Regúmque discissione res ipsius Ecclesiæ convulsæ & dilaceratæ extiterunt.* Hic autem, quamvis non suo loco, satis congruè recitatur illud Diploma, nostram enim de Nivernensum Episcoporum Chronologiam sub Carolo Magno, sub Ludovico Pio & Carolo Calvo sententiam confirmat, &, ut æquum est, insignem Herimanni munificentiam erga Nivernensem Ecclesiam egregiè commendat.

IV. CATALOGUS EPISCOPORUM NIVERNENSIUM EMENDATUR.

Hieronymus & Jonas sub Carolo Magno & Ludovico Pio florent; Hieronymus Jonam, uterque Herimannum antecedit; Herimannus sedet anno Caroli Regis post Ludovici patris obitum primo. Ab hac Episcoporum serie Chronologiâque non recessimus. Galdoni seu Waldoni, qui Pontificales Infulas anno Redemptoris octingentesimo secundo gerebat, subjecimus Hieronymum, Jonam, Gerfredum, Hugonem, & Herimannum. Hieronymi tum viventis meminimus ad annum Redemptoris octingentesimum duodevicesimum, sed nihil vetat quominus illum ad munus Episcopale credas assumptum Carolo Magno superstite. Jonam laudavimus ad annum Redemptoris octingentesimum undetricesimum ex Concilio Parisiensi, Gerfredum ad annum Redemptoris octingentesimum tricesimumtertium ex Synodo Senonica, Hugonem ad annum Redemptoris octingentesimum tricesimum-quintum quo Ludovicus Augustus ejus potissimum hortatu præcepit Festivitatem Omnium Sanctorum in Kalendis Novembris per Gallias & Germaniam celebrari.

V. Commendatur Hieronymi Præsulatus ob insignem munificentiam erga Cathedralem Ecclesiam authore Carolo; utrùm autem Magno an Calvo disputant Scriptores. Stamus à Magno, plures à Calvo. Controversiam dirimit Calvus in suo Diplomate pridie Idus Januarias anno Regni primo sub Herimanni Pontificatu, Donationes enim Ecclesiæ Nivernensi ab avo Carolo & patre Ludovico Augustis & à fratre Pippino Rege, temporibus Hieronymi & Jonæ factas confirmat. Multi, quia Coquillium illo de Diplomate differentem non intelligunt, Hieronymum eo fingunt anno sedisse, quo datum Præceptum, nec advertunt in istâ Chartâ non Hieronymum modò sed & Jonam & Herimannum Episcopos memorari, qui certè simul eandem Diœcesim nusquam gubernarunt. Carolus igitur hoc anno ut varios Episcopatus sic & diversos Principatus in suo Diplomate complexus, Hieronymum Nivernensem Episcopum Carolo Magno coætaneum asseruit. Ecclesiæ Nivernensis, antequàm à Carolo Magno locupletaretur, reditus erant adeò tenues, ut Episcopus in suburbano Sancti Martini Monasterio cum suis Canonicis aleretur. Ibi sepultus Hieronymus tantis refulsit

refulsit Miraculis, ut ejus memoria quot annis postridie Nonas Octobris festivâ celebritate recolatur. AN. CH. 841. LOTHAR. IMP. 25. LUDOV. R. 25. CAROLI R. 12.

Jonas in Episcopatum Sancto Hieronymo successit. In Codice Nivernensi duæ Chartæ, duodetricesima videlicet ac quadragesima-secunda, quæ Antidium erga Basilicam Sancti Cyrici munificum prædicant, Hieronymo proximè subrogant Jonam, & hunc testantur sedisse *in mense Octobrio, ubi fecit dies tredecim, anno quarto regnante Ludovico Pio Imperatore*, id est, secundum diversas epochas Imperii Ludoviciani vel anno Redemptoris octingentesimo decimo-sexto, vel sequenti. Concilio Parisiensi subscripsit idem Jonas anno Redemptoris octingentesimo vicesimo-nono. Saviniciacense Oratorium, quod decessor Hieronymus erexerat, Canonicis Ecclesiæ suæ donavit. Apud Coquillium mentio duorum Diplomatum occurrit. In priore Ludovicus Pius Ecclesiam Nivernensem multis auget possessionibus Jonâ tunc Episcopo. In posteriore Carolus ejusdem Ludovici filius Ecclesiæ Nivernensi dona, quæ Carolus Magnus & Ludovicus Pius temporibus Hieronymi & Jonæ Pontificum contulerant, civili bello pòst orto sublata queritur, eáque Hetimanno Episcopo restitui jubet. VI.

Gerfredus proximè post Jonam sedit. Anno Redemptoris octingentesimo tricesimo-tertio interfuit Synodo Senonensi. Coquillius omisso Gerfredo successores Jonæ recenset Eneam, Guerenedum, & Hugonem, atque hunc anno Redemptoris octingentesimo tricesimo-quinto jam Episcopum agnoscit. At Eneas idem nobis videtur ac Jonas, ut & Guerenedus idem ac Gerfredus. VII.

Hugo igitur in Catalogo Gerfredum sequi debet. Præsulatum gerebat anno Redemptoris octingentesimo tricesimo-quinto. VIII.

Herimannus immediatè post Hugonem potitus est Pontificatu. Pridie Idus Januarias, anno Redemptoris octingentesimo quadragesimo-primo jam Episcopus erat, illóque die Præceptum à Carolo Rege pro recuperandis obtinuit possessionibus, quas Ecclesia Nivernensis à Carolo Magno & à Ludovico Pio munificentissimis quondam benefactoribus acceperat, amiserátque civili diuturnóque bello Ludovicum inter ac ejus filios pòst exorto. IX.

Datum Diploma Bituricis. Cur Carolus Bituricas se contulerit, exponit Nithardus [a]. Sub finem anni superioris, Aureliâ Carolus obviam Bernardo Duci Septimaniæ profectus, ut mandaverat, Nivernium adiit, sed Bernardus venire distulit adhibitâ excusatione, quòd pridem cum Pippino convenisset, ut neuter absque alterius consensu quodlibet pactum iniret, testatus est ad Pippinum ire se velle, ut illum pace persuasâ secum adduceret; sin minùs, soluto juramento infra dies quindecim se reversurum & ditioni Carolinæ se commissurum promisit. *Quamobrem Karolus Bituricas iterum obviam illi venit. Quò Bernardus veniens, cùm neutrum fecisset, graviter Karolus ferens seductiones, quas patri fecerat, & hactenus illi faciebat, timens ne aliter illum comprehendere posset, subitò in illum inruere statuit. Sed hoc Bernardus, quanquam tardè, præsensit, fugam iniit, ac vix evasit. Karolus autem quosdam è suis stravit, quosdam saucios ac semivivos reliquit, quosdam verò inlæsos cepit, ac more captivorum custodiri præcepit, supellectilem autem universam diripere permisit. Hinc quoque Bernardus humilior effectus, paulò pòst supplex ad Karolum venit dicens & fidelem se illi fuisse, & tunc, si liceret, esse voluisse, & deinceps, quanquam hac contumeliâ affectus esset, in futurum fore minimè diffideret. Quod, & si quilibet aliter dicere vellet, armis se * ob * propulsurum promittit. Quibus Karolus credulus effectus, ditatum muneribus & gratiâ in societatem amicitiæ suscepit, & ut Pippinum ac suos, uti promiserat, subditos sibi efficere temptaret, direxit. Et his ita compositis Cenomannicam urbem adiit.* Hæc Nithardus. Priùs autem quàm discedentem ex Aquitania prosequamur, operæ pretium videtur hic inquirere, quis per illud tempus Bituricensis extiterit Archiepiscopus. X.

[a] Lib. 2.

BERNARDUS ODIUM INCURRIT CAROLI R.

** locus mutilus.

AN. CH. 841.

XI. In Patriarchio Bituricensi Monachus San-Sulpicianus Aiulfi sive Aigulfi Pontificatum sic circumscribit. *Sedit unum tantummodo annum & aliquot menses ab anno 840 ad 842.* Fatetur tamen annos ei tribui *viginti & sex in veteri Catalogo.* Quamvis asseclas habuerit, adhærendum censemus antiquis Indicibus, & ex Archiepiscoporum Bituricensium Chronologia Tomo superiore [a] stabilita constanter asserimus Aigulfum ab anno Redemptoris octingentesimo decimo-quinto ad hunc annum Redemptoris octingentesimum quadragesimum-primum per annos sex ac viginti sedisse. Nam proximus successor Rodulphus Abbas Floreacensis in veteri quoque Catalogo Pontificatum annis viginti-quinque gerit, & teste Adone vitam claudit anno Redemptoris octingentesimo sexagesimo-sexto. Colitur Sanctus Aigulfus * undecimo Kalendas Junii, qui dies obitûs fuit, atque ex illo die colligimus eum priùs ad Deum migrasse, quàm Carolus iter in Cenomannicam regionem è Biturica susceperit. Quiescit in Ecclesia Parrochiali sui nominis prope Castrum * Rodulphi. De successore, cui nomen Rodulphus seu Radulphus fuit, sermonem sæpè faciemus. Impræsentiarum observasse sufficiet, quòd Archiepiscopalibus Infulis nondum insigniebatur hoc anno, cùm Carolus Bituricis morabatur, inde enim redarguuntur, qui tunc eundem Archiepiscopum Rodulfum Synodo præfuisse volunt in causa Ebonis Remensis Archiepiscopi.

[a] An. 810. nu. 99. 105.

AGIULFUS ARCHIEP. BITURICENSIS OBIT.

* *Saint Au,* seu *Saint Hou.*

* *Chasteau-Raoul*, hodie *Chasteau-Roux.*

SUCCEDIT RODULPHUS ABB. FLORIACENSIS.

XII. Eodem mense Januario, quo Carolus possessiones Ecclesiæ Nivernensi collatas Regio Præcepto Bituricis confirmavit, ad Archiepiscopatum Lugdunensem assumptus est Amulo sive Amolo vel Amulus aut Amalo, de quo sic Auctor brevis Chronici San-Benigniani publicatus à Labbeo [b]. DCCCXL. *Hoc anno Sanctæ memoriæ Agobardus Lugdunensis Ep. obiit 8 Idus Junii. Amolo prædicti Episcopi Diaconus ordinatur Ep. Lugdunensis* XVII *Kal. Februarias.* Die videlicet Dominico, currente litterâ Dominicali B, anno Redemptoris octingentesimo quadragesimo-primo jam inchoato. Vacavit igitur Archiepiscopatus Lugdunensis septem menses diésque decem.

AMULUS FIT ARCHIEP. LUGDUNENSIS.

[b] Tom. 1. Biblioth.

XIII. Quid Carolus Rex Bituricis egressus peregerit, Nithardus [c] ita subjicit. *Cenomannicam urbem adiit, Lantbertum Ericúmque unà cum cæteris recepturus. Cúmque ille illos inibi perhumanè reciperet, protinus ad Nomenoium Ducem Brittannorum mittit, scire cupiens si sua se ditioni reddere vellet. Qui adquiescens consiliis plurimorum Karolo munera mittit, ac sacramento fidem deinceps servandam esse illi firmavit.* Carolus in provinciam Cenomannensem bis hoc anno profectus est; cùm ex Aquitania rediret; semel labente Januario; iterum labente Julio. Aldricus Episcopus ad primum Caroli Regis in Cenomanniam adventum Ecclesiam Cenomannensem, ad alterum Abbatiam Anisolensem recuperavit. Laudandus certè Carolus, quòd passus non sit Aldrici reditum ad Episcopalem Sedem seriùs differri. De Monasterio Anisolensi, per ordinem agemus infrà.

[c] Lib. 2.

CAROLUS R. MIRA CELERITATE CENOMANNUM ADIT,

XIV. Pergit Nithardus, & rebus suprà descriptis has proximè subjungit. *Quoniam tempus Placiti quod ad Attiniacum condixerant, appropinquare videbatur, quid consultè ac solidâ fide sibi suísque agere oporteret, Karolus anxius erat. Ergo participes secretorum convocat, rem omnibus notam replicat, ac quemadmodum à tanta calamitate congruentiùs se suósque exsui posse existimarent, ut aperiretur, deposcit, séque in omnibus publicæ utilitati & . . . . parere velle: insuper etiam si oporteret pro ea mortem subire, minimè differre fatetur. Quibus cùm undique vires crevisse viderentur, reminiscentes insidiarum, quas Lodharius, temporibus patris sui, patri & Karolo inferre studuerat, quas etiam, post obitum patris, fratribus suis absque remedio struebat; occurrebant insuper sacramenta, quæ tunc nuper fefellerat, aiebant se omnem justitiam ab eo libenter consequi velle, sed his indiciis nil boni sperare posse; idcircò sibi undique consultum videri, quocumque modo posset, ad condictum Placitum venire minimè differret; quòd si frater suus, uti promiserat, communem utilitatem quærere ac statuere vellet, hoc omnibus notis place-*

AN. CH. 841.
LOTHAR. IMP. 25.
LUDOV. R: 25.
CAROLI R. 12.

re, &, ut gratanter reciperentur, congruum esse; sin aliter, fretus justitiâ, ac per hoc, auxilio divino suorùmque fidelium, & quicquid Regni pater suus amborúmque fidelium (legendum videtur fratrum) *consensu illi dederat, obtinere omni virtute non negligat. Ergo omnes Aquitanos, qui suæ parti favebant, unà cum matre post se venire præcepit. Insuper quicumque è Burgundia necnon & inter Ligerem & Sequanam sui juris esse vellent, similiter fecit. Idem autem ipse unà cum his, qui per præsens aderant, quanquam difficile videretur, præfatum iter arripuit. Cùmque ad Sequanam venisset, repperit Guntboldum, Warnarium, Arnulfum, Gerardum, necnon & omnes, à Carbonariis & infrà, Comites, Abbates, Episcopos, ob hoc videlicet à Lodhario inibi relictos, ut si absque suo consensu transire vellet, minimè posset. Accedebat insuper quòd amnis inundans vada ubique denegaverat. Custodes autem fluminis omnes naves aut contriverant, aut certè submerserant. Gerardus quoque pontes, quoscunque repperit, destruxit. Igitur supra modum transitus difficilis effectus non modicam transire cupientibus importabat molestiam. Cùm autem tot difficultatibus animi multimodis agitarentur, consiliis tandem mercatorum, naves ab ostio, quo Sequana mare influit, ferventi æstu abductæ, propéque Rotomacensem urbem expositæ nunciantur. Quò veniens, harum duas minùs de* XXX *Karolus armato milite complet, idémque ingressus præmittit qui se venturum prænuntient, unicuique volenti delicta cedens, nolentibus autem, ut abeant Regnúmque à Deo sibi datum illi relinquant. Quæ dum prævissent, classísque appropinquare videretur, Crucem in qua juraverant & Karolum ut cognoverunt, relicto littore protinus fugerunt. Quos, quoniam quòd in trajiciendo equi moram fecerant, consequi nequibat, ad Sanctum Dionysium laudis obsecrationísque causâ iter direxit. Quò veniens comperit quòd hi, quos fugâ disperserat, in unum unà cum Arnulfo & Gerardo ceterísque coissent, & super Teutbaldum, Warinum, Otbertum, ceterósque, qui, uti mandatum fuerat, ad Karolum veniebant, irruere vellent. Quamobrem ad Sanctum Germanum causâ orationis perrexit, ac per totam noctem iter faciens, aurorâ dilucescente, ubi Luva* seu Lupa* *Sequanæ confluit* inter Monasteriolum & Melodunum, *Warinum cum sociis sanum recepit, ac sic uno eodémque itinere Senonicam adiit urbem. Hinc noctu consurgit, per Uttam iter faciens, sperânsque, uti nuntiatum illi fuerat, quos supra memoravimus in eodem saltu consistere. Disposuerat enim ubicumque & qualitercumque posset, super illos irruere. Quod & utique fecisset, nisi sollicitis vita mors imminens pro foribus nunciaretur. Quamobrem penè cuncti supra modum exterriti, quò quisque valuit, fugam iniit. Quos quoniam Karolus consequi non potuit, sociis equísque fessis, post Cœnam Domini quieti indulget, ac Tricassinorum civitatem in crastinum adiit.* De Utta sylva lege quæ dicta sunt ad annum Redemptoris octingentesimum vicesimum-nonum. Carolus *ad Sanctum Dionysium* & *ad Sanctum Germanum* perrexit, id est, ad Monasterium Sancti Dionysii in agro Parisiensi & ad Monasterium Sancti Germani prope muros Parisienses, hostem enim patiebatur Abbatem illorum Monasteriorum Hilduinum, cujus defectionem ad Locharium Augustum anno priore non omisimus. Tantâ autem celeritate idem Carolus è territorio Rotomagensi Trecas profectus est, ut verissimum probetur, quod de illius adventu ad Fontanellense Monasterium & colloquio *cum fratribus* seu Monachis illius loci *pridie Nonas Aprilis* habito scribit Monachus Fontanellensis Auctor coætaneus. *Eo*, inquit, *anno*, *Kal. Aprilis* *, *feriâ sextâ*, *Carolus Rex in Sequanam transiit*, *ad locum hunc*, id est, ad Fontanellense Cœnobium *accessit. Pridie Nonas Aprilis cum fratribus* seu Monachis istius Monasterii *locutus est.* In vulgatis exemplaribus Carolus Sequanam transit *pridie Kal. Aprilis*, *feriâ sextâ*, sustulimus vocem *pridie*, alioquin feriæ sextæ loco reponenda quinta, quia currit litera Dominicalis B, & in Kalendario notatur litera F pridie Kalendas Aprilis. Nec Auctor ad alium annum detorqueri potest, id enim proximè subjungit. *Ipso anno*, VII *Kal. Julii*, ut mox dicturi sumus, *bellum plusquàm civile gestum fuit in territorio Autisiodorensi.*

ROTOMAGUM,

PARISIOS,

* *Le Loin.*

TRECAS.

* *Edit. pridie Kal. Aprilis.*

AN. CH. 841. LOTHAR. IMP. 25. LUDOV. R. 25. CAROLI R. 12.

XV. LOTHARIUS TRAJECTO RHENO LUDOVICUM IN FUGAM AGIT.

Pergit denuò Nithardus. *Eodem tempore, dum hæc, quæ præmisimus, à Karolo exsequerentur, Lodharius, uti præfatum est, dolo an vi Lodhuwicum aut subdere, aut, quod mavult, perdere posset, totâ mente tractabat. In quo negotio congruè Otgarium Magontiæ Sedis Episcopum & Adhelbertum Metensium Comitem convocat. Habebat enim uterque Lodhuwicum ad mortem usque exosum. Jam enim Adhelbertus ex infirmitate, quâ penè per annum detentus fuerat, velut in supplementum fratricidii respiraverat. Erat enim eo in tempore ita prudens consilio, ut sententiam ab eo prolatam non quilibet mutare vellet. Cujus instinctu Lodharius collectam hinc inde infinitam multitudinem Renum trajecit, præmittens more solito, qui minis blanditiisque pendulam plebem subducere temptarent. Timens autem populus, qui cum Lodhuwico erat, ne tantum exercitum ferre valeret, partim defecti ad Lodharium transeunt, partim fugam ineunt, ac Lodhuwicum desolatum relinquunt. Qui, quoniam omne suffragium aliud undique deerat, cum perpaucis abiit, & in Bajoariam se recepit.* Annalista Fuldensis tempus, quo Lotharius Rhenum transiit, & Ludovicum in fugam egit, sic exprimit. *Hlotharius inchoante mense Aprili juxta Wormatiam cum exercitu clàm transiit Rhenum, & Hludowicum à quibusdam suis proditum, ac penè circumventum Bajoariam redire coegit.*

XVI. THIATGRIMUS HALBERSTADIENSIS EP. ET PROVISOR WERTHINENSIS OBIT.

Priùs autem quàm hæc fierent, obiit sexto Idus Februarii Thiatgrimus Halberstadiensis Episcopus ac Provisor Werthinensis, de quo sic Auctor Chronici Saxonici manuscriptus. *Anno Dominicæ Incarnationis* DCCCXL, *Thiatgrimus Halberstadensis secundus Episcopus, postquàm multis virtutibus Patrum exemplo claruit,* VI *Idus Februarii febre dissolutus, ad prædecessorem suum Hildegrimum & consanguineum in Werdunensi* seu Werthinensi *Monasterio corpus ejus appositum, diem tremendi judicii exspectat.* Huic textui Joannes Mabillonius, penes quem est exemplar istius Chronici, rectè subjungit hanc notatiunculam primâ parte Seculi quarti Benedictini in elogio Haimonis Halberstadiensis Episcopi. *Annus, quo Thiatgrimus decessit, est* DCCCXL, *si annus à Martio incipiatur; sequens, si à Januario.* Hanc observationem duæ tes confirmant. Mense Februario, qui mortem Ludovici Imperatoris antecessit, & ex nostro computo, quia initium anni à Kalendis Januarii repetimus, ad annum Redemptoris octingentesimum quadragesimum pertinuit, Ludovico Bojoariæ Regi nihil juris in Saxoniam erat, ut Haimonem sive Hemmonem Thiatgrimo Halberstadiensi Episcopo subrogandum curaret, nec id ab illo tentari passus esset qui tunc temporis præpotens erat Ludovicus Augustus, ut ex Astronomo ad illum annum citato constat. In Chronico igitur Saxonico jam allegato, cùm *Hemmo à Lodowico filio Imperatoris Lodowici tertius Halberstadensi Ecclesiæ missus* dicitur *Episcopus*, cave ne quia Ludovicus Rex Ludovici Augusti filius indigitatur, Ludovicum Imperatorem in vivis adhuc superstitem credas. Chronographus Ludovicum Regem Ludovici Augusti filium eo tantum consilio dixit, ut illum ab aliis distingueret Regibus ejusdem nominis, qui nono seculo floruerunt. Prætereà Thiatgrimus seu *Tiagrinus Episcopus Halberstatensis secundus*, teste Trithemio [a] in Viris Illustribus Ordinis Benedictini, *rexit Ecclesiam sibi commissam strenuè quatuordecim annis, non sine opinione Sanctitatis.* Ad annum igitur Redemptoris octingentesimum quadragesimum-primum pervenit, Episcopatum enim suscepit anno Redemptoris octingentesimo vicesimo-septimo. Vocatur Abbas ab eodem Trithemio; loci nomen non exprimitur. Ut Episcopus Halberstadiensis sic & Provisor fuit Monasterii Werthinensis, alterius Cœnobii curam gessisse non videtur. Beatus passim à recentioribus appellatur, nonnullis etiam Martyrologiis reperitur inscriptus. Werthinenses marmoreum ejus sepulchrum in cryptæ introitu ad lævam ostendunt, negántque ullum illi haberi cultum vel olim habitum cujus vestigium extet. Lege apud Bollandum Indicem Sanctorum sexto Idus Februarii prætermissorum, ibique nota variis modis appellari Thiatgrimum, Tiatgrimum, Thitgri-

[a] Lib. 4. c. 194.

AN. CH. 841.

mum, Thyadgermum, Tyademum, Tiadgrinum, Thiadgrimum, Tiagrinum, Thyadghermum, Tigrinum, Tyagrinum, Thindegerinum, Tietgrimum, & Dietgrinum. Legitur illius epitaphium apud Ægidium Gelenium in Fastis Agrippinensibus sexto Idus Februarias, & apud Gabrielem Bucelinum parte alterâ Germaniæ Sacræ in Abbatum Werthinensium Catalogo.

*Hac recubant fossâ Thidgrimi * Præsulis ossa,*
Terra tenet corpus, pneuma tenet Dominus.
Idibus in Februi senis obit assecla Christi,
Promeritus vitæ gaudia perpetua.

* Gelen. *Thiatgrimi.*

XVII. HAIMO ABB. HERSFELDENSIS FIT EP. HALBERSTADIENSIS. ALTFRIDUS EP. MIMIGARDEVORDENSIS FIT PROVISOR WERTHINENSIS.

Thiatgrimo successerunt, in Episcopatum Halberstadiensem Haimo Hersfeldensis Abbas, in Monasterii Werthinensis administrationem Altfridus Mimigardevordensis Episcopus. A Trithemio & ab Halberstadiensium Episcoporum Catalogis, qui tertium Haimoni locum vendicant, haud discrepamus, hactenus enim primum Hildegrimo, Thiatgrimo secundum, Haimoni tertium attribuimus. De Altfrido Mimigardevordensi Episcopo ac Provisore Werthinensi lege Gabrielem Bucelinum parte alterâ Germaniæ Sacræ in Provisorum atque Abbatum Werthinensium Nomenclatura.

XVIII. LOTHARIUS FUGATO LUDOVICO ABDIT CONTRA CAROLUM.

Porrò postquàm Ludovicus in Bojoariam se recepit, *minimè deinceps Lodharius*, ut Nithardus subjungit, *aliquid illum prævalere putavit. Igitur Adhelbertum Ducem, quem suprà modò memoravimus, ob hoc inibi reliquit, ut & populum sacramentis sibi firmaret, &, si Lodhuwicus ad Karolum ire vellet, nullomodo posset. Ipse verò, quoniam Karolum Sequanam transire reppererat, obviam ire parabat. Velociter quidem præmittit, rei veritatem, ubi & cum quibus esset, scire cupiens, Aquis Pascha celebraturus.* In Annalibus Fuldensibus, postquàm Ludovicum in Bojoariam redire compulit, *positis custodibus partium illarum, quos* arbitratur *sibi fideles esse, denuò ad resistendum Karlo, qui jam ultra Mosam castra ponere* molitur, *studia convertit & vires.* Hæc Nithardo non refragantur, Pascha enim celebratum fuit decimo-quinto Kalendas Maii.

XIX.

Solemnitatem hanc, ut ex prædictis liquet, egerunt, Lotharius Aquisgrani, Ludovicus in Bojoaria, Carolus Trecis. *Mira sanè ac merito notanda res Karolo in Sancto Sabbato contigit. Nam neque ipse, neque quilibet in suo comitatu quicquam, absque quod corpore gerebant, & absque armis & equis, habebant. Cúmque de balneo quidem egrederetur, & eadem vestimenta, quæ exuerat, induere pararet, repente ab Aquitania missi pro foribus adstiterant, qui Coronam & omnem ornatum tam Regium quàm & quicquid ad cultum divinum pertinebat, ferebant. Quis non miretur paucos & penè ignotos viros, tot terrarum spatia, dum ubique omnes rapinæ insisterent, tot talenta auri gemmarúmque infinitam multitudinem ferre illæsos valuisse? &, quod maximè mirandum fateor fore, qualiter ad definitum locum vel certè ad statutam diem & horam venire poterant, cùm nec idem Karolus ubi se suósque* [illegible] *oporteret, sciebat? Quo quidem eventu haud aliter quàm munere ac nutu divino visum est evenire potuisse, ac per hoc commilitonibus stuporem injecit, omnésque maximam ad spem salutis erexit. Hinc verò Karolus cunctáque cohors exultans ad festa celebranda sese convertit. Expleto autem, quod cœperat, Missos Lodharii benignè excipiens, convivari unà secum præcepit. Quibus & ut in crastinum redirent injunxit, per suos se responsurum de eo, quod frater suus illi mandaverat, promittens. In Legatione verò Lotharii querebatur, cur absque suo consensu terminos, quos illi statuerat, excederet, & quia fecerat, saltem ubique illum reperirent, mandat ut interim eo loco quiescat, donec illi mandaretur, si ad statutum locum, an alio, ubi congruentius illi videretur, venire deberet. Karolus per suos econtrà se ob hoc statutos terminos excessisse respondit, quoniam de omnibus bonis sua ex parte illis promissis ac jurejurando firmatis nihil stabile esse permisit. Nam suorum hominum, ultra quod firmatum fuerat, solli-*

INTER UTRUMQUE INTERCURRUNT NUNCII.

AN. CH. 841. LOTHAR. IMP. 25. LUDOV. R. 25. CAROLI R. 12.

citatos quosdam suo juri adjecit, quosdam verò vitâ privavit; insuper Regna quæ subjecta illi efficere debuit, in quantùm valuit, perturbavit; & quod maximum est, in fratrem Ludovicum *hostiliter irruit, necnon & suffragium à paganis illum quærere compulit. Verumtamen, quamquam se hæc ita haberent, in Conventum, quod communi consensu statuerant, venire se velle mandavit, ubi si communem utilitatem, uti promiserat, quærere ac statuere vellet, sibi placere; sin aliter, de Regno, quod Deus patérque suus suorum consensu illi dederat, consiliis suorum fidelium in omnibus, secundùm Dei voluntatem, parere se innotuit. Et his ita compositis, idem iter arripuit, atque ad præfatum locum pridie quàm convenerat *, prævenit*, id est, Nonis Maiis, nam teste eodem Nithardo suprà citato conventum priùs fuerat, ut Lotharius & Carolus octavo Idus Maias apud Attiniacum simul convenirent.

* Edit. venerat.

XX. Illuc *Lotharius veluti ex consulto venire distulit. Verumtamen Missos variis querimoniis refertos frequenter mittebat, & ne fortè ex improviso Karolus supra illum irruere posset, cavebat. Intereà Legati à Lodhuwico venerant, nunciantes, quòd si sciret quomodo fieri posset, in illius adjutorium venire vellet. Quo se Karolus & indigere respondit, gratias congrua voluntati egit, & ut hoc accelerare studerent, protinus præfatos Missos remisit. Cúmque quatuor vel eo ampliùs dies inibi adventum Lotharii præstolaretur, & ille venire differret, concionem advocat, concilium iniit, quidnam consultius deinceps illi agendum videretur, deliberaturus. Quidam autem aiebant, quoniam mater sua unà cum Aquitanis veniebat, obviam illi ire debere. Sed maxima pars aut obviam Lothario iter arripere suadebant, aut certè, ubicunque vellet, adventum illius præstolari debere dicebant, ob hoc quidem maximè, quoniam si quoquomodo aliorsum inflectere cœpisset, cuncti fugam illum iniisse jactarent, & hinc Lodharium & suos audentiores fieri debere, atque hi, qui adhuc causâ timoris neutri sese copulaverant, ad illum affluere undique sperabant; quod & evenit. Quanquam difficilè, prævaluit tamen sententia priorum. Quamobrem Cadhellonicam * Karolus adiit urbem, ibique matre unà cum Aquitanis receptâ repentè nunciatur quòd Lodhuwicus cum Adelberto Duce Austrasiorum prælio commisso vicisset, Renóque trajecto ob illius adjutorium, quantociùs posset, veniret. Quod cùm ociùs universis castris omnibus notum fieret, cuncti alacri animo, ut illi obviam irent suadebant.* Hæc Nithardus.

CAROLUS IT CATALAUNUM. * *Chaalons.* LUDOVICUS VICTIS PROPE BRIGANTIUM DUCIBUS LOTHARII VENIT IN AUXILIUM CAROLO.

XXI. Illo de prælio Fuldensis Annalista sic scribit. *Hludewico per nuntios Karli ad auxilium vocato, & per Alamanniam iter facienti, Comites, quos Hlotharius tutores partium suarum dimiserat, in Renense occurrunt cum exercitu, ortóque prælio Adalbertus Comes & incentor discordiarum occiditur, & cum eo innumerabilis multitudo hominum prosternitur* III *Id. Maii. Itaque Hludewicus hac congressione victor Rhenum transiens Karlo fratri suo auxilium laturus, in Gallias pergit.* Huic Annalistæ consentaneus est & Metensis. Locus, ubi commissa pugna, variis modis exprimitur. In editionibus Pithœana & Duchesniana Lothariani Comites *in Renense occurrunt cum exercitu*, & ad oram Duchesnianæ ponitur *Retienso*, atque in Annalibus Metensibus legitur *Reciense*. Retinendum putamus *Renense* seu Rhenense, quia dimicatum est ad Rhenum seu *prope Brigantium* *, ut Bucelinus in Rhætiæ Chronologia testatur. Inter Ludovicum & Carolum intercessisse fœdus, & Missos ultrò citróque directos inficiabitur nemo, qui Lotharium hostem utriusque pertinacissimum animadverterit. Anno præterito Carolus pacem vel potiùs inducias usque *ad* VIII *Id. Maias* cum Lothario pactus est hac adjectâ conditione, quòd *interim super Lodhuicum hostiliter ire* desineret. Hac de pactione, ut & de bello quod hoc anno cum Lothario gessit, Ludovicum per Nuncios certiorem fecit, sive aggressus est Lotharium trajecto Rheno supremum Ludovico exitium jam minantem, sive impetitus est ab eodem Lothario Ludovicum nihil deinceps ausurum rato. Vicissim Ludovicus tria Carolo citissimè per Oratores significavit, primò se lacessitum à Lothario trans Rhenum, deinde per Alamanniam se proficisci cum copiis ad partes supe-

* *Bregentz.*

AN. CH. 841.

rioris Rheni, posttemò præclaram se victoriam consecutum Comitibus, quos Lotharius Rheno custodes imposuerat, aut interfectis aut fugatis, séque carissimo fratri eum victore exercitu eis Rhenum, ubicunque vellet, auxilio fore. Quapropter Nithardus & Annalistæ præcitati facilè conciliantur, nihil enim vetat, quominùs & *Legati*, ut Nithardus scribit, *à Lodhuwico* venerint *nunciantes, quòd si sciret quomodo fieri posset in illius*, nempe Karli, *adjutorium venire vellet*, & Ludovicus, ut Annalistæ loquuntur, *per nuntios Karli ad auxilium* sit evocatus. De Adalberto Comite silere non debemus, quòd illustre Monasterium puellarum erexerit in Diœcesi Constantiensi apud Lindaviam, ibíque sepulturam acceperit, ut scribunt, Bruschius in Chronologia Monasteriorum Germaniæ, Bucelinus in secunda parte Germaniæ Sacræ & in Chronologia Rhætiæ [a].

MON PUELLARE IN DIOECESI CONSTANTIENSI FLORET APUD LINDAVIAM.

[a] Ad ann. 817. 841.

XXII. LOTHARIUS A SUIS FRATRIBUS VINCITUR APUD FONTANETUM.

Lotharius tacuit cladem acceptam in Alamannia; Carolum, qui procedebat obviam Ludovico, propalavit fugâ sibi consulere, acriter insistendum dixit à tergo, cóque cum copiis iter quamprimum arripuit. *Circumfusa plebi*, inquir Nithardus, *Karolum fugam inisse, persequique illum, quantociùs posset, velle denuntiat. Quo quidem nuncio fidos sibi alacriores reddidit, dubiis autem quibusque & affluendi audaciam injecit, & firmiores sua parti reddidit. Cúmque Karolus à Lodhario persequi se didicisset, quoniam in difficili loco aquis paludibúsque circunfusis castra posuerant, ut absque qualibet difficultate, si Lodharius vellet, congredi possent, protinus obviam illi perrexit. Qua quidem Lodhario ut nunciata sunt, castra posuit, ac veluti fessis equis biduo requiem dedit. Iteratò itaque cùm hac eadem fecissent, Missósque invicem frequenter mitterent, sed nihil proficui deliberare possent, tandem appropinquantes Lodhuwicus & Karolus conveniunt, déque his omnibus in eodem Conventu qua Lodharius absque quolibet moderamine erga se suósque sæviebat, dolendo conferunt, quídve deinceps agendum opportunius videretur, in crastinum deliberaturi. Aurorâ siquidem delucescente conveniunt, concilium ineunt, in quo multùm de tanta calamitate conqueruntur. Cúmque alteruter qua quantáve & qualia passi à fratre fuerant, referre desiissent, universis visum unanimiter paríque consensu, tam ex sacrosancto ordine Episcoporum quàm & laicorum, viros nobiles, prudentes, benivolos deligant, per quos, qua pater inter illos statuerat & qua post obitum ab illo passi sint, mandent; insuper obsecrent ut memor sit Dei Omnipotentis, & concedat pacem fratribus suis universæque Ecclesia Dei; cederet cuique quod patris fratrúmque consensu justè debebatur; insuper etiam ut justis precibus acquiesceret, offerrent illi quicquid absque equis & armis in universo exercitu habere videbantur. Et si his monitis obsecrationibúsque acquiescere vellet, placere; sin aliter, aiebant se divino ex munere suffragium absque dubio sperare posse, si omne, quod justum est, vellent, & hoc fratri offerre humiliter studerent. Quæ quoniam meritò rata videbantur, protinus expleta sunt. Sed hæc veluti pro nihilo ducta Lodharius sprevit, per suos se nihil absque prælio velle mandavit. Confestímque obviam Pippino, qui ab Aquitania ad illum veniebat, iter arripuit. Quod cùm ociùs didicissent Lodhuwicus & sui, supra modum rem graviter ferentes (erant enim undique graviter tam itineris longitudine, quàm & præliis variisque difficultatibus & maximè equorum inopiâ attriti) veruntamen quamquam se hac ita haberent, timentes ne fortè si ab auxilio fratris frater deficeret, posteris suis indignam memoriam reliquissent. Quod quidem ne facerent, elegerunt omni penuria, etiam, si oporteret, morti potiùs subire, quàm nomen invictum amittere. Quamobrem ex eadem magnanimitate mæstitiâ oppressi, invicem se adhortantes, gaudentes, velocitérque, ut Lodharium citò consequi possent, ibant. Cúmque insperatè propter urbem * Alciodorensem uterque exercitus alter ab altero videretur, confestim Lodharius verens ne fortè fratres sui absque dilatione supra se irruere vellent, armatus castra aliquantùm excessit. Quod quoniam fratres sui facere illum cognoverunt, quosdam castrametantes relinquunt, quosdam secum armatos assumunt, & absque dilatione obviam procedunt. Missos invicem mittunt, pacémque sub noctem componunt. Castra autem ab invicem distabant plùs minùs*

* *Auxerre.*

AN. CH. 841.
LOTHAR. IMP. 25.
LUDOV. R. 25.
CAROLI R. 12.

leuvas tres, & intererat paucula palus salsúsque; ac per hoc erat utrique ad alterum difficilis accessus. Quapropter Aurorâ delucescente, Lodhuwicus & Karolus ad Lodharium mittunt, mandant valdè sibi displicere, quòd illis pacem absque prælio denegaverat. Quod etiam, quoniam vellet, & absque qualibet fraude, si fieri deberet, esset. Et primùm quidem jejuniis ac votis Deum invocent; deinde, si ille transire ad illos voluisset, locum transeundi se daturos promittunt, ut omni impedimento suò suorúmque ex parte ablato, absque qualibet occulta deceptione congredi possent. Quæ &, si vellet, sacramento firmare præceperunt. At si nollet, ut eadem illis concederet atque firmaret *, rogant & petunt. Is autem more solito per suos se responsurum promisit, &, ut Legati regressi sunt, protinus obviam iter arripuit, ac locum, quo castra poneret, Fontanetum * petit. Eâdem autem die fratres sui post Lodharium iter accelerantes, antecesserunt illum, & propter vicum, qui Tauriacus dicitur, castra posuerunt. Crastinâ die exercitus præparati ad prælium, castra aliquantulùm excesserunt. Præmittentes Lodhuwicus ac Karolus Lodhario mandaverunt, ut memor esset fraternæ conditionis, sineret Ecclesiam Dei & universum populum Christianum pacem habere, concederet illis Regna à patre suo consensu concessa, haberet sua sibi, non merito, sed sola misericordia à patre illi relicta. Et in munere offerebant illi quicquid in universo exercitu absque armis & equis habere videbantur. At si id nollet, cedebant illi uterque portionem Regni, alter usque Carbonarias, alter verò usque Renum. Quod & si renueret, universam Franciam æquâ lance dividerent, & quicquid horum vellet, suæ ditionis esset. Ad quod Lodharius more solito per suos se quicquid placeret notare respondit, mittensque per præsens Drogonem, Hugonem, & Hegibertum, mandat, non illos aliquod tale anteà illi mandasse, ad quod considerandum, spatium habere se velle aiebat. Re autem verâ Pippinus non venerat, illum hac dilatione expectare volebat. Verumtamen Ricuinum, Hirmenaldum, & Fredericum sacramento firmare præcepit, quòd nullâ re aliâ has inducias peteret præter quòd commune profectum tam illorum quàm & universæ plebis, sicut justitiam inter fratres & populum Christi oportebat, quærere volebat. Quo quidem sacramento Lodhuwicus & Karolus creduli effecti, eâdem die & in crastinum, insuper etiam usque in horam secundam diei tertiæ, quod evenit VII Kalend. Julii, pace, utrorumque ex parte, jurejurando firmatâ, ad castra redeunt, Missam verò Sancti Joannis in crastinum celebraturi. Pippino quoque eâdem die Lodharius in supplementum recepto mandat fratribus suis, quoniam scirent illi Imperatoris nomen magnâ auctoritate fuisse impositum, ut considerent quatenus ejusdem nominis magnificum posset explere officium, insuper autem haud se libenter utrorumque quærere profectum. Interrogati autem, si quiddam horum quæ mandaverant recipere vellet, vel si quamlibet finitivam sententiam mandasset, nihil sibi horum fuisse injunctum responderunt. Quamobrem cùm omnis spes justitiæ ac pacis sua ex parte ablata videretur, mandant illi si melius non invenisset, aut reciperet unum horum quæ illi mandaverant, aut nosset illos in crastinum (quod contigit, sicut præfatum est, VII Kalend. Julii, horâ videlicet diei secundâ) ad Omnipotentis Dei judicium, quod illis absque illorum voluntate mandaverat, esse venturos. Quæ quidem Lodharius solito more insolenter sprevit, & visuros se, quid agere deberet, respondit. Diluculo Lodhuwicus & Karolus consurgunt, verticem montis castris Lodharii contigui cum tertia, ut videtur, exercitûs parte occupant, adventúmque ejus, & horam secundam, ut sui juraverant, exspectant. Cùmque utrumque adesset, prælium super Riudam Burgundionum magno certamine committunt. Et Lodhuwicus quidem ac Lotharius in loco, qui Brittas dicitur, strenuè confligunt. Quo superatus Lodharius terga vertit. Pars autem exercitûs, quam Karolus in loco, qui Fagit vulgò dicitur, excepit, protinus fugit. Pars verò quæ in Solennat Adhelardum ceterósque, quibus haud modicum supplementum, Domino auxiliante, præbui, appetiit, strenuè conflixit.* Huc usque Nithardus, qui & ipse prælio interfuit, & ut opem Adhelardo, sic & magnum victoriæ momentum attulit. Hic fuit exitus cruentissimæ pugnæ, septimo Kalendas Julii, die Sabbati, ad Fontanetum initæ, in qua, prout Annales Fuldenses testantur,

* Pith. *firmaro rogaret, petunt.*

* Fontenay.

tanta

AN. CH. 841. LOTHAR. IMP. 25. LUDOV. R. 25. CAROLI R. 12.

tanta cades ex utraque parte fuit, ut nunquam ætas præsens tantam stragem in gente Francorum factam meminerit. In eodem *prælio*, ut Annalista Bertinianus observat, *Georgius Ravennatis Episcopus à Gregorio Romano Pontifice ad Lotharium fratrésque ejus pacis gratiâ directus, sed à Lothario detentus, neque ad fratres venire permissus, captus est, & cum honore ad propria remissus.*

Quid intereà mense Maio Nortmanni Duce Oscherio gesserint, accipe ex Monacho Fontanellensi coætaneo, in cujus Chronico hæc leguntur [a]. *Anno Dominicæ Incarnationis* DCCCXLI. *Indictione* IV. *quarto Idus Maii venerunt Nortmanni, Oscheri quoque Dux. Pridie Idus Maii incensa est ab eis urbs Rothomagus.* XVII *Kal. Junii regressi sunt à Rothomago.* IX *Kal. Junii Gemmeticum Monasterium igne cremarunt.* VIII *Kal. Junii redemptum est Fontinellense Cœnobium libris* VI. V *Kal. Junii venerunt Monachi de Sancto Dionysio, redemerúntque captivos sexaginta-octo, libris viginti-sex. Pridie Kal. Junii pagani mare petierunt. Obviúsque illis factus est Vulfardus Regis homo cum populo, sed pagani minimè ad pugnam se præparaverunt.* Hanc Nortmannorum irruptionem, minùs quidem distinctè, sed hoc eodem anno, memorant etiam Annalista Bertinianus & Auctor Chronici de Gestis Nortmannorum in Francia, quod Andreas Duchesnius [b] publici juris fecit. Ordericus [c] verò, qui plerosque recentiorum decepit, in annum sequentem perperam rejecit *Fontaneticum bellum*, & cladem Rotomagensem de qua paucis in hunc modum. *Eodem anno Normanni Rotomagum vastaverunt, & Monasterium Sancti Audoeni Præsulis Id. Maii succenderunt.*

XXIII. NEUSTRIA VASTATUR A NORTMANNIS.

[a] Tom. 2. Collect. Hist. Franc. p. 387.

[b] Tom. 2. Collect. Hist. Franc. p. 524.

[c] Lib. 1.

XXIV.

Rotomagensis Archiepiscopus erat Guntbaldus, de quo locuti jam sumus ante triennium [d]. Monasterio Sancti Audoeni prope muros Rotomagenses Abbas præerat Riculfus, qui posteà Rotomagensis etiam Archiepiscopus fuit. Auctor Neustriæ Piæ in Tractatu [e] de Monasterio Sancti Audoeni laudat Sanctum Ansbertum Rotomagensem Metropolitam, quòd Sancti Audoeni decessoris sui corpus in eminentiorem ac decentiorem ejusdem Abbatialis Ecclesiæ locum transtulerit, *ubi* teste, quem allegat, manuscripto Codice, *requievit annis centum sexaginta-quinque, scilicet usque ad tempora Northmannorum, qui gentili rabie furentes vastaverunt Rothomagum, & succenderunt Monasterium ipsius, Idibus Maii, anno Dominicæ Incarnationis 842, regnante Carolo Rege Francorum. Tunc à Riculfo Rothomagensi Archiepiscopo & ab Episcopis & Abbatibus totius Regni, sacratissimum corpus elevatur, & totum ex integro sine aliqua sui diminutione cum digno honore in feretro auro gemmisque pretioso collocatur. Inde etiam ob metum infandorum gentilium à Monachis Wadiniacum deportatur, ubi aliquot annis, miraculis coruscantibus, requievit.* At in hoc textu tria sunt corrigenda. Restituendus annus Incarnationis Dominicæ 841. Riculfus non Archiepiscopus sed Abbas appellandus. A prima Sancti Audoeni Translatione ad alteram non anni centum sexaginta-quinque sed centum quinquaginta-quatuor numerandi. Qui cladem Rotomagensem anno Redemptoris octingentesimo quadragesimo-secundo consignant, necesse est obitum Ludovici Pii rejiciant in annum Redemptoris octingentesimum quadragesimum-primum, ut Ordericus Vitalis [f] qui Ludovicum Imperatorem XII *Kal. Julii, secundo anno Imperii* Michaelis Imperatoris Constantinopolitani mortuum scribit, *deinde tertio anno* ejusdem Michaelis, *ab Incarnatione Domini* DCCCXLII, Fontaneticum bellum & excidium Rotomagense commemorat. Scimus viros in rebus Chronologicis optimè versatos super annis Michaelis haud convenire cum Orderico. Verùm hæc controversia non pertinet ad nostrum institutum. Etenim Ordericum hoc loco non allegamus, ut assequamur annum, quo Michael Imperium suscepit, sed ut ostendamus ex ejusdem Orderici computo Ludovicum Augustum obiisse anno Redemptoris octingentesimo quadragesimo-primo, & vastationem civitatis Rotomagensis anno Redemptoris octingentesimo quadragesimo-secundo contigisse. Quis autem ex Astronomo, ex

[d] Ad an. 838. n. 81.

[e] Cap. 5.

[f] Lib. 1.

AN. CH. 841. LOTHAR. IMP. 25. LUDOV. R. 25. CAROLI R. 12.

Nithardo, & ex aliis Auctoribus vel coætaneis vel supparibus Ludovicum duodecimo Kalendas Julii, die Dominico, currente literâ Dominicali C, mortuum non fateatur? Sancti Audoenus & Eligius ordinati sunt Episcopi, Clodovei Secundi Regis anno tertio, Christi sexcentesimo quadragesimo. Id prævalidè Tomo tertio probatum. Inde sequitur Sanctum Audoenum anno Christi sexcentesimo octogesimo-tertio feliciter ad Deum migrasse, ejúsque corpus quarto pòst anno sive anno Christi sexcentesimo octogesimo-septimo ab Ansberto successore in eminentiori ac decentiori loco collocatum fuisse, quod & Tomo quarto demonstratum est. Ergo à prima Translatione cujus author Sanctus Ansbertus, ad alteram quæ propter imminentem Normannorum adventum facta est, sive ab anno Christi sexcentesimo octogesimo-septimo ad octingentesimum quadragesimum-primum non anni centum sexaginta-quinque sed centum duntaxat & quinquaginta-quatuor effluxerunt. Abbatum, qui Monasterio Sanct-Audoeniano præfuerunt à primo conditu ad hunc usque annum quo redactum est in cineres à Normannis, vix ulla superest memoria. Solus à Sammarthanis in Gallia Christiana memoratur Riculfus. Præter hunc Riculfum quidam introducunt Hilduinum ex commentitiis Eugenii Secundi Papæ literis, quas suis scriptis inseruerunt Arturus *du Monstier* in Neustria Pia [a] & Franciscus Pommerayius in Historia [b] prædicti Cœnobii. Hic inter rationes ac conjecturas quas attulit, ut ostenderet hoc Monasterium, præter alia tria, Sancti videlicet Dionysii in agro Parisiensi, Sancti Medardi prope muros Suessionenses, & Sancti Germani in Parisiensi suburbano, curæ Hilduini commissum fuisse cum titulo vel Abbatis vel Præpositi, non omisit Sancti Gildardi Translationem, quæ Rotomago Suessionem facta est Hilduini temporibus. Fuit Sanctus Gildardus * Rotomagensis Episcopus Metropolitanus & Sancti Medardi Noviomensis Episcopi gemellus frater. *Multis*, ut Auctor Martyrologii Gallicani testatur [c], *rutilavit post mortem Miraculis, quibus* Beatæ Virginis *Ecclesiam, in qua fuit sepultus* extra civitatem, *suum in titulum ac patrocinium itidem vendicavit.* Ædem illam, quæ priùs Beatæ Virginis dicebatur in suburbano, hodie intra urbis pomœrium stare sub nuncupatione Sancti Gildardi, ibique sacras ejus exuvias ad tempora usque Ludovici Pii quievisse scribit Pommerayius in Gestis [d] Archiepiscoporum Rotomagensium. Sed ex eo quod illæ Reliquiæ translatæ sunt inde Suessionem ad Sancti Medardi Basilicam Hilduino tunc Abbate, non benè videtur inferre in Historia [e] Monasterii Audoeniani, quòd hujus Cœnobii curam idem Hilduinus æquè ac Medardini gesserit. Hilduinus, ut Tomo superiore dictum est, in Medardense Monasterium, quod in deliciis præ ceteris habebat, è locis longè dissitis atque etiam trans Alpes summotis multa Sanctorum corpora curavit transferenda. Nullius autem potiùs quàm Sancti Gildardi, qui gemellus Sancti Medardi frater fuit, advectionem debebat exoptare, nec ut eam promoveret, egebat peculiari quodam Dignitatis apud Rotomagum titulo, quia tunc ab Imperatore plurimùm diligebatur. Certiora leguntur de Riculfo Abbate, sic enim ille in Diplomate quod Pommerayius in eadem Historia [f] publicavit. *Ego Riculfus, tametsi meritis negantibus, divinâ tamen opitulante clementiâ, Rothomagensis Ecclesiæ humillimus Archiepiscopus sive Abbas ex Cænobio Sancti Petri almique Audoeni, quod in suburbio Metropolica urbis quondam augustiùs claruit.* Riculfum anno Redemptoris octingentesimo quadragesimo-primo, cùm Nortmanni Rotomagum vastaverunt, Abbatem Sancti Petri seu Sancti Audoeni non inficiamur, negamus autem Archiepiscopum Rotomagensem per illud tempus extitisse. Tunc in Cathedra Rotomagensi sedebat Gunrbaldus, quem hi successivè secuti sunt ejusdem civitatis Archiepiscopi, Paulus, Wenilo, Adelardus, Riculfus. In Codice igitur, quem Auctor Neustriæ Piæ allegavit, Riculfus non Archiepiscopus sed Abbas est appellandus, & textus

[a] In S. Audoeno, c. 7.
[b] Lib. 3. c. 3.
* S. Godard.
[c] D. 8. Jun.
[d] In Archiep. 34. c. 4. n. 6.
[e] Lib. 3. c. 3.
[f] Lib. 5.

AN. CH. 841. LOTHAR. IMP. 25. LUDOV. R. 25. CAROLI R. 12.

de Translationibus Sancti Audoeni, quæ per Sanctum Ansbertum & Riculfum Abbatem factæ sunt, ita corrigendus videtur. *Requievit annis centum quinquaginta-quatuor, scilicet usque ad tempora Northmannorum, qui gentili rabie furentes vastaverunt Rothomagum, & succenderunt Monasterium ipsius, Idibus Maii, anno Dominicæ Incarnationis 841, regnante Carolo Rege Francorum. Tunc à Riculfo Abbate sacratissimum corpus elevatur, & totum ex integro sine aliqua sui diminutione cum digno honore in feretro auro gemmisque pretioso collocatur. Inde etiam ob metum infandorum gentilium à Monachis Wadiniacum deportatur, ubi aliquot annis, Miraculis coruscantibus requievit.* Vadiniacum * à vado, quod & Sancti Nicasii vadum nuncupatur, nomen accepit. Fuit hic Nicasius Rotomagensium primus Episcopus, Martyrium cum Quirino Presbytero & Scubiculo Diacono subiit. Tres autem hi Martyres insigni prodigio *post lethalem ictum surgentes transacta mirabiliter vado in Insulam concesserunt* Erpæ fluminis. Ibi sepulti sunt à Pientia nobili fœmina. Sub Christianis Imperatoribus erecta illic Ecclesia, in qua Sancti Audoeni temporibus Deo famulari cœperunt Monachi missi ab eodem Sancto Audoeno è Monasterio Sancti Petri, ideóque locus ille titulo Prioratûs insignis etiamnum pendet ab eadem Abbatia Sancti Petri seu Sancti Audoeni, nec aliam rationem quæras, cur ipsius Sancti Audoeni Reliquiæ illuc ab Abbate Riculfo translatæ. Lapsu temporis exsiccatum Sancti Nicasii vadum, Vadiniacum enim hodie dexteram Erpæ ripam assidet, & quamvis Insula non supersit, nihilominùs Insulare * cognominatur. Lege Andream Saussaium in Martyrologio Gallicano [a] & Franciscum Pommerayium in Historia prædictæ Abbatiæ [b].

* Gany.

* Gany-l'Isle.

[a] D. 11. Oct.

[b] Lib. c.

XXV.

Nortmanni XVII *Kal. Junii regressi sunt à Rothomago.* IX *Kal. Junii Gemmeticum Monasterium igne cremarunt*, ut observat Auctor coætaneus jam citatus. Gemmeticum illustre Monasterium ad Sequanam fluvium in Diœcesi Rotomagensi, quinque leucis distat à Rotomago, duabus à Calidobecco *. Monachi Gemmeticenses audito paganorum adventu statim aliò commigrarunt, & corpora Sanctorum Hugonis Metropolitæ Rotomagensis & Aichadri sive Aichardi Gemmeticensis Abbatis ad villam Haspras sive Hasprum transtulerunt. Hæc villa in Cameracensi Diœcesi medio itinere inter Cameracum & Valencenas ad Salem * fluviolum, qui dexteram Schaldis ripam infra Buecinium * subit, amœno loco situ conspicitur. Ibi, longè antequàm Nortmanni per Sequanam in Neustriam irrumperent, erectum Monasteriolum, in quo Monachi Gemmeticenses collocati. Lege Tomo quinto, quæ dicta sunt ad annum Christi septingentesimum sexagesimum-sextum [c] sub Pippino Rege. Multis seculis hæc Cella pertinuit ad Monasterium Gemmeticense, donec anno Christi millesimo vicesimo-quarto factâ permutatione transiit ad Vedastinum. Ut igitur Monachi Rotomagenses è Cœnobio Sancti Petri seu Sancti Audoeni quæque sacra & pretiosa secum asportarunt ad Wadiniacum, sic & Gemmeticenses è Gemmetico ad Haspras, utrique suos ad sodales & ad loca sibi subjecta. Porrò, cùm Gemmeticum bis à Nortmannis eversum sit, semel hoc anno Redemptoris octingentesimo quadragesimo-primo, iterum anno Redemptoris octingentesimo quinquagesimo-secundo, nonnullique alterum illorum excidiorum in annum Redemptoris octingentesimum octogesimum-septimum rejiciant, inde fit, ut super anno quo Reliquiæ Sanctorum Hugonis & Aichardi ad Hasprensem Præposituram delatæ sunt, variæ circumferantur opiniones. At litem omnem dirimit Monachus Gemmeticensis in Poëmate de profectione Gemmeticensium Fratrum ad Haspras eorúmque reditu ad Gemmeticum. Secessum enim ad Haspras anno Redemptoris octingentesimo quadragesimo-primo consignat, sive post annos octingentos quadraginta, quos eleganter octo lustris totidémque seculis circumscribit.

Lustra octo, totidem labentia sæcula, cursu
Astra penetrarant post incunabula Christi,

* Candebec.

* La Selle.

* Bouchaim.

[c] Num. 13.

AN. CH. 841.
LOTHAR. IMP. 25.
LUDOV. R. 25.
CAROLI R. 12.

Belgica dum Getico Francorum littora bello
Barbarus Hastingus, Dacis egressus ab oris,
(Haud secus atque leo prædæ sitibundus ab antro)
Impetiit, gelidam quà Francia respicit Arcton,
Finitimásque urbes, & plurima castra subegit.
Proh scelus! Altithroni celeberrima Templa Tonantis
Diruit, infesto pervertens omnia Marte.
Classibus instructis tandem, Boreâque secundo,
Sequanicos intrat portus: citò fama per urbes
Pervolat attonitas, tantæ prænuntia cladis.
Undique tum misero miscetur Neustria luctu,
Undique bella premunt, hostes grassantur, & horror
Ingruit armorum, fulgent vexilla Gradivi.
Hinc procul aufugiunt Monachi, procul abdita Mystæ
Haspreadum deserta petunt, ubi claustra domúsque
Nostri juris erant.

XXVI. Oscherio prætermisso *Hastingus*, quia notior est ac celebrior, utpote qui Galliam ultra decennium continuò lacessivit, à Poëta memoratur. Amho cum armata classe per Sequanam hoc anno effusi partem Neustriæ diripuerunt. Gemmeticensi Monasterio tunc Abbas præerat Ludovicus, cujus mentionem ante triennium jam fecimus. Huic Chronologiæ plurimùm refragatur in Gallia Christiana cùm Roberti tum Sammarthanorum & in Neustria Pia Catalogus Abbatum Gemmeticensium, quem ob oculos exhibebit proxima Tabula.

ABBATES GEMMETICENSES,

ex Gallia Christiana Roberti.	*ex Gallia Christiana Sammarthanorum.*	*ex Neustria Pia.*
S. Philibertus.	1. S. Philibertus an. 638.	1. S. Philibertus.
S. Achardus.	2. S. Achardus.	2. S. Aichadrus.
Coschinus.	3 Coschinus.	3. Coschinus.
Dructegangus.	4 Dructegangus.	4 Druciegangus seu Dructegandus.
Hildegarius.	5. Hildegarius.	5 Hildegarius.
Landricus.	6. S. Hugo obiit circa an. 730.	6. S. Hugo.
Adam.	7. Landricus.	7. Landricus.
Helizagar.	8. Adam.	8. Adamus.
Angilbertus.	9. Helizagat an. 800.	9. Helisagarus an. 800.
Ansegisus.	10. Angilbertus.	10. Angilbertus.
Fulco.	11. Ansegisus.	11. Ansegisus.
Richodo.	12. Fulco.	12. Fulco.
Baldricus.	13. Richodo.	13. Ricchebodus.
Heribertus.	14. Baldricus.	14. Baldricus.
Theodericus.	15. Heribertus an. 838.	15. Herihertus.
Chodinus.	16. Theodericus.	16. Theodericus.
Chugo.	17. Godinus.	17. Rhodinus, seu Chodinus, vel Chugo.
Gauslenus.	18. Hugo 2.	18. Sanslerius, al. Gauslenus.
Ludovicus.	19. Gauslenus.	19. Ludovicus.
Welpho.	20. Ludovicus.	20. Welpho, seu Guelpho, an. 852.
	21. Welpho an. 852.	

In hac Tabula Robertus à primo conditu Monasterii sola refert Abbarum nomina, donec Abbates illius loci propter illatam à Nortmannis vastationem vel esse vel dici desierunt. Sammarthani nonnullos addunt Characteres Chronologicos ad Sanctum Philibertum, ad Sanctum Achardum, ad Sanctum Hugonem, ad Helizagarum, ad Heribertum, & ad Welphonem; pauciores Auctor Neustriæ Piæ, ad Landricum, ad Helisagarum, & ad Welphonem. Nos Abbatum seriem texuimus in multis differentem, Characterésque Chronologicos longè plures adjecimus initio ducto non ab anno 638 sed ab anno 662, quo Gemmeticense Monasterium cœpit ædificari. Super Abbatibus, qui Cœnobium illud stante Meroveadarum stirpe gubernarunt, priorem Monasteriorum Indicem ad calcem Tomi quinti consule. Pippino Rege florebat Abbas Druthgungus, in Gallia Christiana & in Neustria Pia perperam omissus. Hic apud Attiniacum anno Christi septingentesimo sexagesimo-quinto Synodalem Conventum suâ subscriptione sic communivit. *Druthgungus Abbas de Gemetico.* Locum igitur obtinere debet inter Sanctum Hugonem & Landricum, quorum ille anno Christi septingentesimo tricesimo migravit in cælum, hic vivebat adhuc anno Christi septingentesimo octogesimo-septimo, ut constat ex Chronico Fontanellensi [a]. Landrico suffecimus Adamum, Adamo Helisagarum, quem præcitati Nomenclatores anno Redemptoris octingentesimo commendant.

AN. CH. 841. LOTHAR. IMP. 25. LUDOV. R. 25. CAROLI R. 12. XXVII.

[a] Cap. 14.

De successoribus ad medium usque nonum seculum major occurrit difficultas. Duodecim in vulgatis Catalogis post Helisagarum recensentur, Angilbertus, Ansegisus, Fulco, Ricbodo seu Ricchebodus, Baldricus, Heribertus, Theodericus, Godinus seu Rhodinus vel Chodinus, Chugo sive Hugo Secundus, Gauslenus seu Sanstetius, Ludovicus, Welpho seu Guelpho. Sed plerique vel expungendi sunt, vel post medium nonum seculum rejiciendi. Helisacbaro successivè per ordinem Angilbertum, Ansegisum, Fulconem, Ricbodonem, Ludovicum subrogavimus. De Angilberto & Ansegiso nihil reperimus prætet nuda nomina. Fulconem, qui post Hilduinum Archicapellanus Palatii Ludoviciani fuit, memoravimus ad annum Redemptoris octingentesimum tricesimum quia tunc in illud munus Hilduino successit ob spretam Imperatoris jussionem in exilium acto, necnon ad annum Redemptoris octingentesimum tricesimum-quartum, quia tunc in redintegrando Ludovico plurimùm laboravit. Eidem Fulconi sub idem tempus mortuo substituimus Ricbodonem seu Ricchebodum, deinde Ludovicum quem anno Redemptoris octingentesimo tricesimo-octavo floruisse diximus. Hunc Abbatem triennio pòst adhuc superstitem arbitramur, quando Gemmeticense Monasterium à Nortmannis primâ vice concrematum est. Iidem barbari similem rursum cladem illi Cœnobio post decennium intulerunt Guelphone seu Guelpho tunc Abbate. De ceteris Abbatibus, quos vulgati Catalogi Ludovico præponunt, agemus post alteram Gemmetici cladem, nec deerunt rationes quibus opinionem nostram fulciamus. XXVIII.

Actum mitiùs à Nortmannis cum Fontanella quàm cum Gemmetico. VIII *Kal. Junii redemptum est Fontinellense Cœnobium libris* VI. Ita Scriptor coætaneus jam citatus. *Est autem hoc Cœnobium*, ut legitur [b] in vita Sancti Wandregisili, *situm in territorio Rothomagensi, distans à memorata urbe millibus fermè decem & octo, porrò à fluvio magno Sequana spatio passuum circiter octingentorum.* De Josepho, qui simul & Ebroïcensis Episcopus & Abbas Fontanellensis fuit, prolixiorem anno postero sermonem faciemus. XXIX.

[b] Ap. Sur. d. 22. Jul.

V *Kal. Junii venerunt Monachi de Sancto Dionysio, redemerúntque captivos sexaginta-octo, libris viginti-sex.* Hæc Monachus Fontanellensis coætaneus. Superstes in vivis adhuc erat Hilduinus Abbas San-Dionysianus. XXX.

Denique *pridie Kal. Junii pagani mare petierunt.* Præceps hic discessus seu fuga Nortmannorum, qui ne pugnam quidem ausi sunt conferere cum XXXI.

AN. CH. 841. LOTHAR. IMP. 25. LUDOV. R. 25. CAROLI R. 12.

Vulfardo Carolinarum copiarum Duce, facilè nos adducit, ut censeamus Monachos, quos adventus barbarorum disperserat, instaurationem suorum Monasteriorum mox aggressos esse.

XXXII. Tota hæc Nortmannorum irruptio ad mensem Maium pertinet. Mense Junio atrox, ut suprà diximus, ad Fontanetum in Autissiodorensi pago commissa pugna. Victus Lotharius cum Pippino. Quales posteà se gesserint qui victores extiterunt Ludovicus & Carolus, in hunc modum exponit Nithardus [a]. *Prælio* strenuè peracto, quid de palantibus peragere deberetur, *Ludhuwicus & Karolus in eodem campo deliberare cœperunt. Et quidam irâ correpti, persequi hostes suadebant; quidam autem, & maximè Reges, miserantes fratris plebísque, & ut judicio Dei, & hac plagâ repressi, ab iniqua cupiditate resipiscerent, &, Deo donante, deinceps unanimes in vera justitia devenirent, piis visceribus, solito more, optabant. In quo negotio Dei Omnipotentis misericordia ut præstolaretur, suadebant. Quibus cetera multitudo assentientes à prælio & præda discesserunt, & ferè mediante die ad castra redeunt, quid deinceps consultius agendum * videretur, deliberaturi. Fuit quidem ingens numerus prædæ, & ingens cædes: insuper admirabilis, immò & meritò notabilis misericordia tam Regum quàm & universorum. Nam diversis pro rebus diem Dominicum inibi acturos se deliberarunt. In quo, Missâ peractâ, amicos & inimicos, fideles & infideles pariter sepulturæ tradebant: plagâ correptos ac semivivos eodem modo pro viribus ex animo refovebant. Post hos, qui fugâ evaserant, miserunt offerentes, si reverti sanâ fide vellent, omnia delicta remitti. Post hæc Reges populique super fratre populóque Christiano dolentes, percontari Episcopos cœperunt, quid agere super hoc negotio deberent. Quamobrem unanimes ad Concilium omnes Episcopi confluunt, inventúmque in Conventu publico est, quòd pro sola justitia & æquitate decertaverint, & hoc Dei judicio manifestum effectum sit, ac per hoc immunis omnis Dei Minister in hoc negotio haberi tam suasor quàm & effector deberet. At quicunque conscius sibi aut irâ, aut odio, aut vanâ gloriâ, aut certè quolibet vitio quiddam in hac expeditione suasit, vel gessit, esset verè confessus secretè, secreti delicti & secundùm modum culpæ dijudicaretur. Verumtamen in veneratione ac laude tantæ declarationis justitiæ, pro remissione delictis mortuorum fratrum suorum (in eo quòd imperfectis peccatis intervenientibus se noverant, ut in multis volentes nolentésque delinquebant) uti suo adjutorio ab his exuti liberarentur. Insuper autem, uti hactenus in justitia adjutor & protector illis Deus extitit, ita & deinceps ubique existeret. Próque his omnibus triduanum jejunium injunctum, immóque libenter ac celebre celebratum est.*

[a] Lib. 3.

* Edit. aliorum

XXXIII. *His ita rebus peractis, Lodhuwicus ut Renum peteret, decrevit. Karolus autem diversis pro rebus, & maximè propter Pippinum, ut illum sibi subdere studeret, in Aquitaniam ut proficisceretur ratum habuit. Nam Bernardus Dux Septimaniæ, quamquam à loco prædicti prælii plùs minùs leuvas tres defuerit, neutri in hoc negotio supplementum fuit. Victoriam autem ut Karoli esse didicit, filium suum Willelmum ad illum direxit, &, si honores, quos idem in Burgundia habuit, eidem donare vellet, ut se illi commendaret, præcepit. Insuper jactabat se posse, necnon & aiebat, quòd Pippinum unà cum suis Karolo fœdere quo valeret subdere vellet. Quam Legationem benignè excepit, & sicut postulaverat per omnia concessit, monens ut de Pippino & suis, quod promiserat *, in quantùm posset, ut perficeretur, operam daret. Cúmque adversa undique propulsa viderentur, ac spes prosperitatis cuique hinc inde faveret, Lodhuwicus suis Renum petiit, Karolus verò unà cum matre Ligerim adiit. Re autem publicâ inconsultiùs quàm oporteret omissâ, quò quemque voluntas rapuit, perfacilè omissus abscessit. Quod quidem Pippinus audiens, paulò antè desideratum cum illo fœdus inire distulit. Bernardus quidem ad illum venit, sed ut illi se commendaret, minimè acquievit.*

* Duchesn. malè promiserant,

XXXIV. Antequàm ulteriùs progrediamur, nonnulla de Bernardo ejúsque filiis hîc videntur observanda. Bernardus, ut Tomo superiore [b] dictum est, anno Redemptoris octingentesimo vicesimo-quarto Dodanam seu Duodanam

[b] An. 824. n. 5.

uxorem duxit. Hæc biennio pòst, sive anno Redemptoris octingentesimo vicesimo-sexto, qui decimus-tertius erat Imperii Ludoviciani, tertio Kalendas Decembris prolem masculam peperit, cui nomen inditum Willelmi. Sic enim ipsamet Dodana in Præfatione libri Manualis ad eundem Willelmum scribit. *In XIII anno Regni ejus, III Kalendarum Decembrium, auxiliante, ut credo, Deo, tua ex me, desideratissime fili primogenite, in seculo processit nativitas.* Peperit & alterum filium undecimo Kalendas Aprilis, hoc anno post Ludovici Imperatoris obitum proximo. In eadem enim Præfatione hanc subjungit periodum. *Post mortem ejus*, nempe Ludovici Augusti, *in anno sequente nativitas fratris tui, qui ex meo post te secundus egressus est utero, XI Kalendas Aprilis in Uceʒia urbe, Deo miserante, exorta est. Etenim parvulum illum, antequàm Baptismatis accepisset gratiam, dominus & genitor utrique vestrûm Bernardus unà cum Elefanto prædicta civitatis Episcopo, & unum ceteris fidelibus suis, in Aquitania partibus ad suam fecit adduci præsentiam.* Bernardus in gratiam cum Rege Carolo redierat, ejúsque consensu, imò jussione, in Aquitania morabatur, ut ortam Carolum inter ac Pippinum de Aquitaniæ Regno contentionem sedaret, ipsúmque Pippinum atque ejus fautores, si posset, ad præstandam Carolo fidelitatem persuasoriis hortationibus permotus adduceret. *Karolus* Bernardum, inquit Nithardus hoc anno [a] jam citatus, *ditatum muneribus & gratiâ in societatem amicitiæ suscepit, & ut Pippinum ac suos, uti promiserat, subditos sibi efficere temptaret, direxit. Et his ista compositis Cenomannicam urbem adiit*, certè longè ante Paschalem Festivitatem, Cenomanno enim profectus est in pagos Rotomagensem ac Parisiensem, necnon inde Senonas, ac Trecas ubi Pascha decimo-quinto Kalendas Maii celebravit. Bernardus suis pollicitationibus haud stetit, de rebus enim Caroli promovendis sollicitum se minimè præbuit. Ab Ucecia non procul aberat, cùm auctus est altero filio, quem statim curavit ad se deferri, vocato etiam Elefanto illius civitatis Episcopo grandævo, Pontificatum enim anno Redemptoris octingentesimo jam gerebat. Quæ secuta sunt, facilè suadent Bernardum Pippino magis favisse quàm Carolo, sic tamen, ut suis privatim negotiis potissimùm intenderet, atque in sua Præfectura res novas, quemadmodum Nomenoïus in Britannia, meditaretur. Id mense Junio patuit, quando commissum est prælium ad Fontanetum. Pugnarunt ab una parte Ludovicus & Carolus, ab altera Lotharius & Pippinus. Bernardus autem, qui copias suo nomine conscripserat, simúlque cum Pippino Lotharium poterat adire, maluit eventum pugnæ præstolari, neutri tunc addictus parti, victrici mox adhæsurus. Audi denuò Nithardum. *Bernardus Dux Septimania, quamquam à loco prædicti prælii plùs minùs leuvas tres defuerit, neutri in hoc negotio supplementum fuit. Victoriam autem ut Karoli esse didicit, filium suum, Willelmum* adolescentem annorum quindecim, *ad illum direxit, &, si honores, quos idem in Burgundia habuit, eidem donare vellet, ut se illi commendaret, præcepit. Insuper jactabat se posse, necnon & aiebat, quòd Pippinum unà cum suis Karolo fœdere quo valeret subdere vellet. Quam Legationem benignè excepit, & sicut postulaverat per omnia concessit, monens ut de Pippino & suis, quod promiserat, in quantùm posset, ut perficeretur, operam daret.* Carolus in Aquitaniam pertexit cum matre. Bernardus Pippinum convenit, frustráque hortatus est ut Carolo se summitteret. *Quidam tamen à Pippina desciverunt, & hoc tantùm præfata expeditio Karolo profuit, quòd illos sibi fœderatos recepit.*

AN. CH. 841.
LOTHAR. IMP. 25.
LUDOV. R. 25.
CAROLI R. 12.

[a] Num. 1.

BERNARDUS SEPTIMANIÆ DUX RES NOVAS MOLITUR.

XXXV. *Intereà*, ut Nithardus subjungit, *Adhelardus ceterique, quos Karolus ad Francos direxerat, scire cupiens si ad illum reverti vellent, Carisiacum venientes, quò illi ut Missos dirigeret mandaverant, perpaucos obviam habuerunt, qui hoc dicebant, si idem Karolus ad præsens esset, ad illum venire minimè differrent, aliter autem nescire aiebant, utrùm viveret, an non. Jactaverant enim hi, qui parti Lotharii assentiebant, in prælio Karolum cecidisse, Lodhuwicum vulneratum &*

AN. CH. 841. LOTHAR. IMP. 25. LUDOV. R. 25. CAROLI R. 12.

fugâ lapsum obiisse. Quapropter inconsultum aiebant, in incertis rebus aliquod fœdus cum quolibet inire debere. At Gunsboldus ceterique coadunati supra præfatos Karoli Missos irruere se simulabant, & utique fecissent si ausi essent. Quapropter ad Karolum Adbelardus & ceteri miserunt mandantes, ut, quantocyùs posset, venire satageret, quatinus & illis adjutorium præberet, &, si Franci, uti aiebant, ad illum venire vellent, scire posset. Ipsi verò Parisiacam civitatem adeunt, adventum Karoli præstolaturi. Quod cùm Karolo nunciaretur, protinus his in partibus iter direxit. Ad Sequanam autem ut pervenit, Adbelardum unà cum ceteris in Spedonna * prope Meduntam * Castrum, nec procul à confluentibus Maldræ * & Sequanæ, *obviam babuit. Et quamquam propter Conventum, quod cum fratre in Lingonicam urbem Kal. Sept. condixerat, quoniam imminebat, anxius esset, ratum duxit, ut saltem citato cursu per urbem Bellovacensem, ac deinde per Compendium & Suessiones, hinc per Remensem & Cadelonensem *, Lingonicam peteret urbem, quatinus eo tenore id, quod cum fratre statuerat, observare studeret, &, si quilibet è Francis ad illum venire vellet, posset. Franci verò eandem paucitatem, quam & Aquitani spreverant, spernentes, variis fictionibus illi se per præsens subdere distulerunt. Quod ut Karolus cognovit, præfatum iter accelerare cœpit.*

CAROLUS R. CUM LUDOVICO FRATRE COLLOCUTURUS LINGONAS CONTENDIT.

* *Espone.*
* *Mante-le-Chasteau.*
* *La Maudre.*
* *Chaalons sur Marne.*

XXXVI. Inter fluvios Ligerim & Sequanam sita Cenomannia. Carolus cùm illuc iter haberet, Anisolæ Monasterium Aldrico Cenomannensium Episcopo restituendum curavit, in ejusdem enim Aldrici Gestis caput quinquagesimum-tertium sic habet. *Vertente autem tempore, & Sigemundo*, cui Carolus Rex Anisolense Monasterium anno præterito ægiè invitúsque pro redimenda provinciæ tranquillitate concesserat, *ad memoratum Regem, Domnum videlicet Karolum filium Hludovici Imperatoris, minimè veniente, & facto maximo prælio in pago Altissiodorense inter Karolum & Hlotharium, in quo à Domino Deo & Salvatore nostro data est jam dicto Karolo victoria, & eo per partes Cenomanicas remeante, nec tunc memorato Sigemundo ad eum veniente, redditur Kal. Augusti in villa, cujus vocabulum est Bona super fluvium Liz in pago Cenomanico, à præscripto Domno Karolo legibus Aldrico Episcopo per judicium multorum nobilium & sapientium virorum prædictum Anisolæ Monasterium cum omnibus ad se pertinentibus, eique ibi Missi boni & strenui dati sunt, qui eum & Cenomanicam Matrem sibi commissam Ecclesiam legibus revestirent, & plenam ei atque legalem vestituram ex eo futuris temporibus legaliter tenendam facerent. Quod & supradicto prætextu* III *Nonas jamdicti mensis factum esse liquet. Et sic falsitas subditur veritati, atque injustè alienata justè restituuntur; quæ & hactenus à præfato Episcopo & à sua Sedis Ecclesiæ Ministris legibus possidentur, & canonicè atque regulariter gubernantur.* Auctor in postrema periodo suam ætatem apertè prodit, résque gestas Aldrici significat à se conscriptas fuisse, cùm ipsemet Aldricus in vivis adhuc superstes Anisolense Monasterium possideret.

XXXVII. Carolus, ut insinuatum suprà, priusquàm pedem ex Aquitania moveret, Lingonas proficisci statuerat, ut cum Ludovico fratre colloquium haberet. Illud iter per Cenomannicam, Bellovaco, Suessione, Remis & Catalauno, feliciter confecit. *Cúmque Suessionicam peteret urbem*, inquit Nithardus, *Monachi de Sancto Medardo occurrerunt illi, deprecantes ut corpora Sanctorum Medardi, Sebastiani, Gregorii, Tiburcii, Petri & Marcellini, Marii, Marthæ, Audifax & Abacuc, Honesimi, Meresinæ & Leocadiæ, Mariani, Pelagii & Mauri, Floriani cum sex fratribus suis, Gildardi, Sereni, & Domni Remigii Rotomagorum Archiepiscopi, in Basilicam, ubi nunc quiescunt, & jam tunc maxima ex parte ædificata erat, transferret. Quibus acquiescens inibi remansit, &, uti postulaverant, Beatorum corpora propriis humeris cum omni veneratione transtulit. Insuper & villam, quæ Bernacha * dicitur, rebus ejusdem Ecclesiæ per Edictum addidit.* In Chronico [a] Medardensi prædicta Translatio ponitur *sexto Kalendas Septembris*. Odilo Medardensis Monachus in epistola [b] de adventu & susceptione

SUESSIONE INTEREST TRANSLATIONI MULTORUM SANCTORUM.

* *Berneuil.*

[a] Tom. 2. Spicileg.

[b] Tom. 1. Sec. 4. Benedict.

AN. CH. 841. LOTHAR. IMP. 25. LUDOV. R. 25. CAROLI R. 12.

ptione Reliquiarum, quarum commemoratio fit pridie Idus Julias, hæc scribit. *Anno Incarnationis Dominicæ* DCCCXXVIII, II *Idus Julii, Venerabilis Abbas Hilduinus suscepit corpora Sanctorum Martyrum, Tiburtii, Marcellini & Petri, Marii, Marthæ, Audifax & Abacuc, & apud Sanctum Medardum in loco celebri honorificè collocata penes Venerabile corpus inclyti Martyris Sebastiani deposuit* *, *cujus adventûs & exceptionis corporis ille tertius annus tunc extitit temporis.* Apud hunc Auctorem numerus annorum intelligendus est de incompletis, Reliquiæ enim Sancti Sebastiani Martyris & Sancti Gregorii Magni Papæ Româ Suessionem delatæ sunt anno Redemptoris octingentesimo vicesimo-sexto. Lege Tomo superiore quæ dicta sunt ad illum annum duósque proximè sequentes. Sanctus Honesimus sive Onesimus in Episcoporum Suessionensium Catalogo septimum locum tenet, florebat quarto seculo, migravit ad Deum tertio Idus Maii, quo die colitur in Fastis Belgicis & in Martyrologio Gallicano, sepultus fuit *in Ecclesia Sancti Georgii Martyris extra confinia civitatis Suessionensis, in fisco Croviaco, in vico qui posteà Sancti Medardi nomine insignitus habetur*, ut refert vetus Codex manuscriptus, quem Sammarthani in Gallia [a] Christiana & Dormayus in Historia [b] Suessionensi laudant. In Tabulis Ecclesiasticis celebratur Leocadia Virgo & Martyr Toletana quinto Idus Decembris, illóque die variis ex Legendariis memorat ejus Acta Joannes Tamayus cum Translationibus, quæ per ordinem sic recensentur. *Sanctum corpusculum, veniente in Hispaniam propter hominum scelera Sarracenorum irruptione, cum aliis Reliquiis Ovetum primò, inde Suessionem Galliæ, post ad Sanctum Gislenum Belgiæ, & tandem Toletum diversis temporum interstitiis translatum est, & ubique honorificè cultum.* In Nithardi textu nomina Sanctarum Meresinæ & Leocadiæ sic conjunguntur, ut ambarum Reliquiæ simul ex Hispania Suessionem translatæ videantur. Sancti Gildardi corpus, ut suprà dictum est, è Monasterio Sancti Petri sive Audoeni prope muros Rotomagenses Suessionem delatum est Hilduino jam Abbate. Cum corpore Sancti Gildardi Rotomago Suessionem quoque translatæ sunt Reliquiæ Sancti Remigii Rotomagensis quondam Archiepiscopi, illarúmque susceptio celebris in Cœnobio Medardensi fuit decimo-quinto Kalendas Julias, ut observat Pommerayus in Rotomagensium Antistitum Historia [c]. De Sancto Mariano & ceteris, quos Nithardus nominat, nihil hic occurrit specialiter observandum, quia multi floruerunt Mariani, multi Pelagii, &c. nec facile est inter plures ejusdem nominis, illum certò eligere qui Suessione quieverit. In prædicta Translatione, nulla fit Hilduini mentio, qui tunc Abbas erat Monasterii Medardensis. Existimamus illum in comitatu Lotharii Imperatoris adhuc fuisse. Per ejus absentiam tria Monasteria, quorum administrationem cum Abbatis titulo susceperat, Dionysianum videlicet in agro Parisiensi, Medardense prope muros Suessionenses, & Germanense in suburbano Parisiensi, caruerunt Rectore. Singula Carolus Rex adiit hoc anno; Parisiensia ineunte Aprili, Suessionense mense Augusto. Admodum probabile fit istorum locorum Monachos apud Regem flagrantissimis egisse precibus, ut Ludovicum patrem imitatus datâ reo veniâ suum sibi restitueret Abbatem, ídque non displicuisse Carolo, multò minùs Hilduino, qui statim recesserit à partibus Lotharianis, & annuente Carolo redierit ad Abbatiam Medardensem, ubi reliquum vitæ tempus tranquillè piéque transegit, ut anno proximo fusiùs exponemus.

* Edit. deposita.

[a] Tom. 3.

[b] Lib. 2. c. 10.

[c] In Archiep. 29. c. 4. an. 10. 11.

HILDUINUS ABB. PARTES LOTHARII DESERIT.

XXXVIII. Eodem Augusto mense, quo Carolus Suessione cum maxima veneratione Translationi multorum Sanctorum interfuit, Ludovicus ejus frater villam Regiam, cui nomen Salz, adiit. *Carlo*, inquit Annalista Fuldensis, *in Occidentalibus remanente, Hludowicus quasi mediante mense Augusto venit ad villam Regiam, quæ vocatur Salz.* Ratisponæ degebat decimo quinto Kalendas Septembris, quando Præceptum pro Monasterio Inferioris Altaichii dedit anno

LUDOVICUS R. EDIT PRÆCEPTUM PRO ALTAHA INFERIORE.

AN. CH. 841. LOTHAR. IMP. 25. LUDOV. R. 25. CAROLI R. 12.

vicesimo-quintu Regni sui jam inchoato, nam Bojoariæ Rex à patre dictus est anno Redemptoris octingentesimo decimo-septimo, mense Julio, ut Tomo superiore ad illum annum observavimus In ipsum Diploma loco quartæ perperam irrepsit Indictio quinta. Præmissis his observationibus integrum accipe Præceptum ex Gewoldi [a] Additionibus ad Hundium. *In Nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. Ludovicus Divinâ favente Clementiâ Rex. Si loca divinis cultibus consecrata nostro relevamus juvamine, & augmentum illis in rebus transitoriis impendimus, hoc nobis procul dubio profuturum esse liquidò credimus. Quapropter notum sit omnibus fidelibus Sanctæ Dei Ecclesiæ nostrisque, præsentibus scilicet & futuris, qualiter nos ob petitionem Eginulfi fidelis nostri quasdam res proprietatis nostræ, quas quondam Reginbertus & Reginolf pater suus servus noster possidens incolebat, ad Monasterium quod vocatur Altaha, cui Otgarius Abbas & Rector præesse constituitur, ad proprium dedimus, datùmque in perpetuum mansurum esse volumus, quicquid Reginbertus prædictus & Reginolf pater suus servus noster de nostro jure habere visus fuit. Sunt autem ipsæ res in conjacentibus terminis prope Monasterium Altaha in pago Quinzingovue situm in territorio quod est inter Sweinaha & Monasterium Altaha contiguum. Sed pro integra firmitate petiit præfatus Otgarius nostræ auctoritatis Præceptum super hac re sibi conscribi, cujus petitioni libenter annuimus, & hoc Præceptum nostræ Donationis scribere jussimus, per quod præcipientes imperamus, ut res superiùs comprehensæ jure firmissimo in potestate ejusdem Otgarii successorúmque ipsius perpetualiter sine ulla contradictione inconvulsæ permaneant. Et quicquid inde elegerit faciendum, plenariam deinceps & liberam faciendi potestatem habeat. Et ut hæc auctoritas nostræ largitionis firmiorem obtineat vigorem, veriúsque credatur, atque diligentiùs conservetur, manu propriâ nostrâ subtus eam firmavimus, & sigilli nostri impressione assignari jussimus. Data 15 Cal. Septembr. anno, Christo propitio, 25 Regni Ludovici Serenissimi Regis in Orientali Francia regnantis, Indictione 5.* (lege 4.) *Actum in civitate Ratispona, in Dei Nomine feliciter. Amen.*

[a] Tom. 1. in Altaha Inferiore.

XXXIX. *Lotharius nefaria contra fratres consilia molitur.*

Annalista Fuldensis hoc anno nefaria Lotharii contra fratres consilia non omittit. *Lotharius verò iterum suis undique collectis Mogontiacum veniens, Saxones cum Hlothario filio suo parvulo obviam sibi Nemetim venire præcepit. Ipse autem Rhenum transiens, quasi Hludowicum fratrem suum usque ad exteras nationes fugaturus, infecto negotio redit Wormatiam. Ubi celebratis filiæ suæ nuptiis, rursus contra Carlum in Gallias pergit.* Res à Lothario & Ludovico post Fontaneticum prælium gestas fusiùs ac distinctiùs Annalista Bertinianus ita persequitur. *Lotharius terga vertens, & Aquasgrani perveniens, Saxones ceteróſque confines restaurandi prælii gratiâ sibi conciliare studet, in tantum ut Saxonibus, qui Stellinga appellantur, quorum multiplicior numerus in eorum gente habetur, optionem cujuscumque legis vel antiquorum Saxonum consuetudinis, utram earum mallent, concesserit. Qui semper ad mala proclives, magis ritum paganorum imitari, quàm Christianæ fidei sacramenta tenere delegerunt. Herioldo, qui cum ceteris Danorum maritimis incommoda tanta sui causâ ad patris injuriam invexerat, Gaula Crusalia, quæ vicina loco, hujus meriti gratiâ in beneficium contulit. Dignum sanè omni detestatione facinus, ut qui mala Christianis intulerant, iidem Christianorum terris & populis Christique Ecclesiis præferrentur, ut persecutores fidei Christianæ Domini Christianorum existerent, & dæmonum cultoribus Christiani populi deservirent. Hludowicus partim terroribus, partim gratiâ, Saxonum quidem complures, Austrasiorum, Toringorum, atque Alemannorum, suæ omnes subjugat ditioni. Lotharius Rheni amne transposito, Hludowicum bello impetere moliens, cogitatum suorum frustratus, in Carolum subitò vertitur, ratus eum longiùs à fratre Hludowico separatum, aggressum, faciliùs, evincendum.*

XL. Quid autem Carolus præstiterit, & quomodo restiterit Lothario, fusè describit Nithardus. *His ita peractis*, id est, factâ Sancti Medardi aliorúmque Translatione de qua suprà, Carolus exiit Suessione, *Remensem urbem*

AN. CH. 841. LOTHAR. IMP. 25. LUDOV. R. 25. CAROLI R. 12.

petiit. Cetera persequemur inferiùs. Priùs enim hic observandum occurrit, quòd in itinere villam adiit Regiam, cui nomen Corbanacum, Corbonacum, Corbennacum, Corbenacum, Corbiniacum, & Carbonaeum. In eo versabatur loco, quando pro Fossatensi Monasterio Præceptum emisit, Kalendis videlicet Septembribus, Indictione quartâ Regiâ seu Francicâ, quæ principium idem habuit ac annus Redemptoris octingentesimus quadragesimus-primus, illigatáque est partim primo partim secundo Caroli Regis anno post Ludovici patris obitum. Illud autem Caroli Præceptum in Fossatensi Codice sic habetur. *In Nomine Sancta & Individua Trinitatis, Karolus gratiâ Dei Rex. Si igitur congruis & opportunis petitionibus servorum Dei, quas pro suis necessitatibus nobis intimant, aurem Celsitudinis nostræ libenter exercemus, in hoc divinam misericordiam super nos provocare nullatenus ambigimus, Regníque nostri stabilitatem multò magis accrescere. Idcircò notum sit omnibus fidelibus Sancta Dei Ecclesia & nostris, præsentibus scilicet & futuris, quòd Monachi ex Monasterio, qui dicitur Fossatus, constructum in honore Sancta Maria semper Virginis & beatorum Apostolorum Petri & Pauli, situm super fluvium Materna, ubi Ingelbertus Abbas praesse videtur, obtulerunt obtutibus nostris auctoritatem roboratam Domini & Genitoris nostri Ludovici Pissimi Augusti, quâ continebatur qualiter ipsum Monasterium Bego penitus destructum restaurasset, & ad pristinum statum revocare curasset, & sub norma Religionis locare, & veniens in præsentia ipsius Domini & Genitoris nostri eidem commendasset idem Monasterium unà cum Monachis ibidem Deo famulantibus, obsecrans ut sub sua tuitione & defensione eundem Monasterium sicut & reliqua Monasteria per cunctum Imperium suum degentia recepisset cum omnibus rebus ad prædictum Monasterium pertinentibus, quod libenter annuisse ibidem invenimus. Quapropter petierunt Celsitudinem nostram, ut nos demùm auctoritatem Domini & Genitoris nostri per nostram auctoritatem conservare dignaremur, atque eos sub nostra defensione recipere, quemadmodum Dominus & Genitor noster fecerat. Quorum petitionem denegare noluimus, sed eorum preces libenter annuimus. Proinde ergo volumus, ut prædicti Abbas & Monachi in sæpedicto Monasterio degentes cum omnibus rebus quæ ad ipsum Monasterium pertinere videntur, vel deinceps justè adquirere potuerint, sub nostra defensione & Immunitatis tuitione persistant. Præcipientes atque jubentes decernimus, ut nullus Judex publicus vel quislibet Judiciariam exercens potestatem, in Ecclesias, aut loca, vel agros, seu reliquas possessiones prædicti Monasterii, quas moderno tempore justè & rationabiliter possidere videtur in quibuslibet pagis & territoriis, quicquid ibidem propter divinum amorem conlatum fuerit, quæque etiam deinceps in jure ipsius sancti loci divina pietas voluerit augeri, ad causas audiendas, vel freda exigenda, aut mansiones aut paratas faciendas, aut fidejussores tollendos, aut homines ipsius Monasterii tam ingenuos quàm & servos sub terra ipsius commanentes distringendos, nec ullas redibitiones aut illicitas occasiones requirendas, ullo unquam tempore ingredi audeat, vel ea quæ suprà memorata sunt penitus exigere præsumat, & quicquid de rebus præfati Monasterii fiscus noster exigere poterat, totum nos pro remedio animæ Domini & Genitoris nostri, vel etiam pro æterna remuneratione prædicto Monasterio concedimus, ut perpetuis temporibus in alimoniis pauperum & stipendiis Monachorum ibidem Deo famulantium proficiat in augmentum, & quandoquidem divinâ vocatione supradicti Abbas vel successores ejus ex hac luce migraverint, quamdiu ipsi Monachi inter se tales invenire potuerint, qui ipsam Congregationem secundùm Regulam Sancti Benedicti regere valeant, per hanc nostram auctoritatem & concessum, licentiam habeant eligendi Abbates, quatinus ipsos servos Dei, qui ibidem Deo famulantur, pro nobis & stabilitate Regni nostri & salute populi nostri jugiter Domini misericordiam exorare delectet. Et ut hæc auctoritas nostris futurísque temporibus Domino protegente valeat inconvulsa manere, manu propriâ subter firmavimus, & anuli nostri impressione sigillari jussimus. Signum Karoli Gloriosissimi Regis. Jonas Notarius od vicem Ludovici recognovi. Data Kl. Septembris, anno secundo regnante*

CAROLI R. PRÆCEPTUM PRO MON. FALSATENSI.

AN. CH. *Gloriosissimo Rege Karolo, Indictione* IIII. *Actum Corbanaco Palatio Regio in* 841. *Dei Nomine feliciter. Amen.*

XLI. De situ Corbanaci plerique disputant. Difficultatem omnem adimere

Situs Corbanaci. videtur præcitati Diplomatis subscriptio. Carolo enim Suessione Remos proficiscenti necesse est occurrat Corbanacum. Occurrit autem, seu Rex Suessione rectâ Corbanacum indéque Remos petit, seu quod probabilius arbitramur, Suessione Laudunum, quod est firmissimum propugnaculum,

* Corbeny. Lauduno Remos contendit. Corbanacum * enim situm est inter Laudunum ac Remos in Diœcesi Laudunensi, distátque sex leucis à Remensi

a Lib. 4. c. 7. Metropoli. Lege Guillelmum Marlotum Tomo primo [a] Historiæ Remensis & Mabillonium libro 4. de re Diplomaticâ.

XLII. E Corbanaco Palatio Regio Carolus Remos petiit, ut Nithardus [b] su-

b Lib. 3. An Ebo Remis a Lothario Romam missus ad Gregorium PP. c Lib. 2. c. 20. prà citatus jam insinuavit. Tunc Fulco Remensis Chorepiscopus Ecclesiam Remensem administrabat Ebone ad Lotharium Imperatorem profecto, cùm annum post suam reversionem haud exegisset. Hunc *pacificè plusquàm biennio omnibus Episcopalibus officiis* functum asserunt frustrà Clerici Remenses in sua narratione. Remos ingressus est VIII *Idus Decembris*, annóque nondum revoluto procul ad Lotharium fugit. Audi Flodoardum in Historia [c] Remensis Ecclesiæ. *Eo tempore, quo Lotharius Carolum à Regno expulit, & ultra Sequanam fugavit, Ebo Sedem Remensem post sex annos suæ depositionis recepit, & Episcopale Ministerium agere cœpit. Sicque ordinationes celebrans quosdam Clericos ordinavit, & per totum circiter annum hoc Episcopium tenuit, donec Carolus resumptis viribus in Belgicam reversus est. Quod audiens Ebo, relictâ Sede Remensi, ad Lotharium profectus est.* Hæc acta sunt partim anno Redemptoris octingentesimo quadragesimo, partim octingentesimo quadragesimo-primo. Clerici Remenses ab hoc calculo multum recedunt. Postquam enim Ebonem *omnibus Episcopalibus officiis plusquàm biennio* functum dixerunt, *vocavit nos*, inquiunt, *jam sæpè fata mater Remensis Ecclesia ad gradus Ecclesiasticos, ad quos (Deus novit) nos importunè nos gessimus, sed electione Ministrorum Ecclesiæ, Magistrorúmque nostrorum acclamatione etiam at-*

* Nominativus absolutus. *que oblatione totius Ecclesiæ delati sumus. Post hæc verò dividentes * inter se Regna paterna, Lotharius Imperator ac Domnus noster Karolus Gloriosissimus Rex devenit jam sæpè dicta mater nostra Remensis Ecclesia in partem & ditionem Gloriosissimi Regis Karoli, cum quo erat gratissimus ac potentissimus Fulcho Abbas, qui ipsam Ecclesiam Domni Ludovici Imperatoris anteà Presbyter obtinuerat, & gratiâ ejusdem Regis, cum quo erat, iterum adeptus est eam. Cujus imperium atque furorem metuens jam sæpè dictus Ebbo Episcopus, quippe qui nedum cum eodem Rege pacificatus erat, cum Lothario, cui primitus adhæserat, remanendo secessit.* Alludit hæc narratio ad Regni partitionem, quæ facta est inter fratres apud Virodunum, mense Augusto, anno Redemptoris octingentesimo quadragesimo-tertio, ut suo loco dicturi sumus. At Carolus multò citiùs & Remos recuperavit, & Ecclesiæ Remensis administrationem Fulconi restituit Ebone fugâ lapso. Nec ad nostræ Chronologiæ confirmationem alio videtur opus Auctore quàm Nithardo, qui res sui temporis in literas retulit, testatúmque reliquit de Carolo Rege, quòd anno post Ludovici patris obitum proximo, sive eodem anno quo pugnatum est apud Fontanetum, Parisios adiit, *& quamquam propter Conventum, quod cum fratre* Ludovico *in Lingonicam urbem Kal. Sept. condixerat, quoniam imminebat, anxius esset, ratum duxit, ut saltem citato cursu per urbem Belvacensem, ac deinde per Compendium & Suessiones, hinc per Remensem & Cadelonen-*

* Chaalons. *sem **, *Lingonicam peteret urbem*, itineréque suscepto Suessionem usque pervenit, & factâ Sanctorum, Medardi, Sebastiani, aliorumque, Translatione, cui per mensem Augustum interfuit, *Remensem urbem petiit. Quò cùm venisset, nuncium recepit, quòd Lodhuwicus ad Conventum, quod in Lingonicam urbem condixerant, venire non posset.* Rectè igitur Flodoardus scribit

de Ebone, quòd ope Lotharii revocatus *per totum circiter annum* Episcopium Remense tenuit, *donec Carolus resumptis viribus in Belgicam reversus est.* Clerici Remenses, quia Carolum in Belgicam seriùs reversum volunt, Ebonem Remis Romam à Lothario Imperatore directum ad Gregorium Papam atque ab eodem Pontifice Romano *plenissimè* restitutum comminiscuntur. *Postea*, inquiunt, id est, postquàm Remos rediit, *accipiens auxilium & Legationem jam sæpè fati Lotharii Imperatoris, ad limina beatorum perrexit Apostolorum, non satis habens in restitutione sua sine Apostolica Sedis auctoritate, consensu tantorum Episcoporum & aliorum bonorum hominum. Ubi à piissimo ac spiritali patre Gregorio, Domno videlicet Apostolico, benignissimè est receptus, & Apostolicâ auctoritate plenissimè restitutus, sicuti penes nos habemus.* Hæc illi, sed procul à vero. Ebo enim auxilio Lotharii suffultus Remos ingressus est octavo Idus Decembris anno Redemptoris octingentesimo quadragesimo, annóque proximo cùm de Caroli Regis adventu nuncium accepisset, *relictâ Sede Remensi ad Lotharium profectus est.* Clericos priùs ordinarat, de quibus infrà sæpè disseremus. At illis temporibus Romam non ivit, ivit verò post aliquot annos cùm Sergius Papa Gregorio jam successisset, nam teste Flodoardo, *relictâ Sede Remensi ad Lotharium profectus est, & in ejus familiaribus mansit obsequiis, donec unà cum Drogone Metensi Præsule Romam petiit, ubi à Sergio Papa reconciliari ac Pallium sibi tribui postulavit, cui idem Papa communione tantum concessâ dare Pallium renuit*, ut anno Redemptoris octingentesimo quadragesimo-quarto dicturi sumus, allegato etiam Anastasio cujus hic est textus in vita Sergii. *Ebbo quidam & Bartholomæus Archiepiscopi, qui pro criminibus suis privati honore ab Ecclesia fuerant expulsi, à Sanctissimo Pontifice postulabant, ut eos reconciliare ac Pallium eis tribuere dignaretur. Quos etiam idem Præsul nec communionem inter Clerum dignos esse suscipere dicebat, sed inter communem populum communicandi licentiam tantummodo haberent.* Si Gregorius Ebonem *Apostolicâ auctoritate plenissimè* restituisset, ut Clerici Remenses in sua narratione posteà jactitarunt, ejus proximus successor Sergius de eodem Ebone nunquam certè sic sensisset.

AN. CH. 841. LOTHAR. IMP. 25. LUDOV. R. 25. CAROLI R. 12.

XLIII. Carolus Rex, ut probatum jam suprà, Suessione Remos hoc anno se contulit. *Quò cùm venisset*, ait Nithardus [a], *nuncium recepit, quòd Lodhuwicus ad Conventum, quod in Lingonicam urbem condixerant, venire non posset, eò quòd Lodharius in Regnum illius hostili manu irruere vellet. Mandaverant etiam huc, avunculus ejus* seu patruus *Hugo, necnon & Gislebertus Comes Mansuariorum* * seu Mosariorum, *si in illis partibus iisset, ad illum se unà cum ceteris esse venturos. Ergo tam pro fratris adjutorio, quàm & ut hos, si ad illum venire vellent recipere posset, ad Sanctum Quintinum iter direxit. Quò quidem Hugonem* patruum suum, Abbatem illius loci, *sicut mandaverat, obviam habuit, & inde in partes Trajecti* * *iter direxit. Lodharius autem ut hæc audivit, omisso Lodhuwico, quem paulò antè persequi statuerat, à Warmacia ad Conventum, quod ad Teotonis villam indixerat, iter arripuit, & qualiter super Karolum irrueret, intendit. Quod cùm Karolus in Wasiticum didicisset, Hugonem & Adhelardum, & Gislebertum, unà cum ceteris, ut eum fœdere quo valerent sibi adnecterent, direxit. Rabanonem etiam ad Lodhuwicum dirigens, mandat qualiter pro suo adjutorio illis in partibus isset. Quod Lodharius audiens, illo omisso, suprà se cùm omnibus copiis ire pararet, ad Pipinum dirigit, monétque, ac deprecatur, ut quantocyùs posset, solito more adjutorium illi præbere studeret. Insuper autem Karolus Exemenonem Venerabilem Episcopum* Noviomensem *ad Lodharium direxit, solito more humiliter præcepit, ut roget, ut obsecret, meminerit quòd frater filiolúsque ejus sit; meminerit quæ pater inter illos statuerat, quæ tam is quàm & sui inter illos juraverant; meminerit quòd novissimè judicio Dei inter illos voluntas ejus declarata sit; & si horum omnium recordari nolit, cesset à persecutione Sanctæ Dei Ecclesiæ; misereatur pauperum, viduarum, orfanorúmque, &*

[a] Lib. 3.

* Duchesn. Mansuariorum.

* Mastrik.

LUDOVICUS ET CAROLUS FOEDERATI MANENT ADVERSUS LOTHARIUM.

AN. CH. 841. LOTHAR. IMP. 25. LUDOV. R. 25. CAROLI R. 12.

Regnum à patre suo consensu sibi datum ut ingrediatur omittat, ne fortè iteratò populum Christianum ad cadem mutuam confluere compellat. Et his ita compositis, idem ipse Parisiacam urbem adiit, tam fratris sui Lodhuwici adventum, quàm & ceteros fideles suos, quos undique convocaverat, præstolaturus. Quod cùm Lodharius didicisset, ad eandem urbem iter direxit. Habebat enim tam Saxonum quàm & Austrasiorum, necnon & de Alamannis, partem haud modicam secum, horúmque auxilio præmaximè confisus ad Sanctum Dionysium venit. Repererat autem inibi naves plùs minùs XX. *Insuper quoque Sequana, uti mense Septembrio solet, exigua erat, transitúmque perfacilem præstabat. Quamobrem jactabant se sui facilè transire posse, & hoc utique simulabant se maximè velle. Ergo Karolus quosdam Parisium & Milidonem * custodire præcepit, quosdam verò ubicumque vada vel navigia esse noverat, residere fecit; ipse verò è regione Sancti Dionysii juxta Sanctum * Fluduualdum castra in meditullio posuit, ut & Lodhario, si ita oporteret, transitum prohibere, aut si alicubi super suos irruere vellet, illis succurrere posset. Et ut perfacilè dignosceretur, quo in loco adjutorium præberi deberet, more maritimo signa in locis congruis atque custodias deputavit. Insuper autem Sequana, mirabile dictu, dum nos nusquam eo in tempore infra duos menses pluvias esse novimus, repentè aere sereno tumescere cœpit, ac sponte his in locis vada ubique prohibuit. Cúmque hac ita haberent, cernens Lodharius transitum inibi undique sibi prohibitum, eo tenore cum Karolo pacem inire se velle mandavit, ut fœdus, quod Karolus cum fratre suo Lodhuwico sacramentis firmaverat, omisisset, & ille econtrà fœdus, quod cum Pipino nepote suo similiter sacramentis firmaverat, omitteret; & haberet Karolus à Sequana partem Occiduam absque Provincia & Septimania, essénique quasi pace perpetuâ fœderati. Re autem verâ sic se utrosque faciliùs decipere posse putabat, omnéque Imperium hac arte invadere sperabat. At Karolus respondit se fœdus, quod cum fratre suo necessitate coactus inierat, minimè violare velle; insuper ut à Mosa usque Sequanam Regnum, quod pater illi dederat, nequaquam congruum videretur ut illi omitteret; præsertim cùm tanta Nobilitas illum secuta de his regionibus esset, quos in sua fide deceptos esse minimè oporteret. Quamobrem quoniam hyems aderat, haberet quique honores quos pater illi dederat, si vellet, mandavit, donec veris tempore vel cum paucis, vel etiam cum omni comitatu, omnes conveniant, & in statutis aut statuendis concordia concurrat, quid cuique debeatur, armis decernant. Qua quidem Lodharius more solito sprevit, & à Sancto Dionysio obviam Pipino, qui ab Aquitania ad illum veniebat, Senones iter direxit. Karolus autem econtrà qualiter Lodhuwicum in adjutorium suum recipere posset, intendit.* Ultimam hujus textûs periodum fusiùs explicat, rerúmque hoc anno gestarum narrationem sic claudit Annalista Bertinianus. *Carolus Lotitiam Parisiorum regressus, transito Sequanâ flumine, Lotharii molitionibus diu obsistit. Lotharius transpositione fluvii prohibitus, superiores ipsius expetens partes, per Mauripensem * pagum Senones penetrat. Unde & Cenomannos nullo negotio adiens, cuncta rapinis, incendiis, stupris, sacrilegiis, sacramentísque adeò injuriat, ut ne ab ipsis adytis temperaret. Nam quoscumque salvandi gratiâ repositos vel in Ecclesiis vel in earum gazophylaciis thesauros, etiam Sacerdotibus & ceterorum Ordinum Clericis juramento devinctis, reperire potuit, auferre non distulit. Ipsas quoque Sanctimoniales divinis cultibus deditas fœminas in sui sacramenta coegit. Carolus apud Parisius diutiùs diversatus, urbem Catalaunis Dominica Nativitatis Festum ibi celebraturus advenit.*

* *Melun.*

* *Saint Clou.*

* *Le Hurepois.*

XLIV. EPISCOPI, PISANI, SENENSES, VENETENSES ET SPIRENSES.

Tomo tertio Italiæ Sacræ memorantur hoc anno Zenobius Episcopus Pisanus & Gerardus Senensis Episcopus. In Armorica Sancta ponitur obitus Ragenarii Venetensis Episcopi, cui subrogatus est Susannus. Obiit & hoc anno Bertinus sive Hertinus Spirensis Episcopus, ut Eysengteinius Bruschius, aliíque in Catalogis Episcoporum Spirensium testantur. Successit in Episcopatum Gebhardus sive Ebethardus.

XLV. ADALARDUS ABB. S. MARTINI.

In Chartulario Cormaricено Adalardus Abbas Sam-Martinianus laudatur mense Augusto, anno secundo Caroli Regis, id est, hoc anno, eu-

AN. CH. 841.

jus mensis Augustus ad annum Caroli Regis secundum à patris obitu pertinebar. Lege Tomum tertium Galliæ Christianæ in Abbatibus Sam-Martinianis. Ad hunc quoque annum laudatur à Guichenono in Historia Bugiæ Fulgerius Abbas Nantuæ in Diœcesi Lugdunensi.

Fulgerius Abb. Nantuæ.

XLVI.

Basilica Romanensis a Barnardo Metropolita Viennensi dedicatur.

Ad hæc postrema tempora Barnardi Viennensis Archiepiscopi, cujus obitum proximo mense Januario consignabimus, referendæ videntur, Dedicatio Basilicæ Romanensis, & Sanctorum, Severini, Exuperii ac Feliciani, Martyrum in illam Ecclesiam Translatio è suburbano Viennensi. Lotharius Imperator in Diplomate, quod anno Redemptoris octingentesimo quadragesimo-tertio recitabimus, Dedicationis ac Translationis prædictatum sic meminit. *Egilmarus Venerabilis Vienna Archiepiscopus obtulit coram sacris obtutibus nostris scriptum, in quo continebatur, qualiter Barnardus, quondam ejusdem urbis Antistes, Beatissimos Martyres, Severinum, Exuperium & Felicianum, juxta introitum ejusdem civitatis in vico Brenniaco, in indigno loco jacentes, reverenter sustulit, & in Monasterio, Vienna territorio, loco qui Romanis dicitur, sito solenniter tumulavit. Quod Monasterium memoratus Pontifex sollicitâ Religione pro utilitate & honore ejusdem Sedis construxit, & in honore omnium Sanctorum Apostolorum unà cum Episcopis comprovincialibus suis dedicavit.* Ecclesiæ Dedicationem secuta mox Translatio prænominatorum Martyrum, & utrique festivitati cum Barnardo comprovinciales interfuerunt Episcopi. Saussayus [a] *Corpora prælaudatorum Martyrum à Barnardo Sancta memoria Archiepiscopo in Basilicam Cœnobii Romani* seu Romanensis, *quam ipsorum in honorem construxerat, illata* testatur *magno cum Ecclesiastica celebritatis triumpho, assistentibus ipsimet Metropolita digno cum decoro comprovincialibus ejus Episcopis, qui Dedicationi ejusdem Ecclesia peracta ab ipso interfuerant.* Tunc Barnardum Metropolitam tres hi venerabantur Episcopi; Ado Valentinus & Adalulphus Gratianopolitanus, de quibus anno priore locuti sumus, necnon & Domitianus Genavensis cujus obitum anno proximo consignabimus.

[a] D. 19 Novembr.

AN. CH. 842.

ANNUS

CHRISTI		842.
LOTHARII	IMP.	26. 20. 3.
	REG.	28. 23. 20. 10. 5. 3.
LUDOVICI	REG.	26. 17. 8. 3.
CAROLI	REG.	13. 10. 8. 5. 3.
INDICTIO		5.

Lothar. Imp. 26.
Ludov. R. 26.
Caroli R. 13.

I.

Barnardi Metropolitæ Viennensis obitus.

BARNARDUS Viennensis Archiepiscopus ex hac vita migravit undecimo Kalendas Februarias, die Dominico, anno Redemptoris vel octingentesimo quadragesimo-secundo vel octingentesimo duodequinquagesimo, uterque enim illorum annorum præditus fuit literâ Dominicali A. Boscius, Chenutius, Saussayus & Guichenonus annos in Archiepiscopatu sex ac triginta tribuunt. Unanimis tot Auctorum consensus aliquando nos adduxit, ut suscepti Pontificatûs initium consignaremus anno Redemptoris octingentesimo duodecimo, mortémque in annum Redemptoris octin-

AN. CH. 842. LOTHAR. IMP. 26. LUDOV. R. 26. CAROLI R. 13.

gentesimum duodequinquagesimum rejiciendam censeremus. Joannes Bollandus [a] neglectâ literæ Dominicalis observatione scripsit haud deesse apud Boscium argumenta, quæ Barnardum probent ad annum Redemptoris octingentesimum quinquagesimum pervenisse. Sed re diligentiùs examinatâ stamus à Joanne Mabillonio [b], qui Barnardum undecimo Kalendas Februarii, die Dominico, anno Redemptoris octingentesimo quadragesimo-secundo mortuum affirmat, eúmque vixisse ad annum usque Redemptoris octingentesimum duodequinquagesimum constanter inficiatur allegatis Diplomatibus, in quibus successor Agilmarus multò citiùs in Viennensi Cathedra sedisse comprobatur. Præceptum, in quo Lotharius Imperator Agilmarum jam Viennensem Archiepiscopum laudat, in Chartulario Viennensis Ecclesiæ legimus cum hac subscriptione. *Data in Kl. Jan. anno Imperii Domini Hlotharii in Italia* XXIII, *in Francia* III, id est, Kalendis Januariis, anno Redemptoris octingentesimo quadragesimo-tertio. Barnardus igitur annum Redemptoris octingentesimum quadragesimum-secundum haud excessit. Ejus Acta, quæ Petrus Franciscus Chiffletius è manuscriptis Codicibus primus eruit, apud Bollandum, Guichenonum & Mabillonium, sic clauduntur. *Transit die Dominicâ, vita sua anno sexagesimo-quarto, Episcopatûs verò trigesimo-secundo. Nam decem & octo annorum scholis abstrahitur, septem annis conjugium sustinuit, quatuor annis sub Abbate Monasticam vitam duxit, tribus verò annis Abbas præfuit. Sepultus est autem decimo Kalendas Februarii in Basilica Sancti Petri Apostoli, quam ipse Romanis ædificavit.* Ex hoc textu Mabillonius, cui lubentissimè suffragamur, colligit Barnardo delatas anno Redemptoris octingentesimo decimo Pontificales Infulas, quas ad mortem usque gessit, id est, ad annum usque Redemptoris octingentesimum quadragesimum-secundum, qui tricesimus-secundus fuit à suscepto Pontificatu. Hæc annorum, quos Barnardus in Archiepiscopali munere transegit, accurata computatio nos admonet, ut, antequàm ulteriùs progrediamur, de Barnardi ætate Chronologiâque Viennensium Archiepiscoporum studiosiùs hîc inquiramus.

[a] D. 23. Jan.
[b] Tom. I Sec. 4. Benedict.

II. ÆTAS,

In multis, quæ spectant ad ætatem Barnardi, priusquàm ordinaretur Archiepiscopus, biennio tardiùs noster processit calculus. Quia mortem Barnardi post annos sex ac triginta Pontificatûs in annum Redemptoris octingentesimum duodequinquagesimum rejiciendam tunc arbitrabamur, annos duos ac triginta qui Pontificiam Dignitatem antecesserunt, in eodem Barnardo sic distinximus. Natum asseruimus anno Christi septingentesimo octogesimo, conjugio copulatum anno Christi septingentesimo nonagesimo-octavo, factum Monachum anno Redemptoris octingentesimo-quinto, Abbatem anno Redemptoris octingentesimo nono, Archiepiscopum anno Redemptoris octingentesimo duodecimo. Sed computus aliter instituendus. Barnardus in lucem editus est anno Christi septingentesimo septuagesimo-octavo, uxorem duxit anno Christi septingentesimo nonagesimo-sexto, factus est Monachus anno Redemptoris octingentesimo tertio, Abbas anno Redemptoris octingentesimo septimo, Archiepiscopus anno Redemptoris octingentesimo decimo. Hæc extra controversiam sunto.

III. Quod ad Chronologiam Viennensium Archiepiscoporum attinet, annos undecim, quibus Volferius Barnardi decessor Archiepiscopatum rexit, ab anno Redemptoris octingentesimo primo ad octingentesimum duodecimum malè numeravimus, illos certè computabis ab anno Christi septingentesimo nonagesimo-nono quo consignandus est Ursionis obitus, ad annum Redemptoris octingentesimum decimum quo Barnardus sedere cœpit.

IV. PONTIFICATUS.

Hic anno Pontificatûs sui tricesimo-secundo, sive anno Redemptoris octingentesimo quadragesimo-secundo feliciter ad Deum migravit. *Appropin-*

propinquante termino vitæ sibi per multa visionum indicia revelato, ingravescente corporis molestiâ, convocato Clero & populo in Ecclesia Viennensi, luculento ac spiritali sermone omnes exhortatus, exitûs sui sub specie peregrinæ profectionis vocationem indicavit. Verebatur enim, ne, si manifestè vitæ finem instare nuntiaret, locum in quo sepeliri elegerat, impediretur habere. Dispositâ itaque domo, Romanis tandem exinde transiturus advenit, ubi cùm triduum fecisset, quo toto triduo numquam ab oratione surrexerat, nec etiam noctè, cùm quartam noctem continuare vellet, circumfusus nimiâ claritate, divinitus emissâ voce audivit. Veni quia exspectaris. Gavisus igitur cùm prostratus ille quo semper jacere consueverat cilicio, rogaretur quatenus longam inediam vel modico cibo relevaret, panis, inquit, ille jam jam, fratres mei, sumendus est, sine quo nec in mundo nec in cælis vivitur, cujus sapor reficit Angelos, Apostolos pascit, Sanctos recreat; quo quisquis vescitur, numquam in æternum moritur. Sacramentum itaque hujusmodi panis mihi apportate, ut eo accepto viatico viam universæ carnis aggrediar in patriam profecturus. His dictis Psalmodiam primus incœpit, sicque in divinis laudibus pernoctantibus tantâ claritate illa Cellula perfunditur, ut ii, qui præsentes aderant, terra velut in ecstasi prosternerentur. Expletis autem Matutinarum horis, ecce repentè suavissimus odor cum claritate supervenit. Illucescente verò die beatus ille spiritus carne solutus, liber cum illâ claritate ad Dominum migravit, odor verò remansit, quousque corpus fuit traditum sepulturæ.

AN. CH. 842. LOTHAR. IMP. 26. LUDOV. R. 26. CAROLI R. 13.

V. MONASTERIA.

Inter opera Barnardi, duo Cœnobia memorantur, Ambroniacense videlicet, & Romanense. Primum viri adhuc laici, alterum opus Archiepiscopi fuit. Certior non occurrit Character. Ambroniacense Monasterium in Diœcesi Lugdunensi priùs erectum est, quàm Barnardus Monachum induerit, id est, ante annum Redemptoris octingentesimum tertium. Tomo superiore conditum nobis visum est anno Redemptoris octingentesimo secundo, sed quia circa ætatem Barnardi noster computus biennio tardiùs tunc procedebat, lubentissimè redimus ad opinionem Guichenoni, qui primam originem illius Monasterii refert ad annum Christi circiter octingentesimum. Romanense Monasterium in Diœcesi Viennensi constructum est post Placitum Stramiacense, eùm Barnardus è Lotharii comitatu suam ad Ecclesiam rediisset. Actum de illius Cœnobii conditu ad annum Redemptoris octingentesimum tricesimum-septimum. Ibi Barnardus obiit undecimo Kalendas Februarii, die Dominico, sepultúsque fuit postridie seu decimo easdem Kalendas, quo die colitur apud Galesinium, Molanum, Ferrarium, Saussayum, & Bollandum. Hic super nominis etymo sic ratiocinatur. Auctor, cui *Barnardus* est *filius boni odoris*, nomen deducere videtur ab Hebræo *bar*, quod *filium* significat, & à *narde*, quod *nardum* alii *muscum* vertunt; at Teutonica vox est *Bernard* vel *Bern-hart*, quam Kilianus *ursinum ingenium* vel *ursinum cor* interpretatur; fortassis rectiùs *Bernard* vel *Barn-ard ardenti indole præditum* dixeris, aut *Baern-aerd, apertâ promptâque indole*. Successit in Archiepiscopatum Agilmarus, de cujus annis inferiùs erit etiam disputatio, quia si Boscio fides est, Ecclesiam Viennensem *rexit annis* VIII, *& anno nono*, II *Non. Julii è vivis abscessit*, superstes autem erat anno Redemptoris octingentesimo quinquagesimo-nono, ut ex variorum Conciliorum subscriptionibus patet.

VI. MANUALIS LIBER DODANÆ PERFICITUR.

Dodana Bernardi Ducis uxor librum Manualem anno superiore, pridie Kalendas Decembris inchoatum perfecit hoc anno postridie Kalendas Februarias, & ad Willelmum filium natu majorem in comitatu Caroli Regis commorantem transmisit, minore filio nondum baptizato. Hæc ex eodem Manuali constant. Ultimo capite tempus scriptionis ita notatur. *Inchoatio hujus libelli*, II *Kalendarum Decembris, Sancti Andreæ Missâ, inchoante Sancto Domini Adventu; finitus est autem, auxiliante Deo*, IV *Non. mensis Februarii Purificationis S. Mariæ*. Annus colligitur ex initio capitis duodeseptuagesimi, ubi Dodana testatur Willelmum ad annum ætatis decimum-

AN. CH. 842. LOTHAR. IMP. 26. LUDOV. R. 26. CAROLI R. 13.

sextum jam pervenisse. *Quadrans*, inquit, *in quatuor jam habes annos usque perductus*. Id est, quater quatuor habes annos, sive sexdecim. Totidem autem numerantur ab anno Redemptoris octingentesimo vicesimo-sexto quo natus est Willelmus, ad hunc usque annum Redemptoris octingentesimum quadragesimum-secundum quo librum à Dodana matre missum accepit. Erat in comitatu Caroli Regis. *Audivi*, ait Dodana in fine suæ Præfationis, *quòd genitor tuus Bernardus in manus Domini te commendavit Karoli Regis*. Frater natu minor per Baptismum regeneratus nondum fuerat, Willelmum enim capite septimo Dodana sic alloquitur. *Fili Willelme primogenite, hæc verba à me tibi directa lege, intellige, & opere comple, fratrémque tuum parvulum; cujus modo inscia sum nominis, cùm Baptismatis in Christo acceperit gratiam, insinuare, nutrire, amare, ac de bono in melius provocare non pigeas, atque hunc codicillum Manualis à me comprehensum, & in tuo nomine conscriptum, cùm perfectum loquendi vel legendi acceperit tempus, illi ostende, & admone legendo, caro enim & frater tuus est.* Manualis Dodanæ liber in capita septuaginta-tria distinguitur. Joannes Mabillonius primâ parte Seculi quarti Benedictini tredecim publicavit, primum, septimum, decimum, undecimum, decimum-quintum, decimum-nonum, vicesimum, sexagesimum, sexagesimum-primum, sexagesimum-octavum, septuagesimum-primum, septuagesimum-secundum, & septuagesimum-tertium.

VII. VARIA PRODIGIA MEMORANTUR.

Andreas Duchesnius [a] publici juris fecit Fontanellensis Chronici fragmentum, in quo varia prodigia sic ad hunc annum enumerantur. *Anno Dominica Incarnationis* DCCCXLII, *Indictione* V, *apparuit in cælo Stella Cometa à plaga Occidentali, à septimo Idus Januarii usque die Idus Februarii, dies* XXXVII. *Kalendis Martii apparuerunt acies in cælo horâ noctis secundâ horribiles à parte Orientis in modum albi coloris nigri & rubei sive viridis. Erant autem aliæ majores, aliæ minores, ac sine intermissione aut occidebant, aut oriebantur. Inter Orientem verò & Occidentem claritas erat summa. Sed hæ acies maximè totam plagam Aquilonarem repleverunt. Inter Occidentem verò & Aquilonem apparuit in modum viæ latissima claritas quadam usque prope medium cæli centrum ad meridiem quasi tendens. Perduravit autem usque mediam noctem. Et cùm esset Luna vigesima, tam mira claritas erat, ut intuentibus miraculo esset. Tertio Kalend. Aprilis, ipso die Cœna Domini, antequàm Aurora finem daret, Luna defectionem passa est, à summo incipiens. Kalendis Maii acies iterum in cælo istæ visæ sunt. Ipso anno*, IX *Kalend. Novembris, feriâ tertiâ, horâ noctis primâ, terræ motus validus extitit, & perseveravit hujus sonus per septem dies. Dabat autem mugitum aut horâ diei primâ, aut nonâ, aut noctis media, aut initio Auroræ. Secuta est tussis validissima, de qua multi mortui sunt.* Auctor istius Chronici hoc eodem anno, quarto Kalendas Martii, seu Dominicâ secundâ Quadragesimæ Fontanellam adiit, ibique Monachum induit, Josepho Ebroicensi Episcopo, illius loci tunc Abbate. Ad hunc enim annum referendæ sunt quæ textum proximè recitatum subsequi debent & in editione Duchesniana malè præcedunt hæ periodi. *Eodem anno, regente hujus*

JOSEPH. EP. EBROICENSIS ABB. FONTANELL.

Cœnobii Joseph Archiepiscopo, IV *Kal. Martii huc Domino miserante accessi. Deinde post annorum curricula decem & novem propitio Christo Diaconatûs ordinem suscepi per manus Venerabilis Archiepiscopi Weniloni, anno Verbi Incarnati* DCCCLXI, *Indictione* IX, XII *Kal. Octobris, Sabbato. Nec multò post obiit in Domino idem Pontifex. Cui successit venerandus Adelardus in Pontificatu, per cujus manus sacrum gradum Presbyteratûs suscepi anno Dominicæ Incarnationis* DCCCLXXII, *Indictione* V, *octavo Idus Martii, Sabbato.* Sententiam nostram confirmant Characteres Chronologici, quibus consignatur ejusdem Auctoris ordinatio in Diaconum. Ab hoc enim anno ad octingentesimum sexagesimum-primum numerantur anni novemdecim, & anno Redemptoris octingentesimo sexagesimo-primo currit litera Dominicalis E, ita ut Sabbatum cum duodecimo Kalendas Octobris coincidat, per nonam Indictionem Regiam seu

[a] Tom. 2. Collect. Hist. Franc. p. 387.

AN. CH. 842. LOTHAR. IMP. 26. LUDOV. R. 26. CAROLI R. 13.

Francicam, de qua consule quæ dicta sunt anno priore [a]. Similiter anno Redemptoris octingentesimo septuagesimo-secundo, qui quoniam bisextilis est, duas habet literas Dominicales F & E, Sabbatum octavo Idus Martii per Indictionem quintam rectè illigatur. De Diaconatu & Sacerdotio nostri Chronographi suis agemus locis, hîc tantùm nobis est inquirendum de illius Monachatu. Hoc anno, ut Monachus fiat Monasterium ingreditur Fontanellense Josepho Archiepiscopo Abbate. Josephus Ebroicensis est Episcopus; iniit Episcopatum ante annum Redemptoris octingentesimum tricesimum-primum; Fulconi Abbati Fontanellensi successit in Abbatiale munus anno Redemptoris octingentesimo quadragesimo; vocatur Episcopus in Edicto Lotharii, in Ebonis Apologetico & in Neustria Pia jam allegatis, Archiepiscopus in narratione Clericorum Remensium & in textu proximè descripto; Archiepiscopum, si lubet, interpretare principem Episcoporum, qui Guntbaldo Rotomagensi Metropolitæ subsunt, ut in provincia Turonensi dictum [b] de Aigliberto Cenomannensi nuncupato quondam Archiepiscopo.

CUR DICTUS ARCHIEP.

[a] Ad an. 848. n. 25.

[b] Tom. 4. a. 685. n. 11.

VIII.

Res hoc anno gestas sic aggreditur Nithardus [c]. *Nunciatum est Karolo quòd soror sua Hildigardis Adelgarium quendam ex suis captum haberet, & in urbe Laudunensi unà secum custodiri fecisset. Qua pro re expeditos ad hoc opus Karolus sibi delegit, ac protinus decedente jam die his in partibus festinus perrexit. Distabat enim urbs eadem plùs minùs leuvas XXX. Per totam siquidem noctem iter faciens, impediente gelu prævalido, horâ ferè diei tertiâ, insperatè subitò sorori & civibus cum infinita multitudine nunciatur Karolus adesse, omnísque urbs militibus circumdata fore. Quo quidem nuncio exterriti, quoniam nec evadendi, nec aderat spes mœnia tuendi, pacem sub una eadémque nocte petunt, Adelgarium confestim reddunt, & ut se urbémque absque conflictu in crastinum dedant, cum omni subjectione promittunt. Dum hæc agerentur, milites moram hujus rei graviter ferentes, insuper laboris tædio præteritæ noctis, quod passi fuerant, permoti, in excidium urbis ruere undique cœperunt. Esétque procul dubio protinus flammis rapinísque tradita, ni idem Karolus misericordiâ insuper Ecclesiarum Dei sororísque, necnon & populi Christiani permotus, minis atque blanditiis horum animos maximo labore compescere studuisset. Quos cùm abscedere fecisset, ut soror postulaverat concessit, & Salmonciacum ab urbe discessit. Crastinâ quoque die Hildigardis ad fidem suam, sicut spoponderat, venit, urbémque inlæsam & absque conflictu suo juri restituit. Sororem suam siquidem Karolus benignè excepit, & omnia, quæ hactenus erga illum deliquerat, illi donavit. Multísque verbis blandè illam allocutus, omnem benignitatem, quam frater sorori debet, si deinde benivola erga illum esse vellet, ei perhumanè promisit, ac quò voluit illam abire concessit. Urbi sua jura statuit, & ad suos, quos circa Parisium omiserat, his ita peractis rediit.*

[c] Lib. 3.

TUMULTUS LAUDUNENSIS SEDATUR A CAROLO R.

IX.

Senones autem Lodharius Pipino recepto, quid agere deberet, anxius erat. Nam Karolus partem exercitûs Sequanam trajecit, & in saltum, qui Pertica vulgò dicitur, direxit. Quos quoniam Lodharius vel se vel suos impedire tenuit, primùm insectari statuit. Quâ quidem re sperabat se & hos facilè dedere, & hoc terrore sibi residuos subjugare, maximéque Nomenoium Brittannorum Ducem suo subdere dominatui posse. Sed frustrà hæc omnia expleturus adiit, dum nihil horum ad effectum perduxit. Nam exercitus Karoli omnis ab eo salvus evasit, insuper ex suis neminem recepit, & Nomenoius omnia, quæ illi mandaverat, insolenter sprevit. His ita se habentibus, repentè nuntium accepit, quòd Lodhuwicus & Karolus unà cum ingenti exercitu alter alteri studeret. Cúmque se undique rebus adversis circumseptum videret, maximo ambitu inaniter expleto, à Turonis redire cœpit, & fatigato exercitu tandem fessus Franciam pervenit. Pipinus autem, quòd se illi sociaverat, pœnitudine correptus, Aquitaniam se recepit. Intereà audiens Karolus, quòd Otgarius Maguntiæ Sedis Episcopus, unà cum ceteris Lodhuwico fratri suo transitum ad se prohibuisset, iter per Tullensem urbem accelerans, Elisazam ad Za-

AN. CH. 842.

barnam * introiit. Quod cùm Otgarius didicisset, unà cum ceteris litore relicto abiit, & quò quisque valuit ociùs se abdidit.

* Saverne en Alsace.

X. Ludovicus contra Lotharium foedus init cum Carolo.

Ergo XVI Kalend. Martii Lodhuwicus & Karolus in civitate, quæ olim Argentaria vocabatur, nunc autem Strazburg vulgò dicitur, convenerunt, & sacramenta, quæ subter notata sunt, Lodhuwicus Romanâ, Karolus verò Teudiscâ linguâ juraverunt. Ac sic ante sacramenta circumfusam plebem alter Teudiscâ, alter Romanâ linguâ, alloquuti sunt. Lodhuwicus autem, quia major natu, prior exorsus sic cœpit. Quotiens Lodharius me & hunc fratrem meum post obitum patris nostri insectando usque ad internecionem delere conatus sit, nostis. Cùm autem nec fraternitas, nec Christianitas, nec quodlibet ingenium, salvâ justitiâ, ut pax inter nos esset, adjuvare posset, tandem coacti rem ad judicium Omnipotentis Dei detulimus, ut suo nutu, quid cuique deberetur, contenti essemus, in quo nos, sicut nostis, per misericordiam Dei victores extitimus. Is autem victus unà cum suis, quò valuit, secessit. Hinc verò fraterno amore correpti, necnon & super populum Christianum compassi, persequi atque delere illos noluimus, sed hactenus, sicut & antea, ut saltem deinde cuique sua justitia cederetur, mandavimus. At ille posthac non contentus judicio divino, sed hostili manu iterum & me & hunc fratrem meum persequi non cessat. Insuper & populum nostrum incendiis, rapinis, cædibúsque devastat. Quamobrem nunc necessitate convenimus. Et quoniam vos de nostra stabili fide ac firma fraternitate dubitare credimus, hoc sacramentum inter nos in conspectu vestro jurare decrevimus. Non qualibet iniquâ cupiditate illecti hoc agimus, sed ut certiores, si Deus nobis vestro adjutorio quietem dederit, de communi profectu simus. Si autem, quod absit, sacramentum, quod fratri meo juravero, violare præsumpsero, ab subditione mea, necnon & à juramento, quod mihi jurastis, unumquemque vestrûm absolvo. Cúmque Karolus hæc eadem verba Romanâ linguâ perorasset, Lodhuwicus, quoniam major natu erat, prior hæc deinde se servaturum testatus est. Pro Deo amur, & pro Christian poblo, & nostro commun salvamento dist di in avant, in quant Deus savir & podir me dunat, si salvareio cist meon fradre Karlo, & in adjudha, & in cadhuna cosa, si cùm om per dreit son fradre salvar dist, in o quid il mi altre si fazet. Et abludher nul plaid numquam prindrai, qui meon vol cist meon fradre Karle, in damno sit. Quod cùm Lodhuwicus explesset, Karolus Teudiscâ linguâ sic hæc eadem verba testatus est. In Godes minna induithes Christianes folches ind unser bedhero gealt, nisi fon thesemoda ge frammor desso fram so mir God geuvit ci indi madh furgibit so hald ihtes an minan bruodher soso manuis rehtn sinan bruher scal juthi uta zermiglosen madue, in dimit luheren in nothe in vit hinc nege gango zheminam vuillon imo ces cadhen vuerhen. Sacramentum autem, quod utrorumque populus quique propriâ linguâ testatus est, Romanâ linguâ sic se habet. Si Lodhuvigs sagrament que son fradre Karlo jurat, conservat, & Karlus meos sendra de suo part non lo stanit, si io returnar non lint pois, ne io ne veuls cui eo returnar int pois in nulla ajudha contra Lodhuwig nun li iver. Teudiscâ autem linguâ. Oba Karl then eid then er sune no bruodher Ludhuwig gesuor gele istit, ind Ludhuwig min herro then er imo gesuor forbrich chit, obi hina nes ion ven denne mag, noh ih, noh thero, noh hein thenihes iruvenden mag uuidhar Karle imo ce fotus tine vuirdhit.

XI. Si præcitato Fontanellensis Chronici fragmento fides est, hoc anno apparuit in cælo Stella Cometa à plaga Occidentali, à septimo Idus Januarii usque Idus Februarii, dies XXVII. Potioris est auctoritatis Nithardus, apud quem hæc leguntur. Stella Cometis mense Decembrio & Januario necnon & Februario, usque prælatum Conventum Straburgensem apparuit. Per Pisces centrum ascendit, & inter signum, quod à quibusdam Lyra, à quibusdam verò Andromeda vocatur, & Arcturum obscuriorem, hoc concilio expleto, defecit. Observat & hic Auctor, quòd eâdem die quâ prædicti fratres Ludovicus & Carolus, necnon & Primores populi præfatum pepigerunt pactum, subsequente gelu nix multa cecidit.

XII. Peracto Conventu Strasburgensi, Lodhuwicus Reno tenus per Spiram, & Karolus juxta Wasagum per Wizzumburg, Warmaciam iter direxit. Cúmque War-

maciam venissent, Missos deligunt, quos protinus ad Lodharium & in Aquitaniam mittunt, & horum necnon & Karlemanni adventus * *inter Warmatiam & Magontiacum* * *præstolaretur, statnunt. His ita se habentibus, Karlemannus cum ingenti exercitu Bajoariorum & Alamannorum ad patrem suum Mogontiam venit. Bardo verò, qui in Saxoniam missus fuerat, similiter fecit, nuntians quòd Saxones mandata Ladharii sprevissene, & quicquid Lodhuwicus & Karolus illis præciperent, libenter id facere vellent. Lodharius quoque Missos, qui ad se directi fuerant, incansultè audire distulit. Quod tam Lodhuwicus quàm & Karolus, necnon & universus exercitus, agrè tulerunt, & qualiter iidem ipsi ad illum pervenire possent, intendunt. Ergo* XVI *Kalend. Aprilis illis in partibus viam dirigunt, & Karolus quidem per Wasagum iter difficile ingressus, Lodhuwicus verò terrâ Renoque per Bingam, Karlemannus autem per Einrichi ad Confluentum in crastinum horâ ferè diei sextâ venerunt, protinúsque ad Sanctum Castorem orationis causâ pergunt, Missam audiunt, ac deinde iidem Reges armati naves conscendunt, & Mosellam ocius trajiciunt. Quod cùm Otgarius Mogontiæ Sedis Episcopus, Hatto Comes, Herioldus, ceteríque viderunt, quos Lodharius ob hoc inibi reliquerat, ut illis transitum prohibuissent, timore perterriti, litore relicto fugerunt. Ladharius quoque, ut fratres suos Masellam transisse in Sinciaco didicit, confestim & ipse abire & Regno & Sede non distulit, donec se super ripam Rodani cum paucis, qui se sequi deliberaverunt, ceteris omissis, excepit.* Hic desinit tertius Nithardi liber. Annalista Bettinianus habet hoc loco nonnulla quæ non videntur omittenda. Quapropter illius textum Nithardo subjicere non pigebit. *Hludowicus & Carolus quo sibi firmiùs populos utrique subditos nécterent, sacramento sese alterutro devinxerunt. Fideles quoque populi partis utriusque pari se juramento canstrinxerunt, ut uter eorumdem fratrum adversùs alterum sinistri quippiam moliretur, relicto prorsus auctore dissidii, omnes sese ad servatorem fraternitatis amicitiaque converterent. Quibus patratis, ad Lotharium pacis gratiâ dirigunt. Qui, Legatis eorum à sui præsentia atque conloquio inhibitis, ad absistendum fratribus se suósque hostiliter præparat. Qua Hisentiaco Palatio à Mosella flumine octo fermè millibus constructo, & ejusdem transeundi facultatem dispositis custodiis denegante, Hludowicus navali, Carolus equestri apparatu, castrum Confluentes perveniunt, ibíque Mosellam transire inchoantibus, omnes Lotharii excubiæ velociter aufugerunt. Lotharius inopinato fratrum adventu territus cessit, sublatísque cunctis ab Aquisgrani Palatio, tam Sanctæ Mariæ, quàm Regalibus thesauris, disco etiam miræ magnitudinis ac pulchritudinis argenteo, in quo & Orbis totius descriptio, & astrorum consideratio, & varius planetarum discursus, divisis ab invicem spaciis signis eminentioribus sculpta radiabant, particulatim præsciso, suísque distributo, à quibus tamen, quamvis tali mercede conductis, per contubernia turmatim deserebatur, per Catalannis fugiens, apud Trecas Paschali Solemnitate peractâ, Lugdunum petiit. Hludowicus penes Coloniam Agrippinam, Carolus in Heristallio Palatio, eandem Festivitatem celebrantes, homines ipsarum partium ad sese refugientes suscipiunt, fratrem persequi desistentes. Quibus multipliciter receptis, fratris abitum gradu tardiusculo insequuntur, quia apud fratres super pacis fœdere licèt invitus satagens, Legatos, quibus plurimùm nitebatur, dirigit. Electa ad hoc negocium Matasconis urbis vicinio, illuc utrimque coitur, & utriusque partis castra Arare fluvio dirimente, in quandam Insulam ejusdem fluminis ad commune colloquium aspectúmque coeunt*, ut infrà repetemus ex Nithardo, cujus textum [a] à nobis suprà consultò prætermissum de mutua Ludovici & Caroli concordia placet hîc etiam subjicere. *Erat utrisque forma mediocris cum omni decore pulchra & omni exercitio apta. Erat uterque audax, largus, prudens pariter & eloquens, omnémque præmissam nobilitatem excedebat fratrum sancta ac veneranda concordia. Nam convivia erant illis penè assidua, & quodcunque precium habebant, hoc alter alteri perhumanè dabat. Una domus erat illis convivii, & una somni. Tractabant tam pari consensu communia, quàm & privata. Non quicquam aliud quilibet ab altero petebat, nisi quod utile ac congruum illi esse*

* Duchesn. adventum.
* Duchesn. Magontiacum.
[a] Lib. 3.

AN. CH. 842. LOTHAR. IMP. 26. LUDOV. R. 26. CAROLI R. 13.

censebat. Ludos etiam hoc ordine sæpè causâ exercitii frequentabant. Conveniebant autem quocumque congruum spectaculo videbatur, & subsistente hinc inde omni multitudine, primùm pars numero Saxonorum, Wasconorum, Austrasiorum, Brittannorum, ex utraque parte, veluti invicem adversari sibi vellent, alter in alterum veloci cursu ruebat. Hinc pars terga versa protecti umbonibus, ad socios insectantes evadere se velle simulabant. At versâ vice, iterum illos, quos fugiebant, persequi studebant, donec novissimè utrique Reges cum omni juventute ingenti clamore, equis emissis hastilia crispantes exiliunt, & nunc his, nunc illis terga dantibus insistunt. Erátque res digna pro tanta Nobilitate necnon & moderatione, spectaculo. Non enim quispiam in tanta multitudine ac diversitate generis, uti sæpè inter paucissimos & notos contingere solet, alicui aut læsionis aut vituperii quippiam inferre audebat.

XIII. EDIT PRÆCEPTUM PRO ALTAHA INFERIORE.

Undecimo Kalendas Maii Ludovicus Rex Præceptum pro Monasterio Inferioris Altaichii sic emisit. *In Nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. Ludovicus Divinâ favente gratiâ Rex. Si liberalitatis nostræ munere res Sanctæ Dei Ecclesiæ & loca divinis cultibus mancipata per adpetitiones fidelium nostrorum nostro relevemus juvamine, atque Regali tueamur munimine, præmium inde nobis apud Dominum æternæ remunerationis procul dubio rependi non diffidimus. Proinde noverit omnium fidelium nostrorum tam præsentium scilicet quam & futurorum industria, qualiter vir quidam Otgarius, quem nos quidem ad Monasterium, nomine Altaha, quod in honore Sancti Mauritii Martyris Christi est constructum, Abbatem esse statuimus, obtulit obtutibus nostris non solum auctoritatem Emunitatis beatæ memoriæ Caroli avi nostri Augustissimi Imperatoris, sed & Tassilonis quondam Ducis in Ducatu Bajoarico super eadem re literas ostendit, in quibus continebatur insertum, quòd præfatum Monasterium sub suo nomine & defensione cum cellulis & locis sibi subjectis, rebus & hominibus, & omnibus illic pertinentibus, hactenus ab inquietudine judiciariæ potestatis munitum atque defensum firmissimè fuisset. Unde etiam pro rei firmitate suggessit vir prænominatus Clementiæ nostræ, ut paternum seu prædecessorum nostrorum Regum videlicet morem sequentes, hujusmodi nostræ Emunitatis Præceptum ob amorem Dei & reverentiam ipsius Sancti loci circa ipsum Monasterium conscribere juberemus. Cujus petitioni libenter acquiescentes hoc Emunitatis nostræ Præceptum erga ipsum Monasterium gratiâ tuitionis & defensionis, ac pro Divini cultûs amore, necnon & animæ nostræ* remedio *conscribi decrevimus, per quod firmiter & omnibus modis imperamus, ut nullus Judex publicus vel quislibet ex Judiciariâ potestate, aut ullus ex fidelibus nostris tam præsentibus quàm & futuris, neque Comites, neque Centenarii, neque exactores in Ecclesias, aut loca, vel agros, seu reliquas possessiones, quas moderno tempore in quibuslibet pagis vel territoriis infra ditionem Regni nostri justè & legaliter tenet ac possidet, vel etiam in ea, quæ in jure ipsius Monasterii voluerit Divina pietas augeri, ad causas audiendas, vel freda & tributa exigenda, aut fidejussores tollendos, aut homines ipsius Monasterii tam ingenuos quàm servos, sclavos & accolas, super terram ipsius commanentes, nec justè nec injustè distringendo, & nullas redhibitiones vel mansiones aut paratas faciendas aut illicitas occasiones requirendas, nostris nec futuris temporibus ingredi audeat, nec ea, quæ suprà commemorata sunt, ullo unquam tempore exigere præsumat, sed liceat memorato viro suísque successoribus res prædicti Monasterii cum omnibus rebus sibi subjectis, & hominibus tam ingenuis quàm servis, cujuscunque sint nationis, atque omnibus ad se pertinentibus vel aspicientibus, sub tuitionis atque Emunitatis nostræ defensione, remotâ totius Judiciariæ potestatis inquietudine & vulgari appellatione, quieto ordine ac tranquillâ securitate possidere. Et Advocati ipsius Ecclesiæ omnem causam inquirendam & discutiendam ipsi dyudicent, & finiant, & quicquid de præfatis rebus Ecclesiæ jus fisci exigere poterant, in integrum prædicto viro Otgario suisque successoribus concessimus, scilicet ut perpetuo tempore ei ad peragendum Dei servitium augmentum & supplementum fiat. Et ut hæc auctoritas Emunitatis per futura tempora à cunctis fidelibus nostris meliùs conservetur, veriúsque credatur, subtus*

AN. CH. 842. LOTHAR. IMP. 26. LUDOV. R. 26. CAROLI R. 13.

eam manu propriâ nostrâ firmavimus, & impressione annuli nostri assignari jussimus. Signum Hludovici Serenissimi Regis. Hildebertus Subdiacanus ad vicem Grunoldi Archicapellani recognovi. Data XI *Kal. Maii, anno* XXV *Regni Hludovici Serenissimi Regis, in Orientali Francia regnantis, Indictione* V. *Actum in villa Potamo, in Dei Nomine feliciter. Amen.* Indictio quinta convenit cum hoc anno, Redemptoris octingentesimo quadragesimo-secundo, sive cum anno vicesimo-quinto Regni Ludoviciani, si principium illius repetas ab anno Redemptoris octingentesimo decimo-septimo, quo Ludovicus à Ludovico Augusto patre Rex est Bojoariæ renunciatus. Ipsum autem Diploma reperies in Additionibus ad Hundium, Tomo secundo in Altaha Inferiore.

XIV. Quartum Historiæ suæ librum sic orditur Nithardus. *Usque Lodhuwicus & Karolus Lodharium à Regno suo abiisse certis indiciis cognovere, Aquis Palatium, quad tunc Sedes prima Francia erat, petentes, sequenti verà die quid consultius de populo ac Regno à fratre relicto agendum videretur, deliberaturi. Et primùm quidem visum est, ut rem ad Episcopos Sacerdotésque, quarum aderat pars maxima, conferrent, ut illorum consultu, veluti numine divino, harum rerum exordium atque auctoritas proderetur. Et hoc illis quoniam meritò ratum videbatur, cammissum est. Quibus ab initio Gesta Lodharii considerantibus, quomodo patrem suum Regno pepulerit; quoties populum Christianum perjurum sua cupiditas effecerit; quoties idem ipse hoc quod patri fratribúsque juraverat frustraverit; quoties post patris obitum fratres suos exhareditare atque delere temptasset; quanta homicidia, adulteria, incendia, omnigenáque facinora universalis Ecclesia, suâ nefandissimâ cupiditate, perpessa sit. Insuper autem neque scientiam gubernandi rem publicam illum habere, nec quoddam vestigium bona voluntatis in sua gubernatiane quemlibet invenire posse ferebant. Quibus ex causis non immeritò sed justo Dei Omnipotentis judicio, primùm à pralio, & secunda à proprio Regna fugam illum inisse aiebant. Ergo omnibus unanimiter visum est, atque consentiunt quòd ob suam nequitiam vindicta Dei illum ejecerit, Regnúmque fratribus suis meliaribus se justè ad regendum tradiderit. Verumtamen haudquaquam illis hanc licentiam dedere, donec palàm illos percontati sunt, utrùm illud per vestigia fratris ejecti, an secundùm Dei voluntatem regere voluissent *. Respondentibus autem, in quantùm nosse ac posse Deus illis concederet, secundùm suam voluntatem se & suos gubernare & regere velle, aiunt, & auctoritate Divinâ, ut illud suscipiatis, & secundùm Dei voluntatem illud regatis, monemus, hortamur, atque pracipimus. Hinc autem uterque illorum duodecim è suis ad hoc opus elegit, quorum unus extiti, & sicut illis congruum, ut inter illos hoc Regnum divideretur, visum est, contenti sunt. In qua divisione non tantùm fertilitas aut aqua portio Regni, quantùm affinitas & congruentia cujusque aptata est. Evenítque Lodhuwico omnis Frisia,* . . . . *Karolo verò* . . . . Desiderantur apud Nithardum periodi, quæ spectant ad Regni divisionem Ludovicum inter & Carolum tunc factam. Eas Neotericus supplere sic conatus est. *Evenítque Lodhuwico omnis Frisia, & Orientalia Regna cesserunt, omnis scilicet Germania usque ad Reni fluenta, & aliqua civitates trans Renum cum adjacentibus pagis. Karolus verà accepit Occidentalia Regna à Britannico Oceano usque ad Mosam fluvium, in qua parte ex tunc & modò nomen Francia remansit.* At in ista partitione non agebatur de toto Regno, quod olim penes Ludovicum Augustum fuerat, sed tantùm de sorte Lotharii seu de parte Regni quam Lotharius cis Alpes sibi vindicarat. Et Neotericus, ubi prædictum supplementum paravit, ob oculos habuit Reginonem, apud quem hæc leguntur. *Anno Dominica Incarnationis* DCCCXLII *tres supradicti fratres Imperium Francarum inter se diviserunt, & Carolo Occidentalia Regna cesserunt à Britannico Oceano usque ad Mosam fluvium; Ludovico verò Orientalia, scilicet omnis Germania usque ad Rheni fluenta, & nonnulla civitates cum adjacentibus pagis trans Rhenum propter vini copiam; porrà Lotharius, qui & major natu erat, & Imperator appellabatur, medius inter*

CISALPINAS LOTHARII DITIONES CUM CAROLO PARTITUR.

* Edit. voluisset.

AN. CH. 842. LOTHAR. IMP. 26. LUDOV. R. 26. CAROLI R. 13.

utrosque incedens Regnum sortitus est, sive ut Annalista Fuldensis loquitur, *mediam inter eos sortitus est portionem*. Neotericum, quoad Chronologiam, vitiosæ Reginonis editiones deceperunt, tripertitam enim Regni divisionem, quam vulgatus Regino consignat hoc anno, rejiciunt in sequentem Annalistæ Bertinianus, ac Fuldensis, necnon & Metensis quamvis Reginonem illo loco penè ad verbum descripserit, atque inde constat numeros Reginonis ibi fuisse depravatos. Vituperandus etiam ex eo Neotericus, quòd cùm tripertitam Regni divisionem apud Reginonem repererit, eam fecerit bipertitam omissâ Lotharii sorte, de cujus partitione tota tunc inter Ludovicum & Carolum quæstio vertebatur. Denique ab ætate Regum, de quibus loquimur, longissimè remotum se prodit, dum ait in ea Galliarum parte, quæ *à Britannico Oceano usque ad Mosam fluvium* protenditur, *ex tunc & modò nomen Franciæ* remansisse. Sparsa est in vulgus hæc opinio à recentioribus Auctoribus, qui Francorum Regibus ac nomini palàm injurios se probarunt. Primum enim & antiquissimum Franciæ Regem finxerunt Carolum, Magni nepotem, cujus sors inter Oceanum Britannicum & Mosam ac Rhodanum fluvios fuit in tripertita Regni divisione, de qua nobis anno proximo fusiùs erit disserendum. Adverterunt illic potissimùm dominatos esse, filium, nepotes, ac posteros Caroli, necnon & Capetios qui vocati sunt in eorum jùra. Negarunt idcircò Lotharium & Ludovicum Caroli fratres eorúmque successores ex mascula Caroli Magni stirpe Regibus Francorum accensendos, aut illorum ditiones nomine Franciæ comprehendendas esse. Sed aliter ratiocinabitur, quisquis meminerit idem Franciæ Regnum, quod penes Ludovicum Augustum fuerat, à tribus ejus filiis tripartitò divisum fuisse. Cur enim Franciæ nomen sorti potiùs Carolinæ quàm Lotharianæ ac Ludovicianæ tribuetur? Cur Carolus Rex Francorum potiùs dicetur quàm ejus fratres Lotharius ac Ludovicus? Quotquot in Francia regnarunt, sive illa in duo, sive in tria vel etiam in plura distingueretur Regna, Reges Francorum appellati sunt, & unius cujusque ditio Francia nuncupata. Id moris apud Francos in usu fuit ab anno Christi quingentesimo undecimo, quo Clodoveus Magnus obiit, ejúsque filii, Theodoricus, Chlodomeres, Childebertus, & Clotarius, paternum Regnum inter se quadripartitò diviserunt. Lege Tomo primo[a], quæ scripta sunt adversùs modernos Scriptores, qui perperàm è Catalogo Regum Francorum expunxerunt eos, in quorum potestate Parisii non fuerunt, ignorantes omnino quid sit Francia, quídve Franciæ nomine debeat intelligi. Reges Francorum dicemus posteros omnes Ludovici Pii, unóque Franciæ nomine cunctas eorum ditiones complectemur, ubicumque terrarum sitæ fuerint. Haud diffitemur Franciam varias expertam vicissitudines, atque cis Mosam, Ararim & Rhodanum fluvios, diu coarctatam fuisse. Sed hoc seriùs contigit, nec aliâ videtur opus observatione, ut periodi, quæ Nithardo insertæ reperiuntur de divisione Regni Ludovicum inter ac Carolum fratres hoc anno factâ, fœtus Auctoris longè recentioris habeantur.

[a] Ad an. 558. nu. 71. & seqq.

XV. Pergit Nithardus, sic. *Quibus peractis*, id est, sorte Lotharii cis Alpes inter illius fratres divisâ, *quique illorum è populo, qui se sequutus est, suscepit, ac sibi ut deinceps fidelis esset sacramento firmavit. Et Karolus quidem Mosam Regnum suum ordinaturus trajecit; Lodhuwicus verò Saxonorum causâ Coloniam petiit, quorum casus quoniam maximos esse perspicio, prætereundos minimè puto. Saxones quidem, sicut universis per Europam degentibus patet, Karolus Magnus Imperator ab universis nationibus non immeritò vocatus, ab idolorum varia cultura multo ac diverso labore ad veram Dei Christianámque Religionem convertit, qui ab initio tam nobiles quàm & ad bella promptissimi multis indiciis persæpè claruerunt. Qua gens omnis in tribus ordinibus divisa consistit. Sunt enim inter illos qui Edhilingi, sunt qui Frilingi, sunt qui Lazzi, illorum linguâ dicuntur. Latinâ verò linguâ hoc sunt, Nobiles, Ingenuiles, atque serviles. Sed pars illorum,*

SAXONUM VARII DISTINGUUNTUR ORDINES.

qua

AN. CH. 842. LOTHAR. IMP. 26. LUDOV. R. 26. CAROLI R. 13.

quæ Nobilis inter illos habetur, in duabus partibus in dissensione Lodharii ac fratrum suorum divisa, unáque eorum Lodharium, altera verò Lodhuwicum secuta est. His ita se habentibus, cernens Lodharius, quòd post victoriam fratrum populus, qui cum illo fuerat, deficere vellet, variis necessitatibus astrictus, quocumque & quomodocumque poterat, subsidium quærebat. Hinc rem publicam in propriis usibus tribuebat, hinc quibusdam libertatem dabat, quibusdam autem post victoriam se daturum promittebat. Hinc etiam in Saxoniam misit, Frilingis Lazzibúsque, quorum infinita multitudo est, promittens, si secum sentirent, ut legem, quam antecessores sui tempore, quo idolorum cultores erant, habuerant, eandem illis deinceps habendam concederet. Quæ supra modum cupidi nomen novum sibi, id est, Stellingua, imposuerunt, & in unum conglobati, Dominis è Regno penè pulsis, more antiquo quâ quisque volebat Lege vivebat. Insuper autem Lodharius Nortmannos causâ subsidii introduxerat, partémque Christianorum illis subdiderat, quibus etiam, ut ceteros Christianos deprædarent, licentiam dabat. Igitur metuens Lodhuwicus ne iidem Nortmanni necnon & Sclavi propter affinitatem Saxonibus, qui se Stellinga nominaverant, conjungerent, Regnúmque sibi vindicaturi invaderent, & Christianam Religionem his in partibus annullarent. Quamobrem, uti prætulimus, Coloniam adiit, & in quantùm valuit simul & cetera Regni sui scandala, ne hoc nefandissimum malum Sanctæ Dei Ecclesiæ deveniret, præcavit. Quibus expletis Viridunensium civitatem Lodhuwicus per Teotonis villam, Karolus autem per Remensem urbem, adeunt, quid deinceps agendum videretur, deliberaturi. Tunc Virodunensis Episcopus erat Hildimus. Hic à partibus Ludovici Augusti semper stetit, deinde Carolo ejusdem Ludovici filio adhæsit. *Post bellum in Fontanido actum*, de quo sermonem anno priori fecimus, *à Lothario Imperatore magno habitus est odio*, ut Bertharius Presbyter in Episcoporum Virodunensium Historia testatur [a]. Ea fortè ratio Ludovicum ac Carolum fratres impulit, ut simul apud Virodunum convenirent.

[a] In Episc. 28.

XVI.

Per idem tempus Nortmanni Cotuvig deprædati, inibique mari trajecto Hamuvig & Nodhunnuvig similiter deprædati sunt. Lodharius autem, ut se supra ripam Rodani recepit, navigio ejusdem fluminis fretus inibi resedit, quò undique quos valuit sibi in subsidium adtraxit. Verumtamen Legatum ad fratres suos dirigens mandat, si sciret quâ fieri posset, Primores suos ad illos dirigere vellet de pace deliberaturos. Responsum est, mitteret quos vellet, facilè quemlibet scire posse, quâ illis deveniret esse. Ipsi vero uno eodémque itinere per Tricasinensium, Cadhellonensem adeunt urbem. Qui narravit ista Nithardus, in comitatu Caroli tunc erat, & ab eo jussus est Historiam illorum temporum conscribere, suam enim præfationem ad eundem Regem sic exorsus est. *Cùm, ut optimè, cui Domine, nosti, jam penè annis duobus*, ab obitu videlicet Ludovici patris, *illatam à fratre vestro* Lothario *persecutionem vos vestríque haudquaquam meriti pateremini, antequàm Cadhellonicam introissemus civitatem, præcepistis ut res vestris temporibus gestas styli officio memoriæ traderem.* Regiæ Jussioni paruit, & quod imperatum fuerat, quatuor executus est libris, in quorum postremo res, quæ Ludovici Carolíque fratris adventum in civitatem *Cadhellonicam* seu Cabilonensem secutæ sunt, hoc modo commemorantur. *Ipsi verò uno eodémque itinere per Tricasinensium, Cadhellonensem adeunt urbem. Cúmque Miliciacum venissent, Josippus, Eberhardus, Egbertus, unà cum ceteris à parte Lodharii ad illos venerunt dicentes, quòd Lodharius cognovisset se in Deum & illos deliquisse, nolléique ampliùs ut altercatio inter illos & Christianum populum esset. Si vellent aliquid illi supra tertiam partem Regni propter nomen Imperatoris, quod illi pater illorum concesserat, & propter dignitatem Imperii, quam avus Regno Francorum adjecerat, augere facerent. Sin aliter, tertiam tantummodo partem totius absque Langobardia, Bajoaria, & Aquitania, illi concederent, regerétque quisque illorum Deo favente portionem Regni sui prout meliùs posset; frueretur alter alterius subsidio ac benevolentiâ, concederent pacem & leges invicem sibi subjectas, esśétque inter illos Deo auctore pax pacta perpes. Quod cùm Lodhuwicus & Karo-*

LOTHARIUS EJUSQUE FRATRES FRANCIAM TRIPARTITÒ DIVIDUNT.

*lus audissent, & illis plebique universa perplacitum esset, in unum unà cum Primoribus coeunt, & quid de talibus acturi essent, gratanti animo conferunt. Aiebant se hoc in exordio dissensionis voluisse, & quamquam peccatis intervenientibus proficuum esse non possec, sæpè hoc illi mandatum fuisse. In eo tamen Omnipotenti Deo gratias referebanc, cujus tandem ope adjuti hoc promeruerant, ut frater illorum, qui semper pacem atque concordiam spreverat, Deo largiente tunc illam petebat. Verumtamen solito more ad Episcopos Sacerdotésque rem referunt, ut quocumque Divina auctoritas id vertere vellet, nutu ipsius libenci animo præstò adessent. Quibus, cùm undique ut pax inter illos fieret melius videretur, tonsentiunt, Legatos convocant, postulata concedunt. Cúmque in divisione Regni quatuor dies vel eo ampliùs morarentur, tandem visum est, ut inter Renum & Mosam usque ad exortum Mosæ, ac deinde ad exortum Saugonnæ *, & sic per Saugonnam usque ad Confluentum Rodanı, & sic deinde per Rodanum usque in mare Tyrrenum, omnes videlicet Episcopatus, Abbatias, Comitatus, fisca cis Alpibus consistentia absque * ..... illi in parte Regni tertia offerrent. Et, si hanc recipere renuat, quid cuique debeatur, armis decernant. Quod quidem quamquam ultra quod justum ac congruum, ut quibusdam videbatur, inventum fuerit, per Conradum, Abbonem, Adhelhardum & ceteros mandatum est. Ipsi verò interim, donec qui missi fuerant revertarentur, in eodem loco esse se decernunt, responsum Lodharii præstolaturi. Qui cùm ad Lotharium venissent, repererunt illum paululum minùs solito more animatum. Aiebat enim se non esse contentum in eo quod fratres sui illi mandaverant, quia æqua portio non esset, querebatúrque insuper suorum qui se sequuti sunt causam, quòd in præfata parte quæ illi offerebatur, non haberet unde illis ea quæ amittebant restituere posset. Quamobrem ignoro quâ fraude decepti hi qui missi fuerant, augent illi supra definitam partem usque in Carbonarias; insuper si hoc, usque ad tempus quod illis pariter conveniret, reciperet, jurant illi, quòd tunc fratres sui jurejurando, prout æquiùs possent, Regnum omne absque Langobardia, Bajoaria, & Aquitania, in tribus partibus dividerent, essétque super his sua electio, ut quam vellet harum acciperet, ac diebus vitæ suæ eandem illi concederent, in eo quod ille illis similiter faceret, & hæc omnia si aliter non crederet, sacramento sic se facturos promitterent. Jurat etiam Lodharius sic se velle, ac sua ex parte sic perficere in eo quod fratres sui, uti Missi illorum tunc illi juraverant, adimplessent.*

* La Saone.

* Legendum videtur absque Langobardia.

XVII. *Igitur mediante Junio, feriâ videlicet quintâ*, seu die Junii decimo-quinto, qui designatur in Kalendario per literam E, literâque Dominicali A per hunc annum currente coincidit cum feria quinta, *propter civitatem * Madasconis, in Insula, quæ Ansilla dicitur, cum æquo numero priorum Lodharius, Lodhuwicus & Karolus conveniunt, & hoc sacramentum mutuò sibi juraverunt. Videlicet ut ab ea die & deinceps invicem sibi pacem conservare deberent, & ad Placitum, quod fideles illorum inibi statuissent, Regnum omne absque Langobardiâ, Bajoariâ, & Aquitaniâ, cum sacramento, prout æquiùs possent, in tribus partibus sui dividerent, electióque partium ejusdem Regni esset Lodharii; & quique illorum partem quam quisque acciperet, cuique deinde omnibus diebus vitæ suæ conservare deberet, in eo si adversùs fratres * suos frater suus similiter faceret. Quo expleto adhibitísque verbis pacificis, pacificè discedunt, ad castra redeunt, in crastinum de ceteris deliberaturi. Quamquam & ægrè, vix tamen effectum est, & ut usque ad Conventum, quod in Kal. Octobris condixerant, pacificè quisque in sua portione, quam vellet, esset.* Agitur in hoc textu de toto Franciæ Regno tres in partes dividendo, si Longobardiam, Bojoariam & Aquitaniam excipias, attributæ sunt enim Longobardia Lothario ab anno Redemptoris octingentesimo vicesimo, Bojoaria Ludovico ab anno Redemptoris octingentesimo decimo-septimo, necnon & Aquitania Carolo à Pippini fratris obitu sive ab anno Redemptoris octingentesimo duodequadragesimo.

* Mascon.

* Duchesn. fratrem & suos.

XVIII. Postquàm conventum est tres inter fratres, ut unusquisque illorum in ea Regni parte, quam tunc tenebat, ad Kalendas usque Octobres commorari posset, *Lodhuwicus quidem*, ut Nithardus subjungit, *Saxoniam, Ka-*

rolus verò Aquitaniam ordinaturi adeunt. Lodharius autem jam, ut sibi videbatur, de electione Regni partium securus, Arduennam venatum petit, omnésque Primores sua portionis populi, qui à se, dum à Regno abiret, necessitate coacti desciverant, honoribus privavit. Lodhuwicus etenim in Saxonia seditiosos, qui se, uti prafatum est, Stellinga nominaverant, nobiliter, legali tamen cade compescuit Karolus verò in Aquitaniam Pippinum fugavit. Quo latitante nihil aliud notabile efficere valuit, prater quòd Warinum quendam Ducem, ceterósque, qui sibi fidi videbantur, ob custodiam ejusdem patria ibidem reliquit. Insuper Bernardus Septimaniæ Dux & *Comes Tolosa è Pippini sociis, qui ad se perdendum missi fuerant, quosdam in insidiis cepit, quosdam stravit.* Annalista Bertinianus habet alia, quæ silentio præterire non debemus. *Eâ*, inquit, *tempestate Normannorum classis in emporio, quod Quentovicus*, seu Vicus ad Quantiam * in Ambianensi Diœcesi *dicitur, repentino sub lucem adventu depradationibus, captivitate, & nece sexûs utriusque hominum adeo debacchati sunt, ut nihil in eo prater adificia precia redempta relinquerent. Maurorum etiam pyrata per Rhodanum prope Arelatum delati, cuncta passim depradati impunè, oneratis navibus regressi sunt. Carolus autem à Matascone Aquitaniam ingressus, ad memoratum Placiti locum & tempus venire non distulit. Lotharius apud Augustam Treverorum Legatos Gracorum suscipit, eísque absolutis ejusdem Placiti tempore Palatio, quod Theodonisvilla dicitur, resedit. Hludowicus peragratâ omni Saxoniâ cunctos sibi eatenus obsistentes sui terrore ita perdomuit, ut comprehensis omnibus auctoribus tanta impietatis, qui & Christianam fidem penè reliquerant, & sibi suísque fidelibus tantoperè obstiterant,* CXL *capitis amputatione plecteret,* XIV *patibulo penderet, innumeros membrorum praecisiane debiles redderet, nullúmque sibi ullatenus refragantem relinqueret.* Ratisponam autem reversus Præceptum pro Monasterio Inferioris Altaichii sic emisit decimo-quinto Kalendas Septembris. *In Nomine Sancta & Individua Trinitatis, Ludovicus Divinâ favente Clementiâ Rex. Si loca divinis cultibus sacrata nostro relevemus juvamine, & augmentum illis in rebus transitoriis impendimus, hoc nobis procul dubio profuturum esse liquidò credimus. Quapropter notum sit omnibus fidelibus Sancta Dei Ecclesia nostrisque, prasentibus scilicet & futuris, qualiter nos ab petitianem Eginulfi fidelis nostri quasdam res proprietatis nostra, quas quondam Reginbertus & Reginolf pater suus servus noster possidens incolebat, ad Monasterium quod vocatur Altaha, cui Otgarius Abbas & Rector praesse constituitur, ad proprium dedimus, datúmque in perpetuum mansurum esse volumus, quicquid Reginbertus predictus & Reginolf pater suus servus noster de nostro jure habere visus fuit. Sunt autem ipsa res in conjacentibus terminis prope Monasterium Alsaha in pago Quinzingouve situm, in territorio quod est inter Suveinaha & Monasterium Alsaha contiguum. Sed pro integra firmitate prafatus Otgarius nostra auctoritatis Praceptum super hac re sibi conscribi, cujus petitioni libenter annuimus, & hoc Praceptum nostra Donationis scribere jussimus, per quod pracipientes imperamus, ut res superiùs comprehensa jure firmissimo in potestate ejusdem Otgarii successorúmque ipsius perpetualiter sine ulla contradictione inconvulsa permaneant, & quicquid inde elegerit faciendum, plenariam deinceps & liberam faciendi potestatem habeat. Et ut hac auctoritas nostra largitionis firmiorem obtineat vigorem, veriúsque credatur, atque diligentiùs conservetur, manu propriâ nostrâ subtus eam firmavimus, & sigilli nostri impressione assignari jussimus. Data 15 Cal. Septembr. anno, Christo propitio, 25 Regni Ludovici Serenissimi Regis in Orientali Francia, Indictione 5. Actum in civitate Ratispona, in Dei Nomine feliciter. Amen.* Super Characteribus Chronologicis nonnihil difficultatis oboritur, quia Indictio quinta convenit cum anno Redemptoris octingentesimo quadragesimo-secundo, illóque anno per mensem Augustum annus Ludovici Regis vicesimus-sextus jam numerandus videtur, si, quod admodum probabile fit, Ludovicus Bojoariæ Rex eodem dictus est die, quo Lotharius ejus frater in consortium Imperatoriæ Dignitatis à patre vocatus est.

QUINTOVICUS A NORTMANNIS DIRIPITUR.

* *La Canche.*

AGER ARELATENSIS A MAURIS EXPILATUR.

SAXONES REBELLES A LUDOVICO R. PUNIUNTUR.

PRÆCEPTUM PRO ALTAHA INFERIORE.

AN. CH. 842. LOTHAR. IMP. 26. LUDOV. R. 26 CAROLI R. 13.

XIX. Quod attinet ad Placita, Wormatiense videlicet ac Metense, quorum unum Carolus cum Ludovico fratre, alterum cum Lothario & Ludovico fratribus condixerat, de utroque sic Nithardus. *Idem Karolus ad Placitum quod cum Lodhuwico fratre suo Warmatiam condixerat, iter direxit. Cúmque Metis pridie Kal. Octobris venisset, Lodharium in villa Teotonis reperit, quò ante condictum Placitum venerat, ac aliter quam statuerat residebat. Quamobrem his qui à patre Lodhuwici necnon & Karoli propter divisionem Regni Metis residere debuerant, tutum minimè videbatur, ut dum seniores sui in Warmatia & Lodharius in Teotonis villa essent, illi Metis Regnum dividerent. Distat enim Warmatia à Metis leuvas plùs minùs* LXX, *Teotonis autem villa plùs minùs octo. Occurrebat etiam quòd Lodharius in fratrum deceptione sæpè perfacilis promptúsque extiterat. Ideóque suam salutem illi credere haudquaquam, absque qualibet securitate, audebant. Ergo Karolus horum saluti consulens ad Lodharium dirigit, mandat, quoniam aliter quam convenisset venerat, & si vellet ut Missi fratris sui necnon & sui inibi unà cum suis remanerent, daret illi obsides, ut de saluto illorum fidus esset. Sin aliter, mitteret ille Missos suos ad Warmatiam, & illi, quos vellet, obsides illi darent. Sin aliter, recederent à Metis pari spatio. Sin etiam aliter & hoc nollet, in meditullio quà vellet Missi eorum convenissent. Non enim se tot nobilium virorum salutem negligere debere dicebat. Erant quidem octoginta electi ex omni multitudine, omni nobilitate præstantes, quorum interitus ni præcaveretur, maximam sibi fratríque suo posse inferre jacturam aiebat. Tum tandem pro commoditate omnium hinc inde visum est, ut Confluentum * missi illorum centum decem videlicet absque obsidibus convenirent, inibíque Regnum prout æquiùs possent dividerent.*

FRANCIA TRIPARTITÒ DIVIDITUR. * *Coblents.*

XX. *Quò scilicet* XIIII *Kal. Novembris convenientes, ne fortè quoddam scandalum inter homines illorum qualibet ex causa oriretur, pars illorum, quæ à Lodhuwico necnon & Karolo venerat, Orientalem ripam Reni metantes, quæ autem à Lodhario, Occiduam, cotidiéque ob commune colloquium Sanctum Castorem petierunt. Cúmque ad Regni divisionem hi qui à Lodhuwico & Karolo missi fuerant, variis querimoniis accessissent, quæsitum est, si quis illorum totius Imperii notitiam ad liquidum haberet. Cùm nullus reperiretur, quæsitum est, cur Missi illorum in transacto spatio non circumiissent, & illorum industriâ inbreviatum esset. Cùm & ut fieret Lodharium nolle reperissent, aiebant impossibile esse ignoranti quiddam æqualiter dividere posse. Novissimè autem quæsitum est, quoniam sacramento illud, prout æquiùs ac meliùs possent, nosséntque, dividere deberent, si hoc sincerè jurare possent, dum scirent quòd nemo ignoranter id facere valeret; & hoc quoque ad conferendum Episcopis commissum, qui hinc inde in Basilicam Castoris convenientes à parte Lodharii aiebant, si in sacramento quilibet deliquisset, hoc expiare posse, ac per hoc melius esset ut hoc facerent, quàm diutiùs tot rapinæ, incendia, homicidia, adulteria Ecclesia Dei pateretur. At contrà hi, qui à parte Lodhuwici necnon & Karoli erant, aiebant dum neutrum necesse esset cur in Deum peccare deberent? Aiebant melius esse, ut firmaretur pax inter illos, mitteréntque pariter per universum Imperium, & inbreviaretur, ac tum tandem jurare quod certum est absque periculo æqualitérque dividere posse censebant. Sic quoque perjurium ceteráque facinora devitare, ni cæca cupiditas impediret, posse firmabant. Ac per hoc nec se lædere in sacramento velle, nec cuipiam, ut faceret, licentiam dare testabantur. Quà dissentientes, quique quà venerat, ad suos secesserunt. Hinc omnes in eadem domo convenerunt à parte Lodharii, dicentes, quòd parati ad sacramentum & ad divisionem, uti juratum fuerat, essent. At contrà à parte Lodhuwici & Karoli similiter se velle, si possent, aiebant. Novissimè autem, quoniam neuter, quod alter volebat, absque seniorum suorum auctoritate assentire, statuunt ut pax inter illos esset, donec scire possent, quid seniores sui horum recipere vellent, & hoc fieri posse in Non. Novemb. visum est, usquequò pacis termino constituto discedunt. Quà quidem die terra motus magnus per omnem penè hanc Galliam factus est.*

IN PLACITO APUD CONFLUENTES.

XXI. Addit idem Auctor Translationem Sancti Angilberti patris sui Centulensis quondam Abbatis. *Eâdem*, inquit, *die*, Nonis videlicet Novembris,

AN. CH. 842.
LOTHAR. IMP. 26.
LUDOV. R. 26.
CAROLI R. 13.

Angilbertus vir memorabilis Centulo translatus, & anno post decessum ejus XXVIII, *corpore absque aromatibus indissoluto repertus est.* Tunc Centulensis Abbas erat Ribbodo, de quo sic Hariulfus in Chronico [a] Centulensi. *Ribbodo, ut dictum est, tunc Centulo Monasterio Abbas praerat, qui videns Sanctissimi Angilberti Abbatis corpus Sanctum eò loci quiescere, ubi Ecclesiam ingredientes necessariò incedebant, & nimiùm molestè ferens talem tantúmque virum quotidiano populi accessu calcari, reputánsque esse justum, ut homo Dei intra Dei domum pausaret, levavit ejus membra, & transtulit eu intra Basilicam Sancti Richarii die Nonarum Novembrium. Requieverat in loco priori annis* XXVIII, *& tamen Deo favente, qui servi sui meritum ostendebat, ita integrum & absque corruptela sanctum ejus corpus inventum est, ac si eâ horâ anima illud deposuisset. Odor etiam mira suavitatis ibidem exuberasse asseveratur. Huic certa rei testimonium ferunt Francorum Historia; ea scilicet, qua illius temporis facta commendant.* Alludit hic Auctor ad Historiam Nithardi, ut patet ex his vocibus, *indissoluto repertus est*, quæ, ceteris obliteratis, legi solæ potuerunt in Codice publici pòst juris facto à Luca Dascherio Tomo quarto Spicilegii. Sanctus Angilbertus duodecimo Kalendas Martias anno Redemptoris octingentesimo decimo-quarto, ut ad illum annum [b] Tomo superiore dictum est, ex hac vita discessit. Ergo donec inde transferretur, in primo sepulturæ loco quievit *annis* XXVIII, ut Hariulfus scribit, translatúsque est *anno post decessum ejus* vel XXVIII, ut Nithardus testatur, vel XXVIIII, ut ad oram ejusdem Nithardi reponit Duchesnius. Annus enim Redemptoris octingentesimus quadragesimus-secundus, quo facta Sancti Angilberti Translatio, vicesimus-octavus numeratur post octingentesimum decimum-quartum quo sepulturæ mandatum corpus ejusdem Sancti Angilberti, & quia migravit ex hac vita duodecimo Kalendas Martii, Nonæ Novembres per annum octingentesimum quadragesimum-secundum rectè illigari possunt anno post ejus obitum vicesimo-nono jam inchoato à die decima-octava Februarii.

TRANSLATIO S. ANGILBERTI.

[a] Lib. 3. c. 5.

[b] Tom. 7. a. 814. n. 71.

Res à Lothario ejúsque fratribus post Nonas Novembres hoc anno gestæ sic apud Nithardum exponuntur. *Cùm, ut præfatum est, reversi, quique Regi suo qua invenerant, nunciassent, hinc inopiâ, hinc hyeme instante, hinc etiam quòd Primores populi degustato semel periculo iterum prælium nolebant, ac per hoc pax inter illos usque in vigesimo die post Missam Sancti Johannis firmaretur, assentiunt. Ad quam statuendam hinc inde Primates populi Teotonis villam confluunt, jurant, ut ipsi Reges inter se interim mutuam pacem servare deberent. Et ut nequaquam quolibet modo omitteretur, ui in eodem Conventu, ut æquiùs possent, omne Regnum dividerent, essétque Lodharii, uti juratum fuerat, partium electio ejusdem Regni. Hinc quique quà libuit discessit; & Lodharius Aquis hyematum petiit, Lodhuwicus Bajoariam, Karolus autem uxorem ducturus Carisiacum venit. Eodem tempore Mauri à Sigenulfo fratre Sigihardi sibi causâ subsidii inducti Beneventum invadunt. Eodem etiam tempore Stellinga in Saxonia contra dominos suos iterum rebellorunt, sed prælio commisso nimia cæde prostrati sunt, ac sic auctoritate interiit, quod sine auctoritate surgere præsumpsit. Accepit quidem Karolus, uti præfatum est, in conjugio Hirmentrudem, Vodonis & Ingeltrudis filiam & neptem Adelhardi. Dilexerat autem pater ejus suo in tempore hunc Adelhardum adeò, ut quod idem vellet in universo Imperio, hoc pater faceret. Qui utilitati publicæ minùs prospiciens, placere cuique intendit. Hinc libertates, hinc publica in propriis usibus distribuere suasit, ac dum quod quique petebat ut fieret, effecit, rem publicam penitus annullavit. Quo quidem modo effectum est, ut in hac tempestate populum quà vellet facilè divertere posset. Et hac de re Karolus præfatas nuptias maximè iniit, quia cum eo maximam partem plebis sibi vindicare posse putavit. Nuptiis quidem* XVIIII *Kal. Januarii expletis Natalem Domini ad Sanctum Quintinum celebrè peregit. Valentianas quoque, qui de fidelibus suis inter Mosam Sequanámque causâ custodia remanere deberent, ordinavit.* XXII.

MAURI DITIONEM BENEVENTANAM INVADUNT.

CAROLUS DUCIT UXOREM.

AN. CH. 842. LOTHAR. IMP. 26. LUDOV. R. 26. CAROLI R. 13.

XXIII. In hoc textu *Beneventum* interpretare non ipsam civitatem cui nomen Beneventum, sed regionem seu ditionem Beneventanam cujus caput Beneventum. Hanc interpretationem suppeditavit Annalista Bertinianus, cujus est iste textus ad hunc annum. *Beneventanis inter se dissidentibus, Sarraceni ab Africa ab eis invitati, primò quidem auxiliatores postmodum verò violenti insecutores, plurimas civitatum vi obtinent.* Diuturnum fuit hoc bellum inter Radelgisum & Siconolfum. *Quanta per hos gesta fuerint vicissim mala, nulla sustinere valet pagina, nullus Doctoris explanare sensus, sed neque scribentis potest esse omnino facultas*, ait Ignotus Casinensis in sua Historiola. Uterque Saracenos evocavit, Afros Radelgisus, Hispanos Siconolfus. Cladem hanc Beneventanam sic deflet Erchempertus [a]. *Intereà Siconolfus Beneventum crebris præliis graviter affligebat, atque, ut dici solet malo arboris nodo malus insigendus est cuneus, contra Agarenos Radelgisi Lybicos, Ismaelitas Hispanos accivit, iisque invicem intestino & extero alternantibus bello, ultramarina loca captivis nostræ gentis diversi sexûs & ætatis fulciebantur.* Præcipuam tot tumultuum causam rejicimus in Lotharium Augustum, Regem Longobardiæ, qui degebat cis Alpes, & Ludovicum ac Carolum fratres suos assiduè lacessebat, regionis Beneventanæ, licèt Regni Longobardici pars esset, administratione penitus neglectâ.

[a] Num. 16.

XXIV. ECCLESIA FRISINGENSIS VARIIS LOCUPLETATUR DONATIONIB. SUB ERCTENBERTO EP.

Apud Gewoldum [b] in Additionibus ad Hundium mentio fit multarum Donationum, quibus locupletata fuit Ecclesia Frisingensis sub Erctenberto Episcopo, cujus decessor Hitto vitam terminavit quarto Idus Decembris, anno Redemptoris octingentesimo tricesimo-sexto, ut ad illum annum diximus. Omnes istæ Donationes, si unam excipias, memorantur absque Characteribus Chronologicis. Ineunte quidem Erctenberti Pontificatu nonnullæ insinuantur factæ, tamen consultius videtur de cunctis conglobatim ad hunc annum agere, quo Strengbrechtus Presbyter erga Frisingensem Ecclesiam munificus sic comprobatur. *Quidam Straspach in capsam Sanctæ Mariæ ad Frisingam tradidit coram Erchemberto Episcopo. Item quidam Nobilis Ratold verbis Domini, quibus in Evangelio dicit, thesaurizate vobis thesauros in cælo, ubi nec ærugo nec tinea &c. demolitur, compunctus atque confisus tradidit in capsam Sanctæ Mariæ, & in manus Venerabilis Viri Erchemberti Episcopi, quidquid habuit in Tagelfinga scil. & in alio loco ad Tramsdorf, & in Huppenhem. Hoc factum est in Tagelfing. Item Strengbrecht Presbyter tradidit ad donum S. Mariæ Frisingen, quicquid habuit in Kremershausen. Actum Frisingæ in monte S. Stephani, in Ecclesiâ ubi requiescunt SS. corpora Alexandri Papæ atque Justini Confessoris, anno Domini* DCCCXLII. *Item quidam Nobilis tradidit Ennterfdorf, & Sconperg, ad montem S. Viti, ubi Christi Martyres Cornelius & Cyprianus requiescunt.*

[b] Tom. 1. in Episc. Frising.

XXV. EPISCOPI STRASBURGENSES.

Tomo superiore seriem ac Chronologiam Strasburgensium Episcoporum ad annum Redemptoris octingentesimum decimum-septimum [c] examinavimus, ibique observavimus annos septemdecim, quos Bruschius & Bucclinus Bernalto seu Bernaldo vel Beroldo seu Bernoldo tribuunt, non ab anno Redemptoris octingentesimo quadragesimo ad octingentesimum quinquagesimum-septimum, sed ab octingentesimo vicesimo-quinto ad octingentesimum quadragesimum-secundum numerandos esse. Monuimus & loco movendum Erlenhardum sive Erlehardum vel Urlenhardum, quem prædicti Nomenclatores & Wimphelingius Adelocho Bernalti decessori præponunt. De Erlenhardi Pontificatu agemus suo loco. Impræsentiarum Bernaltum hoc anno mortuum asserimus, eique subrogamus Utonem sive Uthonem, qui prætermittitur à Bruschio & à Sammarthanis, laudatur autem à Wimphelingio & à Bucelino.

[c] Nu. 38. & seqq.

XXVI. ROTICHILDUS ABB. NONANTULANUS OBIT.

In Abbatum Nonantulanorum Catalogo, quem Ughellus [a] Tarvisinis Episcopis inseruit, Rotichildus Abbas Nonantulam integro regit triennio,

[a] Tom. 5. Ital. Sacr.

vitâmque claudit hoc anno, decimo-quinto Kalendas Januarii. De suc- AN. CH.
cessore agemus anno sequenti. 842.

Obiit & hoc anno Dionysius Abbas, cùm Monasterium Sancti Carauni XXVII.
rexisset annis tribus & quadraginta. Successit Herveus. De utroque con- ABBATES
sule Tomum quartum Galliæ Christianæ. MON. S.

Hisce temporibus *sub Lothario Imperatore & Gregorio IV Summo Pontifice* CARAUNI.
claruit Sigismundus Abbas Murbachiensis, de quo plura non invenimus XXVIII.
apud Bucelinum in altera parte Germaniæ Sacræ. SIGISMUNDUS ABB.

Hilduinus trium Monasteriorum, ut sæpè diximus, Dionysiani videlicet, MURBACHIENS.
Germanensis ac Medardensis Abbas, circa hunc annum aut hoc ipso anno XXIX.
mortuus dicitur in Antiquitatibus Dionysianis [a], hoc anno determinatè in [a] Lib. 1. c. 19.
Gallia Christiana [b]. Certè hic computus à verò multùm aberrare non po- [b] Tom. 4.
test. Hilduinus enim, ut ex prædictis liquet, ad hunc annum pervenit, HILDUINI
successorem autem nactus est Ludovicum, qui Synodum Vernensem cum ABBATIS
aliis Præsulibus anno Redemptoris octingentesimo quadragesimo-quarto OBITUS,
celebravit. Ex his igitur observationibus constat Hilduinum è vita migrasse
vel hoc anno vel sequenti. Dies etiam controvertitur. In prælaudatis lu-
cubrationibus obit Hilduinus tertio Kalendas Novembris, in Necrologiis
Pratensi & Argentogilensi decimo Kalendas Decembris. Joannes Mabil-
lonius [c] in Notis ad Miracula Sancti Dionysii Parisiensis Episcopi, Necro- [c] Tom. 2. Sec. 3. Benedict.
logium Argentogilense * sic allegat. x. *Kal. Decemb. obiit Hilduinus B. Dio-* * D'Argenteuil.
nysii Monachus & Abbas, atque ex illis verbis infert *Hilduinum Abbatem re-*
gularem fuisse non secularem. Illum tamen existimamus Abbatem Ordinis
fuisse Canonici, quia simul multis præfuit Monasteriis, & anno Redem-
ptoris octingentesimo tricesimo-secundo, cùm Monastice San-Dionysiano
Cœnobio plenè restituta est, Abbatem se potiùs Canonicum ostendit quàm
Monasticum, prædia enim & alia quædam in usum Monachorum assigna-
vit, & partitionis inter se eosdémque Monachos initæ confirmationem pe-
tiit obtinuítque à Ludovico Imperatore, ut ad illum annum observavimus;
addequòd in Sancti Germani Monasterio, cujus Abbas etiam fuit, similem
quoque partitionem anteà fecerat, ejúsque confirmationem à Ludovico &
Lothario Augustis acceperat Idibus Januariis anno Redemptoris octingen-
tesimo vicesimo-nono, ut ad illum quoque annum diximus. Vitam clausit in
Monasterio Medardensi, quod præ ceteris quibus præfuit visus est semper
dilexisse. Relicto Lotharii comitatu redierat in gratiam cum Carolo, in
cujus ditione Suessio. *In dextra Chori parte juxta Altare jacet, cujus sepul-*
chralis lapis ante Ecclesiæ ruinam visebatur, ut observant [d] Sammarthani. Suc- [d] Tom. 4. in Abb. Medard.
cessores habuit Ludovicum in Monasterio Dionysiano, Ebroinum in Ger-
manensi, Radulphum seu Rodulphum vel Rudolphum in Medardino. *Hlu-* SUCCESSORES.
dowicus Abbas Monasterii Sancti Dionysii vocatur in Annalibus Bertinianis [e] [e] An. 867.
nepos Caroli Imperatoris ex filia majore natu Rotrude. De Ludovici natalibus
ex illicita Rotrudis copula dictum Tomo superiore ad annum Redempto-
ris octingentesimum decimum [f], quo Rotrudis seu Rotdrudis obiit Caroli [f] Num. 55.
Magni & Hildegardis quondam Reginæ filia primogenita. Eginhardus [g] [g] In vit. Caroli.
inter uxores Caroli, quas concubinas appellat, recenset *Mathalgardim, quæ*
peperit ei, nempe Carolo, *filiam nomine Rothildim*. Dubouchetus ubi Ro-
trudem, quæ Ludovici mater fuit, Caroli Magni & Alatargardis filiam
facit, Mathalgardim in Alatargardim & Rothildim in Rotrudim videtur
deflectere. Hæc de Ludovico impræsentiarum sufficiant. Ebroïnus Picta-
vensis Episcopus, cujus jam meminimus, factus est Abbas Sancti Germani
de Pratis in suburbano Parisiensi. Rodulphus, cùm ex Monacho Medar-
densi factus esset Abbas Floriacensis anno Redemptoris octingentesimo
quadragesimo, deinde Archiepiscopus Bituricensis anno Redemptoris octin-
gentesimo quadragesimo-primo, factus est etiam Abbas Medardensis hoc
anno Redemptoris octingentesimo quadragesimo-secundo.

AN. CH. 843.
LOTHAR. IMP. 27.
LUDOV. R. 27.
CAROLI R. 14.

ANNUS

CHRISTI		843.
LOTHARII	IMP.	27. 21. 4.
	REG.	29. 24. 21. 11. 6. 4.
LUDOVICI	REG.	27. 18. 9. 4.
CAROLI	REG.	14. 11. 9. 6. 4.
INDICTIO		6.

I. LOTHARII AUG. PRÆCEPTUM PRO ECCLESIA VIENNENSI.

IPSIS Kalendis Januarii, quæ fecerunt initium anno Redemptoris octingentesimo quadragesimo-tertio, Lotharius Augustus hoc emisit Præceptum, cujus fragmenta jam tecitavimus. *In Nomine Domini nostri Jesu Christi Dei æterni Hlotharius divinâ ordinante Providentiâ Imperator Augustus. Si ntilitatibus Ecclesiarnm Dei consulimus, nostrornm utiqne prædecessorum seu progenitorum nostrorum imitamnr exempla: & ad emolnmentum animæ nostræ proficere credimus, cùm de statu Religionis solerti curâ tractamus. Quapropter noverit omnium fidelinm Sanctæ Dei Ecclesiæ nostrorúmqne, præsentinm scilicet & futurorum, industria, quia Egilmarus Venerabilis Viennæ Archiepiscopus, obtulit caram sacris obtutibus nostris scriptum, in quo continebatur, qualiter Barnardus quondam ejusdem nrbis Antistes, beatissimos Martyres Severinum, Exuperium & Felicianum, jnxta introitum ejusdem civitatis in vico Brenniaco, in indigno loco jacentes, reverenter sustulit, & in Monasterio, Viennæ territorio, loco qui Romanis dicitur, sito solenniter tnmulavit. Quod Monasterium memoratus Pontifex sollicitâ Religione, pro utilitate & honore ejusdem Sedis, construxit, & in honore omnium Sanctorum Apostolorum unà cum Episcopis comprovincialibns suis dedicavit, ac de rebus propriis ad cotidiana stipendia Monachorum ibidem Deo militantium honorificè dotavit, Privilegiúmqne snum per legitimam traditionem successoribus snis, ipsins videlicet Ecclesiæ Pontificibus, jnre perpetuo sub integritate reliquit. Quam traditionem præfatus Egilmarus Venerabilis Archiepiscopns, ut per nostræ auctoritatis confirmaremns Præceptum, humillimis precibus nostræ Serenitatis postulavit Clementiam. Cujns ntilissimæ obsecrationi libenter assensnm præbentes, hos nostræ Sublimitatis apices fieri censuimns, per quos memoratum Cænobinm cum nniversis rebns ibidem à jam dicto Barnardo collatis, vel omnibns sibi pertinentibus, ad Sedem Viennensem in honore Sancti Mauritii sacratam, subjectum esse statuimus, & jure perpetuo sub integritate confirmare studuimus, ut deinceps omni tempore Pontifex ipsins civitatis exinde ordinare, quidquid rationabiliter & utiliter decreverit, perpetnaliter ratum habeat privilegium absque cujuslibet subtractianis injuriâ, seu qualibet injustâ repetitionis calumniâ. Et ut hæc nostræ Serenitatis auctoritas inconvulsam obtineat firmitatem, manu nostrâ firmavimus, & annuli nostri impressione signari jussimus. Signum Hlotharii Serenissimi Augusti. Daniel Notarius ad vicem Hilduini recognovi. Data in Kl. Jan. anno Imperii Domini Hlotharii in Italia* XXIII, *in Francia* III. Lotharianum hoc Præceptum, cujus fragmenta jam recitavimus, integrum descripsimus è Chartulario Viennensis Ecclesiæ, contulimúsque cum editionibus Bosciana & Lieureana. Portò Kalendis Januarii, per quas secundùm nostram computationem annus Redemptoris octingentesimus quadragesimus-tertius aperiebatur,

Lotharius

AN. CH. 843. LOTHAR. IMP. 27. LUDOV. R. 27. CAROLI R. 14. II.

Lotharius Imperator annum Imperii seu Regni in Italia vicesimum-tertium, in Francia tertium adhuc numerabat. Lege de duplici hac epocha Lothari, quæ post Ludovici patris obitum scripta sunt ad annum Redemptoris octingentesimum quadragesimum.

Carolus Rex apud Augustam Viromanduorum non tantùm Nativitatem Domini, ut anno præterito diximus, sed etiam Apparitionem sive Epiphaniam postridie Nonas Januarias hoc anno celebravit. Annalista Bertinianus utramque Festivitatem eâdem periodo sic complectitur. *Carolus Augustam Viromandorum ad memoriam videlicet Beati Quintini Martyris, Nativitatis Domini & Apparitionis Festum celebraturus proficiscitur.* Post aliquot dies, nempe pridie Idus Januarii, Regium pro Ecclesia Nivernensi Præceptum emisit, cujus duæ sunt partes, una de Generali Privilegio, altera *de Pastoris* sive Episcopi *electione*. Prior pars Chartis primæ ac tricesimæ Nivernensis Chartularii, quas ad annum Redemptoris octingentesimum quadragesimum-primum [a] recitavimus simúlque contulimus, persimilis est uno vix apice mutato. De Pastoris autem electione breviter hæc inseruntur. *Ceterùm nos pro utilitate Sanctæ Dei Ecclesiæ & repugnatione inimicorum nostrorum ipsum locum valdè oppressimus. Deinde contra eosdem inimicos & infideles Sanctæ Ecclesiæ & Regni nostri bellico apparatu decertantes, Deo in primis concedente, & Sanctorum illius loci intercessione succurrente, atque ut credimus oratione servorum Dei in præfatâ Ecclesiâ deservientium satis juvante, prout volueramus, & necessitas exposcebat, victoriam pleniter consecuti sumus. Pro quo vos sancimus* &c, ut ante biennium in Generali Privilegio. *Et quia ex illo loco exeuntes divino adjuti subsidio, ut suprà inserui, placuit nobis unà cum consultu fidelium nostrorum inprimis jam dictæ Ecclesiæ electione, ut neque nos neque ullus successorum nostrorum ibi ullum instituat nisi ab ipsis loci incolis Pastorem electum. Dúmque memoramus quàm fideliter milites ejusdem loci nobiscum contra hostes nostros solatia præbuerunt, & simul se nobiscum tradiderunt periculo, placuit nobis auctores atque electos ejusdem Sedis monere, ut nullus eorum præsumat aliquem illorum aut ullum de heredibus ipsorum degradare & beneficia collere, nisi priùs in causis Palatinis fuerit adductus & criminali mulctatione damnatus.* Et inferiùs. *Sed & concedimus ibidem auctoritate Regiâ omnes res ejusdem Ecclesiæ, quæ quondam fuerunt ab eâ abstractæ, & quas modò nostri indominicati Vassalli tenent, tali ratione, ut quia ipsi nobiscum dimicaverunt fideliter, in vitâ suâ, tamen cum consensu supradicti Episcopi eas teneant, post mortem verò illorum absque ullâ contradictione ad eundem locum perveniant. Interdum námque vestituram nonas & decimas ipsa Ecclesia recipiat. Excipimus autem hoc quod Comes ejusdem potestatis habere debet. Præcipimus autem atque jubemus, ut nullus Judex publicus* &c. *Signum Karoli Gloriosissimi Regis, pridie Id Janr. anno tertio, Indictio* VII, *regnante Karolo Gloriosissimo Rege. Actum .... in Dei Nomine feliciter.* In Codice Nivernensi secundum locum hæc obtinet Charta. Locus, ubi data, non exprimitur; quisquis ille sit, dies, qui notatur proximus ante Kalendas Januarias, anno Caroli Regis post Ludovici patris obitum tertio, satis indicat ab eodem Carolo scriptum fuisse Diploma, cùm ab Augustâ Viromanduorum in Aquitaniam contendebat. Tunc autem currebat Indictio sexta, cujus loco perperam irrepsit septima, nec alio ad hujus emendationis confirmationem opus est argumento, quàm quòd pridie quoque Kalendas Januarias anno Caroli Regis primo notatur Indictio quarta in Chartis prælaudati Codicis prima & tricesima, quæ de Generali Privilegio inscribuntur, & à nobis ad annum Redemptoris octingentesimum quadragesimum-primum publicatæ sunt. Annalista Bertinianus de suscepto Caroli Regis in Aquitaniam itinere testis est locupletissimus, textui enim suprà citato ista proximè subjungit. *Lotharius & Hludowicus intra fines Regnorum suorum sese cohibentes, pacificè degunt. Carolus Aquitaniam pervagatur.* Eandem Caroli profectionem in Aquitaniam hoc anno non omisit Nithardus [b]. *Parti-*

LOTHARIUS ET LUDOVICUS PACIFICE DEGUNT.

[a] Num. 2.

[b] Lib. 4.

AN. CH. 843. LOTHAR. IMP. 29. LUDOV. R. 27. CAROLI R. 14.

bus, inquit, *Aquitania unà cum conjuge*, quam decimo-nono Kalendas Januarii nuper duxerat, *anno* DCCCXLIII *Incarnationis Domini in hyeme iter direxit*. Hic Auctor finem Historiæ suæ hoc eodem anno imposuit. Sic enim de Carolo Magno scripsit. *Temporibus bonæ recordationis Magni Karoli; qui evoluto jam penè anno* XXX *decessit*. Obiit autem Karolus Magnus quinto Kalendas Februarias, anno Redemptoris octingentesimo decimo-quarto. In vulgatis editionibus Nithardi, Pithœana videlicet ac Duchesniana, nihil occurrit post hujus anni mensem Martium, quo *Eclypsis Lunæ contigit*. Cetera, quæ subjecta fuerant, hodie desiderantur.

III. CAROLUS AQUITANIAM PERVAGATUR.

NORDMANNI NAMNETAS DEPRÆDANTUR EPISCOPO, CLERO, COMITE, CIVIBUSQUE NON PAUCIS ANTE TRUCIDATIS.

Pergit Annalista Bertinianus. *Carolus Aquitaniam pervagatur. Quo illic constituto, Namenogius Brito & Lanbertus, qui nuper ab ejus fidelitate defecerant, Rainaldum Namnetorum Ducem interficiunt, complures capiunt. Pyratæ Nordmannorum urbem Namnetum adgressi, interfectis Episcopo & multis Clericorum atque laicorum, sexûsque promiscui, depradatâ civitate, inferioris Aquitaniæ partes depopulari adoriuntur. Ad postremum Insulam quandam ingressi, convectis à continenti domibus hyemare velut perpetuis sedibus statuerunt.* In fragmento Chronici Fontanellensis excidio Namnetarum & Episcopi Guntbardi Martyrio cædes Reginoldi seu Raginoldi vel Rainaldi Ducis ita postponitur. *Namnetem urbem depopulati sunt Nortmanni, & Guntbardum Episcopum interfecerunt. Eodem anno Raginoldus Dux occisus fuit à Brittonibus.* Standum ab Annalibus Bertinianis. Totum autem negotium, ut gestum est, accipe ex veteri Registro, quod Andreas Duchesnius [a] ex Andegavensi Monasterio Sancti Sergii desctiptum sic publicavit. *Anno ab Incarnatione Salvatoris* DCCCXLIII, *qui est annus Caroli Trierarchæ* III, *Rainaldus eximius Caroli Dux, genere Aquitanus, Nannetis urbis Comes, contra Britanes multâ amicorum & propinquorum manu collectâ, super fluvium Vicenoniam *, in loco, qui dicitur Meciacus * dimicat. Et prima quidem congressu Britones fortiter pressi terga vertunt, demum Lamberto suppetias ferente adeò persequentibus acriter resistunt, ut ante quos priùs fugiebant fugere compellerent, tantâque in eos cæde bacchantur, ut ingenti multitudine cum Duce prostratâ copiosas domum manubias reportarint, non modicâ ob commercium turbâ servatâ. Præfuit autem Britannorum bello Herispogius, patre Nomengio gravi languore detento, habens secum prædictum Lambertum transfugam, qui in Nanneticæ urbis Comitatum inhians, stragis hujus ductor & incentor extitit. Quibus patratis, Lambertus exoptato doni potitur voto, non diu. Nam exortis utrimque simultatibus, idem mox urbe ac regione pellitur. Triginta tribus autem post hæc elapsis diebus, mense Junio, Normannorum ferox natio numerosâ classe advecti, Ligerim fluvium, qui inter novam Britanniam & ultimos Aquitaniæ fines in Occiduum mergitur Oceanum, ingrediuntur. Demum dato classibus Zephyro ad urbem Nanneticam, impiissimo Lamberto crebro exploratore præcognitam, celeri carbasorum volatu, pariter remorum impulsu contendunt. Quam mox navibus egressi undique vallant, & sine morâ nullo propugnatore capiunt, vastant, diripiunt. Alii quippe scalis murum subeunt, alii oppilatum olim aditum offendentes infringunt & penetrant. Porrò civitatis Episcopus vocabulo Guihardus, vir innocens, & omni pietate repletus, Clerus omnis cum Monachis, qui ex vicino Cœnobio, cujus vocabulum est Antrum, quod antefati amnis ictifero gurgite undique cingitur, ad urbem copiosum Ecclesiæ thesaurum habentes confugerant, cùmque reliquâ vulgi multitudine, quos vel metus hostis incluserat, vel Præcursoris quæ inerat Nativitas, non solùm ex vicinis regionibus & vicis, sed etiam ex procul positis urbibus attraxerat, cernentes intra mœnia hostem, certatim cuncti ad Templum Apostolorum Petri & Pauli, quod in urbe nobilius & pulchrius erat, utpote ignari certaminis concurrerunt, obseratísque ostiis Ædis, solum quod supererat cælitus auxilium anxiè flagitabant. At gentiles effractis ostiis fenestrísque præpulsis Templum feraliter irrumpunt, imbellem pariter & inermem multitudinem gladiâ feriunt, tantâque crudelitate in Christi sæviunt gregem, ut præter quos sive captivandi sive distrahendi gratiâ in naves transtulerunt, omnem multitudi-*

[a] Tom. 2. Collect. Hist. Franc. p. 386.

* La Vilaine.

* Messac.

nem Sacerdotum, Clericorum, atque laïcorum, cum prædicto Antistite intra Ecclesiam gladio sternerent. Monachorum verò quosdam extra, alios intra Ecclesiam, plerosque autem super ipsam Templi aram instar hostiâ trucidant, reliquos verò noctis crepusculo secum abducunt, classique imponunt. Quis, proh dolor! illius diei dolorem explicare, quis explicando à lacrymis valeat temperare? Quando mortuarum matrum cruorem pro lacte sugentes pendebant ad ubera nati, quando Sanctorum sanguine hostili mucrone fuso Templi pavimenta madent, Altaria sacra innocentium cruore oblita fluunt. Post hæc erasis omnibus opibus, cum gregibus captivorum utriusque ordinis & ætatis ad naves remeant. Ad quorum postmodum redemptionem plurimùm à cladis superstitibus collatum est. Quibus peractis, Cœnobium Insularum, de quibus suprà meminimus, Natalitio Apostolorum Petri & Pauli, scaphis adeunt, vastant incendunt. Quos ex tunc, præter intestinos, usque in præsentem antedicti Regis annum, nullo propugnatore, utpote studiis in diversa, imò perversa tendentibus, terrâ maríque externos hostes assiduè patimur. Ita vetus Auctor Carolo Regi synchronus.

IV. Namnetæ non pertinebant ad Britanniam. Nomenoïus seu Nomengius Britanniæ Præfectus statim ac tyrannidem affectavit, eas occupare statuit. Oblata votis occasio. Rainaldus seu Raginaldus Pictavensis atque Herbatilicensis Comes, cujus laudes ob profligatos in Hero Insula Nortmannos ante annos octo celebravimus [a], à Carolo Rege factus est etiam Comes Namnetensis. Lambertus, qui Præfecturam Namnetensem ambiebat, hunc sibi prælatum ægro prorsus animo tulit, & ultionem meditatus insigni perfidiâ transiit ad Nomenoïum, eúmque quibus potuit persuasionibus ad bellum Namnetensibus inferendum provocavit. Auditâ Lamberti defectione Rainaldus securitati Namnetensis Comitatûs studuit, collectóque exercitu Britonibus obviam processit, infelici quidem, ut suprà dictum est, exitu. Super die, quo peremptus est, non levis occurrit difficultas. Joannes Besslyus inter probationes, quibus Historiam Comitum Pictavensium illustravit [b], duo citavit manuscripta Chronica, unum quod adjectum reperit ad calcem Conciliorum Engolismensium, alterum quod Lemovicense nuncupavit. Primum haud temerè vocabimus Engolismense. Petrus Franciscus Chiffletius alterum publicavit cum hoc titulo. *Chronicon Lemovicense, adjectum ad calcem Cyclorum Paschalium, in veteri Codice MS. Monasterii Lemovicensis.* Chronicon Engolismense sic habet. *843. Rainaldus IX Kal. Jul. occiditur.* Lemovicense, sic. *Anno 843 Rainaldus VIIII Kal. Jul. à Lamberto perimitur.* Id est, pridie quàm Namnetæ diruerentur à Nortmannis. Id autem palàm refragatur Codici Sancti Sergii suprà citato Scriptoribúsque Britannicis, qui Rainaldum in prælio ad Vicenoniam occisum asserunt. A die quo pugnatum est, ad adventum usque Nortmannorum in agrum Namnetensem, præter integrum mensem dies effluxerunt haud pauci. Prædictis igitur Chronographis sua stare non potest auctoritas, nisi dicamus in prælio, quod ad Vicenoniam commissum est, ademptam Rainaldo libertatem, vitam seriùs à Lamberto in furorem acto, nec hæc interpretatio supra fidem videtur, Lambertus enim Rainaldum incredibili prosequebatur odio.

[a] Ad an. 835. nu. 86. & seqq.

[b] Cap. 3.

V. Excidium Namnetense consignatur octavo Kalendas Julii. Post Nortmannorum discessionem, corpus Sancti Guihardi vel Gunhardi vel Gohardi Namnetensis Episcopi ac Martyris per Ligerim & Meduanam fluvios ad Monasterium Sancti Sergii prope muros Andegavenses delatum est, ibique sepulturæ, ut decebat, honorificentissimè ab Andegavensi Clero mandatum. Inde fit, ut potiorem sibi conciliet auctoritatem qui citatus est à nobis Codex istius Cœnobii. Porrò Guihardus in Namnetensi Cathedra sedit post Attonem, quem anno Redemptoris octingentesimo tricesimo-tertio superstitem laudavimus. Agemus anno sequenti de Sancti Gohardi successore. Interim hoc anno, mense Septembri, Susannus Vene-

AN. CH. 843.

tensis Episcopus sacro ritu purgavit Ecclesiam Namnetensem, quæ polluta fuerat à Nortmannis. Sancti Gohardi memoria septimo Kalendas Julii recolitur, quia pridie celebratur Nativitas Sancti Joannis Baptistæ. Lege in Armorica Sancta vitam Sancti Gohardi Martyris & Catalogum Episcoporum Namnetensium.

VI. * Aindre. ANTRUM MON. INFRA NAMNETAS INCENDUNT. a D. 24. Jun.

Antrum * illustre Monasterium, quod infra Namnetas in ejusdem nominis Insula Pascharius Namnetensis quondam Episcopus erexerat, Nortmanni vastarunt incenderúntqoe tertio Kalendas Julii, cùm illius loci Monachos Namnetis, quò se receperant, ante aliquot dies interfecissent. Unde redarguas Auctorem [a] Martyrologii Gallicani, qui Guichardum seu Guihardum Namnetensem Episcopum *in Antri Insula od Ligerim, dum illic Missam pontificaliter celebraret, cum plurimis Monachis & ingenti plebis multitudine, à Danis*, seu Nortmannis, *infidelibus gladio ferociter* cæsum scribit.

VII. b Lib. 2. c. 40. EX ARMORICA PER OCEANUM ABEUNT IN AQUITANIAM.

Insulam, in qua Nortmanni statuerant hyemare, nec Annalista Bertinianus, nec alius quis ex antiquis Auctoribus nominavit. Herum Argentræus [b] aliique recentiores suspicantur. In Annalibus Bertinianis sequitur Regni divisio tres in partes pro totidem fratribus, Lothario, Ludovico & Carolo, sed quia facta est mense Augusto, quid Reges anteà gesserint, haud abs re videtur investigandum.

VIII. c Num. 3. LUDOVICI R. PRÆCEPTUM PRO MON. TIGURINO PUELLARUM.

In Appendice [c] ad Censuram Diplomatis Landaviensis seu Lindaviensis, extat Ludovici Regis Præceptum hoc anno darum Francofurti decimosexto Kalendas Maii, sicque descriptum ex apographo Tigurino. *In Nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis, Hludovicus divinâ fovente gratiâ Rex. Si de rebus terrenis, quas divinâ sumus largitate consecuti, ad loca sacra ob divinum omorem aliquid conferimus, profuturum nobis esse ad æternæ remunerationis præmia capessenda hoc liquidò credimus. Quapropter comperiat omnium fidelium Sanctæ Dei Ecclesia nostrorúmque, præsentium scilicet & futurorum, industria, qualiter nos juxto postulationem dilectissimæ filiæ nostræ Hildagardæ pro Serenissimi Imperotoris Avi nostri Caroli animæ remedio, & Præstantissimi Hludowici Augusti Domni & Genitoris nostri, necnon & nostrâ sempiternâ remuneratione, ac conjugis prolísque nostræ perpetuâ mercede, curtim nostram, quæ vocatur Chamo consistens in Ducatu Alamonnico in pago Turgaugensi cum omnibus adjacentiis vel appendiciis ejus seu in diversis functionibus. Id est, curtem indominicatam, cum Ecclesiis, domibus, ceterísque ædificiis desuper positis, mancipiis utriusque sexûs & ætatis, terrísque cultis & incultis, sylvis, pratis, poscuis, piscationibus, vel piscatoribus, aquarúmque decursibus, vel adjacentiis, perviis, exitibus, & egressibus, quæsitis & inquirendis, cum universis censibus qui ad ipsom curtem pertinent, & diversis redibitionibus, vel quicquid in eisdem locis nostri juris atque possessionis jure proprietatis est, & od nostrum opus instanti tempore pertinere videtur, totum & integrum ad Monasterium nostrum tradimus, quod situm est in vico nostro Turegum, ubi Sanctus Felix & Sancta Regula Mortyres Christi corpore quiescunt. Quod videlicet rationis tenore plocuit nobis hoc ogendum, ut ab hac die & deinceps imposterum ibidem omni tempore Sanctimonialium fœminarum sub regulari formâ degentium vita conversatióque Monosterialis Monastico cultu instituere delectetur, & libentiùs propter hujus loci supplementum à nobis jam prædictis Martyribus dediti *, Dei famulotus illic exhibeatur, ac pro nostra debitorúmque nostrorum omnium mercedis augmento diligentiùs Domini misericordia ubertúsque exoretur. Et ut hæc onctoritas nostræ largitionis atque confirmationis firmior habeatur, & per futuro tempora à cunctis fidelibus Sonctæ Dei Ecclesiæ nostrísque, præsentibus & futuris, veriùs credatur, seu diligontiùs observetur, monu propriâ nostrâ subter eam firmavimus, & onuli nostri impressione adsignari jussimus. Signum Hludowici Serenissimi Regis. Hodedeus Subdioconus od vicem Wiegarii Cancellarii recognovi. Data XVI Kol. Moii, anno XXVI Regni Hludowici Serenissimi Regis in Orientoli Francio regnantis, Ind. VI. Actum in villa Frankonofurt Palatio Regio. In Dei Nomine feliciter. Amen.* Annus Regni Ludoviciani vicesimus-

* Dedita.

AN. CH. 843. LOTHAR. IMP. 27. LUDOV. R. 27. CAROLI R. 14.

ſextus per menſem Aprilem cum Indictione ſexta & anno Redemptoris octingenteſimo quadrageſimo-tertio rectiſſimè convenit, initio ducto ab anno Redemptoris octingenteſimo decimo-ſeptimo, quo Ludovicus à patre vocatus eſt in conſortium Regiæ Dignitatis. Ex hoc Diplomate liquet puellare Monaſterium à Rege Ludovico Tiguri * conditum fuiſſe, ibique degiſſe Hildegardem illius filiam, quam & ejuſdem loci Abbatiſſam agnoſcunt gemelli fratres Sammarthani in Hiſtoria [a] Genealogica Domûs Franciæ & Duboucbetus in vera Origine [b] ejuſdem Regalis Familiæ.

* Zurich.
[a] Lib. 7. c. 14.
[b] Part. 1.

IX. JUDITHA AUGUSTA MORITUR.

Carolus Rex Juditham matrem amiſit. Hæc Turonis ſepulta fuit in Baſilica Sancti Martini. Nec audiendi, qui triennio ſeriùs mortuam volunt. In Chronico San-Gallenſi, quod anno Chriſti nongenteſimo viceſimo-ſexto clauditur, hæc leguntur. *Anno* DCCCXLIII. *Juditta Regina obiit. Pax facta inter illos*, id eſt, inter Lotharium, Ludovicum, & Carolum, fratres, qui menſe Auguſto Regnum inter ſe tripartitò diviſerunt, ut mox oſtenſuri ſumus. In Chronico Lemovicenſi, quod Petrus Franciſcus Chifſletius inter probationes Hiſtoriæ Trenorcienſi ſubjectas publicavit, *anno* DCCCXLIII *Judith Imperatrix, Karoli Calvi mater, obiit, apud Beatum ſepulta Martinum Turonis*. Et in Chronico Engoliſmenſi, quod Philippus Labbeus publici juris fecit, *anno* DCCCXLIII *Judith Imperatricis anima egreditur*. Conſentanea ſcribunt Hermannus & Ademarus in ſuis Chronicis.

X. CAROLI R. PRÆCEPTUM PRO MON. CENTULENSI.

Ejus filius Rex Carolus ex Aquitania reverſus Compendium adiit. Ibi degebat duodecimo Kalendas Junii, Indictione ſextâ, cùm pro Monachis Centulenſibus hoc emiſit Præceptum, quod Hariulfus libro tertio [c] Chronici Centulenſis inſeruit. *In Nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis, Karolus gratiâ Dei Rex. Si ſervorum Dei juſtis & rationabilibus petitionibus Benignitatis noſtræ aſſenſum præbemus, Regiæ Celſitudinis opera frequentamus, ac per hoc faciliùs nos æternæ beatitudinis gloriam adepturos liquido confidimus. Quocirca noverit omnium Sanctæ Dei Eccleſiæ fidelium atque noſtrorum tam præſentium quàm & futurorum ſolertia, quia viri religioſi Monachi ex Monaſterio Centulo, præclariſſimi ſcilicet Confeſſoris Chriſti Richarii, Culminis noſtri adeuntes Serenitatem, obtulerunt Præcellentiæ noſtræ Glorioſæ memoriæ Domini & Genitoris noſtri Cæſaris Auguſti Hludoguici auctoritatem, quâ continetur, qualiter idem Dominus & Genitor noſter quaſdam villas ex eadem Sancti Richarii Abbatia uſibus & ſtipendiis eorundem Monachorum conſtitutas eis concesſerit, atque ut nullius quandoque Abbatis vel cujuſcunque perſonæ minoratione illis ſubtrahantur, Imperiali Præceptione pleniter confirmaverit. Ac proinde oraverunt iidem Monachi Magnitudinem noſtram, ut eandem Domini Genitoris noſtri Imperialem auctoritatem nos denuò reconfirmare vel renovare dignaremur per Præcellentiæ noſtræ reſcriptionem. Quorum denique preces clementer audivimus, & ita illis in omnibus conceſſiſſe, cunctis notum eſſe volumus. Quin etiam Reverentiæ noſtræ ſcriptum hoc ſpeciale conditione fieri juſſimus, per quod memoratas villas, hoc eſt, Cininocurtem cum Bronoilo, Aldulficurtem, Valles, Druſſiacum, Novam-villam, Montem Angelorum, Guibrentium, Bagardas, Curticellam, Crucem, Langoratum, Altegiam, Sidrudem, Niviellam, Vernulf, Concilium, Roconis-montem, Maris, vel quicquid ad ſupradicta loca præſenti tempore juſtè & legaliter aſpicere videtur, ſicut à Domno & Genitore noſtro ſtatutum eſt, uſibus & ſtipendiis Monachorum in præfato loco Chriſto famulantium concedimus atque firmamus, videlicet ut nulli unquam liceat ab eorum dominio ex eiſdem villis aliquid abſtrahere, aut minuere, aut in alios uſus convertere, nec paratas, aut ledimonium, aut hoſtilicium, aut alias quaſlibet redibitiones præſumat ullo modo exigere, ſed ſicut dictum eſt, eo modo atque tenore quo à Piiſſimo Imperatore Genitore noſtro ſtatutum eſt, ita noſtris & futuris temporibus ſecurè illas teneant & quietè poſſideant; quatenus eoſdem Dei ſervos in præmiſſo Monaſterio Domino militantes pro ſalute ejuſdem Genitoris noſtri, & felicitate noſtra, & conjugis, prolèque, ſive ſtabilitate Regni noſtri, inceſſanter piiſſimi Judicis miſericordiam implorare delectet. Et ut hæc auctoritas per futura tempora*

[c] Cap. 7.

AN. CH. 843. LOTHAR. IMP 27. LUDOV. R. 27. CAROLI R. 14.

inviolabilem & inconvulsam obtineat firmitatem, manu propriâ subterfirmavimus, & annuli nostri impressione assignari jussimus. Signum Caroli Gloriosissimi Regis. Meginarius Natarius ad vicem Hludovici recognovi & subscripsi. Sequuntur Characteres Chronologici. *Data* XII *Kal. Junii, anno* IV *regnante Domno Karolo Serenissimo Rege, Indictione* VI. *Actum Compendio Palatio Regio in Dei Nomine feliciter. Amen.* At inter se non conveniunt annus quartus Caroli Regis & Indictio sexta, quia hæc Indictio cum anno Redemptoris octingentesimo quadragesimo-tertio componitur, & annus quartus Caroli Regis per mensem Maium illigatur anno Redemptoris octingentesimo quadragesimo-quarto. Necesse est igitur ut vel annus Regni Carolini vel Indictio corrigatur. Error est in anno Caroli Regis, & IV loco restituendus est III, quocum Indictio sexta & annus Redemptoris octingentesimus tricesimus-tertius per mensem Maium comparantur. Nihil certè vetat, quominùs Carolus duodecimo Kalendas Junias, anno Regni sui tertio, Indictione sextâ, sive anno Redemptoris octingentesimo quadragesimo-tertio in Compendiensi Palatio versatus censeatur. Procul autem aberat ab illo loco, duodecimo Kalendas Junias, anno Regni sui quarto, Indictione septimâ tum currente, sive anno Redemptoris octingentesimo quadragesimo-quarto, Tolosam enim tunc obsidebat, & in Monasterio Sancti Saturnini prope illam civitatem morabatur, ut anno proximo subscriptiones variorum Diplomatum manifestissimè demonstrabunt. Sufficiet hîc per antecessum observasse, quòd Carolus pro Monasterio Sancti Laurentii in Diœcesi Narbonensi posito Præceptum emisit cum ista subscriptione. *Data* XIII *Kalendas Junii, Indictione* VII, *anno quarto Karolo Gloriosissimo Rege. Actum in Monasterio Sancti Saturnini prope Tolosam in Dei Nomine feliciter. Amen.* Necnon & aliud cum hac subscriptione pro Teodtfredeo Regio in Septimania Vasallo. *Data Non. Jun. anno* IIII. *Indictione* VII. *regnante Karolo Gloriosissimo Rege. Actum in Monasterio Sancti Saturnini prope Tolosam, in Dei Nomine feliciter. Amen.* Deinde in Chronico Centulensi [a] Præceptum, quod integrum proximè descripsimus, Hariulfus à Carolo priùs emissum testatur, quàm Ludovicus Abbas fieret Centulensis. Ludovicus autem ut anno Redemptoris octingentesimo quadragesimo-secundo post Hilduinum factus est Abbas San-Dionysianus, sic & Centulensis anno Redemptoris octingentesimo quadragesimo-quarto post Ribbodonem, qui cæsus occubuit septimo Idus Junias, eodem anno Redemptoris octingentesimo quadragesimo-quarto, ut suo loco probaturi sumus.

[a] Lib. 3. c. 7.

XI. Carolus tertio Nonas Julias hoc eodem anno Redemptoris octingentesimo quadragesimo-tertio, Regni sui quarto post patris obitum jam inchoato, Indictione sextâ, cùm è Palatio Compendiensi Virodunum ad Placitum pro constituenda Regni divisione conditum proficisceretur, Præceptum apud Attiniacum pro Ecclesiâ Augustodunensi sic emisit. *In Nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis, Karolus gratiâ Dei Rex. Si in loca divinis cultibus mancipata propter amorem Dei, eique in eisdem locis juge famulantibus beneficia opportuna largimur, eorúmque congruis ac opportunis efflagitationibus assensum præbere non differimus, præmium ob hoc apud Deum æternæ remunerationis rependi non ambigimus. Quocirca notum sit omnibus Sanctæ Dei Ecclesiæ fidelibus præsentibus atque futuris, quia Vir Venerabilis Altheus Augustudunensis urbis Pontifex obtulit obtutibus nostris quasdam auctoritates Domini & Genitoris nostri Hludovici Serenissimi Augusti, in quibus continebatur, quòd Modoicus memoratæ Sedis quondam Episcopus eidem Domino & Genitori nostro quasdam auctoritates Francorum Regum relegendas obtulisset, quæ * revoluta atque in præsentia relecta *, invenit, qualiter olim à perfidis Saracenis præfata urbs depopulata fuisset, & Sedes Matris Ecclesiæ, quæ est constructa in honore Sancti Nazarii Martyris, igne cremata fuisset, & omnia strumenta cartarum in eodem incendio exusta, & quòd à Regibus Francorum inclytis, divino instinctis fervore, pleniter restaurata, atque*

PRO ECCLESIA AUGUSTODUNENSI.

** Nominativus absolutus.

AN. CH. 843. LOTHAR. IMP. 27. LUDOV. R. 27. CAROLI R. 14.

in suo statu sublimata foret, & isdem Genitor noster postmodum ob amorem Dei & reverentiam ipsius loci sancti, statuta Antecessorum suorum servans, sua auctoritatis Praceptum super id decrevit, atque fieri jussit, quatinus villa ac Monasteria ad prafatam Sedem pertinentia, qua sunt tam intra urbem quàm extra, id est, Monasterium puellarum Sancti Andochii infra eamdem urbem constructum, & Monasterium Sancti Petri seu Sancti Stephani in suburbio ejusdem civitatis, & alia Monasteria infra eamdem Parrochiam Sancti Andochii in Sedeloco, & Sancti Eptadii in Cerviduno, & Sancti Martini de Magavero sive Circiniaco, necnon & Colcicas Monasterium, quod dudum ab ipsa Sede subtractum & à Domino Genitore nostro diligentissimè pro Dei amore investigatum, atque libentissimè redditum memorata Ecclesia fuit, absque ullius inquietudine aut retractione memorata Sedis Rectores tenere perpetim possint, quod nos denuò per hanc nostram scriptionem perpetuò mansurum volumus atque firmamus. Invenimus etiam in suprascriptis auctoritatibus qualiter domnus & genitor noster eandem Ecclesiam cum suis omnibus rebus & mancipiis sub sua defensione & immunitatis tuitione pro remedio anima sua recepisset, quod nos denuò ob deprecationem Albei Prasulis & ob emolumentum anima nostra memoratam Ecclesiam cum omni sua integritate sub nostra defensione atque mundeburdio recipimus, & per hanc nostram auctoritatem perpetim mansuram deliberamus. Pracipientes ergo jubemus, ut nullus Judex publicus &c. Hanc itaque auctoritatem ut pleniorem in Dei nomine obtineat vigorem, & à fidelibus sancta Dei Ecclesia & nostris veriùs credatur & diligentiùs conservetur, manu nostrâ subter eam firmavimus & anulo nostro sigillari jussimus. Signum Karoli Gloriosissimi Regis. Jonas Notarius ad vicem Hludovici recognovit & subscripsit. Data III Nonas Julii, Indictione VI. anno IIII. regnante Karolo Glorioso Rege. Actum Attiniaco Palatio nostro in Dei nomine feliciter. Amen. Huc usque Diploma quod ex Augustodunensis Chartularii fragmento [a] descripsimus, contulimúsque cum Galliâ Christianâ, in quâ Sammarthani perperam Indictionis sextæ loco posuerunt octavam, quacum annus Caroli Regis quartus comparari non potest.

[a] Quatern. 2.

XII. LOTHARIUS, LUDOVICUS ET CAROLUS FRANCIAM APUD VIRODUNUM INTER SE TRIPARTITÒ DIVIDUNT.

Carolus, qui moras apud Attiniacum ad ripam Axonæ tertio Nonas Julias agebat, iter Virodunum versùs paulò pòst suscepit, ibique mense tandem Augusto cum fratribus convenit de paterni Regni divisione, quæ novam Regum epocham sequentibus annis adnotandam constituit. Illam partitionem Annalista Bertinianus sic exequitur. *Carolus ad condictum fratribus obvians penes Virodunum conjungitur, ubi distributis portionibus Hludowicus ultra Rhenum omnia, citra Rhenum verò Nemetum, Vangium & Moguntiam civitates pagósque sortitus est. Lotharius inter Rhenum & Scaldem in mare decurrentem, & rursus per Camaracensem, Hainnaum, Loemsem, Castritium, & eos Comitatus qui Mosa citrà contigui habentur usque ad Ararem Rodano influentem, & per deflexum Rodani in mare cum Comitatibus similiter sibi utrimque adharentibus. Cetera usque ad Hispaniam Carolo cesserunt. Factísque sacramentis, tandem altrinsecus est discessum.* Annalista Metensis de tribus civitatibus, Spira, Wormatia, & Moguntiaco cis Rhenum in Ludovici sorte positis haud loquitur, at pactionem inter fratres initam fuisse mense Augusto sic observat. *Anno Dominica Incarnationis DCCCXLIII, descripto Regno à Primoribus, & in tres partes diviso, apud Viridunum Gallia civitatem tres Reges mense Augusto convenientes, Regnum inter se dividunt. Et Karolo quidem Occidentalia Regna cesserunt, Ludoico autem Orientalia, scilicet omnis Germania usque Rheni fluenta. Porrò Lotharius, quia major natu erat, & Imperator appellabatur, medius inter utrosque incedens, Regnum sortitus est, quod hactenus ex ejus vocabulo Lotharii nuncupatur, totámque Provinciam, necnon & omnia Regna Italia cum ipsâ Romanâ urbe. Factâque inter se pace, & juramento firmatâ, singuli ad disponendas & tuendas Regni sui partes revertuntur.* Eadem Annalista Fuldensis breviore stylo sic complectitur. DCCCXLIII. *Descripto Regno à Primoribus, & in tres partes diviso, apud Virdunum Gallia civitatem tres Reges mense Augusto conve-*

AN. CH. 843. LOTHAR. IMP. 27. LUDOV. R. 27. CAROLI R. 14.

nientes, Regnum inter se dispertiunt; & Hludowicus quidem Orientalem partem accepit, Karlus verò Occidentalem tenuit; Hlotharius, qui major natu erat, mediam inter eos sortitus est portionem. Factâque inter se pace, & juramento confirmatâ, singuli ad disponendas tuendásque Regni sui partes revertuntur. Annalistæ Metensis ac Fuldensis Regnum Francorum à Primoribus descriptum ac tres in partes divisum asserunt, priusquàm tres Reges apud Virodunum convenirent. Id enim iisdem Primoribus anno priori demandatum fuerat in Conventu, qui decimo-quarto Kalendas Novembris ad Mosellæ confluentes in Rhenum celebratus est. Ideóque in Chronico San-Gallensi ponitur *anno* DCCCXLII *divisio Regni inchoata*, & *anno* DCCCXLIII *pax facta* inter Lotharium ejúsque fratres asseritur. Apud Reginonem pax illa consignatur *anno Dominica Incarnationis* DCCCXLII, cujus loco restituendus est annus DCCCXLIII. Hac autem emendatione præmissâ textum ipsum accipe, qui non differt à præcitatis Annalistis, rationémque reddit, cur Ludovicus nonnullas cis Rhenum civitates cum adjacentibus pagis obtinuerit. *Tres supradicti fratres Imperium* seu ditiones *Francorum inter se diviserunt, & Carolo Occidentalia Regna cesserunt à Britannico Oceano usque ad Mosam fluvium, Ludovico verò Orientalia, scilicet omnis Germania usque Rheni fluenta, & nonnulla civitates cum adjacentibus pagis trans Rhenum propter vini copiam. Porrò Lotharius, qui & major natu erat, & Imperator appellabatur, medius inter utrosque incedens, Regnum sortitus est, quod hactenus ex ejus vocabulo Lotharingia nuncupatur, totúmque Provinciam, necnon omnia Regna Italia cum ipsâ Romanâ urbe, qua & modò ab omni Sanctâ Ecclesiâ, propter præsentiam Apostolorum Petri & Pauli, speciali quodam veneratur Privilegio, & quondam propter Romani nominis invictam potentiam, Orbis terrarum domina dicta fuerat.* Quod Annalistæ prælaudati Regnum, Imperium Regino impropriè nuncupavit, Regnum enim Ludovici Pii dividi potuit ab ejus filiis, Imperium nequaquam. Carolus in libello [a] proclamationis apud Saponarias adversùs Guenilonem Archiepiscopum Senonensem porrecto, prædictam Regni partitionem atque amicitiam quam privatim iniit cum Ludovico fratre, sacramento ejusdem Guenilonis firmatas sic testatur. *Post hac de divisione Regni inter me & fratres meos ratio est exorta notissima, unde partem divisionis cum mutuis, nostris scilicet nostrorúmque fidelium sacramentis, sicut etiam Primores Regni totius invenerant, tenendam & gubernandam suscepi. Quam divisionem inter me & fratres meos, de cetero à me substantialiter tenendam, sicut & alii qui ibi adfuerunt Episcopi, Guenilo mihi fratribúsque meis propriâ manu juravit; pacem etiam & mutuum adjutorium inter me & præfatum fratrem Ludovicum Guenilo sacramento firmavit.* Quod attinet ad Lotharii Regnum, cui Regino Lotharingiæ nomen tribuit, utrùm à Lothario Ludovici Pii filio, an ab altero Lothario, prioris filio, Ludovici Pii nepote, nomenclaturam acceperit, commodiùs inquiremus infrà.

[a] Cap. 2.

XIII. SORS LOTHARII.

Ex prædictis liquet relictum Lothario nomen Imperatoris, quod à patre ante annos sex ac viginti collatum fuerat, eíque Regnum, partim in Italiâ, partim in Galliis, attributum. Neque enim tantùm dictus est Imperator, quo titulo ne vicum quidem obtinuit, sed & Francorum Rex appellatus est, eóque nomine possedit in Italia quicquid sub Francorum potestate trans Alpes erat, & in Gallia quicquid Scaldim, Mosam, Ararim, Rhodanum, mare mediterraneum, Varum, Alpes, Rhenum, & Oceanum interjacet, si clarissimas civitates, Spiram, Wormatiam & Moguntiam excipias, quæ cis Rhenum Ludovico Regi cum suis concessæ sunt territoriis. Quòd autem Annalista Metensis & Regino peculiarem urbis Romanæ mentionem faciunt, id sic interpretare, ut ex munificentissima Ludovici Pii Donatione Romanum Pontificem Romæ Dominum agnoscas, Lotharium verò Protectorem ac Defensorem ejusdem urbis haud neges.

Ex prædictis quoque liquet in Ludovici Regis sorte latissimas trans Rhenum fuisse provincias, quæ versùs Ortum longissimè protendebantur, ac versùs meridiem claudebantur Alpibus; Rheno & Oceano versùs Occasum, Septemtrionem versùs Egidorâ fluvio & mari Baltico; tres prætereà cis Rhenum civitates, Spiram, Wormatiam, & Moguntiam, cum adjacentibus pagis, *propter vini copiam*, ut loquitur Regino, quia regiones transrhenanæ vini feraces haud existebant. AN. CH. 843. XIV. SORS LUDOVICI.

Denique ex prædictis liquet præter Marcam Hispanicam, cujus Australis limes Rubricatus est amnis, in sortem Carolo Regi per Gallias obvenisse, quicquid Pyrenæis montibus, Oceano, Scaldi, Mosa, Arari, Rhodano, & mari mediterraneo cingitur. XV. SORS CAROLI.

Pace sacramentis firmatâ tres hi Reges in sua se Regna receperunt. *Karolus*, inquit Annalista Metensis, *Aquitaniam, quasi ad partem Regni sui jure pertinentem, affectans, Pippino nepoti suo molestus efficitur, cúmque crebris incursionibus infestans, grande detrimentum proprii exercitûs sæpè pertulit.* Habet eadem Annalista Fuldensis. Neuter Regiam tribuit Dignitatem Pippino, quem patrui apud Virodunum unanimi consensu in Regni partitione prætererunt. Idque observamus, ne mireris, cur eundem illi Titulum contra neotericorum mentem nondum tribuamus. In describendis rebus, quas Lotharius, Ludovicus & Carolus fratres, eorúmque filii gesserunt, præter Annalistas Metensem ac Fuldensem, sæpè testem producemus & Bertinianum. Sed priùs adnotandum videtur, singulos hos Auctores suis adeò favisse Regibus, ut aliis & iniqui & injurii non rarò fuerint. Metensis Annalista Lotharianis partibus adhæret, Fuldensis Ludovicianis, Bertinianus Carolinis, quia Metæ Lothario, Ludovico Fulda, Carolo paret oppidum Sancti Bertini seu Sancti Audomari. Diuturnum fuit Caroli Regis cum Pippino dissidium, de quo frequenter disserendum nobis erit. In Annalistarum Metensis ac Fuldensis textu præcitato, vox *quasi* injuriosa est in Carolum, qui sibi vendicat Aquitaniam non *quasi*, sed verè pertinentem ad suum Regnum, ut ostensum suprà. XVI. CAROLUS R. REBUS INVIGILAT AQUITANIS.

Sic autem hoc anno rebus Aquitanicis invigilavit idem Carolus, ut Britanniam, in qua tyrannidem Nomenoïus exercebat, minimè neglexerit. Erat in castris prope Rhedonas Idibus Novembris, ut constat ex ejus Diplomate, quod ex Chartulario Monasterii Fossatensis in Appendice veterum Actorum [a] post Notas ad Capitularia Regum Francorum Stephanus Baluzius ita publicavit. *In Nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis, Karolus Gratiâ Dei Rex. Regalis Celsitudinis moris est fideles suos donis multiplicibus honorare atque sublimare. Proinde morem parentum, Regum videlicet prædecessorum nostrorum, sequentes, libuit Celsitudini nostræ quendam fidelem nostrum, Attonem nomine, de quibusdam rebus nostræ proprietatis honorare, atque in ejus juris potestatem liberalitatis nostræ gratiâ conferre. Idcircò noverit experientia atque industria omnium fidelium nostrorum tam præsentium quàm & futurorum, quia concedimus eidem fideli nostro Attoni ad proprium quasdam res Juris nostri sitas in Comitatu Bajocasinse, in pagello, qui dicitur Otlingua Saxonia, id est, villam nomine Heidram cum omnibus suis integritatibus & mancipiis utriusque sexûs, quam Gundacher Comes avo nostro Karolo Imperatori per suam epistolam confirmavit habere. Et in altero loco in prædicto Comitatu Bajocasino, in villa nuncupata Eberenneïo, quantumcunque suprataxatus Gundacher Comes ibidem visus fuit habere, cum mancipiis ibidem commanentibus vel pertinentiis. Necnon & in villa Fontanido quantumcumque Goda fœmina inibi habere dinoscitur, & nostra videtur esse possessio, tam in mancipiis quàm etiam & in aliis rebus. Supradictas res cum omni integritate vel earum appendiciis memorato prædictóque fideli nostro Attoni ad proprium per hanc nostræ auctoritatis conscriptionem concedimus, & de nostro jure in jus ac potestatem illius sollemni donatione transferimus, ita videlicet ut quicquid ab hodierna die & tempore exinde pro sua utilitate atque commoditate* XVII.

[a] Act. 55.

AN. CH. 843. LOTHAR. IMP. 27. LUDOV. R. 27 CAROLI R. 14.

jure proprietario facere decreverit, liberam & firmissimam in omnibus habeat potestatem faciendi, tam donandi quam vendendi vel etiam hæredibus suis relinquendi. Et ut hujus Chartæ largitionis atque donationis auctoritas perpetuam obtineat firmitatem, manu propria subter eam firmavimus, & de annulo nostro sigillari jussimus. Signum Karoli Gloriosissimi Regis. Deormarus Notarius ad vicem Hluuovici recognovi. Data Idus Novembris, Indictione VI, anno IV, regnante Karolo Glorioso Rege. Actum in tentoriis prope Redonis civitate, in Dei Nomine feliciter. Amen. Annus Caroli Regis post patris obitum quartus per mensem Novembrem cum hoc anno Redemptoris octingentesimo quadragesimo-tertio, & Indictione sexta Regia convenit. In Chronico Lemovicensi post excidium Namnetense subjicitur hoc anno prima Caroli Regis in Britanniam profectio. *Karolus primò Britanniam petit.* Et in Chronico Engolismensi, sic. *Karolus primâ vice partibus Britanniæ proficiscitur.* Nihil videtur gestum, quod antiqui Scriptores memoria dignum duxerint. Tunc erant extra Britanniam sitæ tres hæ civitates, Rhedonæ, Namnetæ, ac Veneti, nec aliud quidpiam circa res Britannicas hoc loco notandum occurrit.

AC BRITANNICIS.

XVIII. Hoc anno, mense Octobri, prius quàm Rhedonas perveniret qui tunc annum Regni quartum post patris obitum agebat Carolus, Ursmaro sive Orsinaro Turonensi Metropolitâ Synodus apud Lauriacum * in Andegavensi territorio celebrata, cujus quatuor extant Canones in Concilio Meldensi de quo post biennium agemus, recusique sunt in Conciliis cùm Galliarum apud Jacobum Sirmondum Societatis Jesu Sacerdotem, tùm provinciæ Turonensis apud Joannem Maanum Canonicum ac Præcentorem Turonensis Ecclesiæ.

* Loire.

SYNODUS LAURIACENSIS IN ANDEGAVIA.

XIX. Primus Canon est adversùs eos, qui contemnunt authoritatem Ecclesiasticam. *Si quis publicus Divinæ Legis prævaricator, vel pro manifestis criminibus erga Ecclesiastica justa & rationabilia judicia contemptor repertus fuerit, vel inflatus ac tumidus, monitis Ecclesiasticis ac Sanctorum Patrum constitutionibus contradictor & subsannator comprobatus fuerit, si monitionibus Episcopalibus obtemperare distulerit, anathematizetur.*

XX. Secundus est adversùs eos, qui contra Regiam Dignitatem egisse comprobantur. *Si quis contra Regiam Dignitatem dolosè, ac callidè, ac perniciosè satagere comprobatus fuerit, nisi dignissimè satisfecerit, anathematizetur.*

XXI. Tertius est adversùs eos, qui Regiæ potestati non obtemperant. *Si quis potestati Regiæ, quæ non est juxta Apostolum nisi à Deo, contumaci ac inflato spiritu, contra auctoritatem & rationem pertinaciter contradicere præsumpserit, & ejus justis & rationabilibus imperiis secundùm Deum, & auctoritatem Ecclesiasticam, ac jus civile, obtemperare irrefragabiliter noluerit, anathematizetur.* Hic Canon, ut & superior, uterque enim contra Regiæ Dignitatis contemptores sancitur, procul dubio spectat ad Lamberti Comitis aliorúmque rebellionem, cujus causâ Carolus Rex hoc anno primam expeditionem in Britanniam suscepit, ut dictum suprà.

XXII. Quartus Canon est contra priorum prævaricatores. *Quicumque superbiæ facibus accensi, vel proterviâ stomachati, hæc, quæ pro Sanctæ Matris Ecclesiæ tranquillitate Sacerdotalíque rigore & Regia Dignitate à nobis unanimiter definita, manibúsque propriis roborata sunt, violare, aut quolibet argumento irrumpere tentaverint, placet eos omnes anathematizari.* Huc usque Synodus Lauriacensis.

XXIII. Carolus, cùm ab expeditione Britannica rediret, Conventum non procul à mœnibus Cenomannorum habuit in villâ Coloniâ *, ibique conditum Capitulare, quod sex constat Capitulis. In Præfatione Meldensis Concilii, Synodus Lauriacensis & Coloniensis Conventus ita laudantur. *Ut de multis quædam ad memoriam reducamus, unum est ex Synodo in pago Andegavensi habita, in villa quæ dicitur Lauriacus; aliud in reversione Gloriosi Regis ac Domini nostri Caroli à Redonis civitate, quod idem inclytus Princeps, & ceteri quique tam Ecclesiastici, quámque ex laicali ordine, qui adfuerunt viri manu*

* Conlemes.

CAPITULARE CAROLI R. EDITUM IN VILLA COLONIA PROPE CENOMANNUM.

propriâ firmaverunt. Et Carolus in Præfatione Capitularis Coloniensis ita loquitur. *Sancta Ecclesia in portibus nostri orbis, quæ tempore divæ recordationis avi nostri & sanctæ memoriæ Domni ac Genitoris nostri aliquandiu fuerat pacis suavitate lætata, inimico homine juxta Sanctum Evangelium in agro Dominico superseminante discordiâ zizaniâ in medio tritici Deo amotâ caritatis, adeò est diversis atque adversis vexata molestiis, ut non sine maxima difficultate, respectu divino, & fidelium Dei ac nostrorum solatio, inter nos fratrésque nostros pacificatio, & paterni Regni ex consensu divisio, seu ejusdem Sanctæ Ecclesiæ ac fidelis populi tantorum laborum quantulacunque fieret respiratio. Processu verò temporis, ut solent post condensos aeris turbines nubium in pertranseundo remanere vestigia, restiterunt, ut fatemur, in nobis, & in viris Ecclesiasticis, necnon & in rei publica nostra solatiatoribus, hujusmodi materia & fomites dissensionum, ut manifestè patesceret nos divinâ gratiâ indigere, ut omnes à contagio morbi pristini exueremur, quâ praventi eramus, ut infirmitatem communem videre possemus. Quapropter venientes in unum fideles nostri, tam in venerabili ordine Clericali, quàm & inlustres viri in nobili laicali habitu constituti, & zelo Dei accensi, memores etiam fidei, quàm ipsi & antecessores eorum nostris detulerunt prædecessoribus, ponentésque ante oculos dilectionem & fidelitatem, quam nobis post defunctionem patris laudabiliter & continentissimè servaverunt, secundùm quod legitur in literis divinitus inspiratis, hortatus est alter alterum, immo omnes se invicem monuerunt, ut cuncti universum animi rancorem, pro quocunque conceptum negotio, à corde propellerent, & in Dei voluntate ac Sanctæ Ecclesiæ competenti veneratione seu nostra fidelitate servanda, atque debito honore & Regia potestate stabilienda & conservanda, quin etiam sese in pacis concordia & vera amicitia copularent, quatenus divinæ clementiæ placerent obnixiùs, & de Regis ac Regni stabilitate & utilitate possent tractare sublimiùs, & suum atque totius populi communem profectum & tranquillitatem obtinerent propensiùs. Sicque Deo amabili atque laudabili Conventu unanimiter ac rationabiliter perpetrato, nostræ Mansuetudini suam devotionem & actionem fidelissimè suggesserunt.* In hoc textu duæ potissimùm res videntur attendendæ. Carolus inter utrumque Conventum, nempe Virodunensem, in quo peracta Regni partitio, & Coloniensem in quo promulgatum Capitulare de quo loquimur, moram interponit adeò brevem, ut hæc duo Placita uno eodémque anno consignanda suadeat. Deinde testatur paternum Regnum à se fratribúsque suis divisum fuisse, nullâ mentione factâ Pippini nepotis ex fratre, utpote Regnum Aquitaniæ nullo jure sibi vendicantis.

AN. CH. 843. LOTHAR. IMP. 27. LUDOV. R. 27. CAROLI R. 14.

Primum Capitulum est de honore ac cultu Dei, & de Ecclesiarum ac servorum Dei veneratione. *De honore videlicet & cultu Dei atque Sanctarum Ecclesiarum, quæ auctore Deo sub ditione & tuitione regiminis nostri consistunt, communiter Domino mediante decernimus, ut sicut tempore beatæ recordationis Domni ac Genitoris nostri exculta, honorata, atque rebus ampliata fuerunt, ita permaneant, & quæ à nostra liberalitate honorantur atque ditantur, de cetero sub integritate sui serventur, & Sacerdotes ac servi Dei vigorem Ecclesiasticum & debita Privilegia juxta reverendam autoritatem obtineant. Eisdem verò Regalis potestas, & inlustrium virorum strenuitas, seu reipublicæ administratores, ut suum ministerium competenter exequi valeant, in omnibus rationabiliter & justè concurrant.* XXIV.

Secundum est de honore & potestate Regia. *Honor etiam Regius & potestas Regali Dignitati competens, atque sinceritas & obtemperantia Seniori debita, remotâ omni socordiâ & calliditate, seu qualibet indebitâ quorumcumque conjunctione contra honorem & potestatem atque salutem nostram, sive Regni nostri soliditatem, nobis in omnibus & ab omnibus, sicut tempore antecessorum nostrorum consueverat, exhibeatur. Et si quis quemcumque contra nos & contra hanc pactam sinceritatem aliquid moliri manifestè cognoverit, si eum convertere nequiverit, apertè prodat atque denotet, & sic consilio atque auxilio Episcopalis auctoritas &* XXV.

AN. CH. 843. LOTHAR. IMP. 27. LUDOV. R. 27. CAROLI R. 14.

fidelium unanimitas, ut noster honor & potestas Regia inconvulsa permaneat, totis nisibus decertare & adjuvare procuret.

XXVI. Tertium est de justitiis unicuique secundùm Legem suam faciendis. *Quia verò debitum esse cognoscimus, ut à quibus honorem suscipimus, eos juxta dictum Dominicum honoremus, volumus ut omnes fideles nostri certissimum teneant, neminem cujuslibet ordinis aut dignitatis deinceps nostro inconvenienti libitu, aut alterius calliditate, vel injustâ cupiditate, promerito honore debere privari, nisi justitia judicio & ratione atque æquitate dictante. Legem verò unicuique competentem, sicut antecessores sui tempore nostrorum prædecessorum habuerunt, in omni dignitate & ordine, favente Domino, nostram Magnificentiam observaturam promittimus.*

XXVII. Quartum vetat ne quis quidpiam Regi contra justitiæ rationem suggetat. *Quod ut faciliùs atque obnixiùs vestra auctoritas valeat observare, omnes, sicut in vestra benè memorabili convenientia pepigistis, conservare studebitis, immo etiam cuncti in postmodum sollicitè præcavebunt, ne aliquis pro quacumque privata commoditate, aut rejicienda cupiditate, sive alicujus consanguinitatis vel familiaritatis seu amicitiæ conjunctione, nobis immoderatiùs suggerat, vel postulationibus, aut quolibet modo inliciat, ut contra justitiæ rationem & nostri nominis dignitatem ac regiminis æquitatem agamus.*

XXVIII. Quintum præcipit, ut Rex, si quid ei subreptum est, fideliter admoneatur. *Et, si fortè subreptum nobis quippiam ut homini fuerit, competenter & fideliter, prout Sublimitati Regiæ convenit, & necessitatibus subjectorum expedit, ut hoc rationabiliter corrigatur, vestra fidelis devotio admonere curabit.*

XXIX. Sextum est de iis qui initum concordiæ fœdus violaverint. *Tandem autem visum est nobis adnectere, ut si quis hoc fœdus concordiæ salubris, quod propter pacis caritatisque custodiam inivimus, & chirographi virtute subscripsimus, rebelli atque animo pertinaci irruperit, Christianâ dilectione admoneatur, ut ad inconvulsum veritatis vinculum conservandum (quod qui tentaverit irrumpere, faciliùs poterit seipsum disrumpere, quàm illud possit irrumpere) juxta monita divina ut resipiscat hortetur. Et, si audierit, fiat de societate fratris omnibus gaudium. Si verò obaudire renuerit, tunc Pontificalis auctoritas, & Regalis Sublimitas, atque in caritatis connexione persistentium magnanimitas, secundùm quod res & necessitas postulaverit, ac ratio expetiverit, seu qualitati personæ convenerit, zelum suæ devotionis ferventissimè exerat, & quod inspirante Deo agendum in omnem salutis & utilitatis atque honestatis partem judicaverit, irrefragabiliter peragat.*

XXX. A Carolo Rege, cujus res gestas post Virodunensem Conventum hactenus prosecuti sumus, ad Lotharium Augustum transeamus. Hic in ea Galliarum parte, quam sub sua tenuit potestate, cis Alpes remansit. Apud Gundulfi villam in Diœcesi Tullensi morabatur pridie Kalendas Septembris, quo die Præceptum pro Monasterio Bobiensi sic emisit anno Regni cùm in Italia vicesimo-quarto, tum in Francia quarto jam inchoato. *In Nomine Domini nostri Jesu Christi Dei æterni. Lotharius divina ordinante providentiâ Imperator Augustus. Cùm petitionibus servorum Dei justis & rationabilibus divini cultûs amore favemus *, supernâ gratiâ muniri * nos non diffidimus. Igitur omnibus fidelibus Sanctæ Dei Ecclesiæ, & nostris, præsentibus videlicet & futuris notum sit: quia vir venerandus Almaricus Comensis urbis vocatus Episcopus & ex Monasterio, quod vocatur Bobio, Abbas, & est constitutum in honorem beati Petri Apostolorum Principis, ubi sanctus Columbanus corpore quiescit, detulit serenitatis nostræ obtutibus recolendæ memoriæ Genitoris nostri Ludovici Augusti præceptum Immunitatis, in quo continebatur insertum, qualiter ipse ad honorem Dei, tranquillitatem Monachorum ibidem consistentium, cum rebus omnibus ac familiis suis ad idem Monasterium justè & legaliter pertinentibus sub sua defensionis receperit immunitate ac tuitione. Unde nostram deprecatus est Excellentiam, ut ob animæ nostræ emolumentum & æternæ retributionis præmium mereri sequentes*

LOTHARII AUG. PRÆCEPTA PRO MON. BOBIENSI,

* Edit. favente

* Edit. deest muniri.

paternum, prædictum Monasterium, cum Monachis ibidem degentibus ac familiis inibi justè & legaliter pertinentibus sub nostra suscíperemus immunitate atque plenissima defensione, cujus precibus, ob divini cultûs amorem & sacræ Religionis tranquillitatem, libentissimè adnuentes, hoc immunitatis nostræ præceptum statuimus fieri, per quod præcipimus, ut nullus judex publicus, neque Missus discurrens, sed neque cujuslibet potestatis persona, in Ecclesias, Xenodochia, curtes, villas, loca, agros, seu reliquas possessiones memorati Monasterii, quas moderno tempore in quibuslibet pagis, & territoriis infra ditionem Imperii nostri justè & legitimè nunc tenet vel possidet, vel quæ deinceps in jure ejus sancti loci divina pietas augeri voluerit ad causas judiciario more audiendas, vel Freda aut Theloneum exigendum, aut mansiones vel paratas faciendas, aut paravedos vel fidei jussores tollendos, aut homines ipsius Monasterii tam ingenuos quàm servos super terram ipsius commanentes distringendos, nec ullas redibitiones, aut illicitas occasiones exquirendas, ullo unquam tempore ingredi audeat, vel ea quæ super memorata sunt penitus exigere præsumat: sed liceat memorato Almarico Abbati suisque successoribus res prædicti Monasterii sub immunitatis nostræ deffensione, quiete eo ordine possidere, quatenus Monachis, qui ibidem Deo famulari videntur, & pro nobis & Regni aque stabilitate, à Deo nobis commissi, atque conservandi jugiter Domini misericordiam exorare delectet. Qui ex his quæ præscripta sunt, quippiam violare præsumpserit, sciat se triginta lib. argenti optimi, secundùm veterem morem, partem præfata Ecclesiæ persolvere, nostrámque insuper incurrere offensionem. Quod si aliquis ex hominibus ipsius Ecclesiæ tam ingenuis quàm servis aliquid deliquerit, unde fiscus noster quippiam sperare potuerit, totum hoc pro mercedis nostræ augmento parti præfatæ Ecclesiæ concedimus, & hoc prorsus decernimus, ut nihil inde ullo unquam tempore requirat. Confirmamus etiam quoddam foreste, quod nuncupatur mons Longus, cum curte juxta se posita, cum appendiciis, vel adjacentiis, nec non & Alpe, quæ nominatur Adra cum terminis suis, sicut in præceptis Domini piæ memoriæ Genitoris nostri insertum & manu suâ propriâ firmatum etiam comperimus. Continebatur in eodem Præcepto Domini & genitoris nostri, ut omnes res, quæ per præceptum & munimina Chartarum eidem sancto loco legaliter & rationabiliter delegata fuerunt, vel quod anteà à Deo timentibus hominibus condonatum fuerit, ut per idem Præceptum jam dictum Monasterium, vel Rectores ipsius loci haberent, atque possiderent, & quicquid inde ad profectum ipsius pro Ecclesia vel Monachis ibidem degentibus facere voluissent, jure Ecclesiastico liberum arbitrium haberent. Quod nos similiter libenter concessisse, & in omnibus per hoc nostrum Præceptum corroborasse, & omnium fidelium nostrorum cognoscat industria. Et hoc nostrum Pragmaticum sive Præceptum, ut pleniorem in Dei nomine obtineat vigorem, & à fidelibus Sanctæ Dei Ecclesiæ ac nostris veriùs credatur, ac diligentius observetur manu propriâ subter firmavimus & annuli nostri impressione adsignari jussimus. Signum Lotharii Serenissimi Aug. Ego Picbardus ad vicem Agilmari recognovi. Dat. II. Kal. Septemb. anno, Christo propitio, Imperii Domini Lotharii Piissimi Aug. in Italia XXIIII & in Francia IIII. Actum Gundulfi villâ Palatio Regio, in Dei Nomine feliciter. Amen.*

AN. CH. 843. LOTHAR. IMP. 27. LUDOV. R. 27. CAROLI R. 14.

*Edit. *Cudusi.*

XXXI. Ughellus Tomo quinto Italiæ Sacræ, cùm de Comensibus Episcopis [a] ageret, hoc Præceptum inseruit. *Cudusi* villam pro Gundulfi villa perperam scripsit, Indictionem quoque decimam malè notavit. Primum errorem ad oram rejecimus, expunximus alterum, quia Indictio decima non convenit cum anno Regni Lothariani in Italia vicesimo-quarto, in Francia quarto, quocum pridie Kalendas Septembris annus Incarnationis Dominicæ octingentesimus quadragesimus-tertius componitur. Addequòd Diplomata Lotharii non pauca reperiuntur, in quibus anni soli Regnorum Italici ac Francici consignantur absque Indictionis nota, ut patet ex Præcepto Lothariano, quod initio hujus anni recitavimus ex Chartulario Viennensis Ecclesiæ. Si Diplomatibus hoc anno datis sua restitueretur Indictio, sexta non decima reponi deberet.

[a] In Episc. 34.

AN. CH. 843. LOTHAR. IMP. 27. LUDOV. R. 27. CAROLI R. 14.

Almaricus in Præcepto Lotharii proximè descripto Comensis Episcopus & Abbas Bobiensis appellatur. In Episcopatum successit Perideo, de quo suprà locuti sumus. In Abbatum Bobiensium Catalogo, quem Tomo quarto Italiæ Sacræ post Indicem Episcoporum Bobiensium reperies, Hilduino Abbati subrogatur, & ut Hilduinus Abbas Bobiensis probetur, Lotharianum allegatur Diploma, cujus authoritatem multæ res elevant. Imprimis Lector facilè deprehendet in illo fieri Præcepto mentionem variarum formularum, quæ sapiunt ætatem Lothario longè recentiorem. Deinde

XXXII. advertet in ipsa subscriptione Chronologicos Caracteres inter se pugnare. *Dat.* XV. *Cal. Septembris, ann. ab Incar.* DCCCLVI, *Indict.* 4, *anno, Christo propitio, Imperii Domini Hlotharii Imperat. in Italia* XXVIII, *& in Francia* VII. *Actum Gondulfi villâ in Palatio Regio, in Dei Nomine feliciter. Amen.* Lotharius nec Imperio nec vitâ potitus est ad annum usque Redemptoris octingentesimum quinquagesimum-sextum. Indictio quarta ut cum illo Dominicæ Incarnationis anno, sic & cum octingentesimo quadragesimo-primo convenit. Expunctâ Erâ Christianâ, quia tunc in usu non erat, & Lotharius Imperium ac Regnum abdicavit anno Redemptoris octingentesimo quinquagesimo-quinto, necesse est Indictionem quartam compouas cum anno Redemptoris octingentesimo quadragesimo-primo, quia toto temporis spatio, quo Lotharius post patrem imperavit regnavitque, solus hic annus Indictione quartâ per mensem Augustum notatus invenitur. At per mensem Augustum nec cum Indictione quarta, nec cum anno Redemptoris octingentesimo quadragesimo-primo comparatur annus Lothariani Regni vel in Italia vicesimus-octavus, vel in Francia septimus, sed ut in Italia vicesimus-secundus, sic & secundus in Francia. Præceptum Lotharii pro Monasterio Bobiensi proximè descripsimus, datum mense Augusto, anno Lothariani Regni *in Italia* XXIIII *& in Francia* IIII, cur in Diplomate quod impugnamus, annus Regni Lothariani per Italiam mense Augusto non excedit solido vicenario annum Regni per Franciam, cur XV *Cal. Septembris* annus Lotharii *in Italia* XXVIII & annus *in Francia* VII simul componuntur? In Diplomate suprà recitato annus Regni Lothariani mense Augusto per Italiam vicesimus-quartus, per Franciam quartus, illigatur anno Redemptoris octingentesimo quadragesimo-tertio, idque liquet ex dictis ad annum Redemptoris octingentesimum quadragesimum, quo duplex hæc epocha post Ludovici Imperatoris obitum à Lothario filio cœpit usurpari. Porrò secundùm hanc computationem annus Regni Lothariani in Italia vicesimus-octavus per mensem Augustum cum anno Redemptoris octingentesimo quadragesimo-septimo, & annus Regni Lothariani in Francia septimus per mensem Augustum cum anno Redemptoris octingentesimo quadragesimo-sexto convenit. Hilduinus autem nec anno Redemptoris octingentesimo quadragesimo-sexto, nec sequenti fuit Abbas Bobiensis. Almaricus enim, ut ex Diplomate suprà descripto constat, Abbas erat Bobiensis anno Redemptoris octingentesimo quadragesimo-tertio, superstésque fuit in vivis longè post annum Redemptoris octingentesimum quadragesimum-septimum, ut ex aliis Diplomatibus patebit infrà. Nec hoc loco videtur omittendum, quòd Imperatores Lotharius ejúsque filius Ludovicus Secundus suis in Diplomatibus Præceptum Ludovici Pii pro Monasterio Bobiensi laudant, &, ubi sermonem de Almarico faciunt, eum vocant Comensem Episcopum & Abbatem Bobiensem, Comitem verò Bobiensem nequaquam. Ergo nec Ludovicus Pius Abbati Bobiensi Comitatum Bobiensem contulit, nec Lotharius Imperator eidem Abbati possessionem Bobiensis Comitatûs confirmavit, aut investituram dedit *per annulum.*

XXXIII. Pluribus non opus est argumentis, ut inter commentitia Diplomata Lotharianum rejicias, in quo Hilduinus non Abbas modò sed etiam Co-

AN. CH. 843. LOTHAR. IMP. 27. LUDOV. R. 27. CAROLI R. 14.

mes Bobiensis prædicatur. Statueramus tale Præceptum silentio premere; ne quid tamen gratis à nobis objectum putes, illud, ut ab Ughello editum est, accipe. *In Nomine Domini nostri Jesu Christi Dei æterni. Hlotharius Divinâ ordinante Providentiâ Imperator Augustus. Cùm petitionibus Procerum nostrorum maximéque virorum Ecclesiasticorum ob honorem Dei favoris nostri assensum prebemus, nimirum ob hoc supernum nobis, Imperioque nostro conciliamus auxilium. Ideóque omnium fidelium Sanctæ Dei Ecclesiæ nostrorúmque, præsentium scilicet ac futurorum, comperiat solertia, quia vir venerabilis Hilduinus Archicancellarius noster, dilectúsque Comes & Abbas Monasterii Bobiensis, quod est constructum in honorem Apostolorum Petri & Pauli, ubi clarissimus Christi Confessor Columbanus corpore quiescit, supliciter nostram expetiit Celsitudinem, quatenus Comitatum Bobiensem cum suis juribus, quem divæ memoriæ Dominus & Genitor noster Hludovicus Imperator eidem venerabili loco per sua Privilegia concesserat, & confirmaverat, nostrâ auctoritate in præfato Monasterio firmaremus. Quatenus ipsa concessio & confirmatio stabilis inviolabilísque futuris temporibus permaneret. Nos verò considerantes Dei Omnipotentis misericordiam propter emolumentum animæ nostræ, nostræque prolis, ac stabilitatem Regni nostri, seu & devotum servitium fidelis nostri Hilduini præfati: eidem sancto loco ipsum comitatum Bobiensem cum omni honore suo & potestate, cum castris, villis, terris, locis & rationibus universis, quæ dici, vel nominari possunt, & quæ nostri juris ibi esse videntur, unà cum mero & mixto Imperio per hanc nostræ anthoritatis conscriptionem concedimus, & confirmamus, & de prædictis omnibus jure honorabilis Feudi præfatum Abbatem & Comitem per nostrum annulum investimus. Interdicentes omnibus fidelibus Sanctæ Dei Ecclesiæ, & nostris tam præsentibus quàm futuris, ut nullam molestiam prædictis concessis & confirmatis inferre præsumant prædicto Cœnobio, vel ejus ministris, sed liceat fideli nostro Hilduino Abbati dilectóque nostro Comiti, ejusque successoribus supradictum comitatum cum omnibus suis juribus, & honoribus tenere pariter possint, ac quietè & perpetuò possidere sine nostri nostrorúmque fidelium contradictione; si verò, quod nullatenus fieri credimus, quisquam magnæ vel parvæ conditionis adversùm præfatum Abbatem & Comitem, ejusque successores aliquid molestiæ conferre præsumpserit, sciat se centum librarum auri optimi esse mulctandum, insuper & nostram offensionem incurrere. Ut autem hæc nostra concessio seu confirmatio firma stabilísque permaneat, more nostro manibus propriis subter eam firmavimus, & sigillo nostro plumbeo muniri præcepimus. Subsc. cum signo solit. Imperii Hlotharii Sereniss. Imperat. Eichardus Notarius ad vicem Aghilmarii recognovi. Dat. XV Cal. Septembris, ann. ab Incar. DCCCLVI, Indict. 4, anno, Christo propitio, Imperii Domini Hlotharii Imperat. in Italia XXVIII, & in Francia VII. Actum Gondulfi villa in Palatio Regio, in Dei Nomine feliciter. Amen.*

Qui pridie Kalendas Septembris apud Gundulfi villam degebat Lodharius, ibique Præceptum pro Monasterio Bobiensi concessit, hoc eodem anno morabatur apud Aquisgranum undecimo Kalendas Novembris, quo die Præceptum Immunitatis Ecclesiæ Viennensi dedit, eique villam Tolianum reddi præcepit altero Diplomate. Vir Clarissimus Antonius *de Vyon* Dominus d'*Herouval* utendum nobis commodavit Viennensis Ecclesiæ Chartularium, in quo prædicta legimus Diplomata, quæ simul etiam cum editione Baluziana post Notas [a] ad Capitularia conferre poteris. Primum tale est. *In Nomine Domini nostri Jesu Christi Dei æterni. Lotharius Divinâ ordinante Providentiâ Imperator Augustus. Dignum est, ut Imperialis sublimitas Procerum suorum . . . . . tantò benigniùs ac libentiùs annuat, & annuendo adimpleat, quantò viderit ac noverit in suis obsequiis persistere efficaces. Idcircò noverit omnium fidelium Sanctæ Dei Ecclesiæ ac nostrorum, præsentium videlicet & futurorum, solertia, quia Agilmarus Sanctæ Viennensis Ecclesiæ vocatus Archiepiscopus & Sacri Palatii nostri Archicancellarius nostram petiit Excellentiam, ut omnes res, quas de paterna vel materna ei evenerunt hæreditate, vel eas, quas ipse per*

XXXIV. PRO ECCLESIA VIENNENSI.

[a] Act. 56. 57.

AN. CH. 843.
LOTHAR. IMP. 27.
LUDOV. R. 27.
CAROLI R. 14.

diverſa loca quocumque ingenio juſtè & legaliter adquiſiſſe dinoſcitur, ſeu & illas, quas Deo ſibi opitulante juſtè & legaliter adquirere potuerit, tam per venditionem vel concambium ſeu per donationem aliquam, per Præceptum noſtra Immunitatis illi ſancıremus habendas. Cujus precibus propter devotiſſimum . . . . . libenter annuentes hoc noſtræ Immunitatis Præceptum ei fieri decrevimus, per quod omnes res ſuas illi ſancimus modíſque omnibus confirmamus, quæ ei, ſicut ſuprà dictum eſt, de paterna vel materna hæreditate advenientes, in quibuſlibet pagis & locis conſiſtentes, ſeu & eas, quas, ſicut præfati ſumus, juſtè & legaliter quoitbet modo tam per donationem Regum vel per venditionem atque concambium, ſeu per aliquam donationem adquiſiſſe dinoſcitur, ut abſque alicujus contradictione vel refragatione quieto eas ipſe ac pacifico jure poſſideat, & cuicumque voluerit derelinquat. Et nemo hominum neque cujuſquam poteſtatis perſona ullo unquam tempore de omnibus rebus ſuis, vel hominibus, liberis ſcilicet ac ſervis, qui ſuper terram ipſius commanere videntur, aliquam illi inferre præſumat contrarietatem vel inquietudinem, ſed liceat ei cum ipſis rebus vel hominibus, ſicut ſuprà dictum eſt, ſub noſtra Immunitatis tuitione ac mundeburdo quietè vivere ac pacificè reſidere. Si vero aliquæ querimoniæ adversùs homines ſuos liberos & ſervos ortæ fuerint, quæ abſque gravi iniquóque diſpendio nequeant diffiniri, jubemus ut ante noſtram uſque ſuſpendatur præſentiam, quatinus ibi juxta legis ordinem finitivam accipiant ſententiam. Et quicumque contra hoc noſtra Immunitatis Præceptum ire aut aliquid agere tentaverit, vel illud violare præſumpſerit, ſciat ſe eandem Immunitatem compoſiturum. Et ut hac noſtræ corroborationis atque Immunitatis Præceptio inviolabilem atque inconvulſam obtineat firmitatem, manu propriâ ſubter illam firmavimus, & anuli noſtri impreſſione aſſignari juſſimus. Signum Hlotharii Sereniſſimi Auguſti. Ercamboldus Notarius ad vicem Agilmari recognovi. Data XI *Kl. Novemb. anno, Chriſto propitio, Imperii Domni Lotharii Pii Imperatoris in Italia* XXIIII. *& in Francia* IIII. *Indictione* VI. *Actum Aquiſgrani Palatio Regio, in Dei nomine feliciter. Amen.*
Alterum ſic habet. *In Nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti Dei æterni, Hlotharius divinâ ordinante providentiâ Imperator Auguſtus. Dignum eſt, ut erga loca divinis cultibus mancipata munificentia noſtræ conferamus largitatem, ut & anteriorum ſequamur morem Imperatorum, atque propenſiùs Dei nos credimus ope ſulciri & ad præſentem glorioſiùs tranſigendam proſperitatem, & ad futuram faciliùs obtinendam beatitudinem, ſi debitam circa Eccleſias ſollicitudinem gerimus. Idcircò noverit omnium fidelium tam præſentium quàm & futurorum induſtria, quia Agilmarus venerabilis Sanctæ Viennenſis Eccleſiæ vocatus Archiepiſcopus & ſacri Palatii noſtri Archicancellarius noſtræ innotuit Serenitati, qualiter tempore prædeceſſorum ſuorum quædam villa, quæ nuncupatur Tolianus, à Sede ſibi commiſſa ſubtracta fuerat. Unde iſdem Agilmarus noſtram petiit Excellentiam, ut Tolianum Eccleſia Viennenſi, cui ipſe Deo auctore præſidet, & conſtructa habetur in honore Beati Mauricii Martyris Chriſti, per noſtræ auctoritatis Præceptum redderemus atque confirmaremus. Cujus petitioni aſſenſum præbentes hos Sublimitatis noſtræ apices decrevimus fieri, per quos memoratam villam cum omnibus appendiciis ſuis conſiſtentem in pago Tolianenſe præfatæ Sanctæ Viennenſi Eccleſiæ ſancimus modiſque omnibus confirmamus, ut tam noſtris quámque ſucceſſorum noſtrorum temporibus in dominatione ac poteſtate ejuſdem Agilmari ac ſucceſſorum ſuorum permaneat, ut quicquid ad utilitatem ejuſdem Eccleſiæ facere decreverint, liberam in omnibus per hanc noſtram auctoritatem habeant poteſtatem faciendi abſque alicujus contradictione vel repetitione ſeu qualibet refragatione. Et ut hæc noſtræ largitionis atque confirmationis auctoritas inviolabilem atque inconvulſam obtineat firmitatem manu propria ſubter firmavimus, & anuli noſtri impreſſione adſignari juſſimus. Signum Hlotharii Sereniſſimi Auguſti. Ercamboldus Notarius ad vicem Agilmari recognovi. Data* XI *Kl. Novembris, anno, Chriſto propitio, Imperii Domni Hlotharii Pii Imperatoris in Italia* XXIIII. *& in Franciæ* IIII. *Indictione* VI. *Actum Aquiſgrani Palatio Regio in Dei Nomine feliciter. Amen.* Undecimo Kalendas Novembris, hoc anno Redemptoris octingenteſimo quadrageſimo-tertio,

currente

currente tunc Indictione sextâ Regiâ, Lotharius Imperator annum Imperii, id est, Regni, in Italia vicesimum-quartum, in Francia quartum numerabat. AN. CH. 843.

XXXV. Tomo quarto Italiæ Sacræ, Henricus Eporediensis Episcopus hoc anno memoratur è Tabulis Eporediensibus. Tomo quinto, Tarrisinis Episcopis insertus reperitur Abbatum Nonantulanorum Catalogus, in quo Etgiselprandus Abbas sextus ita commendatur. *6. Etgiselprandus annos VIII, ordinatus anno 842. Obiit 8. Kal. Junii.* Sed expuncto *anno 842* restituendus est annus 843. Decessorem Rotichindum ex hac vita sublatum decimo-quinto Kalendas Januarias, anno Redemptoris octingentesimo quadragesimo-secundo non diffitemur. At ordinatio successoris in annum sequentem, id est, in annum Redemptoris octingentesimum quadragesimum-tertium rejici debet, quia Monasterium rexit annis octo, vitámque clausit octavo Kalendas Junias anno Redemptoris octingentesimo quinquagesimo-primo, ut ad illum probabimus ex eodem Abbatum Nonantulanorum Catalogo.

HENRICUS EPOREDIENSIS EP. ETGISELPRANDUS FIT ABB. NONANTULÆ.

XXXVI. Adalungus sive Adelungus Eystettensis Episcopus hoc anno finem vivendi simul & gregem Dominicum pascendi fecit octavo Kalendas Augusti. Successit in Episcopatum Altinus sive Altunus, cujus consensu & auctoritate levatum est ex terra corpus beati Solæ, ut in ejus vita scribit Ermenoldus Diaconus [a]. *Cùm ego à viro venerabili Domino Altino Episcopo, ad cujus Diœcesim locus ipse pertinet, rogarem uti sepulchrum beati viri effodiendi, & in eodem pavimento aliquanto meliùs humandi, licentiam daret, concessit ut rogavi. Factoque jejunio cum his qui tunc mecum adesse poterant, cœpimus fodere. Quod cùm peractum est, levavimus sarcophagi operculum, ex multis jam annis subtus terram positum, & tamen integrum. Et dum libentissimè, quid intus incorrupti haberet, contemplaremur, tantus & tam ineffabilis mirifici odoris fumus inde egressus est, ut tota Basilica suavissimè ex eo redoleret impleta. At nos nimis attoniti in parte, quâ steteramus, domûs regiæ*, id est, Basilicæ, *ut fragiles procubuimus, refocillati verò ex odore flagranti, divinam clementiam orantes, resumpsimus spiritum, & tunc demum propiùs accedentes perspeximus non solum Sancti viri ossa integra, sed & ipsius beatæ glebæ pulverem ita sibimet cohærentem, nimiaque viriditatis speciem tenentem, ut quasi non olim mortuus, sed semper vivus putaretur.* Brusehius hanc elevationem temporibus Gregorii Quarti Papæ factam asserit. Id nostræ Chronologiæ non refragatur, quia Gregorius vitam ad annum usque sequentem produxit. Tomo superiore [b], cùm in stabilienda Eystettensium Episcopotum Chronologia versaremur, per antecessum probavimus Adelungi mortem hoc anno Redemptoris octingentesimo quadragesimo-tertio consignandam esse. Locum illum consule, si lubet.

EPISCOPI EYSTETTENSES. ELEVATIO S. SOLÆ.

[a] Ap. Canis. Tom. 4. antiq. lect.

[b] An. 822. n. 134.

XXXVII. Tomo secundo Bibliothecæ Labbeanæ legitur breve Virzionense Chronicon, cujus est initium. *Anno 843. Principium Abbatiæ de Dovero.* Locus ille situs est in Diœcesi Bituricensi, cui tunc Archiepiscopus præerat Rodulphus pro suâ erga illud Monasterium munificentiâ multùm à posteris laudatus.

INITIUM ABBATIÆ DE DOVERO.

XXXVIII. Hoc anno vitam terminavit Fulco Chorepiscopus Remensis & Abbas Remigianus, cùm annum administrationis suæ nonum adhuc ageret. Utroque post eum munere defunctus est Noto penè per annum & dimidium, donec anno Redemptoris octingentesimo quadragesimo-quinto. Hincmarus in Synodo apud Bellovacum ordinatus est Remensis Archiepiscopus. His de rebus idem Hincmarus ita scribit in literis ad Synodum Suessionensem. *Cùm Remensem Ecclesiam Folco ferè per novem annos sine ulla regulari Ebonis reclamatione tenuisset, & post eum Noto penè per annum & dimidium eandem Sedem similiter sine ulla Ebonis repetitione tenuisset, sub Sergio Papa in Synodo plurimorum Archiepiscoporum & Episcoporum apud Bellovacum Diœcesios Remorum habita, à Clero & plebe ipsius Metropolis, sed & ab Episcopis ejusdem provin-*

FULCO REMENSIS CHOREPISCOPUS OBIT. SUCCEDIT NOTO.

AN. CH. 843. LOTHAR. IMP 27. LUDOV. R. 27. CAROLI R. 14.

cia petitus, & ab Archiepiscopo tunc meo, & proprio Episcopo, necnon & à Coepiscopis ipsius provinciæ, secundùm Laodicensé Concilium, cum consensu Abbatis mei, & fratrum Monasterii in quo degebam, Episcopis Remensis provinciæ, & Clero ac plebi ipsius Metropolis per Canonicas literas traditus, & cum decreto Canonico, præsentiâ vel consensu omnium Suffraganeorum ipsius Metropolis, & à Metropolitano meo, qui me illis tradiderat, sum in eadem Ecclesia, omnibus acclamantibus, absque ullius contradictione vel repetitione, canonicè & secundùm decreta Sedis Romanæ Pontificum ordinatus. Et Flodoardus librum tertium Remensis Historiæ sic orditur. *Anno Dominicæ Incarnationis* DCCCXLV *Carolus Synodum Episcoporum Regni sui apud Bellovacum civitatem Remensis provinciæ convocavit. Ubi inter cetera Ecclesiæ Regníque necessaria, de Remensis Ecclesiæ desolatione, quæ Fulcone Presbytero illam diu tenente, & Nothone in ea sibi succedente, tanto vacare pastore videbatur tempore, cum eisdem Episcopis cœpit tractare. Qui sicuti viderant vel audierant depositionem narrantes Ebonis, & auctoritatem Sanctorum Patrum pro hujusmodi negotiis ad memoriam revocantes, cogente necessitate, atque suadente auctoritate, communi decrevere consensu, quo tandem post decennium depositionis Ebonis in Ecclesia eadem ordinaretur Episcopus.* Ad annum Redemptoris octingentesimum quadragesimum-quintum agemus de ordinatione Hincmari, túncque Chronologiam Remensium Antistitum denuò confirmabimus. Hic autem observa rectè ab Hincmaro asseri, quòd Ecclesiam Remensem Folco seu Fulco *sine ulla regulari Ebonis reclamatione*, similiter post Fulconem Noto *sine ulla Ebonis repetitione* tenuerit. Anno enim Redemptoris octingentesimo quadragesimo, cùm Ebo Sedi Remensi per Lotharium restitutus est, non fuit regularis contra Fulconem reclamatio, sed armata violentáque repetitio, quia Lotharius Caroli ditiones, ubi Remi, nullo tunc jure invadebat. Nec talem repetitionem contra Notonem aggressus est Ebo, nam postquàm Remi redierunt ad Carolum, mansit in familiaribus obsequiis Lotharii per triennium, donec anno Redemptoris octingentesimo quadragesimo-quarto Romam eum Ludovico ejusdem Lotharii filio perrexit, ubi *à Sergio Papa reconciliari ac Pallium sibi tribui postulavit*, sed eum Pontifex dixit haud dignum esse, qui vel *communionem inter Clerum* susciperet, ut anno proximo fusiùs exponemus ex Anastasio in vita Sergii Papæ & ex Flodoardo in Historia Remensi [a].

[a] Lib. 3. c. 20.

XXXIX. JONAS EP. AURELIANENS. OBIT. AGIUS HUIC SUCCEDIT.

Ad hunc eundem annum pertinent obitus Jonæ Aurelianensis Episcopi & Agii subrogatio. Nititur hæc assertio Vernensi Concilio, quod anno Redemptoris octingentesimo quadragesimo-quarto, mense Decembri, celebratum est. Istius enim Synodi Canon decimus Agium *superiore anno*, sive anno Redemptoris octingentesimo quadragesimo-tertio, Episcopum Aurelianensis Ecclesiæ ordinatum sic testatur. *Aurelianensis etiam Ecclesia confusione maximâ noscitur laborare, tamen quia superiore anno Archiepiscopus Wenilo suis annitentibus Suffraganeis, ex eodem loco Agium Presbyterum Palatii vestri memorata Ecclesiæ ordinavit, probabilium Canonicorum ac laicorum attestatione instructus, & petitione impulsus, & eadem Ecclesia nostro & vestro vacat periculo, hujus rei alium exitum non videmus, nisi ut vestra Pietas quod à tantis viris factum est, ratum esse permittat.* De Jona, cujus mentionem sæpè fecimus, nihil hic addendum habemus. Ex verbis præcitati Canonis apparet initio non satis probatam Carolo Regi ordinationem Agii fuisse. Tunc in provincia Senonensi Wenilonem Metropolitanum hi venerabantur Episcopi, Erkantadus Parisiensis, Huebertus Meldensis, Heribaldus Autissiodorensis, & Herimannus Nivernensis, de quibus jam locuti sumus; at utrùm Trecis Adalbertus an Prudentius hoc anno sederit, & utrùm Carnoti Berninus an Helias, haud certò pronunciari potest, quia initia Prudentii & Heliæ ignorantur.

AN. CH. 844. LOTHAR. IMP. 28. LUDOV. SEN. R. 28. CAROLI R. 15. LUDOV. JUN. R. 1.

ANNUS

CHRISTI	844.
LOTHARII	IMP. 28. 22. 5.
	REG. 30. 25. 22. 12. 7. 5. 1.
LUDOVICI Sen.	REG. 28. 19. 10. 5. 1.
CAROLI	REG. 15. 12. 10. 7. 5. 1.
LUDOVICI Jun.	REG. 1.
INDICTIO	7.

GREGORII Quarti Papæ mortem Annalista Bertinianus anno Redemptoris octingentesimo quadragesimo-quarto, Metensis ac Fuldensis anno præcedenti referunt. Has opiniones facilè conciliabit mensis Januarius quo vitam clausit. Idem enim mensis Januarius apud Annalistas Metensem ac Fuldensem ad annum Redemptoris octingentesimum quadragesimum-tertium & apud Annalistam Bertinianum ad annum Redemptoris octingentesimum quadragesimum-quartum pertinet, quia super anni principio non conveniunt hi Scriptores, annúmque ut Annalista Bertinianus à die Natali Domini, sic à Paschate Metensis ac Fuldensis ordiuntur. Nos annum à Kalendis Januariis inchoamus, ideóque per mensem Januarium in annorum numero cum Annalista Bertiniano consentimus. Gregorium autem ex hac vita mense Januario sublatum sic asserit Sigonius ad hunc annum in libro quinto de Regno Italiæ. *Mortuus est* VIII *Kal. Februarias, atque ei* IIII *Idus Sergius Secundus à Clero & Optimatibus est suffectus.* Anastasius nec diem quo Gregorius obiit, nec diem notat quo subrogatus est ei Sergius. In vulgaris etiam editionibus, post Gregorii mortem, nullam Interpontificii mentionem facit. At in Codicibus, Regio, Mazarinæo, Thuaneo & Freheriano, post obitum Gregorii cessat Episcopatus *dies quindecim*, ut variæ docent lectiones, quas Carolus Annibal Fabrotus ex eisdem Codicibus editioni Regiæ subjecit. Hæc observatio computo Sigonii non repugnat, ab octavo enim ante Kalendas Februarias ad quartum ante Idus Februarias, id est, à die vicesimo-quinto Januarii ad decimum Februarii, quindecim numerantur intermedii. De die, quo Sergius in Patriarchium Lateranense perductus est, sic ipsemet Anastasius. *Eodem verò die tanta nix in urbe effusa est, ut omnibus candidata cerneretur.* Admodum autem probabile videtur id quarto Idus Februarii contigisse. I. GREGORIUS IV. PP. MORITUR.

Electionem Sergii Papæ sic idem describit Auctor. *Cùm Proceres & Romanæ Urbis Optimates universúsque Ecclesiæ populus pro eligendo Pontifice in unum coissent, atque alius de alio, ut fieri solet in talibus, conclamaret, subitò per Dei providentiam divino nutu compuncti, de antefati Sergii Archipresbyteri religione diligentiùs confabulari cœperunt, ut omnes conclamarent, quia dignus esset Pontificatûs adipisci regimen. Firmatóque in eundem virum consilio, unusquisque in sua reversus est. Tunc repentè Diaconus quidam ipsius Ecclesiæ Joannes in tantùm amentia erupit atque insania, ut persuaso quodam satis imperito & agresti populo, collectâ turbulentorum & seditiosorum manu in Patriarchium Lateranense per vim fractis* II. SUCCEDIT SERGIUS II. LOTHARIO IMP. INCONSULTO.

AN. CH. 844. LOTHAR. IMP. 28. LUDOV. SEN. R. 28. CAROLI R. 15. LUDOV. JUN. R. 1.

januis, cum bellicis telis ingrederetur, legis & ordinis traditionem transgressus. Quo ex facto omnes qui intra Patriarchii mœnia aderant, stupore & metu repleti sunt. Igitur cùm per unius horæ momentum cum eo illa perdurasset ignobilis populi coitio timore correpta, eo relicto nusquam comparuit. Quibus ita gestis, omnes Quiritum principes indignati sunt, & communi consilio universi pariter in Basilica Beati Martini Confessoris atque Pontificis celeri cursu magnóque equitatu sunt congregati, & eundem Archipresbyterum Sergium in omnibus probatissimum virtutibus virum, de quo superiùs memoriam fecimus, extrahentes de Ecclesia magno cum honore, magnâque populi comitante catervâ, amplisque resonantibus laudibus cum Hymnis & Canticis spiritalibus in Patriarchium Lateranense electus atque perductus est. Eodem verò die tanta nix in urbe effusa est, ut omnibus candidata cernerentur. Quod multi gaudii dicebant & claritatis esse indicium. Prædictum verò Joannem Diaconem de Patriarchio magna cum turpitudine hujus Romanæ Urbis principes expulerunt, & arctiùs in claustra sub cautela trudi præceperunt, pro eadem tanta temeritatis impia & dira præsumptione, quam sæpefatus Joannes Diaconus ausus est perpetrare. Quem etiam Concilio Antistitum principes damnare suóque voluerunt privari honore, necnon & alii ensibus membratim eum dilaniare ac interimere voluerunt. Sed hoc fieri benignus & solertissimus Sergius Præsul prohibuit nolens malum pro malo secundùm Evangelicam cuiquam reddere vocem. Tunc demum exultantibus omnibus Sacerdotibus, Proceribus & Optimatibus, omnibúsque Ecclesiæ populis, idem Sanctissimus Vir in Apostolica Beati Petri Sacratissima Sede ordinatus consecratúsque est Pontifex.

III. LUDOVICUS LOTHARII IMP. FILIUS NATU MAXIMUS A PATRE REX ITALIÆ RENUNTIATUR.

Auditâ Sergii Pontificis ordinatione, quid consilii ceperit quidve gesserit Lotharius Imperator, Annalista Bertinianus sic subjungit. *Sergio in Sede Apostolica ordinato, Lotharius filium suum Hludowicum Romam cum Drogone Mediomatricorum Episcopo dirigit, acturos ne deinceps decedente Apostolico quisquam illic, præter sui jussionem Missorúmque suorum præsentiam, ordinetur Antistes. Qui Romam venientes, honorificè suscepti sunt. Peractóque negotio, Hludowicum Pontifex Romanus unctione in Regem consecratum cingulo decoravit. Drogonem verò Episcopum sui Vicarium Galliarum Germaniarúmque partibus designavit.* In libro de Romanorum Pontificum vitis, qui sub Luitprandi Ticinensis Diaconi nomine publicatus est, & in Formoso Papa sive anno Redemptoris octingentesimo nonagesimo-primo desinit, hæc de Sergii Pontificatu commemorantur. *Hic absque Jussione Lotharii Imperatoris est ordinatus. Unde cùm ejus consecrationis rumor ad prædicti aures Imperatoris pervenit, indignatus de hac præsumptione, filium suum Ludovicum, & Drogonem Metensem Episcopum cum magno exercitu Romam direxit. Qui post multa damna Romanis illata, ipsos Romanos Imperatori fidelitatem jurare fecerunt, & prædictum Sergium post multas contentiones in Sede demum confirmaverunt, qui prædictum filium Imperatoris in Regem Longobardorum unxit.* Rem stylo longè fusiori prosequitur Anastasius in Sergio. Singulæ totius negotii partes per ordinem sunt exponendæ.

ROMÆ CORONATUR A SERGIO PP.

IV. Lotharius, si fides est Sigonio, cùm rebus Gallicanis Mosam inter ac Rhenum intentus esset, *ne Italia sine Rege esset, Ludovicum filium natu maximum, novo ineunte anno, Regem Italiæ declaravit, atque Imperii sibi consortem, patrem avúmque imitatus, adjunxit. Opportunè autem consilio ejus mors Gregorii Pontificis accidit, quem, quia viventem offenderat, parum æquum postulato suo se prabiturum putabat. Mortuus est autem* VIII *Kal. Februarias, atque ei* IIII *Idus Sergius Secundus à Clero & Optimatibus est suffectus. Id verò ubi Sergii literis accepit Lotharius, continuò Ludovicum cum ornatissimo in Italiam exercitu jussit contendere, ac Regia atque Imperatoria Insignia à novo Pontifice postulare, atque ei Drogonem Metensem Archiepiscopum patruum suum comitem itineris & juvenilis moderatorem ætatis adjunxit.* Ineunte hoc anno, priusquàm de Gregorii morte & Sergii subrogatione nuncius in Galliis auditus esset, Ludovicum à Lothario patre Regem Italiæ dictum nemo veterum prodit.

AN. CH. 844.
LOTHAR. IMP. 28.
LUDOV. SEN R 28.
CAROLI R. 15.
LUDOV. JUN. R. 1.

Cur autem Lotharius post acceptas Sergii Papæ literas Ludovicum filium suum in consortium Italici Regni vocarit, ratio patet. De Gregorii Pontificis electione & consecratione sic Annalista Laureshamensis ad annum Redemptoris octingentesimum vicesimum-septimum scribit. *Gregorius Presbyter tituli Sancti Marci electus, sed non priùs ordinatus est, quàm Legatus Imperatoris Romam veniret, & electionem populi qualis esset examinaret.* Et Astronomus in vita Ludovici Pii. *Gregorius Presbyter tituli Sancti Marci electus est, dilatâ consecratione ejus usque ad consultum Imperatoris. Quo annuente, & electionem Cleri & populi probante, ordinatus est.* Romani post Gregorii mortem aliter se gesserunt. Inconsulto Lothario Imperatore, nec expectato ejus Misso Sergium Gregorii successorem non elegerunt modò sed etiam consecrandum curarunt. *Hujus sacratissimæ consecrationis*, ait Anastasius, *cùm ad aures Invictissimi Augusti Lotharii rumor pervenisset Imperatoris, Drogonem videlicet Metensis Ecclesiæ Archiepiscopum cum Excellentissimo Hludowico filio suo, magno cum Francorum exercitu, Romam direxit, cum quibus etiam Archiepiscopos, plurésque Episcopos, Abbates, & Comites proficisci præcepit.* Ludovicum, ut Italicarum rerum administrationem gereret, in itineris procinctu Regiâ Dignitate à patre exornatum ratio suadet. Seriùs consortem Imperii factum ostendemus infrà. Negabimus etiam in Italiam directum, ut Regia Imperatoriáque Insignia à Sergio Papa postularet.

V. Ineunte vere Ludovicus iter ingressus est. Peragratâ Longobardiâ quàm honorificè susceptus sit à Papa, fusè sic describit Anastasius. *Francorum adventum Beatissimus Papa Sergius ferè propiùs cùm cognovisset, in ejus Excellentissimi Hludowici Regis occursum universos Judices ad ferè novem milliaria ab hac Romana urbe direxit. Quem cum signis & magnis resonantibus laudibus susceperunt. Et dum urbi penè unius milliarii spatio appropinquasset, universas militiæ scholas unà cum patronis direxit. Dignas Nobilissimo Regi laudes omnes canentes, aliosque militiæ doctissimos Græcos Imperatorias laudes decantantes cum dulcisonis earundem laudum vocibus ipsum Regem gloriosè susceperunt. Obviam illi ejus Sanctitas dirigens venerandas Cruces, item signa, sicut mos est Imperatorem aut Regem suscipere, ita eum cum ingenti honore suscipi fecit. Ipse verò Hludowicus Rex quâ horâ sibi sacratissimas Cruces ac signa obviam advenisse conspexit, alacris factus valdè Lætatus est. Tunc suo universo cum populo, omnibus Romanis Judicibus & scholis antecedentibus, ad Beatum Petrum studuit properare. Quem antedictus almificus Pontifex in gradibus ipsius Apostolicæ aulæ eundem Regem in ipso die Dominico post Pentecosten*, id est, sexto Idus Junii, *suo cum Clero expectavit. Conjungente verò eodem Rege, universósque gradus ejusdem sacratissimæ Beati Petri Ecclesiæ ascendente, ad prænominatum propinquavit Pontificem, ubi in atrio super gradus juxta fores Ecclesiæ cum universo Clero & populo Romano assistebat. Tunc mutuò se amplectentes tenuit idem Hludowicus Rex dexteram antedicti Pontificis, & in interius ingressi atrium ad portas pervenerunt argenteas. In quo atrio unus de exercitibus à dæmonio arreptus in conspectu Francorum omnium valdè vexatus est. Tunc almificus Præsul claudi faciens omnes januas Beati Petri, atque serari præcepit, & Regi, Sancto Spiritu admonente, sic dixit. Si purâ mente & syncerâ voluntate, & pro salute rei publicæ ac totius urbis, hujusque Ecclesiæ, huc advenisti, has meâ ingredere januas Jussione; sin aliter, nec per me, nec per meam concessionem istæ tibi portæ aperientur. Statim Rex illi respondens dixit, quòd nullo maligno animo, aut aliquâ pravitate vel malo ingenio advenisset. Tunc, eodem Præsule præcipiente, appositis manibus prædictas januas patefecerunt. Et ita in eandem venerandam aulam Beati Petri ingressi sunt, laudem Deo & ejusdem Excellentiæ decantantes, universus Clerus & cuncti Religiosi Dei famuli, extensáque voce adclamantes,* [*Benedictus qui venit in nomine Domini &c.*] *Sícque cum eodem Pontifice ipse Rex simúlque omnes Episcopi, Abbates, & Judices, & universi Franci, qui cum eo advenerant, ad Confessionem Beati Petri appropinquantes, séque pronos ibidem prosternentes Deo nostro*

AN. CH. 844.
LOTHAR. IMP. 28.
LUDOV. SEN. R. 28.
CAROLI R. 15.
LUDOV. JUN. R. 1.

omnipotenti, & eidem Apostolorum Principi gratias reddiderunt. Et datâ à prædicto almo Pontifice super populum oratione, ab Ecclesia omnes pariter regressi sunt.

Dominico verò die sequente, in eadem Principis Apostolorum Basilica omnes Archiepiscopi, & cuncti Abbates, & omnes, qui cum eo, nempe Ludovico, *venerant Franci, sunt congregati, omnésque pariter Romanorum nobiles & præclari. Tunc almificus Pontifex manibus suis ipsum Hludowicum Lotharii Imperatoris filium oleo sancto perungens, Regali ac pretiosissimâ coronavit coronâ, Regémque Longobardis præfecit. Cui Regalem tribuens gladium illic eo subcingi jussit. Deinde Missarum celebratione finitâ ab Ecclesia omnes cum Rege lætantes regressi sunt.* Hic textus ad illa verba, *Regem Longobardis præfecit*, eget interpretatione, quia

VI. Sergius Papa Ludovicum, qui Longobardiæ Rex à Lothario patre jam constitutus fuerat, Regem quidem ejusdem Longobardiæ coronavit, at Regem haud instituit.

VII. Idem Anastasius in multis Drogoni Metensium Antistiti parum æquus videtur. Hunc authorem fautorémque discordiarum Francos inter ac Romanos exhibet. *Deinceps*, inquit, *per dies singulos conflictum novi certaminis cum Sanctissimo Præsule, omnibúsque Episcopis, & Optimatibus nostris, atque*

PRÆSENTIBUS MULTIS PRÆSULIBUS, *Proceribus, ipse Drogo Archiepiscopus Metensis Ecclesiæ, de quo superiùs memoriam fecimus, commovebat tam ipse, quàm omnes Archiepiscopi, & Episcopi, qui cum eo contra hanc universalem & caput cunctarum Ecclesiarum Dei, sine Metropolitani concessione atque vocatione convenerant. Id est, Gregorius Archiepiscopus Ecclesiæ Ravennensis, & Angelbertus Archiepiscopus Ecclesiæ Mediolanensis, Joseph Episcopus Ecclesiæ Eporediensis, Aginus Episcopus Ecclesiæ Veronensis, Almaricus Ecclesiæ Comensis Episcopus, Nortchaudus Episcopus Ecclesiæ Vercellensis, Sigifridus Episcopus Ecclesiæ Regiensis, Toringarius Episcopus Ecclesiæ Concordiensis, Odelvertus Episcopus Ecclesiæ Aquensis, Ambrosius Episcopus Ecclesiæ Lucensis, Joannes Episcopus Ecclesiæ Piseensis, Petrus Episcopus Ecclesiæ Vollaterrensis, Gausprandus Episcopus Ecclesiæ Pistoriensis, Cantio Episcopus Ecclesiæ Senensis, Lupus Episcopus Ecclesiæ Teatinæ, Sisimundus Episcopus Ecclesiæ Aprutiensis, Pico Episcopus Ecclesiæ Scolanensis, Fratellus Episcopus Ecclesiæ Camerinensis, Gisus Episcopus Ecclesiæ Firmanæ, Racipertus Episcopus Ecclesiæ Nucerinensis, Amadeus*

ET OPTIMATIBUS. *Episcopus Ecclesiæ Pinnensis, Donatus Episcopus Ecclesiæ Fesolanæ, & ceteri.* Sequuntur nomina nonnullorum Comitum, Bosonis, Adalgisi, Joannis, Wldonis, Vernadi, Wifridi, & Maurini. De singulis Præsulibus pauca dicemus, ut & Chronologia firmetur, & multarum Ecclesiarum Antistites eo quo debent ordine recenseantur. Interim adversùs Anastasium observa nec Drogonem Antistitem Metensem aliósque qui Ludovicum Regem Romam usque comitati sunt, nec ipsum Lotharium Imperatorem, cujus Jussioni obtemperantes itineri se commiserunt, malevolo erga Romanam Ecclesiam studio fuisse.

VIII. Primo loco, inter Præsules qui fuerunt in comitatu Ludovici Regis cum Drogone, ponitur ab Anastasio *Gregorius Archiepiscopus Ecclesiæ Ravennensis*, de quo nihil adnotamus, quia Ravenna est in ditione Romani Pontificis extráque limites Monarchiæ Franciceæ.

IX. Secundo loco ponitur *Angelbertus Archiepiscopus Ecclesiæ Mediolanensis.* Is est Angelbertus sive Angilbertus, hujus nominis Secundus, & annum in Archiepiscopatu decimum-septimum agit.

X. Tertio loco ponitur *Joseph Episcopus Ecclesiæ Eporediensis.* Hic in Episcopatum successit Henrico, cujus mentionem anno priori fecimus.

XI. Quarto loco ponitur Aginus Episcopus Ecclesiæ Veronensis. Hic Aginus sivè Agninus post Rotaldum sedere cœpit anno Redemptoris octingentesimo quadragesimo.

XII. Quinto loco ponitur *Almaricus Ecclesiæ Comensis Episcopus*, de quo jam locuti sumus, loquemúrque.

Sexto loco ponitur *Nortchaudus Episcopus Ecclesiæ Vercellensis*. Hic Nortchaudus seu Notthaudus successit Auserio sive Aurherio vel Antero, quem anno Redemptoris octingentesimo tricesimo-quinto laudavimus. AN. CH. 844. XIII.

[b] Septimo loco ponitur *Sigifridus Episcopus Ecclesiæ Regiensis*. Lege ad annum Redemptoris octingentesimum tricesimum-quintum [a], quæ dicta sunt de Chronologia serieque Regiensium Episcoporum. XIV.

[a] Num. 61.

Octavo loco ponitur *Toringarius Episcopus Ecclesiæ Concordiensis*. Hic proximus successor fuit Anselmi, qui Synodum Mantuanam cum aliis Præsulibus anno Redemptoris octingentesimo tricesimo-quinto celebravit. XV.

Nono loco ponitur *Odelvertus Episcopus Ecclesiæ Aquensis*, de quo nihil aliud legimus. XVI.

Decimo loco ponitur *Ambrosius Episcopus Ecclesiæ Lucensis*. Hic successit Beringario, qui sedebat anno priori. XVII.

Undecimo loco ponitur *Joannes Episcopus Ecclesiæ Pisensis*, seu Pisanæ. Hic proximè subrogatus est Zenobio, cujus mentionem ante triennium fecimus. XVIII.

Duodecimo loco ponitur *Petrus Episcopus Ecclesiæ Vollaterrensis* seu Volaterranæ. Hinc Ughellum [b] redarguc, qui Andream Petro jam suffectum ad annum Redemptoris octingentesimum duodequadragesimum scribit. Petrus longævam admodum duxit vitam, diuturnúmque Pontificatum gessit. XIX.

[b] Tom. 1. Ital. Sacr.

Decimo-tertio loco ponitur *Gausprandus Episcopus Ecclesiæ Pistoriensis*. Hic successit Lamprando seu Lambardo, qui Concilio Romano interfuit anno Redemptoris octingentesimo vicesimo-sexto. XX.

Decimo-quarto loco ponitur *Cantio Episcopus Ecclesiæ Senensis*. Hic Cantio seu Concius successit Getardo, de quo sermonem ante triennium habuimus. XXI.

Decimo-quinto loco ponitur *Lupus Episcopus Ecclesiæ Teatinæ*, corruptè Textrinæ. Theodoricus Lupi decessor florebat anno Redemptoris octingentesimo quadragesimo. XXII.

Decimo-sexto loco ponitur *Sisimundus Episcopus Ecclesiæ Aprutiensis*. De hoc Sisimundo seu Sigismundo nihil aliud memoratur. XXIII.

Decimo-septimo loco ponitur *Pico Episcopus Ecclesiæ Scolanensis*, seu *Ricco Episcopus Ecclesiæ Asculanensis*, sive Asculanæ. Promiscuè vocatur apud Ughellum [c] in Asculanis Episcopis Ricco, Ruo, & Picus. XXIV.

[c] Tom. 1.

Decimo-octavo loco ponitur *Fratellus Episcopus Ecclesiæ Camerinensis*. Is est Frantellus seu Frontellus, de quo locuti jam sumus ante quadriennium. XXV.

Decimo-nono loco ponitur *Gisus Episcopus Ecclesiæ Firmanæ*. Lupum Gisi decessorem ad annum Redemptoris octingentesimum vicesimum-sextum [d] memoravimus. XXVI.

[d] Num. 52.

Vicesimo loco ponitur *Racipertus Episcopus Ecclesiæ Nucerinensis*, seu Nucetiensis. Lege Tomo superiore [e], quæ dicta sunt de Lucerinis seu Nucetiensibus Episcopis. Liutardo, de quo tunc egimus, proximè successit Racipertus. XXVII.

[e] Ad ann. 826. n. 86.

Vicesimo-primo loco ponitur *Amadeus Episcopus Ecclesiæ Pinnensis*, seu Pennensis. Hic Amadeus, Amidæus etiam & Amodæus appellatur. Penna Carolo Francorum Regi post exactos Longobardos parere cœpit anno Christi septingentesimo septuagesimo-quarto, sed ab illo anno, donec Ludovicus Lotharii Augusti filius in Longobardiæ Regem à Sergio Papa coronatus est, mutilus invenitur Episcoporum Pennensium Catalogus. XXVIII.

Vicesimo-secundo loco ponitur *Donatus Episcopus Ecclesiæ Fesolana*, seu Fesulanæ. Tres duntaxat Episcopi Fesulani recensentur ab Ughello, Donatus, Grusolphus, & Zenobius, quorum Pontificatus ad nostros Annales pertineant, quia tunc Longobardia Regibus Francorum obtemperabat. Ordo, quo nominantur, haud placet, Grusolphus enim Donatum ante- XXIX.

AN. CH. cessit. In horum Episcoporum Chronologia sibi non constat Auctor pro-
844. ximè citatus. Donatum ait ad Episcopales Infulas promotum anno Redem-
LOTHAR. ptoris octingentesimo decimo-sexto, additque non deesse qui censeant
IMP. 28. ordinatum Episcopum anno Redemptoris octingentesimo secundo, in Pon-
LUDOV. tificatu annos ei tribuit septem & quadraginta sub Imperatoribus Lothario
SEN. R. 28. & Ludovico Secundo Italiæ seu Longobardiæ Regibus, determinatéque no-
CAROLI tat annum Redemptoris octingentesimum quadragesimum-quartum quo facta
R. 15. Ludovici in Italiæ Regem coronatio. Tum subjicit Grusolphum anno Re-
LUDOV. demptoris octingentesimo vicesimo-sexto in Concilio Romano sub Euge-
JUN. R. 1. nio Secundo Papa. Hæc quomodo conciliari possunt? Grusolphum seu Grausolphum anteponas Donato necesse est. Lotharius à Ludovico Pio patre Rex Italiæ dictus est anno Redemptoris octingentesimo vicesimo; Ludovicus Secundus ab eodem Lothario patre Rex Italiæ renuntiatus est anno Redemptoris octingentesimo quadragesimo-quarto, vitámque clausit anno Redemptoris octingentesimo septuagesimo-quinto. A Concilio igitur Romano cui Grusolphus Episcopus interfuit, ad obitum usque Ludovici Secundi Imperatoris & Italiæ Regis, effluxerunt anni quadraginta-novem, ex quibus attribuendi sunt Episcopo Donato septem & quadraginta. Posterioris hujus Episcopi Chronologia multùm vacillare non potest, quia post Concilium Romanum vel primus vel alter annus initium Pontificatui fecit. De Zenobio, qui post Donatum sedit, agemus Tomo sequenti. *Donatus nobilis Scotus, relictâ patriâ, Romam venit cum Andrea socio, ut loca sacra inviseret, cúmque desiderio suo fecisset satis, cetera Italia loca spectabilia pervasit, ut sacras Sanctorum Reliquias veneraretur, contigítque illum venire Fesulas, summámque ingredi Ædem, ubi Clerus ac populus novo creando Episcopo coactus erat, ad cujus ingressum cùm nemine impellente divinitus perstrepuissent campanæ, vóxque delapsa de cælo hunc peregrinum esse in Episcopum deligendum pronunciasset, omnes admiratione defixi illum ipsum Fesulana collocarunt in Sede, tametsi ad oblatum Dignitatis gradum impensiùs reluctantem. Ceterùm cùm placito cælesti non potuisset obsistere, summâ animi moderatione onus subivit, ordinatúsque est Fesulanus Episcopus. Archidiaconum autem declaravit Andream, quem itinerum ac laborum asciverat socium, cujus ope auxilióque annos 47 piè sanctéque Fesulanam administravit Ecclesiam, charus in paucis Lothario Ludovicóque Imperatoribus, tum ob doctrinam, tum ob egrégiam sanctimonia laudem. Post plura patrata Miracula ostensásque virtutes evolavit ad superos vigesimâ die, sepultúsque est in Cathedrali, in sepulchro marmoreo. Ceterùm Andreas Archidiaconus non procul ab excessu Donati fato concessit, sepultúsque est prope Magistrum & Præsulem, magnâ sui apud posteros relictâ Sanctitatis opinione.* Hæc Ughellus in Sancto Donato, cujus epitaphium recitat [a] in Fesulanis Episcopis. Duo tantùm disticha, quæ nostram Chronologiam confirmant, placet hîc describere.

[a] Tom. 3. Ital. Sacr.

Regibus Italicis servivi pluribus annis
Lothario Magno Ludovicóque Bono.
Octonis lustris, septenis insuper annis,
Hac Fesulana Præsul in urbe fui.

XXX. Præter Drogonem Metensem Antistitem coronationi Ludovici Regis Italiæ præsentes intersunt Romæ duo Archiepiscopi, & Episcopi undeviginti, omnes Itali, ex provinciis Romana, Ravennate, Mediolanensi & Foro-Juliensi. Gregorius Ravennensis est Archiepiscopus in ditione Romani Pontificis, ceteri Præsulatum in Regno Longobardiæ gerunt, tredecim in provincia Romana, unus in Ravennate, quatuor in Mediolanensi, tres in Foro-Juliensi.

XXXI. In provincia Romana præsunt, Ambrosius Ecclesiæ Lucensi, Joannes Pisanæ, Volaterranæ Petrus, Gausfridus Pistoriensi, Senensi Cantio, Teatinæ Lupus, Aprutinæ Sisimundus, Asculanæ Ricco, Fratellus Camerinensi,

nensi, Firmanæ Gisus, Nuceriensi seu Lucerinæ Racipertus, Amadeus Pennensi, Donatus Fesulanæ. AN. CH. 844.

Archiepiscopo Ravennati subest Sigifridus Episcopus Regiensis. XXXII.

In provincia Mediolanensi clarent, Angelbertus Mediolanensis Archiepiscopus, Joseph Episcopus Eporediensis, Nortchaudus seu Northaudus Vercellensis Episcopus, & Odelvertus Episcopus Aquensis. XXXIII.

In provincia Foro-Juliensi Veronensis Episcopus est Aginus, Comensis Almaricus, Concordiensis Toringarius. XXXIV.

Ludovico in Regem Italiæ coronato, Franci *à prædicto postulaverunt Pontifice* Sergio, *ut omnes Primates Romani fidelitatem ipsi Hludovico Regi per sacramentum promitterent. Quod prudentissimus Pontifex*, ait Anastasius, *fieri nequaquam concessit, sed sic orsus est illis. Quia si vultis, Domno Lothario Magno Imperatori hoc sacramentum ut faciant, solummodo consentio atque permitto. Nam Hludovico ejus filio ut hoc peragatur, nec ego, nec omnis Romanorum Nobilitas permittit. Tunc demum in eadem Ecclesia sedentes pariter tam beatissimus Pontifex quàm Magnus Rex, & omnes Archiepiscopi atque Episcopi, stantibus reliquis Sacerdotibus, & Romanorum ac Francorum Optimatibus fidelitatem Lothario Magno Imperatori semper Augusto promiserunt.* Ex hoc textu prævalidum eruitur argumentum adversùs eos, qui Ludovicum non tantùm Italiæ Regem sed etiam Imperatorem à Sergio Papa coronatum volunt. Nam si Ludovicus à patre in consortium ut Regiæ per Italiam sic & Imperatoriæ Dignitatis adscitus fuisset, atque à Pontifice Romano non solùm Rex Italiæ sed & Imperator fuisset coronatus, defuisset ratio cur ei fidelitatem per sacramentum vel promittere recusassent Romani, vel à Romanis promitti noluisset Papa. Solum Regis Titulum in apicibus hujus anni Ludovico tribuimus, tribuemúsque deinceps, donec in consortium quoque Dignitatis Imperialis assumatur. XXXV. AN ETIAM CORONATUS IMPERATOR?

Pergit Anastasius, & Romani Pontificis judicium de duobus Archiepiscopis, Ebone videlicet Remensi, & Bartholomæo Narbonensi, breviter sic attingit. *Post hæc verò Ebbo quidam & Bartholomeus Archiepiscopi, qui pro criminibus suis privati honore ab Ecclesia fuerant expulsi, à Sanctissimo Pontifice postulabant, ut eos reconciliare ac Pallium eis tribuere dignaretur. Quos etiam idem Præsul nec communionem inter Clerum dignos esse suscipere dicebat, sed inter communem populum communicandi licentiam tantummodo haberent.* De Ebone sic Flodoardus in Historia Remensi [a]. *Unà cum Drogone Metensium Præsule Romam petiit, ubi à Sergio Papa reconciliari, ac Pallium sibi tribui postulavit. Cui idem Papa communione tantùm concessâ dare Pallium renuit.* Quod ad Bartholomæum attinet, hic ab eodem Flodoardo recensetur inter Antistites, qui Lotharianis partibus adhæserunt, séque præstiterunt inimicos tum Ludovico Pio Imperatori, tum Carolo Regi ejusdem Ludovici Pii filio. In Archiepiscoporum Narbonensium Catalogo Berarius Bartholomæum proximè sequitur, & apud Guillelmum Catellum in Historia Linguodochiana [b] Regium obtinet Præceptum, quo Carolus Rex Donationem à proavo Pippino Rege factam Ecclesiæ Narbonensi confirmat. Idem Diploma Historiæ Ducum Narbonensium à Besso subjectum reperitur. Utrobique legitur hæc subscriptio. *Data duodecimo Calendas Julii, Indictione sextâ, anno quarto Regni Præstantissimi Regis Caroli. Actum in Cœnobio Sancti Saturnini Martyris juxta Tolosam, in Dei Nomine feliciter. Amen.* Regni Carolini, cujus initium ab obitu Ludovici Pii petitur, annus quartus per mensem Junium cum anno Redemptoris octingentesimo quadragesimo-quarto convenit. At annus Redemptoris octingentesimus quadragesimus-quartus per mensem Junium nequaquam sextâ sed septimâ consignatur Indictione cùm Imperiali tum Regiâ nec non & Gallicanâ. Indictionis igitur sextæ loco apud Catellum & Bessum septima in præcitato Diplomate restituenda. Non leves hujus emendationis rationes occurrunt. Imprimis Catellus in eadem His- XXXVI. PAPÆ JUDICIUM DE DUOBUS ARCHIEPISCOPIS EBONE REMENSI ET BARTHOLOMÆO NARBONENSI.

[a] Lib. 2. c. 20.

[b] Lib. 5.

AN. CH. 844. LOTHAR. IMP. 28. LUDOV. SEN. R. 28. CAROLI R. 15. LUDOV. JUN. R. 1.

toriâ Linguodochianâ [a] profert duorum Diplomatum subscriptiones. Unam, sic. *Dat. 14 Cal. Junii, Indictione septimâ, anno quarto, regnante Carolo Glorioso Rege in Monasterio Sancti Saturnini, dum obsideremus Tolosam in Dei nomine feliciter. Amen.* Alteram, sic. *Datum 8 Calendas Julii, anno quarto, Indictione septimâ, regnante Carolo Gloriosissimo Rege. Actum in Monasterio Sancti Saturnini prope Tolosam, dum obsideretur Tolosa.* Subscriptionem, quam impugnamus, manifestissimè destruunt hæ duæ, una enim præcedit, altera subsequitur, utraque verò septimam Indictionem constanter exhibet. Carolus Rex in Monasterio Sancti Saturnini, dum Tolosam obsidet, tria emittit Præcepta, unum decimo-quarto Kalendas Junias, alterum duodecimo Kalendas Julii, tertium octavo Kalendas Julii; Diplomatibus primo ac tertio septimam apponit Indictionem, cur non & secundo quod est intermedium & tertium quatriduo duntaxat antecedit? Eodem quarto Regni anno Carolus, cùm Tolosam obsideret, in Monasterio Sancti Saturnini prope illam civitatem multò plura concessit Diplomata mensibus Maio ac Junio. Septem enumeravit Stephanus Baluzius in Appendice veterum Actorum [b] post Notas ad Capitularia. Singulorum titulos ac subscriptiones accipe, atque in unoquoque septimam Indictionem scriptam observa. I. Præceptum pro Monasterio Sancti Petri in pago Bisuldensi ex Archivo Arulensi. *Data* v *Idus Maii, Indictione* VII, *anno* IIII *regnante Karolo Glorioso Rege. Actum in Monasterio Sancti Saturnini prope Tolosam in Dei nomine feliciter. Amen.* II. Præceptum pro quibusdam Hispanis ex Archivo Biterrensis Ecclesiæ. *Data* XIV *Kal. Junii, Indictione* VII, *anno* IV, *regnante Karolo glorioso Rege, in Monasterio Sancti Saturnini, dum obsideretur Tolosa, in Dei nomine feliciter, amen*, ut suprà ex Catello. III. Præceptum pro Monasterio Sancti Laurentii ex Archivo Crassensi seu Grassensi. *Data* XIII *Kalendas Junii, Indictione* VII, *anno quarto, regnante Karolo Gloriosissimo Rege. Actum in Monasterio Sancti Saturnini prope Tolosam, in Dei nomine feliciter. Amen.* IV. Præceptum pro Teodtfredo. *Data Non. Jun. anno* IIII, *Indictione* VII, *regnante Karolo Gloriosissimo Rege. Actum in Monasterio Sancti Saturnini prope Tolosam, in Dei nomine feliciter. Amen.* V. Præceptum pro Monasterio Sanctæ Gratæ ex Archivo Urgellensis Ecclesiæ. *Data* v *Idus Junii, anno* IIII, *Indictione* VII, *regnante Karolo Gloriosissimo Rege. Actum in Monasterio Sancti Saturnini prope Tolosam, in Dei nomine feliciter. Amen.* VI. Præceptum pro Ecclesia Gerundensi ex Archivo illius Ecclesiæ. *Data* III *Idus Junii, Indictione* VII, *anno quarto, regnante Karolo Gloriosissimo Rege. Actum in Monasterio Sancti Saturnini, dum obsideretur Tolosa, in Dei nomine feliciter. Amen.* VII. Præceptum pro Monasterio Arulensi ex Archivo illius loci. *Datum* VII *Kal. Julii, anno* IIII, *Indictione* VII, *regnante Karolo Gloriosissimo Rege. Actum in Monasterio Sancti Saturnini, dum obsideretur Tolosa, in Dei nomine feliciter. Amen.* Deinde in Annalibus Bertinianis Carolus *Tolosanam civitatem obsidione* vallat *anno* DCCCXLIV, id est, Indictione septimâ, & prælium, quod consertum est cùm Tolosa obsidebatur, Annalistæ Metensis ac Fuldensis commissum aiunt VII *Idus Junii, anno Dominicæ Incarnationis* DCCCXLIV, currente tunc Indictione septimâ. Porrò si Berarius duodecimo Kalendas Julias, anno Caroli Regis quarto, Redemptoris octingentesimo quadragesimo-quarto, Indictione septimâ, Narbonensis Archiepiscopus erat, Archiepiscopales Infulas Bartholomæo in vivis adhuc superstite suscepit. Eodem enim anno Caroli Regis quarto, Redemptoris octingentesimo quadragesimo-quarto, Indictione septimâ, decimo-septimo Kalendas Julii quo die Ludovicus à Sergio Pontifice Rex Italiæ coronatus est, Bartholomæus Romæ degebat, atque ab eodem Papa seriùs & honorem sibi reddi quo privatus fuerat, & Pallium tribui postulavit, ut ex Anastasio probatum suprà. Sammarthani [c] Berarium anno Redemptoris octingentesimo quadragesimo-tertio Narbonensem Archiepiscopum agnoscunt. Admodum

BERARIUS ORDINATUR ARCHIEP. NARBONENSIS BARTHOLOMÆO ADHUC SUPERSTITE.

[a] Lib. 3. c. 3.

[b] Act. 59. & seqq.

[c] Tom. 1. Gall. Christ.

probabile videtur Archiepiscopum tunc ordinatum, illo enim anno Carolus cum fratribus suis Lothario ac Ludovico Monatchiam Francorum partitus obtinuit Septimaniam ubi Narbo, annóque proximo, cùm Tolosam obsideret, eidem Berario Archiepiscopo Præceptum dedit in Monasterio Sancti Saturnini. Quomodo Ebone quoque nondum mortuo Hincmarus factus sit Remensis Archiepiscopus, exponemus infrà. AN. CH. 844.

Anastasius, postquàm de Ebone & Bartholomæo Atchiepiscopis locutus est, sermonem de Siginolfo Beneventanorum Duce sic facit. *Per idem tempus, cùm Rex ipse Hludovicus Romæ degeret, Siginolfus Beneventanorum Princeps magno cum exercitu Romam venit. Quem cùm prædictus Rex honorificè suscepisset, omnia, pro quibus venerat, ipsi indicavit. Cui Rex gratanti animo quicquid quæsierat tribuit atque concessit. Et cùm simul Franci, Longobardi ac Beneventani congregati fuissent, facta est ingens populi multitudo, ita ut ex omni parte Roma circumdata videretur, quorum multitudine omnia sata deleta sunt. Ipse verò Siginolfus ardenti pectore præcipuum desiderabat videre Pontificem, & ab eo benedictionem recipere. Quem Præsul cùm suscepisset, solo prostratus pretiosos ipsius pedes humiliter osculatus est, & ab eo benedictione susceptâ ab ejus conspectu alacriter Deo gratias referens regressus est. His omnibus finitis ipse Excellentissimus Rex Hludovicus ampla cum lætitia Papiam reversus est, ubi ab exordio Principatûs sui culmen regebat.* Plura non habet hic Auctor in Sergio, quæ pertineant ad nostros Annales. XXXVII. SIGINOLFUS PRINCEPS BENEVENT. OSCULATUR PEDES SERGII PP. LUDOVICUS R. PAPIAM REDIT.

Varia Caroli Regis Diplomata, veterésque suprà citavimus Annalistas, quorum testimonio Tolosam hoc anno ab eodem Rege constat obsessam fuisse mensibus Maio & Junio. Istius obsidionis causa studiosiùs inquitenda. Bernatdus Marcæ Hispanicæ Præfectus, seu Dux Septimaniæ, Comes Barcinonis ac Tolosæ, de quo sæpissimè locuti sumus, hoc anno vitam clausit. Illius mortem sic commemorat Annalista Metensis. *Anno Dominicæ Incarnationis* DCCCXLIV. *Karolus Bernardum Barcilonensem Ducem incautum & nihil mali ab eo suspicantem occidit.* Fuldensis, sic. *Anno* DCCCXLIIII. *Karlus Bernhardum Barcenonensem Ducem incautum, & nihil ab eo mali suspicantem occidit.* Neuter æquum Carolo se præbet. Utrique præferendus hoc loco Bertinianus, ubi sic ad eundem annum scribit. *Bernardus Comes Marcæ Hispanicæ, jamdudum grandia molians, summísque inhians, Majestatis reus, Francorum judicio, jussu Caroli in Aquitania capitalem sententiam subiit.* Bernardus ultimam voluntatem Ludovici Augusti non ignoravit, quâ Regnum Aquitaniæ sorti Carolinæ fuit attributum. Longè tamen à Caroli partibus post Ludovici mortem recessit, seu Pippino palàm favebat in Aquitania, seu grandiora clàm meditabatur ac tyrannidem affectabat. Exeunte anno Redemptoris octingentesimo quadtagesimo, *Karolus Aurelianensem urbem veniens, Teotbaldum & Warinum cum quibusdam à Burgundia ad se venientes gratanter ac benignè excepit. Hinc autem obviam Bernardo, sicut mandaverat, Nivernensem urbem petit. Sed Bernardus more solito ad illum venire distulit, dicens se cum Pippino suisque sacramento firmasse, ut neuter absque alterius consensu cum quolibet quodcumque pactum inire deberet. Quamobrem testatus est, ad illos se ire velle, &, si efficere posset, ut unà secum sui devenirent, bene; sin aliter, soluto juramento, infra dies quindecim ad illum reversurum, suaque ditioni se commissurum esse promisit. Quamobrem Karolus Bituricas iterum obviam illi venit. Quò Bernardus veniens* ineunte anno Redemptoris octingentesimo quadragesimo-primo, *cùm neutrum fecisset, graviter Karolus ferens seductiones, quas patri fecerat, & hactenus illi faciebat, timens ne aliter illum comprehendere posset, subitò in illum irruere statuit. Sed hoc Bernardus, quanquam tardè, præsensit, fugam iniit, ac vix evasit . . . . Paulò pòst supplex ad Karolum venit dicens & fidelem se illi fuisse, & tunc, si liceret, esse voluisse, & deinceps, quanquam hac contumeliâ affectus esset, in futurum fore minimè diffideret. Quod, etsi quilibet aliter dicere vellet, armis se * ob propulsurum promittit. Quibus Karolus credulus* XXXVIII. BERNARDUS SEPTIMANIÆ DUX REUS MAJESTATIS, JUSSU CAROLI R. CAPITALEM SENTENTIAM SUBIT IN AQUITANIA.

** Locus mutilus.

AN. CH. 844. LOTHAR. IMP. 28. LUDOV. SEN. R. 28. CAROLI R. 15. LUDOV. JUN. R. 1.

effectus ditatum muneribus & gratiâ in societatem amicitiæ suscepit, & ut Pippinum ac suos, uti promiserat, subditos sibi efficere temptaret, direxit. Promissis haud stetit. Eodem enim anno, VII *Kalend. Julii*, quando commissa est ad Fontanetum atrox pugna, in qua Lotharius ac Pippinus contra Ludovicum & Carolum dimicuerunt, *quamquam à loco prælii plùs minùs leuvas tres defuerit, neutri parti in hoc negotio supplementum fuit.* Hoc usus consilio, nec placuit Pippino cujus auxilio defuit, nec animum placavit Caroli pro quo noluit pugnare. *Victoriam autem ut Karoli esse didicit, filium suum Willelmum ad illum direxit, &, si honores, quos idem in Burgundia habuit, eidem donare vellet, ut se illi commendaret, præcepit. Insuper jactabat se posse, necnon & aiebat, quòd Pippinum unà cum suis Karolo fœdere quo valeret subdere vellet. Quam Legationem benignè excepit, & sicut postulaverat per omnia concessit, monens ut de Pippino & suis, quod promiserat, in quantùm posset, ut perficeretur, operam daret.* Anno Redemptoris octingentesimo quadragesimo-secundo, *mediante Junio, feriâ videlicet quintâ*, seu die Junii decimo-quinto, *propter civitatem Madasconis* * *in Insula, Lodharius, Lodhuwicus & Karolus* convenerunt, sequenti die *pacificè* discesserunt Conventu *in Kal. Octobris* condicto. *Karolus in Aquitaniam* profectus *Pippinum fugavit, quo latitante nihil aliud notabile efficere valuit, præter quòd Warinum quendam Ducem ceterósque, qui sibi fidi videbantur, ob custodiam ejusdem patriæ inibi reliquit. Insuper Comes Tolosæ* (is est Bernardus de quo loquimur) *à Pippini sociis, qui ad se perdendum missi fuerant, quosdam in insidiis cepit, quosdam stravit.* Hæc ex Nitardo [a] descripta sunt. Ineunte igitur anno Redemptoris octingentesimo quadragesimo-tertio Bernardus in amicitia nec Pippini nec Caroli fuit. Abhinc cùm neutri se summitteret, res novas moliri visus est in sua Præfectura, quæ partem Aquitanici Regni non ignobilem, Comitatum videlicet Tolosanum, Ducatum Septimaniæ, regionésque Franciccæ ditionis in Hispania Pyrenæos montes inter ac Rubricatum fluvium sitas amplectebatur. *Mense Augusto*, ut Annalista Metensis testatur, Lotharius, Ludovicus & Carolus paternum Regnum *inter se* diviserunt nullâ Pippini mentione factâ. Carolus, cui præter Marcam Hispanicam, cujus Australis limes Rubricatus amnis, in sortem per Gallias obvenerat, quicquid Pyrenæis jugis, Oceano, Scaldi, Mosâ, Arari, Rhodano, & mari mediterraneo cingitur, statim cum copiis in Aquitaniam contra Pippinum, deinde in Britanniam contra Nomenoïum pertexit. Bernardus in sua mansit perfidia Carolo Pippinóque semper exosus, tanti támque diuturni flagitii pœnas tandem luit, cùm enim securitati suæ non satis consuleret, sub initium anni post Christum natum octingentesimi quadragesimi-quarti captus est à Caroli militibus, ejúsque *jussu*, ut Annalista Bertinianus asserit, *Francorum judicio, in Aquitania capitalem sententiam subiit.* Illum sicut innocentem à calumnia sæpè sub Ludovico Pio vindicavimus, ita sub Carolo Ludovici filio reum Majestatis & capitali sententiâ jure damnatum fatemur.

* *Mascon.*

[a] *Li. 2. 3. 4.*

XXXIX. WILLELMUS BERNARDI FILIUS NATU MAJOR INTERCEPTA TOLOSA MORTEM PATRIS ULTURUM SE JACTAT.

Ex uxore Dodana duos reliquit filios, quos suprà jam memoravimus; Willelmum, qui natus est tertio Kalendas Decembris anno Redemptoris octingentesimo vicesimo-sexto, & Bernardum, qui lucis usuram accepit undecimo Kalendas Aprilis anno Redemptoris octingentesimo quadragesimo-primo, nec adhuc per Baptismum regeneratus erat quarto Nonas Februarias anno Redemptoris octingentesimo quadragesimo-secundo, cùm finem imposuit suo Manuali Dodana. Willelmus, cùm patrem amisit, annum ætatis duodevicesimum agebat, interceptâ Tolosâ Caroli Regis hostem se dixit, & Pippini fultus auxilio mortem patris ulturum se jactavit. Hanc obsidionis Tolosanæ causam fuisse jam asseruit Guillelmus Catellus in Historia Linguodochiana [b]. Carolus enim periculum ratus in mora, cum copiis in Comitatum Tolosanum advolavit, obsessâque mox Tolosâ substitit in Monasterio Sancti Saturnini tunc extra civitatem posito,

CAROLUS R. OBSIDET TOLOSAM, ET VARIA DAT PRÆCEPTA IN COENOBIO S. SATURNINI.

[b] *Lib. 3. c. 3.*

ibique complura Præcepta per menses Maium & Junium pro multis Ecclesiis ac Cœnobiis emisit. AN. CH. 844.

LOTHAR. IMP. 28. LUDOV. SEN. R. 27. CAROLI R. 15. LUDOV. JUN. R. I.

XL. PRO MON. S. PETRI BISULDUNENSIS.

Quinto Idus Maias hoc dedit Diploma pro Monasterio Sancti Petri Bisuldunensis in Diœcesi Gerundensi. *In Nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. Karolus gratiâ Dei Rex. Si petitionibus servorum Dei justis & rationabilibus aurem Celsitudinis nostræ accommodamus, & eorum suggestiones, quas nobis pro necessitate sua insinuaverint, ad effectum perduxerimus, non solùm in hoc Regiam exercemus consuetudinem, sed etiam ad æternæ retributionis mercedem nobis talia facta profutura confidimus. Idcirco noverit sagacitas seu utilitas omnium fidelium tam præsentium quàm & futurorum, qualiter Religiosus vir Domnulus Abba ex Monasterio Sancti Petri, quod ipse in pago Bisuldunense super fluvium Sambuga unà per licentiam Ramponi Marchionis propriis manibus construxit, ad nostram accedens Clementiam, deprecatus est nos, ut prædictum locum ei concederemus, atque more Regio ipsum sibique commissos supradictúmque Monasterium cum Cellulis ibidem aspicientibus, quæ nuncupantur sic, in loco qui dicitur Ceresius Ecclesia in honore Sancti Michaelis Archangeli novo opere constructa, & in altero loco qui dicitur Casa Mauri Ecclesia in honore Sancti Romani constructa, seu & villares, Albinianum scilicet & Buscariolas, omnibúsque rebus & hominibus eidem Monasterio justè legalitérque pertinentibus, sub defensionis nostræ tuitione immunitatísque munimine recipere dignaremur. Cujus petitionibus clementer annuimus, prædictúmque Monasterium sub nostra defensionis munimine recipimus. Quin etiam hoc Excellentiæ nostræ Præceptum fieri jussimus, per quod præcipimus atque jubemus, ut nullus Judex publicus vel quislibet ex Judiciaria potestate in Ecclesias aut loca vel agros seu reliquas possessiones memorati Monasterii, quas moderno tempore infra ditionem Regni nostri justè & rationabiliter possidet, vel quæ deinceps aut per nos aut per alios quosque fideles ac Deum timentes in jure ipsius sancti loci voluerit Divina pietas augeri, ad causas audiendas, vel freda exigenda, aut mansiones vel paratas faciendas, necnon & fidejussores tollendos, aut homines ejusdem Ecclesiæ tam ingenuos quàm & servos super terram ipsius commanentes distringendos, nec ullas redibitiones aut inlicitas occasiones requirendas nostris nec futuris temporibus ingredi audeat, vel ea, quæ suprà memorata sunt, penitus exigere præsumat. Sed liceat jam dicto Domnulo Abbati suísque successoribus res prædictæ Ecclesiæ absque alicujus impedimento aut minoratione sub immunitatis nostræ defensione quieto ordine possidere, & quicquid exinde fiscus sperare poterat, totum nos pro æterna remuneratione eidem Ecclesiæ concedimus, ut in alimonia pauperum & stipendia servorum Dei ibidem Deo famulantium proficiat in augmentum. Et quandoquidem divinâ vocatione supradictus Abba vel successores ejus de hac luce migraverint, quandiu ipsi Monachi inter se tales invenire potuerint, qui ipsam Congregationem secundùm Regulam Sancti Benedicti regere valeant, per hanc nostram auctorisatem licentiam habeant ex se eligendi Abbatis, quatenus eos pro nobis atque stabilitate Regni nostri jugiter Dei misericordiam exorare delectet. Hac verò auctoritas ut omni tempore inviolabilis valeat permanere, manu propriâ subter eam firmavimus, & annuli nostri impressione signari jussimus. Signum Karoli gloriosissimi Regis. Deormarus Notarius ad vicem Hludovici recognovi. Data v Idus Maii, Indictione VII, anno IIII regnante Karolo gloriôso Rege. Actum in Monasterio Sancti Saturnini prope Tolosam in Dei nomine feliciter. Amen.* Hoc diploma Staphanus Baluzius in Appendice [a] veterum Actorum post Notas ad Capitularia ex Archivo Arulensis Monasterii descripsit.

[a] Act. 61.

XLI.

Decimo-quarto Kalendas Junii Carolus pro quibusdam Hispanis in Comitatu Biterrensi degentibus Præceptum dedit, quod Catellus in Historia [b] Linguodochiana & Baluzius in Appendice [c] veterum Actorum nuperrimè laudata sic ediderunt. *In Nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis, Karolus gratiâ Dei Rex. Cùm clamoribus pauperum aurem Celsitudinis nostræ accommodantes benignum assensum præbemus, &c. Idcirco notum sit omnibus Sanctæ Dei Ecclesiæ fidelibus & nostris, præsentibus atque futuris, quia quidam Hispani in Co-*

[b] Lib. 3. c. 3.
[c] Act. 59.

AN. CH. 844.

mitatu Biterrensi consistentes, ac in nostra proprietatis prædiis commanentes, id est, Ranemirus & Hansemundus, Presbyter[1] *Aurifolio, Elias Mirabilis, Presbyter*[2] *Cicila, dum obsideremus Tolosam, & moraremur in Monasterio Sancti Saturnini, adeuntes Serenitatis nostræ fastigia, innotuerunt Mansuetudini nostræ, qualiter Ildericus & Petrus, seu*[3] *Ermenisilus, &*[4] *quamplures eorum propinqui, & progenitores eorum confugerint in villas*[5], *quæ dicuntur Aspirianus*[6] *& Albinianus*[7], *& eas*[8] *justè tenerent, & quasi proprietario jure possiderent*[9]. *Quas siquidem aprisiones præfatorum Hispanorum progenitores per licentiam seu concessionem avi nostri Karoli, ac post obitum illius, genitoris Augusti Ludovici, ex deserti squalore habitabiles, frugumque uberes proprio labore fecerunt. Quam denique rationem, de more Regali, fidelibus nostris venerabilibus, hoc est Notoni Archiepiscopo* Arelatensi, *necnon & Elmerado sacri Palatii nostri Comiti, Sunnefrido*[10] *etiam Marchioni* Gothiæ, *& Sumario*[11] *Comiti Barcinonensi diversisque Nobilibus nostris, omnimodis investigare decrevimus, &c. Jubemus ut ab hodierna die & tempore nulli*[12] *hominum liceat eisdem Hispanis, posteritatique eorum, vel*[13] *ipsis qui posteà ad eorum fidem venerint, aliquando de dictis aprisionibus sive hæreditatibus, id est, de domibus, vineis, terris, hortis, in præscriptis villis consistentibus, aliquam inferre calumniam, aut ullam facere contradictionem, sed sicut à progenitoribus magnisque*[14] *Imperatoribus, parentibus eorum constat esse concessum, ita ipsi & filii filiorum suorum usque in seculum cum omni securitate ipsas res teneant atque possideant, & sub mundiburdio*[15] *nostræ defensionis contra omnium infestationes semper consistant. Sed si etiam ex ipsis aliquis absque filiis & nepotibus mortuus fuerit, volumus, atque per hanc nostram auctoritatem concedimus, ut eadem res*[16] *ad proximiores suos parentes revertantur, licentiamque inter se vendendi &*[17] *concambiandi plenissimè habeant. Hac autem magnificentiæ*[18] *& auctoritatis nostræ documenta ut meliorem semper obtineant vigorem, de anulo nostro subter commisimus sigillari. Dermarius*[19] *Notarius ad vicem Ludovici recognovit. Data* XIV. *Kal. Junii, Indictione septimâ, anno quarto regnante Karolo Glorioso Rege, in Monasterio Sancti Saturnini, dum obsideretur*[20] *Tolosa, in Dei nomine feliciter. Amen.* In hoc Diplomate, Notônem Archiepiscopum cujus Sedes reticetur, Arelatensem Archiepiscopum diximus, quia ejusdem nominis alius per illud tempus haud occurrit Archiepiscopus, atque inde observa in Regno Caroli fuisse Arelatum, quamvis sinistræ Rhodani ripæ adsideret, ideóque ad Lotharii sortem pertinere videretur. In eodem Diplomate Sunefridum Marchionem interpretati sumus Marchionem Gothiæ, nec aliter in Historia Ducum[a] Narbonensium jam censuit Bessus, in Præfectura enim Gothiæ proximum Bernardi successorem sub Titulo cùm Marchionis tum Comitis limitanei scilicet, eundem agnovit Sunefridum, quem aliis quoque nominibus Humfridum, Jamfredum, Umfredum, & Wifredum promiscuè vocari non dissimulavit. Denique in prædicto Diplomate Sumario Comiti locum inter Comites Barcinonenses tribuimus, quia Bessus ut Bernardo Sunefridum in Marcha Gothiæ sic Aledrannum in Comitatu Barcinonensi subrogat, additque non deesse qui Sumarium Aledranno proximè sufficiant; nihil autem vetat quominùs in Comitum Barcinonensium Catalogo Sumarium sequatur Aledrannus, de quo sermonem suo loco faciemus. Tripertita fuit Bernardi Præfectura, constabat enim Ducatu Gothiæ seu Septimaniæ duobusque Comitatibus Tolosano videlicet ac Barcinonensi. Carolus è re sua duxit, ut uni viro non ampliùs committeretur tot provinciarum administratio. Quapropter post Bernardi mortem Sunefridum Septimaniæ, Barcinonæ Sumarium præfecit, nec dubium quin & Comitem Tolosatibus imposuisset, nisi Tolosam occupasset Willelmus Bernardi filius. Quid autem sit aprisio sive apprisio vel adprisio, dictum est Tomo[b] superiore ad aliud Præceptum pro iisdem Hispanis ob Saracenorum metum in Franciam confugientibus.

[1, 2] Catell. *Presbyter*
[3] Baluz. *seu Emensilus*
[4] Collect. deest &
[5] Baluz. *villis.*
[6, 7, 8] Catell. *Aspirianu & Albinianu injustè tenerent.*
[9] Baluz. deest *possiderent.*
[10] Baluz. *Sunnefrido*
[11] Baluz. *Sunario*
[12] Baluz. *nullum*
[13] Baluz. &
[14] Catell. *magnis quoque*
[15] Baluz. *munburdo*
[16] Baluz. *res proximioribus suis parentibus*
[17] Catell. deest &
[18] Baluz. *magnificentia nostra auctoritas ut meliorem semper obtineat vigorem. de anulo nostro subter jussimus sigillari.*
[19] Catell. *Deronnamitus*
[20] Catell. *obsideremus Tolosam*
[a] Cap. 11.
[b] Ad an. 815. n. 2.

XLII. PRO MON. S. LAURENTII.

Decimo-tertio Kalendas Junii Carolus pro Monasterio Sancti Laurentii

in Diœcesi Narbonensi posito Præceptum emisit, quod à Stephano Baluzio in Appendice [a] prælaudata sic editum reperies ex Archivo Grassensi. *In Nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. Karolus gratiâ Dei Rex. Si ea, quæ edictis Imperialibus Domni & Genitoris nostri Ludovici Piissimi Augusti largita vel roborata sunt atque decreta, nostra mansuetudinis Præcepto firmamus, Regiam consuetudinem exercemus. Idcircò notum fieri volumus omnium & fidelium nostrorum præsentium scilicet & futurorum sollertia, quia sicut in Præcepto jam dicti Domni & Genitoris nostri continetur, Immunitatis defensionem atque tuitionem Monasterio Sancti Laurentii, quod situm est in pago Narbonensi supra fluvium Rigella, David Abbati suisque successoribus, necnon & Monachis in eodem Monasterio consistentibus, cum Cella quæ dicitur Caucana, quæ est super littus maris, necnon cum rebus quas idem David super Trasdarium & Theoderedum coram Missis sæpedicti Domni ac Genitoris nostri conquisierat, id est, Ecclesiam Sancti Marcelli & Sanctæ Mariæ & Sancti Felicis, & omnibus quæ in judicio exinde evindicato & Præcepto ex eadem re firmato continentur, seu etiam cum Cella nova sub honore Sanctæ Mariæ constructa in pago Carcassense cum omnibus ad se pertinentibus, sicut in Præcepto Fratris nostri Pippini exinde continetur, necnon & cum portu secus Monasterium in maris littore sito, per hoc Clementiæ nostræ firmamus edictum, per quod constituimus atque decernimus, ut sæpè fatum Monasterium, & in eo regulari ac Monasterio ordine viventes, cum omnibus ad se pertinentibus .... possidere videntur, vel quæ de cetero à Deum timentibus hominibus ad idem collatum fuerit Monasterium, sub nostra successorúmque nostrorum tuitione in perpetuum maneat, quatenus nullus judex publicus, neque quislibet ex judiciaria potestate, aut ullus fidelium nostrorum tam præsentium quam futurorum, Cellas aut Ecclesias vel loca sive agros vel reliquas possessiones, quas nunc vel in postmodum in quibuslibet pagis & territoriis possident vel possessuri sunt, ad causas audiendas, vel freda exigenda, aut mansionaticos vel paratas faciendas, aut fidejussores tollendos, hominesque distringendos, vel quascumque redibitiones aut inquietudines agendas, nostris nec futuris temporibus ingredi audeat, nec ea, quæ suprà memorata sunt, penitus exigere præsumat; sed liceat memorato Abbati suisque successoribus res ejusdem Monasterii cum omnibus ad se pertinentibus sub tuitionis atque immunitatis nostræ defensione, remotâ totius judiciariæ potestatis inquietudine, quieto ordine possidere. Concedimus etiam ut homines liberi commanentes infra terminos & super terram ejusdem Monasterii terras, quas per licentiam Abbatis & Monachorum ex heremo traxerunt & incoluerunt, quietè possideant; ita tamen ut congruum obsequium, sicut homines ingenui, exinde eidem Monasterio exhibeant. Hi verò liberi homines, qui in congruentia sæpè fati Monasterii de sua proprietate terras & vineas aut molendina habent, concedimus ut ad idem Monasterium ea vendant vel commutent, & ipsa emptio vel commutatio plenissimam præsenti nostræ auctoritatis edicto in omnibus firmitatem habeat. Quandoquidem autem Abbas ipsius Monasterii ab hac luce migraverit, quamdiu ipsi inter se tales invenire potuerint, qui ipsam congregationem secundùm Regulam Sancti Benedicti regere & gubernare valeant, per hanc nostram authoritatem licentiam habeant ex semetipsis Abbatem eligere: quatenus ipsi servi Dei, qui ibidem Domino famulantur, pro nobis & stabilitate Regni nostri, Domini misericordiam exorare delectet. Et ut hæc auctoritas nostris successorúmque nostrorum temporibus inviolabilem obtineat firmitatem, manu propria eam subter firmavimus, & anuli nostri impressione signare decrevimus. Signum Karoli Gloriosissimi Regis. Jonas Diaconus ad vicem Hludovici recognovit. Data XIII Kalendas Junii, Indictione VII, anno quarto regnante Karolo Gloriosissimo Rege. Actum in Monasterio Sancti Saturnini prope Tolosam in Dei Nomine feliciter. Amen.*

AN. CH. 844. LOTHAR. IMP. 28. LUDOV. SEN. R. 28. CAROLI R. 15. LUDOV. JUN. R. 1.

[a] Act. 65.

Nonis Junii Carolus pro Teodtfredo, qui degebat in Septimania, Regium dedit Præceptum, quod idem Baluzius [b] ex Archivo Narbonensi sic publicavit. *In Nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. Karolus gratiâ Dei Rex. Si fidelium nostrorum petitionibus benignum commodamus assensum, Regiam exer-*

XLIII. PRO TEODTFREDO.

[b] Act. 60.

AN. CH. 844. LOTHAR. IMP. 28. LUDOV. SEN. R. 28. CAROLI R. 15. LUDOV. JUN. R. 1.

cemus consuetudinem, & hoc postmodum jure firmissimo mansurum esse volumus. Idcircò notum sit omnibus Sanctæ Dei Ecclesiæ fidelibus & nostris, præsentibus atque futuris, quia quidam fidelium nostrorum Regni Septimaniæ, Vassus noster, nomine Teodsfredus, nostris obtulit obtutibus auctoritatem avi nostri Karoli, quâ continebatur, qualiter patri suo, nomine Johanni, præscriptus bonæ memoriæ avus noster Karolus concesserat villarem ad laborandum, qui vocatur Fontes, cum omni integritate sua, & quantumcumque ille in Fontejoncosa de heremi vastitate traxit cum suis hominibus. Ostendit etiam nobis epistolam Domni & Genitoris nostri Hludowici Piissimi Augusti ad Sturmionem Comitem directam, ut prædictam villam, id est, Fontes, memorato Johanni absque ullo censu & inquietudine habere dimitteret. Propter quam epistolam avus noster Karolus, ut in sua auctoritate continetur, illi fieri jussit hoc. Unde & prædictus fidelis noster nostram deprecatus est misericordiam, ut nos denuò prædictam villam, quemadmodum Domnus avus noster Augustus ac Serenissimus Augustus genitor noster patri suo per eorum literas confirmaverunt, nos denuò illi cum sua integritate vel termino confirmare dignaremur. Quapropter & has literas nostras illi fieri jussimus, per quas volumus atque firmamus, ut prædictus qui modernò habet fidelis noster Teodisfredus, sæpedictam villam Fontes perpetuò tenere, habere, & absque ullius inquietudine possidere ..... Et condono tibi quid pater tuus, aut Wilimirus avunculus tuus, aut homines illorum in villa Fontejoncosa habuerunt per aprisionem cultum vel inculsum ...... tu fecisti sive feceris cum homines tuos, absque paratas aut veredos, & habeas, necnon posteritas tua, absque censu. Et ut hæc auctoritas confirmationis nostræ firma valeat permanere, de anulo nostro subter eam jussimus sigillari. Jonas Diaconus ad vicem Hludowici recognovit & subscripsit. Data Non. Jun. anno IIII. Indictione VII. regnante Karolo Gloriosissimo Rege. Actum in Monasterio Sancti Saturnini prope Tolosam, in Dei nomine feliciter. Amen.

XLIV. Duces Carolini vincuntur a Pippininis in agro Inculesmensi.

Septimo Idus Junii pugnatum est in agro Inculismensi. Profligatis Caroli Ducibus victoria penes Pippininos stetit. Diem notat Annalista Fuldensis, sic enim ad hunc annum scribit. *Pippini Duces Karli exercitum superant VII Id. Junii, in quo prælio ceciderunt Hugo Abbas patruus Karli & Ribboto Abbas, Raban quoque signifer cum aliis multis ex Nobilibus.* Habet eadem Annalista Metensis, plura verò Bertinianus, sic. *Pippinus Pippini quondam Regis filius, exercitui ex Francia ad Carolum Tolosam civitatem obsidione vallantem properanti in pago Ecolesimo occurrens, ita brevi & absque suorum casu profligavit, ut primoribus interfectis ceteros fugam etiam ante congressum ineuntes, vix paucis evadentibus, aut caperet, aut spoliatos sacramentóque adstrictos ad propria redire permitteret. Quâ inopinatâ congressione Hugo Presbyter & Abbas, filius Caroli Magni quondam Imperatoris, & frater Hludowici itidem Imperatoris, patruúsque Lotharii, Lodoici, & Caroli Regum, necnon Richboto Abbas & ipse consobrinus Regum, nepos videlicet Caroli Imperatoris ex filia; Eckardus quoque & Ravanus Comites cum aliis pluribus interfecti. Capti verò, Ebroinus Pictavorum Episcopus, Ragenarius Somarobricæ Ambianorum Episcopus, & Lupus Abbas, ac filii Eckardi Comitis duo; item Lokardius, Guntardus, & Richuinus Comites; Engilwinus etiam, aliique non pauci Nobilium.*

XLV. Hugo duorum Monasteriorum Abbas fuit, Sancti videlicet Quintini ab anno Redemptoris octingentesimo tricesimo-tertio, & Sancti Bertini ab anno Redemptoris octingentesimo tricesimo-quarto. Vixit annos sex ac triginta. Perperam Abbas Novaliciensis ac Sam-Medardensis à plerisque fingitur, quos suis fabulis Auctor Chronici Novaliciensis decepit. Lege Tomo sexto quæ scripta sunt de Abbatibus Novaliciensibus ad annum Christi septingentesimum undenonagesimum [a]. Illo anno florebat Abbo Novaliciensis Abbas. Abboni successit Sanctus Frodoinus seu Froidinus, qui, teste Francisco Augustino ab Ecclesia [b], Monasterium annis tribus ac quadraginta gubernavit. Sanctum Frodoinum excepit Amblulphus, tum Eldradus qui post annum Redemptoris octingentesimum quadragesimum-quartum

[a] Num. 197.
[b] Cap. 16.

AN. CH. 844. LOTHAR. IMP. 28. LUDOV. SEN. R. 28. CAROLI R. 15. LUDOV. JUN. R. 1.

quartum superstes vixit. Abbas igitur Novalisiensis haberi non debet Hugo. Qui Sam-Medardensem Abbatem vocant [a], illum anteponunt Hilduino, Abbatémque agnoscunt *circa an. 806*, manifesto prorsus errore, quia lucis usuram biennio pòst accepit anno Redemptoris octingentesimo octavo. Prætereà quæ suprà de Hilduino, de Agobardo, iterum de Hilduino, & de Rodulpho dicta sunt, Hugoni nullum in Abbatum Sam-Medardensium Catalogo locum relinquunt. In Historia [b] Genealogica Domûs Francicæ, Sammarthani volunt Hugonem Vedastinum etiam Abbatem extitisse, sed Abbas Raddo Monasterium Vedastinum ab anno Christi septingentesimo nonagesimo-quinto ad octingentesimum decimum-quintum rexit, & qui proximè successit Adalungus vitam post annum Redemptoris octingentesimum quadragesimum-quartum produxit. In eadem Historia [c] Genealogica citantur Auctores, in quorum opinione Hugo uxorem ac liberos habuisse perhibetur, at hi Scriptores ætatem ac Sacerdotium Hugonis haud satis attenderunt. Hugo, cùm natus esset annos duntaxat decem, factus est Clericus, atque in Monasterio Clericorum diu degit, posteà promotus est ad Presbyteratum, & munus Abbatiale gessit in Ordine Canonico. Duobus tantùm Monasteriis præfuit, & à Ferreolo Locrio in Chronico Belgico rectè nuncupatur *Sancti Quintini in Viromanduis & Sancti Bertini in Sithiensibus Antistes*. In Augusta [d] Viromanduorum Illustrata, Claudius Himeræus ex Regesto San-Quintiniensi Chartam allegat, in qua *Hugo Abbas Sophisticus* appellatur, id est, sapientiæ literarúmque cognitione præcellens, eóque titulo distinguitur ab Abbaribus laicis seu conjugatis. Errat apud eundem Himeræum quisquis de ipso Hugone scribit, quòd *longo tempore fratribus omnibus supervixit*, Drogo enim Metensis Episcopus multò seriùs obiit. Quæ de Hugone apud Sanctum Medardum sepulto & Miraculis post mortem claro circumferuntur, hausta sunt ex Chronico Novalisiensi, quod in hac parte nullius est auctoritatis. Himeræus Chartam laudat, in qua refertur Hugo *multiplicia dona in Ecclesiam Sancti Quintini* contulisse; laudat & Auctorem, qui Hugonem quiescere testatur *in Cœnobio Elnonensi apud Sanctum Amandum*. Hugoni successit Adalardus in regimen Monasterii Sitivensis seu Bertiniani. Manet autem incompertum, quis Cœnobio Sancti Quintini post eundem Hugonem præfuerit.

[a] Tom. 4. Gall. Christ.
[b] Lib. 7. c. 2.
[c] Lib. 11. c. 1.
[d] Lib. 2. a. 825.

Richboro seu Ribhoto vel Ribbodo, qui mortem cum Hugone oppetiit in prælio contra Pippini Duces inito, Centulensis erat Abbas. Hariulfus istius Monasterii Chronographus caput septimum libri sic orditur. *Anno Dominicæ Incarnationis* DCCCXLIV, *regnante Karolo, anno* IV, *Indict.* VII *, *Præsule Romana Ecclesiæ Sergio Papâ, Ribbodone Centulensi defuncto Abbate, ejusdem Cœnobii curam suscepit gloriosus vir Ludovicus, tam divinâ quàm seculari prudentiâ ornatus.* Ribbodo Caroli Magni nepos fuit ex filia, cujus nomen Auctor Annalium Bertinianorum suprà citatus reticuit. Hanc ex Himiltrude vel ex Hildegarde natam arbitramur, ceterarum enim filiarum, quas idem Carolus habuit, ætas haud ita benè congruit. Lege quæ sparsim de singularum ortu scripta sunt Tomis, quinto, sexto, & septimo, ac conglobatim Tomo septimo ad annum Redemptoris octingentesimum-sextum [e]. Ludovicus, qui Ribbodoni successit, Abbas jam erat Dionysianus ab anno Redemptoris octingentesimo quadragesimo-secundo, sive ab obitu Hilduini decessoris; erat & Caroli Magni nepos ex Rotrude filia, ut scribit Annalista Bertinianns [f]. Laudatur in Chronico Centulensi [g], *quòd ex Regali prosapia oriundus fuit, & nobilitatem præclari generis in nobilitatem transtulit religionis.* Hoc de Abbate Dionysiano simul & Centulensi sæpè sermonem habebimus. XLV.

* Edit. VI.
[e] Num. 32.
[f] Ad an. 867.
[g] Lib. 3. c. 7.

Eodem prælio vitam Hugo & Ribbodo Abbates; libertatem amiserunt Ebroinus Pictavensis Episcopus & Caroli Regis Archicapellanus, Raganarius Ambianensis Episcopus, & Lupus Abbas Ferrariensis, sed hi paulò XLVI.

AN. CH. 844. pòst à Pippino dimissi sunt, ut constat de Ebtoino, qui Vernense Concilium hoc eodem anno, ut infrà dicturi sumus, mense Decembri cum aliis Præsulibus celebravit.

XLVII. CAROLUS R. URGET OBSIDIONEM TOLOSANAM, EDITQUE VARIA DIPLOMATA.

Carolus auditâ suorum clade Tolosanam obsidionem magis urgere cœpit, ídque patet ex ejus Diplomatibus in Monasterio Sancti Saturnini datis, quinto Idus Junii, tertio ac pridie easdem Idus, necnon duodecimo Kalendas Julii & septimo easdem Kalendas. De singulis per ordinem agemus.

Quinto Idus Junii. Carolus pro Monasterio Sanctæ Gratæ in Urgellensi Diœcesi constituto Præceptum emisit, quod Baluzius ex Archivo Urgellensis Ecclesiæ sic publicavit [a]. *In Nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis.*

XLVIII. PRO S. GRATÆ MON. DIOECESIS URGELLENSIS.

Karolus gratiâ Dei Rex. Si illius amore, cujus munere ceteris mortalibus prælati sumus, petitionibus servorum Dei justis & rationabilibus annuimus, & loca divino famulatui consecrata congruis munificentiæ nostræ beneficiis ad divinum cultum uberiùs exequendum opem ferimus, præmium nos à Domino remunerari fideliter credimus. Igitur notum esse volumus cunctis Sanctæ Dei Ecclesiæ fidelibus & nostris, præsentibus atque futuris, quia Geila Venerabilis Abba ex Monasterio, quod dicitur Sancta Grata, quod est situm super fluvium Bosegia, constructum siquidem in honore Sanctæ Dei Genitricis Mariæ, nostris obtulit obtutibus auctoritatem Domni & Genitoris nostri Hludowici Serenissimi Augusti, quâ continebatur, qualiter prædictum Monasterium, cum Cellula sibi subjecta, quæ dicitur Sancti Fructuosi, & villa quæ dicitur Serras, cum suo terminio, Possedonius Episcopus de Heremi vastitate ad cultum frugum perduxisset. Et postmodum veniens in memorati Genitoris nostri præsentiam, prædictum Monasterium contulit, ut sub defensione atque mundeburdo Piissimi Genitoris nostri consisteret, & perpetuò ibidem Domino Monachi famularentur, ita ut nullius ditioni subditi essent nisi solius Dei, & semper sub defensione atque immunitate Regis consisterent. Unde & memoratus Augustus ob deprecationem Matfridi Comitis prædictique Episcopi Possedonii, prædictum Monasterium per Immunitatis suæ Præceptum sub sua defensione atque protectione suscepit. Quapropter suprascriptus Abba Geila nostram deprecatus est Clementiam, ut nos denuo prædictum Monasterium cum Monachis ibidem Deo famulantibus, & cum omnibus rebus, quascunque, sicut diximus, ipsi de heremo traxerunt, sive quorumlibet Religiosorum hominum Deúmque timentium hominum illuc contulerunt, ibidem justè legaliter pertinentibus, sub nostra tuitione atque defensione recipere dignaremur. Propterea has nostræ auctoritatis literas prænominato Abbati suísque Monachis ex prædicto Monasterio fieri jussimus, per quas fidelibus nostris notum fieri volumus memoratum Monasterium cum præfata Cella & eorum omnibus appendiciis vel cunctis rebus, sicut Domni & Genitoris nostri fuit, nostrum proprium esse, & sub nostra semper defensione atque tuitione consistat; ut nullus Episcopus aut Comes vel Missus discurrens ibi aliquam dominationem aut potestatem exerceant, nisi quemadmodum Canonica auctoritas jubet, nec aliquam redibitionem aut inlicitam occasionem illis inferre præsumat. Et ideò quia præfatum Monasterium, sicut sub potestate Domni & Genitoris nostri consistere visum est, modò sub nostra tuitione esse dinoscitur, concedimus Monachis sub Sancta Regula ibidem degentibus, ut post præfati Abbatis successorúmque ejus discessum licentiam habeant eligendi Abbatem, qualiter ibidem Deo militantes securiùs & quietiùs sub Monastica vita degentibus pro nobis & conjuge proléque nostra Domini misericordiam adtentiùs exorare valeant. Et ut hæc auctoritas per curricula annorum inviolabilem atque inconvulsam obtineat firmitatem, & à fidelibus Sanctæ Dei Ecclesiæ & nostris veriùs certiúsque credatur & meliùs conservetur, de anulo nostro subter jussimus sigillari. Signum Karoli Gloriosissimi Regis. Jonas Diaconus ad vicem Hludowici recognovit & subscripsit. Data V Idus Junii, anno IIII, Indictione VII, regnante Karolo Gloriosissimo Rege. Actum in Monasterio Sancti Saturnini prope Tolosam, in Dei Nomine feliciter. Amen. Hujus Præcepti fragmentum ad annum Redemptoris octingentesimum tricesimum-sextum [b] jam recitavimus.

[a] Act. 61.

[b] Num. 51.

AN. CH. 844. LOTHAR. IMP. 28. LUDOV. SEN. R. 28. CAROLI R. 15. LUDOV. JUN. R. 1.

Qui Baluzio Possedonius est, in Urgellensium Episcoporum Catalogo Possiderius appellatur. Hic annuum gessit Pontificatum, &c, ut suo loco diximus, successorem nactus est Florentium, qui superstes erat in vivis, quando Carolus Rex Ludovici patris Præceptum altero Diplomate pro Monasterio Sanctæ Gratæ confirmavit.

XLIX. PRO ECCLESIA GERUNDENSI,

Tertio Idus Junias idem Carolus pro Ecclesia Gerundensi Præceptum dedit, quod Baluzius [a] ex Archivo ejusdem Ecclesiæ sic in lucem emisit. *In Nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis Karolus gratiâ Dei Rex. Petitiones fidelium nostrorum, quas bonæ voluntatis intentio nostris auribus infert, tantò faciliùs nostra Clementia sunt jure facienda quantò eas nostri intellectûs judicio ac divinæ voluntatis nutu probamus minimè discrepare. Idcircò notum sit universorum Sanctæ Dei Ecclesiæ fidelium atque nostrorum tam præsentium quam futurorum magnitudini, quia Vir Venerabilis Gundemarus Gerundensis Ecclesiæ Episcopus adiens Celsitudinis nostræ fastigia, obtulit Præcellentiæ nostræ quandam Domini & Genitoris nostri Lodoici Piissimi Augusti prædecessori suo beato viro Wimaro factam præcepti auctoritatem, quâ continebatur, qualiter Domnus & Genitor noster præfatæ Sedis matrem Ecclesiam, unà cum jamdicto Antistite & omnibus rebus sibi pertinentibus, sub Immunitatis suæ tuitione defensionísque munimine clementer susceperit, & quasdam villas vel alias quascumque res à Magno & Orthodoxo Carolo Imperatore avo siquidem nostro eidem Ecclesiæ collatas denuò corroborando ipsi sacratissimo loco piissimè confirmaverit. Petiit namque Clementiæ nostræ Mansuetudinem idem honorabilis vir Gundemarus Episcopus, ut memoratam Domni & Genitoris nostri præceptionem renovantes præfatam suæ Sedis matrem Ecclesiam cum omnibus sibi pertinentibus rebus sub Immunitatis nostræ tuitione, paternum morem sequentes, recipere dignaremur, villásque & alias possessiones quaslibet, sicut dictum est, à Karolo Cæsare Augusto eidem Ecclesiæ delegatas denuò per scripti nostri auctoritatem integerrimè confirmare studeremus, atque ut omnium controversantium hominum inquietudines ex eisdem rebus penitùs excluderemus, earumdem rerum nomina ipsi Excellentiæ nostræ præcepto indere juberemus. Cujus, inquam, petitionibus clementi aure adquievimus. Quin etiam hoc reverentiæ nostræ Præceptum fieri mandavimus; per quod & eumdem Episcopum Gundemarum cum suæ Sedis matre Ecclesia omnibúsque rebus sibi aspicientibus sub nostro mundeburdo constituimus; memoratásque res à Serenissimo Augusto avo nostro Karolo ipsi Ecclesiæ condonatas, sicut à Domno & genitore nostro factum est, integerrimè confirmamus. Id est, in pago Empuritano villam quam nuncupant Olianus, & villam Cacavianum, ac villarem antiquam quem vocant Celsianum, & villam Vellosam cum suo castello & suo termino, necnon & villam quæ vocatur Farus, quam suâ voluntate & nullâ prædictæ Ecclesiæ utilitate quondam Bernardus Comes quodammodo commutando seu concambiando prænominatæ matri Ecclesiæ irreverenter subtraxerat, & in pago Gerundensi medietatem villæ Mollet, simul etiam Castellum fractum, cum villa quæ appellatur parietes Ruffini, & in pago Bisuldunensi villam quæ nominatur Baschara, cum suis villaribus; necnon & Archas, simul cum villare quem dicunt Spedulias, & aliud villare quod nominant Abdirama pariter cum aliis diversis villaribus quem appellant Terratellus, & Cassamola, ac villare Adnitton; villas etiam duas, id est, Crispiano; & in Milliarias, villa Semala. Cunctas denique res, simul cum aliis quas diversi Deum timentes homines rationabiliter suprà taxatæ matri Ecclesiæ contradiderunt, unà cum tertia parte pascuarii, telonei, mercatorúmque terræ marísque comitantium, quæ sunt Diœcesis ipsius Ecclesiæ Gerundensis, Petralatensis, sive Empuritanensis ac Bisuldunensis, sicut scriptum est, eidem plenissimè confirmamus, atque per hanc nostram auctoritatem sub immunitatis nostræ defensione integerrimè recipimus. Intereà nullius de nostrorum sagacitate latere nolumus quia ad admonitionem ejusdem Venerabilis Episcopi Gundemari, ob absolutionem peccatorum nostrorum, complacuit Clementiæ nostræ crebrò nominatæ Gerundensi Ecclesiæ prætereà quasdam res conferre seu legaliter delegare, id est, Cellulam Sancti Clementis, unà cum curtili in quo monachi ibi-*

[a] Act. 64.

AN. CH. 844. LOTHAR. IMP. 28. LUDOV. SEN. R. 28. CAROLI R. 15. LUDOV. JUN. R. 1.

dem Deo famulantes labores manuum exercere videntur, vel in quo res illorum consistunt, necnon & villas, quarum alteram nominant Fonsedictus, alteram vero Apiliares sive Apiolas, cum propriis videlicet finibus vel adjacentiis, cultis & incultis, quas etiam res, sicut & suprà nominatas, æquâ conditione sub defensionis nostræ munimine pariter recipimus, præcipientes atque jubentes, ut nullus judex publicus vel quilibet ex judiciaria potestate in Ecclesias vel loca vel agros seu reliquas possessiones memoratæ Sedis, quas moderno tempore infra ditionem Regni nostri legaliter possidet, vel quæ deinceps in jure ipsius loci sancti divina pietas augere voluerit, ad causas judiciario modo audiendas, aut freda exigenda, vel mansiones aut paratas faciendas, vel fidejussores tollendos, aut homines ipsius Ecclesiæ contra rationis ordinem distringendos, nec ullas redhibitiones aut illicitas occasiones requirendas, ullo unquam tempore ingredi audeat, vel ea quæ supra memorata sunt penitus exigere præsumat. Sed liceat memorato Episcopo suisque successoribus res supradictæ Ecclesiæ, & à nobis ei collatas seu condonatas, & alias quascunque sibi pertinentes quieto ordine possidere, & nostro Imperio fideliter parere & pro nobis, conjuge, prolèque, ac totius populi Christiani salute, Domini misericordiam jugiter exorare. Et ut hæc authoritas donationis atque confirmationis nostræ per curricula annorum inviolabilem atque inconvulsam in Dei nomine obtineat firmitatem manu propriâ subter eam firmavimus & annuli nostri impressione signari jussimus. Signum Caroli Gloriosissimi Regis. Data tertio Idus Junii, Indictione VII, anno quarto regnante Karolo Gloriosissimo Rege. Actum in Monasterio Sancti Saturnini, dum obsideretur Tolosa, in Dei Nomine feliciter. Amen. Gundemarus in Episcopatum Wimaro proximè successit, &, ut suprà jam monuimus [a], à Tamayo [b] Pondemarus in Gerundensium Episcoporum Catalogo nuncupatur.

[a] Ad an. 836. n. 51.
[b] D. 3. Sept.

L. PRO HISPANIS IN FRANCIAM PROFUGIS.

Carolus eodem die, quo Præceptum emisit pro Ecclesia Gerundensi dedit & alterum pro Hispanis, qui fugerant è ditionibus Caliphæ Cordubensis, & propter Saracenorum persecutionem in Franciam se receperant. Hoc in multis capitibus simillimum est Ludoviciano, quod Tomo superiore ad annum Redemptoris octingentesimum decimum-quintum [c] recitavimus. Locum habet inter Capitularia Caroli sub Titulo sexto. Integrum à Didaco describitur in Historia [d] Comitum Barcinonensium, ibique dicitur datum *pridie Idus Junii.* Est autem hujuscemodi. *In nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. Karolus gratiâ Dei Rex. Si ea quæ ob utilitatem Sanctæ Dei Ecclesiæ Imperialibus Edictis sunt constituta, magnificentiæ nostræ conservatione denuò instituentes corroboraverimus, ad diuturnam prosperámque Regni a Deo nobis collati stabilitatem attinere non dubitamus, quin etiam ad capescendam æternæ felicitatis beatitudinem profuturum nobis liquidò credimus. Itaque notum sit omni Sanctæ Ecclesiæ fidelium atque nostrorum, præsentium scilicet & futurorum, in partibus Aquitaniæ, Septimaniæ, sive Hispaniæ consistentium, quia progenitorum Magnorum nostrorum Orthodoxorum Imperatorum, avi videlicet nostri Karoli seu genitoris nostri Augusti Hludowici, auctoritatem imitantes, Gothos sive Hispanos intra Barchinonam famosi nominis civitatem vel Terracium Castellum quoque habitantes, simul cum his omnibus Hispanis, qui infra eundem Comitatum Barchinonæ extra civitatem quoque consistunt, quorum progenitores crudelissimum jugum inimicissimæ Christiani nominis gentis Saracenorum evitantes, ad eos ferre confugium, & eandem civitatem illorum magnâ potentiâ libenter condonarunt seu tradiderunt, & ab eorundem Saracenorum potestate se subtrahentes eorum nostræque demùm liberâ & promptâ voluntate se subjecerunt, complacuit Mansuetudini nostræ sub Immunitatis tuitione defensionisque munimine benignè suscipere ac retinere, & quod habitationem necessitatibus eorum opportunum auxilium sicut & ab illis progenitoribus eorum & ipsis constat per Imperialium apicum sanctionem concessum clementer conferre, quatenus & nostra Regalis conservatio * constructio atque innovatio in eorum benè gestis operibus exaltationi Ecclesiæ glorioso sanguine redempta & ministret augmentum & animabus eorum ac nostræ proficiat semper in emo-*

[c] Num. 2.
[d] Lib. 2. c. 4.
* *Conservatio constructa*

AN. CH. 844. LOTHAR. IMP. 28. LUDOV. SEN R. 28. CAROLI R. 15. LUDOV. JUN. R. 1.

lumentum. Igitur, sicut dictum est, ad omnium nostrorum notitiam pervenire volumus, quia eosdem homines sub protectione & defensione nostra denuò receptos, sicut in unitate fidei, sic etiam in unanimitate pacis & dilectionis conservare decrevimus, eo videlicet modo ut sicut ceteri Franci homines cum Comite suo in exercitum pergant, & in marcha nostra juxta rationabilem ejusdem civitatis ordinationem atque admonitionem explorationes & excubias, quas usitato vocabulo Guaytas dicunt, facere non negligant, & Missis, quos pro rerum opportunitate illas in partes miserimus, aut Legatis, qui de partibus Hispaniæ ad nostras missi fuerint, paratas faciant, & ad subvectionem eorum veredos donent, ipsi videlicet & illi, quorum progenitoribus, temporibus avi nostri Karoli, ad ipsum facere institutum fuit. Si autem hi, qui veredos acceperint, reddere eos neglexerint, & eorum interveniente negligentiâ perditi seu mortui fuerint, secundùm legem Francorum restituantur vel restaurentur. Ecclesiarum verò census, id est, nec pascualia infra horum terminos, vel eorum villas, nec thelonea infra Comitatum in quo consistunt, nec alia qualibet redibitio, neque à Comite neque à Junioribus aut Ministerialibus ejus deinceps ab illis ullatenus exigatur. Et nisi pro his tribus, id est, homicidio, raptu, & incendio, nec ipsi nec eorum homines à quolibet Comite aut Ministro judiciariæ potestatis ullo modo judicentur aut distringantur, sed liceat ipsis secundùm eorum legem de aliis hominibus judicia terminare. Et propter hæc tria, & de se & de eorum hominibus secundùm propriam legem omnia mutuò definire. Et si quispiam eorum in partem, quam ille ad habitandum sibi excoluit, alios homines de aliis generationibus venientes adtraxerit, & secum in portione sua, quam aprisionem vocant, habitare fecerit, utatur illorum servitio absque alicujus contradictione vel impedimento. Et, si aliquis ex ipsis hominibus, qui ab eorum aliquo adtractus est, in sua portione collocatus alium, id est, Comitis, aut Vicecomitis, aut Vicarii, aut cujuslibet hominis, Senioratum elegerit, liberam habeat licentiam abeundi. Veruntamen ex his, quæ possidet, nihil habeat, nihilque secum ferat, sed omnia in dominium & potestatem prioris Senioris plenissimè revertantur. Placuit etiam nobis illis concedere, ut quicquid de Heremi squallore in quolibet Comitatu ad cultum frugum traxerint, aut deinceps infra eorum aprisiones excolere potuerint, integerrimè teneant atque possideant, servitia tamen Regalia infra Comitatum in quo consistunt, faciant, & omnes eorum possessiones sive aprisiones inter se vendere, concambiare, seu donare, posterisque relinquere omnimodò liceat, & si filios aut nepotes non habuerint, juxta legem eorum alii ipsorum propinqui illis hæreditando succedant, ita videlicet ut quicunque successerint, servitia superiùs memorata persolvere non contemnant. Simul etiam præcipientes injungimus, ut nullus hominum de sæpè memoratis eorum aprisionibus vel villis cum propriis terminis propriisque eorum finibus & adjacentiis injustam inquietudinem illis inferre præsumat, aut aliquam minorationem contra legem facere audeat, sed liceat eis ipsis res cum tranquillitate pacis tenere & possidere, & secundùm antiquam consuetudinem ubique pascua habere, & ligna cædere, & aquarum ductus pro suis necessitatibus, ubicumque pervenire potuerint, nemine contradicente juxta priscum morem semper deducere. Si autem illi propter lenitatem & mansuetudinem Comitis sui, eidem Comiti, honoris & obsequii gratiâ, quippiam de rebus suis exhibuerint, non hoc eis pro tributo vel censu aliquo computetur, neque Comes ille, aut successores ejus, hoc in consuetudinem venire præsumat, neque eos sibi vel hominibus suis aut mansionaticos parare, aut veredos dare, aut ullum censum vel tributum aut servitium præter id, quod jam superiùs comprehensum est, præstare cogat. Sed liceat tam istis Hispanis, qui præsenti tempore in prædictis locis resident, quàm his, qui adhuc ad nostram fidem de iniquorum potestate fugiendo confluxerint, & in desertis atque incultis locis per nostram vel Comitis nostri licentiam consedentes, ædificia fecerint & agros incoluerint juxta supradictum modum sub nostra defensione atque protectione in unitate fidei & pacis tranquillitate residere, & nobis ea, quæ superiùs diximus, tam cum Comite suo, quàm cum Missis ejus pro temporis opportunitate alacriter atque fideliter exhibere. Noverint præterea iidem Hispani sibi licentiam à nobis esse concessam, ut se in

AN. CH. 844. LOTHAR. IMP. 28. LUDOV. SEN. R. 28. CAROLI R. 15. LUDOV. JUN. R. 1.

vassatium Comitis nostri sicut alii Franci homines commendent, &, si aliquod beneficium quisquam eorum ab eo, cui se commendavit, fuerit consecutus, sciat se de illo tale obsequium Seniori suo exhibere debere, quale nostrates homines de simili beneficio Senioribus suis exhibere solent. Ut autem hæ nostræ Regalis auctoritatis literæ erga eosdem Hispanos tenore perpetuo ab omnibus fidelibus Sanctæ Dei Ecclesiæ & nostris inviolabiliter conserventur, manu propriâ nostrâ eas subter firmavimus, & annuli nostri impressione signari decrevimus. Signum Karoli Gloriosissimi Regis. Deormannus Notarius vice Ludovici recognovi. Datum III Idus Junii anno quarto regnante Karolo Glorioso Rege. Actum in Monasterio Sancti Saturnini prope Tolosam in Dei nomine feliciter. Amen.

LI. PRO ECCLESIA NARBONENSI.

Duodecimo Kalendas Julii Carolus hoc emisit Præceptum, quod à Catello refertur libro quinto Historiæ Linguodochianæ in Berario Archiepiscopo Narbonensi, & à Besso in probationibus Historiæ Ducum Narbonensium subjectis. *In Nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis, Karolus Dei gratia Rex. Cùm petitionibus Sacerdotum justis & rationabilibus, divini cultûs amore, faveamus, supernâ nos gratiâ muniri non diffidimus. Idcircò notum sit omnibus fidelibus Sanctæ Dei Ecclesiæ & nostris tam præsentibus quàm futuris, quòd vir venerabilis Berarius Narbonensis urbis Archiepiscopus adiens, obtutibus nostris deprecatus est Mansuetudinem Culminis nostri, ut matrem Ecclesiam ipsius civitatis quæ est in honore Sanctorum Justi & Pastoris vel Sanctæ Mariæ semper Virginis, cum Monasterio quod dicitur Sancti Pauli Confessoris ubi ipse sanctus corpore requiescit, quod est constructum haud procul ab eadem urbe cum omnibus moderno tempore sibi subjectis sub nostra defensione & Immunitatis tuitione consistere faceremus, id est, tam illo atrio toto cum omni integritate infra Narbonam cum turribus atque earum extrinsecis adjacentiis, quàm Abbatiis, villulis vel territoriis ad eandem Ecclesiam pertinentibus. Cujus precibus, ob amorem Dei & reverentiam eorumdem Sanctorum, aurem accommodare libuit, & hoc nostræ auctoritatis, Immunitatísque Præceptum erga eandem Ecclesiam facere. Similiter autem concedimus eidem Ecclesiæ, sicuti hactenus à prædecessoribus nostris, Pipino videlicet Rege & deinceps concessum est, illi medietatem totius civitatis cum turribus & adjacentiis earum intrinsecus & extrinsecus cum omni integritate & de quocumque commercio ex quo teloneus exigitur vel portaticus, ac de navibus circa littora maris discurrentibus, necnon salinis, quicquid & Comes ipsius Civitatis exigit, pro opportunitate ejusdem Ecclesiæ in omnibus medietatem. Prætereà decernimus atque jubemus ut nemo ex judiciaria potestate, nec ullus ex fidelibus nostris in Ecclesias aut loca vel agros seu reliquas possessiones quas præsenti tempore possidet, vel ea quæ deinceps jure & potestate ipsius Ecclesiæ divina pietas voluerit augere, ad causas audiendas vel freda aut tributa exigenda, aut mansiones vel paratas faciendas, aut fidejussores tollendos, aut homines ipsius Ecclesiæ tam ingenuos quàm & servos distringendos, aut ullas redibitiones aut inlicitas exactiones requirendas, nostris aut futuris temporibus, ingredi audeat, vel ea, quæ suprà memorata sunt, penitus exigere præsumat, sed liceat memorato Præsuli suísque successoribus sub nostra defensione quietè residere, & nostra..... jussione. Et quicquid jus fisci exinde exigere poterat, totum nos pro æterna remuneratione eidem concedimus Ecclesiæ, ut perpetuis temporibus Clericis ibidem Deo servientibus proficiat in augmentum, quatenus Rectores ipsius Ecclesiæ cum omnibus ad se pertinentibus, cum Clero & populo sibi subjecto, pro nobis & conjuge proléque nostra ac totius Regni à Deo nobis per immensam Domini misericordiam concessi alacriter exorare delectentur. Et ut hæc nostra Præceptionis auctoritas à fidelibus Sanctæ Dei Ecclesiæ & nostris veriùs credatur & diligentiùs conservetur, eam manu propriâ subscripsimus, & annuli nostri impressione signari jussimus. Signum Karoli Gloriosissimi Regis. Jonas Diaconus ad vicem Ludovici recognovit. Data XII Kal. Julii, Indictione VI*. anno quarto Regni præstantissimi Regis Karoli. Actum in Cœnobio Sancti Saturnini Martyris juxta Tolosam in Dei nomine feliciter. Amen.* In hoc Diplomate Indictio septima loco sextæ reponi debet, ut probavimus suprà. Quod ad

* Lege VII.

diem attinet, Carolus duodecimo Kalendas Julias annum Regni quartum absolvit inchoavitque quintum ab obitu Ludovici patris. Jacobus Sirmondus in Notis ad ejus Capitularia servavit Indictionem sextam, ipsúmque Præceptum ad annum Redemptoris octingentesimum quadragesimum-tertium revocavit. *Ipsa est,* inquit, *epocha Tituli hujus, & anni* DCCCXLIII. *Quare Tolosa, hoc est, in Septimania seu Gothia* Carolum *tum fuisse dubium non est.* Investigabat epocham Tituli quinti seu Capitularis *apud Tolosam civitatem*, quod habitâ ratione Indictionis sextæ censuit datum mense Junio, anno Redemptoris octingentesimo quadragesimo-tertio. Sed illud Capitulare non prius editum est quàm Tolosa Carolo deditionem fecerit, nec ea civitas ante septimam Indictionem Regiam sive ante annum Redemptoris octingentesimum quadragesimum-quartum obsidione cingi cœpit, ut ejusdem Regis quamplurima docent Diplomata, quæ suprà descripsimus.

LII. Illis addemus & aliud, quod septimo Kalendas Julii datum sic habetur ex Archivo Monasterii Arulensis apud Baluzium in Appendice veterum Actorum [a] post Notas ad Capitularia. *In nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. Karolus gratiâ Dei Rex. Si erga loca divinis cultibus mancipata propter amorem Dei ejusque in eisdem locis sibi famulantes beneficia opportuna largimur, præmium nobis apud Deum æternum remunerationis rependi non diffidimus. Idcirco noverit omnium fidelium nostrorum tam præsentium quàm futurorum solertia, quia Vir Venerabilis Recesindus Abba Monasterii Sanctæ Mariæ in Arulas veniens ad nos obtulit obtutibus nostris auctoritatem Domni & Genitoris nostri Ludovici Imperatoris, quâ continebatur, qualiter prædictum Monasterium, ædificatum à Castellano quondam valle quæ dicitur Asperia, sub sua Immunitate atque defensione cum Monachis ibidem Deo famulantibus & omnibus rebus ad se pertinentibus plenissimè suscepisset. Unde prænominatus Abba Recesindus nostram deprecatus est Clementiam, ut prædictum Monasterium denuò cum Monachis ibi consistentibus & cum Cellulis ibidem aspicientibus, id est, cum Ecclesia Sancti Martini ad ipsas felonicas, in via quæ discurrit ad ipsas clusas, cum ceteris rebus ad prædictum Monasterium Sanctæ Mariæ pertinentibus vel aspicientibus, sub nostro reciperemus mundeburdo atque tuitione, quatinus iidem Monachi cum omnibus ad eos pertinentibus quietè atque securè viverent. Cujus precibus, ob amorem Dei & reverentiam Divini cultûs, aurem accommodare placuit, & hos nostræ auctoritatis Regales apices fieri decrevimus, per quos præcipimus atque jubemus, ut nullus Judex publicus aut quilibet ex Judiciaria potestate in prædictas Cellulas aut in rebus ad prædictum Monasterium legaliter aspicientibus ingredi temerario ausu ad mansiones vel paratas faciendas, aut fidejussores tollendos, aut homines ejusdem Monasterii distringendos, aut ullas redibitiones aut inlicitas occasiones requirere aut exactare præsumat. Sed liceat prædictum Abbatem & successores suos cum his rebus præsenti tempore ad præfatum Monasterium aspicientibus, seu etiam à bonorum hominum largitione abhinc delatis, sub nostra defensione quietè vivere ac residere. Et quandoquidem divinâ vocatione memoratus Abba de hac luce migraverit, quandiu ipsi Monachi inter se tales invenerint, qui eos secundùm Regulam Sancti Benedicti regere valeant, licentiam habeant eligendi Abbates, quatinus ipsos Monachos pro nobis, conjuge, prolèque nostra, vel pro stabilitate totius Regni nostri, jugiter Domini misericordiam exorare delectet. Et ut hæc auctoritas nostris futurísque temporibus Domino protegente valeat inconvulsa manere, manu propriâ subter firmavimus, & anuli nostri impressione signari jussimus. Signum Karoli Gloriosissimi Regis. Jonas Diaconus ad vicem Ludovici recognovit. Datum* VII *Kal. Julii, anno* IIII, *Indictione* VII, *regnante Karolo Gloriosissimo Rege. Actum in Monasterio Sancti Saturnini, dum obsideretur Tolosa, in Dei Nomine feliciter. Amen.* In hoc Diplomate super anno Caroli Regis occurrit difficultas, quia Ludovicus ejus pater obiit duodecimo Kalendas Julii, die Dominico, anno Redemptoris octingentesimo quadragesimo, currente tum Indictione tertiâ. Inde enim cons-

[a] Act. 63. pro Mon. Arulensi.

AN. CH. 844.

tat septimo Kalendas Julii per septimam Indictionem annum quintum Regni Carolini numerandum esse, quatto qui perpetam irrepsit expuncto.

LIII. Willelmus relicta Tolosa fugit ad Saracenos. Fredelo fit Comes Tolosanus.

Quo mense quóve die Tolosa venerit in potestatem Caroli, non liquet. Willelmus Bernardi filius, cùm obsidionem acriùs urgeri cerneret, noctu clàm fugit, atque in Hispaniam ad Calipham Cordubensem se recepit. Carolus civitatem ad deditionem mox compulit, Tolosanúmque Comitem constituit Fredelonem, qui Raimundi successoris frater extitit natu major; uterque verò patrem habuit Fulgualdum, matrem Senegundem. Lege Diploma datum tertio Idus Novembris, anno vicesimo-tertio Caroli Regis, quod Guillelmus Catellus in Historia [a] Comitum Tolosanorum recitavit, & cum eodem Catello confer Petrum Andoquium in Historia [b] Linguodochiana.

[a] Lib. 1. c. 10.
[b] Lib. 8

LIV. Carolus R expugnat Tolosam, Samueli Ep. Tolosano Præceptum dat pro Ecclesia S Stephani et pro Monasteriis S. Mariæ et S Saturnini.

Illis temporibus Diœcesim Tolosanam regebat Samuel Episcopus, cui Carolus Rex pro tribus Ecclesiis hoc dedit Præceptum, quod Catellus libro quinto Historiæ Linguodochianæ in Episcopis Tolosanis ita publicavit. *In Nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. Karolus gratiâ Dei Rex, omnibus Episcopis, Abbatibus, Ducibus, Comitibus, Vicariis, Centenariis, Actionariis, Missis discurrentibus. Notum sit, quia si petitionibus Sacerdotum ac servorum Dei pro opportunitatibus locorum sanctorum congruè accommodamus aurem, & ad effectum perducimus, Regiam consuetudinem exercemus, & nobis ad mercedem vel stabilitatem Regni nostri proficere non ambigimus. Igitur cognoscat Utilitas seu Solertia omnium fidelium nostrorum tam præsentium quàm & futurorum, quia Vir Venerabilis Samuel Tolosanæ Ecclesiæ * Episcopus, quæ est constructa in honorem Sancti Stephani seu & Sancti Jacobi Apostoli, indicavit Serenitati nostræ emunitates Domni & Genitoris nostri Ludovici * Serenissimi Imperatoris & Regum prædecessorum nostrorum, qualiter ipsam Sedem, cum Monasterio Sanctæ Mariæ, quod est infra muros ipsius civitatis, cum omnibus appenditiis suis, necnon & Monasterium Sancti Saturnini Martyris procul ab eadem urbe constructum, ubi & corpore requiescit, cum omnibus rebus & hominibus ibidem aspicientibus, propter amorem Dei & reverentiam eorumdem Sanctorum, sub plenissima semper defensione & emunitatis tuitione habuissent. Tamen pro firmitatis studio petiit idem Episcopus, ut circa prædicta loca Sanctorum denuò ...... * pro mercedis nostræ augmento concedere & confirmare deberemus. Cujus petitionem renuere noluimus, sed in omnibus & concessimus, & volumus ut fideles Sanctæ Dei Ecclesiæ & nunc & in futuro omnia à nobis confirmata esse cognoscant. Insuper & per ejus petitionem tale beneficium ex nostra clementia erga ipsa memorata loca Sanctorum concessimus, ut nullus Judex publicus, neque quislibet ex Judiciaria potestate, nec aliquis ex fidelibus nostris in Ecclesias, aut loca, vel agros, seu reliquas possessiones prædictarum Ecclesiarum, quas moderno tempore in quibuslibet pagis aut territoriis infra ditionem Regni nostri justè habere & possidere cognoscuntur, quicquid etiam deinceps in jure ipsorum locorum Sanctorum Dei voluerit divina pietas augeri, ad causas audiendas, vel freda exigenda, aut mansiones vel paratas faciendas, nec fidejussores tollendos, aut homines ipsarum Ecclesiarum tam ingenuos quàm servos, qui super terram earum residere videntur, injustè * distringendos, nec ullas redhibitiones aut illicitas occasiones inquirendas, ullo unquam tempore ingredi audeat, vel exactare præsumat. Sed liceat memorato Præsuli suísque successoribus sub emunitatis tuitione quieto tramite possidere, & nobis fideliter deservire, & unà cum Clero & populo sibi subjecto Domini misericordiam exorare. Et ut hæc authoritas nostris futurísque temporibus Domino peragente valeat inconvulsa manere, manu propriâ subter firmavimus, & annulo nostro sigillari jussimus. Signum Karoli Gloriosissimi Regis.* Apud Catellum additur hic Character. *Annus Incarnationis Octingentesimus quadragesimus-quartus.* Omittitur à Sammarthanis Tomo primo Galliæ Christianæ. Catellum improbamus, laudamus Sammarthanos, Carolus enim, ut ex superioribus patet, sua Diplomata duobus tantùm Characteribus, Indictione videlicet & anno Regni sui communiebat, nusquam

* Catell. Ecclesiæ civitatis Episcopus.
* Edit. memoria.
* Edit. claustra.
* Edit. justè.

nusquam autem anno Incarnationis Dominicæ. Quamvis nostrum sit hoc AN. CH.
de Catello & Sammarthanis judicium, cum utrisque tamen censemus emis- 844.
sum Præceptum anno Redemptoris octingentesimo quadragesimo-quarto. LOTHAR.
Catellus annum Caroli Regis in exemplari non reperit, quartum adjecit IMP. 28.
pro lubitu; an benè, manet investigandum. Carolus, cùm annum in Re- LUDOV.
gno quartum ab obitu patris ageret, in Monasterio Sancti Saturnini multa SEN R. 28.
per menses Maium & Junium dedit Præcepta, quæ suprà transcripsimus. CAROLI
In illo Cœnobio morabatur adhuc duodecimo Kalendas Julii, quando R. 15.
quintum inchoavit annum Regni Tolosâ nondum captâ. Diploma verò, LUDOV.
de quo loquimur, non videtur priùs emissum quàm Tolosa deditionem JUN. R. 1.
fecerit. Datum igitur anno Caroli Regis quinto, Redemptoris octingentesimo quadragesimo-quarto.

Carolus antequàm Tolosâ discederet, apud illam civitatem edidit Ca- LV.
pitulare cum hac Præfatione. *Hæc quæ sequuntur Capitula, consulentes neces-* EDIT CA-
sitati Episcoporum Septimaniæ, & subjectorum eis providentes possibilitati, tra- PITULARE.
ctantes etiam sacri & justè inreprehensibilis Ministerii honestatem, Presbyterorum reclamatione commoniti, moderamine Mansuetndinis nostræ usque ad diligentiorem tractatum Synodi Generalis decernimus. Præfationi novem subjiciuntur Capitula.

Primum, sic. *Ut Episcopi nullam inquietudinem sive exprobrationem Presbyteris,* LVI.
aut apertè ingerendo, aut aliâ qualibet occasione machinando, pro eo quòd se ad nos hac vice reclamare venerunt, inferant, quia longa oppressio hujusmodi itineris fecit subire laborem.

Secundum Capitulum. *Ut unum modium frumenti, & unum modium hor-* LVII.
dei, atque unum modium vini, cum mensura quæ publica & probata ac generalis seu legitima per civitatem & pagum habetur, Episcopi à Presbyteris accipiant, & Frischingam sex valentem denarios, aut sex pro ea denarios & non ampliùs exigant. Et, si hæc non accipiunt, accipiant, si volunt, pro his omnibus duos solidos in denariis, sicut in Toletano & Bracarense consensu Episcopi considerasse dicuntur. Frischingæ seu Friskingæ vel Frescengiæ dicebantur, ut plerique jam notarunt, non porcelli, sed porcellis majores, nondum tamen justi incrementi, & pro ætatis & incrementi modo varii erant pretii. Hoc Capitulum alludit ad secundum Canonem Concilii Bracarensis tertii, quod Erâ sexcentesimâ decimâ sive anno Christi quingentesimo septuagesimo-secundo celebratum est. *Placuit, ut nullius Episcoporum, cùm per Diœceses suas ambulant, præter honorem Cathedræ suæ, id est, duos solidos, aliquid aliud per Ecclesias tollat.* Et ad quartum Canonem Concilii Toletani septimi, quod habitum est Erâ sexcentesimâ octogesimâ-quartâ sive anno Christi sexcentesimo quadragesimo-sexto. *Ne ergo fiat de cetero quod constat hactenus inordinatè præsumptum, non ampliùs quàm duos solidos unusquisque Episcoporum præfatæ provinciæ, nempe Galliciæ, per singulas Diœcesis suæ Basilicas, juxta Synodum Bracarensem, annuâ illatione sibi expetent conferri.*

Tertium Capitulum. *Ut Presbyteri, qui prope civitatem quinque miliaria* LVIII.
commanent, per famulos suos prædictam dispensam reddi in civitate, cui jusserit civitatis Episcopus, faciant. Qui autem longiùs ab urbe commanent, statuant Episcopi loca convenientia per Decanias, sicut constituti sunt Archipresbyteri, quò similiter & eâdem propinquitate ceteri Presbyteri per famulos suos debitam dispensam Archipresbyteris aut Episcoporum Ministris convehant. Et procurent Episcopi, ne Ministri illorum Presbyteros dehonorent, aut pignora inhonestè tollendo, vel locationem pro receptione dispensæ exigendo, sed cum gratiarum actione recipiant quæ Presbyteri cum hilaritatis humanitate, juxta Apostolum, conferre debebunt. Quòd si Ministri Episcoporum Presbyteros dehonoraverint, dignam illis exinde Episcopi castigationem exhibeant, quoniom nisi fecerint, & ad nos iterum pro hoc se Presbyteri reclamaverint, motus nostros qui culpabilis repertus fuerit, sentiet.

AN. CH. Quartum Capitulum. *Ut in circuitione Parrochiæ Episcopi de cetero singulos*
844. *Presbyteros per singulas euntes Ecclesiolas, sicut hactenus, non prædentur,*
LOTHAR. *cùm scriptum sit eosdem evangelizare debere, non turpis lucri gratiâ, ne vitupe-*
IMP. 28. *retur Ministerium Sanctum. Sed considerent & denuntient loca sibi & populo con-*
LUDOV. *venientia, & illuc Presbyteri, quotquot possibilitas & moderatio providerit, plebes*
SEN. R. 28. *suas adducant, & ibidem Episcopi prædicent, confirment, & populi errata inqui-*
CAROLI *rant ac corrigant. Iterum autem, quia Dominicâ voce datur licentia, qui Evan-*
R. 15. *gelium adnuntiant, ut de Evangelio vivant, licèt Paulus Apostolus nihil horum*
LUDOV. *fuerit usus, Presbyteri tale conjectum faciant, ut & Episcopi solotium habeant, &*
JUN. R. 1. *ipsi non graventur. Quod ita nobis fieri posse videtur, videlicet ut quatuor Pres-*
LIX. *byteri ad locum, ubi quintus degit & Episcopus residet, plebes suas de quatuor par-*
tibus adducere studeant, & unusquisque eorum decem panes, & dimidium modium
vini, & Frisibingam de quatuor denariis, & pullos duos, & ova decem, & mo-
dium unum de annona ad caballos in subsidium benedictionis gratiâ præsentet Epi-
scopo; & similiter quintus, in cujus domo Episcopus residet, faciat, nec ampliùs
ab eo exigatur, nisi fortè ligna & utensilia in opus Ministerii commodet; qua-
propter Episcopus providebit, ne domus aut sepes illius à Ministris vastentur.

LX. Quintum Capitulum. *Ut semel in anno Episcopi hanc circumitionem tempore*
congruo faciant. Et si ampliùs Ministerium suum per Diocesim agere voluerint,
hanc tamen dispensam non ampliùs quàm semel à Presbyteris per annum ac-
cipiant.

LXI. Sextum Capitulum. *Quòd etsi circumitionem in salutem & necessitatem po-*
puli dimiserint, à Presbyteris nec hanc dispensam neque pretium illius exigant,
neque aliis aut suis domesticis aut amicis exigendam concedant. Et quando cir-
cumierint, & in domo Presbyteri resederint, non sub occasione adfligendi Presbyteros
immoderatè & non necessariè numerum famulorum adducant, neque vicinos ad
pastum incongruè convocent. Quod etsi cum caritate vocare voluerint, faciant;
sed non ampliùs à Presbyteris, vel sub occasione vendendi, vel alio quolibet modo,
quàm statutum est, exigant, neque paraveredos aut alias exactiones tollant.

LXII. Septimum Capitulum. *Ut Episcopi Parrochias Presbyterorum propter inhones-*
tum & periculosum lucrum non dividant. Sed, si necessitas populi exegerit, ut
plures fiant Ecclesiæ, aut statuantur Altaria, cum ratione & auctoritate hoc fa-
ciant; scilicet ut si longitudo, aut periculum aquæ, vel silva, aut alicujus rationis
vel necessitatis causa poposcerit, ut populus & sexus infirmior, mulierum videlicet
vel infantum aut etiam debilium imbecillitas, ad Ecclesiam principalem non possit
occurrere, & non est sic longè villa, ut Presbyter illic sine periculo ad tempus &
congruè non possit venire, statuatur Altare, &, si ita populo complacet, & cum-
modum fuerit, ne sine ratione scandalizetur, Parrochia maneat indivisa. Sin
autem præfatæ causæ postulaverint, & populus non conductus, neque cupiditate vel
invidiâ excitatus, sed rationabiliter adclamaverit, ut Ecclesia illis fieri & Pres-
byter debeat ordinari, hoc Episcopi episcopaliter, teste Deo, in conscientiæ puritate,
cum ratione & auctoritate, sine intentione turpis lucri, mature consilio Canonico
tractent, & utilitati ac saluti subjectæ plebis quæque agenda sunt peragant, & se-
cundùm quod subtraxerint cuilibet Presbytero de Parrochia, de dispensa quoque de-
bita ab illo minùs accipiant, & alteri, qui quod dividitur à Parrochia suscipit, sub
hac eadem mensura imponant.

LXIII. Octavum Capitulum. *Ut Episcopi sub occasione quasi auctoritatem habeant*
Canonum, his Constitutis Excellentia nostra nequaquam resultent aut negligant,
sed potiùs Canones ut intelligendi sunt intelligere & in cunctis observare procurent,
quia, si aliter fecerint, omnimodis & qualiter Canones fidelium decimis agendum
statuunt, & qualiter intelligi ac observari cum Mansuetudinis nostræ decreto de-
beant, Synodali adjudicatione & nostrâ auctoritate Regiâ docebuntur.

LXIV. Nonum Capitulum. *Ut Episcopi Synodos à Presbyteris, nisi sicut docet aucto-*
ritas Canonum, d scilicet & per tempora constituta, non exigant. Sed &
in eisdem Synodis non per occasionem, sed per veritatem Ministerii sui, teste Deo,

ad quod constituti sunt, Presbyteros & tractent, & teneant, & absolvant. Huc usque Capitulare Tolosanum, quod inter Caroli Capitularia sub Titulo quinto reperies.

LXV. NOMENOÏUM ET LANDBERTUM MEDUANÆ FLUVIO IMMINENTES COMPESCIT.

Carolo rebus Aquitanicis & obsidioni Tolosanæ diligenter incumbente, Nomenoius Britonum Præfectus & Landbertus Comes duas irruptiones in provincias Britanniæ vicinas fecerunt. Utramque brevissimè complexus est Annalista Bertinianus. Primam, sic. *Landbertus cum Brisonibus quosdam Caroli Markionum Meduana ponte interceptos perimit.* Alteram, sic. *Nomenogius Britto eâdem tempestate fines sibi suísque antecessoribus distributos insolenter egrediens, Cenomannos usque, cuncta longè latéque populando, ignibus etiam plurima cremando, pervenit. Ubi auditâ Nordmannorum in fines ejus irruptione, redire compulsus est.*

LXVI. LUDOVICUS FRANCIÆ TRANSRHENANÆ R. OBODRITOS REBELLES PROFLIGAT.

Hludowicus, qui trans Rhenum regnabat, *Obodritos defectionem molientes bello perdomuit, occiso Rege eorum Gozzomuil, terrámque illorum & populum sibi divinitus subjugatum per Duces ordinavit.* Hæc Annalista Bertinianus eandem expeditionem aliter narrat. *Hludowicus*, inquit, *Rex Germanorum populos Sclavorum & terras aggressus, quosdam in deditionem cepit, quosdam interfecit; omnes penè illarum partium Regulos sibi aut vi aut gratiâ subegit.* Huic Annalistæ Fuldensem hoc loco præferimus, quia de Ludovico Rege sermo habetur. Obodriti sive Abotriti trans Albim positi remotissimam Germaniæ partem, cui recentior ætas nomen Megalopolitani Ducatûs indidit, ad maris Baltici littus incolebant. Primò cum Francis in fœdus ac societatem venerunt, deinde iisdem se summiserunt Francis, & ab eorum Regibus Præfectos seu Gubernatores, Reges etiam appellatos, acceperunt, ut constat de Sclaomiro & Ceadrago, quos Tomo superiore [a] sub Ludovico Pio memoravimus. Accesserunt igitur Francicis ditionibus, & in divisione Regni, quod penes Ludovicum Pium fuerat, pertinuerunt ad Ludovicum Pii filium. Hic licèt hæreditatis paternæ tertiam duntaxat partem obtineret, haud passus est eos à Francia per defectionem separari. Nam conserto prælio Gozzomuilum Regem interemit totámque regionem non Regi deinceps sed multis Ducibus administrandam commisit, ut Auctor Annalium Fuldensium suprà citatus testatur.

LXVII. LOTHARIUS IMP. DAT PRÆCEPTUM PRO MON. CLERICORUM APUD NOVUM CASTELLUM IN ARDUENNA SYLVA ERECTO.

Lotharius Imperator tertio Idus Septembris Præceptum dedit pro Monasterio Clericorum apud Novum Castellum in honorem Beatissimæ Virginis erecto, Fragmentum istius Diplomatis habetur in Notitia [b] Ecclesiarum Belgicarum. Integrum autem publicatum est idem Præceptum inter Donationes [c] Belgicas. Utrobique datum legitur tertio Idus Septembris, anno Regni Lothariani per Italiam decimo-quinto, per Franciam quinto, Indictione septimâ. Sed irrepsit mendum in notam Regni Italici, & anni xv loco reponendus est annus xxv. Hac emendatione factâ Characteres omnes in annum Redemptoris octingentesimum quadragesimum-quartum conveniunt, quia Lotharius primum annum Italici Regni cum anno Redemptoris octingentesimo vicesimo comparat, initium Regni per Franciam ducit ab obitu patris, utitúrque Indictione Regiâ quam aperit initium anni Christiani. Præmissis his observationibus, ipsum Diploma nunc accipe. *In Nomine Domini nostri Jesu Christi, Dei æterni. Lotharius ordinante divinâ providentiâ Imperator Augustus. Oportet Imperialem Sublimitatem . . . . . ut Ecclesiarum ac Sacerdotum Dei utilitatibus, benignitatis suæ munere, faveat; quia si talibus semper studet negotiis, procul dubio & temporalem gloriosiùs transigit vitam, & æternam felicius obtinebit. Quapropter noverit omnium fidelium Sanctæ Ecclesiæ ac nostrorum, tam præsentium quàm futurorum, industria, quia Vir venerabilis Lotharius Abbas, cui Cellulam in honore Sanctæ Dei Genitricis Mariæ constructam ac fundatam in loco, nuncupante Novo Castello, ad regendum commissam habemus, detulit obtutibus nostris quasdam Domini avi nostri Karoli Præstantissimi Augusti ac piæ memoriæ Genitoris nostri Ludovici Serenissimi Imperatoris auctoritates, in*

[a] An. 819. n. 7.
[b] Cap. 33.
[c] Lib. 1. c. 6.

AN. CH. quibus reperimus, qualiter ipsi ob amorem Dei & reverentiam ipsi- s Sancti loci,
844. camdem Cellulam cum omnibus ad se justè & legaliter pertinentibu vel aspicienti-
LOTHAR. bus consistere facerent, & eorum Immunitate hactenus prædicta Ce la munita at-
IMP. 28. que defensata fuisset. Continebantur in eisdem Præceptionibus no- na villarum,
LUDOV. quæ prædictæ Cellulæ subjectæ sunt, id est, in pago Hasbania Harima *; in pago
SEN. R. 28 Texandrio Bordilis; in pago Bracbantense Filfurdo *; in pago Ha nionense Hi-
CAROLI riniolo, Kinneras, Waldriaco, Agimagas, & Altoporto, in pago aumense Fra-
R. 15. xins *; in pago Leucroni villa Angeltagas, mansos duos cum omnibus appendiciis
LUDOV. vel adjacentiis eorum, & decima, vel censu, quæ Rectores ipsius Cellulæ annua-
JUN. R. 1. tim accipiunt, id est, de villis nuncupantibus in prædicto pago Hainionense Love-
* Hermale. runa & Waldriaco, & in pago Hasbaniense Auvantia & Imbricio, unde memo-
* Vilvorde. rata Cellula decimam vel censum suscepit, ut perenniter in ditione prædictæ Cellulæ
* Fresne. subsisteret, sed pro majore securitate petiit jam dictus Lotharius Clementiam nos-
tram, ut easdem auctoritates denuò per nostræ Serenitatis Præceptum confirmare-
mus. Cujus petitioni ob amorem Dei ac reverentiam ipsius Sancti loci ac fidele ob-
sequium ejus, libenter acquiescentes, hos Excellentiæ nostræ apices fieri censuimus,
quibus præcipientes jubemus, ut nemo fidelium nostrorum, aut Missus noster dis-
currens, aut quislibet ex Judiciaria potestate in Ecclesias, aut loca, vel agros, seu
reliquas possessiones prædictæ Cellulæ, quas moderno tempore justè & ra tionabiliter
in quibuslibet pagis atque territoriis, infra disionem Imperii nostri possidet, vel ea,
quæ deinceps eidem conlata fuerint Cellulæ, ad causas audiendas, aut freda exigen-
da, aut mansiones vel paratas faciendas, aut fidejussores tollendos, aut homines ip-
sius Cellulæ tam ingenuos quam & servos super terram ipsius commanentes injustè
distringendos, nec ullas redibitiones aut illicitas occasiones requirendas, nostris ac
futuris temporibus ingredi audeant, vel ea, quæ suprà memorata sunt, penitus
exigere vel exactare præsumant, & quicquid prædicta Cellula in eleemosyna nostra
concessimus, ut in alimoniam pauperum & stipendia Clericorum ibidem Deo servien-
tium proficiat in augmentis. Prædictæ verò villæ, quarum nomina superiùs conti-
nentur, & decimæ & census de prædictis villis, sicut in avi & genitoris nostri
auctoritatibus continentur, ita perpetuò in ejus ditione subsistant, & decima vel
census, quæ de prædictis villis annuatim exire solebant, etiam deinceps persolvan-
tur, velut eorumdem prædecessorum nostrorum temporibus ad præfatum sanctum per-
soluta fuerunt locum. Et ut hæc nostræ auctoritatis Præceptis pleniorem in Dei No-
mine nostris & futuris temporibus obtineat firmitatem, manu propriâ subter eam
firmavimus, & annuli nostri impressione assignari jussimus. Signum Lotharii Se-
renissimi Augusti. Rudmundus Notarius ad vicem Hilduini recognovi. Data III
Idus Septembris, anno, Christo propitio, Imperii Domini Lotharii Imperatoris in
Italia XV (lege XXV) in Francia V, Indictione VII. Actum Longolare Pa-
* Galre. latio Regis, in Dei Nomine feliciter. Amen. Longolare seu Longlare * vel
Longolarium, vicus est in Diœcesi Leodiensi sylvâque Arduennâ non pro-
cul à Monasterio Sancti Huberti. Miræus in Donationibus Belgicis præ-
dictum Præceptum ex Archivis Ecclesiæ B. Mariæ Aquisgranensis integrum
evulgavit, fragmentum autem in Notitia Ecclesiarum Belgii cum hoc edi-
dit titulo. Lotharius Imp. Harimalam, Filfurdum & alias villas Ecclesiæ B. Ma-
riæ Aquisgranensis à Car. Magno & Lud. Pio datas, anno 844 confirmat. Se d il-
lam Donationem Carolo Magno & Ludovico Pio longè vetustiorem at-
que ad Pippinum Majorem domûs Regiæ, cognomento Herstallium, Ca-
roli Magni proavum, referendam docet aliud Diploma, per quod ipse ner
Carolus Magnus munificentiam Pippini Majoris-domûs proavi sui co fir-
mavit in Haristalio quinto Nonas Maias, anno Regnorum suorum, in
Francia undecimo, in Longobardia quinto, sive anno Christi septing n-
tesimo septuagesimo-nono. Hoc Caroli Magni Præceptum idem Mir us
* Lib. 2. c. 8. in Donationibus * Belgicis ita publicavit. Karolus Dei gratiâ Rex Franco m
& Longobardorum ac Patricius Romanorum. Ad mercedis cumulum augere c e-
dimus, quidquid pro amore Dei & reverentia Sanctorum locis venerabilibus c n-

AN. CH. 844. LOTHAR. IMP. 28. LUDOV. SEN. R. 28. CAROLI R. 15. LUDOV. JUN. R. 1.

firmamus. Igitur noverit omnium fidelium nostrorum magnitudo, eò quòd inclytæ memoria proavus noster Pippinus, quondam Major-domûs, Ecclesiæ Sanctæ Mariæ, Novo Castello constructæ, diversas res pro mercedis augmenta dedit. Unde servientes ejusdem loci consolationem substantiæ usque nunc visi sunt habere, perpetuóque tempore ipsas res quieto ordine possidere videntur. Sed asseris Venerabilis Vir Erinbardus Abbas, quòd de ipsis rebus nulla munimina aut strumenta Chartarum penes se habeat *, per quæ ipsa * res sine nostra auctoritate legibus defendi possint. Idcircò petiit à Celsitudine nostra, ut per nostram Præceptionem, quantumcumque infra Regna Deo propitio nostra, támque proavus noster ibidem in ejus eleemosyna visus est condonasse, quàm & ceteri Dominum timentes homines postmodum addiderunt, quæ possidere videntur, denuò confirmare deberemus. Cujus petitionem noluimus denegare, sed ita concessisse atque confirmasse, cognosci. Præcipientes enim, ut quicquid justè & rationabiliter in denominandis villis, ut sunt Harimalla in pago Hasbaniense, Budilio in Texandria, Filfurdo in Bragbando, in pago Haginao Hrinio, Huniolo, Kinnegas, & illa Ecclesia in Walderiego, simúlque Achiniagas & Alsoporto, quas in concambio receperunt, & aliquos mansos in Angelgiagas in pagello Leuhio, quem similiter in concambio proprietatis de Ecclesia Sancti Servatii commutaverunt, necnon & in pago Luminse Fraxino. Has omnia denominata, ut suprà diximus, id est, unà cum ceteris domibus, ædificiis, accolabus, mancipiis, vineis, sylvis, campis, pratis, pascuis, aquis, aquarúmque decursibus, mobilibus & immobilibus, totum & ad integrum cum omnibus appendiciis vel adjacentiis eorum, qualiter præsenti tempore ipsa Ecclesia ejúsque Rectores possederunt, quantumcumque proavus * noster prænominatus ibidem condonavit, aut ceteri Dominum timentes homines in postmodum addiderunt, unde vestiti esse videntur deinceps in anteà, absque nullius inquietudine, omni tempore teneant & possideant. Et nullus quilibet de fidelibus nostris, aut de Judiciaria potestate præfatum Erinbardum Abbatem suósque successores de memoratis rebus inquietare, aut contra rationis ordinem facere præsumat, sed liceat eos cum Dei & nostra gratia, nostris & futuris temporibus, per hanc nostram auctoritatem jure firmissimo possidere, quatenus meliùs delectet ibidem Deo servientes pro nobis atque prolibus nostris & uxore, & pro animabus parentum quondam nostrorum Domini misericordiam deprecari. Et ut hæc auctoritas firmior habeatur, vel diuturnis temporibus servetur, manu propriâ subtus eam decrevimus roborare, & de annulo nostro jussimus sigillari. Signum Karoli Gloriosissimi Regis. Wiebbaldus ad vicem Radoni recognovi. Data V Nonas Maii, anno XI & V Regni nostri. Actum Haristallio Palatio, in Dei Nomine feliciter, amen. Tomo sexto a Regium Caroli Magni Præceptum pro Cabilonensi Monasterio Sancti Marcelli recitavimus cum hac subscriptione. Data pridie Kalendas Maias, anno undecimo & quinto Regnorum nostrorum. Actum Haristallio. Nec vocamus in dubium, quin idem Carolus, qui Præceptum apud Haristallium dedit pridie Kalendas Maias, aliud ibidem emiserit triduo pòst seu V Nonas Maii, utrumque autem anno Regni sui XV & V, sive anno Christi septingentesimo septuagesimo-nono, quia in Francia mense Septembri post Pippinum patrem anno Christi septingentesimo duodeseptuagesimo, in Italia post Desiderium anno Christi septingentesimo septuagesimo-quarto regnare cœpit Nonis Maiis jam transactis.

* Edit. habeant.
* Edit. ipsam.
* Edit. avunc.
a An. 779. n. 12.

LXVIII.

Lotharius Augustus è Longolario digressus, Conventum secus Theodonis villam Octobri mense cum fratribus suis habuit. Carolus priusquàm illuc se conferret, quinto Kalendas Octobris in Palatio Compendiensi pro Monasterio Centulensi Præceptum emisit, quod apud Hariulfum libro tertio b Chronici Centulensis ita legitur. Karolus gratiâ Dei Rex. Si servorum Dei justis & rationabilibus petitionibus Benignitatis nostræ assensum præbemus, Regiæ Celsitudinis opera frequentamus, ac per nos faciliùs nos æternæ beatitudinis gloriam adepturos liquidò confidimus. Quocirca noverit omnium Sanctæ Dei Ecclesiæ fidelium atque nostrorum tam præsentium quàm & futurorum solertia,

b Cap. 2.

AN. CH. *quia benignitate & licentiâ dilecti propinqui nostri Ludovici Abbatis ejusdem sa-*
844. *cri Cœnobii viri religiosi Monachi ex Monasterio Centulo, præclarissimi scilicet Con-*
LOTHAR. *fessoris Christi Richarii, Culminis nostri adeuntes Serenitatem, obtulerunt Præcel-*
IMP. 28. *lentiæ nostræ Gloriosæ memoriæ Domini & Genitoris nostri Cæsaris Augusti Hlu-*
LUDOV. *doguici auctoritatem, quâ continetur, qualiter idem Dominus & Genitor noster*
SEN.R.28. *quasdam villas ex eadem Sancti Richarii Abbatia usibus & stipendiis eorundem*
CAROLI *Monachorum constitutas eis concesserit, atque ut nullius quandoque Abbatis vel cu-*
R. 15. *juscunque personæ minoratione illis subtrahantur, Imperiali præceptione pleniter*
LUDOV. *confirmaverit. Ac proinde oraverunt iidem Monachi Magnitudinem nostram, ut*
JUN.R.1. *eandem Domni Genitoris nostri Imperialem auctoritatem nos denuò reconfirmare*
vel renovare dignaremur per Præcellentiæ nostræ rescriptionem. Quorum denique
preces divino intuitu & deprecatione Præfati venerabilis & dilecti propinqui nostri
Ludovici Abbatis clementer audivimus, & ita illis in omnibus concessisse, cunctis
notum esse volumus. Quin etiam Reverentiæ nostræ scriptum hoc speciali conditione
fieri jussimus, per quod memoratas villas, hoc est, Civinicurtem cum Bronoilo &
Argonillare, Adulficurtem, Valles, Drusciacum, Novam-villam, Montem Angelo-
rum, Guibrentium, Bagardas, Cursicellam, Crucem, Langaratum, Alteiam quæ
Abatis jam vocatur, Concilium, Verculfum cum feticis in Ragineri exclusa terrís-
que ad eam pertinentibus, Roconis montem cum feticis & terris in Asflariis, Sa-
crocampo & Petronutio consistentibus, addito manso precariæ Hegfridi post decessum
ejus, Nigellam, Sidrudem, Capellam in villa Maris cum mansis ad se pertinenti-
bus; insuper & Cellam quæ Forestis vocatur cum villis ad eam pertinentibus, quas
Venerabilis Abbas Ludovicus auxit Monachorum stipendiis, quarum hæc sunt no-
mina, Argubius cum colonia quæ Romangilis dicitur, & beneficiolum Nortberti &
Guichaldi in eadem colonia sita, & Bonella cum beneficiis Angalsii & Godolardi,
necnon & villa quæ vocatur Sanctus Vigilsus cum Berniaco & Aecinicurte &
Enholt; & in pago Belvacense in loco qui dicitur Gellis fetici sex & de vinea ari-
pennes octo, & in Rivirsticurte feticis duobus & de vinea aripennes sex; & in
Quentvico f.ticis duobus; in Mosultro mansum unum; in Asco feticis tribus; in
Avisnis mansum unum. Eâ verò conditione, ut qui beneficia ex jamdictis rebus
modò habent, tandiu ea retineant, usquequò aut alicubi pro eisdem beneficiis alia
obtineant, aut post decessum illorum, nisi fortè Abbas pro eorum culpa antè ab eis
receperit, fratres absque ulla interrogatione recipiant, & XII *Canonicos in eadem*
Cella Monachi sub sua cura & ordinatione in debitis & necessariis stipendiis reli-
giosè custodiant. Ex sylva etiam quæ ad eandem Cellam, quæ Forestis dicitur, per-
tinere videtur, quæ necessaria in utilitatibus majoris Monasterii fuerint, discretione
& ordinatione Abbatis prævideant. Hæc autem omnia, vel quicquid ad supradicta
loca præsenti tempore justè & legaliter aspicere videtur, sicut à Domno & Genitore
nostro statutum est, usibus & stipendiis Monachorum in præfato loco Christo famu-
lantium concedimus atque firmamus, videlicet ut nulli unquam liceat ab eorum
Dominio ex eisdem villis aliquid abstrahere, aut minuere, aut in alios usus con-
vertere, nec paratas aut lidimonium, aut hostilicium, aut alias quaslibet redibitio-
nes præsumat ullo modo exigere, sed, sicut dictum est, eo modo atque tenore, quo
à Piissimo Imperatore Genitore nostro statutum est, ita nostris & futuris tempori-
bus securè illas teneant & quietè possideant, quatenus eosdem Dei servos præmisso
Monasterio Domino militantes pro salute ejusdem Genitoris nostri, & felicitate nos-
tra, & conjugis, prolèque, sive stabilitate Regni nostri, incessanter Piissimi Judi-
cis misericordiam implorare delectet. Et ut hæc auctoritas per futura tempora in-
violabilem & inconvulsam obtineat firmitatem, manu propriâ subterfirmavimus,
& annuli nostri impressione assignari jussimus. Signum Karoli Gloriosissimi Regis.
Jonas Diaconus ad vicem Hludovici recognovi & subscripsi. Data V *Kalendas Octo-*
bris, anno V*, Ind.* VII*. regnante Karolo Gloriosissimo Rege. Actum Compendio*
Palatio Regio in Dei Nomine feliciter. Amen. Super Characteribus Chronolo-
gicis nulla difficultas. Quinto Kalendas Octobris, anno Redemptoris octin-
gentesimo quadragesimo-quarto currebat Indictio septima Regia seu Fran-

cica vel Christiana, & annus Caroli Regis ab obitu patris quintus numerabatur cœptus duodecimo Kalendas Julii. Porrò feticum in Carolino Diplomate modium interpretare. Modius autem mensura est agraria, & ager seu terra tot modiorum esse dicitur, quot ejusdem mensuræ sementis capax est. Brevis hæc adnotatio variis multorum Diplomatum textibus lucem haud modicam afferet. AN. CH. 844. LOTHAR. IMP. 28. LUDOV. SEN. R. 28. CAROLI R. 15. LUDOV. JUN. R. 1.

Carolus è Palatio Compendiensi profectus est ad Theodonis villam, ut Conventui prope illum locum indicto cum fratribus suis interesset. Audi Annalistam Bertinianum. *Fratrum, id est, Lotharii, Hludowici, & Caroli, alternatim fraterno affectu Legatis multifariam discurrentibus, mense Octobri, iidem penes Theodonis villam conveniunt. Habitóque diebus aliquot amicabili pernecessarióque conloquio inter se, fraternitatis & caritatis jura in posterum non violanda confirmant. Omnes quoque discordiarum fatores cauturos sollicitiùs exsecraturósque, & statum Ecclesiarum imminentibus necessitatibus fœdissimè rebus dilaceratum, ac personis minus congruis, id est, laicis vulgò contraditum redintegraturos sese promittunt. Unde & ad Pippinum, Landbertum, atque Nomenogium, pacis gratiâ Missos pariter destinant, ut fratri Carolo, ut obedientes fideles de cetero permansuri, occurrere non differant. Sin aliàs, eis tempore opportuno viriliter conglobati, eorum infidelitatibus ulciscendis se interminando profecturos pronunciant.* LXIX. SYNODUS PROPE THEODONIS VILLAM HABETUR.

In Capitularibus Caroli, secundus Titulus est *Synodi ad Teudonis villam* cum hac epigraphe. *Sequuntur Capitula, quæ acta sunt in Synodo secus Teudonis villam habita, in loco qui dicitur Judicium, quando tres fratres Gloriosi Principes, Hlotharius videlicet, Hludowicus, & Karolus, simul convenerunt anno quinto Regni Karoli, cui Synodo Drogo Mettensis Episcopus præsedit consensu eorundem Regum, quæ & ipsi Principes ante se fideléjque eorum relecta Capitula adprobaverunt, & se eadem servaturos auxiliante Domino promiserunt mense Octobrio, Indictione septimâ.* Loco manet etiam hodie nomen *Judiz*, apud Sirmondum, *Jeust* apud Meurissium. Super Characteribus Chronologicis nulla difficultas, septima enim Indictio Regia seu Francica per mensem Octobrem cum anno Caroli Regis post patris obitum quinto, Redemptoris octingentesimo quadragesimo-quarto componitur. Quod ad Drogonem Episcopum Metensem attinet, ille, ineunte vere, hoc anno, ut dictum suprà, profectus est in Italiam cum Ludovico Lotharii Augusti filio natu maximo, Longobardorum Rege tunc appellato, Romæque renuntiatus est à Sergio Papa Vicarius Apostolicæ Sedis cis Alpes, atque in Galliam reversus Synodo apud Judicium prope Theodonis villam habitæ præsedit, at quo titulo, Acta non produnt. In aliis Conciliis, antequàm Sergium Pontificem adiret, primum locum jam tenuerat, id datum censetur Regiæ prosapiæ, quia filius Caroli Magni fuit, fraterque Ludovici Pii. Fortassis hanc ob causam eundem illi tanquam patruo suo in Synodo, de qua loquimur, honorem haberi voluerunt Lotharius, Ludovicus & Carolus; quanquam & apud eos Reges Apostolici Vicarii nomen plurimùm valuisse atque in maxima positum existimatione credimus. Ex Concilio [a] Vernensi, quod hoc eodem anno mox descripturi sumus, admodum probabile fit Præsules non defuisse, qui dicerent *expectandum Galliæ Germaniæque Conventum, & in eo Metropolitanorum reliquorúmque Antistitum inquirendum esse consensum*, priusquàm Drogo Legationem Apostolicam obiret. LXX.

[a] Can. 11.

Jacobus Sirmondus in notis [b] ad Synodum, quæ prope Theodonis villam habita est, ita scribit. *In Concilio Meldensi Synodus hac præponitur Lauriacensi, priùs enim Capitula commemorat, quæ apud Theodonis villam statuta fuerant, tum quæ apud Lauriacum. Constat autem utramque synodum uno eodem mense habitam, hanc in Caroli Regno, illam in Lotharii.* Labbeus hanc Sirmondi notam non omisit in ultima Conciliorum Collectione, Synodum tamen Lauriacensem ad annum superiorem eùm in Synopsi Conciliorum, LXXI.

[b] Tom. 3. Conc. Gall.

AN. CH. 844. LOTHAR. IMP. 28. LUDOV. SEN. R. 28. CAROLI R. 15. LUDOV. JUN. R. 1.

tum in postrema illorum editione retulit. In Synopsi [a] sic. *843. apud Lauriacum in pago Andegavensi Concilium Episcoporum celebratum, mense Octobri, Indictione 7, anno Caroli Calvi 4, in quo sancita Capitula quatuor.* In Collectione [b] ut apud Sirmondum in antiquis Conciliis [c] Galliæ. *Capitula in Synodo acta, quæ habita est apud Lauriacum in pago Andegavensi, anno* DCCCXLIII *Incarnationis Domini Jesu Christi, mense Octobri, Indictione* VII, *Caroli Calvi Regis anno* IV. In Concilio quoque Meldensi, ut apud Binium & Sirmondum, sic. *Capitula in Synodo acta, quæ habita est apud Lauriacum in pago Andegavensi, anno* DCCCXLIII *Incarnationis Domini Jesu Christi, mense Octobri, Indictione* VII. Sed ad oram ponit annum *f.* DCCCXLIV, & Indictionem *f.* VIII, itaut Lauriacensem Synodum innuat fortè rejiciendam in mensem Octobrem anni post Christum natum octingentesimi quadragesimi-quarti, & in octavam Indictionem Constantinopolitanam tunc currentem, sicque testatur sibi multùm placere, quòd Sirmondus Synodos apud Lauriacum & ad Theodonis villam *uno eodem mense* celebrata dixit. At quotquot annum Incarnationis Dominicæ notarunt, quo congregata fuit apud Lauriacum Synodus, unanimi consensu constantissimè scripserunt octingentesimum quadragesimum-tertium. Similiter quotquot adjecerunt annum Caroli Regis, in quartum convenerunt. Atque hi duo Characteres inter se mirè consentiunt. Annus enim Redemptoris octingentesimus quadragesimus-tertius partim cum tertio Carolini Regni, partim cum quarto componitur, quia Ludovicus Pius obiit duodecimo Kalendas Julias, anno Redemptoris octingentesimo quadragesimo, & ab illo die numerari cœperunt anni Caroli Regis. Quod ad Indictionem attinet, editiones suprà laudatæ habent septimam, eámque designant Imperialem seu Constantinopolitanam, cui Kalendæ Septembres initium faciunt, nec dubium est, quin septima hæc Indictio per mensem Octobrem cum anno Redemptoris octingentesimo quadragesimo-tertio rectè comparetur. Si quis est error in Indictione, nequaquam reponenda videtur octava eáque Constantinopolitana, quæ per mensem Octobrem illigetur anno Redemptoris octingentesimo quadragesimo-quarto, sed restituenda potiùs est sexta eáque Regia seu Francica, quæ non aliud quàm quod annus Christianus habet principium, & per mensem Octobrem cum anno Redemptoris octingentesimo quadragesimo-tertio componitur. Ad hoc Indictionis genus, quod Carolus aliique Reges Francorum jam usurpabant, haud satis attentus fuit Labbeus, cùm, ut mox ostensuri sumus, annum quintum Caroli Regis per menses Octobrem ac Decembrem, id est, annum Redemptoris octingentesimum quadragesimum-quartum per eosdem menses Octobrem ac Decembrem non Indictione septimâ quam Synodi prope Theodonis villam & apud Vernum Palatium congregatæ in omnibus retinent editionibus, sed octavâ consignandum sæpè fidentérque pronuntiavit. Joannes *Maan* in altera parte Turonensis Historiæ non omisit Lauriacensem Synodum, & ut scrupulum omnem adimeret, illam edidit absque Indictionis nota, ratus officio factum satis, si ceteros Characteres, qui conveniebant inter se, nec ullam difficultatem patiebantur ita repræsentaret. *Capitula acta in Synodo, quæ habita est apud Lauriacum in pago Andegavensi, Ursmaro Archiep. Turonensi Præside, anno Christi* DCCCXLIII, *mense Octobri, Caroli Calvi Regis anno* IV. Lauriacensis igitur Synodus habita est mense Octobri, anno Redemptoris octingentesimo quadragesimo-tertio, Synodus verò prope Theodonis villam celebrata quidem est mense quoque Octobri, sed anno Redemptoris octingentesimo quadragesimo-quarto. Sirmondus gratis ait *utramque Synodum uno eodem mense habitam*, unam in Carolino Regno, alteram in Lothariano. Synodus enim prope Theodonis villam congregata fuit ex universa Francia, quæ tribus Francorum Regibus, Ludovici Pii filiis parebat. Vix autem quis sibi persuadeat eo tempore quo Synodus generalis ex tribus Franciæ Regnis habebatur,

[a] Num. 103.
[b] Tom. 7.
[c] Tom. 3.

habebatur, aliam privatim apud Lauriacum in Regno Caroli celebratam fuisse. Si solus Lotharius Synodum secus Theodouis villam è suis duntaxat ditionibus convocasset, satis probabile videretur idem ab ejus fratribus præstitum, à Carolo apud Lauriacum in pago Andegavensi, à Ludovico vel ultra Rhenum vel in aliquo pagorum quos ad citeriorem illius amnis ripam obtinebat.

Sergii Papæ literas ad Episcopos Cis-Alpinos pro Legatione Drogonis Episcopi Metensis ex Metensi Codice primus evulgavit Jacobus Sirmondus in antiquis [a] Conciliis Galliæ, recudendásque curavit Madaurensis Episcopus in Historia [b] Metensis Ecclesiæ. *Optaveram equidem, fratres carissimi, tam glorioso certamini nostram corporalem exhibere præsentiam, & pro recuperanda tam excellentis Ordinis gloria modis omnibus desudare. Sed quia nos cunctarum sollicitudo angit Ecclesiarum, ubi ipsi esse non possumus, more præcedentium nostrorum, moderationis nostra Vicarios damus. Ad nostra igitur humilitatis vicem, cunctis provinciis trans Alpes constitutis, Drogonem Archiepiscopum Metensem, Gloriosi quondam Karoli Imperatoris filium, cujus beatissimi moderatoris industria Romanorum Francorúmque concorporavit Imperium, cautâ deliberatione constituimus; ne, quia Serenissimi atque Piissimi filii nostri, Magni Imperatoris Hlotharii, ejúsque fratrum dilectissimorum filiorum nostrorum Hludowici & Karoli Regum avunculus* seu patruus *est, insuper sanctitate doctrináque conspicuus, ab hac Sede Sanctissima Apostolorum Principis auctoritate perceptâ, vestris necessitatibus vice nostrâ idoneus ubique minister existat. Et quia omnium vestrorum sollicitudinem illi gerere præcepimus* *, *omnium volumus obedientiâ comitari. Decet sanè, fratres, ut qui pro omnibus laborat, cunctorum subsidio fulciatur. Huic ergo in congregandis generalibus Synodis, in omnibus supradictarum regionum partibus, nostram commodamus auctoritatem, & quicquid provinciali Synodo fuerit definitum, ad ejus absque dilatione statuimus notitiam perducendum. Si cui autem ab illis partibus hanc Sanctam Sedem appellare opus fuerit, & in nostra audientia se audiri poposcerit, hunc commonemus, ut ad ejus primùm audientiam se summittat, & Ecclesiasticorum gestorum in sua regione rationabili digestione prolatâ, si Episcoporum de eo, qui fortè criminibus impetitur, sententia discordaverit, ut ab aliis reus, innocens judicetur ab aliis, tunc ipsis gestis ad nos delatis, literis etiam præfati fratris nostri, cui vicem nostram concessimus, commendatus, sive ad nos sive ad beatissimi Petri Sedem securus accedat, nulláque eum in veniendo mora præpediat. Quam etiam condicto fratri nostro Drogoni Archiepiscopo in examinandis ac perquirendis Episcopis & Abbatibus, sub hoc tenore hanc nostram licentiam & auctoritatem concessimus, salvo & omnibus hujus universalis Romanæ Sedis Primatu, nostríque Præsulatûs honore, vigoréque & exaltatione carissimi ac spiritalis filii nostri Domni Hlotharii Magni Imperatoris. Nam nobis valdè placuit, propter diversas Ecclesiarum Dei perturbationes hoc necessarium satísque dignum opus explere. Si verò hac admonitione contemptâ, solâ improbitate se criminibus exuendum existimaverit, noverit à nostra mansuetudine nequaquam se temerariam absolutionem adepturum, nisi primùm & provinciali Synodo, & postmodum generali prædicti fratris nostri audientiâ, ejus fuerit actio ventilata. Illic enim causa subtiliùs examinatur, ubi perpetrata dinoscitur. Tamen si se ad nos venire poposcerit, ut antè prædiximus, non teneatur. Si autem vel sui Metropolitani provincialem Synodum evocatus adire noluerit, vel ad generalem præfati Vicarii legatíque nostri Conventum venire contempserit, cùm hac nostris Apostolicis auribus per suas literas intimare decreverit, nostrâ & totius Ecclesiæ Catholicæ se noverit auctoritate judicandum. Quòd si violentiam sibi à Religiosis filiis nostris Regibus quilibet Episcoporum, quominùs Canonum statuta custodiat, queritur irrogatam, nos hoc suffugium, annuente Domino, literis ad eos missis credimus amputandum. Nequaquam enim auditu tolerabile est, ut germanorum fratrum in fide Trinitatis terna societas à sui dilectione & communi juris æquitate dissiliat. Quòd si eorum quilibet post discordia principem abire maluerit, nec Catholicâ fuerit pace contentus, hunc meritò,*

[a] Tom. 3.
[b] Lib. 3. in Episc. 40.
* Meurisſ. præcipimus.

AN. CH. 844.
LOTHAR. IMP. 28.
LUDOV. SEN. R. 28.
CAROLI R. 15.
LUDOV. JUN. R. 1.

Deo auxiliante, Canonicis auctoritatibus, prout meliùs possumus, castigare studemus. Ceterùm, fratres, tanquam sub uno caritatis globo constitutam vestram alloquor Sanctitatem, ut id ipsum omnes sentiatis, & non sint in vobis schismata, neque per aliquos inanium argumentationum cuniculos, vel vobis ipsis, vel populo vobis commisso, veritatem subducatis, quæ absque refragationis diverticulo vera prosequitur dicens, [*beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur.*] *At contrà qui bella volunt, quia diaboli filii sint palàm datur intelligi. Sed nos in eo qui vincit mundum, Beato Petro Apostolo intercedente, confidimus, quòd nullo typo secularis audaciæ vestra succumbit auctoritas, tamen etsi ad tempus prævaluerint, quia in æternum damnabuntur ambiguum non est. Vos autem etsi persecutionem patimini propter justitiam, beati. Deus vos incolumes custodiat, fratres. Amen.* Has literas Madaurensis Episcopus datas ait hoc anno Romæ, quarto Idus Februarii, cùm illic Ludovicus Rex ejúsque patruus Drogo Metensis Antistes versarentur. Electus quidem in Pontificem legitur hoc anno Sergius quarto Idus Februarii, sed illo die prædicti Ludovicus & Drogo Româ procul aberant, illis enim iter in Italiam non priùs fuit imperatum à Lothario, quàm nuncius in Galliis auditus de Sergio in Papam electo ac consecrato. Ludovicus cum Drogone Romam ingressus est sexto Idus Junii, Réxque coronatus est à Sergio Papa decimo-septimo Kalendas Julii. Posteà Papiam se contulit, quæ Sedes erat Regia Longobardorum. Drogo verò rediit ad Lotharii comitatum, & apud Judicium non procul à Theodonis villa mense Octobri præsedit Synodo, quæ generalis appellatur, utpote congregata ex tribus Franciæ Regnis, sive ex universa Francia quæ tunc in tria Regna pro totidem Ludovici Pii filiis dividebatur.

LXXIII. Hujus Synodi Præfatio talis est in editionibus Sirmondana, Meurissiana, & Baluziana. *Navis Sancta Ecclesia ab exordio suo variis sæpè perturbationibus mersa, sed excitato fidelium precibus gubernatore suo Christo numquam est usquequaque demersa. Quæ quondam etiam & nunc videtur, penè conlapsa, progenitorum vestrorum studio & devotione est auctore Deo juxta modum divinitus concessum recuperata. Unde immensas Domino Deo nostro laudes referimus, qui & corda vestra ad intentionem similem excitavit, & post vestigia patrum vestrorum, quibus per temporale Regnum ad æternum perveniatis, ire velle docuit & inspiravit. Vestræ nihilominùs Nobilissimæ Dominationi multimodas gratiarum actiones rependimus, quia ad evitandum & vestrum & nostrum periculum, & ad communem totiúsque populi providendam salvationem, bonam & beneplacitam Dei voluntatem subsequi, & divinum consilium secundùm præceptum Domini, quo dicitur,* [*interroga Sacerdotes legem meam,*] *&,* [*interroga patres tuos, & adnuntiabunt tibi*] *à nobis quamquam indignis Christi tamen Vicariis quærere, & benignâ devotione, velut reverà ex ore ipsius Dei, expectare dignamini. Quod humilitatis vestræ suprema donum Sancta Ecclesia cum tanto gaudio suscipit, ut de vobis etiam in consolatione sua sibi dictum a Domino aptare velit.* [*Pro patribus tuis nati sunt tibi filii.*] *Id est, pro istorum progenitoribus, qui te paterno affectu ditaverunt, & ampliaverunt, ac coluerunt, nati sunt tibi isti filii, qui in te & paterna munera resarciant, recuperent, & conservent, & te fideli devotione, ut bonæ indolis adolescentes, me super eos intendente, eísque manum solatii porrigente, tueantur & excolant.* Sequuntur sex Capitula.

LXXIV. Primo Capitulo Synodus Reges ipsos, ut mutuam inter se caritatem & concordiam habere studeant, sic adhortatur. *His ita præmissis, Nobilissimi Domini, ut cum pace vestra dicamus, quia constat hanc Sanctam Ecclesiam sanguine Christi redemptam, & prædecessorum vestrorum multo labore redintegratam ac adunatam atque gubernatam, vestrâ discordiâ esse discissam, & perturbatam, atque adflictam; videtur nobis, si & in præsenti feliciter regnare, & in futuro cupitis esse salvi, & ab hac eadem Ecclesia vobis ad gubernandum commissa, pro qua ex Ministerio Regali reddituri estis Regi Regum rationem in die judicii, tam multiplices ac perniciosas corruptionis pestilentias vultis amovere, & vigorem Re-*

gium & Seniorale & super vestros & super impugnantes potestatem vestram optatis AN. CH.
habere, caritatem illam, quam Apostolus docuit, [de corde puro & conscientia 844.
bona & fide non ficta] inter vos studete habere, & quia sic habeatis, & fidelibus LOTHAR.
& infidelibus vestris omni virtute & puritate curate manifestare, sicut Dominus IMP. 28.
docuit, dicens. [In hoc cognoscent omnes, quia mei estis discipuli, si dilectionem LUDOV.
habueritis ad invicem.] Quæ non tantùm verbo & linguâ, sed potiùs remoto quo- SEN. R. 28.
libet modo omni occultâ nocendi machinatione, aut quod absit alienâ à caritate CAROLI
apertâ impugnatione, quocumque quis indiget, pro viribus verò consilia & prom- R. 15.
pto auxilio ab altero adjuvetur, quoniam scriptum est, [frater qui adjuvatur à LUDOV.
fratre, quasi civitas firma. Et ita in populum vobis commendatum, pro ista quæ JUN. R. I.
hactenus operante per membra sua diabolo versata est discordia, pacem illam disse-minate, quam Christus in cælum ascendens fidelibus suis munere magno reliquit dicens [pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis,] sine qua nemo videbit Deum.

Secundo Capitulo Synodus eosdem rogat Reges, ut bellorum civilium LXXV.
damna resarciant, nec diutiùs patiantur Ecclesias vel interpontificio laborare, vel suis Episcopis privari. *Quia benè nostis ab illo, qui solus meritò & Rex & Sacerdos fieri potuit, ita Ecclesiam dispositam esse, ut Pontificali auctoritate & Regali potestate gubernetur, & scriptum esse liquidò pervidetis, [ubi non est gubernator, populus corruit,] & tantò periculosiùs quantò anima plùs est pretiosa quàm corpus; Canonum etiam irrefragabilis auctoritas super Episcoporum ordinatione, & in populi ad custodiendum suscepti vigilantia ac Sedium suarum tenaci stabilitate evidentissimè præcipiat; ferventissimè Dei legatione fungentes monemus, ut Sedes, quæ vestrâ discordiâ ulterius nec nominandâ sine sacro Episcopali Ministerio & sine Episcopis viduatæ manent, submotâ funditus peste Simoniacæ hæreseos, sine dilatione juxta auctoritatem Canonicam, aut Episcopos à Deo datos & à nobis regulariter designatos & gratiâ Sancti Spiritûs consecratos accipiant; aut quæ suis quacumque occasione privatæ sunt, canonicè eos sine aliqua excusatione aut tarditate recipiant.*

Tertio Capitulo Synodus à Regibus postulat, ut Monasteria, quæ laï- LXXVI.
cis concessa sunt, religiosis deinceps viris seu fœminis committantur. *Sacrum quoque Monasticum Ordinem à Deo inspiratum, & ab ipsis Apostolis fundatum, seu à nominatissimis ac sanctissimis patribus excultum, atque per istud Imperium à vestris piæ memoriæ prædecessoribus propagatum, & quædam etiam loca specialiùs venerabilia, contra omnem auctoritatem & rationem ac patrum vestrorum seu Regum præcedentium consuetudinem, laicarum curæ & potestati in maximo vestro periculo, & illorum perditione, & Dei ac Sanctorum non modica ad irascendum provocatione, vos commisisse dolemus. Quapropter pro Christo devotissimè obsecramus, ut tam magnam offensam & justam reprehensionem atque periculosam sine exemplo præcedentium præsumptionem ab animabus vestris & à felicitate Regni vestri pellatis, & loca venerabilia & habitum ac ordinem sacrum eis qui ad hoc vocati sunt, viris scilicet ex Clericali & Ecclesiastica vel Monastico Ordine religiosis, seu & in suo sexu fœminis Deo dicatis atque devotis, & in schola Christi eruditis, ad custodiendum & providendum committatis, qui & quæ Dei sunt Deo, & quæ sunt Cæsaris Cæsari reddant. Qui si minùs perfectè & in divina religione & in rei publicæ utilitate profecerint, aut corripiantur, aut meliores & utiliores in locis eorum substituantur, & non propter pravorum nequitiam ordo religiosus & loca sacratissima eis quibus licitum non est committantur, cùm manifestissimè Scriptura demonstret Ozam morte damnatum, qui arcam Domini quasi cadentem relevare voluit, quàm vel contingere inlicitum ei fuit.*

Quartum Capitulum est de rebus Ecclesiæ non pervadendis. *Occasionem* LXXVII.
etiam & fomitem, unde Ordo Ecclesiasticus & Canonica forma atque Monastica religio sæpè à longè superiori tempore, cùm minùs religiosos Principes habuit, titubavit & penè conlabens deperiit, & iterum cùm devotos & in Dei zelo ferventes Principes accipere meruit, resurrectione quadam revixit & vigorem recepit, at-

AN. CH 844. LOTHAR. IMP. 28. LUDOV. SEN. R. 28. CAROLI R. 15. LUDOV. JUN. R. 1.

que sui processûs tempore ambulavit (quod non sine gravi dolore & metu ultionis divina dicimus) in vestri regiminis tempore in destructionem, non in ædificationem, sicut Paulus docuerat, accidisse conspicimus. Quod & nostris peccatis, qui dispensatores & Pastores Ecclesiarum esse debuimus, veraciter imputamus; & eorum, quorum factione res ista adeò malè pullulavit & excrevit, alia præcedentia peccata hoc meruisse pro certo auctoritate divinâ cognascimus, ut qui nocebant, sicus scriptum est, nacerent adhuc, & qui in sordibus erant sordescerent adhuc, unde Deum graviùs ad iracundiam provocarent, & Sanctos, quos intercessores suis peccatis habere debuerant, infensos haberent, & Sacerdotes ac viros religiosos seu Christi pauperes, quos oratores & reconciliatores sibi de suo promereri necesse fuerat, proclamatores adversùm se fieri irritarent, & ad cumulum suarum peccatorum, etiam illa peccata, unde in conspectu Dei rationem in die terribilis judicii redderent, augerent, quæ illi commiserunt, qui eadem ista peccata per intercessionem fidelissimarum oblationum deleverunt, quas Ecclesiasticarum rerum pervasores inconsultè & in perniciem sui sine reverentia abutuntur. Quod ita verum esse ut dicimus Dominus protestatur dicens. [Peccata populi mei comedunt.] Peccata enim populi comedunt, qui contra auctoritatem divinam res Ecclesiasticas indebitè pervadunt, & nec intercessionis ope, nec prædicationis consilia, vel quocumque divino auxilio, pro peccatis eorum qui eas dederunt laborant, nec pio operi, ad quod fides fidelium fas tradiderat, inservire permittunt. De quo periculosa facto vos, Christianissimi Principes, venerabiliter admonemus & devotissimè obsecramus, ut memores salutis vestræ, præsentis scilicet & æternæ, memores etiam largitatis progenitorum vestrorum erga Sanctas Ecclesias, propter quam feliciter regnaverunt, & sibi contrarios superaverunt; memores siquidem cum quanta religione etiam ante Christi sanguinem & in tempore famis in Ægypto discretione Sancti Joseph apud nefandum regem Pharaonem terra Sacerdotalis extitit. Innumera quoque Scripturarum exempla, ut lacte Ecclesiæ nutriti, & scientiæ ipsius uberibus sufficienter repleti, ante oculos reducentes, tunicam Christi, qui vos elegit & exaltavit, quam nec milites ausi fuerunt scindere, tempore vestro quantociùs reconsuite & resarcite, & nec violentâ ablatione, nec inlicitorum præceptorum confirmatione, res ab Ecclesiis vobis ad tuendum & defendendum ac propagandum commissis auferre tentate, sed ut sanctæ memoriæ avus & pater vester eas gubernandas vobis fautore Deo dimiserunt, redintegrate, & præcepta Regalia earumdem Ecclesiarum conservate ac confirmate. Ne sicut intentavit Samuel Propheta ad Roboam filium Salomonis in conscissione pallii, præsens Regnum, quod absit, vobis patrum labore adquisitum, & hæreditate relictum, à vobis ipse Christus dividat, & æternum Regnum, quod promisit non tribuat. Nec contra Dei faciem iratas hominum facies consideretis, quia si ad tempus illis displicueritis, cùm vos Deo placebitis, in vobis ille quod promisit implebit, cùm placuerint, inquiens, Domino viæ hominis, omnes inimicos ejus convertet ad pacem. Quod ut commodiùs valeatis implere, unusquisque vir Ecclesiasticus & intercessionis adjutorium, & solatii quo res publica indiget subsidium, juxta quantitatem rerum Ecclesiæ sibi commissæ, salvo jure quod exinde divinis dispensationibus debet impendi, promptè & ex animo parare, & impigrè, sicut tempore antecessorum vestrorum consueverat, studebit offerre.

LXXVIII. Quinto Capitulo Synodus à Regibus petit, ut locorum religiosorum, quæ laïci tenent, curam interim & providentiam gerant Episcopi. *Et quia Sancta Ecclesia, in area trituræ Dominicæ docta, quædam novit redarguenda, quædam dissimulanda, quædam etiam gemenda usque ad tempus perferenda perspeximus, eò ferventiori zelo quo majora corrigenda sunt, vestram potestatem & Sacerdotalis consilii auctoritatem, quædam ad præsens ex asse non valere corrigere. Et ideò de Canonicorum Monasteriis & Sanctimonialium, quæ sub eadem forma vivere dicuntur, consideravimus, sicut Apostolus Paulus dicit, secundùm indulgentiam, non secundùm imperium, ut si propter imminentem rei publicæ necessitatem laïcis interim committuntur, Episcopi providentiâ in ejus parochia consistunt, adjuncto sibi aliquo Abbate viro religioso, studeatur, qualiter restauratio locorum,*

AN. CH. 844. LOTHAR. IMP. 28. LUDOV. SEN. R 28. CAROLI R. 15. LUDOV. JUN. R. 1.

& studium & custodia officii & religionis, atque subsidium temporalis necessitatis, in eisdem locis degentibus, juxta qualitatem & quantitatem moderationis, adhibeatur & ministretur. Et qui eadem loca tenuerint, eis inde, sicut & de aliis Christiana Religionis negotiis, pro Christi, & vestra reverentia obediatur. Quòd si quis non fecerit, Provisorum cura erit, ut ad vestram hoc notitiam referant, & vestra Dominatio, secundùm sibi à Deo commissum ministerium, pro modo culpa qua emendanda sunt corriget. Per loca etiam Monastica ejusdem Ordinis Provisores necesse erit disponere, cùm vestra auctoritas eos, qui vices Christi secundùm Regulam divinitus dictatam in Monasteriis agant, studuerit ordinare.

Sexto Capitulo Synodus postulat, ut Ordo Ecclesiasticus antiquum vigorem recipiat, judicium & justitia omnibus reddatur, & pœnitentia de præteritis erroribus agatur. *Petimus tandem ut Ordo Ecclesiasticus, in quibuscumque ei fuerit necesse rigorem salutis humana exercere, per potestatem vestram & per Ministerium Ministrorum Dominationis vestra, secundùm antiquam consuetudinem suum vigorem recipiat. Et populi generalitas unà cum Ecclesiastica devotione, judicium quod honor Regis diligit, & justitiam quâ thronus ejus firmatur, per dispositionem vestram suscipiat; seu admonitione atque consilio Sacerdotali vestra Sublimitas, & quisque in quolibet statu vel ordine de rapinis & ceteris, qua discordia malo acciderunt, prateritis erroribus pœnitudinem gerat, & Domini reconciliationem expostulet. Quam facilè omnis qui quasierit inveniet, si in loco discordia plantata fuerit caritas, qua cooperit multitudinem peccatorum; cúmque potiùs quàm nos in consilio non nostro, sed Dei, attendatis qui dixit. [Qui vos audit, me audit, & qui vos spernit me spernit. Non enim vos estis qui loquimini, sed spiritus patris vestri qui loquitur in vobis.]* LXXIX.

Inter Capitularia Caroli, Jacobus Sirmondus ut Titulo secundo Capitulare prope Theodonis villam, sic & Titulo tertio Vernense quod sequitur cum hac edidit epigraphe. *Canones Concilii in Verno Palatio habiti, ubi præsedit Ebroïnus Pictavorum Episcopus, & Wenilo Senonum Archiepiscopus, necnon & Hludowicus Sancti Dionysii Abbas, & Hincmarus pòst Remorum Episcopus, anno v Regni Domini nostri Karoli, filii Hludowici Imperatoris, mense Decembrio, Indictione* VII. Primum horum Capitularium quod penè totum in Concilio Meldensi jam legebatur, ab eodem Sirmondo bis editum est, in Capitularibus Caroli, & in antiquis Conciliis [a] Galliarum, recusúmque ab Episcopo Madaurensi in Historia [b] Metensis Ecclesiæ, à Philippo Labbeo in duabus editionibus Conciliorum Regia [c] videlicet ac Parisiensi [d], novissimè à Stephano Baluzio in locupletissima Capitularium Collectione [e]. Recusum fuit & alterum in iisdem Conciliorum & Capitularium editionibus. Utrique apud Sirmondum quintus Caroli Regis annus apponitur, apponitur & Indictio septima, per mensem Octobrem uni, alteri per Decembrem. Sulus Labbeus servato Caroli Regis anno quinto Indictionem octavam loco septimæ reponendam censuit, suámque mentem ter expressit, semel in cenotaphio Papissæ funditus exciso, iterum in Historica Conciliorum Synopsi, tertiò in postrema eorumdem Conciliorum editione. Postquàm Capitula secus Theodonis villam edita Vernenséque Canones in cenotaphio Papissæ laudavit, hanc adjecit censuram. *Verùm irrepsit error in notam Indictionis, qua utrobique numerari debuit* VIII *non* VII, *an. 5 Karoli.* In Synopsi Conciliorum de Capitulis prope Theodonis villam conditis ita scripsit. *Statuta sunt Capitula sex ab Episcopis mense Octobri, anno 5 Caroli Regis, Indictione non 7, ut mendosè in Capitularibus, Conciliis Gallia, & in Collectione Regia editum est, sed 8.* Et de Vernensi Concilio, sic. *Decreti Canones 12, anno Regni Caroli quinto, mense Decembrio, Indictione non 7 sed 8, ut mox jam observabamus, & ex Joanna Papissa cenotaphio everso pluribus docuimus.* Denique in ultima Conciliorum Collectione, eùm repetit has voces, *Indictione* VII, marginem ad Concilium prope Theodonis villam hac auxit notatiunculâ, *imò leg.* VIII *monuimus in synopsi & cenotaphio Papissa*; & ad LXXX.

[a] Tom. 3.
[b] Lib. 3. in Episc. 40.
[c] Tom. 21.
[d] Tom. 7.
[e] Tom. 2.

AN. CH. 844. LOTHAR. IMP. 28 LUDOV SEN R. 28 CAROLI R. 15. LUDOV. JUN. R. 1.

Vernense, *legendum esse* VIII *aliàs docuimus.* Existimavit annum Redemptoris octingentesimum quadragesimum-quartum, cujus prior pars ad annum Caroli Regis quartum, posterior ad quintum pertinuit, duabus etiam Constantinopolitanis sive Imperialibus illigandum Indictionibus, septimæ ante Kalendas Septembres, octavæ post easdem Kalendas. At non animadvertit usum Indictionis Regiæ seu Francicæ, quæ post Ludovici Pii mortem à Francorum Regibus usurpari cœpit, & initium non à Kalendis Septembribus, sed ab eodem habuit die quo Christianus annus, unde & Christiana nonnumquam dicta reperitur. Annus igitur Redemptoris octingentesimus quadragesimus-quartus, qui partim cum quarto partim cum quinto Caroli Regis anno, necnon & partim cum septima Indictione Constantinopolitana partim cum octava componitur, totus cum septima Indictione Regia seu Francica convenir. Quis autem è Caroli Capitularibus expungendam censeat Indictionem Francicam, ut Constantinopolitana superinducatur?

LXXXI. Generali Synodo prope Theodonis villam in sorte Lotharii sitam è triplici Francorum Regno mense Octobri celebratâ, Carolus ad suas ditiones reversus in Vernensi Palatio consedit. Illic habitum mense Decembri Concilium, quod Vernense dicitur secundum, ut distinguatur à primo de quo fusè Tomo quinto sub Pippino Rege disseruimus ad annum Christi septingentesimum quinquagesimum-quintum [a].

[a] Nu. 181. & seqq.

LXXXII. Extant secundi Vernensis Concilii Canones duodecim, quibus præponitur hæc ad Carolum Regem Præfatio. *Gratias Omnipotenti Deo referimus, inclyte Rex Carole, nos Episcopi & ceteri fideles, qui ex diversis partibus ad Vernum evocati sumus, quòd depositâ discordiâ, unde tot mala processerunt, qua & enumerare longum est, & declinare adhuc impossibile, redistis ad pacem cum fratribus vestris, quam & naturâ vobis & religione debetis. In qua ut semper maneatis per Christum, qui pax nostra est, obsecramus, ut qui maximas res vestras discordiâ penè dilapsas videtis, concordiâ & fido adjutorio relevatas citò adspiciatis. Cedendum est enim Deo, de quo verissima continent litera,* [*potestatem habet Excelsus in Regno hominum, & cuicumque voluerit dabit illua*] *& qui dignatione mirabili pollicetur,* [*beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur.*] *Ceterùm quia eodem Deo inspirante dignati estis jubere, ut de statu Ecclesia, qui vehementer magnitudine ac multitudine peccatorum nostrorum confusus est, tractaremus, in nomine & adjutorio ejus, qua communi deliberatione reperimus, Celsitudini vestra ac populi fidelis devotioni humiliter aperimus. Neque enim nos justos approbare contendimus. Consideratione conscientia nostra illud Hieremia suppliciter dicamus.* [*Misericordiâ Domini, quia non sumus consumpti, quia non defecerunt miserationes ejus.*] *Sed ad Deum reversi, & vos nobiscum trahere meditantes, officium nostrum exequimur cunctis acquiescentibus profuturum. Quippe non vobis nostrâ, sed illius auctoritate loquimur, qui ait.* [*Qui est ex Deo, verba Dei audit.*] *Absit autem ut in vobis impleatur quod sequitur.* [*Propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis.*] Huc usque Præfatio. Sequuntur Canones.

LXXXIII. Primo Canone Synodus Regem monet, ut Dei cultum rebus omnibus præferat, & misericordiam cum judicio & justitia conservet. *Vos*, inquiunt Episcopi, *primò, convenimus, ut quia vestra probitas cunctis vobis potest prodesse subjectis, cultum Dei rebus omnibus præferatis. Námque ipse dicit.* [*Qui glorificant me, glorificabo eos: qui autem contemnunt me, erunt ignobiles.*] *Præterea misericordiam & judicium atque justitiam conservetis. Scilicet ut misericordia temperet severitatem potestatis, judicium comprimat obstinatè peccantes, justitia merentibus digna restituat. Siquidem* [*beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur,*] *&* [*beati qui custodiunt justitiam, & faciunt justitiam in omni tempore,*] *&* [*honor Regis judicium diligit,*] *& justitiâ firmari thronum Regis sapientissimi Salomonis, immo per eum loquentis Dei prodit auctoritas. Taliter vobis agentibus, vel incruentam vobis, ut credimus, vel justam de hostibus victo-*

riam divina gratia providebit. Exemplo vobis esse possunt David & Ezechias, qui merito sanctitatis inimicos populi Dei vel pugnando, vel orando, mirabili celeritate vicerunt, sed & domesticum lumen Carolus, qui nomen quod familia vestra peperit clarissimis actibus adornavit. Nec Regni vobis amplitudinem ac soliditatem tantummodo, verùm etiam vobis benè gerentibus, post vita hujus excursum, eadem Dei gratia gloriam largietur æternam, cui Rex & Propheta suspirans, satiabor, inquit, cùm apparuerit gloria tua. Hæc autem vestræ Majestati non temerè suggerimus, quia vestri quoque cura nobis commissa est, quorum ministerio per fidem atque baptisma mundati, diem tremendi judicii cum ceteris fidelibus expectatis.

AN. CH. 844. LOTHAR. IMP. 28. LUDOV. SEN. R. 26. CAROLI R. 15. LUDOV. JUN. R. 1.

Secundo Canone postulant Episcopi, ut à Rege mittantur Legati, qui scelerum patratores & Apostolicæ disciplinæ contemptores coerceant. *Verùm ut ad nos Episcopos redeamus, per hanc civilem, immo*, ut addit editio Baluziana, *plusquàm civilem discordiam multa interdum in nobis ipsis, ac aliis nobis commissis, negleximus, interdum negligere coacti sumus, ita ut in omnibus Ordinibus Religio magnum detrimentum acceperit, & alii quidem per ignorantiam in interitum tendant, alii verò longâ licentiâ assuefacti impunè se peccare posse confidant. Tandem igitur ad propriam & ceterorum correctionem conversi, quæsumus ut scelerum patratores & Apostolicæ disciplinæ contemptores, missis à latere vestro probatæ fidei Legatis, absque respectu personarum & excæcatione munerum, coerceantur, & otio nobis, quantùm possibile est, concesso, sermo Dei prædicando fructificet, & Canonum reverenda auctoritas debitum in omnibus vigorem obtineat.* LXXXIV.

Tertio Canone Synodus poscit, ut à Rege cum Episcoporum notitia mittantur religiosi & idonei viri, qui Monasteria scrutentur & corrigant, in quibus collapsa est disciplina. *In locis Sanctis, hoc est, Monasteriis, alios studio, nonnullos desidiâ, multos necessitate victûs & vestimenti à sua professione deviare comperimus; quod petimus ut in omnibus Parrochiis directi à vestra Mansuetudine religiosi atque idonei viri cum notitia Episcoporum scrutentur & corrigant, ac singulorum locorum statum vestræ Celsitudini & nostræ mediocritati tempore à vobis constituendo renuntient.* LXXXV.

Quartus Canon est de Monachis vagis, profugis, & ejectis, necnon & de Clericis suarum desertoribus Ecclesiarum. Præcipit Synodus, ut Monachi vagi sua revertantur ad Monasteria, & Clerici qui proprias Ecclesias deseruerunt ad eas redeant, Monachi verò profugi vel ejecti corrigantur. *Monachos, qui cupiditatis causâ vagantur, & Sanctæ Religionis propositum impudenter infamant, ad sua loca jubemus reverti, & regulariter Abbatum solertiâ recipi. Eis autem, qui post evidentem professionem Monachicum etiam habitum reliquerunt, vel qui suâ culpâ projiciuntur, nisi redire & quod Deo spoponderunt implere consentiant, hoc credimus posse remedio subveniri, si in ergastulis inclusi tamdiu à conventu hominum abstineantur, & pietatis intuitu convenientibus macerentur operibus, donec sanitatem correctionis admittant. Namque illi, qui quondam Monachi, posteà relictâ singularitatis professione ad militiam vel ad nuptias devolvuntur, Papa Leonis decreto publicæ pœnitentiæ satisfactione purgandi sunt. De Clericis autem Ecclesiarum suarum desertoribus antiqua forma Chalchedonensis Concilii servanda est, quæ præscribit, ut si Episcopus susceperit Clericum ad alium Episcopum pertinentem, & susceptus & suscipiens communione privetur, donec is qui migraverat Clericus, ad propriam revertatur Ecclesiam.* Leo Magnus [a] ad Inquisitionem decimam-quartam Rustici Narbonensis Metropolitæ de Monachis qui aut militare cœperint aut uxores accipere, sic respondit. *Propositum Monachi proprio arbitrio aut voluntate susceptum, deseri non potest absque peccato. Quod enim quis vovit Deo, debet & reddere. Unde qui relictâ singularitatis professione, ad militiam vel ad nuptias devolutus est, publica pœnitentiæ satisfactione purgandus est, quia etsi innocens militia, & honestum potest esse conjugium, electionem meliorem deseruisse transgressio est.* Et Canon vicesimus Concilii Calche- LXXXVI.

[a] Ep. 92. vet. edit. 2. novæ edit.

AN. CH. 844. LOTHAR. IMP. 28. LUDOV. SEN. R. 28. CAROLI R. 15. LUDOV. JUN. R. 1.

donensis sic editus est. Κληρικοὺς, εἰς ἐκκλησίαν τελοῦντας, καθὼς ἤδη ὡρίσαμεν, μὴ ἐξεῖναι εἰς ἄλλης πόλεως τάττεσθαι ἐκκλησίαν, ἀλλὰ στέργειν ἐκείνην, ἐν ᾗ ἐξ ἀρχῆς λειτουργεῖν ἠξιώθησαν, ἐκτὸς ἐκείνων, οἵ τινες ἀπολέσαντες τὰς ἰδίας πατρίδας, ἀπ᾽ ἀνάγκης εἰς ἄλλην ἐκκλησίαν μετῆλθον. εἰ δέ τις ἐπίσκοπος μετὰ τὸν ὅρον τοῦτον ἄλλῳ ἐπισκόπῳ προσήκοντα δέξεται κληρικὸν, ἔδοξεν ἀκοινώνητον εἶναι καὶ τὸν δεχθέντα καὶ τὸν δεξάμενον, ἕως ἂν ὁ μεταστὰς κληρικὸς, εἰς τὴν ἰδίαν ἐπανέλθῃ ἐκκλησίαν. *Clericos in Ecclesia ministrantes, sicut jam constituimus, in alterius civitatis Ecclesia statutos fieri non oportet, sed contentos esse, in quibus ab initio ministrare cœperunt, exceptis illis, qui proprias amittentes provincias, ex necessitate ad aliam Ecclesiam transierunt. Si quis autem Episcopus post hanc definitionem susceperit Clericum ad alium Episcopum pertinentem, placuit & susceptum & suscipientem communione privari, donec is qui migraverat Clericus, ad propriam fuerit regressus Ecclesiam.* Hujus Canonis initio Patres alludunt ad decimum, qui sic inchoatur. Μὴ ἐξεῖναι κληρικὸν ἐν δύο πόλεων καταλέγεσθαι ἐκκλησίαις κατὰ τὸ αὐτὸ, ἐν ᾗ τε τὴν ἀρχὴν ἐχειροτονήθη, καὶ ἐν ᾗ προσέφυγεν, ὡς μείζονι δῆθεν, διὰ δόξης κενῆς ἐπιθυμίαν. Τοὺς δέ γε τοῦτο ποιοῦντας, ἀποκαθίστασθαι τῇ ἰδίᾳ ἐκκλησίᾳ, ἐν ᾗ ἐξ ἀρχῆς ἐχειροτονήθησαν, καὶ ἐκεῖ μόνον λειτουργεῖν. *Non liceat Clericum conscribi in duarum urbium simul Ecclesiis, & in qua ab initio ordinatus est, & ad quam confugit, quasi ad potiorem, ob inanis gloriæ cupiditatem; hoc autem facientes invocari debere od suam Ecclesiam, in qua primitus ordinati sunt, & ibi tantummodo ministrare.*

LXXXVII. Quinto Canone Synodus Vernensis ex Innocentii Papæ Decreto docet, quomodo puniendi sint qui Monialibus illicitè junguntur. *Qui Sanctimonialibus illicitè miscentur, & sacrilega fœdera cum eis faciunt nuptiarum, eos Innocentii Papa censura à communione jubet suspendi, & nisi per publicam probatámque pœnitentiam omnino non recipi, aut his certè viaticum de seculo transeuntibus, si tamen pœnituerint, non negari.*

LXXXVIII. Sextus Canon est de sponsa ab alteto rapta & de pœna raptoris. *Ab altero verò desponsata & ab altero rapta puella, secundùm statuta Ancyrani Concilii, ei à quo desponsata fuerat reddenda est, etiamsi vim à raptore pertulerit. De raptoribus autem id nobis videtur optimum, ut quoniam Ecclesiasticam excommunicationem parvipendunt, secularium Legum * terreantur austeritate.* Alludit hic Canon ad decimum Ancyrani Concilii qui sic habetut. *Desponsatas puellas, & pòst ab aliis raptas, placuit erui, & eis reddi, quibus antè fuerant desponsata; etiamsi eis à raptoribus vis illata fuerit.* Τὰς μνηστευθείσας κόρας, καὶ μετὰ ταῦτα ὑπ᾽ ἄλλων ἁρπαγείσας, ἔδοξεν ἀποδίδοσθαι τοῖς προμνηστευσαμένοις, εἰ καὶ βίαν ὑπ᾽ αὐτῶν πάθοιεν.

* Sirmond. Regum.

LXXXIX. Septimus Canon est de Sanctimonialibus, quæ religionis causâ virilem habitum sumunt, aut crines adtondent. *Si qua Sanctimoniales causâ religionis, ut eis falsò videtur, vel virilem habitum sumunt, vel crines adtondent, quia ignorantiâ magis quàm studio eas errare putamus, admonendas castigandásque decernimus, ne fortè veteris ac novi instrumenti prævaricatrices, juxta Gangrensem Synodum, severitate anathematis ab Ecclesia corpore præcidantur.* Hic Canon alludit ad decimum-tertium Concilii Gangrensis, qui sic habetur. Εἴ τις γυνὴ διὰ νομιζομένην μεταβάλλοιτο ἀμφίασμα, καὶ ἀντὶ τοῦ εἰωθότος γυναικείου ἀμφιάσματος, ἀνδρεῖον ἀναλάβοι, ἀνάθεμα ἔστω. *Si qua mulier propter continentiam, qua putatur, habitum mutat, & pro solito muliebri amictum virilem sumit; anathema sit.* Porrò quæ Synodus Vernensis superioribus Canonibus ex Leone Magno & ex Conciliis, Ancyrano, Gangrensi & Calchedonensi ttanscripsit, leguntur in Codice Canonum, quem Carolo Magno Francorum Regi, cùm Romam profectus esset, ad usum Occidentalium Ecclesiarum dedit Hadrianus Pontifex anno Christi septingentesimo septuagesimo-quarto; idque observamus ut intelligas Francos eodem adhuc usos Codice, cùm Regnum penes Caroli Magni nepotes erat.

Octavus

AN. CH. 844. LOTHAR. IMP. 28. LUDOV. SEN. R. 28. CAROLI R. 15. LUDOV. JUN. R. 1.

Octavus Canon pertinet ad Episcopos, qui vel propter corporis imbecillitatem vel propter Regis indulgentiam ad bellum non eunt, rogátque Synodus, ut illi suos homines, annuente Rege, alicui ex ejus fidelibus committant, ne quid detrimenti res militaris patiatur. *Quoniam quosdam Episcoporum ab expeditionis labore corporis defendit imbecillitas, aliis autem vestra indulgentia cunctis optabilem largitur quietem, præcavendum est utrisque, ne per eorum absentiam res militaris dispendium patiatur. Itaque si vestra consentit Sublimitas, homines suos rei publicæ profuturos cuilibet fidelium vestrorum, quem sibi utilem judicaverint, committant, cujus diligentiâ, ne se ab officio subtrahere valeant, observetur.* Episcopi, quos aut corporis imbecillitas aut indulgentia Regis excusat, ad bellum cum suis hominibus proficisci non tenentur. Ne tamen res militaris aliquod ideò detrimentum capiat, viresque Regalium exercituum minuantur, poscit Synodus, ut iidem Episcopi suos homines cuipiam ex Regis fidelibus committant. Inde constat pravam tunc in usu fuisse consuetudinem, ut Episcopi & Abbates cum suis hominibus ad bellum procederent, quamvis id sæpè prohibitum fuisset. Lege quæ Tomo quinto ad annos Christi septingentesimum quadragesimum-tertium [a] & septingentesimum quadragesimum-quintum [b], necnon & Tomo sexto ad annos Christi septingentesimum octogesimum-primum [c], septingentesimum octogesimum-septimum [d], & septingentesimum nonagesimum-nonum [e] scripta sunt. XC.

Nono Canone Synodus obsecrat, ut Remorum Ecclesiæ Pastore diu destitutæ quamprimùm præficiatur Episcopus. *Remorum Ecclesiam diu multúmque Pastore destitutam, nuper spoliatam rebus, oneratam injuriis, absque ingenti dolore fateri non possumus. Et quia vestram Sublimitatem & nostram parvitatem eruere desideramus periculo, obsecramus ut tam fœdè lacerata Ecclesia redintegretur, atque juxta Venerabilium Canonum Constitutionem dignus ei celeriter quæratur Episcopus, ut Clerus & populus tantis attritus & spiritalibus & corporalibus incommodis, consolatione receptâ, cum suo Præsule pro vestra salute ac prosperitate communi, Domino studeat supplicare.* Anno Redemptoris octingentesimo tricesimo-quarto, cùm Ebo Remensis Archiepiscopus ob flagitia, quæ contra Ludovicum Augustum commiserat, in exilium procul ablegatus esset, Ecclesiæ Remensis administrationem sibi commissam suscepit Fulco Chorepiscopus. Anno Redemptoris octingentesimo tricesimo-quinto in Synodo apud Theodonis villam congregata Ebo secundùm professionem suam propriæ manûs subscriptione roboratam jussus est à Pontificali Ministerio recedere. Anno Redemptoris octingentesimo quadragesimo Lotharius Imperator Ebonem Sedi Remensi per vim restituit fugato trans Sequanam Carolo Rege. Anno Redemptoris octingentesimo quadragesimo-primo pugnatum est inter fratres acerrimè, victoria penes Ludovicum & Carolum stetit, Lotharius ultra Mosam fugit, eúmque secutus est Ebo Caroli victoris adventu vix audito. Anno Redemptoris octingentesimo quadragesimo-tertio vitam clausit Fulco Chorepiscopus, successit in idem munus Noto. Anno Redemptoris octingentesimo quadragesimo-quarto Romam Ebo profectus est, & *à Sergio Papa reconciliari, ac Pallium sibi tribui postulavit*, sed *idem Papa* non ignarus rerum quæ gestæ fuerant apud Theodonis villam, *communione tantùm concessâ dare Pallium renuit* [f], imò *nec communionem inter Clerum dignum suscipere* dixit [g], *sed inter communem populum communicandi licentiam tantummodo* haberet. Eodem anno, mense Decembri, habitum in Verno Palatio Concilium, & apud Carolum Regem de Remensis Ecclesiæ orbitate ac bonorum dilapidatione questi sunt Episcopi Canone proximè recitato. Quid secutum sit, dicemus anno sequenti. XCI.

Decimo Canone Synodus Regem rogat, ut in Ecclesia Aurelianensi ordinationem Agii Episcopi ratam esse permittat. *Aurelianensis etiam Ecclesia confusione maximâ noscitur laborare, tamen quia superiore anno Archiepisco-* XCII.

[a] Num. 45.
[b] Num. 51.
[c] Num. 124.
[d] Num. 24.
[e] Num. 48.
[f] Flodoard. l. 2. c. 20.
[g] Anastas. in Sergio II.

AN. CH. 844. LOTHAR. IMP. 28. LUDOV. SEN. R. 28. CAROLI R. 15. LUDOV. JUN. R. 2.

pus Wenilo suis annitentibus suffraganeis, ex eodem loco Aginum Presbyterum Palatii vestri memorata Ecclesia ordinavit, probabilium Canonicorum ac laïcorum attestatione instructus, & petitione impulsus, & eadem Ecclesia nostro & vestro vacat periculo, hujus rei alium exitum non videmus, nisi ut vestra Pietas quod à tantis viris factum est ratum esse permittat. Ut ex verbis hujus Canonis apparet ordinationem Agii Aurelianensis Episcopi, de qua sermonem anno priore fecimus, initio non satis probatam fuisse Carolo Regi, sic ex crebra mentione, quæ deinceps ejusdem Agii Episcopi fiet, illam ordinationem patet ratam habitam à Carolo, rogatu, ut existimamus, Synodi Vernensis.

XCIII. Undecimo Canone Synodus de Prælatione seu Legatione Apostolica Drogonis Metensis Episcopi censet expectandum Episcoporum Galliæ Germaniæque Conventum & consensum. *De Prælatione Reverentissimi Drogonis definire aliud non audemus, nisi expectandum, quàm maximus cogi potest, Galliæ Germaniæque Conventum, & in eo Metropolitanorum reliquorúmque Antistitum inquirendum esse consensum, cui resistere nec volumus nec valemus. Nobis tamen, si quid tale alicui committi potest, & non alia quàm quæ prætenditur latet causa, illi potissimùm convenire videtur, qui & communione Sacerdotii nobis, & Excellentiæ vestræ propinquitatis privilegio sociatur.* Metropolitæ ceterique Francorum Antistites Cis-Alpini Legationem Sedis Apostolicæ seu Drogoni seu cuipiam alii commissam ægerrimè ferebant, iique potissimùm quorum Diœceses erant extra limites sortis Lotharianæ. Facillimè in animos Regum induxerunt Lotharium specioso Legationis haud necessariæ prætextu nonnihil adversùs fratres suos moliri. Quapropter Canonis, de quo loquimur, præcipuus author videtur Carolus, qui Præsules Regni sui nolebat Lotharianæ ditionis Episcopo subesse. Tomo primo ad annum Christi quingentesimum quadragesimum-quintum [a], quando Francia in tria dividebatur Regna, quibus Childebertus & Clotarius fratres eorúmque nepos ex Theodorico fratre Theodobertus dominabantur, actum de Vigilio Papa, qui rogatus à Childeberto Rege vices suas Auxanio Arelatensi Metropolitæ per provincias in quibus jus Metropoliticum exercebat & per integrum prædicti Childeberti Regnum delegavit, ut ipsemet initio suarum literarum ad Episcopos intra Primatum Arelatensem consistentes ita testatur. *Dilectissimis fratribus, universis Episcopis omnium provinciarum per Gallias, qui sub regno vel potestate Gloriosissimi filii nostri Childeberti Regis Francorum constituti sunt, sed & his qui ex antiqua consuetudine ab Arelatensi consecrati sunt vel consecrantur Episcopo, Vigilius.* Idem Pontifex simillimis literis per easdem provincias idémque Childeberti Regnum vices suas Aureliano Auxanii proximo successori commisit, ut Tomo quoque primo ad annum Christi quingentesimum quadragesimum-sextum [b] observavimus, cùm omnis Francia penes prædictos Reges, Childebertum, Clotarium, ac Theodobertum, adhuc esset. Si Sergius exemplum Vigilii secutus fuisset, & ut Vigilius solum Childeberti Regnum in suis ad Auxanium & Aurelianum epistolis, sic & ipse solas Lotharii ditiones in Drogonis Legatione recensuisset, multis adversùs eam querelis obviasset. In Romanorum Pontificum Catalogo post Vigilium occurrit Pelagius Primus. Hic Sapaudo, qui post Aurelianum in Arelatensi Cathedra sedit, vices Sedis Apostolicæ *per universam Galliam* injunxit, quamvis literas acceperit ab uno duntaxat Childeberto Rege, quocum Clotarius ejus frater, alter Francorum Rex in Gallia tunc regnabat, ut dictum est etiam Tomo primo ad annum Christi quingentesimum quinquagesimum - septimum [c]. Sergio Pelagius magis placuit quàm Vigilius. At rerum Francicarum status anno Redemptoris octingentesimo quadragesimo - quarto non idem ac anno Christi quingentesimo quinquagesimo-septimo. Temporibus Pelagii Papæ bipertita Francia duobus obtemperabat Regibus, quorum major natu Childe-

[a] Nu. 3. & seqq.

[b] Nu. 2. 3.

[c] Nu. 2. 3. 4.

AN. CH. 844. LOTHAR. IMP. 28. LUDOV. SEN R. 28. CAROLI R. 15. LUDOV. JUN. R. 1.

bertus, sub cujus potestate erat Arelatum, carebat prole masculâ; Clotarius natu minor plures habebat filios, nihilque sibi vel illis timebat à fratre, cujus hæredem se futurum sperabat ex asse. Temporibus autem Sergii Pontificis tripertita Francia tribus parebat Regibus, quorum maximus natu Lotharius, in cujus Regno Metensis Diœcesis Drogonem Episcopum venerabatur, Ludovico & Carolo fratribus suis, cùm universæ Franciæ inhiaret, erat infensissimus. Inde magna disparilitas oritur inter Sapaudum & Drogonem Vicarios Sedis Apostolicæ, quos Romani Pontifices Pelagius Primus & Sergius Secundus instituerunt. Sapaudo lubenter se summiserunt Episcopi Francorum Gallicani, sive in Regno Childeberti cum eodem Sapaudo, sive in ditione Clotarii degerent. Drogo verò Vicariatum Sedis Apostolicæ per Cis-Alpinas regiones *effectu non habuit, non consentientibus quibus intererat*, ut scribit Hincmarus in Opusculo [a] de jure Metropolitanorum. Episcopi, quos in Verno Palatio Carolus è suo Regno congregavit, fuerunt ex eorum numero quorum intererat, cúmque Drogonis Prælationi non assentirent, modestissimâ usi sunt excusatione, quòd Germanicorum & Gallicanorum Antistitum frequentissimus cogi Conventus & consensus expectari deberet; simúlque insinuarunt Legationem hujuscemodi non esse necessariam, aliámque fortè præter illam quæ prætendebatur latere causam cur Drogoni fuisset commissa; ne tamen Drogonem aversari viderentur, ipsum ceteris longè præferendum pronuntiarunt, quòd & Episcopus & Regum patruus existeret. Absit, ut Sergius Papa quid egisse censeatur malo in Carolum Regem animo. Eodem enim tempore, quo suas in Cis-Alpinis regionibus vices Drogoni delegavit, Ebonem & Bartholomæum, qui suis Archiepiscopatibus, Narbonensi videlicet ac Remensi, in Carolino Regno sitis, ob crimen perduellionis exciderant, laicâ tantùm communione dignos dixit, quamvis in amicitia Lotharii Augusti & in comitatu Ludovici Regis essent Romæ cum Drogône. Audi denuò Anastasium in vita Sergii Papæ. *Ebbo quidam & Bartholomæus Archiepiscopi, qui pro criminibus suis privati honore ab Ecclesia fuerant expulsi, & à Sanctissimo Pontifice postulabant, ut eos reconciliare ac Pallium eis tribuere dignaretur. Quos etiam idem Præsul nec communionem inter Clerum dignos esse suscipere dicebat, sed inter communem populum communicandi licentiam tantummodo haberent.* In textu Hincmari ex parte jam allegato tria hæc notantur. Drogo, quia Imperatorum Regúmque filius, frater patruus, ac propatruus, Cis-Alpinum Sedis Apostolicæ Vicariatum ambiit; illo fungi non potuit, quia plerique, quorum intererat, tali Prælationi non assenserunt; repulsam patientissimè tulit, ne scandalum inter Coepiscopos oriretur, & schisma fieret in Ecclesia. *Drogo Metensium Episcopus, fastu Regia prosapia subvectus hanc Prælationem in Cis-Alpinis regionibus, nactâ quadam occasione, tempore Hlotharii Imperatoris apud Sergium Papam obtinuit, sed quod affectu ambiit, effectu non ambiit; & quod efficacia usu, non consentientibus quibus intererat, obtinere non potuit, patientissimè ut eum decuit toleravit, ne scandalum fratribus & consacerdotibus generans, schisma in Sanctam Ecclesiam introduceret.* Drogo prædictum Vicariatum visus est ambiisse, quia cùm omnis Francia penes Ludovicum Augustum esset, anno Redemptoris octingentesimo tricesimo-quinto ut Imperatoris frater aut Archicapellanus Concilio apud Theodonis villam seu depositioni Ebonis Archiepiscopi Remensis præsedit in præsentia septem aliorum Metropolitarum Episcoporúmque triginta-quinque. Factâ verò Franciæ divisione in tria Regna præsensit Ludovicum & Carolum Reges haud passuros, ut sibi quid juris vindicaret extra Lotharii ditionem, intra cujus fines Episcopatum gerebat, nec defuturos in eorumdem Ludovici & Caroli Regnis Archicapellanos, qui pari ac ipse potirentur auctoritate, ut in Vernensi Concilio mox patuit exemplo Ebroini Pictavensis Episcopi & in Carolino Palatio Archicapellani. Quapropter ne decideret è pristino

[a] Opusc. 44. n. 38.

AN. CH. 844. LOTHAR. IMP. 28. LUDOV. SEN. R. 28 CAROLI R. 15. LUDOV. JUN. R. 1.

gradu, Vicarius Sedis Apostolicæ cis Alpes esse voluit. Sermo de illo sæpiùs recurret. Interim hic observa graviter eos errare, qui mortuum [a] volunt hoc eodem anno, postquàm ex Italia rediit.

Duodecimo Canone Concilium Vernense postulat, ut quæ laïci loca prædiáque Ecclesiastica possident, Ecclesiis reddantur. *Veniemus nunc ad ultimam partem admonitionis nostræ, quam quâ intentione fundimus, dederit Deus ut vos ac Proceres cæteríque fideles eâ devotione suscipiatis. Videmus enim iram Dei nobis & vobis imminere, cùm pro rapinis & immanibus aliis sceleribus, tum etiam maximè, quòd Ecclesiæ facultates, quas Reges & reliqui Christiani Deo voverunt, ad alimentum servorum Dei & pauperum, ad exceptionem hospitum, redemptionem captivorum atque templorum Dei instaurationem, nunc in usu secularium detinentur. Hinc multi servi Dei penuriam cibi & potûs ac vestimentorum patiuntur, pauperes consuetam eleemosynam non accipiunt, negliguntur hospites,*

XCIV. *fraudantur captivi, & fama omnium meritò laceratur. Et quidem, si hæc à paganis pateretur Ecclesia, patientiam flagitaret. Nunc autem oppressi à filiis nostris, hoc est, ab his quos vel nos vel decessores nostri in Christo genuimus, Christianos eos nostro ministerio facientes, nullam patientiæ consolationem recipimus, quoniam de illorum interitu formidamus. Certè quod nullus quamquam impudentissimus negare audebit, possessio Ecclesiæ votum est fidelium, patrimonium pauperum, redemptio animarum. Votum ergo alterius quomodo quisquam Deo audet auferre? Hæreditatem pauperum quâ temeritate præsumit invadere? Unde alii suas animas redemerunt, cur inde alii suas perdunt? Itaque quædam loca venerabilia, quod nunquam anteà auditum est, laici ex integro possident; quorundam partem sibi vindicant, quorundam prædia multipliciter divisa in hæreditatem sibi dari fecerunt.* &c. Denique Synodus in fine Carolum Regem sic alloquitur. *Tu autem, Clarissime Rex, quia verissimè scriptum est [corrumpunt mores bonos colloquia mala,] fuge perversorum consortia & consilia, nec à te quisquam petere audeat quod Majestatem tuam præstare non deceat. Nec timeas iratos homines, hoc est, terram & cinerem, ampliùs quàm Deum qui te creavit, quique in veritate judicabit. Cujus voluntatem si perfectè secutus fueris, credimus quòd quorumlibet hominum te contumacia liberabit, & omnibus angustiis clementer eripiet, ac post hoc temporale Regnum ad perpetuum cumulatâ felicitate perducet. In fine omnes alloquimur, quòd si nostris salutaribus adquieveritis consiliis, vestro profectui plurimùm congratulabimur. Sin autem nos, immo Deum per nos loquentem contempseritis, necessitate implendi ministerii quod nollemus facere compellemur.* Huc usque Synodus Vernensis.

XCV. Annalista Fuldensis narrationem rerum hoc anno gestarum sic absolvit. *Hrabanus Sophista & sui temporis Poetarum nulli secundus librum, quem de laude Sanctæ Crucis Christi figurarum varietate distinctum difficili & mirando poemate composuit, per Ascribum & Hruodbertum Monachos Monasterii Fuldensis Sergio Papæ Sancto Petro offerendum transmisit.*

[a] Ap. Brower. l. 8. c. 96.

AN. CH. 845. LOTHAR. IMP. 29. LUDOV. SEN. R. 29. CAROLI R. 16. LUDOV. JUN. R. 2.

ANNUS

CHRISTI		845.
LOTHARII	IMP.	29. 26. 6.
	REG.	31. 26. 23. 13. 9. 6. 2.
LUDOVICI Sen.	REG.	29. 20. 11. 6. 2.
CAROLI	REG.	16. 13. 11. 8. 6. 2.
LUDOVICI Jun.	REG.	2.
INDICTIO		8.

ANNO DCCCXLV *Hludowicus*, Rex Orientalis Franciæ seu Transrhenanæ, XIIII *ex Ducibus Boemanorum cum hominibus suis Christianam Religionem desiderantes suscepit, & in octavis Theophaniæ* sive Epiphaniæ *baptizari jussit*. Hæc Annalista Fuldensis, qui principium anni sumit à die Natali Domini, ut suprà sæpiùs observatum. I.

Hoc anno, decimo Kalendas Martias, idem Ludovicus, cùm annum Regni sui duodetricesimum adhuc numeraret, ex quo Bojoariæ Rex à patre renuntiatus fuerat, Donationem Monasterio Inferioris Altaichii à Bribino Duce factam hoc confirmavit Præcepto, quod apud Gewoldum in Additionibus ad Hundium reperies[a]. *In Nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. Ludovicus Divinâ favente gratiâ Rex. Si enim ea, quæ fideles Regni nostri pro eorum opportunitatibus nos deprecati fuerint, implere studuerimus, non solùm Regium morem decenter implemus, verùm etiam eos procul dubiò fideliores & devotiores in nostro efficimus servitio, & ad æternam vitam feliciter obtinendam profuturum liquidò credimus. Quapropter comperiat omnium fidelium nostrorum præsentium scilicet & futurorum solertia, qualiter Bribinus fidelis Dux noster veniens in Procerum nostrorum præsentiam postulavit Serenitatem nostram, ut de rebus proprietatis suæ, quas ei in proprietatem concessimus, liceret ei partem aliquam ob memoriam ejus dare ad Sanctum Mauritium & ad Monasterium nostrum Altaha, cui tempore illo Otgarius præesse videbatur & Rector, cujus petitioni libenti animo assensum præbentes decrevimus ita fieri. Dedit itaque Bribinus fidelis Dux noster cum consensu & licentia nostra ad præfatum Monasterium Sancti Mauritii Martyris Christi de sua proprietate in suo Ducatu quicquid habuit ad Salapingiti infra terminos istos; in Orientem ultra Salam fluviolum usque in Slougenzim, Marchan & Stresmaren, & sic sursum per Salam usque ad Waltungesbuch, & sic inde usque in Hrabagisreit, & ad Chiristetin. Porrò verò prædictus fidelis Abbas Otgarius deprecatus est Celsitudinem nostram, ut easdem res per nostra auctoritatis Præceptum fieri jussimus, per quod decernimus atque jubemus, ut sicut prædicti termini in prædictis locis diffiniti * sunt, ita deinceps ad jam dictum Monasterium per hoc nostræ auctoritatis Præceptum ipsæ res nullo inquietante Deo auxiliante perpetuis temporibus consistant in proprium. Et ut hæc auctoritas nostræ largitionis firmior habeatur, & per futura tempora à fidelibus nostris veriùs credatur, & diligentiùs observetur, manu propriâ nostrâ subtus eam firmavimus, & annuli nostri impressione roborare jussimus. Data 10 Cal. Martii, anno, Christo propitio 28 Regni Domini Ludovici Serenissimi Regis in Orientali Fran-* II.

[a] Tom. 2. Metrop. Salisb.

* Edit diffinitissimè.

AN. CH. 845. LOTHAR. IMP. 29. LUDOV. SEN. R. 29. CAROLI R. 16. LUDOV. JUN. R. 2.

cia regnantis, Indictione 8. Actum Regensburg civitate Regiâ, in Dei Nomine feliciter.

Corpus Sancti Cassiani Augustodunensis quondam Episcopi, cùm per quinquennium in Ecclesia Sancti Quintini, nec semper in aperto eodémque loco, propter bellorum tumultus, quievisset, hoc tandem anno honorificentissimè reconditum est à Carolo Rege, de cujus adventu in Basilicam beati Quintini sic loquitur vetus Author ultimo capite libri de Miraculis Sancti Cassiani. *Karolus Rex utpote nutu divino inspiratus præfatam* Sancti Quintini *adiens Basilicam de ejusdem Christi Confessoris* Cassiani *corpore cœpit tractare officiosè. In quo haud diutiùs immorans, anno siquidem octingentesimo quadragesimo-quinto Christi Incarnationis, & sui equidem Regni quinto,*

III. *Indictione* VIII, *die Non. Mart. ad præscriptum Pontificis Christi Cassiani reverenter accedens tumulum cum duobus Episcopis, scilicet Wanilone Senonensi Archiepiscopo & Immone Præsule Ecclesiæ Noviomacensis, aliisque compluribus Dei amatoribus, cum cereis & choris psallentium Clericorum, cum tymiamatibus & odoribus amœnis, ardentissimo amore summâque devotione ipsum in quo jacebat sanctis efferens corpus perfusum balsameis liquoribus & tymiamatibus odoriferis insertum, palliis quoque & vestibus sericis decentissimè involutum infra cryptam Basilicæ præfati Martyris Christi Quintini ad dexteram lateris ipsius testis Christi optimè ac pulcherrimè tumulavit, tradens ad amborum sanctorum luminaria & ornamenta edenda, maximéque ad tumbam beati Cassiani fabricandam fiscum unum nomine Tunniacum cum omnibus appendiciis & adjacentiis suis in perpetuum habentibus. Cujus authenticum ad caput tumuli cùm desuper posuisset, si quis, ait, hoc donum his duobus præpollentibus Sanctis nunc a me traditum & confirmatum, partibus eorum auferre tentaverit, habeat sibi Judicem Deum & hos præfulgidos justos perpetuos quæstores.* Cum Nonis Martiis anni post Christum natum octingentesimi quadragesimi-quinti conveniunt octava Indictio & annus Caroli Regis quintus à patris obitu.

IV. Eodem mense Martio Nortmanni Parisios ingressi sunt, sic enim scribit Annalista Bertinianus. *Nortmannorum naves centum viginti mense Martio per Sequanam hinc & abinde cuncta vastantes, Lutiam Parisiorum nullo penitus obsistente pervadunt. Quibus cùm Carolus occurrere moliretur, sed prævalere suos nullatenus posse prospiceret, quibusdam pactionibus & munere septem millium librarum eis exhibito, à progrediendo compescuit, ac redire persuasit.* In Fontanellensis Chronici fragmento, quod Andreas Duchesnius [a] publicavit, non annus tantùm sed etiam dies, quo Nortmanni Parisios intrarunt, ita notatur. *Anno* DCCCXLV, *Indictione* VIII, *Ragneri Dux Nortmannorum venit cum classe sua, & usque Parisius accessit, ac in vigilia Sancti Pascha, id est,* XV *Kalend. Aprilis, eandem urbem intravit.* Error autem in illum textum irrepsit, hoc enim anno Pascha celebratum fuit quarto Kalendas Aprilis, & vigilia Paschæ non XV sed V Kalendas Aprilis est consignanda. Tunc Herbertus Abbas, qui Monasterio Sanctæ Genovefæ præerat, ejusdémque Cœnobii fratres Corpus Beatæ Genovefæ transtulerunt ad Athegiam * Monasterii villam, quæ leucis quinque distabat à Lutetia, deinde ad aliam sui quoque Cœnobii villam, cui nomen Dravetum *, ubi per aliquot annos quievit, ut accepimus à doctissimo viro Claudio *du Molinet* Canonico Regulari Congregationis Gallicanæ.

[a] Tom. 2. Collect. Hist. Franc.

* *Athis.*

* *Dravet.*

V. Aprili mense habitum Bellovaci Concilium, cujus epocham Jacobus Sirmondus in Capitularibus [b] Caroli necnon & in Conciliis Gallicanis [c] depravatè sic edidit. *Capitula, quæ sequuntur, facta sunt in Synodo habita apud Belvacum civitatem anno* DCCCXLV, *mense Aprilio, anno* VI *Regni Domni Karoli, Indictione* VII. Duplex istius editionis est error, unus in anno Regis, alter in Indictione. Uterque Tomo septimo Conciliorum à Philippo Labbeo emendatus est hac ad marginem notatiunculâ. *Quintus duntaxat Caroli annus erat, sed Indictio* VIII, *ut pridem annotavimus in Synopsi.* Per

[b] Tit. 4.

[c] Tom. 2.

AN. CH. 845. LOTHAR. IMP. 29. LUDOV. SEN. R. 29. CAROLI R. 16. LUDOV. JUN. R. 2.

mensem enim Aprilem annus quintus Caroli Regis & octava Indictio cum anno Redemptoris octingentesimo quadragesimo-quinto conveniunt. Ne quis autem annum ipsum Incarnationis Dominicæ corrigendum, conciliandúmque vel cum anno Caroli Regis sexto vel cum Indictione octava suspicetur, prohibent Hincmarus & Flodoardus. Ille enim non semel à Synodo apud villam Theodonis anno Redemptotis octingentesimo tricesimo-quinto habita, in qua Ebo Remensis Archiepiscopus à Pontificali Ministerio cessare jussus est, ad Concilium Bellovacense ponit intercapedinem annorum decem, ut infrà probaturi sumus. Hic Bellovacense Concilium anno Redemptoris octingentesimo quadragesimo-quinto determinatè consignat, tertium enim Remensis Historiæ librum sic orditur. *Anno Dominica Incarnationis* DCCCXLV, *Carolus Synodum Episcoporum Regni sui apud Bellovacum civitatem Remensis provinciæ convocavit.*

VI. In hac Synodo Hincmarus ad Archiepiscopatum Remensem promotus est, conditáque nonnulla Capitula collatione priùs inter Carolum Regem Episcopósque Regni factâ. Utrumque patet apud Sirmondum [a] ex ipsomet Synodi Titulo. *Concilium Belvacense. Hac Capitula, quæ sequuntur facta sunt in Synodo habita apud Belvacum civitatem anno* DCCCXLV, *mense Aprilio, mense* V * *Regni Domni Karoli, Indictione* VIII *. *Quæ collata sunt inter eumdem Principem Domnum Karolum & Episcopos Regni sui, & eadem iisdem Princeps Gloriosus Deo teste sub fidei suæ adstipulatione se servaturum promisit erga omnes Ecclesias & Episcopos Regni sui. Quæ ad vicem omnium Episcoporum sui Principatûs, qui erant quique futuri erant, de manu horum Episcoporum conservanda suscepit, id est, Wenilonis, Erchanradi, Immonis, Rothadi, Symeonis, Lupi, Ragenarii, Heliæ, Erpoini, Aii, Hincmari Presbyteri & vocati Archiepiscopi.* Undecim hi Præsules suas habent Diœceses in duabus provinciis; in Senonensi Wenilo, Erchanradus, Helias, & Aius; ceteri in Remensi. Wenilo Senonensis est Archiepiscopus, Erchanradus est Episcopus Parisiensis, Immo Noviomensis ac Tornacensis, Rothadus Suessionensis, Simeon Laudunensis, Lupus Catalaunensis, Ragenarius Ambianensis, Helias Carnotensis, Erpoinus Silvanectensis, Aius sive Agius Aurelianensis, Hincmarus Presbyter ac vocatus seu designatus Remensis Archiepiscopus. Hæc observatio de Hincmaro vocato seu designato Archiepiscopo nos monet, ut de conditis apud Bellovacum Capitulis, quæ Hincmari consecrationem in Archiepiscopum præcesserunt, hoc loco priùs agamus.

[a] Tom. 2. Concil. Gall.

* Edit. malè VI.

* Edit. malè VII.

VII. Primo Capitulo Episcopi Jus Ecclesiasticum & Legem Canonicam sibi conservari postulant à Rege, sic. *Ut Jus Ecclesiasticum & Legem Canonicam nobis ita conservetis, sicut Antecessores vestri, qui hoc benè & rationabiliter observaverunt, juxta quod sciri poterit, & Deus vobis posse dederit, nostris prædecessoribus conservaverunt.*

VIII. Secundo Capitulo singuli poscunt Episcopi, ut pro qualibet præterita causa sibi nec dehonoratio nec damnatio contingat. *Quòd in mea persona nec in meo ordine, nisi fortè quod absit, in anteà contra Deum & contra vos manifestè fecero, ut damnari canonicè debeam, adversùm me & meum ordinem ita damnabiliter non faciatis pro quacumque præterita causa, ut mihi dehonoratio aut damnatio veniat.* Hujus Sanctionis causa fuit recordatio civilium bellorum, quibus plerique cùm Episcopi tum Abbates aliique Clerici se nuper immiscuerunt.

IX. Tertio Capitulo, Episcopi tes Ecclesiis suis ablatas esse conqueruntur, easque quamprimùm restitui atque auctoritate Regiâ conservari flagitant. *Quod res ad Ecclesiam mihi commissam pertinentes, & tempore Principatûs vestri ablatas, ita præsentaliter restituatis, & restitutas conservetis, sicut tempore avi & patris vestri fuerunt: & excepto superposito, quod in usus possidentium vel ex ædificiis absumptum est, quomodo tunc erant, quantùm ad hoc quod res usitato nomine appellamus constat, quando vos inde illas tulistis.*

Episcoporum occupaverant, rescindantur, & cum auctoritate Ecclesiastica vel civili, si faciendæ sunt, fiant. Hoc Capitulum legitur apud Ivonem parte tertiâ, capite ducentesimo vicesimo-septimo cum hoc titulo. *Ut non valeant precariæ vel commutationes viduatarum Ecclesiarum. Ex Concilio Belvacensi, præsente Ludovico, cap.* x. Sed expuncto Ludovico testituendus est Carolus Ludovici Pii filius, qui tunc apud Bellovacum regnabat, annúmque Regni sui quintum jam numerabat à patris obitu. Idem autem Capitulum, quod inter Bellovacensia quintum recensetur in Concilio Meldensi, decimum dicitur ab Ivone. Nec hoc dissidium aliter componendum videtur, quàm si dicas visum ab Ivone quoddam Synodi Bellovacensis exemplar, in quo præter octo Capitula, quæ sub titulo Concilii Bellovacensis edita sunt, continerentur & alia, quæ Meldensi Concilio repetiuntur inserta de Missis Regiis, de precariis & commutationibus, ita ut quod de Missis inscribitur, nonum Concilii Bellovacensis Capitulum habeatur, decimum verò quod ei proximè subjicitur de precariis & commutationibus vacante Sede factis. Lege & Gratianum, causâ duodecimâ, quæstione secundâ, capite quadragesimo-quarto.

AN. CH. 845. LOTHAR. IMP. 29. LUDOV. SEN. R. 29. CAROLI R. 16. LUDOV. JUN. R. 2.

XVII. Tertium Bellovacense Capitulum, quod ex Meldensi Concilio tale deprehenditur, est de precariis, quomodo fieri ac renovari debeant, & de Præceptis Regalibus super iisdem precariis Ecclesiasticis. *Precaria autem à nemine de rebus Ecclesiasticis fieri præsumantur, nisi quantùm de qualitate convenienti datur ex proprio, duplum autem accipiatur ex rebus Ecclesiæ, in suo tantùm qui dederit nomine, si res proprias & Ecclesiasticas usu fructuario tenere voluerit. Si autem res proprias ad præsens dimiserit, ex rebus Ecclesiasticis triplum fructuario usu in suo tantùm quis nomine sumat. Quia sic eas quemque tractare oportet, ut alienarum dispensatorem, non propriarum largitorem. Et à nulla potestate quis cogatur facere precariam de rebus propriè Deo & Sanctis illius dicatis, cùm ratio & usus obtineat, neminem qui non vult contra utilitatem & rationem præstitam de proprio facere beneficium.* [*Præcepta autem Regalia super precariis Ecclesiasticis fieri nec ratio sinit, nec auctoritas quolibet modo permittit. Quoniam Præcepta in jure Ecclesiastico firmare indignum judicet necesse est Majestas Regia, nisi ab Ecclesiastico Rectore petantur. Idem autem Custos Ecclesiæ sollertissimè caveat, ne sui Ordinis & Ecclesiasticæ communionis fortè immemor, contra auctoritatem Præceptum Regium pro quacumque assentatione fieri petat. Qui etsi fecerit, non audiatur. Si autem & obtinuerit, Regiâ discretione & Episcopali judicio idem rescindatur & petitor injustus pro Principis injusta suggestione dignè corripiatur.*] *Et precariæ secundùm antiquam consuetudinem & auctoritatem de quinquennio in quinquennium renoventur.* Hoc Capitulum, cujus meminerunt in suis Decretis Ivo [a] & Gratianus [b], commodè quatuor in partes dividi potest. Prima definit in his vocibus, *non ut propriarum largitorem.* Sensus talis est. Si quis dat proprietatem sui fundi tantùm, & retinet usumfructum sibi, accipiat ab Ecclesia usumfructum duorum fundorum suo nomine tantùm & non filiorum. Si verò dat Ecclesiæ proprietatem statim pleno jure, accipiat ab Ecclesia usumfructum trium fundorum nomine suo tantùm & non filiorum. Secunda pars ab Ivone & à Gratiano clauditur his verbis, *facere beneficium.* Ab Ivone refertur eodem planè modo, quo legitur in Concilio Meldensi transcripta è Synodo Bellovacensi. Sed à Gratiano sic inchoatur. *Decrevit etiam Sancta Synodus, & Imperialis auctoritas denuntiavit, ut à nulla potestate quis cogatur* &c. Sensus autem talis est. Nulla potestas cogere debet Ecclesiam ut precariam faciat, cùm nemo cogi debeat ut de suo faciat beneficium. Porrò Gratianus proximè citatus Imperialem auctoritatem Synodali Decreto perperam adjecit, nam si Principis mentionem facere voluit, ejus auctoritatem non Imperialem sed Regiam debuit appellare, Carolus enim, in cujus ditione Bellovacum, Regio tantùm Titulo gaudebat quando Synodus illic habita, mul-

[a] P. 3. cc. 228. 229. 230.
[b] C. 10. q. 2. cc. 4. 5.

INDEX
RERUM ET VERBORUM,
IN QUO

A, Annum, N, Numerum seu Sectionem denotat.

A

D

Dodo

G

H

I

L

Cœnobium

N

O

P

Q

R

Salvinus

V



INDEX
EPISCOPATUUM ET MONASTERIORUM,
IN QUO

E. Episcopatum; M. Metropolitanum; Mon. Monasterium denotat.

IN hoc Indice sicut in duobus postremis ab Authore editis status Episcopatuum & Monasteriorum Francici juris & series Pontificum & Abbatum ab ineunte Carolingarum Principatu repetuntur. Cæterum si posthumi hujus operis Chronologia paulò dissentit ab ea quæ jam vulgata est quoad Cœnobiorum quorumdam initia successionémque nonnullorum Præsulum, æqui bonique consule: nam Author ipse postmodum emendavit pristinas lucubrationes ex probatioribus actis quæ seriùs in manus venerunt. Habes igitur hic auctiorem simul & accuratiorem Indicem, cujus erit ab Episcopatibus initium.

EPISCOPATUS
SUB CAROLINGIS REGIBUS,
ab anno 752. quo Pippinus regnare cœpit ad annum 845. quo Ludovici Pii filii Lotharius, Ludovicus & Carolus post Conventum ad Theodonis-villam fœderati Franciam regebant.

A

ABRINCENSIS E. *d'Avranches*, sub M. Rotomagensi.

Joannes Ep. a 840.

ACHERUNTINUS E. *d'Acerentia*, sub M. Romano.

Subactis Longobardis Acheruntia Carolo Francorum Regi parere cœpit, a. 774.

* Nomen ignoratur Episcopi, qui sedebat a. 774. obitque, a. 776.

Leo fit Ep. a. 776 obit, a. 799.

ÆMONIENSIS E. *d'Æmonia*, hodie *Citta nova*, sub M. Foro-Juliensi, tum sub Gradensi, iterum sub Foro-Juliensi.

Æmonia civitas Istriæ, ut à Græcis ad Francos, sic à Patriarchatu Gradensi ad Foro-Juliensem transiit, a. 789. rediit ad Gradensem, a. 805. nec tamen Francis parere desiit. Iterum Foro-Juliensi subjicitur, a. 833. quo Grados à Francis ad Venetos defecit, Maxentio Patriarcha Foro-Juliensi totam Istriam Francico Imperio subditam ad suam Diœcesim revocante. Mancus est autem illis temporibus Æmoniensium Episcoporum Catalogus.

ÆSERNIENSIS E *d'Isernia*, sub M. Romano.

Subditis Longobardis Æsernia Carolo Francorum Regi parere cœpit, a. 774.

AGATHENSIS E. *d'Agde*, sub M. Narbonensi.

Pulsis è Septimania Saracenis Agatha Francorum Regi Pippino parere cœpit, a. 755.

Dagobertus Ep. a. 777.

Justus Ep. a. 791.

AGINNENSIS E. *d'Agen*, sub M. Bordigalensi.

ALATRINUS E. *d'Alatri*, sub M Romano.

Alatrum in Ducato Romano Dominationem Græcorum excussit, séque Francis sponte dedidit, a. 796. per insignem Donationem à Ludovico Pio Francorum Rege datum est in perpetuum Romano Pontifici cum Ducatu Romano atque Insulis Corsica & Sardinia, a. 817. Toto

INDEX POSTERIOR

ARELATENSIS E. M. *d'Arles*, in provincia Viennensi I I.

Kavifarius Ep. M. a. 752. obit, a circ. 760.

Willimaris fit Ep. M. a. circiter 760. obit, a. circiter 770.

Willaris fit Ep. M. a. circiter 770. } Consule Tom. 6, a. 791. n. 20.

Atladis Ep. M.

Elefantus Ep. M. a. 789. a. 791.

Lupus Ep. M. a. 798.

Joannes Ep. M. a. 805. obit, a. 819.

Notho fit Ep. M. a. 819. sedet a. 828. a. 829. a. 835. a. 837. a. 844.

ARETINUS E. *d'Arezzo*, sub M. Rumano.

Extinctu Longobardorum Regno Aretium in Francorum potestatem venit, a. 774.

Comnimundus Ep. a. 774. obit, a. 775.

Elvetus fit Ep. a. 775.

Antpertus Ep. a. 795. vivit superstes Carolo Magno.

Lampertus Ep. a. 826.

ARVERNUS E. *d'Auvergne*, hodie *Clermont*, sub M. Bituricensi.

Stephanus Ep. a. 752. a. 761.

Avitus Ep. a. 778.

Fridigisus Ep. a. 811. obit Ludovico Pio jam Imperatore.

Stabilis Ep. a. 823. obit.

Adebertus sedet, a. 856.

ASCULANUS E. *d'Ascoli*, sub M. Romano.

Asculum extincto Longobardorum Regno parere Francis cœpit, a. 774.

Anderis Ep. regnante Carolo Magno.

Tuptolphus Ep. a. 799.

Picco seu Picus, aliis Ricco sive Ruo sedet, a. 844.

ASSISIENSIS E. *d'Assise*, sub M. Romano.

Assisium extincto Longobardorum Regno venit in Francorum potestatem, a. 774. eodémque a. ex liberalitate Caroli Regis datum est' Sedi Apostolicæ, sed effectum hæc Donatio non est sortita. Mancus est autem Assisiensium Episcoporum Catalogus temporibus Caroli Magni & Ludovici Pii.

ASTENSIS E. *d'Ast*, sub M. Mediolanensi.

Asta, victis Longobardis, in Francorum potestatem venit, a. 774.

Eilulphus Ep. a. 811. a. 812.

Roserius Ep. a. 827.

ATINENSIS E. *d'Atino*, sub M. Romano.

Atinum extincto Longobardorum Regno Francis parere cœpit, a. 774.

ATREBATENSIS E. *d'Arras*, sub M. Remensi.

Guntfridus Ep. Atrebatensis & Cameracensis, a. 752.

Albericus Ep. Attebatensis & Cameracensis, a. 763. obit, a. 790.

Hildoardus sive Hildnerdus vel Hilduardus fit Ep. Atrebatensis & Cameracensis, a. 790. obit, a. 816.

Alitgarius fit Ep. Atrebatensis & Cameracensis, a. 816. sedet, a. 828. a. 829. obit, a. 831.

Theodoticus fit Ep. Atrebatensis & Cameracensis, a. 831. sedet, a. 835. a. 837. a. 840.

AVENIONENSIS E. *d'Avignon*, sub M. Arelatensi hodie Metropolis.

* Avenio laborat interpontificio, a. 752.

Alphonsus post interpontificium fit Ep. a. 760 obit, a. 765.

Josephus fit Ep. a. 765. obit, a. 794.

Humbertus fit Ep. a. 794. obit, a. 820.

Ragenutius fit Ep. a. 810.

AUGUSTANUS E. *d'Ausbourg*, sub M. Moguntino.

Marcomannus Episcopus, a. 752. obit, a. 779.

Symbertus fit Episcopus, a. 779. obit, a. 809.

Hauto fit Ep. a. 809. obit, a. 840.

Waltherus fit Ep. a. 840.

AUGUSTENSIS E. *d'Aouste*, sub M. Darantasiensi.

Lupus Ep. a. 752. a. 757.

Gratus fit Ep. Carolo jam Augusto, eique vivit superstes.

Jocondus Ep.

AUGUSTODUNENSIS E. *d'Autun*, sub M. Lugdunensi.

Gayronius Ep. a. 752. obit, a. 755.

Hiddo fit Ep. a. 755. superstes, a. 765.

Reginaldus Ep.

Martinus Ep.

Aldericus Ep. a. 811.

Modoinus Ep. a. 815. a. 825. a. 830. a. 835. a. 837. obit, a.

Altbeus Ep. a. 843.

AULICENSIS E. *d'Elsen*, sub M. Moguntino.

Guntherus erecto Episcopatu Aulicensi fit illius loci primus Episcopus, a. 812. Sedem Episcopalem transfert Hildesiam, a. 814. *Vide* Episcopos Hildesienses.

AURELIANENSIS E. *d'Orleans*, sub M. Senonensi, hodie sub Parisiensi.

Bertinus Ep. a. 752.

Adalinus Ep. a. 766.

Nadatimus Ep. a. 770.

Deorhimus Ep. a. 776.

Guitbertus Ep.

Theodulphus Ep. a. 786. obit, a. 821.

Jonas fit Ep. a. 821. sedet a. 828. a. 829. a. 835. a. 836. a. 837. a. 838. a. 840. obiit, a. 843.

Agius sive Ajus ordinatur, a. 843. sedet, a. 844. superstes, a. 845.

AUSCIENSIS E. *d'Aux*, sub M. Elusano, hodie Metropolis.
Teutonius Ep. obit, a. 752. quo Pippinus regnare cœpit.
Lupus fit Ep. a. 752. obit, a. 760.
Averius siva Arnerius fit Ep. a. 760. obit, a. 767.
Ernaldus sive Atmaldus vel Brinaldus fit Ep. a. 767. obit, a. 782.
Aster sive Aster fit Ep. a. 782. obit, a. 786.
Afuarius fit Ep. a. 786. obit, a. 794.
Ravelius sive Revelius fit Ep. a. 794. obit, a. 809.
Salvinus seu Galvius vel Salvius fit Ep. a. 809. obit, a. 831.
Helisæus fit Ep. a. 831.

AUSONANSIS E. *d'Ausona*, sub M. Narbonensi.
Ausona urbs Hispaniæ Tarraconensis venit in potestatem Francorum, a. 755. regnante Pippino. Ausonensis Episcopatus provinciæ Narbonensi tunc attribuitur, variásque sortes experitur sub Pippino, Carolomanno, Carolo & Ludovico RR.

AUTISSIODORENSIS E. *d'Auxerre*, sub M. Senonensi.
Hainmarus Ep. a. 752. abdicat Episcopatum, a. 765.
Theodrannus fit Ep. a. 765. obit, a. 772.
Maurinus fit Ep. a. 772. obit, a. 800.
Aaron fit Ep. u. 800. obit, a. 812.
Angelelmus fit Ep. a. 812. obit, a. 828.
(De duobus his Episc. consule Tom. 7. a. 828. n. 28.)
Heribaldus sive Haribaldus vel Haribaldus post obitum avunculi Angelelmi fit Ep. a. 829. sedet, a. 837.

B

BAJOCENSIS E. *de Bayeux*, sub M. Rotomagensi.
Leodeningus Ep. a. 765.
Thiotus Ep. a. 809. a. 811.
Carevilrus a. 835.
Harinbertus, a. 837.

BALNEOREGIENSIS E. *de Bagnarea*, sub M. Romano.
Balneum-Regium, exactis Longobardorum Regibus in Francorum potestatem venit, a. 774. deinde in potestatem Romani Pontificis, a. 787. ex liberalitate Caroli Francorum Regis. Mancus est autem per illud tempus Balneoregiensium Episcoporum Catalogus.

BARCINONENSIS E. *de Barcelone*, sub M. Narbonensi, modò sub Tarraconensi.
Barcino venit in potestatem Francorum, a. 755. Barcinonensis Episcopatus provinciæ Narbonensi attribuitur Rege Pippino, varias experitur sortes sub hoc Principe, ejúsque filiis Carolomanno & Carolo ac nepote Ludovico.
Guillermus Ep. sub R R. Pippino & Carolomanno, obit a. 771.
Bernardus fit Ep. a. 771. obit, a. 781.
Guillermus fit Ep. a. 781. obit, a. 788.
Se...... fit Ep. a. 781. sedet, a. 791.
Humbertus Ep. a. 798. a. 807.
Joannes Ep. a. 811. a. 820.
Adaulfus Ep. a. 825.

BASILIENSIS E. *de Basle*, sub M. Vesontionensi.
Walanus Ep. a. 752. obit, a. 760.
Baldebertus fit Ep. a. 760.
Heico Ep. a. 777.
Waldo Ep. a. 792. obit, a. 807.
Hetto sive Heyto fit Ep. a. 807. abdicat Episcopatum, a. 825.
Theodoricus fit Ep. a. 825. obit, a.
Detricus sive Udalricus vel Godolricus sedet, a. 833. a. 855. a. 856.

BELLICENSIS E. *de Bellay*, sub M. Vesontionensi.
Agilius Ep. a. 752. obit, a. 755.
Hippolytus fit Ep. a. 755. abdicat Episcopatum, a. 757.
Eulogius fit Ep. a. 757.
Adorepertus sive Adeonpertus Ep.
Ermunbertus Ep.
Rodogerius Ep.
Riihfredus Ep. a. 811.

BELLOVACENSIS E. *de Beauvais*, sub M. Remensi.
Deodatus Ep. a. 752.
Andreas Ep.
Audingus Ep.
Adalmanus Ep. a. 799.
Ragimbertus Ep. a. 811. obit, a. 821.
Hildemannus fit Ep. a. 821. sedet, a. 819. a. 855.

BELLUNENSIS E. *de Belluno*, sub M. Foro-Juliensi.
Bellunum subacto Longobardorum Regno venit in Francorum potestatem, a. 774.
Aytoldus Ep. a. 781.
Odelbertus fit Ep. a. sedet, a. 835.
Totingaricus sedet, u. 844.

BENARNENSIS E. *de Bearn*, sub M. Elusano.

BENEVENTANUS E. *de Benevent*, sub M. Romano.
Beneventum & Sipontum extincto Longobardorum Regno, Francis parera cœperunt, a. 774.
David Ep. Beneventanus ac Sipontinus, a. 774. a. 820.
Ursus siva Urso Ep.

BERGOMENSIS E. *de Bergame*, sub M. Mediolanensi.
Bergomum extincto Longobardorum Regno, Francis parere cœpit, a. 774.

C

CAMI-

CAMERINENSIS E. *de Camerino*,
ſub M. Romano.

Camerinum, everſo Longobardorum Regno, Francis parere cœpit a. 774.
Aoſovinus fit Ep. a. 822. obit, a. 840.
Frantellus ſeu Fratellus vel Frontellus fit Ep. a. 840. ſedet, a. 844.

CAPUANUS E. *de Capouë*,
ſub M. Romano, hodie Metropolis.

Capua, extincto Longobardorum Regno, Francis parere cœpit a. 774. deinde Romano Pontifici, a. 787. ex liberalitate Caroli Magni. Mancus eſt autem per illud tempus Epiſcoporum Catalogus.

CARANTANUS E. *de Carinthie*,
ſub M. Laureacenſi ſeu Patavienſi,
deinde ſub Saliſburgenſi.

Carantanorum ſeu Sclavorum Regnum Francicis ditionibus acceſſit a. 757. regnante tum Pippino.
Modeſtus fit Ep. Carantanorum, a. 768. obit a. circiter 770. Tunc Ep. Saliſburgenſis curam Carantanorum ſuſcipit.
Theodoricus fit Ep. Carantanorum a. 798. ſub M. Saliſburgenſi. Sedet, a. 811.

CARCASSONENSIS E. *de Carcaſſone*,
ſub M. Narbonenſi.

Carcaſſo in Francorum poteſtatem venit a. 755. pulſis è Septimania Saracenis.
Hiſcipio Ep. a. 791.
Rogerius Ep. a 800.

CARNOTENSIS E. *de Chartres*,
ſub M. Senonenſi, hodie ſub Pariſienſi.

Berthegranous Ep. a. 752. obiit, a. 754.
Haynius fit Ep. a 754. obiit, a. 762.
Hado fit Ep. a. 762. obiit, a. 773.
Flavius fit Ep. a. 773. obiit, a. 788.
Godoſaldus fit Ep. a. 788. obit, a. 807.
Hieronymus fit Ep a. 807. obiit, a. 817.
Berninus ſeu Berooïnus fit Ep. a. 817. Sedet, a. 829. a. 836.
Helias Ep. ſedet, a. 845.

CARPENTORACTENSIS E.
de Carpentras, ſub M. Arelatenſi,
hodie ſub Avenionenſi.

Hotifredus Ep. a. 752.
Agapitus Ep. a. 770.
Amatus Ep. a. 789. obit, a. 791.
Antonius fit Ep. a. 791.
Joannes Ep a. 813.
Albertus Ep. a. 831.

CATALAUNENSIS E. *de Chaalons ſur Marne*,
ſub M. Remenſi.

Bladaldus Ep a. 752.
Scaricus Ep. a 761.
Racarius ſive Ricarius obit, a. 770.
Willebaldus ſeu Gilloboldus fit Ep. a. 770. obit, a 784.
Bovo ſeu Bono fit Ep. a. 784. obit, a. 804.
Hildegrions fit Ep. a. 804. dimittit Epiſcopatum Catalaunenſem, fitque primus Ep. Salingeſtadienſis, a. 810.

Adalelinus ſive Adalelmus fit Ep. a. 810. Sedet a. 829. a. 833. a. 835. obit, a.
Lupus Ep. a 840. a. 845.

CENETENSIS E. *de Ceneda*,
ſub M. Foro-Julienſi.

Ceneta Francis parere cœpit a. 774. poſt everſum Longobardorum Regnum.
Ermonicus ſeu Ermonius Ep. a. 835. a. 840.

CENOMANNENSIS E. *du Mans*,
ſub M. Turonenſi.

* Cenomanum laborat interpontificio, a. 752.
Goſlenus ſeu Gaucilenus fit Ep. a. 753. poſt interpontificium decennale; deponitur a. 755.
Herlemundus fit Ep. a. 755. abdicat Epiſcopatum a 764.
Goſlenus recuperat Epiſcopatum a. 764. utitur operâ quatuor ſucceſſivè Chorepiſcoporum, Suffredi, Deſiderati, Berthodi, & Meroli, obitque a. 771.
Hodigus ſive Odigus vel Hodingus fit Ep. a. 772. obit, a. 774.
Merolus fit Ep. a. 774. obit, a. 784.
Joſephus fit Ep. a. 784. deponitur, a. 793.
Franco fit Ep. a. 793. obit, a. 816.
Franco II. fit Ep. a. 816. ſedet a. 829. obit, a. 832.
Aldricus fit Ep a. 832. ſedet, a. 833. a 836. a. 837. a. 838. a. 839. a. 840. a. 841.

CENTUMCELLICUS
ſeu CENTUMCELLENSIS E.
ſub M. Romano.

Centumcellæ, hodie *Civitavecchia*, in Ducatu Romano jugum Græcorum excuſſerunt, ſéque Francis ſponte dediderunt, a. 796. Per inſignem Donationem à Ludovico Pio Francorum Rege datæ ſunt in perpetuum Romano Pontifici, &c. a. 817. Toto tempore quo ſub poteſtate Francorum fuerunt, mutilus eſt Epiſcoporum Catalogus. *

CLUSINUS E. *de Chiuſi*,
ſub M. Romano, hodie ſub Senenſi.

Cluſium, poſt everſum Longobardorum Regnum, Francis parere cœpit a. 774.
Arcadius Ep. fortè pervenit ad a. 774.
Arialdus Ep. a. 801. ſuperſtes, a. 816.
Andreas Ep. a. 826.

COLONIENSIS E. *de Cologne*,
ſub M. Moguntino,
deinde Ep. M. per Germaniam II.

Hildegarius Ep. a. 752. obit, a. 753.
Hildebertus fit Ep. a. 753. obit, a. 761.
Bertholinus fit Ep. a. 761. obit, a. 771.
Rodolphus fit Ep. a. 771. eſt Ep. M. a. 777. obit, a. 793.
Hildebaldus ſive Hildeboldus fit Ep. M. a. 793. obit, a. 818.
Hadebaldus ſive Hadabaldus vel Hagebaldus fit Ep. M. a. 818. ſedet, a. 829. a. 838.

COMENSIS E. *de Como*,
sob M. Foro-Julienſi.

Comom Francis parere cœpit poſt everſum Longobardorum Regnom, a. 774.
Adelengus Ep. a. 774. obit, a. 776.
Petrus fit Ep. a. 776. obit, a. 818.
Leo fit Ep. a. 818. obit, a. 833.
Perideus ſen Petedeus Ep. a.
Almaricus Ep. a. 840. a. 843.

CONCORDIENSIS E. *de Concordia*,
ſub M. Foro-Julienſi.

Concordia Francis parere cœpit a. 774. extinctâ Longobardorum dominatione in Italia.
Anſelmus Ep. a. 835.

CONSERANENSIS E. *de Conſerans*,
ſub M. Eluſano.

Francolinus Ep. a. 791.

CONSTANTIENSIS E. *de Coutance*,
ſob M. Rotomagenſi.

Leo ſeu Leontius Ep. a. 752.
Angulo Epiſcopus regnante Carolo Magno.
Hobertus Ep. a. 811.
Willardus ſeu Guiladus aut wlfadus Ep. a. 829. a. 838.

CONSTANTIENSIS E. *de Conſtance*,
ſub M. Moguntino.

Sidonius Ep. a. 752. obit, a. 759.
Joaones fit Ep. a. 759. obit, a. 781.
Egino fit Ep. a. 781. obit, a. 813.
wolfleoh, ſeu Wolfeoo, wolfleozus ſeu Wolfletus aut wolfoleus fit Ep. a. 813. ſedet, a. 828. a. 832. a. 835.

CONVENENSIS E. *de Cominge*,
ſub M. Eluſano.

Abraham Ep. a. 791.

CORANTINOPOLITANUS
ſeu CORISOPOLITANUS E.
de Kempercorentin, ſub M. Toronenſi.

Epiſcoporum qui poſt a. Chriſti 701. ſederunt nomina interierunt.
Felix ordinatur E. a. 832. ſedet, a. 835.

CREMONENSIS E. *de Cremone*,
ſob M. Mediolanenſi.

Extincto Longobardorum Regno Cremona Francis parere cœpit, a. 774.
* Cremona laborat interpootificio, a. 774.
Stephanus poſt interpontificium trienne fit Ep. a. 776. obit, a. 816.
wulfoldus fit Ep. a 816. obit, a. 819.
Atho fit Ep. a. 819 floret, a. 830. obit, a.
Simpertus ſeu Simpertus Ep. a. 835.

CURIENSIS E. *de Coire*,
ſub M. Moguntino.

Baldebertus Ep. a. 752. obit, a. 754.
Paſcbalis fit Ep. a. 754. obit, a. 756.
Victor fit Ep. a. 756. obit, a. 758.
Tello fit Ep. a. 758. obit, a. 766.
Vigilius fit Ep. a. 766. obit, a. 768.
Urſicinus fit Ep. a. 768. obit, a. 772.
Tello II. fit Ep. a. 772. obit, a. 784.
Conſtantinus ſeu Conſtantius fit Ep. a. 784. obit, a. 813.
Remedius ſeu Remigius fit Ep. a. 813. obit, a. 820.
Victor II. fit Ep. a. 810. obit, a. 825.
Verendarius fit Ep. a. 825. pellitur à coojuratis, a. 833. reſtituitur, a. 835.

D

DARANTASIENSIS E. M.
de Tarantaiſe,
in provincia Alpium Graiarum
& Penninarum.

Bonimundus E. M. a. 751.
Eruſino ſive Ermino fit Ep. M. Pippino R. ſuperſtite.
Poſſeſſor E. M. Carolo Magno regnante.
Eodebertus ſeu Rodoabertus E. M. vivit Carolo Magno ſuperſtes.
Aodreas fit E. M. Ludovico Pio Imperatore; ſedet a. 818. a. 829. obit, a.
(Conſule Tom. 6. a. 789. o. 215.)
Audax ſive Andaux Ep. M. floret, a. 840.

DIENSIS E. *de Die*,
ſub M. Arelatenſi.

Aramandus Ep. a. 776. a. 788.
Deſideratus Ep. a. 789. a. 791.
Ulfinus Ep a. 800. vivit ſuperſtes Carolo M.

DERTHONENSIS E. *de Tortone*,
ſub M. Mediolanenſi.

Derthona, victis Longobardis, Carolo Magno Francorum Regi parere cœpit, a. 774.
Flavianus Ep. a. 774. obit, a. 786.
Hieronymus fit Ep. a. 786. obit, a. 793.
Deſiderius fit Ep. a. 793. obit, a. 799.
Robertus fit Ep. a. 799. obit, a. 808.
Valerius fit Ep. a. 808. obit, a. 828.
Joaones III. fit Ep. a. 828. obit, a. 838.
Rofredus fit Ep. a. 838.

DINIENSIS E. *de Digne*,
ſub M. Ebredunenſi.

Raganbaldus fit Ep. a. 791.

DOLENSIS E. *de Dol*,
ſub M. Turonenſi.

Ab anno Chriſti 749. quo S. Turrianus Epiſcopus Dolenſis obiit, mutilus eſt Antiſtitum Catalogus.
Salomoo floret, a. 831.

E

EBREDUNENSIS E. M. *d'Ambrun*,
in provincia Alpium Maritimarum.

Waldebertus Ep. M. a. 789.
Agericus Ep. M. a. 828. a. 829.

EBROÏCENSIS E. *d'Evreux*,
ſub M. Rotomagenſi.

Maurinus Ep. a. 765.

Gervoldus fit Ep. Carolo jam Rege, dimittit Episcopatum a. 788.
Gerbodus fit Ep. a. 788. deponitur a. 794.
Joseph Ep. Ebroïcensis & Abbas Fontanellensis a. 830. vocatur Archiepiscopus, id est primus Suffraganeorum Rotomagensium. Sedet adhuc a. 840.

ECOLISMENSIS E. *d'Angoulesme*,
sub M. Burdigalensi.

Guillermus Ep. a. 752.
Frodebertus Ep. regnante Pippino.
Landebertus Ep. a. 791.
Salvius Ep. Martyr, a. 801.
Sidranius fit Ep. a 801.

ELOSANUS E. M. *d'Eause*, hodie *d'Auch*,
in Novempopulania.

EPOREDIENSIS E *d'Yvrée*,
sub M. Mediolanensi, hodie sub Taurinensi.

Eporediæ, extincto Longobardorum Regno, venerunt in potestatem Francorum a. 774.
Bessos Ep. a 774.
Henricus Ep. a. 843. obit, a. 844.
Joseph fit Ep. a. 844.

EQUILIENSIS E. *de Jesol*,
sub M. Gradensi.

Equilium venit in potestatem Francorum a. 810. redditum est Venetis a. 812.
Ignoratur nomen Episcopi qui tunc sedebat

ERPHESFORDIENSIS E. *d'Erfort*,
sub M. Moguntino

Adelarius Ep. a. 752. Martyr obit, a 755. Tunc extinctus Episcopatus Erphesfordiensis unitúsque Moguntino.

EYSTATENSIS E. *d'Aichstat*,
sub M. Moguntino.

Willebaldus Ep. a. 752. obit, a 787.
Gerochus fit Ep. a 787 obit, a. 806.
Aganous sive Aganus fit Ep. a. 806. obit, a 822.
Adalungus sive Adelungus fit Ep. a. 822. obit, a. 843.
Altinus sive Altunus fit Ep. a. 843.

F

FALERITANUS E. *de Falere*,
sub M. Romano.

Faleria in Ducatu Romano dominationem Græcorum excussit, séque Francis sponte dedidit a. 796. Per insignem Donationem Ludovici Pii data est Romano Pontifici, &c. a. 817 Toto tempore quo sub potestate Francorum fuit, mutilus est Episcoporum Catalogus.

FAVIANENSIS seu VIENNENSIS E. *de Vienne en Autriche*,
sub M. Laureacensi, hodie Exemptus.

Laureacum Metropolitana dignitate donatur a. 822.
Rathfredus Ep. Favianensis, a. 824.

FAUSIANENSIS E. *de Fausiana*,
sub M. Calaritano.

Fausiana, civitas Sardiniæ, cum reliqua Insula Lodovico Pio sponte se subjecit a. 815. & biennio pòst ab eodem Ludovico Pio per insignem Donationem data est Romano Pontifici cum tota Insula. Quis illo biennio sederit Episcopus, haud scitur.

FELTRENSIS E. *de Feltro*,
sub M. Foro-Juliensi.

Feltrum seu Feltria post extinctum Longobardorum Regnum Carolo Francorum Regi parere cœpit a. 774.
Eodrigeltus Ep. a. 774 obit, a. 781.
Auratus seu Amatus Ep. a. 835.

FERENTINAS E. *de Ferentino*,
sub M. Romano

Ferentinum in Ducatu Romano dominationem Græcorum excussit, séque Francis sponte dedidit a. 796. Per insignem Donationem à Lodovico Pio Francorum Rege datum est Romano Pontifici, &c. a. 817. Toto tempore quo Francis paruit, mutilus est Episcoporum Catalogus.

FERENTINUS E. *de Ferento*,
sub M. Romano.

Ferenti Castrum seu Ferentia vel Ferentium extincto Longobardorum Regno in Francorum potestatem transiit a. 774. Romano Pontifici cessit ex liberalitate Caroli Magni a 787. Illo tempore mutilus est Episcoporum Catalogus.

FÆSULANUS E. *de Fiesoli*,
sub M Romano.

Fesulæ, extincto Longobardorum Regno, Francis parere cœperunt a. 774.
Grausolphus Ep. a 826. obit, a.
Donatus Ep. a. 844

FIRMANUS E. *de Fermo*,
sub M Romano, hodie Metropolis.

Firmum, extincto Longobardorum Regno, in Francorum potestatem venit a. 774.
Gualterus Ep a. 774.
Lupus Ep. a. 826. obit, a.
Gisus Ep a. 844.

FLORENTINUS E. *de Florence*,
sub M. Romano, hodie Metropolis.

Florentia, subactis Longobardis, Francorum jugum excepit a 774.
Thomas Ep. a. 774 a 790.
Aliprandus Ep. a 826.

FORO-JULIENSIS E. M. *de Friuel*,
ou *d'Aquilée*,
in Provincia Foro-Juliensi.

Forum-Julii, extinctis Longobardis, Carolo Francorum Regi parere cœpit a. 774.
Siginaldus sive Sigualdus Ep. M. vel Patriarcha Foro-Juliensis, a. 774. obit, a. 776.
Paulinus fit Patriarcha, a. 776. obit, a. 804.

Urbanus fit Patriarcha, a. 804 obit, a. 809.
Maxentius fit Patriarcha, a 809. sedet, a. 833. quo Istriam ad provinciam Foro-Juliensem revocat tempore Gradensis defectionis. Is Maxentius vivit adhuc a. 835.

FORO-JOLIENSIS E. *de Frejus*,
sub M. Aquensi.

Jacobus Ep.
Bartholomæus E.
Berengarius Ep.
Romanus Ep.
} Seculis octavo & nono deprehenduntur hi quatuor Episcopi Foro-Julienses suis tantùm nominibus noti, de quibus consule Tom. 5. a. 739. n. 20. & Tom. 6. a 791. n. 39.

FRISINGENSIS E. *de Frisingen*,
sub M. Pataviensi.

Erimbertus Ep. a. 752. obit, a. 767.
Josephus fit Ep. a. 767. obit, a. 770.
Aribo, qui Cyrinus & Hæres vocatur, fit Ep. a. 770. obit, a. 783.
Atto fit Ep. a. 783. obit, a. 812.
Hitto fit Ep. a. 812. obit, a. 836.
Erchembertus nepos Hittonis ex fratre fit Ep. a. 836. sedet, a. 842.

FRUSINONENSIS E. *de Frusilone*,
sub M. Romano.

Frusino in Ducatu Romano dominationem Græcorum excussit, séque Francis sponte dedidit a. 796. Per insignem Donationem Ludovici Pii Francorum Regis transiit in Dominium Romani Pontificis, &c a. 817. Toto tempore, quo sub potestate Francorum fuit, mutilus est Episcoporum Catalogus.

FULGINATENSIS E. *de Foligno*,
sub M. Romano.

Fulginium seu Fulcinum, extincto Longobardorum Regno, venit in potestatem Francorum a. 774. eodémque anno ex liberalitate Caroli R. datum est Sedi Apostolicæ, sed effectum hæc Donatio non est sortita. Mancus est Episcoporum Catalogus ab a. 760. ad annum 830.
Dorotheus fit Ep a 830.

FURCONIUM E. *de Furcone*,
sub M. Romano.

Furconium, extincto Longobardorum Regno jugum Francorum excepit a. 774.

A

GABALITANUS sive MIMATENSIS E.
de Javoulx ou de Mende,
sub M. Bituricensi, hodie sub Albigensi.

Frodoaldus Ep. Martyr tempore Ludovici Pii, incertum quo anno.

GALLESTANUS E. *de Galese*,
sub M. Romano.

Gallesia seu Gallesium in Ducatu Romano Dominationem Græcorum excussit, séque Francis sponte dedidit a. 796. Per insignem Donationem Ludovici Pii Regis Francorum venit in potestatem Romani Pontificis, &c. a. 817. Toto tempore quo sub Francorum potestate fuit, mutilus est Episcoporum Catalogus.

GANAVENSIS E. *de Geneve*,
sub M. Viennensi.

Remenbertus Ep. a. 752.
Lutherius Ep. obit, a. 764.
Postherius fit Ep. a. 764. obit, a. 780.
Walternus fit Ep. a. 780. obit, a 816.
Artaldus sive Altaldus vel Altadus fit Ep. a. 816. sedet, a 835. a. 837. a 841. obiit, a. 842.

GERONDENSIS E. *de Girone*,
sub M. Narbonensi, hodie sub Tarraconensi.

Gerunda venit in potestatem Francorum, a. 755. Gerundensis Episcopatus provinciæ Narbonensi attribuitur regnante tum Pippino, sed varias experitur sortes sub eodem Rege ejúsque filiis Carolomanno & Carolo, & nepote Ludovico.
Adaulphus Ep. a. 785. cùm Gerunda redit ad Imperium Caroli, a. 791. cùm celebratur Concilium Narbonense.
Walerius Ep.
Nifredus Ep. superstes a 818.
Waimerus seu Wimerus Ep. sedet, a. 834. vivit Ludovico Pio superstes.
Gondemarus seu Pondemarus Ep. a. 844.

GLANNATENSIS E. *de Glandeve*,
sub M. Ebredunensi.

GRADENSIS E. M. *de Grado*,
hodie *Patriarchat de Venise*,
in Istria & marina Venetia.

Gradus venit in potestatem Francorum a. 810. ad Venetos deficit a. 833. sub Ep. Venerio qui defectionem hanc consilio & opibus multùm juvit.
Fortunatus Ep. M. vel Patriarcha Gradensis, a. 810. obit, a. 825.
Venerius fit Patriarcha, a. 825. sedet, a. 833. a. 835

GRATIANOPOLITANUS E. *de Grenoble*,
sub M. Viennensi.

Corbus Ep. a. 752.
Leopardus Ep
Ardentius sive Ardincus Ep.
Odolardus Ep. a. 789.
Radoldus sive Adoldus Ep. a. 814.
Suipertus seu Suspectus Ep.
} Consule Tom. 6. a. 789. n. 212.

Adalulphus Ep. a. 840. a. 841.

H

HALBERSTADIENSIS E. *d'Halberstat*,
sub M. Moguntino.

Hildegrimus Sedem Episcopalem Salingestadio transfert Halberstadium, fitque primus Ep. Halberstadiensis a. 820. obit, a. 827.

Thiatgrimus seu Thiagrius vel Thiagrimus quatuordecim diversis nominibus vocitatus, de quibus Tom. 8. a. 841. n. 16. fit Episcopus a. 827. sedet, a. 838. obit, a. 841.

Haimo sive Hemmo fit Ep. ex Abbate Hirsfeldensi, a. 841.

HAMBURGENSIS
seu HAMMABURGENSIS E. M. *de Hambourg*, in Saxonia inferiore.

Anscharius ex veteris Corbeïæ Monacho fit primus Archiepiscopus Hamburgensis a. 830. quo, revocatâ ab Idolis Boream versùs gente Suconum, redux in patriam Aquisgrani consecratur coram Ludovico Pio Augusto, qui Ecclesiam & Sedem Hamburgensem fundavit trans Albim Religionis ergò apud eosdem populos excolendæ, & fidei in ea regione promovendæ. *Vide* Tom. 8. a. 830. nu. 30. *& seqq.*

HELENENSIS E. *d'Elne*,
sub M. Narbonensi, hodie *de Perpignan*,
sub M. Tarraconensi.

Pulsis è Septimania Saracenis, Helena in Francorum potestatem venit, a. 755. regnante Pippino.

Winedarius seu Winedurius aut Wenedarius, Ep. a. 791.

Ramnus Ep. a. 813. floret, a. 817. obit, a. 839.

Salomon alius Eulmonio fit Episcopus a. 839.

HERACLIANSIS E. *d'Heraclée*,
sub M. Gradensi.

Heraclia venit in potestatem Francorum a. 810. reddita est Venetis a. 812. Ignoratur nomen Episcopi qui tunc sedebat.

HILDESIANSIS E. *d'Hildesheym*,
sub M. Moguntino

Guntherus Episcopalem Sedem Aulicâ transfert Hildesiam, fitque primus Episcopus Hildesianus a 814. obit, a. 835.

Rembertus seu Frembertus fit Episcopus a. 835.

HORTANUS E. *d'Orti*.

Horta sive Hortanum in Ducatu Romano Dominationem Græcorum excussit, séque Francis sponte dedidit a. 796. Per insignem Donationem Ludovici Pii Regis Francorum venit in potestatem Romani Pontificis, &c. a. 817. Toto tempore quo sub potestate Francorum fuit mutilus est Episcoporum Catalogus.

I

JANUANSIS E. *de Genes*,
sub M. Mediolanensi, hodie Metropolis.

Janua post exactos Longobardos in Francorum potestatem venit, a. 774.

Dionysius Ep. a. 798.

INTERAMNANSIS E. *de Terni*,
sub M. Mediolanensi.

Interamna deleto Longobardorum Regno, venit in potestatem Francorum a. 774. eodémque anno ex liberalitate Caroli Regis Apostolicæ Sedi data est, sed effectum hæc Donatio non est sortita. Tunc autem laborat illa civitas interpontificio, laboravítque quamdiu sub potestate Francorum fuit.

JUSTINOPOLITANUS E. *de Justinople*,
vulgò *Capo d'Istria*.
sub M. Foro-Juliensi, deinde sub Gradensi,
iterum sub Foro-Juliensi.

Justinopolis ut à Græcis ad Francos, sic à Gradensi Patriarchatu ad Foro-Juliensem transiit a. 789. redítque ad Gradensem, annuente Carolo Magno, a. 806. iterum ad Foro-Juliensem, a. 833. quò Gradus à Francis ad Venetos defecit.

Joannes ordinatus est Ep. a. 756. utrum autem ad a. 789. pervenerit, haud liquet. De proximis successoribus nihil occurrit.

L

LABICANENSIS E.
sub M. Romano.

Labicum seu Lavicum, unde dicta via Lavicana, hodie plerisque *de Valmontone*, in Ducatu Romano Dominationem Græcorum excussit, séque Francis sponte dedidit a. 796. Per insignem Donationem à Ludovico Pio Francorum Rege datum est in perpetuum Romano Pontifici, &c a. 817. Toto tempore quo fuit sub Francorum potestate, mutilus est Episcoporum Catalogus.

LACTORANSIS E. *de Lectoure*,
sub M. Elusano.

LAUDANSIS E. *de Lodi*,
sub M. Mediolanensi.

Laus-Pompeïa seu Lauda Pompeïa venit in potestatem Francorum, post exactos Longobardos, a. 774.

Racletus Ep. Ludovico Pio synchronus sedet a. 831.

Herimbertus seu Eribertus vel Ermbertus sedet a. 833. a. 835.

LAUDUNENSIS E. *de Laon*,
sub M. Remensi.

Genebaudus Ep. a. 752 superstes, a. 765.

Bernico seu Bernito Ep.

Wanilo I. Ep.

Eybo, Erlo, Cilo sive Cyolo Ep.

Banifridus seu Ranifridus Ep.

Sigebaudus Ep.

Garifidus seu Garsridus, Gurfridus seu Gaufridus Ep. a. 798. a. 799.

Wanilo II. Ep. amicitia conjunctus Hildeboldo E. M. Coloniensi.

Ostroldus Ep. a. 814.

Simeon Ep. a. 835. a. 838. a. 845.

LAUREACENSIS E. *de Laurich*,
hodie *Lorch*, vicus ignobilis ad Istrum,
M. Bojoariæ,
deinde Ep. sub M. Salisborgensi,
posteà M. Avariæ, Moraviæ, Pannoniæ
& Mœsiæ.

Sidonius Ep. Laureacensis ac Pataviensis & M. Bojoariæ, a. 752. obit, a. 756.
Anthelmus fit Ep. M. a. 756. obit, a. 765.
Wiscarius seu wisericus fit E. M. a. 765. obit, a. 774.
Waldericus fit E. M. a. 774. obit, a. 798. post ejus mortem Metropolitana Bojoariæ dignitas Salisborgensi Sedi restituitur.
Hatto fit Ep. Laureacensis ac Pataviensis, a 798. obit, a. 817.
Urolphus fit Ep. Laureacensis ac Pataviensis, a 817. abit in Avariam & Moraviam, a. 818. abdicat Episcopatum Pataviensem, fitque Ep. M Laureacensis, a. 822. adit Eugenium II. PP. a. 824. & Jus Metropoliticum obtinet per Avariam, Moraviam, Pannoniam & Mœsiam: obit circa a. 837.
Ragenarius Ep. Pataviensis fit Ep. M. Laureacensis circa a. 837. obit, a. 838. post hujus obitum deinceps Jus Metropoliticum penes Salisborgensem Archiepiscopum penitùs remansit.

LAUSANNENSIS E. *de Lausanne*,
sub M. Vesontionensi.

Waldricus Ep. a. 774.
Fredaricus seu Fredarius Ep. a. 811. a. 813.
Paschalis Ep. a. 817.
Heiminus Ep. a. 825. obit, a. 827.
David fit Ep. a. 827. sedet, a. 840.

LEMOVICENSIS E. *de Limoges*,
sub M. Bituricensi.

Ebolus Ep. a. 752. pervenit ad postrema Pippini Regis tempora.
Asclepius Ep. a. 793.
Remigibertus seu Remgibertus Ep. a. 802. a. 817.
Odacer sive Audacher vel Odacher aut Odotor Ep. a. 831.

LEODIENSIS E. *de Liege*,
sub M. Moguntino, deinde sub Coloniensi.

Hubertus Ep. Traject. Sedem Episcopalem Trajecto transtulit Leodium, a. 711. & Aravarius Ep. Tungr. Sedem Episcopalem Tungris transtulerat Trajectum ad Mosam, a. 450.
Fulcarius Ep. sub M. Moguntino, a. 752. obit, a. 760.
Folericus fit Ep. sub M. Moguntino, a. 760. obit, a. 768.
Agilfridus fit Ep. sub M. Moguntino, a. 768. obit sub M. Coloniensi, a. 784.
Gerbaldus fit Ep. sub M. Coloniensi, a. 784. obit, a. 810.
Walcandus fit Ep. sub M. Coloniensi, a. 810. sedet, a. 838.
Quia Hubertus sup dictus inconsultis comprovincialibus Episcopis Sedem transtulit Trajecto Leodium, fas est credere Trajecti sedisse identidem Episcopos, è quorum numero Erardus qui subscripsit Conventui ad Theodonis - villam a. 835. Carisiaci, a. 837. Aquisgrani a. 838.

LEONENSIS E. *de Leon*,
sub M. Turonensi.

Guyomarkus Ep. a. 752. obit, a. 783.
Leonorius fit Ep. a. 784. obit, a. 813.
Liberalis fit Ep a. 813. sedet, a. 829.

LEXOBIENSIS E. *de Lexobie*,
hodie *de Treguier*, sub M. Turonensi.

Govaranus Ep fortè superstes a 752. Sunt qui dicunt illum sedisse annos 70. ab eo ad Radolphum interierunt Præsulum Lexobiensium nomina.
Radolphus Ep. a. 829. a. 833.

LEXOVIENSIS E. *de Lizieux*,
sub M. Rotomagensi.

Freculfus Ep. a. 825. a. 829. a. 837.

LINGONENSIS E. *de Langres*,
sub M. Lugdunensi.

Chedroaldus Ep. a. 752.
Herulfus Ep. a. 769. dimittit Episcopatum, a. 775.
Arvolfus fit Ep. a. 775. dimittit Episcopatum, a. 780.
Waldricus fit Ep. a. 780. vivit a. 785.
Betto sive Berto aut Bicho vel Becto sedet Ep a. 791. a 817. obit a. circiter 820.
Albericus fit Ep. a. circiter 820. sedet a. 828 a. 830. a. 835. a 838.

LUCENSIS E. *de Luques*,
sub M. Romano.

Luca, exactis Longobardis, in Francorum potestatem venit a. 774.
Joannes fit Ep. a. 781. obit, a. 800.
Jacobus fit Ep. a. 800. obit, a. 818.
Petrus fit Ep. a. 819. sedet a. 826.
Berengarius Ep. a. 843. obit, a. 844.
Ambrosius fit Ep. a 844.

LUCERINUS seu NUCERINUS E.
de Luceria,
sub M. Romano, hodie sub Salernitano.

Luceria, deletis Longobardis, in Francorum potestatem venit a. 774.
Liutardus Ep. a. 816.
Racepertus Ep. a. 844.

LUGDUNENSIS E. M. *de Lyon*,
in provincia Lugdunensi I.

Lugdunum laborat interpontificio a. 752.
Maldabertus seu Madalbertus E. M. a. 754. post interpontificium aliquot annorum.
Addo Ep. M. a. 769. obit, a. 798.
Ilduinus Addoni sufficitur a. 798. sed Archiepiscopum se non patitur ordinari.
Leidradus Ilduino subrogatur a. 798. ordinatur a. 799. abdicat Archiepiscopatum a. 814.

Agobardus fit E M a. 814 sedet, a. 818. a. 829 absens deponitur, a. 835 sed nemo subrogatur. Sedet a. 836. a. 837. obit, a 840.

Amulus seu Amulo vel Amolo fit Ep. M. a. 841

LUNANSES E. *de Luni*, sub M. Romano.

Luna, extincto Longobardorum Regno, venit in potestatem Francorum a. 774.

Petroaldus Ep. a. 816.

LUTEVENSIS E. *de Lodeve*, sub M. Narbonensi.

Pulsis è Septimania Saracenis, Luteva in Francorum potestatem venit, a. 755. regnante tum Pippino.

Michael fit Ep. postremis temporibus Pippini R.

Nebridius Ep. a. 804.

Sisemundus Ep. a 817. a. 824.

Radulphus Ep. a. 840.

M

MAGALONENSIS E. *de Maguelonne*, hodie *de Montpellier*, sub M. Narbonensi.

Pulsis è Septimania Saracenis Magalona in potestatem Francorum venit a. 755. regnante tum Pippino.

Joannes Ep. a. 791.

Ricuinus Ep

Argemirus Ep. a. 819.

Stabellus seu Stabelus vel Stabulus aut Stabilis Ep a 8.t. a. 824.

MANTUANUS E. *de Mantoüe*, sub M. Foro Juliensi, hodie sub Romano.

Gregorius fit primus Ep. Mantuanus, a. 808. obit, a. 823.

Erfulfus fit Ep. a 823. sedet, a. 855. vixit ad annum usque 858.

MARIANENSIS Ep. *de Marana*, sub M. Romano, hodie sub Januensi.

Mariana in Corsica, pulsis Mauris, Carolo Francorum Regi parere cœpit temporibus Hadriani PP. I. attributáque est Provinciæ Romanæ. Per insignem Donationem à Ludovico Pio Caroli filio data est in perpetuum Romano Pontifici cum tota Insula Corsica, a. 817. Quamdiu sub potestate Francorum fuit, mutilus est Episcoporum Catalogus.

MARSICANUS seu MARSORUM E. *de Celano*, sub M. Romano.

Celanum Marsorum caput in Francorum potestatem venit a. 774. post ejectos ex Italia Longobardorum Reges.

MARTURANENSIS E. *de Marturano*, sub M Romano.

Marturanum in Ducatu Romano Dominationem Græcorum excussit, séque Francis sponte dedidit a. 796. Per insignem Donationem à Ludovico Pio Francorum Rege datum est in perpetuum Romano Pontifici, &c. a. 817. Toto tempore quo sub Francorum fuit potestate, mutilus est Episcoporum Catalogus.

MASSILIENSIS E. *de Marseille*, sub M. Arelatensi.

Honoratus Ep. regnante Pippino, obit, a. 767.

Maurontus fit Ep. a. 767. obit, a. 804.

Honoratus II fit Ep. a. 804.

Theodebertus seu Teutpertus Ep. a. 823.

MATISCONENSIS E. *de Mascon*, sub M Lugdunensi.

Domnolus Ep a. 752.

Leduardus Ep a 789. obit a. circiter 802.

Wicardus seu Guichardus fit Ep. a. circiter 802.

Gundulphus Ep.

Adalranus, Adelranus, Alaranus vel Adelinus Ep. a 811.

Hildebaldus sive Hiltibaldus Ep. a. 815. sedet, a 830.

MAURIENNENSIS E. *de Maurienne*, sub M. Vienoensi.

Witgarius Ep. obit, a. 770.

Walchinus fit Ep a. 770. vivit a 789.

Felmacius Ep. a. 813.

MEDIOLANENSIS E. M. *de Milan*, in provincia Mediolanensi.

Mediolanum, deleto Longobardorum Regno, Francis parere cœpit a. 774.

Thomas Ep. M. a. 774. obit, a. 783.

Petrus fit Ep. M. a. 783. obit a. circiter 804.

Odelpertus fit Ep. M. a. circiter 804. obit, a. 814.

Anselmus fit Ep. M. a. 814. obit, a. 822.

Donus seu Bonus fit Ep. M. a. 822. obit, a. 826.

Angilbertus fit Ep. M. a. 826. obit eodem anno 826.

Angilbertus II. fit Ep. M. a. 827. sedet, a. 835. a. 844.

MELDENSIS E. *de Meaux*, sub M. Senonensi, hodie sub Parisiensi.

Romanus Ep. a. 752.

wlfrannus Ep. a. 757. obit a. circiter 770.

Brunerus seu Prunerus fit Ep. anno circiter 770.

Hildricus sive Hildericus Ep. a. 800. obit longævus a. 813.

Hucbertus fit Ep. a. 813. sedet, a. 829. a. 835. a. 837.

METAMAUCENSIS E. *de Malamocco*, sub M. Gradensi.

Metamaucus venit in potestatem Francorum, a. 810. redit ad Venetos a. 812. Ignoratur nomen Episcopi qui tunc sedebat.

METENSIS E *de Mets*, sub M. Trevirensi.

Chrodegangus Ep. a. 752. obit, a. 766.

Interpontificium bienne.

Angelramnus fit Ep. a. 768. obit, a. 791. mense Octobri.

Interpontificium annorum 27. & mensium 3.

Gundulfus fit Ep. a. 819. obit, a. 825.

Drogo frater Ludovici Pii Imp. fit Ep. a. 826. sedet, a. 833. a. 834. quo factus est Archicapellanus Palatii Cæsarei a. 835. a. 837. a. 840. a. 844. Ludovico fratri Augusto superstes. Vocatur aliquando Archiepiscopus honoris causâ: ipsa usu Pallii potitus est Apocrisiarius Apostolicæ Sedis delegatus à Sergio Papa, a. 844.

MIMIGARDEVORDENSIS E. *de Mim-gerode*, hodie *de Munster*, sub M. Coloniensi.

Ludgerus fit primus Ep. Mimigardevordensis subjicitúrque M. Coloniensi, a. 802. obit, a. 809.

Gerfridus fit Ep. a. 809. obit, a. 839.

Altfridus fit Ep. a. 839.

MINDENSIS E. *de Minden*, sub M. Coloniensi.

Herimbertus fit primus Ep. Mindensis subjicitúrque M. Coloniensi a. 786.

Harwardus Ep.

MOGUNTIACENSIS E. M. *de Mayence*, in utraque Germania, deinde in sola Germania I.

Bonifacius E. M. utriusque Germaniæ dimittit Archiepiscopatum a. 752. Pippino jam Rege.

Lullus fit E. M. utriusque Germaniæ a. 752. Metropolitana dignitate Ecclesiæ Coloniensi ante a. 777. restitutâ, manet Ep. M. Germaniæ I. obit, a. 787.

Riculfus fit Ep. M. Germaniæ I. a. 787. obit, a. 814.

Haistulphus fit Ep. M. Germaniæ I. a. 814. obit, a. 826.

Otgarius sive Autgarius fit E. M. Germaniæ I a. 826. sedet, a. 828. a. 829 a. 835. a. 836. a. 837. a. 838 a. 840 a. 842.

MUTINENSIS E. *de Modene*, sub M. Ravennate, hodie sub Bononiensi.

Mutina post exactos Longobardos Francis parere cœpit a. 774.

Geminianus Ep. a. 774. a. 782.

Geiso Ep. a. 795. obiit a. circiter 812.

Adeodatus seu Deusdedit fit Ep. a. circiter 812. vivit a. 822.

N

NAMNETENSIS E. *de Nantes*, sub M. Turonensi.

Deomarus Ep. a. 752. a. 757.

Odilardus Ep. obit, a. 804.

Alanus sive Almannus fit Ep. a. 804. obit, a. 816.

Teutgarus fit Ep. a. 816 obit, a. 825.

Atto fit Ep. a. 825. sedet, a. 828 a. 829. a. 833

Guihardus vel Gunhardus sive Gohardis Ep. a. 837. obit a. 843 Martyr occisus à Nortmannis.

NARBONENSIS E. M. *de Narbonne*, in provincia Narbonensi I.

Pulsis è Septimania Saracenis, Narbo in Francorum potestatem venit a. 755. regnante tum Pippino.

Nimbridius Ep. M. Pippino Rege.

Daniel Ep. M. a. 769. a. 791.

Nefridius Ep. M. a. 798. a. 821. a. 822.

Bartholomæus Ep. M. a. 828. a. 829 a. 837. deponitur a. 844.

Berarius fit Ep. M. a. 844.

NEBIENSIS E. *de Nebio*, sub M. Romano, hodie sub Januensi.

Nebium in Corsica pulsis Mauris Carolo Francorum Regi parere cœpit temporibus Hadriani Papæ I attributúmque est provinciæ Romanæ Per insignem autem Donationem à Ludovico Pio Caroli filio datum est in perpetuum Romano Pontifici cum tota Insula Corsica, a. 817. Quamdiu sub potestate Francorum, fuit mutilus est Episcoporum Catalogus.

NEMAUSENSIS E. *de Nismes*, sub M. Narbonensi.

Pulsis è Septimania Saracenis Nemausus in Francorum potestatem venit a. 755. regnante tum Pippino.

Witeringus Ep. a. 791.

Christianus Ep. a. 811. a. 835.

NEOBURGENSIS E. *de Neubourg*, sub M. Laureacensi seu Pataviensi.

Manno fit primus Ep. Neoburgensis regnante Pippino. Sedet a. 771 post ejus mortem extinguitur Neoburgensis Episcopatus, cujus pars attribuitur Diœcesi Augustanæ, pars altera Eystetensi.

NEPESINUS E. *de Nepi*, sub M. Romano.

Nepet in Ducatu Romano dominationem Græcorum excussit, séque Francis sponte dedidit a. 796. Per insignem Donationem Ludovici Pii R. Francorum venit in potestatem Romani Pontificis cum &c. a. 817 Toto tempore quo sub potestate Francorum fuit, mutilus est Episcoporum Catalogus.

NICÆENSIS E. *de Nice*, sub M. Ebredunensi, hodie sub Taurinensi.

Syagrius seu Siacrius fit Ep. a. 777. obit, a. 787.

Joannes fit Ep. a. 787.

NITRAVIENSIS E. *de Nitria*, sub M. Laureacensi.

Albinus sive Alchuuinus, aut Alcwinus Ep. a. 824.

NIVER-

NIVARNANSIS E. *de Nevers*, sub M. Senonensi.
Ridelenus Ep. a. 752.
Valdo seu Guido Ep. a. 757.
Evaricus seu Evardus Ep.
Galdo Ep. a. 802.
Hieronymus Ep. a. 818.
Jonas seu Eneas Ep.
Gerfridus seu Guerenedus Ep. a. 833.
Hugo a. 840.
Erimannus seu Herimagnus a. 841.

NOVARIENSIS E. *de Novarre*, sub M. Mediolanensi.
Novaria, post exactos Longobardorum Reges, Francis parere cœpit a. 774.
Benedictus Ep. a. 774. | De his quinque
Petrus Ep. | Episcopis consule
Sicardus Ep. | Tom. 7. a. 811.
Titus Ep. obit, a. 792. | n. 33.
Atto fit Ep. a. 792. obit, a. 821.
Adelgisus fit Ep. a. 821. sedet, a. 840. obit eodem anno.
Odo fit Ep. a. 840.

NOVIOMANSIS E. *de Noyon*, sub M. Remensi.
Elisæus Ep. Noviomensis ac Tornacensis, a. 752. sedet, a. 754.
Adulfridus Ep. Noviomensis ac Tornacensis, a. 756. superstes, a. 765.
Dido seu Dodo Ep. Noviomensis ac Tornacensis, a. 770.
Gilbertus Ep. Noviomensis ac Tornacensis, obit a. 782.
Pleon fit Ep. Noviomensis ac Tornacensis, a. 782. sedet, a. 799.
Wendilmarus Ep. Noviomensis ac Tornacensis, a. 811. a. 817.
Ragenarius seu Ranegarius Ep. Noviomensis ac Tornacensis, a. 825. a. 828. obit, a. 830.
Achardus, Erchardus, Sichardus, aut Fikardus Ep. Noviomensis ac Tornacensis subrogatur a. 830. sedet, a. 835. a. 837. a. 838. obit ante annum 840.
Emmo seu Immo aut Exemeno fit Ep. Noviomensis ac Tornacensis, a. 840. sedet, a. 841 superstes a. 845.

NUCERINUS E. *de Lucera*, sive *Nocera*, sub M. Romano.
Vide suprà *Lucerinum*. Idem est quod *Nucerinus*.

O

OLORONANSIS E. *d'Oleron*, sub M. Elusano.

OSNABURGANSIS E. *d'Osnabrug*, sub M. Coloniensi.
Wiho seu witho fit primus Ep. Osnaburgensis sub M. Coloniensi, a. 783. obit, a. 804.
Meingardus seu Meingerus fit Ep. a. 804. obit, a. 833.

Golwinus fit Ep. a. 833.

OSTIENSIS E. *d'Ostie*, sub M. Romano.
Ostia in Ducatu Romano dominationem Græcorum excussit, & Francis sponte se dedidit a. 796.
Petrus Ep. a. 796. a. 804. a. 805. a. 811.
Cæsarius Ep. a. 817. cùm Ludovicus Pius Francorum Rex Ducatum Romanum, ubi Ostia, dat in perpetuum Romano Pontifici, cum Insulis Corsica & Sardinia.

OTRICOLANSIS E. *d'Otricoli*, sub M. Romano.
Otriculum sive Ocriculum in Ducatu Romano dominationem Græcorum excussit, séque Francis sponte dedidit a. 796. Per insignem Donationem à Ludovico Pio Francorum Rege datum est in perpetuum Romano Pontifici cùm &c. a. 817. Toto tempore quo sub potestate Francorum fuit, mutilus est Episcoporum Catalogus.

P

PADARBORNANSIS E. *de Paderborn*, sub M. Moguntino.
Hadumarus fit primus Ep. Paderbornensis sub M. Moguntino, a. 795. superstes, a. 815.
Baduradus Ep. a. 822. a. 828. a. 835. a. 836. superstes a. 840.

PAMPILONANSIS E. *de Pampelune*, sub M. Elusano, hodie sub Burgensi.
Pampilonenses deditionem Ludovico Regi fecerunt a. 806.
Oppilo fit Ep. a. 806. superstes, a. 828.

PAPIENSIS E. *de Pavie*, sub M. Romano.
Papia Francis deditionem fecit a. 774.
Theodorus Ep. a. 774. obit, a. 778.
Augustinus fit Ep. a. 778. obit eodem anno.
Petrus fit Ep. a. 778. obit, a. 783.
Hieronymus fit Ep. a. 783. obit, a. 792.
Ubaldus fit Ep. a. 792. obit, a. 795.
Petrus II. fit Ep. a. 795. obit, a. 800.
Joannes fit Ep. a. 801. obit, a. 813.
Sebastianus fit Ep. a. 814. obit, a. 816.
Deodatus fit Ep. a. 816. superstes a. 828.
Luitardus seu Liutardus fit Ep. a. 830.

PARANTINUS E. *de Parenzo*, sub M. Foro-Juliensi, deinde sub Gradensi, iterum sub Foro-Juliensi.
Parentium urbs Istriæ ut à Græcis ad Francos, sic à Gradensi Patriarchatu ad Foro-Juliensem transiit a. 789. rediit ad Gradensem a nuente Carolo Magno Francorum Rege a. 805. iterum ad Foro-Juliensem transiit cum Istriâ reliquâ, a. 833. quo Gradus à Francis ad Venetos defecit, Maxentio Foro-Juliensi Pa-

triarchâ, totam hanc provinciam sibi vindicante, & ad suam Diœcesim revocante.

Domitocus Ep. a. 789.
Antoninus Ep. a. 811.
{ De Parentinis Episc. consule Tom. 6. a. 789. n. 166.

PARISIENSIS E. *de Paris*,
sub M. Senonensi, hodie Metropolis.

Ragnecaptus a. 752.
Deodefridus a. 757.
Erkanradus I. seu Erkenradus Ep. regnante Carolo Magno.
Ermanfredus Ep.
Inchadus Ep. a. 811. a. 820. a. 821.
Erkanradus II. seu Acamradus a. 833. a. 835. a. 836. a. 837. a 838. superstes a. 845.

PARMENSIS E. *de Parme*,
sub M Ravennate, hodie sub Bononiensi.

Parma, deleto Longobardorum Regno, Francis parere cœpit a. 774.
Hieronymus Ep. a. 775.

PATAVIENSIS E. *de Passau*,
Metropolitanus Bojoariæ,
deinde sub M. Salisburgensi.

Sidonius E. Pataviensis ac Laureacensis & M. Bojoariæ a. 752. obit, a. 756.
Anthelmus fit Ep. M. a. 756. obit, a. 765.
Wiscarius seu Wilfericus fit Ep. M. a. 765. obit, a. 774.
Waldericus fit Ep. M. a. 774. obit, a. 798. Post ejus mortem Metropolitana Bojoariæ dignitas Salisburgensi Sedi restituitur.
Hatto fit Ep. Pataviensis ac Laureacensis a. 798. obit, a. 817.
Urolphus fit Ep. Pataviensis ac Laureacensis a. 817 abit in Avariam & Moraviam, a. 818. abdicat Episcopatum Pataviensem, fitque Ep. M. Laureacensis a. 822.
Reginarius fit Ep. Pataviensis a. 822. sedet, a. 832. a. 836. fit Ep M. Laureacensis circa a. 837. obit, a. 838.
Interpontificium bienne.
Hardovicus fit Ep. Pataviensis & Laureacensis a. 840.

PATAVINUS E. *de Padouë*,
sub M. Foro-Juliensi.

Patavium, extincto Longobardorum Regno, in Francorum potestatem venit a. 774.
Joseph Ep. a. 774. obit, a. 786.
Bodo fit Ep. a. 786. obit, a. 799.
Luitardus fit Ep. a. 799. obit, a. 814.
Dominicus fit Ep. a. 814. sedet, a. 835. obit, a. 836.
Aldegusus fit Ep. a. 836. obit, a. 844.
Nitingus Ep.

PENNENSIS E. *de Penna*,
sub M. Romano.

Penna, extincto Longobardorum Regno, in Francorum potestatem venit a. 774.
Mutilus est decessorum Episcoporum Catalogus ab hoc tempore ad Amadeum.
Amadeus seu Amidæus aut Amodæus Ep. a. 844.

PERUSINUS E. *de Perouse*,
sub M. Romano.

Perusia, extincto Longobardorum Regno, in potestatem Francorum venit a. 774.
Epiphanius Ep. fortè superstes a. 774. deinde Ecclesia Perusina laborat interpontificio usque ad annum 817. quo Ludovicus Pius Francorum Rex, per insignem Donationem Ducatum Romanum, cujus pars Perusia, dedit in perpetuum Romano Pontifici cum Insulis Corsica & Sardinia.

PETINENSIS E. *de Padina*,
sub M. Foro-Juliensi, deinde sub Gradensi,
iterum sub Foro-Juliensi.

Petinum urbs Istriæ ut à Græcis ad Francos sic à Gradensi Patriarchatu ad Foro-Juliensem transiit a. 789. rediit ad Gradensem annuente Carolo Magno, a. 805. Iterum ad Foro-Juliensem transiit cum Istria tota, a. 833. quo Gradus à Francis ad Venetos defecit, Maxentio tum Foro-Juliensi Patriarcha hanc provinciam Istriæ ad suam Diœcesim revocante. Toto tempore quo Francis paruit, mutilus est Episcoporum Catalogus.

PETROCORIENSIS E. *de Perigueux*,
sub M. Burdigalensi.

Bertrandus Ep. a. 767. a. 778.
Raymundus Ep. a. 805. a. 811.

PICTAVIENSIS E. *de Poitiers*,
sub M. Burdigalensi.

Godo Ep. a. 752. a. 756.
Magnibertus Ep. a. 762.
Bertaldus Ep.
Benedictus Ep. a. 778.
Joannes Ep.
{ De his consule Tom. 5. a. 768. n. 14. & Tom. 6. a. 789. n. 230.
Bertraodus Ep. a. 789.
Sigibrannus Ep. a. 830.
Fridebertus Ep. a. 834.
Ebroïnus seu Ebruinus Ep. a. 837. a. 838. a. 839. a. 844.

PISANUS E. *de Pise*,
sub M. Romano, hodie Metropolis.

Pisæ, deleto Longobardorum in Italia Regno, Francis parere cœperunt a. 774.
Joannes II. Ep. a. 804. superstes a. 820.
Plato fit Ep. a. 821.
Joannes III. fit Ep. a. 826. obit a.
Biurgus seu Bingus Ep. a. 837.
Zenobius Ep. a. 841.
Joannes IV. Ep. a. 844.

PISTORIENSIS E. *de Pistoye*,
sub M. Romano, hodie sub Florentino.

Pistorium, extincto Longobardorum in Italia Regno, Francis parere cœpit a. 7[illegible]4
Wiltretradus Ep. a. 801.

Lamprandus seu Lambardus Ep. a. 826.
Gausprandus seu Gausfridus Ep. a. 844.

PLACENTINUS E. *de Plaisance*, sub M. Ravennate, hodie sub Bononiensi.

Placentia, deleto Longobardorum in Italia Regno, Francis parere cœpit a. 774.
Desiderius Ep. a. 774. obit, a 775.
Maurus fit Ep. a. 775. obit, a. 780.
Julianus fit Ep. a. 780. obit, a. 809.
Podus fit Ep. a. 809. sedet a. 818. obiit, a. 839.

POLENSIS E. *de Pola*, sub M. Foro-Juliensi, deinde sub Gradensi, iterum sub Foro-Juliensi.

Pola, civitas Istriæ, ut à Græcis ad Francos, sic à Gradensi Patriarchatu ad Foro-Juliensem transiit a. 789. rediit ad Gradensem, annuente Carolo Magno Rege, Francorum a. 805. iterum ad Foro-Juliensem pertinuit cum Istria tota a. 833. quo Gradus à Francis ad Venetos defecit, Maxentio Foro-Juliensi Patriarcha hanc Istriæ Provinciam ad suam Diœcesim revocante. Toto tempore quo Francis paruit mutilus Episcoporum Catalogus.

POLIMARTIENSIS E. *de Pomarzo*, sub M. Romano.

Polimartium seu Polymartium in Ducatu Romano dominationem Græcorum excussit, seque Francis sponte dedidit a. 796. Per insignem Donationem Ludovici Pii Regis Francorum transiit in ditionem Romani Pontificis cum reliquo Ducatu Romano, &c. a. 817. Toto tempore quo sub potestate Francorum fuit, mutilus est Episcoporum Catalogus.

POPULONIENSIS E. *de Populonia*, sub M. Romano, hodie sub Senensi.

Populonia, deleto Longobardorum in Italia Regno, Francis parere cœpit a. 774.
Aucaurus Ep. fortè superstes a. 774.
Populonia laborat interpontificio anno 787. quo Carolus Francorum Rex Populoniam Romano Pontifici perpetuò possidendam donavit.

PORTUENSIS E. *de Porto*, sub M. Romano.

Portus in Ducatu Romano dominationem Græcorum excussit, seque Francis sponte dedidit a. 796.
Joannes Ep. a. 807. a. 811. pervenire potuit ad a. 817. quo Ludovicus Pius Francorum Rex Ducatum Romanum, ubi Portus, Romano Pontifici in perpetuum dedit, &c.

PRÆNESTINUS E. *de Palestrine*, sub M. Romano.

Præneste in Ducatu Romano dominationem Græcorum excussit, seque Francis sponte dedidit a. 796. Per insignem Donationem Ludovici Pii datum est æternùm Romano Pontifici cum Ducatu Romano, &c. a. 817. Toto tempore quo sub potestate Francorum fuit, mutilus est Episcoporum Catalogus.

PRIVERNAS E. *de Piperno*, sub M. Romano.

Privernum in Ducatu Romano dominationem Græcorum excussit, seque Francis sponte dedidit a. 796. Per insignem Donationem à Ludovico Pio Francorum Rege, datum est in perpetuum Romano Pontifici cum reliquo Ducatu Romano,] &c. a. 817. Toto tempore quo sub potestate Francorum fuit, mutilus est Episcoporum Catalogus.

R

RAVENNAS E. M. *de Ravenne*, in Exarchatu Ravennate.

Ravennas Caput Exarchatus cum toto Tractu & aliis urbibus Italiæ venere in potestatem Pippini Regis post victum Aistulphum Longobardorum Regem a. 755. & eodem momento restituta sunt Sedi Apostolicæ tempore Stephani III. PP. Dicendum obiter Petronazzum seu Pertinacem vel Petronacem Ravennæ sedisse a. 835. quò convocatum est à Lothario Imp. & Francorum R. Concilium Mantuanum, cui primus subscripsit cum Suffraganeis Andrea Ferrariensi, Leone Faventino, Vitali Comaclensi & Christophoro Bononiensi Episcopis, qui Diœceses extra Franciam positas regebant. *Vide* Tom. 5. a. 755. nn. 22. *& seqq.* Tom. 8. a. 835. nn. 57. 58. & 60.

REATINUS E. *de Rieti*, sub M. Romano.

Reate, deleto Longobardorum Regno, Francis parere cœpit a. 774.

REDONENSIS E. *de Rennes*, sub M. Turonensi.

Stephanus Ep. a. 752. obit, a. 762.
Autismundus fit Ep. a. 763. obit, a. 811.
Warinus seu Warnarius fit Ep. a. 813. sedet a. 818. a. 829. a. 837.

REGIENSIS E. *de Rege*, sub M. Ravennate.

Regium Lepidi post exactos Longobardorum Reges Francis parere cœpit a. 774.
Apollinaris Ep. a. 774. obit, a. 789.
Adelmus fit Ep. a. 789.
Nordbertus Ep. a. 814.
Vitalis Ep. a. 828.
Robertus seu Nodebertus seu Motbertus Ep. a. 835.
Sigisfridus seu Sigifridus Ep. a. 844.

RATISBONENSIS E. *de Ratisbonne*, sub M. Laureacensi seu Pataviensi, deinde sub Salisburgensi.

Garibaldus Ep. sub M. Laureacensi seu Pataviensi a. 752. obit, a. 761.

Sympertus fit Ep. ſob M. Laureacenſi ſeu Patavienſi a. 761. obit, a. 791.

Adalwinus fit Ep. ſub M Laureacenſi ſeu Patavienſi a. 791. ſubeſt M Salisburgenſi poſt a. 798. obit, a. 817.

Bathuricus fit Ep. ſob M. Saliſborgenſi, a. 817. ſedet a 828.

RAÏENSIS E. *de Riez*, ſub M. Aquenſi.

Anthimius Ep ſynchronus Pippino Regi.

Riculphus Ep ſynchronus Carolo Magno.

Ruſtagnus Ep. ſynchronos Lodovico Pio.

De tribus his Epiſcopis actum Tom. 5. ad a. 753. o. 19.

REMENSIS E. M. *de Reims*, io Belgica II.

Milo Ep. M. cùm Remenſis tum Trevirenſis, a. 752. obit, a. 753.

Tilpinos fit Ep. M. Remenſis a. 753. obit, a. 800.

Interpontificium bienoe.

Wlfarius fit Ep. M. Remenſis a. 802. obit, a. 816.

Ebo ſive Ebbo fit Ep. M. a. 816. ſedet a. 828. a. 829. a. 833. exulat a. 834. abdicatur præcipuos author conjurationis in Ludovicum Pium a. 835. per vim reſtituitor a. 840. fugit a 841.

Fulco Chorepiſcopus Remenſis præeſt Ebbone tùm abdicato tùm exulante, a. 834. *& ſeqq.* obit, a. 845.

Noto Chorepiſcopus Remenſis Fulconi ſubſtituitur a. 843.

Hincmarus fit Ep. M Remenſis, a. 845.

ROMANUS E. M. *de Rome*, in provincia Romana.

Roma cum Romano Ducatu dominationem Græcorom excuſſit, ſéque Francis ſponte dedidit a. 796.

Leo III. Romanus Pontifex a. 796. obit, a. 816.

Stephanus V. fit PP. a. 816. obit, a. 817.

Paſchalis fit PP a. 817. eodémque anno Roma cum Docatu Romano atque Inſulis Corſica & Sardinia tranſit in ditionem Romani Pontificis inſigoi Donatioue Ludovici Pii Regis Francorom.

ROTOMAGENSIS E. M. *de Roüen*, in provincia Lugdonenſi II.

Raginfridus Ep. M. a. 752. deponitur a. 755.

Remigius fit Ep. M. a 755. obit, a. 772.

Magenardus ſeu Mainardus fit Ep. M. a. 772. ſedet a. 802. obit.

Willebertus Ep. M. a 811 a. 825. obit, a 828.

Ragoardos ſive Ragnoardus vel Ragnowardus aot Raynardus fit Ep. M. a. 828. ſedet a. 829. a. 833. a. 835. obit, a. 838.

Guotbaldus ſive Gumbaldos aut Goudebaldus fit Ep. M. a. 838. ſedet a 841.

ROSSALLENSIS E. *de Roſelle*, ſob M. Romano.

Ruſſella, deleto Longobardorum in Italia Regno, venit in poteſtatem Francorum a. 774. iiſque paruit ad annum uſque 787 quo tranſo in ditionem Romani Pontificis ex liberalitate Caroli Magni. Mancus eſt aotem per illud tempus Epiſcoporum Catalogus.

RUTENENSIS E. *de Rodez*, ſub M. Bituricenſi, hodie ſub Albigenſi.

Faraldus Ep. a. 838.

S

SABINENSIS E. *de Sabine*, ſub M. Romano.

Mallianum, obi Sedes Epiſcopalis, in Francorum poteſtatem venit a. 774. deleto Longobardorum Regno, deinde tranſiit in ditionem Romani Pontificis ex liberalitate Caroli Magni a 781 Mancus eſt aotem per illa tempora Catalogus Epiſcoporum.

SABIONENSIS E. *de Siben*, ſub M. Laureacenſi ſeu Patavienſi, deinde ſub Saliſburgenſi

Sabionenſis Epiſcopatus, qoi priùs pars erat Regni Longobardici ſub Patriarcha Foro-Julienſi, Francicis ditionibus acceſſit & Archiepiſcopo Laureacenſi ſeu Patavienſi Metropolitæ Bojoariæ ſubditus fuit regnante tom Pippino, deinde Saliſburgenſi ſobditus fuit a. 798. Metropolitanâ dignitate Saliſburgo redditâ.

Alim ſive Alimus vel Almus Ep. regnantibus Pippino & Carolo, obit ante annum 798.

Heinricus fit Ep. ante annum 798. qoo Metropolitana dignitas Saliſborgo reddita eſt: ſedet, a. 807.

SAGIENSIS E. *de Séez*, ſub M. Rotomagenſi.

Lutharius Ep. a. 752. obit, a. 756.

Godegrandus Ep. a. 756. obit, a. 770.

Ragimfridus fit Ep. a. 770.

Reginaldus Ep. a. 812.

Ingelnouus ſive Ingelnomus Ep. a. 833.

SALERNITANOS E. *de Salerne*, ſub M. Romano, hodie Metropolis.

Salernom, deleto Longobardorum Regno, venit in Francorom poteſtatem a. 774.

Rodopertus Ep. a. 774. a. 787.

Nicolaus Ep. a. 801. obit, a 818.

Rodoaltus fit Ep. a. 818. obit, a. 834.

Petrus Canuſinus Epiſcopos, qui, Canuſia à Saracenis capta, Salernum ſe receperat, fit Ep. Salernitanus a. 834.

SALINGESTADIENSIS E. *de Selingſtad*, ſub M. Moguntino.

Hildegrimus fit primus Epiſcopus Salingeſtadienſis a. 810. Epiſcopalem Sedem Salingeſtadio transfert Halberſtadium a. 820. *Vide* Epiſcopos Halberſtadienſes.

SALISBORGENSIS E. *de Saltzbourg*, ſub M. Laureacenſi ſeu Patavienſi, deinde Metropolitanus Bojoariæ.

Joannes Ep. a. 752. obit, a. 759.
Interpontificium.
Vigilius ordinatur Ep. a. 766. obit, a. 780.
Bertricus fit Ep. a. 780. obit, a. 781.
Arno fit Ep. a. 781. Metropolitanus Bojoariæ a. 798. obit, a. 822.
Ammilonius fit Ep. M. a. 822. obit, a. 823.
Adalramus fit Ep. M. a. 823. obit, a. 836.
Lioptamus fit Ep. M. a. 836. ſolus Bojoariæ Metropolitanus a. 838. quo poſt obitum Reginarii Laureacenſis Metropolitæ totum Jus Metropoliticum deinceps penes Saliſburgenſem Antiſtitem remanſit.

SANICIENSIS E. *de Senez*, ſub M. Ebredonenſi.

SANTONENSIS E. *de Saintes*, ſub M. Burdigalenſi.

Ato Ep. Santonenſis, a. 799.

SAVONENSIS E. *de Savone*, ſub M. Mediolanenſi.

Savona, deleto Longobardorum Regno, Francis parere cœpit a. 774.

SEDONENSIS E. *de Sion*, ſub M. Darantaſienſi.

Wilicarius Ep. a. 766.
Aloborgus Ep. a. 768. obit, a. circiter 788.
Altheus fit Ep. a. circitar 788.
Theodulus Ep. a. 802.
Adalongus Ep. a. 824.

SEGESTARICENSIS E. *de Siſteron*, ſub M. Aquenſi.

Bonus Ep. a. 752. ſedet annos 55. obit, a. 805.
Joannes fit Ep. a. 805. ſedet a. 835. ſuperſtes ad a. uſque 852.

SENENSIS E. *de Sienne*, ſub M. Romano, hodie Metropolis.

Senæ, deleto Longobardorum Regno in Italia, parere Francis cœperunt a. 774.

Jordanus Ep. a. 761. fortè & a. 774.
Rodobertus Ep. temporibus Hadriani PP.
Joannes Ep. a. 792.
Andreas Ep. a 795. a. 801.
Peritheus Ep. a. 826.
Thomas Ep. a. 830.
Gerardus Ep. a. 841.
(De his conſule Tom. 6. a. 801. on. 5. 6. 7.)

Cantio ſeu Cantius Ep. a. 844.

SENONENSIS E. M. *de Sens*, in provincia Lugdunenſi IV.

Ardobertus Ep. M. a. 752.
Auripertus Ep. M.
Aroulfus Ep. M. obit, a. 761.
Merulfus fit Ep. M. a. 761. obit, a. 762.
Lupus fit Ep. M. a. 762. obit, a. 766.
Wilicarius fit Ep. M. a. 766. ſedet a. 777.
Goteſcalcus Ep. M.
Petrus Ep. M. obit, a. 787.
Willebaldus fit Ep. M. a. 787. obit, a. 791.
Berardus ſeu Beonradus fit Ep. M. a. 792. obit, a. 795.
Rambertus ſeu Raguibertus fit Ep. M. a. 795. obit, a. 801.
Magno ſeu Magnus fit Ep. M. a. 801. obit, a. 818.
Hieremias fit Ep. M. a. 818. obit, a. 828.
Aldricus fit Ep. M. a. 829. ſedet a. 833. obit, a. 836.
Wenilo Capellanus Regius fit Ep. M. a. 837. ſedet a. 843. ſuperſtes a. 845.

SETINUS E. *de Sezze*, ſub M. Romano.

Setia in Ducatu Romano dominationem Græcorum excuſſit, ſéque Francis ſponte dedidit a. 796. Per inſignem Donationem à Ludovico Pio Francorum Rege data eſt in perpetuum Romano Pontifici cum reliquo Ducatu Romano, &c. a. 817. Toto tempore quo Francis paruit, mutilus eſt Epiſcoporum Catalogus.

SIGNINUS E. *de Segni*, ſub M. Romano.

Signia in Ducatu Romano dominationem Græcorum excuſſit, ſéque Francis ſponte dedidit a. 796. Per inſignem Donationem Ludovici Pii tranſiit in Dominium Summi Pontificis, &c. a. 817. Toto tempore, quo ſub poteſtate Francorum fuit, mutilus eſt Epiſcoporum Catalogus.

SILVANECTENSIS E. *de Senlis*, ſub M. Remenſi.

Wlfredus Ep. a. 752. obit, a. 753.
Antalfridus fit Ep. a. 753. obit, a. 763.
Bertolinus fit Ep. a. 763. obit, a. 771.
Odonius fit Ep. a. 771. obit, a. 779.
Adelbertus fit Ep. a. 779. obit, a. 789.
Reginaldus fit Ep. a. 789. obit, a. 807.
Herminius ſive Ermeno fit Ep. a. 807. obit, a. 824.
Godafridus fit Ep. a. 824. ſedet, a. 829. a. 835. a. 837. obit ante a. 840.
Erpwinus ſiva Erpoinus Ep. a. 840. a. 845.

SIPONTINUS E. *de Siponte*, ſub M. Romano, hodie Metropolis.

Vide Epiſcopos Beneventanos. Iidem enim olim Ep. Sipontini qui Beneventani: modò diſtinguuntur, ſuntque ambo MM.

SORANUS E. *de Sora*, ſub M. Romano.

Sora, extincto Longobardorum Regno in Italia, Francis paruit a. 774. deinde venit in poteſtatem Romani Pontificis a. 787. ex liberalitate Caroli Magni. Mancus eſt autem per illud tempus Epiſcoporum Catalogus.

SPECULUNENSIS E. ſub M. Laureacenſi, hodie OLOMUCENSIS, *d'Olmutz*, ſub M. Pragenſi.

Methodius Ep. a. 824.

INDEX POSTERIOR

SPIRENSIS E. *de Spire*,
sub M. Moguntino.

Basilius Ep. a. 752. obit, a. 775.
Sigenninus seu Sigewinus fit Ep. a. 775. obit, a. 802.
Atho sive Otho fit Ep. a. 802. obit, a. 810.
Freydo seu Fraydo fit Ep. a. 810. obit, a. 814.
Benedictus fit Ep. a. 814. obit, a. 822.
Hertinus seu Bertinus fit Ep. a. 822. sedet a. 828. a. 838. obit, a. 841.
Gebhardus seu Eberbardus fit Ep. a. 841.

SPOLETANUS E. *de Spolete*,
sub M. Romano.

Spoletum, extincto Longobardorum Regno, venit in potestatem Francorum a. 774. eodémque anno ex liberalitate Caroli Magni datum est Sedi Apostolicæ, sed effectum hæc Donatio non est sortita. Mancus est autem Episcoporum Spoletanorum Catalogus ab a. 680. ad postrema Caroli Magni tempora.
Sigualdus Ep. a. 814. obit, a. 827.
Luitardus fit Ep. a. 827. sedet a. 840.

STRASBURGENSIS
seu ARGENTORATENSIS E. *de Strasbourg*,
sub M. Moguntino.

Heddus Ep. a. 752 superstes a. 765.
Remedius Chorepiscopus ante a. 762. fit Ep. a. 765. sedet a. 778. obit, a. 803.
Recho fit Ep. a. 803. obit, a. 812.
Utho I. fit Ep. a. 812. obit, a. 815.
Adalochus sive Adelochus vel Adelotbus fit Ep. a. 815. obit, a. 825.
Bernalius seu Bernoldus aut Beroldus seu Bernaldus fit Ep. a. 825. obit, a. 842.
Uto II. sive Utho fit Ep. a. 842.

SUANENSIS E. *de Suana*,
sub M. Romano.

Suana, deleto Longobardorum in Italia Regno, venit in potestatem Francorum a. 774.
P...... Ep. a. 774. fortè & a. 787. quo Carolus Rex Francorum Romano Pontifici Suanam cessit possidendam.

SUESSANUS E. *de Sessa*,
sub M. Romano, hodie sub Capuano.

Suessa, deleto Longobardorum Regno, Francis paruit a. 774.

SUESSIONENSIS E. *de Soissons*,
sub M. Remensi.

Hubertus Ep. a 752.
Interpontificium a 756.
Hildegaudus sive Hildigungus Ep. a. 765.
Madalbertus Ep. a. 787.
Deodatus Ep. a. 802. a. 804.
Rotardus I. seu Rotualdus, Rotadus & Rotaldus fit Ep. a. 814. obit, a. 831.
Rotardus II. seu Rotadus, &c. fit Ep. a. 831. sedet a. 833. a. 834. a. 835. a. 838. a. 840. superstes a. 845.

SUTRINUS E. *de Sutrino*,
sub M. Romano.

Sutrium in Ducatu Romano dominationem Græcorum excussit, séque Francis sponte dedidit a 796. Per insignem Donationem Ludovici Pii datum est Romano Pontifici, &c. a 817. Toto tempore quo Francis paruit, mutilus est Episcoporum Catalogus.

SYLVÆ CANDIDÆ E. *de la Forest Blanche*,
sub M. Romano.

Sylva Candida in Ducatu Romano dominationem Græcorum excussit, séque Francis sponte dedidit a. 796. Per insignem Donationem à Ludovico Pio Francorum Rege data est in perpetuum Romano Pontifici, &c. a. 817. Toto tempore quo Francis paruit, mutilus est Episcoporum Catalogus.

T

TARRACINENSIS E. *de Terracine*,
sub M. Romano.

Terracina in Ducatu Romano dominationem Græcorum excussit, séque Francis sponte dedidit a. 796. Per insignem Donationem à Ludovico Pio Francorum Rege data est in perpetuum Romano Pontifici, &c. a. 817. Toto tempora quo Francorum sub potestate fuit, mutilus est Episcoporum Catalogus.

TARUANNENSIS E. *de Terouene*,
sub M. Remensi,
hodie *les Eveschez de Bologne, Saint Omer & Ypres*,
partim sub M. Remensi, partim
sub Cameracensi.

Ætherius Ep. a. 752.
Radwaldus Ep. a. 766.
Athalfus Ep.
Wigbertus Ep.
(De his consule Tom. 5. a. 766. n. 26. & Tom. 6. a. 799. n 10.)
Theodowinus Ep a. 799. obit, a. 801.
Grimbaldus, corruptè Erimbaldus, fit Ep. a. 801. obit, a. 816.
Folquinus fit Ep. a. 816. sedet a 839.

TARVISINUS E. *de Trevigi*,
sub M. Foro-Juliensi.

Tarvisium, extincto Longobardorum in Italia Regno, Francis parere cœpit a. 774.
Fortunatus Ep. a. 780. a. 799.
Adeodatus Ep a. 835.

TAURINENSIS E *de Turin*,
sub M. Mediolanensi, hodie Metropolis.

Taurinum, extincto Longobardorum in Italia Regno, Francorum in potestatem venit a. 774.
Claudius fit Ep. a. circiter 821. obit a. 839. Hæreticorum Primipilus in causa sacrarum Imaginum.

TEATINUS E. *de Teti* seu *de Chieti*,
sub M. Romano, hodie Metropolis.

Teate, deletus in Italia Longobardorum

Regibus in ditionem Francorum cessit a. 774.

Theodoricus Ep. a. 840.

Lupus Ep. a. 844.

TERGESTINUS E. *de Trieste*,
sub M. Foro-Juliensi, deinde sub Gradenti, iterum sub Foro-Juliensi.

Tergestum urbs Istriæ, ut à Græcia ad Francos, sic à Patriarchatu Gradensi ad Foro-Juliensem transiit a. 789. rediit ad Gradensem annuente Carolo Magno a. 805. Iterum ad Foro-Juliensem revocatur cum tota Istria, annitente Maxentio Patriarcha Foro-Juliensi, dum Gradus à Francis ad Venetos deficit, a. 833. Toto tempore quo sub potestate Francorum fuit, mutilus est Episcoporum Catalogus.

THEANENSIS E. *de Theano*,
sub M. Romano.

Theanum, deleto Longobardorum in Italia Regno, venit in potestatem Francorum a. 774. deinde in Dominium Romani Pontificis cessit ex liberalitate Caroli Magni a. 787. Per illud tempus quo sub ditione Francorum mansit, mutilus est Episcoporum Catalogus.

TIBURTINUS E. *de Tivoli*,
sub M. Romano.

Tibur in Ducatu Romano dominationem Græcorum excussit, séque Francis sponte dedidit a. 796. Per insignem Donationem Ludovici Pii datum est in perpetuum Romano Pontifici, &c. a. 817. Toto tempore quo Francis paruit, mutilus est Episcoporum Catalogus.

TIPHERNAS E. *de Citta di Caste*[illegible],
sub M. Romano.

Tifernum Tiberinum in Ducatu Romano dominationem Græcorum excussit, séque Francis sponte dedidit, a. 796. Per insignem Donationem Ludovici Pii datum est in perpetuum Romano Pontifici, &c. a. 817. Toto tempore quo sub potestate Francorum fuit, mutilus est Catalogus Episcoporum.

TOLONENSIS E. *de Toulon*,
sub M. Arelatensi.

TOLOSANUS E. *de Toulouse*,
sub M. Bituricensi, hodie Metropolis.

Arricho Ep. a. 778. a. 791.

Mantio Ep. Carolo Magno & Ludovico Pio Imperatoribus.

Samuel Ep. a. 844.

TORNACENSIS E. *de Tournay*,
sub M. Remensi, hodie sub Cameracensi.

Vide Episcopos Noviomenses suprà: iidem enim qui & Tornacenses.

TRAJECTENSIS E. *de Maëstrich*,

Vide Leodienses Episcopos. Iidem enim Episcopi Leodienses, qui priùs Trajectenses, & ab initio Tungrenses fuere.

TRECENSIS E. *de Troyes*,
sub M. Senonensi.

Bobinus Ep. a. 752. obit, a. circiter 766.

Amingus fit Ep. a circ. 766.

Adelgarius Ep. a. 789.

Bertulfus qui & Osulfus, fit Ep. a. 811.

Paulus fit Ep. superstite Carolo Magno, obit Ludovico Pio Imp.

(De quinque bis Episcopis consule Tom. 7. a. 811. n. 35.)

Helias Ep. a. 829. obit, a. 836.

Adalbertus fit Ep. a. 836. sedet a. 837

TREVIRENSIS E. M. *de T*[illegible]
in Belgica I.

Milo Ep. M. cùm Trevirensis tum Remensis a. 752. obit, a. 753.

Weomadus fit Ep. M. Trevirensis a. 753. obit, a. 776.

Richboldus fit Ep. M. a. 776. obit, a. 804.

Wazzo fit Ep. M. a. 804. obit, a. 810.

Amatharius fit Ep. M. a. 810. obit, a. 814.

Hetti sive Hettius fit Ep. M. a. 814. sedet a. 828. a. 829. a. 835. a. 840.

TRICASTINUS E. *de Trois Chasteaux*,
sub M. Arelatensi.

TRIDENTINUS E. *de Trente*,
sub M. Foro-Juliensi.

Tridentum, deleto Longobardorum in Italia Regno, Francis parere cœpit a. 774.

Ursus Ep. a. 774.

Clementianus Ep.

Amator Ep. a. 795. obit, a. 802.

(De his consule Tom. 6. a. 774. n. 109.)

Hildegarius fit Ep. a. 802.

TRIVENTINUS E. *de Trivento*,
sub M. Romano.

Triventum, deleto Longobardorum Regno, Francis parere cœpit a. 774.

TRIUM TABERNARUM E.
sub M. Romano.

Tres Tabernæ in Ducatu Romano non procul ab hodierno vico *Cisterna* dicto dominationem Græcorum excusserunt, séque Francis sponte dediderunt a. 796. Per insignem Donationem Ludovici Pii datæ sunt in perpetuum Romano Pontifici, &c. a. 817. Toto tempore quo Francis paruerunt, mutilus est Episcoporum Catalogus.

TUDERTINUS E. *de Todi*,
sub M. Romano.

Tudertum in Ducatu Romano dominationem Græcorum excussit, séque Francis sponte dedidit a. 796.

Theophylactus Episc. a. 796. Sedente hoc Episcopo, vel ejus successore Joanne, Ludovicus Pius per insignem Donationem in perpetuum Romano Pontifici attribuit Ducatum Romanum cum Insulis Corsica & Sardinia, a. 817

TULLENSIS E. *de Toul*,
sub M. Trevirensi.

Jacob Ep. a. 752. abdicat Episcopatum, a......
Godo Ep. a. 765.
Possessor Ep. a. 775.
Garibaldus seu Gribaldus Ep. / Borno Ep. / Unanimicus Ep. obit, a. 813. — De tribus his Episcopis consule Tom. 7. a. 805. n. 44.
Frotharius Abbas S. Apri fit Ep. a. 813. sedet, a. 835. a. 840.

TUNGRENSIS E. *de Tongres*,
Vide Leodienses Episcopos.

TORONENSIS E. M. *de Tours*,
in provincia Lugdunensi III.

Rigambertus Ep. M. obiit eodem quo Pippinus Rex elevatur anno 752.
Aubertus fit Ep. M. a. 752. obit, a. 754.
Ostaldus fit Ep. M. a. 754.
Eusebius Ep. M. a. 765.
Gavienus Ep. M. a. 769.
Herlingus Ep. M. a. 791. obit, a. 791.
Josephus fit Ep. M. a. 792. sedet, a. 813.
Landrannus sive Lantrannus, Landramnus, Landrandus vel Landrancius Ep. M. a. 816. a. 828. a. 829. a 835. abdicat Episcopatum a. 836.
Ursmatus sive Ursmarus fit Ep. M. a. 836. sedet, a. 83[illegible]. 843.

TURRITANUS E. *de Torre*,
sub M. Calaritano.

Turris Libissonis seu Turres, civitas Sardiniæ, cum reliqua Insula Ludovico Pio sponte se subjecit, a. 815. & post biennium ab eodem Ludovico per insignem Donationem data est Romano Pontifici cum tota Insula. Quis illo biennio sederit Episcopus ignoratur.

TUSCANUS seu TOSCANELLENSIS E.
de Toscanella,
sub M. Romano.

Tuscana seu Tuscania vel Tuscanella, extincto Longobardorum Regno, venit in potestatem Francorum a. 774. Romano Pontifici cessit ex liberalitate Caroli Magni Regis Francorum a. 787. Per illud spatium temporis mutilus est Episcoporum Catalogus.

TUSCULANUS E. *de Tusculo*,
vulgò *Fre ati*.
sub M. Romano.

Tusculum, in cujus loco erecta Friscata, dominationem Græcorum excussit, séque Francis sponte dedidit a. 796.
Petrus Ep. Carolo Magno Imperatore incertum an pervenerit ad a. 817. quo Ludovicus Pius per insignem Donationem in perpetuum Romano Pontifici dedit Ducatum Romanum cum Insulis Corsica & Sardinia.

V

VALENTINUS seu VALENTINENSIS E.
de Valence
sub M. Viennensi.

* Valentia laborat interpontificio a. 752.
Lupicinus Ep. Pippino, Carolomanno & Carolo R R.
Bonitus Ep. a. 791. sedet a. 798.
Waldus Ep. / Salvius II. Ep. a. 811. / Lambertus Ep. — De tribus his Episcopis consule Tom. 7. a. 805. n. 44.
Ado Ep. a. 835. a. 840. superstes a. 841.

VALVENSIS E. *de Valva*,
sub M. Romano.

Valva, deleto Longobardorum in Italia Regno, Francis parere cœpit a. 774.
Valpertus Ep. regnante Carolo Magno.
Ravennus Ep. a. 812. obit Ludovico Pio Imperatore.

VALPINCENSIS E. *de Gap*,
sub M. Aquensi.

Symphorianus Ep. Pippino, Carolomanno & Carolo R R.
Donadeus Ep. a. 789. a. 791.

VASATENSIS E. *de Basas*,
sub M. Elosano.

VASIONENSIS E. *de Vaison*,
sub M. Arelatensi, hodie sub Avenionensi.

UCETIENSIS E. *d'Usez*,
sub M. Narbonensi.

Ucecia redit in potestatem Francorum a. 755. regnante tum Pippino, manétque sub M. Narbonensi.
Sigibertus fit Ep. a. 763.
Arimundus Ep. a. 791.
Elephantus Ep. a. 800. a. 811.
Geraldus Ep. Ludovico Pio Imperatore

VELITRENSIS E. *de Velletri*,
sub M. Romano.

Velitræ in Ducatu Romano dominationem Græcorum excusserunt, séque Francis sponte dediderunt a. 796. Per insignem Donationem Ludovici Pii datæ sunt in perpetuum Romano Pontifici, &c a. 817. Toto tempore quo Francis paruere, mutilus est Episcoporum Catalogus.

VENAFRANUS E. *de Venafro*
sub M. Romano

Venafrum, deleto Longobardorum in Italia Regno, venit in potestatem Francorum a. 774.

VENETENSIS E. *de Vannes*,
sub M. Turonensi.

Justoknus Ep. a. 752. obit, a. 756.
Jacutus fit Ep. a. 756. obit, a. 7 9.
Calgonus fit Ep. a. 759. obit, a. 766.
Luchenardus fit Ep. a. 766. obit, a. 783.
Bilius fit Ep. a. 783. obit, a. 790.

Cunadanus

Cunadanus siva Enadanus fit Ep. a. 790. obit, a. 794.

Blinlivetus fit Ep. a. 794. obit, a. 796.

Aurisesndus fit Ep. a. 796. obit, a. 799.

Ago fit Ep. a. 799. obit, a. 810.

Iisaac fit Ep. a. 810. obit, a. 814.

Kermaricus fit Ep. a. 814.

Wihelocus Ep. a. 818. obit, a. 820.

Ragenarius seu Rainatius fit Ep. a. 820. sedet a. 829. a. 832. a. 835. obit, a. 841.

Susannus fit Ep. a. 841. sedet a. 845.

VARCELLENSIS E. *de Verceil*, sub M. Mediolanensi.

Vercellæ, deleto Longobardorum io Italia Regno, venerunt in Francorum potestatem a. 774.

Arbio Ep. a. 774.
Chrisanius Ep.
Nottingus fit Ep. superstite Carolo Magoo: sedet a. 818. a. 830.
{ De tribus his Episcopis actum Tom. 6. a. 774. n. 45.

Anserius Ep. a. 835.

Northandus Ep. a. 844.

VARDENSIS E. *de Verden*, sub M. Moguntino.

Swibertus in Saxooia constituitur Episc. a. 786. sedet anoos 21. partim in loco *Komende*, vel in civitate Bardevicensi, partim Verdæ, quò sedes Episcopalis è priore loco translata est, obit, a. 807.

Taneo ea Abb. Amarbariceosi fit Ep. a. 807. sedet a. 814.

Isengerus Ep.
Heligandus Ep.
{ De his consule Tom. 7. a. 814. n. 67.

VARONENSIS E. *de Verone*, sub M. Furo-Juliensi.

Verona, deleto Longobardorum Regno, venit in potestatem Francorum a. 774.

Anno Ep. a. 774. obit a. circiter 780.

Lotherius fit Ep. a. circiter 780.

Aldo Ep. a. 790.

Eginus Ep. a. 795. obit, a. 802.

Rotaldus seu Ratoldus fit Ep. a. 802. sedet a. 817. a. 830 a. 835. obit, a. 840.

Agninus seu Aginus, aliis Algotius, fit Ep. a. 840. sedet a. 844.

VERULANUS E. *de Veruli*, sub M. Romano.

Verulæ in Ducatu Romano dominationem Græcorum excusserunt, séque Francis sponte dediderunt a. 796. Per insignem donationem Ludovici Pii datæ sunt in perpetuum Romano Pontifici, &c. a. 817. Toto tempore quo sub potestate Francorum fuerunt, mutilus est Episcoporum catalogus.

VESONTIONENSIS E. M. *de Besançon*, in Provincia Lugdunensi V.

Herveus Ep. M. a. 752. a. 756.

Hanseus Ep. M.. a. 765.

Gedeon Ep. M. a. 790.

Betouinus seu Berminius, aliis Germinius Ep. M. a. 811. sedet a 828. a. 829.

Amalwinus seu Amalguinus Ep. a. 838. a. 840.

VETUARENSIS E. *de Vetar*, sub M. Laureacensi.

Anoo Ep. a. 824.

VICENTINUS E. *de Vicence*, sub M. Foro-Juliensi,

Vicentia, deleto Longobardorum in Italia Regno, Francis parere cœpit a. 774.

Francarius seu Franconius Ep. a. 835.

VICO-JULIENSIS E. *d'Ayre*, sub M. Elusano.

Asinarius Ep. a. 791.

VIENNENSIS E. M. *de Vienne*, io Provincia Viennensi I.

Proculus fit Ep. M. a. 754. Wilicario antecessore Agaunum à multis annis profecto: obit a. 767.

Berterieus fit Ep. M. a. 767.

Ursio Ep. M. a. 794. obiit, a. 799.

Volferius fit Ep. M. a. 799. obiit, a. 810.

Barnardus sive Bernardus fit Ep. M. a. 810. sedet a. 828. a. 829. a. 836. a. 837. a. 840. a. 841 obit, a. 842.

Agilmanus sive Egilmanus fit Ep. M. a. 842.

VINCIENSIS E. *de Vence*, sub M. Ebredunensi.

Liutadus Ep. a. 835.

VIRODUNENSIS E. *de Verdun*, sub M. Trevirensi.

Virodunum laborat interpontificio a. 752.

Madelveus post interpontificium fit Ep. a. 753. obit, a. 776.

Interpontificium annorum 12.

Petrus fit Ep. a. 788. obit, a. 815.

Austranaus fit Ep. a. 815. obit, a. 818.

Herilandus fit Ep. a. 818. obit, a. 822.

Hildinus sive Hilduinus, vel Hildimus aut Hildus fit Ep. a. 822. sedet, a. 832. a. 833. a. 835. a. 836. a. 837.

VIVARIENSIS E. *de Viviers*, sub M. Arelatensi.

Thomas Ep. a 811. a. 815.
Teugrinus seu Tengrinos Ep. a. 833.
{ De Episcopis Vivariensibus simul & Albeonsibus actum Tom. 1. ad a. Christi 534. n. 10.

ULTRAJECTINUS E. *d'Utrech*, sub M. Moguntino, deinde sub Coloniensi.

Dadanus Ep. obit a. 752. Pippino jam Rege.

Bonifacius, abdicato Archiepiscopatu Moguntino, fit Ep. Ultrajectinus a. 752. obit a. 755 martyrio coronatus.

Gregorius post S. Bonifacii martyrium suscipit regimen Ecclesiæ Ultrajectinæ a. 755. manet tamen in Presbyterii gradu, obitque a. 776.

Albricus Presbyter suscipit regimen Ecclesiæ Ultrajectinæ a. 776. ordinatur

Ep. à Mettopolita Coloniensi a. 777. obit a. 784.
Theodardus fit Ep. a. 784. obit, a. 79n.
Harmokarus sive Erwacherus fit Episc. a. 790. obit, a. 807.
Rixfridus fit Ep. a 8n7. sedet a. 824. nbit, a. 826. Cœlitibus annumeratus.
Frederjcus fit Epise. a. 826. seder a. 828. a. 833. obit martyr a. 838.
Alphricus fit Ep. a. 838.

VOLATERRANUS E. *de Volaterra*, sub M. Romano.

Vulaterræ, deletn Longobardorum in Italia Regno, venerunr in Francorum potestatem a 774.
Petrus Ep. a. 8on. a. 826. superstes adhuc a. 844.

VORMACIENSES E. *de Worms*, snb M. Moguutino.

wernharius Ep. a. 752. obit, a. 766.
Folcuvicus fit Ep. a. 766.
Ehrenbrechtus Episc. obit, a. 798.
Bernharius fit Ep. a. 798. sedet a. 8t3. obir, a. 82t.
{De qoatuur his Episcopis consule Tnmum 6. a. 798. on. 51. 52. 53.}

Fulconius seu Fulcarius Ep. a. 833. a. 837. obit, a. 838.
Samuel ex Abbate Lanrissæ fir Ep. Vormacieosis & Abbas Laureshamensis a. 838. sedet a. 84n. vixit usqne ad a. 855.

URBEVETANUS E. *d'Orviete*, sub M. Romano.

Urbs vetus, deleto Lnngobardnrum in Italia Regno, veuit in Francorum potestatem a. 774. deinde in ditionem transfit Romani Pontificis ex liberalitare Caroli Magni a. 787. Mancus est autem per illud tempus Episcoporum Catalogus.

URGELLENSIS E. *d'Urgel*, sive *de la Seu d'Urgel*, sub M. Narbnnensi, hodie sub Tarraconensi.

Urgella orbs Hispaniæ Tarracnnensis venit in pntestarem Francnrum a. 755. & Urgellensis Episcopatus attributus est Provinciæ Narbnnensi.
Stephanus Ep. Pippino, Carnlnmanuo & Carnlo R R.
Dorilla Ep. a. 773. a. 779.
Felix Ep. a. 79t. damnatnr nb Hæresim a. 792. a. 794. resipiscit a. 799. deponitur ramen prnpter freqnentes iteratósque lapsus, & apud Lugduuum exulat.
Sisebutus, depnsito Felice, fit Ep. a. 800. nbit, a. 836.
Possiderius seo Possedonius fit Ep. a. 836. obit, a. 837.
Florentius fit Ep. a 837.

WIRCEBURGENSES seu HERBIPOLITANUS E. *de Wirtzbourg*, snb M. Moguntino.

Megingaodus Ep. a. 752. abdicat Episcopatum a. 769. nbir, a. 779.
Bernwelphos fit Ep. a. 779. obit, a. 786.
Lmitrigus fit Ep. a. 786. nbir, a. 790.
Egilwardus fit Ep. a. 790. nbit, a. 796.
wnlfgerus fit Ep. a. 796. obit, a. 818.
Humbertus fit Ep. a. 818. obit, a. 835.
{Lege Tnm. 7. a. 815. on. 30. & *seqq.*}

Gntzbaldns ex Abbate Altaichii Inferioris fit Ep. a. 835. sedet a. 836.

MONASTERIA

SUB CAROLINGIS REGIBUS,

ab anno 752. quo Pippinus regnare cœpit, ad annum 845. quo Ludovici Pii filii Lotharius, Ludovicus & Carolus post Conventum ad Theodonis-villam fœderati Franciam regebant.

SECUTI exemplum Authoris Monasteria Franciæ Ditionis ea solùm hic enumeramus, quæ tum sub Merovingis Principibus, atque etiam Romanis Imperatoribus ab initio condita primæ Regum nostrorum Dynastiæ casum evaserunt, tum quæ sub Carolingis excitata sive instaurata secundæ Dynastiæ priore seculo floruerunt. Quotquot autem, amice Lector, è vetustioribus Cœnobiis, quorum nonnulla hactenus permanent, & primævæ antiquitatis vestigia præferunt, in hoc Indice minimè notata reperies, à nobis prætermissa sunt, vel quia Barbarorum, præsertim Nortmannorum infestatione delera; vel oblivione temporum sepulta jacuere, dum Pippinus in Regem inauguratus est; horúmque proinde notitiam repetere poteris è primorum voluminum Tabulis Chronologicis, & eâ potissimum quæ ad calcem quinti Annalium Tomi adjecta cæteris uberior est, & plura sub Merovingis Monasteria complectitur. Hunc intereà Cœnobiorum statum sub Carolingis & seriem Abbatum integro fermè sæculo à nobis accipe.

A

ACUTIANUM Mon. *de Farfa*, in E. Sabiensi.

ACUTIANUM Mon. in E. Sabiensi. Tomo 6. a. 774. n. 14.

Probatus Abb. a. 774. cùm Franci Longobardiam subegerunt.

Ragaobaldus Abb. a. 786.

Benedictus Abb. a. 803. obit, a. 816.

Ingoaldus fit Abb. a. 816. præest a. 826.

S. ÆGIDII Mon. *S. Gilles*, in E. Nemausensi.

S. Ægidii Mon. in E. Nemausensi conditum à Wisigothis, instauratum à Francis, postquam è Septimania Saracenos expulerunt. Tom. 5. a. 755. n. 101.

Christianus Abb. & Ep. Nemausensis, a. 811.

S. ÆMILIANI Mon. *S. Emilion*, in E. M. Burdigalensi.

S. Æmiliani Mon. in Archiep. Bordigalensi conditum à S. Æmiliano. Tom. 5. a. 767. n. 24.

Æmilianus conditor ac primus Abb. regnante Pippino, obit, a. 767.

S. AGAPITI Mon. *S. Agapet*, Romæ.

S. Agapiti Mon. in Urbe prope Titulum Eudoxiæ. Tom. 6. a. 796. n. 54. Illo anno Roma excussâ Græcorum dominatione Francis sponte se dedidit, & a. 817. à Francis ad Romanum Pontificem cum Ducatu Romano transiit ex liberalitate Lodovici Pii R. Francorum. Idque semel notasse sufficiat, quia cæterorum Monasteriorum in Ducatu Romano sitorum par est ratio.

S. AGATHÆ Mon. *Sainte Agathe*, Romæ.

S. Agathæ Mon. in Urbe conditum à S. Gregorio PP. II. Tom. 6. a. 795. n. 55.

AGAUNUM, Mon. hodie *S. Maurice*, in E. Octodorensi seu Sedunensi.

Agaunum, Mon. in E. Octodorensi seu Sedunensi conditum a. 515. stante Regno Burgundionum. Tom. 1. a. 536. nn. 147. *& seqq.*

Aurastus Abbas, a. 752. a. 755.

Wilicarius Abb. a. 765.

Benedictus Abb. a. 768.

Altheus Abb. a. 786. fit Ep. Sedunensis a. circiter 788.

Adeluogus fit Abbas a. circiter 788. fit etiam Ep. Sedunensis post a. 811. vivit a. 824.

ANGERIACUM, Mon. *S. Jean d'Angely*, in E. Santonensi.

Angeriacum, sive Angeliacum, aliis Ingeriacum seu Engeriacum Mon. in E. Santonensi constructum ad Vultonnam, *la Boutonne*, à Pippino Lodovici Pii filio Rege Aquitaniæ in Palatio Regio, & D. Joannis Bapt. nomine nuncupatum. Tom. 8. a. 837. n. 60.

S. ANIANI Mon. *S. Agnan*, in E. Aurelianensi.

S. Aniani Mon. Aureliæ, dictum anteà Mon. S. Petri, conditum à Dietpero Ep. Aurelianensi medio quarto seculo. Tom. 3. a 654. on. 22. 24.

Fulco Abb. superstes post a. 774.

Theodulfus Abb. & Ep. Aurelianensis, a. 786. obit, a. 821.

Liotboldus postremus Abbas Canonicus præest a. 831.

ANIANUM, Mon. *Aniane*, in E. Magalonensi.

Anianum, Mon. in E. Magalonensi conditum à S. Benedicto primo illius loci Abbate. Tomo 6. a. 797. n. 30.

Benedictus conditor ac primus Abbas, a. 797. dimittit præfecturam Mon. a. 814. obiit, a. 821.

Senegildus fit Abb. a. 821. obit superstite Benedicto.

Georgius Abb. a. 816. fit etiam Abbas Gellonensis: obit a 822.

Tructesindus fit Abb. Anianensis & Gellonensis a. 822.

Huceraodus Abbas Anianensis & Gellonensis a. 824.

Ermenaldus seu Hermelandus Abbas Anianensis & Gellonensis a. 835. a. 836.

ANISOLA, Mon. *Anille*, hodie S. Carilephi, *S. Calais*, in E. Cenomanensi.

Anisola, Mon. ad Anisolam fluvium conditum à S. Carilepho Monacho Menatensi, posteà Miciacensi, ex munificentia Childeberti R tempore Innocentii Ep. Tomo 1. a. 532. n. 11.

Sigobaldus Abb. regnante Pippino.

Ebroinus Ab. obit ineunte a. 800.

Albanus Abb. sub Francone II. Ep. Cenonensi.

Sinemundus seu Sigismundus, aliis Ragnemundus seu Ranemundus, vel Ragnemodus Abb. a. 831. a. 835 a. 837. a. 838. a. 840.

S. ANTHYMI Mon. *S. Antime*, in E. Senensi.

S. Anthymi Mon. in E. Senensi, conditum sub Peritheo Pontifice. Tom. 7. a. 826. n. 43.

S. APHRODISII Mon. *S. Aphrodise*, in E. Biterrensi.

S. Aphrodisii Mon in E. Biterrensi. Tom. 5. a. 755. n. 98.

S. APRI Mon. *S. Eure*, in E. Tollensi.

S. Apri Mon. in E. Tullensi. Tomo 2. a. 584. n. 14.

Frotharius Abb. a. 805. fit etiam Ep. Tullensis a. 813. vivit a. 835. a 840.

ARREMARENSE Mon. *Monstier-a-mey*, in E. Trecensi.

Arremarense Mon. in E. Trecensi & in sylva Dervensi, unde & Dervense à nonnullis sicut & Dervum, de quo infra: hoc autem, de quo modò, conditum ab Arremaro Presbytero, à quo nomen illi inditum ad hanc diem, *Monstier-a-mey*, ad differentiam Dervi, *Monstier-en-Der*. Tom. 8. a. 837. n. 53.

ARULENSE Mon. in E. Helenensi.

Arulense Cœnobium, seu S. Mariæ de Arulis, in Helenensi E. temporibus Lud. Pii instauratum à Castelano Abbate. Tom. 7. a. 817. n. 319.

Castelanus Abb. a. 817.

Recesindus Abb. a. 844.

ASCHAUGIA, Mon. *Aschaw*, in E. Strasburgensi.

Aschaugia, Mon. puellare in E. Strasburgensi conditur à Remedio Ep. Tomo 6. a. 778. n. 45.

Attala fit prima Abbatissa a. 778.

S. AUDOENI Mon. *S. Oüen*, in E. M. Rotomagensi.

S. Audoeni Mon. olim SS. Apost. Petri & Pauli nuncupatum, Rotomagi, conditum à Clotario R. Ibi sepultus S. Audoenus, à quo nomen hodie Cœnobio. Tom. 2. a. 533. n. 45.

Riculphus Abbas a. 841. tempore excursionis Normannicæ, ob quam translatæ sunt S. Audoeni reliquiæ ad Wadiniacum pagum, dictum S. Nicasii vadum, hodie *Gany l'Isle*.

AUGIA DIVES, Mon. *Reichenaw*, in E. Constantiensi ad Rhenum.

Augia, cognomento Dives, Mon. in E. Constantiensi ad Rhenum conditur à S. Pyrminio ex liberalitate Sintlacis illius insulæ Domini. Tomo 4. a. 724. n. 33.

Sidonius Ep. Constantiensis & Abb. Augiensis, a. 752. fit etiam Abbas San-Gallensis, a. 758. obit, a. 759.

Petrus fit Abb. Augiensis, a. 781. obit, a. 786.

Walto fit Abb. a. 786. abdicat se regimine, a. 806.

Heyto fit Abb. a. 806. fit etiam Ep. Basileensis a. 807. abdicat regimen a. 823.

Erlebaldus seu Erleboldus fit Abb. a. 823. floret a. 835. a. 836. abdicat a. 838.

Rudhelmus fit Abb. a. 838.

Walachfridus Abb.

S. AUDOMARI. Mon. *S. Omer*, in E. Taruannensi. *Vide infrà* Sitivense.

B

BALMA, Moo. *la Baulme les Nonnains*,
in E. M. Vesontionensi.

Balma, puellare Mon. in E. M. Vesontionensi conditur florente Romano Imp. Tom. 1. a. 534. n. 28.

BALMA, Mon. *la Baulme*,
in E. M. Lugdunensi,
hodie S. Romani de Rupe,
Saint Romain.

Balma, puellare Mon. in E. M. Lugdonensi conditum in sylva Jorensi, stante Burguodioonum Regno. Tom. 1. a. 534 n. 24.

BALNEOLUM, Mon. *Banyoles*,
in E. Gerundeosi.

Balneolum, Mon. in E. Gerundensi conditum à S. Amerio. Tom. 6. a. 785. n. 7.

Amerius sive Emeritus conditor ac primus Abb. a. 785.

BARBARENSE Mon. *l'Isle-Barbe*,
in E. M. Lugdunensi,
hodie Collegium Canonicorum.

Barbarense sive Insulæ Barbaræ Mon. conditur in Atari fluvio prope Lugdunum 4. seculo, Tomo 1. a. 534. n. 23. Deletur à Saracenis 8. seculo. Instauratur à Leidrado Atchiep. Lugdon. sub Carolo M.

Campio post instaurationem fit primus Abb. superstite Carolo M. vivit a. 816. sub Ludovico Pio.

S. BASOLI Moo. *S. Basle*,
in E. M. Remeosi.

S. Basoli Mon. in E. M. Remensi. Tom. 2. a. 625. n. 119. Tom. 3. a. 662. n. 9

Benedictus Abb. / Spernus Abb. superioris frater. } Temporibus Ebonis Archiep. Remensis.

BEANIA, Mon. *Baigne*,
In E. Santonensi.

Beania, Mon. io E. Santooensi conditum à Carolo Magno Tom. 7. a. 814. n. 28.

S. BENEDICTI Moo. *S. Benoist*,
in E. Tiburtino.

S. Benedicti Mon io E. Tiburtino Docatus Romani. Tom. 6. a. 796. n. 101.

S. BENIGNI Mon. *S. Benigne*,
in E. Liogooensi.

S. Benigni Mon. cooditur Divione in E. Lingonensi, regnante apud Burgundiones Gundebaldo. Tom. 1. a. 534. n. 29.

Tanothardus Abb. a. 752. obit regnante Pippino.

Waldricus fit Abb. regnante Pippino, fit etiam Ep. Lingooeosis, a. 780. vivit a. 785.

Atidius Abb a. 791.

Hildebrannus Abb. a. 801.

Herlegandus Abb. vivit superstes Carolo Magno.

Herlebertus Abb. a. 810.

BERCETUM, Mon. *Berceto*,
in E Parmensi.

Bercetum, Mon. in E. Parmeosi. conditum à Luitprando Rege Longobardorom. Tom. 6. a. 774. o. 51.

BESUA, Mon. *Besé*,
in E. Lingouensi.

Besua, Mon. in E. Lingonensi, conditum ab Amalgario Duce. Tom. 2. a. 616. nn. 5. 6.

Syrannus Abb. a. 752. obit regnante Pippino. Dispersi tum Monachi Besuenses, oec Mooasterio suus splendor restitutus ante obitum Caroli M.

Seraphim Abb. a. 816.

BISCHOFFSHAIMIUM, Mon.
Bischoffsheim,
in Archiep. Moguntino.

Bischoffsheimium, Mooasterium puellare in Diœcesi Moguntina. Tom. 5. a. 749. o. 38.

Lioba Abbatissa a. 752. obit, a. 779.

BISULDUNENSE Mon.
in E. Geruodensi.

Bisuldunense S. Petri Mon. conditom à Domoulo Abbate in E. Gerundensi. Tom. 8. a. 844. n. 40.

Domnulus primus Abb. a. 844.

BLANDINIUM, Mon. *Blandinberch*,
in E. Tornacensi.

Blandinium, uuum è Mooasteriis Gandensibus in E. Tornacensi conditur à S. Amando: habet à prima iostitutione Clericos quos idem Amandus erudit, deinde Monachos. Tom. 2. a. 531. nn. 3. 4.

Scoranus à fratribus dispersis Abb. eligitur, a. 765. obit, a. 812.

Folradus fit Abb. a. 812 superstes a 825.

BLEISTADIUM, Moo *Blidenstat*,
in Archiep Moguotino.

Bleistadium, Mon. in Archiep. Moguntino cooditum à S. Lullo Archiep. Moguntino. Tom. 6. a 777. n. 4.

BOBIUM, Moo. *Bobio*,
in E. Placentino.

Bobiom, Mon. in E. Placeutino conditum à S. Columbano, florente tunc Longobardorum Regno. Tom. 6. a. 774. o. 50.

Wala veteris Corbeïæ Abbas profugus in Italiam cum Lotbario Imp. præficitur Bobio, a. 834. obit, a 836.

Almaricus Ep. Comeusis, Bobiensis Abbas, a. 843.

BODANUM Mon. *Benvons*,
in E. Segestaricensi.

Bodanom Mon. in E. Segestaricensi. Tom. 1. a. 536. n. 168.

Wandalbertus Abb. a. 789.

BODECENSE Mon. *Bodeken*,
io E. Paderbornensi.

Bodecense Mou. puellare Canouicarum,

quas ſæculares vocant, conditum in E. Paderbornenſi à S. Meinulpho Eccleſiæ Paderbornenſis Diacono ſub auſpiciis Ludovici Pii Regis Francorum. Tom. 8. a. 832. no. 18. *& ſeqq.*

BOETIANUM Mon.
Romæ.

Boëtianum Mon. in Urbe. Tom. 6. a. 796. n. 99.

BRANTOSMA, Mon. *Brantoſme*,
in E. Petrocoricenſi.

Brantoſma, Mon. conditum in E. Petrocoricenſi à Pippino Aquitaniæ R. Tom. 7. a. 816. nn. 24. *& ſeqq.*

BRUGNATUM, Mon. *Brugnetto*,
in E. Lunenſi.

Brugnatum, Mon. in E. Lunenſi conditum florente Longobardorum Regno. Tom. 6. a. 774. n. 54.

BURA, Mon. *Beurn*,
in E. Friſingenſi.

Bura, Mon. in E. Friſingenſi conditum cum ſeptem aliis ab Illuſtribus Comitibus ac fratribus Landfrido, Waldramo & Ehlando. Tom. 5. a. 742. n. 27.

Landfridus Abb. a. 752. obit regnante Carolo Magno.

C

S. CÆSARII Mon.
Romæ.

S. Cæſarii Mon. Romæ prope Baſilicam S. Pauli inſtauratum à S. Gregorio P P. II. Tom. 6. a. 796. n. 62.

CAMPIDONA, Mon. *Kempten*,
in E. Auguſtano.

Campidona, ſeu Campita, Mon. in E. Auguſtano. Tom. 2. a. 628. n. 24.

Andegarius fit Abb. Hildegarde tum Reginâ; obit, a. 796.

Agapitus fit Abb. a. 796. obit, a. 817.

Gothardus ſive Gotthardus fit Abb. a. 817. obit, a. 840.

Adalbertus ſeu Erctenbertus vel Eccenbertus fit Abb. a. 840.

S. CARAUNI Mon. *S. Cheron*,
in E. Carnotenſi.

S. Carauni Mon. in E. Carnotenſi conditum regnante Clotario III. Tom. 4. a. 685. n. 26.

Dodo Abb. a. 752. obit, a. 772.

Odo fit Abb. a. 772. obit, a. 788.

Mathæus fit Abb. a. 788. obit, a. 799.

Dionyſius fit Abb. a. 799. obit, a. 842.

Herveus fit Abb. a. 842.

S. CARILEPHI Mon. *S. Calais*,
in E. Cenomanenſi.

Vide ſuprà Aniſola, Mon.

CARROFUM, Mon. *Charoux*,
in E. Pictavienſi.

Carrofum, Mon. in E. Pictavienſi conditum à Rotgerio Comite Lemovicenſi & ab Eufraſia ejus uxore. Tom. 6. a. 789. nn. 223. *& ſeqq.*

Dominicus primus Abb. a. 789.
David Abb. Carolo nondum Imperatore.
Juſtus Abb a. 815. a. 817.
Gombaldus Abb.
{ De quatuor his antiquis Abbat. conſule Tom. 6. a. 789. nn. 223. *& ſeqq.*

CASINENSE Mon. *Mont-Caſſin*,
in E. Caſinenſi.

Mons Caſinus Diœceſi Caſinenſi nomen fecit ſub M. Romano. Hæc Diœceſis modò habuit Epiſcopum, modò Abbatem qui ordinariam Epiſcopalem juriſdictionem exerceret. Lege Ughellum in Append. ad Tom. 2. Italiæ Sacræ. Mons autem Caſinus cum reliqua Longobardia venit in Francorum poteſtatem a. 774. Monaſterii conditor ac primus Abbas fuit S. Benedictus ſtante Oſtrogothorum Regno.

Poto Abb. a. 774. obit, a. 777.

Theodemar fit Abb. a. 777. obit, a. 796.

Giſulfus fit Abb. a. 796. obit, a. 818.

Apollinaris fit Abb. a. 818. obit, a. 828.

Deuſdedit fit Abb. a. 828. obit, a. 834.

Hildericus fit Abb. a. 834. obit eodem a. 834.

Autpertus fit Abb a. 834. obit, a. 837.

Baſſacius fit Abbas a. 837. præeſt a. 839. Hic eſt Abbas à S. Benedicto decimus octavus.

S. CASSIANI Mon.
prope Romam.

S. Caſſiani Mon. extra murum Urbis. Tom. 6. a. 796. n. 63.

CASTRA, Mon. *Caſtres*,
in Diœceſi Albigenſi.

Caſtra, Mon. in E. Albigenſi. Tom. 3. a. 647. n. 14. Hodie Epiſcopatus ſub Albigenſi Metropoli.

Alfonſus Abb. a. 752.

Grimoaldus Abb. a. 812. a. 815.

Adelmus Abb. a. 825.

CASTRILOCUS, Mon.
in E. Cameracenſi.

Caſtrilocus, Mon. puellare in Diœceſi Cameracenſi conditum à Waldetrude Comitis Madalgarii uxore, quod lapſu temporis excrevit in urbem ampliſſimam Hannoniæ primariam, à ſitu nomen Montium ſortitam, vulgò *Mons*. Tom. 3. a. 656. n. 3.

CATZIA, Mon. *Catzés*,
in E. Curienſi.

Catzia, Mon. puellare in E. Curienſi à Paſchale E. Curienſi inchoatum, à Victore ejus ſucceſſore abſolutum. Tom. 5. a. 758. n. 45. a. 760. n. 11.

Veſpula prima Abbatiſſa, filia Paſchalis ex legitimo toro procreata & ſoror Victoris, a. 760.

CONDATESCENSE Mon. hodie *S. Claude*, in E. M. Lugdunensi.

Condatescense Mon in E. M. Lugdunensi erectum à S. Romano ante a. 444. Tom. 1 a 534. n. 24.

Hippolytus Abb a. 752. obit, a. 783.

Riebertus fit Abb. a. 783. obit, a. 792.

Berthardus fit Abb. a. 792. obit, a. 803.

Aurelmus fit Abb. a. 803. obit, a. 815.

Achinus fit Abbas a. 815. præest a. 817. a. 828.

CORBEÏA Vetus seu Gallicana, Mon. *Corbie*, in E. Ambianensi.

Corbeïa Gallicana, Mon in E. Ambianensi ad Somonam conditur à S. Bathilde Regina. Tom. 3 a. 657. n. 13.

Grimo Abb. a. 752.

Leodegarius Abb. a. 765.

Aldo Abb. obit a. 770.

Notdraonus fit Abb. a. 770. Senio confectus abdicat munus Abbatiale a.

Adelhardus Abb. obit, a. 826.

Wala superioris frater fit Abbas a. 826. præest a 830. quo fit particeps conjurationis in Lud Aug. exulat a. 831. fugit in Italiam cum Lothario Imp. & fit Bobiensis Abb. a. 834. obit, a. 836.

Hedo seu Heddo fit Abbas a. 836.

CORBEÏA Nova seu Saxonica, Mon. *Corvey*, in E. Paderbornensi.

Corbeïa Saxonica, Mon. in E. Paderbornensi ad Visurgim, conditur à Ludovico Pio Imp. ad instar Corbeïæ Gallicanæ, traductis è veteri in novam Monachis qui Evangelium in partes Aquilonares propagarent. Tom. 7. a. 822. n. 102.

Adelhardus Abbas Corbeiæ veteris fit Abbas Corbeiæ novæ a. 822 obit a 826.

Warinus, aliis Walanes, seu Walan, fit Abbas Corbeïæ novæ a. 826. Abb. Resbacensis a. 835. superstes a. 840.

CORMARICUM, Mon. *Cormery*, in E. M. Turonensi.

Cormaricum, Mon. in E. M. Turonensi conditum ab Itherio Abb. San-Martiniano. Tom. 6. a. 791 nn. 49. *& seqq.* unitum deinde Capitulo Sancti Martini Toronensis Cœnobium Cormaricense, cujus Abbas huc usque habet locum inter Dignitates ejusdem Capituli San-Martiniani.

Itherius conditor San-Martinianus Abb. fit primus Abb. Cormaricensis a. 791. obit, a. 796.

Alcuinus fit Abb. San-Martinianus & Cormaricensis a 796 obit, a. 804.

Fredegisus fit Abb. San-Martin. & Cormaric. a. 804. abdicat Præfect. Cormaricensem a. 820. quo fit Abb. Sitivensis.

Jacob fit Abb. Cormaricensis a. 820. superstes a. 828.

DE CORSAS Mon. Romæ.

Mon. *de Corsas* in Urbe. Tom. 6. a. 796. n. 66.

SS. COSMÆ ET DAMIANI Mon. Romæ.

SS. Cosmæ & Damiani Mon. in Urbe. Tom. 6. a. 796. n. 67.

S. CRISPINI Mon. *S. Crespin*, in E. Suessionensi.

S. Crispini Mon. quod Majus hodie dicitur, conditum prope muros Suessionenses. Tom. 8. a. 831. n. 87.

S. CRUCIS Mon. *Sainte Croix*, hodie *S. Faron*, in E. Meldensi.

S. Crucis Mon. in E. Meldensi conditum à S. Farone Episcopo Meldensi, cujus nomen hodie gerit. Tom. 3. a. 642. n. 63.

Ingelmundus Abb. a. 752. obit, a. 762.

Milo fit Abb. a. 762. obit, a. 780.

Adam fit Abb. a. 780 obit, a. 800.

Grimoaldus fit Abb. a 800. obit, a. 823.

Rainerius fit Abb. a. 823. præest a. 831. obit, a. 833.

Arnulphus fit Abb. a. 833. obit, a. 836.

Hugo fit Abb. a. 836.

S. CRUCIS Mon. *Sainte Croix de Poitiers*, in E. Pictaviensi.

Pictaviense Mon. puellare S. Radegundis constructum in civitate Pictaviensi à S. Radegunde Regina. Tom 1. a 544. n. 99. Mon. deinde S. Crucis nuncupatum. Tom. 7. a. 817. n. 297. a. 825. n. 3.

Gerberta Abbatissa a. 825.

CRUX S. AUDOENI, Mon. hodie *la Croix S. Leufroy*, in E. Ebroïcensi.

Crux S. Audoeni, Mon. in E Ebroïcensi conditum à S. Leufredo, cujus nomen hodie gerit. Tom. 4. a. 690. n. 12.

Agofredus Abb. a. 752.

CURBIO, Mon. *Corbion*, in E. Carnotensi.

Curbio, Mon. in E. Carnotensi conditum à S. Launomaro. Tom. 2. a. 563. n. 6. & a. 593. n. 3.

CUSANTIA, Mon. in E. M. Vesontionensi.

Cusantia, Mon. in Diœcesi Vesontionensi conditum ab Ermenfredo Luxoviensi Monacho sub Walberto Abbate: unitur postea Luxovio à conditore Ermenfredo. Tom. 8 a. 831 n. 93.

S. CYPRIANI Mon. *S. Cyprien de Poitiers*, in E. Pictaviensi.

Mon. S. Cypriani Martyris & S. Savini fratris, quorum sanguine purporatum est solum Pictaviense, conditum à Pippino R. Aquitaniæ in suburbio Pictaviensi & dicti Martyris Cypriani reliquiis decoratum. Tom. 8. a. 828. nn. 32. & 33.

Martinus fit primus Abb a. 828.

Columbus Abb. a. 752. obiit regnante Pippino.
Benedictus fit Abb. regnante Pippino.
Iſenhardus ſive Iſenbardus Abb.
Deipoldus Abb. ſuperſtes a. 810.
Griemaldus ſeu Griemoldus Abb.
Sambatius Abb. a. 824.
Theobaldus Abb. a. 828.

EIFFELSA, Mon. *Munſter-Eiffel*, in E. M Colonienſi.

Eifflia, Mon. in Diœceſi Colonienſi conditum à Marcuvardo Abbate Hubertenſi & Prumienſi. Tomo 8. a. 836. n. 62.
Marcuvardus ex Abbate Hubertenſi fit primus Abb. Eifflienſis.

S. ELIGII Mon. *Saint Eloy*, in E. Noviomenſi.

S. Eligii Mon. primò S. Lupi, deinde SS. Lupi & Eligii nuncupatum, Noviomi conditum. Tom. 8. a. 831. n. 86.

ELNO, Mon. hodie *Saint Amand*, in E. Tornacenſi.

Elno, percelebre mundò Mon. conditum in E. Tornacenſi ad confluentes Elnonis in Scarpum, unde olim illi nomen, hodie nomen conditoris S. Amandi gerit. Tom. 3. a. 639. nn. 8. & 9.
Gilbertus Abb. a. 752. fit etiam Ep. Noviomenſis & Tornacenſis Carolo jam Monarchâ: obiit a. 782.
Agilfridus Ep. Leodienſis fit etiam Abb. Elnonenſis a. 782. obiit, a. 784.
Arnonus fit Abb. a. 784. ſuperſtes a. 795.
Adalricus Abb.
Rotfridus Abb. a. 809. obiit, a. 817.
Adaleodus fit Abb. a. 817. vivit a. 822.

ELWACENSE Mon. *Elwangen*, in E. Auguſtano.

Elwacenſe Mon. E Auguſtano conditum ab Herulfo ſive Hariolpho Ep. Lingonenſi. Tom. 5. a. 764. n. 19.
Herulfus ſive Hariolphus conditor fit primus Abb. a. 764. obiit a. circiter 780.
Viebertus fit Abb. a. circiter 780. obiit, a. 792.
Grimoldus fit Abb. a. 792. obiit, a. 800.
Otbaldus ſive Otaldus fit Abb. a. 800. obiit, a. 810.
Adelgerus fit Abb. a. 810. obiit, a. 830.
Sonderadus ſive Ganderadus fit Abb. a. 830.

S. EMMERAMMI Mon. in E. Reginoburgenſi.

S. Emmerammi Mon. in E. Reginoburgenſi in urbe primariâ *Ratiſbone*. à Theodone IV. Duce Bojoariæ conditum ad Danubium. Tom. 5. a. 764. n. 19.
Alaboldus Abb. a. 752. obiit eodem anno, Pippino jam Rege, cùm, Bojoariâ plures in Diœceſes ab anno 739. ſeparatâ, Monaſterium Sancti Emmerammi ad Diœceſim Reginoburgenſem jam pertineret.
Babo fit Abb. a. 752. obiit, a. 778.
Sigiſmundus fit Abb. a. 778. obiit, a. 798.
Richpaldus fit Abb. a. 798. obiit, a. 822.
Sigefridus fit Abb. a. 822. præeſt ann. 8.

ENGERIACUM. in E. Santonenſi.

Vide ſup. Angeriacum *S. Jean d'Angely*.

EPTERNACUM, Mon. *Eternac*, in E. M. Trevirenſi.

Epternacum, Mon. in Diœceſi Trevirenſi conditum à S. Irmina Abbatiſſa Horreenſi Dagoberti II. R. filia. Tom. 4. a. 798. nn. 3. 6.
Albertus Abb. a. 752. obiit, a. 770.
Beonradus, Berardus, aliis Leonardus fit Abb. a. 770. deinde Archiep. Senonenſis a. 792. obiit, a. 795.
Ado ſive Aldo fit Abb. a. 795. obiit, a. 817.
Sigoaldus Ep. Spoletanus fit Abb. a. 817. obiit, a. 817.
Theotgaudus fit Abb. a. 827.

S. ERASMI Mon. Romæ.

S. Eraſmi Mon. in Urbe conditum ab Adeodato PP. in Cœlio monte. Tom. 6. a. 796. n. 69.

S. EUGENDI Mon. *S. Oyan*, in E. M. Lugdunenſi.

Vide ſup. Condateſcenſe Mon. quod mutato nomine vocatum eſt Mon. S. Eugendi, nec aliter appellatur in Conſtitutione Ludovici Pii, ut habetur Tom. 7. a. 817. n. 248.

S. EUGENIÆ Mon. prope Romam.

S. Eugeniæ Mon. extra murum Urbis. Tom. 6. a. 796. n. 70.

S. EUGENII Mon. in E. Senenſi.

S. Eugenii Mon. de Iliceto in E. Senenſi conditum à Wanfredo temporibus Liutprandi Regis Longobardorum. Tom. 6. a. 774. n. 61.

S. EUPHEMIÆ Mon. in E. Spoletano.

S. Euphemiæ Mon. in Diœceſi Spoletanâ. Tom. 6. a. 774. n. 15.

SS. EUPHEMIÆ & ARCHANGELI Mon. Romæ.

SS. Euphemiæ & Archangeli Mon. in Urbe. Tom. 6. a. 796. n. 71.

EYKA, Mon. *Eyke*. in E. Leodienſi.

Eyka, Mon. puellare in E. Leodienſi conditum à parentibus SS. Herlindis & Reinilæ, Adalhardo & Grinnara. Tom. 5. a. 742. n. 50.
Reinila prima Abbatiſſa, a. 752. pervenit ad ſenectutem decrepitam.

F

Rigomarus primus Abb á condito Mon. a. 656. obit, a. 661.
Mummolus fit Abb. a. 661. obit, a. 691. post annos 30. regiminis.
Leodardus fit Abb. a. 691. obit, a. 701. post annos 10. præfecturæ.
Ido Abbas obit a. 703. post annum & dimidium præfecturæ.
Auderanuus fit Abb. a. 703. obit eodem a. 703.
Flatberrus fit Abbas a. 703. obit, a. 706.
Adalbertus fit Abb. a. 706. obit, a. 735.
Geilo fit Abb. a. 735. obit, a. 754.
Medo Abb. a. 754. obit, a. 765.
Rodulphus seu Radulphus fit Abb. a. 765. obit, a. 777.
Magulfus fit Abb. a. 777. obit, a. 783.
Fulradus fit Abb. a. 783. obit, a. 784.
Theodulfus Abb. a. 784. dimittit munus Abbatiale a. 804.
Adacalcus Abbas post Theodulfum.
Adalgaudus Abbas a. 818.
Boso Abbas floret a. 831. a. 833. deponitur a 840.

Habes hunc Catalogum Floriacensiū Abbarum aliis multò accuratiorem successionémque ab ovo petitam & emendatam ex recognitione Authoris. *Vide* Tom. 8. a. 833. n. 67.

Rodulphus seu Radulphus fit Abb. Floriacensis ex Monacho San-Medardino a. 840. fit etiam Archiep. Bituricensis a. 841.

FONTANÆ Mon. *Fontaines*,
in E. Lexoviensi.

Fontanæ Mon. in E. Lexoviensi. Tom. 8. a. 831. n. 65.
Propter infestationem Nortmannorum nomina Abbatum perierunt.

FONTANÆ Mon.
in E. M. Vesontionensi.

Fontanæ Mon. in Diœc. Vesontionensi, S. Columbani posterior cella antequam Luxovium conderet, unitur deinde Luxovio. Tom. 2. a. 568. nn. 17. & 18. a. 590. n. 36. Tom. 8. a. 831. n. 93.

FONTANELLA, Mon. *Fontenelle*,
hodie *S. Vandrille*,
in E. M. Rotomagensi.

Fontanella, Mon. in E. M. Rotomagensi conditum à S. Vandregisilo, cujus nomen modò gerit, ex munificentia Erchinoaldi Majoris-Domûs sub Clodoveo II. R. Tom. 3. a. 648. n. 28.
Austrulphus Abb. a. 752. obit, a. 753.
Wido, Widolaicus aut Withlecus fit Abb. a. 753 obit, a. 787.
Gervoldus fit Abb. a. 788. obit, a. 806.
Trasarus fit Abb. a. 806. abdicat munus Abbatiale a. 810.
Eginhardus fit Abb. a. 820. abdicat præfecturam a. 823.
Ansegisus sive Ansigisus Abbas Luxoviensis fit Abb. Fontanellensis, a. 823. floret a. 828. a. 831. quo condit Testamentum; obit, a. 833.
Joseph Ep. Ebroïcensis fit Abb. a. 833. abdicat munus Abbatiale, a. 834.
Fulco fit Abb. a. 834. floret a. 836. obit, a. 840.
Joseph supradictus Ep. Ebroïcensis iterum fit Abb. a. 840. superstes a. 842.

FONTANETUM, Mon.
in E. Bellovacensi.

Fontanidum, seu Fontanetum Mon. in E. Bellovacensi. Tom. 8. a. 831. n. 68.

FOSSATUM, Mon. *Fossez*,
hodie *S. Maur des Fossez*,
in Diœcesi Parisiensi.

Fossatense Mon. in Diœcesi Parisiensi conditum à Blidegisilo Archidiacono Parisiensi, nunc Collegium Canonicorum quos sæculares vocant. Tom. 3. a. 638. n. 100.
Elafredus Abb. a. 752.
Richardus Abb.
Henardus Abb. a. 768.
Raynaldus Abb.
Richarius Abb.
Optatus Abb.

De illis Abbatibus consule Tom. 5. a. 768. n. 16.

Ingelbertus Abb. a. 823. a. 824. a. 831. superstes a. 841.

FRISTELLARIA, Mon. *Fridslar*,
in E. Birburgensi,
deinde in E. Paderbornensi.

Fristellaria, Mon. in Hassia conditum à S. Bonifacio Archiep. fixam Sedem nondum obtinente, attributum deinde Diœcesi Birburgensi a. 742. Tom. 4. a. 752. n. 18.
Wigbertus Abb. a. 752. obit, a. 754. Episcopatus Birburgensis posthac unitus fuit Paderbornensi a. circiter 795. Abhinc Fristellaria, cui nomen quoque S. Wigberti inditum, pertinuit ad Diœcesim Paderbornensem. Tom. 7. a. 817. n. 261.

FULDA, Mon. *Fulde*,
in E. Erphesfordiensi,
deinde in E. M. Moguntino.

Fulda, Mon. conditum à S. Sturmio in Diœcesi Bonifacii Archiep. fixam Sedem nondum obtinentis, attributum deinde Diœcesi Erphesfordiensi a. 746. *Vide* Tom. 5. a. 745. nn. 74. *& seqq.*
Sturmius Abb. Fuldensis in E. Erphesfordiensi, post extinctum autem E. Erphesfordiensem a. 755. in Archiepiscopatu Moguntino; obit, a. 779.
Baugolphus fit Abb. a. 779. injustè deponitur a. 802.
Ratgarius fit Abb. a. 802. deponitur a. 817.
Eigil fit Abb. a. 818. obit, a. 822.

S. GENOVEFÆ Mon.
Sainte Genevieve du Mont,
in Diœcesi Parisiensi.

S. Genovefæ Mon. Parisiis prope Regiam in suburbio Palatium inchoatur à Clodoveo Rege, & à Clotilde Regina superstite perficitur. SS. Petri & Pauli, aut SS. Apostolorum, vel S. Petri, ac tandem S. Genovefæ nuncupatum, & conditorum Regis & Reginæ Mausoleum. Ab initio Collegium Canonicorum quos sæculares vocant, deinde Cœnobium Canonicorum Regularium S. Augustini; hodie Abbatia primaria, quæ caput est Congregationis Gallicanæ, cujus Basilica percelebris sub titulo dictæ S. Genovefæ Parisiorum Patronæ, hujus B. Virginis Sacrum corpus servat, & nomen à multis sæculis gerit. Tom. 1. a. 508. n. 38. a. 537. n. 2. Tom. 8. a. 831. n. 77.

S. GEORGII Mon.
in E. Constantiensi ad Rhenum.

S. Georgii Mon. in E. Constantiensi ad Rhenum. Tom. 7. a. 814. n. 59.

Willelmus primus Abb. a. 814.

S. GEORGII Mon.
in E. Reatino.

S. Georgii Mon. puellare prope muros Reatinos. Tom. 6. a. 774. n. 79.

S. GERMANI Mon. Pratense,
S. Germain des Prez, in Diœcesi Parisiensi.

S. Germani Mon. Pratense in suburbio Parisiensi conditum à Childeberto I. Rege post a. 542. dictum primò Mon. S. Vincentii, deinde S. Germani.

Lantfridus Abb. a. 752. obit, a. 775.

Wichardus seu Guichardus fit Abb. a. 775.

Robertus Abb. a. 778. a. 791.

Irmino sive Yrmio Abb. a. 811. a. 817.

Hilduinus Archicapellanus Palatii Imperatorii Abbas a. 828. a. 830. quo Archicapellani gradu excidit, simulque Abbatiali titulo, particeps conjurationis in Lud. Pium: restituitur Abb. San-Germanus a. 831. floret a. 833. a. 838. a. 841. obit, a. 842.

Ebroinus Pictavensis Ep. fit Abb. a. 842.

S. GERMANI Mon. *S. Germain d'Auxerre*,
in E. Autissiodorensi.

S. Germani Mon. Autissiodori conditum à S. Germano illius civitatis Ep. priusquam illa Francis dederetur. Tom. 2. a. 586. n. 38.

Alegrecus Abb. a. 816.

Heribaldus Abb. a. 820. superstes a. 828.

Deusdedit Abb. a. 830. præest a. 831.

Christianus Abb. a. 833. a. 835.

GEROCOMIUM, Mon. Romæ.

Gerocomium, Mon. in Urbe conditum à S. Gregorio PP. II. Tom. 6. a. 796. n. 100.

GLANNA, Mon. hodie *S. Florent le vieil*,
in E. Andegavensi.

Glanna, Mon. in E. Andegavensi. Tom. 4. a. 694. nn. 12. 13. *& seqq.*

Albaldus Abbas, regnantibus Pippino & Carolo.

Arnulphus Abb. regnante Carolo Magno.

Hilboldus fit Abb. superstite Carolo Magno: obiit sub Ludovico Pio.

Frotbertus Abb. a. 824. obit, a. 834.

Gauzbertus Abb.

Dido Abb.

Rodulphus seu Radulphus Abb.

S. GLODESINDIS Mon. *Sainte Glosine*,
in E. Metensi.

Vide infrà SS. Petri & Sulpitii Mon. Metis.

GORZIA, Mon. *Gorze*,
in E. Metensi.

Gorzia, Mon. in E. Metensi conditum à Chrodegango Ep. Metensi. Tom. 5. a. 749. n. 68.

Droctegangus Abb. a. 752. obit, a. 769.

Theutmarus fit Abb. a. 769.

GRANDIS VALLIS, Mon. *Granfel*.
in E. M. Vesontionensi,
deinde in E. Basileensi.

Grandis Vallis, Mon. in E. M. Vesontionensi conditum à Gundonio Viro Illustri. Tom. 3. a. 647. n. 8. Basileensi Diœcesi nuper erectæ attribuitur cum Monasteriis S. Ursicini & werdæ seu S. Pauli ad Insulam simul unitis. Tom. 5. a. 748. n. 108.

Gundoaldus Abb. a. 769.

GRASSA, Mon. *Grasse*,
in E. Carcassonensi.

Grassa, Mon. in E. Carcassonensi Francicæ ditioni accessit, postquam Pippinus è Septimania Saracenos expulit. Tom. 5. a. 755. n. 100.

Infredus seu Songfredus Abb. a. 801. a. 806.

S. GRATÆ Mon.
in E. Urgellensi.

S. Gratæ Mon. in E. Urgellensi. Tom. 8. a. 836. n. 55. & a. 844. n. 48.

Geila Abb. a. 844.

S. GREGORII Mon.
Munster in S. Gregorienthal,
in E. Argentoratensi, deinde in Basileensi.

S. Gregorii Mon. in E. Argentoratensi conditum à Childerico II. R. & Basileensi Diœcesi recèns erectæ attributum Adelrico tunc Abbate. Tom. 3. a. 667. n. 35. Tom. 5. a. 748. n. 110.

Adelricus Abb. a. 752. obit regnante Pippino.

Remigius seu Remedius fit Abb. regnante Pippino, deinde Chorepiscopus Strasburgensis; postremò Strasburgensis Ep. post a. 765.

Restuvinus post Remigium fit Abb. a. circiter 765.

Urolphus Abb.
Recho Abbas fit Ep. Strasburgensis a. 803.
Gotefridus fit Abb. a. 803. obit, a. 829.
Bertholdus fit Abb. a. 829. præest a. 831.

S. GREGORII Mon.
Romæ.

S. Greg. Mon. in Urbe ad Clivum Scauri. Tom. 6. a. 796. n. 65.

H

S. HADRIANI Mon.
Romæ.

S. Hadriani Mon. in Urbe. Tom. 6. a. 796. n. 75.

HASNONIUM, Mon. *Hasnon*,
in E. Atrebatensi.

Hasnonium, Mon. in E. Atrebatensi conditum à Joanne illius loci Domino. Tom. 4. a. 691. nn. 42. *& seqq.*
Savericus Abb. a. 752. obit, a. 772.
Geroldus fit Abb. a. 772. obit, a. 790.
Godefridus fit Abb. a. 790.

HEERDEKA, Mon. *Heerdeke*,
in E. M. Coloniensi.

Heerdeka, Mon. puellare in E. M. Coloniensi conditum à Friderina Ludovici Pii consanguinea. Tom. 7. a. 819. n. 37.

HEIDENHEIMIUM, Mon. *Heidenheim*,
in E. Eystetensi.

Heidenheimium, Mon. in E. Eystettensi conditum à S. Wunibaldo. Tom. 5. a. 752. n. 90.
Wunibaldus conditor ac primus Abb. a. 752. obit, a. 761.

HEIDENHEIMIUM, Mon. *Heindenheim*,
in E. Eystetensi.

Heidenheimium, Mon. puellarum in E. Eystettensi conditum à S. Walburge. Tom. 5. a. 762. n. 7.
Walburgis fundatrix ac prima Abbatissa, a. 762. obit, a. 776.

HELMENSTADIUM, Mon.
Helmenstadt, in E. Selingestadiensi
sive Halberstadiensi.

Helmenstadium, Mon. in E. Selingestadiensi conditum à S. Ludgero Ep. Mimigardevordensi. Tom. 7. a. 805. n. 40.

S. HERACLEI Mon.
in E. Antissiodorensi.

S. Heraclei Mon. Antissiodori. Tom. 8. a. 831. n. 74.

HERIVORDIA, Mon. *Herwerden*,
seu *Heriford*,
in E. Paderbornensi.

Herivordia, Mon. puellare in E. Paderbornensi conditum à Ludovico Pio ad instar Suessionensis Mon. Dedicatur à Badurado Ep. Tom. 8. a. 828. nn. 72. *& seqq.* Ibi nunc puellæ Lutheranæ sub Abbatissæ præfectura.
Tetra ex Sanctimoniali Suessionensi prima Abbatissa Herivordiensis, floret a. 828. superstes a. 838.

HERSFELDENSE Mon. *Hirschfelt*,
in E. M. Moguntino.

Hersfeldense seu Herolfesfeldiense Mon. in Archiep. Moguntino inchoatum à Bonifacio Præsule Moguntiacensi, promotum à Sturmione Fuldensi Abb. & perfectum à Lullo Archiep. Bonifacii successore. Tom. 5. a. 745. n. 80. & a. 750. n. 8. Hac ætate pinguis possessio Monasterii Hassiano Lantgraviatui adjecta ab Hæreticis.
Primi Abbatis nomen desideratur.
Buno seu Brunus Abb. floret a. 831. a. 838. obit, a. 839.
Haimo sive Hemmo fit Abb. a. 839.

HERUS, Mon. *Noirmonstier*,
in E. Pictaviensi.

Herus, sive Heri, Mon. ab Hero Insula ubi situm est, *Her-Monstier*, corruptè Nigrum Mon. vulgò *l'Abbaye Blanche*, propter vicinas arbores Populeas quarum frondes albescunt, in E. Pictaviensi, conditum ab Ansoaldo Ep. Diœcesano & à S. Philiberto Abb. Gemmeticensi. Tom. 3. a. 674. n. 6. Tom. 4. a. 685. n. 3. Derelictum deinde Cœnobium à Monachis a. 834. & translatum inde S. Philiberti corpus a. 836. migratione primùm facta in locum, Deas, & mutatâ subinde habitatione, donec Herensis familia per 30. annos extorris & vaga in Trenorcio tandem ad Ararim permaneret. Tom. 8. a. 834. n. 43. & a. 836. nn. 83. *& seqq.*
Arnulfus Abb. a. 814. dimittit regimen a. 825.
Hilbodus fit Abb. a. 825. floret a. 834. a. 836. quo Herus Insula cum loco, Deas, commutatur.

HIERUSALEM, Mon. Romæ.

Hierusalem, Mon. in Urbe. Tom. 6. a. 796. nn. 64. & 74.

S. HILARII Mon.
in E. Carcassonensi.

S. Hilarii Mon. in E. Carcassonensi conditum à S. Hilario Ep. Carcassonensi Franciciæ ditioni accessit, postquàm pulsi sunt è Septimania Saraceni. Tom. 5. a. 755. n. 99.
Nampio Abb. sub Carolo M.
Monellus Abb. sub Ludovico Pio.

S. HILARII Mon.
S. Hilaire de Poitiers,
in E. Pictaviensi.

S. Hilarii Mon. in suburbio Pictaviensi conditum florente in Galliis Romanorum Imperio. Tom. 1. a. 508. n. 19. Hodie Collegium Canonicorum quos sæculares vocant.

David Abbas temporibus Lud. Pii Aug. Pippini R. Aquit. & Caroli Calvi R. Fr. a. 844.

S. LAURENTII Mon.
in E. Portuensi.

S. Laurentii Mon. in E. Portuensi. Tom. 6. a. 796. n. 102.

S. LAURENTII Mon. Romæ.

S. Laurentii Mon. in Urbe instauratum ab Hadriano PP. Tom. 6. a. 796. n. 78.

LAURESHAMENSE Mon *Lauresheim*,
in E. Vormaciensi.

Laureshamense Mon. in E. Vormaciensi conditum à Cancrone Comite ejusque matre Willisvinda. Tom. 5. a. 763. nn. 4. *& seqq.*

Chrodegangus Ep. Metensis primus Abb. a. 763. obit, a. 766.

Gundelandus Abb. à Chrodegango fratre constituitur a.   obit, a. 779.

Helmericus fit Abb. a. 779. obit, a. 784.

Richbodo fit Abb. a. 784. obit, a. 805.

Adalungus fit Abb. a. 805. obit, a. 838. post annos 33. regiminis.

Samuel ex Abbate Laurissæ fit Abbas Laureshamensis & Ep. Vormaciensis a. 838. vixit usque ad a. 855.

LAURISSA, Mon.
in E. Vormaciensi.

Laurissa, Mon. in E. Vormaciensi conditum à Samuele primo hujus loci Abbate sub auspiciis Falconis seu Fulcronis Ep. Diœcesani. Tom. 8. a. 833. n. 76.

Samuel conditor, primus Abb. circa a. 833. fit deinde Abbas Laureshamensis & Ep. Vormaciensis, a. 838. successor ejus in Laurissa desideratur.

LEBERACUM, Mon. *Le...aw*,
in E. Argentoratensi seu Strasburgensi.

Leberacum, Mon. in E. Strasburgensi conditum à S. Fulrado. Tom. 5. a. 749. n. 67.

Fulradus conditor ac primus Abb. a. 751. cùm Pippinus in Regem inauguratur, & a. 777. cùm Leberacum unitur Mon. San-Dionysiano agri Parisiensis.

S. LEODEGARII seu CAPELLENSE Mon.
in E. Lingonensi.

S. Leodegarii seu Capellense Mon. in E. Lingonensi antiquissimum, atque olim amplissimum, modò solùm Prioratus est. Tom. 7. a. 826. n. 57.

Teuto Abb. a. 826.

LERINUS, Mon. *S. Honoré de Lerins*,
in E. Antipolitano, hodie Grassensi.

Lerinus, Mon. in insula Lerina E. Antipolit. hodie S. Honorati, in E. Grassensi conditum sub Romanis Impp. à S. Honorato Præsule Arelat. Francorum Ditioni accessit cum provincia Narbonensi II. Ostrogothis adempta. Tom. 1. a. 536. nn. 166. *& seqq.*

Leotmundus Abb. a. 828.

LASATUM, Mon. *Lezat*,
in Diœcesi Tolosana, hodie in Rivensi.

Lesatum, seu Lesatense Mon. à loco appellatum ubi situm est ad Confluentes Lesæ, *la Leze*, & Lersii, *le Lers*, in ea parte antiquæ Diœcesis Tolosanæ quæ modò ad Rivensem pertinet, conditum ab Attone sive Antonio Vicecomite Biterrensi. Tom. 8. a. 840. n. 89.

Amelius primus Abb.
Asvarius sive Asuarius, qui à quibusdam primus ponitur, non temporis, sed dignitatis habitâ ratione.
Adstare.
Quarinus.
} De his quatuor Abbatibus & eorum successoribus usque ad Odonem, consule Auctorem Tom. 8. a. 840. n. 89. sup. citatis.

LAUCONAUS, Mon. *S. Walery*,
in E. Ambianensi.

Vide infrà S. Valerici Mon.

LINDAVIENSE Mon.
in E. Constantiensi ad Rhenum.

Lindaviense Mon. puellare in E. Constantiensi apud Lindaviam Bojoariæ urbem conditum ab Adalberto Comite. Tom. 8. a. 841. n. 21.

LOGIUM, seu LOGENSE Mon.
in E. M. Rotomagensi.

Logium seu Logense Mon. puellare ad Sequanam in Diœcesi Rotomagensi. Tom. 4. a. 713. n. 14.

S. LUCIANI Mon. *S. Lucien*,
in E. Bellovacensi.

S. Luciani Mon. prope muros Bellovacenses conditum à Clodoveo II. & à Chilperico III. instauratum annitentibus Dodone Ep. Diœcesano & Ebrulpho loci Abb. Tom. 4. a. 696. nu. 22. *& seqq.*

S. LUCIÆ Mon.
Romæ.

S. Luciæ Mon. in Urbe. Tom. 6. a. 796. n. 80.

S. LUCII Mon.
in E. Curiensi.

S. Lucii Mon. in E. Curiensi. Tom. 5. a. 745. nn. 117 & 119.

AD LUNAM Mon.
Romæ.

Ad Lunam Mon. in Urbe conditum à S. Hilaro PP. Tom. 6. a. 796. n. 98.

S. LUPI Mon. *S. Loup*,
in E. Trecensi.

S. Lupi Mon. prope muros Trecarum, cujus Abbas instituitur Winebaudus à Gallomagno Episcopo. Tom. 2. a. 583. n. 44.

Alcuinus fit Abb. a. 794. obit, a. 804.

LUTARA, Mon.
Romæ.

Monast. de Lutara in Urbe. Tom. 6. a. 796. n. 79.

Godoleno utriusque loci adhoc Abbate & Abbatiali dignitate apud Mariacum mox extinctâ. *Vide* Tom. 8. a. 830. no. 64. *& seqq.*

S. MARIÆ Mon.
Romæ.

S. Mariæ Mon. in Urbe, quod appellatur Ambrosii. Tom. 6. a. 796. n. 81.

S. MARIÆ Mon.
Romæ.

S. Mariæ Mon. in Urbe, quod appellatur Juliæ. Tom. 6. a. 796. n 81.

S. MARIÆ Mon. *Nostre-Dame*,
in E. Suessionensi.

S. Mariæ Mon. puellare Suessione conditum ab Ebroïno Majore-Domûs ejusque uxore Leutrude & filio Bovone, celeberrimum Cœnobium temporibus Ludovici Pii & aliorum Seminarium. Tom. 5. a. 661. n. 15. & a. 674. n. 9. Tom. 8, a. 818. nn. 72. *& seqq.*

Armentrudis Abbatissa, synchrona Pippino R. ejúsque filius R R.

Ascelina Abbatissa regnante Carolo M.

Theodrada Abbatissa a. 814. a. 817. a. 831.

S. MARIÆ Mon. vulgò *la Regle*,
in E. Lemovicensi.

S. Mariæ Mon. puellare in E. Lemovicensi instauratum ex munificentia Pippini Regis Aquitaniæ, Lod. Pii filii. Tom. 8. a. 837. n. 58.

Guntrada Abbatissa, a. 837.

S. MARIÆ IN NOVO CASTRO Mon.
in E. Leodiensi.

S. Mariæ in novo Castro Mon. Clericorum in Arduenna sylva Diœces. Leodiensis conditum sive instauratum à Pippino Herstallio proavo Caroli Magni. Tom. 8. a. 844. n. 67.

Einhardus Abb. a. 779. Carulo Magno regnante.

Lotharius Abbas a. 844. tempore Lotharii Imperatoris R. Francorum.

{ De his duobus Abbatibus consule Tom. 8. a. 844. n. 67.

S. MARIÆ in CARIATA Mon.
in E. M. Mediolanensi.

S. Mariæ de Cariate Mon. in Archiep. Mediolanensi conditum à Monigunda temporibus Luitprandi R. Longobardorum. Tom. 6. a. 774. n. 55.

S. MARIÆ ad OLIVOLAM Mon.
in E. Beneventano.

S. Mariæ ad Olivolam Mon. in E. Beneventano. Tom. 6. a. 774. n. 95.

S. MARIÆ ad ORGANUM Mon.
in E. Veronensi.

S. Mariæ ad Organum Mon. in E. Veronensi conditum florente Longobardorum Regno. Tom. 6. a. 774. n. 107.

S. MARIÆ IN LOCO SANO Mon.
in E. Marsicano.

S. Mariæ in Loco Sano Mon. puellare Episcopatus Marsicani conditum florente Longobardorum Regno. Tom. 6. a. 774. n. 80.

Aufleda Abbatissa a. 774.

S. MARTINI Mon.
in E. Augustodunensi.

S. Martini Mon. in suburbio Augustodunensi conditum à S. Siagrio Ep. Augustodunensi. Tom. 2. a. 600. n. 6.

Gauderannus Abb. a. 751.

S. MARTINI Mon.
Romæ.

S. Martini Mon. in Urbe. Tom. 6. a. 796. n. 83.

S. MARTINI Mon. *S. Martin de Tours*,
in E. M. Turonensi.

S. Martini Mon. in E. M. Turonensi inchoatum propè Turonum Urbem à Bricio Archiep. qui parvolam Basilicam supra corpus decessoris B. Martini erexit: absolutum deinde à Perpetuo Ep. M. ejusdem urbis, qui ampliorem Basilicam construxit & magnificentiorem, cujus ædificationi plusquàm decennium consumptum est Monachorum ab initio Cœnobium, in quo diu disciplina Monastica viguit, à multis tamen sæculis insigne Collegium Canonicorum, & in Galliis celeberrimum. Tom. 1. a. 508. n. 4.

Wicterbus Abb. a. 751. obiit, a. 756.

Wulfardus fit Abb. a. 756. obiit, a. 781.

Itherius fit Abb. a. 781. fit etiam Abb. Cormaricensis a. 791. obiit, a. 796.

Alcuinus fit Abb. San-Martinianus & Cormaricensis, a. 796. obiit, a. 804.

Fredegisus, seu Fridugisus, vel Fridogisus fit Abb. San-Martinianus & Cormaricensis a. 804. abdicat regimen Cormaricensis Mon. a. 820. quo fit Abbas Sitivensis; præest a. 828. a. 831. obiit, a 834.

Adalardus fit Abb. San-Martinianus, a. 834. præest a. 841.

S. MARTINI Mon.
in E. Ultrajectino.

S. Martini Mon. Ultrajecti. Tom. 5. a. 749. n. 49.

Gregorius Abb. a. 752. suscipit regimen Ecclesiæ Ultrajectinæ a. 755. obiit, a. 776.

Albricus fit Abb. a. 776. fit etiam Ep. Ultrajectinus a. 777. obiit, a. 784.

MAUZIACUM, Mon. *Mauzac*,
in E. Arverno.

Mauziacum, Mon. In E. Arverno conditum prope Ricomagum à Calmelio viro æquè pio ac nobili, & Namadia ejus uxore. Tom. 4. a. 681. nn. 73. *& seqq.*

Desiderantur Abbates Mauziacenses ab Emerio, qui primus fuit Abbas, usque ad Lantfridum.

Lantfridus Abb. a. 833.

lensi conditum à S. Samsone qui primus Dolensis Ep. creatus est regnante Childeberto I. Tom. 1. a. 519. n. 8. Tom. 8. a. 831. n. 62.

PANTALLIUM, Mon. *Pentallion*,
in E. M. Rotomagensi.

Pentallium, seu Penthale Mon. in Archiep. Rotomagensi ad Lirizinum amnem, *la Lizaine*, ubi S. Geremarus Monachum induit, & primùm Abbas fuit. Tom. 3. a. 648. n. 37. Tom. 8. a. 831. n. 61.

S. PETRI Mon.
in E. Barcinonensi.

S. Petri Mon. puellare Barcinone conditur à Ludovico Pio tum Aquitaniæ Rege. Tom. 7. a. 807. n. 4.

P. PETRI Mon.
in E. Beneventano.

S. Petri Mon. puellare extra muros Beneventanos conditum à Theoderata Romualdi Ducis Beneventani uxore. Tom. 6. a. 774. n. 95.

S. PETRI Mon.
in E. Papiensi.

S. Petri Mon. propè muros Papienses conditur à Luitprando R. Longobardorum. Tom. 6. a. 774. n. 53.

S. PETRI Mon.
in E. Perusino.

S. Petri Mon. de Perusia. Tom. 6. a. 774. n. 69.

S. PETRI Mon.
in E. Sabionensi.

S. Petri Mon. Bauzani in E. Sabionensi conditum, Francicæ ditioni accessit cum toto tractu Sabionensi regnante Pippino. Tom. 5. a. 769. n. 21.

Atto Abb. a. 769. a. 777.

S. PETRI Mon.
in Diœcesi Salisburgiensi.

S. Petri Mon. Salisburgii conditum à S. Ruperto primo Antistite Salisburgiensi qui migravit ad Deum a. 623. Tom. 2. a. 580. n. 26.

Abbatis nomen desideratur qui præerat a. 752.

Virgilius proficiscitur in Bojoariam a. 764. fit Abb. S. Petri & Ep. Salisburgiensis; abdicat munus Abbatiale a. 773.

Bertricus fit Abb. a. 773. item Ep. Salisburgiensis a. 780. obit, a. 781.

Arno fit Abb. & Ep. Salisburg. a. 781. Metropolitanus Bojoariæ a. 798. regimen dimittit Monasterii, sed incertum quo anno.

Anmilonius fit Abb. superstite Arnone, deinde & Archiep. Salisburgiensis a. 822. obit, a. 823.

Adalramus fit Abb. S. Petri & Archiepiscopus Salisburgiensis a. 823. obit, a. 836.

S. PETRI Mon. *S. Pierre le Vif*,
in E. M. Senonensi.

S. Petri Mon. prope Senonas erectum à Theodechilde filiâ Theodorici I. Regis. Tom. 2. a. 564. n. 36.

Bettemarius Abb. obit, a. 802.

Frodobertus fit Abb. a. 802. obit, a. 815.

Albertus fit Abb. a. 815. præest a. 831.

S. PETRI DE FLORENTILLO Mon.
in E. Spoletano.

S. Petri de Florentillo Mon. in E. Spoletano unitum Episcopali mensæ à Sigoaldo Ep. Spoletano. Tom. 7. a. 827. n. 89.

SS. PETRI & SULPITII Mon.
deinde S. GLODESINDIS, *Sainte Glosine*,
in E. Metensi.

SS. Petri & Sulpitii Mon. puellare Metis conditur à S. Glodesinde cujus hodie nomen habet. Tom. 6. a. 779. n. 50. a. 794. n. 117.

Glodesindis fundatrix & prima Abbatissa, a. 773. obit, a. 779.

POLLINGUM, Mon. *Polling*,
in E. Frisingensi.

Pollingum, puellare Mon. in E. Frisingensi conditum ab Illustribus Comitibus ac fratribus Lantfrido, Waldramo & Elilando. Tom. 5. a. 742. n. 32.

Gelovinda prima Abbatissa, soror prædictorum Comitum a. 752.

S. PONTIS Mon. *S. Pons*,
in E. Niciensi.

S. Pontii Mon. in E. Niciensi conditum à Carolo Rege. Tom. 6. a. 775. n. 36.

Syagrius primus Abb. a. 775. fit Ep. Niciensis a. 777. obit, a. 787.

PRATELLENSE Mon. *Préaux*,
in E. Lexoviensi.

Pratellense Mon. in E. Lexoviensi conditum antiquitùs ad Risellam, *la Rille*, juxta Pontem Andomati, vulgò *Ponteau de Mer*, ab Hunfrido post infestationem Barbarorum instauratur. Tom. 8. a. 831. n. 63.

PRATENSE Mon. *le Pré*,
in E. Cenomanensi.

Pratense, seu de Prato, Mon. puellare in suburbio Cenomannensi primitùs erectum tempore Childeberti R. ab Innocentio Ep. qui instauravit veterem Basilicam in qua Decessorum Antistitum corpora quiescebant, & ipse pariter sepeliri voluit cum Successoribus. Hæc Ecclesia, postmodùm S. Juliani nuncupata, Monialium conjunctum habuit Cœnobium aliud certè à Mon. seu Xenodochio quod condidit Terestina sub eodem Præsule Innocentio. Tom. 1. a. 543. n. 9. Tom. 8. a. 836. n. 77.

PRUMIA, Mon. *Prom*,
in E. M. Trevirensi.

Prumia, Mon. in E. M. Trevirensi condi-

V

WEISSAMBURGUM, Mon. *Weissembourg*, in E. Nemetensi, seu Spirensi.

Weissemburgum, Mon. in E. Nemetensi, seu Spirensi conditum à Dagoberto I. Rege. Tom. 3. a. 642. n. 67.

Charialdus Abb. a. 752.

Folcuvicus Abb. deinde Ep. Vormaciensis a. 766.

Ehranbrechtus fit Abb. a. 766. deinde Ep. Vormaciensis.

Bernharius Abb. deinde Ep. Vormaciensis a. 798.

Haistulphus fit Abb. a. 798. deinde Archiep. Moguntinus a. 814.

Orgarius sive Autgarius fit Abb. a. 814. deinde Archiep. Moguntinus a. 826.

Grimaldus seu Grimoldus fit Abb. a. 826. præest a. 834.

WELTENBURGUM, Mon. *Weltenburg*, in Diœcesi Salisburgiensi.

Weltenburgum, Mon. in Diœcesi Salisburgiensi erectum à Thassilone Duce Bojoariæ regnante Childeberto II. Tom. 2. a. 590. n. 8.

Adalwartus Abb. a. 752.

Reginhardus Abb. a. 760.

Wigmandus Abb. a. 777.

Dodalricus Abb. a. 789.

Ernestus Abb. a. 796.

Dietericus Abb. a. 802.

Wicannus Abb. a. 815.

Peringerus Abb. a. 820.

Rupertus Abb. a. 830.

WERTHINA, Mon. *Werden*, in E. M. Coloniensi.

Werthina, seu Werdina, Mon. in Archiepiscopatu Coloniensi, quod oppido nomen dedit, *Werden*, Comitatûs Marchiæ ultra Rhenum, conditum ad fluvium Ruram, *Roer*, Francis *Roure*, à S. Liudgero tunc Presbytero. Tom. 6. a. 796. nn. 153. *& seqq.*

Liudgerus, seu Ludgerus conditor fit primus Abb. a. 796. fit etiam primus Ep. Mimigardevordensis a. 802, obit, a. 809.

Gerfridus Ep. Mimigardevordensis & Hildegrimus Ep. Catalaunensis simul Procuratores Mon. Werthinensis a. 809.

Hildegrimus fit Ep. Salingestadiensis a. 810. & Sedem Salingestadio transfert Halberstadium a. 820. obit, a. 817.

Thiatgrimus sive Thiagrius multifariam appellatus, successor Hildegrimi in E. Halberstadiensi, fit Procurator Werthinensis Mon. cum prædicto Gerfrido superstite a. 827. & eo è vivis excedente a. 839. manet solus Provisor dicti Monast. obit a. 841.

Altfridus Ep. Mimigardevordensis fit Provisor Mon. Werthinensis a. 841. Deinceps Epp. tùm Mimigardevordensis tùm Halberstadiensis hanc Præfecturam Werthinensem alternis gessere.

WESSOBRUNNA, Mon. *Wessesbrunnen*, in E. Frisingensi.

Wessobrunna, Mon. in E. Frisingensi inter Amparam & Lycum fluvios, *l'Amber & le Lech*, inchoatur sub Childerico III. R. à prælaudatis fratribus Landfrido, Waldramo & Elilando Illustribus Comitibus. Sub Pippino R plurimùm inclarere cœpit, dum assumpto nomine Wessobrunnæ amplificatur à Thassilone Bojoariæ Duce. Tom. 5. a. 742. n. 31. a. 753. n. 74.

Ilsungus ex Monacho inferioris Altaichii fit primus Abb. a. 758. obit a. 799.

Adelmarus fit Abb. a. 799. obit, a. 831.

Reimundus fit Abb. a. 831.

WILDESHUSIUM, Mon. *Wildeshausen*, in E. Bremensi.

Wildeshusium, Mon. in E. Bremensi conditum à Wigberto Widikindi filio. Tom. 7. a. 825. n. 67.

WILDSBURGUM, Mon. *Wildsburg*, in E. Eystettensi.

Wildsburgum, Mon. in E. Eystettensi conditum à Carolo Magno. Tom. 7. a. 814. n. 28.

Z

S. ZENONIS Mon. *S. Zenon*, in E. Veronensi.

S. Zenonis Mon. in E. Veronensi conditum florente Longobardorum Regno. Tom. 6. a. 774. n. 107.

Austerbertus. Abb. a. 807. a. 816.

FINIS.

PARISIIS,
IN TYPOGRAPHIA REGIA,
CURANTE
SEBASTIANO MABRE-CRAMOISY,
ejusdem Typographiæ Directore.

M. DC. LXXXIII.



